

CORPVS
FRANCICAE HISTORIÆ VETERIS ET SINCERÆ.

In quo prisci eius Scriptores, hactenus miris modis in omnibus editionibus deprauati & confusi, nunc tandem serio emendati, & pro ordine temporum dispositi, Pseudepigrapha veris auctoribus suis restituta, omnia denique Notis marginalibus perpetuis illustrata, sic vt singula noua videri possint, vno volumine exhibentur.

QVORVM ELENCHVM PRÆcedens operis initium Pagina continet.

CVI ADIECTVS EST INDEX RERVM AC VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.







HANOVIÆ,
Typis Wechelianis apud hæredes Ioannis Aubrii.
M. DC. XIII.

CORPVS FRANCICAE HISTORIÆ VETERIS ET SINCERÆ.

In quo prisci eius Scriptores, hactenus miris modis in omnibus editionibus deprauati & confusi, nunc tandem serio emendati, & pro ordine temporum dispositi, Pseudepigrapha veris auctoribus suis restituta, omnia denique Notis marginalibus perpetuis illustrata, sic vt singula noua videri possint, vno volumine exhibentur.

QVORVM ELENCHVM PRÆcedens operis initium Pagina continet.

CVI ADIECTVS EST INDEX RERVM AC VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.



HANOVIÆ,

Typis Wechelianis apud hæredes Ioannis Aubrii.

M. DC. XIII.

CONDITORES

FRANCICÆ HISTORIÆ FRANCIGENAS,

COLLECTOS, CORRECTOS, DIGESTOS, ILLVSTRATOS,

FRANCORVM. NAVARRAEQ. REGI. CHRISTIANISS.


LVDOVICO

XIII. IPSOS. QVIDEM

ORIGINE. PROPRIOS. EX. IVRE DOMINO. RESTITVIT.

SVAM. IN. EIS. OPELLAM

MAGNI. CVLTVS. MONIM. QVALECVNQ. GERMANI. IN. FRANCOS. AFFECTVS PIGNVS. IDONEVM.



L. M. D. D. D.

EDITOR.

M. F.



)(2



GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS VITÆ BREVIARIVM.



REGORIVS CELTICO *Galliarum tractu fuit exortus, Aruernicæ regionis indigena, patre Florentio, matre Armentaria procreatus, quod & Fortunatus scribit his versibus:*

Forte decus generis Turonicensis apex.
Alpibus Aruernis veniens mons altior ipsis.

Et de Armentaria matre:

Felix bis merito sibi Macchabæa, vel orbi,
Nobilitas generis nobilior genitis:
Quæ septem palmas cœlo transmisit ab aluo,
Martyriique decus protulit ille vterus:
Tu quoque prole potens recte Armentaria felix,
Nec minor ex partu, quam prior illa sinu.
Illa vetus numero maior, tu maxima loco:
Quod poterant plures, vnicus hicce tuus.
Fœtu clara tuo geniti circundata fructu,
Est tibi Gregorius palma corona nouus.

Hic vere GREGORIVS, *id est, vigilans, vt ætatulæ robur habuit, literarum studiis mancipatur sub patruo Gallo episcopo: quo tempore Nicetius Lugdunensis Episcopus cum vicinus esset ciuitatis, vbi parentes Gregorii habitarent, nescio quid excelsum in puero conspicatus, iussit puerum ad se acciri, & collobio se totum in exemplum pudicitiæ contegens, vt ne summis quidem digitis iuuenculum contingeret, puero benedixit, atq; prospera precatus est. Literarum studiis instantius se applicat, eodem Gallo patruo magistro. Cumque beatus Gallus ad emeritam beatæ vitæ coronam vocaretur, vir domini Auitus adolescentem suscepit. Qui cum eius ingenium morumque habitudinem explorasset, magistrorum diligentiam adhibuit, & quanta vel ipsius industria, vel eorum sedulitas velocitate*

)(3

poterat, ad arcem ſapientiæ prouexit. Porro autem in diſcendis literarum ſtudiis ea ſe diſcretione exercuit, vt vtraque nimietate careret: nec Poetarum nænias ex toto horreret, nec tamen (vt pleriſque mos eſt) his indecentius hærens, earum lenocinio mente ancillaretur. Tunc temporis apud Aruernum plerique, in habitu religionis viri fulgebant, quos iuuenis nunc cum beato Auito, nunc ſemotim inuiſebat, quatenus vel ab eis exempla pietatis aſſumeret, vel ipſis quod forte deerat, mutua charitate præſtaret. Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo poſt tranſitum domini Martini, Sigeberto Rege anno duodecimo regnante, beatus Eufronius, qui inter virtutes conſeneſcens tanta gratia donatus eſt, vt ei Prophetiæ ſpiritus ineſſe viſus ſit, appoſitus eſt ad patres ſuos. Tempusque aduenerat, vt Gregorius amore beati Martini dudum flagrans, & ad paſtoralis officii miniſterium idoneus Epiſcopus, cathedram eius vice ſua regendam ſuſcipere debuiſſet. Cum igitur beatus Eufronius obiſſet, Turonici de eius ſucceſſore tractaturi conueniunt. Sed facili diſcrimine ſuaſum eſt cunctis, Gregorium in electione præferendum. Perſonam in loco frequentiſſimam iam olim ſciebant, pluraque eius geſta viro digna conuenerant. Tunc vero cunctis in conſona voce coeuntibus, cerneres Deo fauente cauſam proſperari. Nam clericorum turba nobilibus viris conſtipata, plebſque ruſtica ſimul & vrbana pari ſententia clamant; Gregorium decernendum, cum claris meritis, tum quoque nobilitate pollentem, ſapientia præcipuum, generoſitate primum, principibus notum, ac ſua probitate reuerendū, omnibuſque officiis habilem. Legatio ad Regem dirigitur, cum quidem Deo diſpenſante Gregorius coram reperitur. De hac igitur cauſa conuentus, quanta humilitate ſe excuſare tentauit? quibus modis ſe ſubducere viſus eſt? Sed quia velle Dei eſt, hinc cætera flectuntur. Hunc Rex auctoritate cogit, hunc Brunichildis regina perurget. Sed quoniam diſcreta humilitas obedientiam non recuſat, tandem aliquando aſſenſus eſt. Quem (vt credo) ne qualibet occaſione delatus profugeret, ſtatim Egidius Remenſis archiepiſcopus ordinauit, vt Fortunatus poeta ſcribens ait,

Quem patris Egidii domino manus alma ſacrauit,
Vt populum recreet, quem Radegundis amet.

Adeptus ergo præſulatum, qualis vel quantus fuerit vt compendioſe dicatur, & plures Eccleſiæ quas nouiter conſtruxit, vel quarum ſarta tecta reſtaurauerit, inſinuant: & libri in laudem Sanctorum, vel in expoſitione Sanctarum ſcripturarum editi, quam primum demonſtrant. In conſtruendis vero ſpiritalibus templis, videlicet in cuſtodia gregis, quam certatim ſeſe impenderit, vel ex hoc animad-

uertitur,

uertitur, quod nec ab ipsis quidem sanctis viris studium suæ prædicationis continuit. Multa quidem Gregorius (quæ insequi longum est) in salute languentium operabatur, quæ tamen sub obtentu Sanctorum, quorum reliquias perinde ferebat, à suis meritis excludere nitebatur: cum quidem hæc tanto verius per ipsum fiebant quanto ipse humilius aliis tribuebat. Virtus charitatis in illo præeminebat, adeo vt ipsis inimicis affectum dilectionis impenderet, vt sequenti patebit exemplo. Quodam enim tempore factum est, vt ad venerabilem matrem suam in Burgundia properaret: in siluis vero Abiegnis, quæ trans Verberim fluuium sitæ sunt, latrones incurrit. Qui tanto impetu super comitatum eius irruere visi sunt, vt non modo eos expoliare, sed & occidere velle putarentur. Quorũ assultu Gregorius terreri non potuit, qui præsidio Martini circumseptus incedebat. Cuius mox auxilium flagitans, ita sibi adesse expertus est, vt latrones velocius quam emerserint, fugam inirent. At Gregorius vsus consueta pietate, nec in perturbatione turbatus, fugientes reuocat, ad cibum & potum inimicos inuitat.

Sedecim annos hic in episcopatu exegerat, cum æquiuocus eius, ille magnus Gregorius in sede Apostolica subrogatur. Siquidem opinata res est, quod dudũ alter alteri peculiari sit amicitia deuinctus. Nec immerito tamẽ hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazanzeno, tanquam ille datus sit Orienti, Romanensis autem, Meridiei, at hic noster, Occidenti. Cum igitur sacra Apostolorum limina expetisset, magna cum reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quem ad B. Petri confeßionem introducens, à latere constitit, præstolans quo assurgeret. Interim autem, vt erat ingenio profundißimus, secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in huiusmodi hominem (erat enim statura breuis) tantã gratiam cœlitus profluxisse. Quod ille mox diuinitus persentiens, & ab oratione surgens, placidoque vt erat vultu, ad Papam respiciens, Dominus, *inquit*, fecit nos, & non ipsi nos: idem in paruis, qui & in magnis. *Cumque id suæ cogitationi sanctus Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gauisus, gratiam quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit, sedemque Turonicam nobilitauit. Pauca hæc de nostro præsule dicta sint. Non eum miraculorum ergo, quæ etiam reprobis dari solent, commendamus, sed ne hãc quidem gratiam illi defuisse monstramus. Cæterum ad eius gloriã commendandam, illud sufficiat, quod humili corde Christum secutus est, & quod non sperauit in pecuniæ thesauris (hoc vtique est mirabilia fecisse) & quod à peccatorum est laqueo custoditus. Super omnẽ*

quippe gloriam est, à peccatis protectio. Vigesimo & primo igitur episcopatus sui anno, tanquam septenario annorum numero, ter in fide sanctæ Trinitatis completo, appositus est ad patres suos, non tam dierum (qui ferme tricennalis ordinatus est) quam perfectione plenus. Qui tamen non vsquequaq; videtur clausus in tumulo, cui restat vt vel lingua viuat in mundo. Et quia (sicut credimus) cum Martino in cœlo est sociatus, sancto etiã corpore est illi in sepulchro vicinus. Porro Turonenses, ne diuinis muneribus videantur ingrati, semper necesse est vt retractent, quantopere sint à Deo suffulti. Datus namque est eis patronus, non qualiscunque, sed Martinus: de cuius laude quid primum, vel speciale dicatur, cum vt scriptum est, eius minima, aliorum maximis maiora *esse manifestum sit. Datus est eis & Gregorius vir non solum sanctitate, sed & doctrina clarus, ne vrbs Turonica obscurior videretur, scriptorum officio caruisse. Quin potius sicut vrbs Romulea post Apostolos illustratur in altero Gregorio: ita & Turonica post Martinum decoratur in isto. Nec prætereundum, quomodo consuetam sibi humilitatem etiam in ipsa sepultura sua seruauerit. Nam in tali loco se sepeliri fecit, vbi semper omnium pedibus conculcaretur, & ipsa loci necessitas cogeret, ne vnquam in aliqua reuerentia haberi posset: sed grex beati Martini talia non ferens, amicum domini sui de loco leuauit, & edito sepulchro Mausoleo, ad læuam sancti sepulchri digna reuerentia collocauit. Obiit autem quindecimo Calend. Decembris, videlicet intra Martinianam hebdomadam: vt solemnitatem Martini, quam heic iam ægrotans celebrare cœperat, Martino iunctus in cœlo consummaret, præstante Domino Iesu Christo, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.*

E TRITHE-

E TRITHEMIO ABB. SPANH.

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

GREGORIVS *Episcopus Turonensis, ex Monacho, discipulus quondam S. Auiti præsulis Auernorum, vir doctus, & nobilis, mitis quoque & humilis, tantæ sanctitatis & puritatis extitit, vt etiam in vita miraculis coruscauerit. Hic Apostolorum Petri & Pauli limina visitans, à beato Papa Gregorio cum maxima reuerentia & charitate, vt vere sanctus susceptus est, & amicus singularis & vnicus ab eo dilectus. Scripsit simplici & aperto sermone nonnulla volumina. De quibus extant*

De laude sanctorum Martyrum	lib. 1.	*Hieronymus presbyter.*
De vita quorundam Confessorum	lib. 1.	*Statueram illa tantum scri.*
De miraculis S. Iuliani martyris	lib. 1.	*Magnum in nobis quo.*
De miraculis S. Martini	lib 4.	*Omnibus Sanctis & in Christi.*
Historiæ Francorum	lib. 10.	*Scripturus bella Regum.*
Epitoma eiusdem	lib. 1.	
Chronica Ecclesiasticæ historiæ	lib. 1.	


Cætera quæ composuit, ad notitiam lectionis nostræ nondum venerunt. Claruit temporibus Mauricii Imperatoris, anno Domini DC.

ADDITIO.

[Hisce opusculis modo enumeratis, additur etiam, & tribuitur eidem Gregorio, in Catalogo M. Scriptorum Angliæ pag. 127. Libellus *De Passione Domini*, (ipse quidem Gregorius GESTA PILATI nominare videtur, Lib. 1. c. 23.) qui non raro reperitur M.S. & excusus est in Orthodoxograph. Patrum, Basileæ Anno 1569. fol. 643. De quo suum cuique liberum relinquimus iudicium.]

DE AIMOINO HISTORICO IVDICIVM

F. IACOBI DV BREVL, MONAchi sancti Germani à Pratis.



AIMOINVM Monachum fuisse ordinis sancti Benedicti, ex eius in historiam Francorum præfatione satis colligitur: vbi dicit: *Id præcipue conseruare curaui, vt in omnibus his libris mentio fieret Benedicti patris, certis ex causis: cui ego meum scire, meum posse, meumque viuere, post Deum acceptum fero.* Sed cuius Monasterii fuerit, nusquam expressit. Quo factum est, vt quidam eum Cœnobii Floriacensis, siue sancti Benedicti ad Ligerim Monachum crediderint: moti duntaxat Abbonis Abbatis nomine, cui opus suum dicat. Quod si ita esset, vt quondam Menedemus Chremeti, ita illi merito obiici posset;

Tantumne est ab re tua otii tibi
Aliena vt cures, eaque nihil quæ ad te attinent?

nisi pag. 123. edit. Paris. Wechel. in 8 Nam cœnobii Floriacensis nusquam † meminit: nostri vero sancti Germani à Pratis Abbates vsque ad historiæ suæ decursum optimo ordine, nullo prætermisso commemorat: ac potiora eius priuilegia ad verbum refert: quæ in archiuis studiose adseruata, non nisi domesticis, nec passim omnibus communicabantur. At Aimoino ex officio quodammodo incumbebat illa nosse. Erat enim monasterii Notarius (quem nos hodie Scribam Capituli nominamus) res quascunque in eo transactas literis mandans. Vnde in quadam charta partim à soricibus corrosa, partim vetustate deleta, adhuc hæc leguntur: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Gozlinus, gratia Dei Abbas monasterii beati Vincentii martyris, vbi venerabilis confessor Christi Germanus corpore quiescit.* &c. *Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi VCCCLXXII. Regni vero Caroli XXXII.* Et in fine: *Aimoenus Notarius ...... & Monachus scripsit & subscripsit pridie nonas Octobr.* Hic est ille Gozlinus, qui *al. Ebolo.* Pontifex Parrhisiorum factus, vrbem contra Nortmannos cum Ebolo † nepote suo (cui Abbatiam nostram resignarat) egregie tutatus est: vt Abbo Monachus rudi scabro & impolito, veraci tamen poemate describit. Eodem quoque Gozlino iubente, Aimoinus libros duos Miraculorum sancti Germani, à duobus monachis prius incompta Minerua exaratos, expoliuit ac perfecit: quales hodie apud Surium tomo VII. de sanctis habentur. Incipiunt autem ab anno Christi DCCCXLVI. & desinunt in annum DCCCLXIII. Quibus temporibus fuere successiue

ceſſiue tres Archimandritæ noſtri cœnobii, ſcilicet Ebroinus Pictauorum Antiſtes, Hilduinus ſecundus, ipſeque Gozlinus. Inſuper Aimoinus duos libros de Inuentione & translatione corporis B. Vincentii Leuitæ & Martyris è Valentia Hiſpaniæ ciuitate, ad Caſtrum monaſterium Albigenſis † regionis, nunc in ſedem pontificiam erectum compoſuit. *al. Albienſis.* Quos è vetuſtiſſimo codice M S. noſtræ Bibliothecæ exſcribi, prælo typographico committi, atque hiſtoriæ Francorũ eiuſdem auctoris adiici curauimus. Incipiunt autem hoc modo. *Anno octingenteſimo quinquageſimo quinto Incarnationis Domini, regnante orthodoxo Francorum principe Karolo, Hludouici principis filio*, &c. Nec multo poſt, ſcilicet cap. 2. lib. 1. indicat ſe tum vixiſſe (ne quis longe præcedentium temporum Hiſtoriam eum texere arbitretur) atque ab Audaldo Caſtrenſi monacho, ſacri corporis beati Vincentii translatore, ea accepiſſe: *Cuius* (inquit) *ab ore, quæ dicuntur, & multo etiam ampliora, nos in fide accepiſſe confidimus.* Ex ſuperioribus patet, quo tempore noſter Aimoinus vixerit, & quidem longæuam, non tamen communem naturæ vſum excedentem vitam duxiſſe: nec Abboni Floriacenſi Cœnobiarchæ (qui, vt alibi diximus, Vaſconum ad cædem bile commota pronorum gladiis, anno Salutis MIII. † occubuit) *al. M.IV.* ſynchronon fuiſſe: multoque minus ei nondum nato opus ſuum dicaſſe. Quo fit, vt his libenter aſſentiar, qui librum quintum vſque ad natiuitatem Philippi Auguſti, id eſt, annum redempti orbis MCLXV. protenſum, non eſſe Aimoini, ſed alterius aut plurium appendicem aſſerunt. Hunc tamen librum Aimoinum inchoaſſe, ex his quæ in fine quarti habentur, apparet. *Quæ ſcripſi* (ait) *vſque ad tempora Imperii Francorum, Adhemari nobiliſſimi Monachi & deuotiſſimi relatione addidici: poſteriora autem (quia ego rebus interfui Palatinis) quæ vidi & comperire potui, ſtylo contradidi.* Nec quenquam moueat, quod in Epiſtola dedicatoria dixit ſe duntaxat Quatuor libros ſcribere: ſæpe enim contingit, vt abundante materia longius, quam ſperabamus progrediamur: haud ſecus, quam figulus dum vrceum parat, currente rota amphoram quandoque facit. FLORIACENSES cœnobitæ habent codicem Aimoini manu ſcriptum: ſed qui caput quadrageſimum primum libri quarti non excedat: Et tamen *Lib. 4. c. 41.* ſex Abbates S. Germani à Pratis, qui præceſſerant, nimirum Autharium, ſanctum Droctoueum, Scubilionem, Deſideriũ, Gauſcionem, & Germanum ſuis locis referat. Laudandi profecto illi, qui non his deletis nominib. Abbatum ſuorũ nomina ſuppoſuerunt, vt Aimoinum ſibi vẽdicare, & de tali tantoq; auctore gloriari apud poſteros valerent: quẽ S. Thomas Aquin. & doctorum Scholaſticorum aquila, lib. III. de Regimine principum. cap. 21. *Hiſtoriarum ſcriptorem egregium* appellat. Quis vero alius Abbo fuerit, quem Aimoinus Abbatem ſuum recognoſcit, *& gregis eius ſe minimum*, ex humilitate profitetur, non ſatis conſtat. Nam in ſerie Abbatum ſancti Germani à Pratis (quam infra folio 427. cum ex ipſo *Edit. Pariſina, An. 1602* Aimoino, tum ex aliis conſecutis collectam poſuimus) nullus huius nominis reperitur. Reſtat ergo opinari, Aimoinum videntem pondus bel-

li Nortmannici in Lutetiam Parrhisiorum vt plurimum incumbere, procul recessisse, & in aliquod cœnobium admissum, fratrumque consortio iunctum, eorum Cœnobiarchæ, Abboni nomine, lucubrationes suas dicasse. Sicuti etiam Leufredani monachi, Rollone duce cunctas Ecclesias & monasteria Neustriæ (quæ postea Nortmannia dicta est) non modo expilante, sed etiam diruente, ad nostrum Cœnobium confugerunt; & se suaque dedentes humane excepti, foti, nutritique, aliorum more, fuerunt. Me quoque, Lutetia ab Henrico quarto Francorum Rege obsessa, & fame laborante biennium in suburbana D. Vincentii Cænomannorum Æde demorari contigit. Quod si tunc aliquid prælo dignum edidissem, non alii, quam eorum Archimandritæ, quasi meæ susceptionis gratias referens, obtulissem.

DE

DE EINHARDO, SIVE EGINHARDO, SCRIPTORE VITÆ CAROLI M. Regis Francorum & Imp.



E Einhardo, quo antiquiorem historiæ scriptorem non habet Germania, quemque nobis tulit hæc ipsa quam incolimus regio, nihil aut perparum haberemus dicere, si non memoriam viri nobis conseruasset Chronicon Laurishamensis cœnobii (vbi illum familiariter versatum colligimus) quod ex Archiuis Palatinis erutum, cum aliis Germaniæ scriptoribus eatenus incognitis ante decennium publicauimus. Cuius tamen fide esse velim, quod ibi de Einhardo refertur, vt iuuenis in aula Karoli M. Imp. notarium sedulo agens, cum filia heri sui Imma nomine furtim consueuerit, & ab ea per niuem deportatus, ab insomni Principe fortuito deprehensus, venia clementer cōcessa portatricem suam vxorem acceperit, non absque muneribus & latifundiis, etiam à Ludouico Pio Imp. postea auctis & cumulatis; quorū postea partem cœnobio Saligenstatensi eos contulisse, diplomata ibidem edita loquuntur. Quæ narratiuncula vtut apud nonnullos fidem repererit, mihi quidē eodem loco habenda videtur, quo gemina plane seu historiola seu fabella, quam de Henrico III. Imp. eiusq; sorore moniali Vincentius Beluacensis lib. XXV. Speculi Hist. cap. 10. in literas retulit. Et quid mirum de notario Imp. Caroli fabellam illud æuum fingere ausum, cum de ipso Carolo non dubitauerit. Vtut tamen res habeat, & forsitan vera mixta falsis videantur, hoc constat, Einhardum in summa apud Carolum gratia fuisse, neque alium magis in grauissimis negociis expediundis ab eo adhibitum: quod præter Annales, etiam testatur alicubi Walafridus Strabus, & Ermoldus Nigellus in Panegyrico Ludouici Pii Caroli F. I. Lips. in Monitis Polit. lib. 1. cap. 12. Apud Petrarch. lib. 1. epist. 3.

Tunc Heinardus erat Caroli dilectus amore,
Ingenioque sagax, & bonitate vigens.

Sed & fœminam eximiæ virtutis, claramque natalibus Einhardum in matrimonio habuisse: quam postea (imploratis nequicquam Martyrum intercessionibus) fato sibi præreptam grauissime luxerit, & domesticum vulnus impatientissime tulerit: vt ex eius ad Lupum Ferrariæ Abbatem familiarem suum Epistola tunc scripta apparet, cuius amicis & repetitis consolatoriis vix tandem ad æquanimitatem reduci potuerit. Ab eo casu, pertæsus seculi, animoque prostratus, & ætate declinante, ad asceticam vitam se contulit; condito & fundato cœnobio Salingestat (quod adhuc eo nomine superest) ad Mœnum Franciæ oræ fluuium: in quo reliquum ætatis exegisse credibile est. Trithemius scribit, eius collegii primum Abbatem ipsum fuisse. Libellos quos scripserit, idem aliquos recenset: quibus ex Aimoino & Chronico Laurishamensi addendus est, De translatione & miraculis SS. Marcellini & Petri Martyrum: *& ex Fuldensibus Annalibus sub Anno* DCCCLXXIV. Monita Gabrielis Archangeli XII. *capitulis comprehensa. Ea erat illorum temporum Theologia. Vitam quidem Karoli M. quæ aliquando in ms. sine auctoris nomine inuenitur, ibidemque à Frisingensi & aliis quandoque laudatur; & à quibus-* Epist. 2. 3. 4. Extat Tom. VII. Surii, ad 2 Iun.

dam Alcuino perperam tribuitur (perperam inquam, quia ALCVINI *ipse auctor eius libelli inter Caroli institutores meminit) Einhardi nostri genuinum esse fœtum, liquido nobis constat. Nam & ab Einhardo descriptam eius Principis vitam Sigebertus, Marianus Scotus, aliique testantur; idemque ille Lupus Epistola 1. qua Einhardi ipsius amicitiam ambit, & ex illo ipso, qui extat, libello loca quædam sub* EINHARDI *nomine ab aliis afferuntur: vt nominatim à Poeta Padebornensi Anonymo, qui aliquammultis postea annis sub Arnulpho Imp. Caroli M. gesta ex Adelmi Benedicti annalibus carmine expreßit, editus à Rineccio: . . . .*

De vita Caroli scriptum legat ipse libellum,

Quem summo prudens Einhardus nomine scripsit.

Denique non alio sub nomine edidit, qui primus edidit, diligentißimus & felicißimus Germanicæ antiquitatis indagator, illustris Hermannus Comes Neuenarius, fide vtique codicis vetusti: quem vtinam toto etiam contextu edendo sequi maluisset, nec sibi permisisset illius æui qualemcunque phrasin floridiore passim permutare: quam omnes sequentes editiones postea retinuerunt. Et in Chronico SuarZachensi membranato optimæ notæ, ante CCC. *annos scripto, in quo per occasionem mentionis Gothorum & Longobardorum, libelli Iomadis & Warnefridi fere integri inseruntur, vbi ad Francos ventum est, Einhardi istud opusculum cum hac præfatione insertum extat:* De cuius natiuitate, atque infantia vel pueritia, dicit actuum eius scriptor EGINHARDVS, ab eodem Principe educatus, quod neque scriptis vnquam aliquid declaratum sit, neque quisquam suo tempore inuentus sit, qui horum noticiam se habere dixerit. De actibus vero & moribus, cæterisque vitæ illius partibus ita explicuit. *Quod ipsum profecto ob conseruatam dignißimi æterna fama Herois Caroli memoriam, styliq; tolerabilem bonitatem, merito nobis Germanis in precio & delitiis esse debet: quando nec hoc vno antiquius vllum à Germano homine historiæ monumentũ nobis superest. Nam vere Othfridus (qui sub huius nepote Ludouico Germaniæ Rege floruit) scripsit de Francis,* Eos nec historias suorum antecessorum, vt multæ gentes cæteræ, commendare; nec eorum propria gesta vel vitam ornare dignitatis amore. *Quid quod tam nobilem alumnum hæc, quã habitamus, prouincia, Francia nimirum Orientalis, & nemus Ottonicũ, sibi peculiariter asserit? Vt autem ipse in hac Karoli vita texenda Suetoniũ (quod acute eruditißimus Casaubonus obseruauit) sibi imitandum proposuit; fere quomodo epistolam Sidonii, de Theodorico Rege, prope totam compilauit Radeuicus, & accõmodauit Friderico: ita ab illo, quotquot postea eiusdem Principis gesta condiderunt, subinde quædam mutuati sunt, vt in Adelmi Annalibus, Poeta illo Anonymo, aliisq; non ægre deprehenditur. Donatus autem Acciaiolus Florentinus, sui de Karolo M. Commentarii non alium quam hunc fundum habuit. Ne de nugacibus maleq; feriatis, qui res Magni huius (quod fatum pariter & nomen cum Macedone illo commune habuit) diuersis postea idiomatis, prosa vorsaq;, dum* de Magnis maiora loquuntur, *non iam fabulose, sed portentose decantarant; in quis Monachus S. Galli ex relatione Werenberti & Adalberti, Cantorque Turicensis familiam ducunt; & Francogallicis figmentis (quæ vulgo Romani vocant) passimque otiosorum manibus teruntur, verbum addamus.*

Marquardus Freherus scripsi.

QVI

QVI SINT EIVS FRANCICÆ HISTORIÆ AVCTORES, QVÆ AIMOINI nomine circumfertur.

Obſeruatio Gulielmi Ranchini, Lib. 1. Variar. cap. XV.



QVisquis Aimoinum legis, aduerte quæ nunc dicam, & gratiam habe pro iudicio. Non ſolus Aimoinus eius Hiſtoriæ author, quæ illius nomine circumfertur, ſunt alii præterea. Ille quidem primus, idemque nomine notus: alii poſteriores, & quaſi optiones, iidemque incerti omnes atque ignoti: cuncti tamen Monachi, ſi vera cõiicio. Eos autem ſic diſtinguo: ſcripſit Aimoinus vſque ad initium regni Pipini, vt clare teſtatur ipſe in limine ſui operis, libris quatuor diuiſi. Vnde ſequitur vt maior libri quarti pars, in qua de Pipini, Caroli Magni, & Ludouici Pii rebus geſtis agitur, itemque totus liber quintus aliis authoribus tribuendus ſit. A quo autem capite ſeparatio ſit facienda, quaſi arbiter finium regundorum, diſquiram, vt potero. Sunt qui à capite XLII. Libri IV. Aimoinum decurtant, ſed ii verius illum caſtrant ac detruncant. Plurimum quidem tribuo libro Floriacenſi, cuius id authoritate fieri dicitur, ſed plus tribuo ipſi Aimoino, qui vſque ad id temporis, quo Pipinus Caroli Magni pater regnare cœpit, Hiſtoriam ſuam ſe producturum monet: in eo autem capite non modo non ad Pipinum, ſed ne quidem ad Carolum Martellum illius parentem peruentum eſt. Sit igitur finis Annalium Aimoini caput quinquageſimum quartum, aut etiam ſexageſimum primum: ſine dubio alterum è duobus: quodnam autem, affirmare vix audeo. Supputatio temporum quæ fit in vtroque capite, in primo, annorum Mundi: in altero, annorum Pipini, cuius nondum deſcripta hiſtoria fuerat, quæque (vt videtur) deſcribenda aliis relinquebatur, finiti atque abſoluti operis indicium præbet. Dum Carolum Magnum nominat Aimoinus, ad eum vſque ſe vixiſſe ſatis monet. Potuit igitur ea ſcribere, quæ in dicto cap. LXI. de Pipini ætate regnoque dicuntur. At qui ea ſcripſit quæ in capite LIV. leguntur, non vlterius progreſſus fuiſſe videri poteſt. Dum ibidem ita loquitur; *A paſſione Domini vſque ad iſtum annum præſentem, qui eſt decimus nonus, Principis Caroli* (Martelli videlicet) *ſunt anni* DCCXXXV. niſi dicamus, ſequentibus annis eum reliqua addidiſſe, vt eſt veriſimile. Hæc de Aimoino.

Accedat iam alter qui ei ſucceſſit: cuius ſcriptis initium dabimus vbi Aimoino exitum. Finis enim annalium Aimoini, principum iſtius qui trium Galliæ regum vitam regnumque & Imperium deſcripſit, Pipi-

ni, Caroli Magni, ac Ludouici Pii: quique sub eodem Carolo ac Ludouico vixit, rebusque interfuit sub eodem imperio gestis. Quæ vero iam peracta ante eorum Imperium, id est, antequam Romani Imperii fasces suscepisset, ea se ab Ademaro monacho didicisse profitetur in capite vltimo libri quarti. Fuisse autem eum quoque Monachum, eidemque Ludouico familiarem, aut saltem notum ex cap. XVII. lib. 5. manifestum fit. Huius scriptis finem damus à Ludouici morte, id est, à capite 11. lib. v. In cuius extrema parte aliam agnoscimus manum, aliumque authorem, nempe ab iis verbis, *vertente autem anno*, &c. Id autem ne cuiquam dubium esse possit, faciunt ea quæ in fine dicti capitis narrantur. Lotharium videlicet vnum ex Ludouici Pii liberis, eam Franciæ partem sibi vindicasse, quæ vsque in hodiernum diem ex suo nomine *Lotharii Regnum* appellatur: quæ sane non potuit ille scribere, qui rebus Caroli Magni & Ludouici Pii gestis se interfuisse testatus est, sed alius omnino qui etiam diu post Lotharium, & alio sæculo vixerit.

Ab eo igitur capite sit nobis alius scriptor, isque Annaligraphus: singulas enim fere res per annorum seriem notauit, accuratius omnino quam ii qui præcedunt, quos Historiam scripsisse dico, hunc vero Annales, eosque non raro luxatos, atque hiantes: vt in cap. XX. eiusdem libri V. quod neque cohæret cũ superiori: & à quo, si ad sequẽs descendas, plurimorum annorum acta intercepta fuisse animaduertas. Is enim Lotharius, de quo fit mentio in dicto capite sequenti XXI. non est ille de quo agitur in cap. XIX. versus finem; sed eius filius. Certum est enim, superiori tres fuisse filios, Ludouicum Imp. Carolum, & hunc Lothariũ. Carolo autem mortuo Ludouicum & Lotharium eius inter se regnum diuisisse: defuncto deinde Lothario, dum iret Romam ob duas vxores à se ductas, duos eius patruos, Ludouicum (inquam) & Carolum, Ludouici Pii filios, de quibus agitur in dicto cap. XIX. arripuisse eam regni portionem, quæ ad eum peruenerat, quæque iure ac legibus ad Ludouicum Imperatorem eius fratrem pertinebat; vt patet ex Adone Viennensi. Hæc tibi notanda, & quasi inter media habenda, inter caput XIX. & XXI. quibus ignoratis, vix satis intelligas caput illud vicesimum primum, interrupta rerum serie & historiæ filo. Similia multa possem indicare, nisi aliud nunc agerem. Huic autem Chronographo, quisquis tandem ille fuerit, ea omnia tribuo quæ à dicto capite decimonono, & versiculo, *Vertente autem anno*, vsque ad caput XLIX. in quo ab Annalibus ad Historiam denuo reuersum, & historiam floridiori accuratiorique stilo compositam, duorum tantum regum Ludouici VI. & VII. res gestas enarrantem.

Iam quatuor habes huius Francicæ Historiæ authores. Inueniam & quintum, eumque obscurum, bardum, stupidum, & (vno verbo) vere Monachum: qui cum vidisset ab Aimoino perpetuam successionem Abbatum Cœnobii S. Germani Parisiensis obseruatam fuisse, idem præstare voluit in cæteris authoribus à me iam designatis: quod fecit ita insulse, atque importune, vt in media sæpe rerum narratione, integras has

de

de re clausulas interponat, vt lib. IV. cap. 46. 47. 48. & lib. V. cap. 53. 54. Vereor autem ne sarcinator iste, quisquis sit, diuersa hæc diuersorum authorum scripta inter se consuerit, amputato vniuscuiusque operis capite, aut si id non factum (forte enim à diuersis continuatum illud opus, vt accidit Eusebii, Sigeberti, aliorumque chronicis) dicam saltem quædam hunc miscuisse male consuta, ac de suo addidisse, legentibus ingrata prorsus ac insipida. Quæ tamen neque respuo, neque damno, ob inopiam scriptorum Francicæ Historiæ: quam ex veteribus illis Scriptoribus haurire satius est, quam ex nouis quibusdam Rhapsodis, qui multa obtrudunt nobis, quæ nunquam facta, ficta, picta aut scripta.

XX 3

ALIA DE EADEM RE OBSERVATIO, MARQVARDI FREHERI.



IMOINVS *non nisi quatuor libros scribere sibi proposuerat, & vsque ad id temporis, quo Pipinus magni Karoli pater regnare cœpit, ait ipse in Prologo. Quod an ex animi sententia absoluerit, non satis certum est. Si fecit, exemplaria certe temporis iniuria in fine manca ad nostram ætatem peruenerũt: ipsumque adeo Floriacense, quod vel vnicum, vel certe præ aliis omnibus optimum fuisse videtur. In eo enim post Caput XLI. Libri IIII ita annotatum legimus:* Hactenus Liber Floriacensis monasterii S. Benedicti supra Ligerim, gesta Francorum recitat. *Quod idem testatur de suo Codice perantiquo, manu exarato ante tria vel quatuor secula V. C. Claud. Fauchetus, Consiliarius & Præses Regius.* (Libr. IIII. Antiquit. Franc. ca. 6.) *Quæ vero sequuntur, ait eadem Annotatio,* non Aimoini, verum alterius cuiusdam Historiographi sunt: nec vnius quidem tantum, verum duorum. *Sed quorum, à nemine hactenus obseruatum aut proditum video.*

Res ita habet: Compilator ille, quicunque centonem illum è compluribus (vt iocülariter dicere solemus) consarcinauit, vbi eum Aimoini opus, vel operis forte potius exemplar defecit, vulgata quadam in membranis scripta, GESTA FRANCORVM *(id nominis habebant, etiam Fredegario† teste) arripuit, vnde sequentia capita à XLI. vsque ad LII. circa med. nihilo penitus mutato exscripsit: & hoc quoq; mox deficiente, è* CHRONICA *ipsius Fredegarii† reliqua capita vsq; ad LVIII. commodato aut precario accepit, si fatetur; si negat, furatus est. Et hæc sunt illa (vt Annotatio eadem loquitur)* præciso nimirum rudique stylo repetita: *quæ Aimoini calamum, satis alias tolerabilem, vel me tacente minime omnium redolent, qui propositum habebat (vt in Epistola ad Abbonem profitetur)* res inculto sermone descriptas, ad emendatiorem Latinitatis reuocare formam. *Atque ita his duorum fragmentis insertis compilator expleuit, quæ in fine Aimoini videbantur desiderari: scilicet vt fidem ipsius Aimoini præstaret, qui ad Pipini Regis initia (totam nimirum Merouingorum seriem & periodum, vsque ad Pipeuingorum primordia) historiam se deducturum receperat.*

(Edidimus hac collectione fol. 57. Ibid. fol. 117. Ibid. fol. 157)

Quid postea? Cum ad Caroli Martelli gesta ventum est (*subiicit illa eadem Annotatio*) politiori magisque Latina oratione tum illius, tum cæterorum gestæ res explicantur. *Martelli quidem non admodum polita (sunt enim ea adhuc Fredegarii illius scholastici) sed Pipini eius filii, Caroli que Magni & Ludouici Pii continuam per LXXXVII. annos historiam perpetuis Annalibus commendatam, à capite LVIII. vsque ad finem Libri IIII. satis impigre atque imo fideliter exscripsit, adeo nullo apice mutato, vt Annales illi (olim ab illustri Hermanno Comite Neuenario, paucis hinc inde verbis aut phrasibus in melius mutatis, editi†) non aliunde melius quam ex isto Aimonii centone ad primam*

(Anno primũ 1521. Coloniæ.)

suam

suam faciem restitui possint. Cæterum isti Annales Benedictinæ familiæ Monachi cuiusdam, siue ADEMARI *nomine, vt P. Pithœo visum, siue* ADELMI, *vt vult Papyr Massonus, vterque vir eruditissimus, quantiuis sane precii iudicandi sunt: quibus nec alius melior certiorque fundus Historiæ Francorum, Pipeuingæ quidem aut Carolinæ stirpis, quam secundam Radicem Francoualli vocare solent.* La seconde race. *Et ex his ipsis plerique alii Annaligraphi sua desumpserunt, paucis interpolatis, vt Regino Prumiensis, Annales Fuldenses, & varia Chronica quæ in Bibliothecis extant inedita: Poeta autem Padebornensis, qui sub Arnulpho Imp. vixit, hos ipsos Annales ab Anno DCCLXXI. vsque ad DCCCXIIII. vorsa oratione reddidit ex professo, & libro demum V. ingenio suo styloque indulsit.*

*Postquam igitur hisce tribus diuersorum opusculis Librum quartum Compilator probe suffarcinauit, libro quinto redit ad Ludouici Pii, Caroli F. historiam, quam totam vsque ad caput XX. nonnullis tantum hinc inde recisis & omissis, exscripsit è veteri auctore Anonymo, sed tamen coætaneo, quem P. Pithæus V. C. in sua collectione * Francicorum integrum edidit.* pag. 336. edit. Francof. vsq. 426.

Quæ sequuntur à cap. XX. vsq; ad finem operis, ab anno DCCCXLVI. vsque ad annum MCLXV. & sic per CCCXX. annos, multis tamen interuallis & lacunis hiulca, vt vnius auctoris esse non possunt, ita è quo vel quibus desumta sint, & à quo etiam in hunc modum coagmentata, hactenus liquido compertum habere non licuit. Qui quidem in capita distribuerit, Aimoino finito, & capita ipsa præscripserit, longe recentiorem ipso Compilatore esse necesse est: quãdo in iis non modo Saxonem Grammaticum, verum etiam Anton. Sabellicum, & Rob. Gaduinum alicubi laudat: vt existimem, eundem qui primus Aimoinum recensuit (diligenter sane & accurate) V. C. Iohannem Nicotium, eandem simul operam præstitisse. Quorumcunque quidem sint istæ trium seculorum commentationes, in magna scriptorum eius temporis raritate, magnam partem continent historiæ Gallicæ veteris; sine quibus in multarum rerum ignoratione versaremur. Vt omnino locum heic habere debeat vetus illud Octauii Cæsaris:

CONTENTI SIMVS HOC CATONE.

Et hæc sufficiant.



INCIPIVNT EXCERPTA IVONIS VENERABILIS EPISCOPI

Carnotensis. Inprimis de gestis quorundam Regum Assyriorum, & de gestis Romanorum Imperatorum; & ad vltimum de Karolo Magno Rege Francorum, & eius filio Ludouico Pio.

ASSYRIORVM Rex potentissimus fuit olim Ninus, qui bellum finitimis inferens regibus, omnes Asiæ populos præter Indos sibi subiugauit, & annis quinquaginta in ea regnauit. Quibus exactis, decessit, adhuc relicto impubere filio, Nino nomine, & vxore Semiramide, quæ nec immaturo puero imperium ausa tradere, nec ipsa palã tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum fœminæ parituris, simulat se pro vxore Nini filium, pro fœmina puerum. Nam & statura vtriq; mediocris, & vox æque gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio similis erat: Brachiaq; & crura, vestis virilis, caput vero thyara tegebat. Et ne forte nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu etiam populum vestiri iubet. Quem morem vestis exinde gens illa vniuersa tenet. Sed primis initiis sexum mentita, puer esse credita est. Magnas denique res gessit. Quarum amplitudine vt inuidiam putat superatam, quæ sit, fatetur, quemve simulasset. Sed hoc illi regni dignitatem non ademit, sed admirationem auxit, quod mulier non modo fœminas virtute, sed etiam viros anteiret. Nec est contenta mulier virilis animi terminis, quos acquisitos à viro susceperat, sed & Æthiopiam bello pressit & Indis bellum intulit, quos præter illam nullus ante subegerat. Hæc quoque Babiloniam ciuitatem antiquam ædificauit, eamque muro circumdedit, & vt esset caput regni Assyriorum, instituit. Multa etiam præclara huius reginæ fuere. Verum cum duos & triginta annos post Ninum regno potita fuisset, à filio interfecta est. Qui dum ei successisset, contentus elaborato a parentibus regno, belli studia deposuit, & veluti sexum cum matre mutasset, raro à viris visus intra fœminarum turbas consenuit. Cuius exemplum posteri prosequuti, responsa gentibus per internuncios dabant. Post Ninum deniq; Reges triginta sex regnum Assyriorum obtinuerunt continua possessione vsq; ad Sardanopalum per annos mille trecentos. Verum memorati regis Nini anno quadragesimo tertio natus est Abraham Patriarcha, à quo, sicut iam dictum est, ritus & religio circumcisionis Iudaicæ gentis sumpsit exordium. Qui cum esset annorũ septuaginta & quinq;, & impugnaretur a Chaldæis & Mesopotamitis per inuidiam (eo quod ipsi colerent ignem & effigies Deorum: ipse autem coleret Deum vnum creatorẽ cunctorum, & assereret illi solummodo honorem cultus, & gratiarum deberi retributionem: Creaturam autem virtute & administratione conditoris disponi, & non propria virtute subsistere) ad imperium Domini relicta gente & patria sua venit in terrã Chanaan, accipiens promissionem, quod in gentem magnam excresceret nimis, & quod in semine eius benedicerentur omnes gentes: Deniq; diuinitus præceptum accepit, vt

ſe cum ſua ſobole circumcideret, non vt ipſe Deus aliquid ſuperfluum in homine creaſſet, quod poſtea iuberet abſcindi, ſed vt intra alias gentes hoc corporis ſigno Electi viri ſoboles noſceretur. Et cum iam eſſet ſenior, genuit Iſaac. Præcedenti tamen tempore genuit Iſmael ex Agar ancilla, quem tamen ipſo tempore circumciſionis ſuæ circumcidit, cum eſſet idem Iſmael annorum XIV. Vnde Arabes & aliæ gentes, quæ de Iſmael proceſſerunt, & ſe eſſe ex gente Abraham gloriantur XIV. ætatis ſuæ anno circumciduntur. circumciſus eſt etiam & Iſaac, natiuitatis ſuæ die VIII. Præterea cum iam eſſet grandæuus Abraham, præcepit iterum ei Deus præfatum filium ſuum Iſaac ſibi immolari in monte Morin. Quod quidem ille, creatori amplius quam ſuo affectui cupiens deſeruire, voluit adimplere. Sed nunquam credentibus dura diuinitas, ſuſpendit virum voce Angeli à filii nece, oſtendens ei quem immolaret pro filio arietem: vt abſque pietatis diſpendio tanti ſacrificium conſummaretur viri. Poſt hæc autem, cum eſſet Iſaac iam ſexagenarius, genuit Eſau & Iacob patriarchas, Idumeæ & Iſraeliticæ gentis. Circa hos præterea dies natum eſt regnum Argiuorum, vbi primus regnauit Inachus, cuius fuiſſe filia Io. perhibetur; vxor Oſyris. Quæ vt magna Dea eſt in Ægypto culta, eo quod ibi iuſte regnauerit, & homines ibidem literis informauerit. Iacob autem nonagenarius genuit XII patriarchas. Quorum illum qui nominabatur Ioſeph, reliqui fratres mercatoribus in Ægyptum tranſeuntibus, adhuc Iacob ſuperſtite, vendiderunt. Circa hos denique dies Apis rex Argiuorum tranſuectus eſt nauibus in Ægyptum, qui cum ibi mortuus fuiſſet, appellatus eſt Serapis, omnium maximus Ægyptiorum DEVS. Serapis autem non Apis ideo appellatur: eo quod ſarcophagum Ægyptii ſoros appellant, vbi eum ſepultum venerari cœperunt, priuſquam ei templum conderent. Huius filius fuit Argus, à quo Argi ſunt appellati. Sed dum moraretur Ioſeph in Ægypto, anno ſecundo ſterilium annorum, deſcendit etiam eo Iacob in animabus LXXII. & habitauit ibi. Poſt hæc Hebræorum populus in Ægypto mirabiliter creuit annis multis, vſque dum incrementis eius inuiderent Ægyptii, & ipſa eorum fœcunditas eis fieret importuna. Tunc cœpit eos affligere laboribus multis; ſed tandem diuina miſeratio eduxit eos inde per manum Moyſi in portentis & prodigiis magnis, præbente eis ducatum Moyſe, & ſiccis veſtigiis tranſierunt rubrum mare; quos cum ſequeretur rex Ægypti pœnitentia ductus, quod eos abire ſiuiſſet, ingreſſus eſt ipſe cum curribus & equitibus ſuis medium ſicci maris. Sed ſubito refuſa eſt ſuper ipſum à tergo omnis moles aquæ & obrutus eſt ibi cum vniuerſo agmine ſuo: Vnde extant nunc in eodem littore huius ſigni certiſſima monimenta. Tractus namque rotarum, & veſtigia equitum & peditum, ibidem adhuc conſpiciuntur, & ſi caſu turbentur ſole renaſcente diatim diuinitus reparantur. Verum poſtquam tranſiuit mare rubrum populus Hebræorum fuit in deſerto Syna annis quadraginta. Quorum primo anno per manum Moyſi ſuſcepit legem à Deo. Intra illos tamen annos non calceamentum aut veſtis illorum attrita, nec vlla capillorum vel vnguium excretio eis eſt dominata, ſed velut immortalitate iam reddita immutabilem hominis formam eorum ſimplex ſeruauit integritas. Hos etiam per noctem columna lucis, tanquam dux itineris, præcedebat, & eandem per noctem nubis habens ſpeciem, ne feſſos laſſitudo conficeret, ab æſtus iniuria defendebat. Eduxit autem Moyſes eundem populum ex Ægypto nouiſſimo tempore Cecropis regis Athenienſium, qui ipſam Atheniorum condidit ciuitatem in honorem Mineruæ & ab eius nomine Athicos Athenienſes appellauit. Minerua quippe græce *Athanate parthene*, id eſt, immortalis virgo vocatur, quoniam ſapientia, cuius eſſe Dea credebatur, nec mori poteſt, nec corrumpi. Hæc Ogigis temporibus ad lacum qui Tritonis dicitur virginali apparuiſſe fertur ætate. Vnde tanto procliuius Dea eſt credita, quo minus eius origo innotuit. Porro Athenienſes lanificii, vini, olei vſum primi finitimis populis tradidiſſe feruntur. Fertur etiam de Cecrope, quod primus bouem Ioui mactauerit. Hac præterea tempeſtate Prometheus fuit, quem propterea ferunt homines de luto formaſſe, eo quod optimus ſapientiæ doctor extiterit. Huius frater fuit Athlas, qui & ipſe ſummus Aſtrologus fuit. His etiã dieb. reperitur fuiſſe Mercurius, nepos Athlantis ex Maia filia, homo multarum inuentor artiũ. Cecropi vero Carnao ſucceſſit, ſub quo Deucalionis dilu-

diluuium fuit. Tunc etiam Phaetontis fuit fabulosum incendium. Moysi autem, Iosua filius Nun successit, qui debellatis gentibus qui trans Iordanum erant, distribuit Hebraico populo terram Chanaam hereditatem. Hac etiam tempestate, Liber pater fertur ostendisse vitem hospiti suo in Græcia. Et his iterum temporibus rapta perhibetur Europa; cuius filii fuerũt: Radamanthus, Sarpedon & Minos. His quoq; diebus Busyris filius Neptuni ex Matre Libia Paphi filia, suis diis hospites suos immolabat. Sed & his temporibus Latona peperit Apollinem, Non illum, cuius oracula solebant consuli, sed illum qui cum Hercule seruiuit Admeto. qui tamen sic est Deus creditus, vt plurimi *illum* vnum eundemque opinentur Apollinem fuisse. Hoc præterea tempore *Liber* pater bellauit inuidia, qui multas legitur in exercitu fœminas habuisse, quæ Bachæ sunt appellatæ, non tam virtute quam furore famosæ. Per idem quoque tempus Perseus & Andromeda vxor eius in cœlum recepti esse referuntur. Perinde vero post Ihesum qui successit Moysi Hebræorum populus mansit sub iudicibus annis multis. Quorum nomina sunt hæc: Othoniel, Aaoch, Delbora, Gedeon, Abimelech, Hola, Iayr, Leppte, Abessa, Iabdon, Samson, Heli, Samuel, qui vnxit Saulem regem. Verumtamen intra annos illos quibus populus post mortem Iosuæ alternauit sub Iudicibus & humilitates laborum & prosperitates consolationum, Alexander Paris Helenam rapuit, & regnum Argiuorum ad Micenas est translatum, vbi regnauit Agamemnon. Per idem etiam tempus celebres apud Grammaticos fabulæ sunt inuentæ. Fabula scilicet de Triptolemo, quod iubente Cerere anguium portatus alis indigentibus terris frumenta volando circumtulerit. De Minotauro quod bestia fuerit inclusa Labyrintho, quo cum intrassent homines inextricabili errore inde exire non poterant. De Centauris quod equorum hominumque fuerit natura coniuncta. De Cerbero, quod sit triceps inferorum canis. De Phryxo & Helle eius sorore, quod vecti ariete volauerint. De Gorgone, quod fuerit crinita serpentibus, & aspicientes se conuertebat in lapides. De Bellerophonte, quod equo pennis volante sit vectus, qui equus Pegasus dictus est. De Amphione quod Cytharæ suauitate lapides mulserit & attraxerit. De Fabro Dedalo & eius filio Icaro, quod sibi aptatis pennis volauerint. De Oedipe, quod monstrum quoddã, quod sphynga dicebatur, humana facie, quadrupes, absoluta quæ ab illo proponi solebat velut insolubili quæstione suo præcipitio perire compulerit. De Antheo, quem necauit Hercules, quod filius fuerit terræ, propter quod cadens in terram fortior soleret assurgere. De Ganimede puero, ad stuprum rapto, quod nefas non Iouis, cui adscribitur, sed rex Tantalus fecisse refertur. Danae etiam per imbrem aureum ipsius Iouis fertur adepta fuisse concubitũ, vbi intelligitur mulieris pudicitia auro fuisse corrupta. In illis etiã diebus, cũ Iabdon apud Hebræos populo præsideret, iã capta Troia atq; deleta, Æneas cũ viginti nauibus in Italiam venit. Finito proinde iudicum tempore, regnum Hebręorum à Saule rege sumpsit exordium. Sed illo propter superbiam reprobato, & bellica sorte prostrato, vnxit iterum Samuel Dauid de tribu Iuda, assumens illũ de pascuis ouiũ. Dauid autẽ rex obsedit & cœpit Ierusalem vrbem Melchisedech sancti quondam sacerdotis, eiecitq; de ea Chananeos & Iebuseos. Demum vero in ea ędificans arcem fortissimã, Ierosolymam nuncupauit, cum ante Solyma vocaretur. Porro vsq; ad Dauid tertia ætas extenditur, & ex tunc Prophetæ floruisse coperiuntur. Defuncto vero Dauid rege, iã quarta mundi ętate, Salomon filius eius, *rex pacificus* & sapientissimus templũ Domino Ierosolymis ædificauit regni sui anno *IV.* & egressionis Israel ex Ægypto quingentesimo secundo, aduectus vero Abrahæ de *Mesopotamia Syriæ* ad Chananæorum terrã millesimo atq; vicesimo, & à tẽpore diluuii *millesimo* & quadringentesimo. Post Salomonem autẽ regnauit filius eius Roboam. Cõtra quẽ exurrexit Ieroboã, de tribu Ephraim, & segregauit decẽ tribus a Iuda & a domo Dauid, quod non casu, sed Dei iudicio cõtigit, propter Salomonis offensam, qui postquã illud nobilissimũ Ierosolymis construxisset templum, blandimento mulierũ stratu seductus in Idololatriam est prolapsus. Sed noluit miserator & misericors Dominus eum patris sui regno priuare, donec deficeret propter Dauid seruũ suũ. Proinde postquã singulæ partes, sicut scriptũ est, singulos reges habere cœperunt, remanseẽ cũ tribu Iuda & tribu Beniamin & tribu Leui quę Sacerdotalis erat, & Dei propriæ seruitio mancipata. Et ex eo tempore istæ tres tribus regnu Iudæ; reliquæ vero tri-

bus regnũ Israel cœperunt appellari. Adhæserunt quoq; Israelitico populo tribus duę, Manasses scilicet & Ephraim, quę non sunt de tribubus duodecim. Nã Ioseph vnus de duodecim Patriarchis, non vnam, sicut cæteri Patriarchæ, singulas, sed duas quas modo nominauimus tribus fecit. Porro Ieroboam mente peruersa in Samaria, & in toto regno suo instituit Idololatriam. Timuit enim ne veniendo ad templum Dei quod erat in Ierusalem, quo secundum diuinum mandatum sacrificandi causa vniuersæ genti illi veniendum erat, populus seduceretur, & stirpi Dauid, tanquam regio semini, redderetur. Vnde sicut iam dictum est, populum Israeliticum secum simulacrorum cultui deditum, nefanda impietate contaminauit. Non tamen propter hoc nefas cessauit diuina pietas, tam illum, quam qui post illum regnauerunt reges, & populum ipsum arguere per sanctos Prophetas. Nam post Ieroboam regnauit in Samaria Nadad filius eius, & post hunc Baasa, qui dissipauit domum Ieroboam, & huic successit Helam filius eius. Helam autem occidit Zamri: Post Zamri vero regnauit Amri, & post Amri regnauit Achab filius eius, sub quo Helias propheta cœlum clausit & sacerdotes Baal interfecit. Et huic successit Ochozias filius eius, Ochoziæ vero successit Ioram frater eius. Porro Ioram occidit Iheu, quem vnxit discipulus Elisæi, in dissipationem domus Achab, secundum prophetiam Heliæ. Post Iheu vero regnauit Ioaach filius eius, quem Azana rex Syriæ cepit. Et post Ioaach, Iohas, sub quo Elisæus propheta defunctus est, vita præclarus, & miraculis gloriosus & sepultus in Samaria, & post Iohas, regnauit Ieroboam, sub quo Ionas prophetauit, & huic successit Zacharias filius eius, quem necauit Sellum seruus ipsius. Post Sellum autem regnauit Manahem, & post Manahem Faccias filius eius. Facciæ vero successit Facce filius Romeliæ, sub quo prophetauit Naum, Et huic successit Osee, quem captiuauit Rex Salmanassar, transferens Israelitas in Assyrios in vrbibus scilicet Medorum, iuxta fluuium Goram. Præfati quoque regis Iudæ Roboam tempore, Sesac rex Ægypti Ierosolymam veniens, templum Domini spoliauit: Post Roboam autem regnauit Abia, Et post Abiam, Asa, à quo conductus est Benadab rex Syriæ siue Damasci, contra Israel, & percussit omnem terram Neptalim. Præcedenti etiam tempore prophetauit in Iudæa Gath, & Nathan, & Asaph. Et hac tempestate prophetabant Aias, Iheu, Amos, Iohel, & Zacharias. Sed & in Samaria, quæ nunc Sebaste vocatur, apud decem tribus Israel prophetauit Helias, Heliseus, Abdias, Azarias atque Micheas, quorum Helias a Deo translatus nusquam comparuit, & Heliseus iam mortuus contactu suæ sepulturæ mortuum suscitauit. Post Asaph denique regem Iudæ, regnauit Iosaphaph, & post Iosaph iph, Ioram. Quo regnante recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi regem. Post Ioram autem regnauit Ozias, & qui Ochozias siue Azarias nominatur, quem Azariam cum Filio suo Ioas & nepote suo Amasia Euangelista Mattheus a Christi seclusit genealogia, & post Azariam regnauit Athalia annis sex, Et post illam Ioas, qui bono vsus principio, sed fine pessimo, interfecit Zachariam filium sacerdotis Ioiade intra templum & altare; Et post Ioas Amasias. Apud Assyrios autem circa hos dies regnauit præfatus Sardanapalus, homo muliere corruptior. Semper enim intra fœminarum contubernia versabatur. ad quem admitti cum quadam die præfectus eius Arbastus, præpositus Medis, obtinuisset, inuenit eum intra scortorum greges muliebri habitu purpuram colo nentem & intra virgines pensa diuidentẽ; Cum & corporis mollitia, & oculorum lasciuia, omnes secum positas fœminas anteiret. Quo viso regressus ad socios, quid viderit, refert; negatq; cõtinuo illi se prorsus parere posse, qui se malit esse fœminam quam virum, & fit mox coniuratio Medorum aduersus gentem Assyriorum, & indicitur bellum Sardanapalo. At Sardanapalus cum resistere rebellibus gentibus non potuisset, in regiam se recepit, vbi extructa & accensa pyra se suasque diuitias igne cremauit: Sicque defuncto Sardanapalo Assyriorum rege trigesimo sexto, translatum est in Medos Assyriorum regnum per Arbastum Medorum præfectum. Cucurritque postmodum regnum Medorum per successionem temporum atque regum, vsque ad Astyagem auunculum Cyri per annos trecentos quinquaginta. Verum reges Medorum non computantur in numero regum illustrium vsque ad memoratum Cyrum: quamuis fuerint etiam Chal-

Nota de Sardanapalo rege Assyrior. qui præ timore consternatus se & diuitias suas concremauit.

Chaldęorum viribus prædit & Babiloniæ nomine clari: Et hoc pariter eſt notandum, quod eodem tempore quo apud Latinos regnauit Procas Amulii & Numitoris pater, auus autem Rheæ Syluiæ, quæ mater Remi & Romuli fuit, illo etiam tempore tranſlatum eſt ad Medos regnum Aſſyriorum per Arbaſtum præfectum. Itaq; cum Orientis cœpit imperium deficere, cœpit Dei nutu Occidentis, id eſt: Romanum paulatim exurgere. Nam ſicut Orientis quondam regni Babilonia tenuit principatum, pari etiam modo Roma poſtmodum totius regni occidentalis meruit principatum. Cuius regni primordia paucis expedire curabo, ita tamen vt non modum propoſitæ breuitatis excedam, ne tam fortunatæ gentis præclara certamina penitus prætermittam. Ita quippe gens ipſa late per orbem terrarum arma circumtulit, vt qui res eius legunt, nō vnius gentis, ſed humani generis diſcant, & ad conſtruendum eius imperium contendiſſe Virtus & Fortuna videantur.

Nota, quanta probitatis & poteſtatis fuerunt Romani poſt defectum regni Orientalis.

Proinde caput regni gentis huius fuit inclita Roma, cuius ædificia duo germani Remus & Remulus conſtruxerunt, regniq; ſui primordia Romulus fratricidio polluit, ac demum in ea ſolus regnare cœpit. Ipſa vero conſtructa eſt poſt Ilion captam, anno quadringenteſimo XXXIII. Mortuo vero Romulo continua poſt illum regum dominatio ibi permanſit, donec quidam Brutus Romanorum potentiſſimus regem Tarquinium interfecit, & conditionem mutauit. ab illo enim die Romanus populus & annua imperia & binos ſibi conſules conſtituere cœpit. Quibus Romanam propagātibus dignitatem, vrbs memorata totius regni imperium in ſua iura poſſeſſionemq; transfudit, Dei hoc operante iuſto libramine: qui transfert ſeculi regna à gente in gentem, & à progenie in progeniem alteram, & operatur ſemper ſuam potentiam in omnes hominum generationes. Computantur deniq; à Romulo vſq; ad Tarquinium ſuperbum anni ducenti quadraginta. Sed his nunc breuiter expeditis ad Iudaicam reflectendus eſt ſtylus hiſtoriam. Poſt præfatum ergo Amaſiam regem Iudæ, regnauit Ozias, & poſt eum Ioathas. Hic ædificauit ſublimiſſimam portam domus Domini, quæ in actibus Apoſtolorum *Speciosa* vocatur. Hac præterea tempeſtate prophetauerunt in Iudæa: Oſee, Amos, Iſaias, & Ionas. Porro poſt Ioathan regem Iudæ regnauit Achaz, & poſt Achaz, Ezechias. Cuius anno ſexto Salmanaſſar rex Aſſyriorum deſcendens in Samariam, tranſtulit decem tribus Iſrael, & fecit eos accolas in terra Aſſyriorum, & eos qui dicebantur Chuſei introduxit pro eis in terram ipſorum. Qui vero ſeruire cœperunt ibi Diis alienis, immiſit eis Dominus leones qui deuorarent eos. Quod cū rex Salmanaſſar comperiſſet, miſit vnum de Sacerdotibus captiuis, qui legis Iſraeliticæ doctrinis eos imbueret, & ad cultū terræ illius eos conuerteret, ſi forte ab eis hęc moleſtia hac medela recederet. At illi quidē pentateuchon Moyſi receperunt, ſed Deos patrum ſuorū non deſeruerunt: Imo poſtmodum in mōte Garizim altare ſtatuentes, templū quod erat Ieroſolymis, quo ire & ſua vota perſoluere lege pręceptū erat, nunquā ingredi voluerunt. Et hos Samaritanos a Samaria legimus appellatos, quibus minime coutebātur Iudęi. Porro anni quib. diuiſus eſt populus Iſrael, a Iuda & a domo Dauid ſunt trecenti LX. Super Iudā vero poſt Ezechiā regnauit Manaſſes: & poſt Manaſſem Ammon. Et poſt Ammon, Ioſias. Hic cōgreſſus eſt cum Nechao rege Ægypti, & [illegible] in campo Magedo. Hac etiā tempeſtate prophetauit in Iudæa Ieremias, Olda & [illegible], ſed & poſt Ioſiam regnauit in Iudæa Ioachas, menſibus tribus: Quib. nondū [illegible] memoratus Nechao rex Ægypti, veniens in Ieruſalem, cœpit Ioachat & duxit in Ægyptum, & poſuit ſuper regnū eius Eliachim: quem vocauit Ioachim filiū Ioſiæ. Condemn[illegible] Iudæam centū talentis argenteis & talento auri. Anno quoq; regni Eliachim vndecimo Nabuchodonoſor rex Babilonis venit in Ieruſalem, exigēs ab eo tributum, quod Ægyptiorum regi ſoluere ſolitus erat: quod ille annis tribus reddere non erubuit. Tertio vero anno audiens Ægyptios contra Babiloniam dimicaturos ſoluere diſtulit. Vnde Nabuchodonoſor ſicut rebellē eum interfecit, & tria millia [illegible] Iuda captos in Babiloniam duxit, inter quos erat propheta Ezechiel adhuc [illegible]. Tunc etiam conſtituit regem Ioachim, qui & Iechonias nominatur, Quem Iechoniam nō multis diebus interiectis obſedit Nabuchodonoſor rex Babilonis in Ieruſalem [illegible] obuiam cum matre & quibuſdā de populo cœpit & duxit in Babiloniam, conſtituitq; pro eo ſuper Iudam & Ieruſalē Sedechiam, patruum eius, quē

De X. tribubus Iſrael à Salmanaſſar rege Aſſyriorum tranſlatis in Samariam.

& vocauit Mathaniam. Sed & hic Sedechias non multo post cōtra Nabuchodonosor rebellare cœpit: qui adiurauerat eum per Dominum, & cōtra munificum largitorem agebat hostiliter. Et tunc secundo reuersus est Nabuchodonosor, vndecimo videlicet anno regni Sedechiæ, & duxit illū in Babiloniam captiuum, & murum ciuitatis euertit, & templum exussit, & vniuersa vasa domus Domini secum absportauit, & posuit in templo Dei sui. Daniel quoq; & tres pueri: Ananias, Azarias, & Misael, qui erant de genere regio captiui ducti sunt, quos sua liberalitate erudiri fecit Nabuchodonosor, prouincialibus literis pariter & Chaldeis. Ignis etiā altaris holocaustomatum sublatus est à Sacerdotibus, & in profundo siccoq; puteo abscōditus, & diligenter ibi tutatus. Tūc etiā Ieremias propheta fecit comitari secū tabernaculū fœderis, & arcam & altare incensi, vsq; in montem Abarim, vbi quondā ascenderat Moyses, vt videret Dei hereditatē, inuenitq; ibidem Ieremias speluncam, & intulit ea illuc, offerens sacrificium cōsummationis templi. Obstruxit deniq; ostium speluncæ & latēt ibi hæc omnia vsq; in præsentē diē. In arca autē continebatur vrna aurea habens Manna, & virga Aaron quę fronduerat & tabulę testamenti. Mansit ergo regnū Iudaicæ gentis vsq; ad præsentem tēpli vastationē ac euersionē, annis nongentis XIV. & sex mensibus, decemq; diebus. Quam vastationē non sua præsentia tam legitur Nabuchodonosor peregisse, quā per Nabuzardan, principē militiæ suæ. Ipse enim post regressionem regis in Ægyptum ab eo transmissus, templū penitus euertit, & murum ciuitatis subruit, & populū qui ibidē remanserat in Babiloniam duxit. De Sacerdotibus vero gentis huius sic refert Egesippus in historia sua lib. IV. *A principio Aaron summus sacerdos extitit, qui ad filios suos ex voluntate Dei Sacerdotii prærogatiuam vnctione legitima transfudit. Alterius autē generis viro, nec regi quidē licebat succedere.* Deniq; Ozias quia vsurpauit sacerdotiū, lepra perfusus, temploq; eiectus, rel quā ætatem sine imperio exegit. Fuerunt itaq; ab Aaron vsq; ad tēpora Salomonis, qui condidit templū, principes sacerdotum XIII. per annos sexcentos & XII. & rursus a Salomone vsq; ad tempora captiuitatis huius, de qua nunc agitur, qua templum exustum fuit, fuerunt principes sacerdotum sedecim per annos trecentos & XXX. Nam euersum est anno quadrigentesimo atque tricesimo a conditione sua. Et his diebus finitur mundi ætas quarta, & incipit quinta: Anno videlicet nono Nabuchodonosor regis Babilonis, qui vixit post hanc templi euersionem annis XX. & V.

Nota destructionem Ierusalem sub Nabuchodonosor.

Et hoc decedente regnauit Euilmerodach: Et post Euilmerodach, Labosordach, & post Labosordach, Egesar. Et post Egesar, Balthasar, Quibus regnantibus completi sunt anni septuaginta, quibus prophetauerat Ieremias Propheta: Iudæorum captiuitatem esse soluendam. Interea vero memoratus Cyrus, nepos Astyagis regis, apud Persas educatus, cum adoleuisset, congregata Persarum manu, auunculo certamen indixit. Et facta congressione illius exercitum fudit, & ipsum Astyagem cepit, sed nihil ei præter regnum abstulit. Itaq; Cyrus iste dignitatem Medorum ad Persas transtulit, & Syriam Scythiamque sibi subiugauit, quibus patratis Babiloniam obsedit, tunc cunctis vrbibus fortiorem & opulentiorem. Huius enim ambitus circumueniebatur stadiis quadringentis & octoginta sex. Erat etiam in campi planitie, & castrorum facie, mœnibus paribus per quadrum disposita. Murorum vero eius latitudo erat cubitorum L. habens altitudinem quater tantam; a fronte vero murorum centum eree. Per medium autem eius Euphrates fluuius transcurrebat: & extrinsecus per circuitum fossa, late patens vice amnis circumfluebat. Arx autem quæ intus imminebat, est illa turris quæ post diluuium a Nembroth Gigante famosissimo cœpit ædificari, habens in altum quinque millia passuum, & CLXXXIV. latitudo autem eius quatuor millia passuum tenere dignoscitur. Erant præterea aliæ domus intra eandem vrbem, quater geminæ habitationis nimia proceritate mirabiles. Vnde humana virtute destrui posse incredibile videbatur. Aduenerat ibi Crœsus rex Lydorū, famosus opibus, vt auxiliaretur Babiloniis, cum aliis regibus & principibus multis: Et cum septimū decimum Balthasar regni sui compleuisset annum, irritam putans pollicitationem Ieremiæ, quā prædixerat vsq; ad annum septuagesimum captiuitate Iudæorū esse soluendam exhiberi fecit in mensa sua vasa templi Domini, & contra ius & fas bibit in eis, sed huius criminis confestim pœnas luit. Nam antequā illucesceret, extinctus est. Et

Nota quantitatem & situm loci, & diuitias & potestatem Babilonia dicta & celsitudinem arcis, quam ædificauit Nimroth gigas post diluuium.

Crœsus

Crœsus rex cum aliis regibus multis qui ibi conuenerant, fugit, sicq; Cyrus secundum vaticinium Isaæ prophetæ, qui dudum hæc futura prædixerat, reges & contractū exercitum effugauit & vrbem intrauit. Quam postquā disponere cœpit, laxata Hebræorum captiuitate, ferme L. millia hominum regredi permisit in Iudæam, reddens eis vasa templi Domini aurea, & argentea quinq; millia quadraginta. Iosedech quoq; de genere Aaron sacerdotē qui fuerat cum patrib. adductus redire mandauit; vt ritus veteris solennitatis per assueti sacerdotis scientiam reformaretur. At illi venientes in Ierusalem, cæperunt reædificare templum Domini, sed Samaritimis impedientib. intermissum est opus, donec consummaretur sub Dario annus secundus regni eius. Et notandum est, quod illo eodemq; tempore, quo a Cyro est Babilonia capta, eodem etiam est Roma à prætaxati regis Tarquinii superbissima dominatione liberata. Porro à Cyro rege potentissimo vindicata, ædificauit ibi hanc, quæ nunc incolitur, Babiloniam, abominatus omnem illius veteris Babiloniæ superstitionem. Sicque vetus Babilonia, secundum sancti prophetæ Isaiæ prophetiam perducta est in eremi vastitatem. Hac præterea tempestate floruerunt in Iudæa, Aggæus propheta, Zacharias, & Malachias. Porro Cambyses, Cyri præfati regis filius secundus Nabuchodonosor appellatur. Sub hoc etiam factum esse putatur, quod in Iudith historia continetur. Quo decedente, regnauerunt magi duo. Et his interemptis Darius Antipasti filius rex est constitutus, qui regis Cyri filiam in matrimonium suscepit, & regalibus nuptiis sibi regnum firmauit. Ita vt non tam in extraneum regnum translatum, quam in familiam Cyri videretur esse reuersum. Et huius Darii sic permissum est, anno secundo completa est templi ædificatio, XLVI. videlicet anno postquam cæpit ædificari. Vnde Iudæi Domino Euāgelico sermone dixisse referuntur: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud, &c.* Dario vero Xerxes filius eius successit. Cuius imperii anno septimo Hesdras scriba legis Dei ascendit de Babilone in Ierusalē, referens ad templum Domini sacras pecunias, & argenti talenta sexcenta L. & vasa argentea, talentorum centum, & vasa aurea, talentorum XX. & celebrauit solennitatem scenopegiæ. Remeauit etiam Neemias, ipsius regis pincerna de Susis castro, anno regni eiusdem XX. qui muros vrbis reædificauit, cum summa sollicitudine.

Nota numerum vasorū aureorum & argenteorum templi Domini, quæ Cyrus Rex Persarum Iudæis à captiuitate relaxatis reddidit, & Ierusalem remisit.

Iste est Xerxes, qui in exercitu suo septingenta millia armatorum, & de auxiliis trecenta millia, Græciam expugnaturus legitur abiisse. Naues vero rostratas, mille ducentas, & onerarias, tria millia. Sed tāto agmini dux defuit. Nā semp in prælio postremus, & in fuga primus Xerxes apparuit. Erat in periculis timidus, & vbi metus abesset, inflatus. Vnde ante experimentū belli opib. magnis fretus mōtes in planū ęquabat, & maria pontib. onerabat, & immensas aquarū voragines pmeabiles faciebat. Sed vbi ad angustias Termopilarū peruenit, qua introitus in Græciā patet, turpiter deuictus est. Et cū inde fuisset reuersus terrestri & nauali prælio superatus, etiā suis contēptui esse cæpit. Deficiente itaq; quotidie regis maiestate, Artabanus præfectus eius in spē regni adductus, vesperi cū septe robustissimis filiis regiā ingressus, eū trucidauit, & regnū eius sibi vendicauit. Artabano vero Artaxerxes Longimanus successit. Hic imperii sui anno tertio, [illegible] Persis subiectas, cum satrapis & ducibus suis p CLXXX. dies magnificis & [illegible] epulis pauit. Regina quoq; Vasti vxor eius mulier conuiuiū splendide & [illegible] celebrauit. Et dum Rex Reginæ pulchritudinem, intra suas delicias suis conuiuis [illegible] ostendere, ad se illā venire præcepit. At illa fastu superbiæ tumens, ad eum venire [illegible]. Qua de re Rex ira cōmotus, illam deseruit, & Hestre puellam Hebræā, quæ pulchritudine & gratia vultus oēs Babiloniæ puellas videbatur excellere, suo cōiugio copulauit. Iste est Artaxerxes, qui totā Græciam bellis edomitam & sibi vendicatā discedere ab armis pręcepit; denuncians pacis contradictorē morte puniēdum. Quod fecit, non vrgenti pace consuleret, sed vt aliis bellis occupatus ab eis quietus redderetur. Posthæc vero bellū ciuile apud Persas exortū est: cū Artaxerxes & Cyrus fratres de regno ambigerēt. Sed cū è diuerso ambo fratres equis inuecti cōcurrentes [illegible] gerent, Artaxerxes vulneratus est, sed equi velocitate morte exēptus euasit. Cyrus [illegible] cohorte regia oppressus, finē certaminis fecit, & sic Artaxerxes regni sui potestatem fratris [illegible] confirmauit. Hæc etiam contra potentissimos Persarum præfectos Phanabulum & Tisiphonom feliciter dimicauit, & Ægyptum magno labore

Nota de miserabili morte prædicti Xerxis.

suo subiecit imperio. Circa hos denique dies floruit Aristoteles philosophus. Post Artaxerxem autem regnauit Xerxes, qui cognominatus est Ochus. Hac prætereа tempestate C C C. millia Gallorum, ad sedes nouas quærendas profecti, duce Brennio, vrbem Romam inuaserunt, plurimisque Romanorum interfectis, arcem Capitolii obsidione cinxerunt. Ibique diu morati sunt. Sed mille auri talenta, præmium discessionis a Romanis suscipientes mox diuersis agminibus, alii Græciam, alii Macedoniã, alii Thraciam petiuerunt, & sua prole, velut quodam examine totam Asiam repleuerunt. Tantusque terror Gallici nominis & armorum inuicta felicitas erat in illis diebus, vt non reges Orientis sine mercenario illorum exercitu vlla bella gerere præsumerent: neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerent. Non enim aliter maiestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse, nisi Gallica virtute arbitrabantur. Itaque in auxilium regis Bithiniæ euocati, regnum, cum eo peracta victoria diuiserunt, eamque regionem Gallogræciã cognominauerunt. Hæc nunc de Gallis, quorum virtus silentio tegenda non erat, breuiter ingessisse sufficiat, vt ad propositum redeamus.

Interea vero memoratus Neemias, scriba legis Dei, cum restaurauisset ornatum templi Domini, & ea quæ ad cultum religionis pertinebant, misit nepotes sacerdotum illorum qui absconderant sacrum ignem altaris holocaustomatum in puteo sicco: Quemadmodum superius continetur: At illi non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, quam & hauserunt, & illi attulerunt. Quam iussit Neemias aspergi super ligna, & super holocausta, & accensus est ignis ex aqua illa; ita vt omnes mirarentur. Ipse etiam Neemias duodecim annis ducatum præbuit sacerdotii in Ierusalem. Post reditum quippe Iudaicæ plebis de Babilonia, per Pontifices agebatur rerum summa. Itaque tam ipse quam Iosedech, qui iubente Cyro a Babilonia redisse dictus est, & XIIII. viri posteri eorum repræsentauerunt principatum sacerdotii per ordinem successionis suæ à reditu populi vsque ad Antiochum Eupatorem annis C C C. tribus, quorum eminentioris famæ fuere Iesus sacerdos magnus, Ioachim, Eliasiph, Symon, Onias, & Gaddus. Porro Gaddi temporibus Philippus Amintæ filius, Alexandri Magni pater, rex Macedonum, Athenienses, Phocenses Thessalosque perdomuit, & Cappadociam sibi subiugauit. Quo vita priuato, Alexander Magnus ei successit: qui cum vicesimum ageret ætatis annum, regnum adorsus est expugnare Persarum. Habens in exercitu peditum XXX. millia, & equitum IV. millia, quingentos; & horum agminum ordines nemo nisi sexagenarius duxit, vt si principia castrorum cerneres, senatum te cernere, nõ militiæ duces existimares. Nemo denique illorum in prælio fugam, sed victoriam cogitauit; nec in pedib. cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Porro Darius rex fiducia virium, non hostem a Persarum finibus arcere, sed intra regni sinum recipere gloriosius ratus, flumen Euphraten, & montem Ciliciæ illi sine impedimento transire permisit, ac demum in campis Adrasti dirigit aciem aduersus eum. Habuit itaq; Darius in ea congressione sexcenta millia hominum. Sed tam numerosus exercitus mox terga vertit: non minus superatus Alexandri arte, quã Macedonum virtute. Magna cædes Persarũ in eo prælio fuit. De exercitu vero Alexandri IX. tantum cecidere pedites, & C X X. equites. Post hanc victoriam maior pars Asiæ statim ad Alexandrum deuenit. Denique plurima Alexander gessit bella cum præfectis Darii. Quos iam non tam armis, quam nominis sui terrore superauit. Iam enim milites Alexandri Persicum aurum & totius Orientis opes quasi suam prædam ducebant. Nec belli periculorumque sed diuitiarum meminerunt. Post hæc autem Darius cum quadringentis millibus peditum, & centum millibus equitum in aciem procedit. Occurrit ei Alexander & committitur prælium ingentibus animis. In eo prælio vterq; vulneratus est rex. Et tã diu certamẽ anceps fuit, quo aufugeret Darius. Exinde magna cædes Persarum sequuta est. Cæsa sunt enim L X I. millia peditum, & equitum X. millia: capta vero XL. millia. Ex Macedonibus vero cecidere pedestres C X X X. & Equestres C L. In castris Persarum multum auri, & cæterarum opum inuentum est. Et intra castrorum captiuos capta est Darii mater, & vxor: soror quoque & duæ Darii filiæ, quarum redemptionem oblata Darius etiam dimidia regni sui parte non obtinuit. Illas tamen Alexander apud se vt reginas haberi præcepit.

pis. Filiabus quoq; non sordidius matrimonium dignitate primis superare iussit. Post haec autem Darius in gratiam victoris Alexandri vincitur aureis cathenis à cognatis filiis. Et vinctus, vitam pariter cum Persarum regno finiuit. Cuius corpus Alexander more regio sepeliuit. Sicq; Persarum regnum cessit in potestatem Macedonũ, postquam steterat per annos ducentos & XXXI. Interea vero Alexander Cyrum, vrbem florentissimam expugnauit, & Alexandriam super amnem Tanaim ædificauit, & Indiam expetiit, vt vltimo Orientis oceani limbo, imperii sui finẽ terminaret. Vbi cum Poro, ipsius gentis rege fortissimo, equo vectus, singulari certamine dimicauit: Sed occiso deiectus equo, concursu satellitũ suorum mortẽ euasit. Subactis deniq; omnibus oriẽtis gẽtibus, vsq; ad fluuium Indum, & ad Oceanum, statuit remeare retrorsum. Verum cum Darium regem annis tantum quinq; superuixisset, & à Babilonia reuersus fuisset, suorum insidiis in eadem vrbe, in ipso ætatis, & victoriarum suarum flore vitam veneno finiuit; vitæ videlicet suæ anno XXXII. regni vero sui XII.

Quo defuncto, illico translato, vel disperso in multis imperio, Ptolomæo prima Ægypti, & Africæ, Arabiæq; pars sorte peruenit. Macedonas aũt Philippus, qui & Arideus dicebatur, frater Alexandri sortitus est. Porro Syriam & Babiloniam, & omnia regna Orientis obtinuit Pseleucus, & Asiæ regnum Antigonus. Deinde alii egregii quinque viri, qui magno militauerant Alexandro, diuersas occupauere prouincias. Et Reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantum parauerunt, verum etiam posteris reliquerunt. Hi tamen omnes non multo post, mutuis se bellis & certaminibus consumpserunt. Horum tamen Pseleucus Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, Apiam, Edessam, Beroeam, & Pellem, vrbes inclitas condidit, & in easdem vrbes Iudæos transtulit. Huius præterea Pseleuci fuit filius Antiochus Magnus. Porro Antiochus iste relaxauit sacerdotes, & scribas & cantores templi Domini à tributis, & à regio vectigali & ab aliis omnib. cunctis. Verum iste Pseleucus atq; Lysimachus atrociter inter se dimicauerũt. Vltimum hoc bellũ Alexandri cõmilitonum fuit. Sed his ambob. occisis Ptolomæus Lagi filius Ierosolymã & Iudæam dolo suam redegit in deditionẽ. Post quẽ regnauit Ptolomæus Philadelphus, qui multa donaria Ierosolymis transmisit, & diuinas scripturas ex Hebraica in Græcam linguã per LXX. interpretes transferre curauit. Et post hunc iterum Ptolomæus Euergetes sub quo Iesus filius Syrach Sapientiæ librum cõposuit. Huius etiam Ptolomæi filiam nomine Cleopatram Antiochus Magnus sibi legitimo copulauit matrimonio, sumens cum ea à præfato Ptolomæo partem Syriæ, & Samariam, Iudæam atq; Phœnicem sub nomine dotis. Porro magnus Antiochus iste genuit Pseleucum & fratrem eius Antiochum. Quorum Pseleucus Heliodorum Hierosolymam destinauit, vt ærarium templi Domini confringeret, & extractã inde pecuniam ad eum deportaret. Sed cũ Heliodorus cum suis satellitib. mandatum eius perficere cupiens, ærarium fuisset ingressus, apparuit ei quidã eques terribilis, qui eũ grauiter flagellauit. Vnde infecto regressus negotio, inde ad eum remeauit. Ab hoc proinde Pseleuco Parthi defecere & Arsacen sibi regem constituere. Post Pseleuci vero decessum adeptus est regnum eius, Antiochus frater eius, qui Epiphanes, id est, præclarus appellatus est. Fuit tamen Pseleuco filius, nomine Demetrius. Verũ post Ptolomæum Euergetem regnauit in Ægypto Ptolomæus Sother; & huic successit Ptolomæus Epiphanes. Epiphanes quoq; reliquit filios duos, quorum vnus Philometor, & alter nomẽ habuit Euergetes. His etiam temporib. apud Carthaginem quoq; Annibal, Amulcaris filius, *Pœnorum & Africanorum* Imperator est institutus, fatale non tam Romanis, quã ipsi *Africæ malum.* Qui cum esset nouem annis natus, iurauit se Romanis nunquam futurum amicum. Effectus Imperator, vt Romanorum peruaderet regnum, Pyreneos montes transgressus, inter ferocissimas Gallorum gentes ferro viam aperuit. Et a Pyreneo ad Alpes pertingens, cum Scipione Romanorum tunc consule conflixit, & superauit. Eidem apud Taximanum lacum Romanum, consulem Flaminium interfecit & eius exercitum penitus deleuit. Sed & alia vice apud Cannas vicum Apuliæ Lucius Æmilius Paulus, & consulares atque prætorii viri viginti ab eo sunt interfecti & plurimi Senatores capti & occisi: viri quoque nobiles trecenti. Virius quoque fugit cum L. fugit equitibus. In illa præterea pugna pedestrium virorum XL. millia, & equitum tria millia quingenti periere. Hannibal autem in testimonium

victoriæ suæ tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum detraxerat. Itaque pene omnes Romanæ spei vires in eo certamine perierunt, & adeo desperauerunt Romani, vt de derelinquenda Italia, nouisque sedibus exquirendis consilium ineundum putaretur. Sed demum in Hispania duo germani Scipiones Romanorum consules à ducibus Hannibal interfecti sunt. Sed horum nepos Scipio, qui cognominatus est Africanus, imperium in Hispania proconsulare sortitus, in vltionem patris & patrui animum intendit, & Pyrenneum transgressus Pœnorum ducem Hasdrubalem superauit bello, & castris exuit, & omnem Hispaniam à Pyreneo vsque ad Oceanum in prouinciam redegit. Et tunc tandem Hannibal in Africam redire compulsus est, vt fessis Carthaginensibus subueniret. Quē Scipio bello susceptum superauit. In ea turba interfecti sunt Carthaginensium XX. millia, quingenti, & LXXX. Elephanti captiui vel occisi. Demum quoque Carthago à Romanis deleta est; quæ XXX. millibus passuum muro amplexa, tota pene mari cingebatur, absque faucibus, quæ tribus millibus passuum aperiebantur. Porro hic locus murum XX. pedes latum habebat, saxo quadrato, in altitudinem cubitorum XL. Arx vero eiusdem vrbis, cui Byrse nomen erat, amplius quā duo millia passuum tenebat. Ex vna parte murus communis erat vrbi & Byrsæ, imminens mari. Diruta & concremata est ipsa ciuitas anno à conditione sua septingentesimo. Sicque tandem bellum Punicum est finitum. In Numidia tunc amicus Romani populi Micipsa regnabat, quo defuncto, regnauit Iugurtha, qui contra se bellum mouit Romanorum, propter necem Adherbalis & Hiempsal, liberorum Micipsæ. Hac occasione primum expugnata est Numidia à Metello consule, & demum à Mario domita. Sed & Mauritania quam Bochus rex tuebatur à Romanis subacta. Cantabri denique, & Gallicii, & Lusitani, Hispaniæ populi, vno pene prælio sunt superati. In Hispania quoque Epirotæ, qui in Illyrio cum Pyrrho rege suo contra Romanos conspirauerat; primum pace molliti. Demum vero cum Achiuis & Thessalis commiti, Romano subacti sunt iugo. Indeque fortuna Romana non contenta terminis Italiæ, cœpit se porrigere ad procul posita regna. Nam & ipso ferme tempore, Attalus, rex Asiæ, humanis rebus excedens per testamentum suum Romanos sui constituit hæredes regni.

Nota magnitudinē Carthaginis, situmq́; loci & altitudinem & latitudinem murorum arcis.

Sed vt ad Hebraicam reuertar historiam. Extinctis iam varia sorte Alexandri Magni ducibus, regnauit in Syria iam dictus Antiochus, illustris filius Antiochi regis, in anno centesimo, tricesimo septimo regni Græcorum. Onias in illis diebus Ierosolymis summus Pontifex habebatur. Cui frater Iason eripere sacerdotium cupiens, cœpit Iudaicæ legis iura non in occulto violare, sed palam omnibus destituere, quasi sacerdotium quod affectabat aliter quam scelere consequi non valeret. Ausus enim sub ipsa templi arce gymnasium construere, & optimos quosque Epheborum in lupanaribus ponere, eosque qui erant Ierosolymis Antiochenos scribere. Sed hoc impii & non sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus vltio diuina consequuta est. In leges quippe diuinas impie agere non cœpit impune. Vnde post triennium ipse Iason, qui iura Dei violauerat, & germanum proprium captiuauerat, iussu regis Antiochi, expulsus est in Ammanitidem regionem. Et Menelaus quidam de tribu Beniamin sacerdotium obtinuit. Verum huius Menelai factione Onias summus & pius pontifex dolo peremptus est, per quendam regis suffectum Andronicum. Et non multo post Menelaus amotus est à sacerdotio, succedente sibi fratre Lysimacho. Sed cum nec sic malum desisteret, tandem postmodum deiectus de turre, quinquaginta cubitorum, infelicem exhalauit animam. Lysimachus quoq; iam multo templi auro exportato, plebeio concursu secus ærarium lapidatus, interiit. Posthæc autem præfatus rex Antiochus, ascendens Ierosolymam; intrauit in sanctuarium cum superbia, & tulit altare aureum, & candelabrum, & mensem propositionis, & velum, & cætera templi ornamenta, & regressus est Antiochiam. Demum vero præcepit omnibus regni sui gentibus, vt esset populus vnus; Et prohibuit, in templo Domini fieri sacrificium & holocausta; præcepitque Iudæis coinquinari escis immundis, vt transgrederentur mandata Dei. In illis diebus quidā Eleazarus ætate prouectus cōpellebatur carnem manducare porcinam. Sed ille; *non est*, inquit, *dignū, Eleazarum nonagenarium, transire ad vitam alie-*

Nota impietatem Iasonis fratris Oniæ summi Pontificis Iudæorum.

nige-

higenarum: Et amplectens potius gloriosam mortem quam odibilem vitam, multis fatigatus suppliciis, decessit: Iunioribus, & vniuersæ genti suæ magnum virtutis & fortitudinis exemplum derelinquens. Contigit etiam eodem tempore septem fratres cum matre ad similem cibum flagris & taureis compelli, in præsentia crudelissimi regis. Sed & hi magis elegerunt cruciatibus interfici, quam contra ius & fas carnes porcinas manducare. Ad vltimum vero passa est sancta & memorabilis mater eorum, quæ pereuntes septem filios, sub vnius diei articulo æquanimiter fuerat contemplata. Sed & aliæ duæ mulieres delatæ sunt, natos suos circumcidisse. Quas pueris ad colla suspensis, cum publice per ciuitatem circumduxissent, de muro præcipitauerunt. Præterea apud quemcunque inueniebantur libri testamenti Domini; & quicunque obseruabant legem Moysi, secundum regis edictum trucidabantur. Qua de causa territa populi multitudo, reliquit legem Domini, secundum iussum regis Antiochi, & sacrificabant Idolis, & infringebant Sabbathum; & ædificabant sibi aras & templa Idolorum, secundum ritum gentium; nec se simpliciter Iudæum quisque fatebatur, sed studia Græcorum æmulabantur, & eis per omnia consimiles fieri cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant. In illis diebus Iudas Machabæus secesserat in desertum, & ibi inter feras vitam cum suis agebat, ne particeps esset coinquinationis & præuaricationis. Sed quamuis pauci numero forent hi, qui cum illo morabantur: ita tamen multitudinem gentium & duces Antiochi regis bellis contriuerunt crebertimis, vt & templum, quod erat Ierosolymis recuperarent, & leges quæ abolendæ erant, eorum fœlici pertinacia restituerentur. Vnde manifeste claruit; quod nullæ essent vires hominum aduersus Deum. Interea tamen Antiochus rex, cum conceptam nequitiam Deo impediente, perficere non valeret, ira tumens Ierosolymam properabat. Quo dum tenderet, contigit vt de curru corrueret: sicque graui collisione membrorum attritus lecto decubuit, & miserabili languore diu fatigatus, interiit. Reliquit tamen hæredem paruulum filium Antiochum, quem Eupatorem appellauit. Quod audiens Demetrius Pseleuchi filius, cuius supra meminimus à Roma qua tenebatur obses, latenter egressus, in Syriam venire curauit: vbi secundo fauore susceptus, mox conductiuum exercitum aggregauit: & postmodum pupillum Eupatorem, & tutorem eius Lisiam comprehendens pariter interfecit. Et cum sedisset super sedem patrum suorum, accessit ad eum sceleratissimus Alchimus, de genere Aaron, Oniæ videlicet summi pontificis frater; Sed nihil dignum sacerdotii in se retinens. Cum enim offensionis tempore, præter assentationem regis Antiochi, sponte coinquinatus fuisset, populo Dei detrahere, & regem cæpit inflammare multis sermonibus aduersus Iudam Machabæum. Dicebat enim: *Hi qui dicuntur Assidei Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones mouent, nec patiuntur regnum esse quietum. Vnde ego defraudatus parentum gloria (Dico autem summo sacerdotio) veni huc quidem primum v[illegible]ibus regis fidem seruans, secundo etiam ciuibus consulens. Nam prædictorum prauitate virorum, vniuersum genus nostrum valde vexatur. Sed de his singulis oro te, Rex, vt & regionem [illegible] generi nostro, secundum peruulgatam omnibus humanitatem tuam prospicere digneris.* Tunc misit Rex Hierosolymis Nichanorem principem Elephantorum, vt & Iudam Machabæum comprehenderet, & Alchimum Sacerdotem constitueret. Alchimus autem ferinæ belluæ animum gerens, cum Ierosolymam venisset, & pretio sacerdotium comparauisset: ne quid ius & fas inuiolatum prætermitteret, iussit destrui muros domus sanctæ interioris, opera videlicet sacrorum prophetarum, expletis trecentis & tribus annis, ex quo remeauerat Iudæorum populus ex Ægypto. Sed horum criminum pœnas miser diu vitare non potuit. Subito enim occlusum est os eius & loqui non potuit: Sed dissolutus paralysi miserabiliter expirauit. Sicque deficientibus sacerdotibus de genere Aaron, & Iuda Machabæo pro patriæ legibus decertante sorte bellica iam defuncto Ionathas frater eius adeptus est principatum Iudæorum, simulque sacerdotium. Interea vero regem Demetrium Alexander Eupatoris filius interfecit. Genuerat tamen Demetrius filium, nomine Demetrium, qui memoratum postmodum interfecit Alexandrum, qui multis præliis Parthos fudit; sed ab aliis tandem comprehensus, in Hircania expirauit. Verum rex Alexander

Nota de crudelitate impiissimi Antiochi. & VII fratrib. cum matre sua diuersis tormentis ab eo interfectis.

filium ſuum nondum adultum, Triphoni cuidam militi ſuo nutriendum tradiderat. At ille ſperans Demetrium adoleſcentē eſſe defunctum, occiſo pupillo Antynochor, (ſic enim puer nominabatur quem Tripho tueri debebat,) regnum Syriæ inuadit. Quo cum potiretur, Ionathan, fratrem Iudæ, ſummum Pontificem Iudæorum dolo captum interemit. Tripho quoque non multo poſt ab Antiocho, fratre Demetrii, qui in Aſia educabatur, bello vincitur & occiditur. Rurſuſque regnum Syriæ ad ſobolem Demetrii reuertitur. Ionathæ vero Simon frater eius ſucceſſit. Poſt Simonem autem peruenit Sacerdotium ad filium eius Iohn̄. Qui aduerſus Hircanos dimicans, Hircani nomen accepit. Hircano vero ſucceſſit Ariſtobolus, Ariſtobolus autem factus eſt rex & ſacerdos. Et Ariſtobolo ſucceſſit rex & ſacerdos pariter Alexander. Alexander quoque moriens, reliquit ſuperſtites filios duos, Ariſtobolum ſcilicet & Hircanum. Sed donec adoleſcerent pueri, Alexandram coniugem ſuam temperamento regali præeſſe voluit, ſimul arbitram ſtatuens, cuinam potiſſimum illorum duorum ſummum ſacerdotium committeret. Illa Hircanum in ſacerdotio ſubſtituit patri, propter Senioris ætatis prærogatiuam; Ariſtobolo fratri nihil publicorum committens officiorum. Poſt Alexandræ vero mortem, Ariſtobolus inuaſit regnum; ac demum Hircanus ſacerdotii dignitatem ei dimiſit. Poſtea vero idem Hircanus excitatus ab Antipatro patre Herodis, primum ad Arabiæ regem ſe contulit, facti pœnitens, ac demum Pompeio Romanorum duci, qui in Syriam Tryganum regem debellaturus, aduenerat, querimoniam ſuper fratre ſuo detulit. Qua occaſione idem Pompeius, conſul Romanorum vrbem Hieroſolymam oppugnauit, & templum polluit; & Ariſtobolum Pontificem vinctum cum liberis Romam miſit. Hircano vero pontificatum reliquit, & memoratum Antipatrum procuratorem totius regni conſtituit. Sicque deinceps gens Iudæorum tributaria Romano facta eſt imperio. Et ita, ſicut dictum eſt, Ariſtobolus & Hircanus fratres de regno inter ſe dimicantes, primi occaſionem tribuere Romanis, vt Iudæam inuaderent. In illis etiam diebus tam ſupra memoratus Pompeius, quam Gabinius, conſules Romanorum, totam Syriam Romanis ſubiectā, redegerūt in prouinciæ formam; Et ſic paulatim Oriens Romano ſubiici cœpit imperio. Interea tamen fit in vrbe Catilinæ coniuratio: quam ſcripſit Saluſtius. Verum conſulis Ciceronis induſtria celeriter eſt ſopita, pariter & extincta. Porro Gabinio Craſſus ſucceſſit. Et regi Syriæ Ptolomæo Alexandro, ſucceſſit Ptolomæus Dionyſius.

Interea vero Gallorum gentem fortiſſimam Iulius Cæſar multis prælijs expugnauit. Nauibus denique in Britanniam tranſuectus, Romanum imperium vltra terræ limitem, mare videlicet Oceanum dilatauit, quod totum intrà decennium conſummauit. Quo tranſacto, decerni ſibi à Senatu Romano poſtulauit alterum conſulatū. Contradictum eſt à Marcello tunc conſule, annitente Pompeio. Deinde decretum eſt à Senatu, vt in Vrbem non niſi dimiſſo veniret exercitu. Quod Cæſar grauiter tulit, & contractis vndique viribus Romam hoſtiliter contendit, & Rubicone fluuio tranſmeato, Ariminum cœpit, & Rauennam ſe contulit. At Pompeius & omnis Romanorum Senatus, creſcentibus Cæſaris viribus, trepidi, tanquam Italia pulſi, Græciam adierunt: Dirachium gerendi belli ſedem eligentes. Cæſar autem cum iam aduerſus Pompeii duces multa peregiſſet certamina, tandem Romam intrauit, & ex ærario publico, fractis ianuis, pecuniam tulit, quam ſuis militibus erogauit. Interea vero apud Dirachiū multi reges Orientis ad Pompeiū cum auxiliis conuenerunt. Quod audiēs Cæſar, agmine præparato, per Epyrum in Theſſaliam venit. Pompeius autem cum maximis copiis ſubſecutus eſt. Itaq; ibi conſtruitur acies vtrinque. Pompeius octoginta & octo cohortes ordine triplici collocauit. Fueruntque in exercitu eius peditum XL. millia, & equites in ſiniſtro cornu ſexcenti, & in dextro quingenti. Inter quos erant reges multi, ſenatores & equites Romani plurimi. Contra Cæſar ſimiliter octoginta cohortes triplici ordinauit diſpoſitione. In exercitu Cæſaris fuere minus quam triginta millia peditum, & equites mille. Sed dum vtrinque certaretur, tandem vniuerſus Pompeii fugit exercitus. Cæſa ſunt in illo prælio Pompeianorum militum XII. millia, & Centuriones XXXIV. Pompeius fugiens onerariam nauem nactus, in Aſiam properauit; & inde per Tyrum in Ægyptum tranſiit, ibique ſtatim, vt littus attigit,

attigit, iussu Ptolomæi adolescentis in gratiam Cæsaris victoris occisus est. Pompeio vero interfecto, Cæsar Syriam peruagatus, Alexandriam venit; vbi Alexandrinis petentibus præfatum Ptolomæum adolescentem Alexandriæ regno donauit, qui tamen ilico contra Cæsarem debellauit, & bellum instruxit. In quo bello referuntur cæsa hominum XX. millia, & XII. millia, cum septuaginta nauibus dedita. Vnde territus Ptolomæus, scapham ascendit, vt fugeret; sed multis post eum in eamdem scapham insilientibus, mersus, necatusque est. Cuius dum corpus ad littus deuolutum fuisset, indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Quam cum Cæsar Alexandriam remisisset, Alexandrinos desperatione ad deditionem coëgit. Quibus patratis, rursus regnum Ægypti Cleopatræ dedit. Demum vero Syriam peruagatus Pharnacem in ponto deuicit. Indeque secundo Romam regressus, Dictator & Consul appellatus. Deinde in Africam transiens omnes magni Pompeii duces atq; nepotes debellauit. Conflixit etiam apud Mundam ciuitatem, aduersus Pompeii duces, Labiennium atq; Rictiouarum, & Petreium interfecit. Cato vero apud Vticam se interemit. Indeque rursus Romam reuersus, rerum summam ac potestatem solus sibi præsumpsit, quod Greci Monarchiã vocant. Sed dum ibi reipub. statum contra morẽ maiorum clementer instaurat: actoribus Bruto & Cassio in curia XXIII. vulneribus confossus, interiit, post annos tres & menses sex quam imperare cæperat. In hac coniuratione ducentos sexaginta cõscios fuisse ferunt. Romanus vero populus dolore stimulatus, Capitolium cum actorib. cędis incendere voluit. Apud quos etiam ita postmodum memorabilis factus est, vt omnes post eum Imperatores, Cæsares nuncuparetur. Hac deniq; tempestate, cessante iam regno ac legitimo sacerdotio Iudæorum, Herodes alienigena vir, Antipatris, memorati principis & matris Cypridis Arabiæ filius, à Senatu Romano susceperat regnum Iudæorum. Qui cum irrepsisset contra ius & fas Iudaicæ gentis in honorem indebitũ, cæpit in sacerdotium indignissimos & ignobiles quosq; substituere, quos ei voluntas aut casus dedisset. Vestem quoq; summi Pontificis occlusam sub suo tenebat signaculo, nec vnquam eius vsum potestatemue permisit pontificib. sui temporis. Et vt suam sobolem regio Iudæorum generi commisceret, abiecta Doside vxore, quam primitus acceperat, copulauit sibi Mariagnam, neptem regis Aristoboli, filiam Hircani summi pontificis Iudæorum. Sed huius mulieris expetita societas, sicut post declarabitur, eius potentiam potius inclinauit quam extulit, & domesticis affecit doloribus. Nam cum sequitur nobilitatem, incidit perturbationem, qua sibi domus propria non cõueniret. Verum vnctione legitima Iudaicæ gentis cessante, imminebat, secundum sermonem propheticum expectatio gentium, Dominus noster Iesus Christus.

Hic verus rex ac sacerdos, de regum atq; pontificum genere carnem assumens, venit mundo salutarem afferens fidem, in qua populum gentilem atq; Iudaicum sanctificando sibi connecteret atque vniret. Natusque est autem sua ordinatissima distributione, anno memorato regis Herodis tricesimo primo, qui est secundum Hebræos ab origine mundi, annus quater millesimus, nongentesimus & quinquagesimus primus. Porro, (sicut beatus Maximus in sermone de Pascha testatur, & quemadmodum Græci calculatores computant,) est quinquies millesimus quadringentesimus septimus. Denique notandum est, quod per quatuor mundi cardines, per succedentia tempora, quatuor regnorum principatus, ante Christi natiuitatem in mundo fuere, distinctis gradibus eminentes. Babilonium scilicet ab Oriente, & à meridie Carthaginense; & à Septentrione Macedonicum, quod Græcorum appellatur, & ab occasu Romanum. Sed inter primum atque nouissimum, id est: Babilonicum atque Romanum, quasi inter patrem senem & filium paruulum, Breuia mediaque regna interuenerunt, Africanum videlicet & Macedonicum. Carthago enim Africæ metropolis, non tantum in Siciliam & Sardiniam, sed & in Hispaniam regni sui limitem extendisse visa est. Et iterum est notandum, quod sicut Belus obscure primum regnasse refertur, Demum vero latius ac magnificentius Ninus filius eius: ita & Romæ Iulio successit longe felicior Octauianus Augustus. Et iterum est pariter intimandum, quia, quemadmodum natus est Abraham patriarcha, ex cuius semine CHRISTVS processit, anno regis Nini quadragesimo tertio: ita postmodum idem mundi Saluator natus est anno Octauiani Augusti quadragesimo secundo.

Igitur qui mundi tertiam Abrahæ fide illuminauit ætatem : ipse & sextam sua natiuitate & sui sacratissimi sanguinis effusione purificatam sanctificauit & renouauit. Hoc quoque non silendum, quia à regno Herodis vsque ad summam Iudaici regni euersionem, quæ facta est sub Romanis Imperatoribus Vespasiano & Tito, fuerunt principes sacerdotum templi Domini viginti & octo, per annos centum & septuaginta.

Hæc nunc de statu Iudaici populi & templi dixisse sufficiat. Hoc tamen non silebo ; Prophetas eiusdem gentis tam ætate quam sapientia gentiles philosophos præcessisse. Ne qua gens de antiquitate suæ sapientiæ super patriarchas & sanctos prophetas, quibus diuina inerat sapientia, vlla vanitate se iactauerit. Regnante quippe Romulo, cum iam regnaret in Iudæa rex Ezechias, claruit Thales Milesius, vnus de septem sapientibus, qui astrologiæ numeris comprehensis, defectum Solis & Lunæ prædicere cœpit. Ipse etiam aquam rerum putauit esse principium. Cui successit Anaximander eius auditor, qui mutauit de rerum natura opinionem, & non ex humore, sed ex suis propriis principiis, quasq; res nasci putauit, & earum rerum principia credidit esse infinita. Regnante etiam in Iudæa Sedechia, & apud Romanos Tarquinio Prisco, Pytacus Militenus, alius de septem sapientibus claruit. Porro Anaximander Anaximenem discipulum & successorem reliquit. Anaxagoras quoque & Xenophanes physici, captiuitatis Iudaicæ tempore claruere. Sed & Diogenes fuit auditor Anaximenis; & Archelaus Anaxagoræ, & Socrates Archelai discipulus, Platonis magister. Et cum Thales in humore, & Anaximenes in aëre, Stoici vero in igne, & Epicurus in atomis, causam principiumq; rerum esse dixissent: Plato laudatur philosophiam primus in tres partes distribuisse; Moralem scilicet quæ in actione seruatur: Naturalem, quæ contemplationi deputatur: & rationalem, qua verum determinatur à falso. Proinde Platoni successit Apuleius; & Apuleio, Hermes Ægyptius, quem Trismegistum vocant. Verum etiam illo tempore, quo captiuus Dei populus in Babilonia tenebatur, floruisse Samius Pythagoras fertur, à quo cœperunt appellari philosophi. Nam interrogatus, quid profiteretur: Philosophum, id est: amatorem sapientiæ se esse respondit, quum sapientem se profiteri arrogantissimum sibi videbatur. Eo etiam tempore reliqui quinque sapientes claruisse feruntur. Quorum nomina sunt hæc: Solon Atheniensis, Chylon Lacedemoniensis, Pyrander Corinthus, Cleobolus Lydius, & Bias Priameus. Sed hi licet quodam genere vitæ laudabiles cæteris præstarent hominibus; nihil tamen monimentorum, quod ad literas attinet, posteris reliquerunt; Nisi quod Solon quasdam leges Atheniensibus dedisse perhibetur. Orpheus tamen, Linus, atque Museus propheticis Hebræis annis reperiuntur esse priores. Sed his omnibus nonne antiquior & sapientior esse Abrahā reperitur, qui Dominum credidit conditorem esse cœli & terræ? Quid & Enoch sanctus, qui fuit septimus post Adā, quiq; in canonica Iudæ epistola legitur ꝓphetasse, & Noe patriacha, quem prophetam non immerito dixerim: Nonne his omnibus antiquiores fuere, & sapientes illos sapiētia præcessere? Qui sine scrupulo vllo Dominum fecisse cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt & scripsit & credidit. Et cum apud omnes gentiles philosophos, qui suorum monimenta dogmatum seculo reliquerunt, de rerum natura tanta inueniatur dissonantia, vt non facile quis inuenerit, cuius opinioni debeat acquiescere: isti Theologi, licet non fuerint contemporanei aut condiscipuli, inter se tamen concordes & in nullo dissentientes inueniuntur. Quid de Dauid rege beato, cuius delicta Dei sunt pietate deleta, & de Salomone eius filio, qui bonis initiis malos habuit exitus, de Deo tamen prophetasse cognoscitur ; & de Isaia, qui multo plura quam alii de ipso prophetauit: ita vt à quibusdam Euangelista potius quam propheta vocetur: & de cæteris æque dixerim Hebræorum prophetis, qui omnes illum verum coluerunt Dominum, qui naturis à se creatis & subsistendi & mouēdi initia finesque constituit. Qui rerum causas habet, nouit atque disponit, qui vim seminum condidit. Qui rationalem animam, quod animus dicitur, quib. voluit viuentibus indidit. Qui hominibus sermonum facultatem vsumque donauit. Qui munus futura dicendi, quibus placuit, spiritus inspirauit. Qui per quos placet futura prędicit: Et per quos placet ipse malas valetudines pellit. Qui bellorum ipsorum cum sic emen

dandum

dandum & caſtigandum eſt genus humanum, exordiis & progreſſibus finibuſq; moderatur. Qui mundi huius ignem vehementem & violentiſſimum pro immenſæ naturæ temperamento & creauit & regit. Qui maris & vniuerſarum aquarum creator eſt atque gubernator. Qui ſolem fecit corporalium clariſſimum luminum, eique vim congruam dedit & modum. Qui etiam ipſis inferis dominationem ſuã poteſtatemq; non ſubtrahit. Qui ſemina & alimenta mortalium ſiue liquida ſiue arida naturis competentibus attributa ſubſtituit. Qui terram fundauit ac fœcundauit, & fructus eius animalibus & hominibus largitur. Qui lunam ſtatuit in loco ſuo. Qui ſtellas fecit & earum numerum nouit: Qui vias cœleſtes atque terreſtres locorum mutationibus præbet: Qui humanis ingeniis quæ creauit, etiã ſcientias artium variarum ad adiuuandũ vitam naturamque conceſſit. Qui coniunctionem maris & fæminæ ad adiutorium propagandæ prolis inſtituit. Qui hominibus quæ focis & luminibus adhiberent ad facillimos vſus munus terreni ignis indulſit. Denique illi Sancti Theologi Dei Spiritu afflati, multa non ſolum de rerum natura, ſed Dei ſecreta & inſcrutabili eſſentia nobis ſcriptis ſuis pronunciauerunt; ſcilicet, quod nullis ſit locis incluſus, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum & terram præſente potentia: Sed non propria indigente natura, & quod ita adminiſtrat omnia quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat. Et quamuis nihil eſſe poteſt ſine ipſo, non ſunt tamen quod ipſe. Agit autem multa per Angelos. Sed quamuis propter aliquas cauſas hominibus Angelos mutat, non tamen ex Angelis homines, ſed ex ſe ipſo ſicut Angelos beatificat. Et ab hoc vno & vero Deo omnes illi vitam ſperauerunt æternam. Expectabant quoque venturum in terras vnicum filium eius, vt pro humana ſalute carnem aſſumeret, ac ſanguinem ſuum effunderet; vtque ex illo ſacrificio ſingulari, à peccatis omnibus mundaremur. Deinde eius ſpiritus in cordibus noſtris dilectione diffuſa, qua omnes ſuperaremus difficultates, internam requiem & contemplationis eius dulcedinem ineffabilem inueniremus. Hæc omnia ab eis ſignificata ſunt & pronunciata, & propter hæc vitam æternam fidelium & in Chriſto impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus. Quicunque autem de his ſecundum eos ſapiunt, non ſecundum homines ſapiunt, ſed ſecundum Dominum, qui per eos locutus eſt, recte ſapiunt. Organa enim Dei fuerunt, & ſapientes Theologi, non ſibi inuicem diſſidentes, ſed vna quaſi diuina Harmonia corporis inſtrumento veritatem perſonantes. Quicquid ergo ab eis eſt diſſonum, non dubitari eſſe falſiſſimum. Multa etiam alia ſuper his erant dicenda: ſed quia liber iſte nimis extenditur, ratio moderationis exigit, vt iam terminetur.

Igitur cum iucundum ſapienti ſacras hiſtorias noſſe, quarum ſola ſuperficies ab humanis mentibus nebulas erroris abigere valet, & eas ad imaginem veritatis adducere: Curabo nunc iuxta hiſtoriæ textum legentibus notificare; quomodo proceſſit in mundo recta eruditio fidei, per quoſdam gradus & articulos ætatum & temporum, & quomodo Vetus Teſtamentum Euangelicis miniſtrauit principiis in præfiguratione diuinorum Sacramentorum, ſicut virilem ætatem ſolet ætas pueriliſ præcedere. Igitur quamuis ab ipſa mundi origine, in tota mundi latitudine non niſi duas ſocietates hominum comperimus extitiſſe: Cum tot tantæque gentes per eundem orbem, diuerſis ritibus moribuſque viuentes multiplici linguarum, armorum, veſtiumque ſint varietate diſtinctæ, quas ciuitates duas merito poſſumus appellare; quarum vna ciuitatum prædeſtinata eſt regnare cum Deo, & altera perire cum Diabolo. Tertia mundi ætate cum iam omnes gentes per orbem diffuſæ, beneficiorum Dei & ſuæ conditionis oblitæ, inſenſibiles pro eo colerent creaturas, elegit Deus Abraham virum ſanctum, cuius exemplo mundum ad agnitionem ſui conuerteret, & ab erroris præcipitio liberaret. Qui etiam notam circumciſionis impoſuit, quod noſtræ regenerationis ſignum fuit, qua poſt communem generationem, qua ſeculo naſcimur Deo regeneramur, per aquam & Spiritum Sanctum. Quarta vero mundi ætate idem Deus & Dominus per ignem Moyſi de Rubo locutus, primum, vt educeret Iſraeliticum populum de Ægypto, ac demum quadraginta diebus ac noctibus ipſius tentus alloquio, iterum ſcriptam in tabulis legem meruit ſuſcipere, qua idem

Dei populus frueretur, donec veniret CHRISTVS, qui interiorem ſenſum legis eiuſdem, Eccleſiæ ſuæ data Sancti Spiritus gratia reſeraret. Hac etiam ipſa mundi ætate, conſtruxit idem Moyſes Deo in eremo tabernaculum, quod vniuerſalem præſentis ſæculi ſignificat Eccleſiam: Et arcam Teſtamenti, per quam CHRISTVS deſignabatur, in quo ſunt omnes ſapientiæ diuinæ theſauri repoſiti: Et candelabrum, per quod ſancta prædicatio, quæ iter lucis euntibus ad vitam oſtendit, exprimitur. Et menſam, per quam ſancta ſignificatur ſcriptura; & alia multa in quibus expreſſit nimis alta præſentis Eccleſiæ Sacramenta. Quinta denique mundi ætate Salomon rex pacificus templum iſtud nobiliſſimum in Ieruſalem exſtruxit, in quo etiam nonnulla imago rei futuræ præceſſit. Sexta quoque mundi ætate CHRISTVS Dei & hominum mediator mundo apparuit, & mortem crucis pertulit; vt mors quam vitæ conſtat eſſe contrariam, eius morte inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur ad vitam. Demum vero ſurgens à mortuis, miſit de cœlo Spiritum Sanctum ſuis Apoſtolis in Ieruſalem conſtitutis, qui eis omnium reſerauit myſteria Scripturarum, & attulit noticiam diuerſarum linguarum. Indeque diſperſi ſunt ſuper faciem vniuerſæ terræ, baptizantes vbique in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Tunc adimpletum eſt, quod ſcriptum eſt: *Ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Inde enim procedens verbum Domini, per totum emanauit mundum. Et ex tunc cæpit ædificari turris non ex lapidibus ac cæmentis, ſed ex diuerſis gentibus & linguis, cuius cacumen penetrat cœlum. Quæ turris Syon ſpiritualiter appellatur, quod ſpeculatio interpretatur. Speculatur enim futuri magnum bonum, quod præparauit Deus diligentibus ſe. Hæc etiam Dei ſponſa propter numeroſam, quã ei quotidie parit filiorum ſobolem, per Baptiſmatis Sacramentum merito poteſt appellari. Ipſa quippe ſuo redemptori Chriſto intellectualiter adhærens, corporeo, ſi dici fas eſt, amplexu, veris impletur fœcundaturq; virtutibus. Cui quaſi nouæ nuptæ ſuæ nouus ſacerdos noua tradidit Sacramẽta, impoſuitq; onus leue, iugumq; ſuaue, vt quanti penderet eam, intelligeret. Dedit quippe ei pro circumciſione, quę plebem Hebraicã non mediocriter onerabat, ſancti Baptiſmatis Sacramentum, & pro diuerſorum ſpecie ſacrificiorum, ſuum ſacrificandum corpus & ſanguinem. Cuius veri ſacrificii multiplicia variaq; ſigna erant ſacrificia priſca iuſtorum. Igitur prima lex velut pædagogus rudibus atq; carnalibus hominibus primum poſita eſt, erudiens eos vel peccare prohibens metu pœnæ præſentis. Secunda vero, ſublimiorem vitæ viam iam eruditis, ſine interminatione pœnæ præſentis oſtendit. Non decebat ergo, vt euangelica perfectio præcederet Moſaicam legẽ. Nam quæcunq; perfecta, ſolent eſſe poſteriora. His ita ſe habentibus, reſtant etiã nunc, vt de Parthis, qui diu in Syria regnauerunt, aliquid dicã, antequã propoſitum opus attingã. Tantum enim regnum ſilentio prẹterire nõ debeo. Cum Parthis quippe Romanus populus orbis imperiũ legitur diuiſiſſe. Sed quia Parthi Scytharum exules extitere, ſicut ipſorum vocabulo deprehenditur. (Scythico enim ſermone Parthi exules appellantur.) De Scytharum regno poſt pauca narrabo. Quanquam præpoſterus ordo eſſe videatur. Quicquid enim Pompeii & Cæſaris bella, quæ iam digeſſi, de Veſione rege Ægypti, & de Amazonum regno, & de introitu Cyri in Scythiam, quæ ante Cæſaris ortum contigerunt, tractabo.

Parthi exſules.

Scytharum ergo gens antiquiſſima ſub Septentrione poſita, ab vno latere ponto, ab altero vero montibus Ripheis & Aſia a tergo terminatur. Sed Scythæ non minus illuſtria principia quam imperia habuere: nec virorum magis quam fœminarum virtutibus claruere. Quippe cum viri hos, de quibus acturi ſumus, Parthos Bactrianoſque; fœminæ vero eorum Amazonum regna condiderunt. Itaque res geſtas virorum mulierumque conſiderantibus, incertum eſt, vter apud eos ſexus illuſtrior fuerit. His tamen Veſoges rex Ægypti primum bellum intulit. De cuius aduentu Scythæ certiores facti, vltro ei obuiam proceſſere. Sed in fugam vertitur, & exercitu, cum omni bellorum apparatu derelicto, in regnũ ſe recepit. Scythæ vero deſtitutum inuadentes exercitum fugauerunt & interemerunt. Indeque reuerſi Aſiam perdomitam vectigalem fecerunt: modicum tributum eis magis in titulum imperii, quam victoriæ præmium imponentes. Nihil enim victores præter gloriam concupiſcunt. Igitur his Aſia per mille & quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tri-

buti

buti finē Ninus, cuius supra meminimus, imposuit Assyriorum rex. Scythæ præterea per incultas solitudines errare soliti non agrum exercent, sed vxores & liberos secum in plaustris vehunt, coriis imbrem & hyemis asperitatem euitantes. Armenta & pecora cum eis gradiuntur; lacte & melle vescuntur. Gens laboribus & bellis aspera, vires corporum immensæ. Horum denique virgines vitam suam non otio aut lanificio, sed armis & equis ac venationibus dudum exercebant; inustis infantum dexterioribus mammis, ne sagittarum ictibus impedirentur. Vnde Amazones appellabantur. Duæ his reginæ fuere Mathesie & Lampedo: Quæ in duas partes agmine diuiso, opibus auctæ bello terminos defendebant. Et ne successoribus deesset authoritas, genitas se Marte prædicabant. Itaque maiori parte Europæ iam sibi subacta, Asiæ quoque nonnullas ciuitates, post præfati Nini regis interitum, occupauerunt. Ibique Epheso multisque aliis ciuitatibus conditis, partem exercitus cum ingenti prǣda domum dimiserunt. Reliquæ vero, quæ ad tuendum Asiæ imperium remanserant, congressu Barbarorum cum Mathesia regina, interficiuntur. In cuius locum filia eius Orithya succedit. Cui præter singularem belli scientiam eximiam seruatæ in omne æuum virginitatis admiratio fuit. Denique Amazonum virtute excitus Hercules, longis nouem nauibus præparatis, comitante principum Græciæ iuuentute, eas inopinantes aggreditur. Duæ tunc sorores, Amazonum regna regebant: Antyope & Oristia. Sed Oristia foris bella gerebat. Hercules vero cum ad littus Amazonum, naues applicuisset, incautas & inermes subitaneo turbauit aduentu. Multæ denique cæsæ & multæ sunt captæ: Menalype ab Hercule, Hypolita à Theseo. De qua Theseus genuit Hypolitum. Hercules autem Menalypem captiuam sorori reddidit. Et pretium victoriæ suæ arma reginæ suscepit. Porro post Oristiam Penthesilea regno potita est. Cuius Troiano bello inter fortissimos duces magna virtutis documenta fuere. Penthesilia vero defuncta, reginæ Amazonum regnum magnifice defendentes, vsque ad Alexandri Magni tempora durauerunt. Quarum Minitria siue Thalestris regina, concubitum Alexandri per dies duodecim, ad generandum ex eo sobolem obtinuit. Sed breui post tempore, propter prostratam pudicitiam cum omni Amazonum nomine decidit. Præcedēti tamen æuo Cyrus rex Persarum cunctis aduersis quos ierat, perdomitis, Babiloniaq; iam capta, Scythis bellum intulit. Quem Thamaris regina, quę tunc genti præerat, cum prohibere transitum Araxis fluminis posset, transire permisit. Itaque Cyrus Scythiam ingressus, procul à transmisso flumine castra metatus, vinum & epulas præparauit, sed astu statim quasi territus, eas dereliquit. Regina vero, vbi Cyrum adesse comperit, filium suum cum exercitu ad persequendum illum destinauit. At illi castra Cyri grandi apparatu referta inuehientes, procumbunt, quasi ad epulas inuitati. Sed cum iam essent ebrietate sopiti, Cyro reuertente, vna cum adolescente obtruncantur. Thamaris autem filio cum exercitu amisso, dolorem hostium promptius sanguine diluere, quam lachrymis parat. Simulauit ergo diffidentiam desperatione cladis illatæ, & hostem victoriæ superbum ad se vocat. Sicque in conualle insidiis præparatis, ducenta Persarum millia subita irruptione deleuit. Quibus patratis Cyri caput iussit amputari, & in vrnam humano sanguine plenam inferri. Ita inquiens: Satia te sanguine quem sitiuisti. Denique Darius rex, qui Magorum audaciam ferro coercuit, Cyro regi Scytharum bellum intulit, eo quod filiæ eius petitas nuptias non obtinuisset. Sed cum incredibili apparatu Scythiam ingressus fuisset, non facientibus hostibus legitimam pugnæ potestatem, metuens, ne interrupto Histri ponte reditus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum, trepidus refugit. Hanc tamen iacturam inter damna non reputauit. Verum quia de bellis Scytharum vsque modo satis est peroratum, nunc de Parthis aliquid est exequendum.

Parthi ergo, Assyriorum Medorumque temporibus domesticis seditionibus Scythia pulsi inter Orientales populos obscurissimi fuerunt. Nam cum Orientis imperium à Medis ad Persas translatum est, velut vulgus sine nomine præda victorum fuere. Demumque Macedonibus triumphato Oriente seruierunt: vt cuiusmirum videatur ad tantam eos fælicitatem prouectos per virtutem; vt imperent gentibus, sub quarum imperio veluti seruile vulgus mansere. Sermo his inter Scythicum Me-

dicumque medius, & vtriſque permixtus eſt. Veſtis perlucida ac fluida. Exercitum non vt aliæ gentes liberorum, ſed ſeruorum habent, quos pari ac liberos ſuos cura equitare ac ſagittare magna induſtria docent. Vt quiſque eſt locupletiſſimus, ita plures in bello equites regi præſentat. Sed ſerui pedibus, liberi equis vectantur. Bella equis: communia, equis publica ac priuata officia ſic obeunt. Pugnant autem præcurrentibus equis aut terga dantibus. Sæpe etiam fugam ſimulant: Et in ipſo ardore certaminis prælia deſerunt; at poſt fugam pugnam repetunt: vt cum maxime viciſſe putes, tunc tibi diſcrimen ſubeundum ſit. Cominus in acie præliari, aut obſeſſas vrbes expugnare neſciunt, nec pugnare poſſunt. Intolerabiles enim forent, ſi quantus eſt impetus, tanta vis & perſeuerantia eſſet. Signum his in prælio non tuba, ſed tympano datur. Munimentum ipſis & equis, loricæ ſunt plumatæ: Ingenia genti tumida, ſeditioſa, fraudulenta, procacia. Quippe viris violentiam, mulieribus manſuetudinem aſſignant. Semper aut in externos aut in domeſticos motus inquieti. Natura taciti: ad faciendum quam ad dicendum promptiores. Perinde ſecunda vt aduerſa ſilentio tegunt. Principibus metu non pudore parent. In libidinem proiecti. Vxorum dulcedine, variæ libidines, ſinguli plures habent. Nulla delicta adulterio grauius vindicant. Quamobrem fœminis non virorum conuiuium tantum, verum etiam conſpectus interdicunt. In cibo parci. Nam carne non niſi venatione quæſita veſcuntur. Parthorum denique gens, poſtquam a Pſeleuco rege defecit, ſub Arſace manſit, qui ſtabilito regno, non minus eſt memorabilis Parthis, quam Perſis Cyrus, vel Romanis Romulus, aut Macedonibus Alexander. Iſte quippe eos primum legibus informauit, militem legit, caſtella muniuit, ciuitates firmauit: vrbemque eis nomine Daran in monte Zapaorteno condidit. Cuius loci ſitus talis eſt: vt neque munitius quicquam eſſe nec amænius poſſit. Ita enim & præruptis rupibus vndique cingitur, vt nullis defenſionibus egeat, & ſoli circumiacentis tanta fertilitas eſt, vt propriis expleatur. Hic etiam Hircanorum regnum ſuo adiunxit, ac regem Pſeleucum ſuperauit. Demum vero maturus deceſſit, cui filius ſucceſſit, qui illum induſtria ſimul & nomine repræſentauit. Nam & iſte Arſaces ſecundus aduerſus Antiochum Pſeleuci filium centum millibus peditum & viginti millibus equitum inſtructis pugnauit, & eum ſuperauit. Tertius vero Parthorum rex Priapatius fuit, qui exactis in regno quindecim annis deceſſit; Relictis duobus filiis; Mithridate & Phabate. Quorum maior natu Phabates more gentis ſuæ heres regni, Mardos, validam gentem bello domuit, & non multo poſt deceſſit, pluribus relictis filiis, quibus præteritis fratri ſuo Mithridati inſignis virtutis viro, reliquit imperium. Qui ſuſceptum regnum à monte Caucaſo, multis populis in deditionem redactis, vſque ad fluuium Euphratem protulit. Et poſthæc correptus aduerſa valetudine non minor proauo ſuo Arſace glorioſa ſenectute deceſſit. Cui Phabates filius ſucceſſit. Quo à Scythis interfecto Arthabanus, patruus eius, rex conſtituitur. Arthabano vero Mithridates, pater magni Mithridatis ſucceſſit. Qui cum matura morte defeciſſet, frater eius Ozodes Parthorum occupauit imperium. His præterea temporibus Craſſus Romanorum aſſecutus conſulatum, per Meſopotamiam tendens in Parthiam, Euphratem fluuium contra fœdus Luculli & Pompeii conſulum Romanorum tranſiuit, & Carras vſque peruenit: vbi à Parthis circumuentus, exercitum amiſit, & ipſe extinctus eſt. Porro memorati Ozodis Parthorum regis filii Pachorus & Phabates fuere. Mithridates autem præfati regis Mithridatis filius, poſtquam adoleuit & regnum adeptus eſt, non ſui tantum temporis, verum etiam omnes ſuperioris ætatis reges maieſtate præcelluit. Is enim per quadraginta & ſex annos, multas victorias de Romanis habuit. Et quoties illum ſummi principes Romanorum, Sylla, Lucullus, & Cneius Pompeius vicerunt; toties maior & clarior apparuit: damniſque ſuis ſemper terribilior reddebatur. Is quoq; Babiloniam victor occupauit, & omnes gentes, quæ inter Hydas plenum fluuium & Indum iacent, ſibi ſubiugauit, & ad Indiam ſuum poſtmodum dilatauit imperium. Sed & Cappadociam, cæſo rege Ariobane cepit & Armeniam obtinuit: Scythiam quoq; ſibi pacificauit, quam nemo ante tuto tranſire vel adire valebat. Bythiniam denique & Paphlagoniam ſubegit, expulſis inde Phirmene & Nichomede, regibus. Et

cum

cum venisset Ephesum, crudeli præcepit edicto, vt, quicunq; inuenti essent Romani, per totam Asiam sub vna die necarentur. Archelaus denique dux eius centū millibus peditum & equitū in Achaiam ab eo præmissis, Athenas totamq; Græciam, partim vi partim vero per deditionem recepit. Verum cum iam senex Mithridates obsessus a filio Pharnace teneretur, & mori compelleretur, venenum hausit, vt seipsum interficeret. Infusa tamen pestis in visceribus eius nihil ei nocere potuit. Puer nempe tutorum sæpe passus insidias, ita se aduersus eos exquisitis stagnauerat remediis, vt nec volens quidem veneno mori potuerit. Quendam itaque Gallum militem, quem offendit, inuitauit & ei iugulum præbuit: Et hunc vitæ finem Mithridates tulit, & heredem sibi parricidam filium dereliquit. Periit autem habens annos septuaginta duos, quibus sexaginta regnauit. Contra Romanos vero annos quadraginta pugnauit. Mortuo proinde Mithridate, famosissimus Pompeius, consul Romanorum, regem Tigranem in Syria debellare cœpit. In qua expeditione positus, templum, quod erat Hierosolymis, expugnauit. Et non multo post Romanis ciuile bellum est exortum. In quo Cæsar memoratum Pompeium superauit. In quo etiam bello Pompeianarum partium fuere Parthi, & propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico iunctā & propter Crassi necem. Cuius filium in partibus Cæsaris compererant esse, quem vltorem paterni sanguinis futurum metuebant. His de Parthis expeditis: operi proposito manum applicabo.

Amodo ergo præmissam defloraturus ecclesiasticam (Deo cooperante) historiam, a natiuitate Domini ac Saluatoris nostri IESV CHRISTI exordium sumam, ac postmodum sanctorum successores Apostolorum, & præsulum nomina Romanorum, hic inseram: ac demum quas viri Catholici locis celeberrimis post ipsos Apostolos, regendas susceperunt Ecclesias, expediam. Nec præteribo persecutionum turbines, quibus sancti martyres diuersis temporibus pro CHRISTO carceribus trudi edictis principalibus vrgebantur. Sed illi diuino amore flagrantes sæuientibus in necem illorum regibus & legibus, ducibus & gentibus, flecti nullis cruciatibus potuerunt, semper inexpugnabiles permanentes. Similiter & sanctæ mulieres virilem gerentes animo fidem, carceribus includebantur, cædebantur, torquebantur, vrebantur, laniabantur, cruciabantur, coronabantur. Hos primitiua flores tulit Ecclesia; & his adhuc stipata vernat mirabili varietate. Horum denique meminisse semper erit vtile. Præterea perfidos non prætermittam, philosophos, id est: amatores iactantiæ, non sapientiæ, qui continentia, castitate, atque ieiunio sicut quadam pietatis veste exterius tecti, intrinsecus vero habentes animum venenatum; per dulces sermones multis in Ecclesia scandalum intulerunt; quorum perfidiam denudare curabo & eorum erroribus, locis oportunis, paucis quidem, sed affatim DEI opitulante iuuamine respondebo. Quod illis maxime profuturum esse confido, qui magna doctorum volumina, quibus eis responsum est, nō habent: aut secularibus implicati curis ea tamen minime legere possunt. Nam ex his tametsi breuibus responsis poterunt tamen incautam simplicitatis imperitiam deuitare, & dogmata fidei Christianæ contraria declinare. Antiquam denique cæcitatem Iudæorum, qui nolunt in Christum credere, quem sciunt sibi à Prophetis pronunciatum fuisse. Extremam denique templi euersionem, quæ facta est sub Vespasiano & Tito non tacebo, sed etiam depopulationem siue deiectionem rerum earum, quæ dicebantur sancta Sanctorum, licet fuerit vmbra non veritas. Vmbra tamen designat vestigia veritatis: Et diligenter intuentibus signis quibusdam futura solent exprimere. Optimorum præterea virorum Romanorū, scilicet, Gallorum, Gotthorumq; & cæterarum gentium memorabiles actus hic inseram, & totum hoc opus legitima ratione corroborare contendam. Incipiens quippe ab Octauiano Augusto, omnium imperatorum Romanorum nomina ibi seriatim denotabo, vsq; ad Carolum magnum, & eius filium imperatorem Ludouicum, & tempora quibus floruerunt lucide designabo: sicque secundum eorum Catalogum rerum relationes gestarū, ita temporibus assignabo, vt, si modo dictū decurras Catalogum, quid sub vnoquoq; imperatore gestū sit, euidenter agnoscere possis. Sunt tamen nonnulli quibus videtur fore superfluū, cum secundum tempora regum vel imperatorum Ecclesiasticæ pertractantur historiæ. Sed non est

contra religionem ecclesiasticam, aut authenticam disciplinam. Lucas nempe Euangelista cum Dominicæ incarnationis texeret historiam, Herodis regis Iudaicæ gentis, in ipso sui sancti Euangelii principio intulit mentionẽ. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia*; Idemq; post pauca: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*. Cæsaris Octauiani faciens mentionem, quatenus illa, quæ minus erant hominibus nota, ab his pene apud omnes celebri fama ferebantur, confirmarentur & corroborarentur. Quod & multi alii religiosi, diuinarum tractatores historiarum, fecisse leguntur. Illæ quippe res gestæ, quæ nulla regum ac tẽporum certitudine commendantur, non pro historia recipiuntur, sed inter aniles fabulas deputantur. Porro ideo Christus vsq; ad septimam venire distulit ætatem, vt nouæ legis plenitudinem prolixitas temporis non auferret. Nam si ante venisset, cuncta forsitan nouæ legis præcepta vetustas temporis aboleuisset. Nunc autem ea seruare, ipse imminens terror iudicii exigit, nec sinit propinquitas vicini examinis, periclitari nouæ fidei perfectionem. Proinde decebat vt qui sexta die hominem fecerat; sexta mundi ætate eum ad plenitudinem legis perduceret; & iam veterascentem suo nouo aduentu reficeret. Proinde præsenti Prologo, quum id multum operi proposito conuenire non dubito; Italiæ situm paucis comprehendam, & prouinciarum eius numerum subtiliter nescientibus, intimabo. Italia ergo patria siue regio Romanorum, à Cyricio in Eurum extensa, habet ab Africa Tyrrhenum mare, & a Borea Adriaticum sinum. Ab Occidente autem obicibus Alpium obruitur. Porro Alpes a Gallico mari super Ligustricum sinum exurgentes, primum Narbonensium fines, demum vero Galliam Rhetiamque secludunt: donec in sinu Liburnico defigantur. Habet autem Prouincias decem & octo, quarum prima Hystria nuncupatur: secunda Liguria, in qua est Mediolanum atque Papia: Tertia Rhetia prima, cui connectitur Rhetia secunda, inter Alpes constituta. Quinta vero prouincia Alpes Gothica nuncupatur, in qua Ienua ciuitas est sita. Sexta quoque prouincia Tuscia nominatur, in qua Roma consistit: cui adiungitur Vmbria, in qua est Perusium & Poletium. Septima autem prouincia ab vrbe Campania sumit initium, & pertingit vsque ad Syler fluuium. Habetque opulentissimas vrbes, Capuam atque Neapolim. Octaua est, Lucania, cui coniungitur Bitia à Sylere fluuio vsque ad fretum Siculum, super ora Tyrrheni maris pertingens. In qua Pestus, Lanius & Regium positæ sunt ciuitates. Nona vero prouincia in Alpibus Apenninis est sita. Decima autem Æmilia nominatur. Hæc incipit inter Alpes Apenninas, & pergit iuxta Padi fluenta versus Rauennam, & hæc locupletibus vrbibus decoratur: Placentia, Parma, Bononia & Cornelii forum, quod modo castrum Ymolas appellatur. Vndecima autem Flaminia vocitatur, & est inter Alpes Peninas & mare Adriaticum, positaque est in ea & sita Rauenna. Duodecima vero est Pycenus, habens ab Austro Apenninos montes, & ex altera parte Adriaticum mare, & porrigitur vsque ad Piscariam. Apenninæ autem Alpes per mediam Italiam pertingentes, a Punicis, hoc est, ab exercitu Annibalis, qui per eas transitum habuit, vocitantur. Tertia decima quoque prouincia Varia nuncupatur, cui est annexa Nursia. Huius etiam pars occidua, Hetruria nominatur. Quarta decima vero prouincia Sannium a Piscaria incipit, & inter Campaniam & mare Adriaticum pergit. Huius caput est, Beneuentus ciuitas. Quinta decima autem Apulia est, consociata sibi Calabria, habens opulentas vrbes; Luceriam, Sepontum, Chonusium, Brundusium atque Tarentum. Sexta decima vero Sicilia, quæ mari Tyrrheno seu Ionico alluitur. Septima decima autem Corsica est: & octaua decima Sardinia nuncupatur. Sciendum est tamen Liguriam & partem Venetiæ, & Æmiliam atque Flaminiam, veteres historiographos Galliam Cisalpinam appellauisse. Siquidem antiquo tempore Brennius, qui apud vrbem regnabat Senonensem, cum trecentis millibus Gallorum ad Italiam venit: & eam vsque ad Senogalliam super mare Adriaticum sitam occupauit, & ibi adinuicem separati sunt Galli. Quorum centum millia Delphos adeuntes, Græcorum gladiis perierunt. Alia vero centum millia intra Græciam remanentes: primum Gallogræci a candore corporis, postea autem Galatæ sunt appellati. Hi ergo sunt, quibus scribit Apostolus Paulus. Alia autem centum millia in Italia remanserunt: & Tycinum, Mediolanum, Pergamum, & Brixiam construentes, Cisalpinæ Galliæ nomen dede-

Nota situm Italiæ, & nomina XVIII. prouinciarum eius, numerumq; & nomina Vrbium, quæ in eisdem prouinciis continentur.

dederunt. Vnde Gallia tranſalpina, quæ vltra Alpes habetur: Et Gallia Ciſalpina, quæ infra Alpes eſt, vocitatur. Et hæc de Brennio, ſiue de Gallis, quorum ſupra meminimus, dixiſſe ſufficiat. A modo vero fultus Dei adiutorio, & in tres libros totum diuidere, & in vnum corpus Eccleſiaſticam hiſtoriam curabo redigere.

Secundus Romanorum monarcha, interfecto Iulio Cæſare, Octauianus Auguſtus extitit. Quo nullus imperator Romanorum in bellis fælicior, nec pace moderatior fuit. Adoleſcentiam tamen ſuam ciuilibus implicuit bellis; & Illyricum ac Pannoniam occupauit: & Sicambros & Aſtures Hiſpaniæ populos ſuperauit. Et eiuſdem terræ populum barbarum & agreſtem Romanis legibus informauit. Norici quoque Dalmatæ, Moeſi, Boſroani, Thraces, Daci & Sarmatæ ducum eius ſunt ſuperati virtute. Sed antequam regni monarchiam obtinuiſſet: ita inter ipſum & Antonium Romana res publica diuiſa manebat, vt Auguſtus, Italiam, Galliam & Hiſpaniam: Antonius vero Aſiam, Pontumque poſſideret. Erat autem Antonius ſocer eius. Porro cum eſſet Lucius Antonius correptus amore Cleopatræ Ægypti reginæ, repudiata Auguſti ſorore, ipſam ſibi Cleopatram matrimonio copulauit, & Auguſto bellum indixit. Sed Auguſtus ad prima nouorum motuum ſigna, cum trecentis nauibus à Brunduſio in Epyrum tranſmeauit. Antonius vero littus Atticum occupauerat. Sed vbi ventum eſt ad prælium, Auguſti Claſſis cœpit Antonii turbare nauigium. Cleopatra regina cum aurea puppe, veloque purpureo prima fugere cœpit: & illico ſecutus eſt eam Antonius. Inſtare veſtiis Auguſtus; quod cernens Antonius propria ſe manu interemit. Regina vero ad pedes Auguſti prouoluta, tentauit oculos eius; ſed ſpreta ab eo, deſperauit. Et vbi ſe triumpho ſeruauit, incautiorem nacta cuſtodiam, in mauſoleum odoribus refertum, iuxta ſuum ſe collocauit Antonium. Deniq; admotis ſibi ſerpentibus, morte ſopita eſt. Tunc Auguſtus potitus Alexandria, vrbe omnium vrbium tunc opulentiſſima, Romam triumphans ingreſſus eſt. Quibus patratis Parthi, inclyti nominis eius fama inuitati: licet iam pares ſe Romanorum magnitudini crederent, Romana ſigna, quæ Craſſo interfecto diripuerant, ei vltro reddiderunt. Et obſidibus traditis, firmum fœdus ab eo fideli ſupplicatione ſuſcipere meruerunt. regni ſui terminum Euphratem fluuium, ſecundum fœdus Luculli & Pompeii, conſulum Romanorum, quod dudum conſtituerant, ſtatuentes. Plus enim apud eos fauore ſui nominis fecit Auguſtus, quam facere quiſpiam alius imperator armorum robore potuiſſet. Ad hunc quoque Scythæ, Indi, Garamantes & Æthyopes, legatos cum donis miſerunt. Herodes vero Iudaicæ gentis Antonio & Cleopatra iam extinctis, ſponte ad eum nauigauit, depoſito Diademate ſe illi obtulit: humili quidem habitu, ſed regia mente: & his eum adorſus eſt verbis. *Ego*, inquiens, *Auguſte, fateor me fidelem fuiſſe Antonio ſocium, vtpote qui ab eo regnum ſuſceperim. Ea tamen neceſſitate arma non tuli aduerſum te. Non quaſi prælii pauidus; vel amici deſertor, ſed domi rebus gerendis occupatus. Ingratum tamen ſibi me non ſenſit Antonius, cui & adiumenta exercitus, & frumenti copiam miſerim abſens. Nunc autem Cæſar viciſti Antonium legionibus tuis maximis, viciſti eum conſiliis tuis, viciſti imperii Romani viribus, quod dereliquerat & abnegauerat. Certe victus eſt Antonius viribus tuis: ſed magis moribus ſuis. Vicerat enim eum Cleopatra vxor, & Ægyptius amor, Canopeaque luxuries. Victus eſt: quia maluit cum Cleopatra vinci, quam ſine ea vincere. Vicit eam mulier infeſtior ſuis quam aduerſariis. Denique, victus eſt, quia me audire noluit. Obſtruxerat enim mentem eius Cleopatræ cupiditas. Victus ſum & ego cum Antonio. Minore tamen flagitio, quia illum Cleopatra vicit, me Antonius. Ille, ille, Herodes ego, amicum non dereliqui. Modo vero ad te veniens, ſequeſtraui à me regni inſignia, ſed non abieci virtutis conſcientiam. Vt voles, iudica.* Ad hæc Cæſar; *Salue*, inquit, *& nunc magis vtere regno tuo, quia non inuidemus virtutibus, ſed delectamur. Dignus es enim plurimis imperare, qui ſic tueris amicitiam, vt & in aduerſis poſitum non abneges amicum. Et idcirco magis expeteris à nobis: quia nullus belli te immutauit euentus. non enim Antonium deſeruiſti, ſed Antonius te; qui magis credidit Cleopatræ quam tibi. Inſipientia illius te nobis acquiſiuit: qui ſibi pernitioſam elegit Cleopatram, & te fidelem repudiauit. At non eſt mirum, ſi à te Cleopatra deſciſſe fecit Antonium, cum à me etiam eum diſſociauerit, & ex conſorte imperii hoſtem reddiderit. Nunc autem adoriemur in reliquum vt non requiras Antonium. Non enim dignum eſt, vt quem bello vicimus, beneuolentia non*

vincamus. Et cum hæc dixiſſet, impoſuit coronam capiti eius. Ampliauit etiam munificentia regia regnum illius; dans ei Gaddaran & Ipponem, Samariam & Hyppenum, turrimque Stratonis, maritimas ciuitates. Ex quibus Herodes turrim Stratonis in gratiam & honorem Cæſaris poſtmodum albo lapide renouauit, & aulicis ædificiis venuſtauit; & Cæſaream mutato nomine iuſſit appellari. Vrbem quoq; Samariam quam nunc Sebaſten appellant, non ſolum ædificauit, ſed etiam repleuit inhabitantibus. Extruxit præterea Ieroſolymis turrim magnam, quam appellauit Antoniam, propter gratiam Antonii veteris amici. Addidit etiam in ipſa arce regiæ domus gemina habitacula, maximi ambitus, & admirabilis pulchritudinis, quorum vnum nominauit Cæſarium, & alterum Agrippium. Cæſari quoque condidit templum ad fontes Iordanis, adeo immemor religionis, vt homini templum conderet, & vſum gentilibus in Iudæam induceret. Interea vero Cæſarem Auguſtum apud Tarraconē citerioris Hiſpaniæ vrbem, legati Scytharum & Indorum, pene toto orbe tranſmiſſo poſitum inuenerunt; qui pacē petebant, & ei munera deferebant. In fauore enim ſui nominis, ſua liberalitate declinauerat omnes gentes. Pacatis ergo omnib. regionib. per vniuerſum orbē, omniq; bellorū fragore ſedato, memoratus Auguſtus rempublicam legibus pacificis adæquare ſiue nutrire deſiderans, protulit edictum: vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Tunc venit quidam honorabilis Cyrenius nomine, & intrauit cum paucis Syriam, ab ipſo ius dare gentibus miſſum, & Cenſor ſimul patrimoniorum futurus. Igitur his diebus, I. Octauiani Auguſti ſecundo & quadrageſimo imperii anno; ab Ægypto vero ſubiugata, & Antonii vel Cleopatræ interitu, in quam nouiſſima Ptolomæorum apud Ægyptum regna ceciderunt, anno octauo & viceſimo. Olympiadis autem centeſimæ nonageſimæ tertiæ, cum (ſicut dictum eſt) per orbem terræ, firmiſſima pax vigeret, Dominus IESVS CHRISTVS filius DEI natus ex Maria virgine, quæ erat ex ſemine Dauid, ſecundum fideles promiſſiones. Huic enim pax famulabatur in terra. Natus eſt autem octauo Calendas Ianuarii, cum primum incrementa omnia anni virentis incipiunt. In cuius ortu exultantes Angeli, cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis.* Sed de cœlo ad declarandam gentibus gloriam diuinitatis eius, apparuit nouum ſydus. Quod tres Aſtrologi videntes, & tam artis ſuæ peritia quam inſpiratione diuina ſyderis nutum intelligentes, Ieroſolymam venere, dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Quod audiens Herodes, expauit: vtpote quem nulla proſapiæ regalis origo continebat. Et accerſitis legis doctoribus, percunctatus eſt ab eis: vbi Chriſtus eſſet naſciturus? At illi dixerunt: *In Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt in libro Micheæ prophetæ. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis. Et mittens eos in Bethlehem, dixit: *Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Hoc autem dolo dicebat, volens eum interficere; quaſi ipſe eſſet futurus rex, ex ſemine Dauid, qui regnum eius poſſet adipiſci. *Denique viri illi ſtella duce peruenientes ad Chriſti cunabula, inuenerunt eum cum Maria matre eius: & procidentes, adorauerunt eum, apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrhā.* Deuotionis autem ſuæ officio diligenter expleto, ad Herodem redire neglexerunt. Vnde rex magis mala ſuſpicione perterritus: vſus prauo conſilio: miſit & occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem à bimatu & infra. Sperabat enim intra coætaneos pueros puerum Chriſtum interficere. Sed præuenit inſidias regis puer adductus in Ægyptum, angelica reuelatione. Præterea agitabatur funeſtus Herodes ſuſpicione peſſima, per multa flagitia. Nam ne forte ignobilis & ab Iſraelitico ſemine argueretur extraneus, combuſſit omnes libros in quibus nobilitas gentis in templo ſeruabatur aſſcripta, vt deficientibus probamentis, ipſe ad hanc pertinere videretur. Vtque ſuam ſobolem regio Iudæorum generi commiſceret, abiecta Doſide vxore quam priuatus acceperat, ſicut ſuperius dictum eſt, copulauit ſibi Mariagnem, Ariſtoboli neptem, Hircani filiam. Nouem præterea mulieres proceſſu temporis ſibi copulauit, quarum duæ tantum ſine liberis erant, cæteris vero ſoboles ſuppeditabat. Sed inter omnes pollebat Mariagnes excellentiſſimi gratia decoris: vnde diligebat eam impenſiori amore, nec offenſam vole-

bat.

CHRISTVS naſcitur.

bat. Cumulauerat mulieri gratiã numerosior partus. Nã quinq; ei genuerat filios, quorum duo vltra priuatorũ modũ regio cultu celebrabãtur. Suffragio enim erat iuuenibus; Quod iã patre regnante geniti forent: & amor maxime Mariagnes: cuius animũ Herodes in nullo mœstificare volebat. Verum æqua lance odium mulieris, & amor viri aduersum se decertabant. Non enim curabat mulier parem viro refundere gratiam, insolens conscientię, formæ & secura nimium. Quod nihil ab eo qui supra modum diligeret exitii perpeti posset. Habita est & causa, qua iure inflammaretur animus eius, quod Hircanum auũ suum viri sui insidiis compererat extinctum, falso suspectum propter regni cupiditatem, ideoq; nec à conuitio obiiciendorum criminum temperabat. Ferebat autem ista Herodes & tolerabat mulieris indignantis arrogantiam, quod victus miraculo eius insurgere aduersus dilectam nequibat. Verum scena adulterii contexitur: atq; in Mariagnem crimen istius modi componitur. q̃ imaginẽ suã in Ægypto Antonio destinauisset, vt pulchritudinis suæ splendore perstrictũ, excitaret in se viri minime sobriã mentẽ. Nouerat enim illum præruptũ ad libidines, & in oẽs amatorũ cupiditates. Quod audiens Herodes, fugiẽs turpis corruptelæ cõtagium, iussit eam occidi. Sed non multo post secuta est facti pœnitentia: & vbi ira cecidit, furor lasciuæ cupiditatis incanduit, amorisq; passio cõsueti resuscitata est. Itaq; per nõnullos dies Mariagnes illi videri & audiri videbatur, & interdũ cũ illa cõsistere vel cõfabulari. Tãtus erat affectus erga defunctã. Deniq; matri succeſſere filii maternę necis exsecutores, pio erga matrẽ affectu, sed erga patrẽ impio. Nã ad scelus parricidii, nulla digna causa potest prętendi. Crescebat in iuuenib. quotidie cũ ætate malitia. Accedebat etiã eis ex cõiugii societate præsumptio, q̃ alteri Salomes filia, neptis videlicet Herodis; alteri vero Glaphyra Archelai regis Cappadociæ filia nupta manebat. Vnus horũ iuuenum Alexander, & alter Aristobolus nominabatur. Porro Glaphyra muliebriter insolens, omnib. quæ in aula regis erant mulierib. se præferebat, eo quod præemineret illis generis claritate patrẽ. auumq; sibi reges existere; & præcipue Darium Hydaspem materni generis apicem solita iactare, contumeliisque nobilitatis illas afficere. Grauabatur etiam Alexander vxoris insolentia. Aristobolus quoq; frater Alexandri laceſſebat vxorẽ suã, obiectans illi q̃ frater regalis generis fœmina potiretur: ipse vero priuatæ vxoris contubernio degeneraſſet. Quib. pstrictã cõtumeliis vxor Aristoboli, ea quæ audiebat, ad matrẽ cũ lachrymis deferebat. Salome aũt cõperta Regi referebat. Et his nõ mediocriter mouebatur Herodes; sed eo maxime, q̃ cõspirare cũ filiis suis militarẽ manũ & duces exercit⁹, cẽturionesq;, quorũdã iudicio cõpertũ habebat. Itaq; rex ita agitabatur indies, vt nullũ se vitii gen⁹ prętermittẽdũ putaret, nulli crederet, oẽs suspectos haberet. Addebãtur ẽt illi stimuli ab his, qui ei à filiorũ insidiis cauẽdũ crebro denunciabant: asserentes, q̃ vltrices materni exitii manus in eũ armarent. Vnde Antipatrẽ Dosidis supra nominatæ suæ filium cœpit cæteris fratrib. anteponere, & ad sui gratiã liberiore affectu laceſſere. Ardere demũ maiorib. odiis aula regia cœpit, & certamine fratrẽ concuti, dũ indignantur, q̃ priuatæ mulieris filius sibi in regno ortis pręferebatur. At versutus Antipater, quo se inferiorem cernebat materno latere, eo studiosius sese patri cõmendare & fratres cõpositis insimulationib. nõ cessabat latenter appetere. Et primũ quide, exigui tẽporis interuallo: matrẽ suã patris coniugio reformauit. Demũ fretus geminis armis, adulandi, sc. arte & simulandi versutia, ita germanos Aristobolũ & Alexandrũ apud patrẽ cœpit vrgere; vt eis pater immemor humanitatis necem inferret. Erat enim Herodes insimulatis reconciliabilis, amicis incredulus, familiaribus superbus, immitis reis, pauid⁹ ad omnia: vt crebro sedes mutaret, & noctes sine somno duceret. Tandẽ igitur ad vrbẽ Sebastem, quæ nõ longe abest à Cæsarea, Alexander & Aristobolus custodia septi perducũtur: ibiq; patris imperio quasi parricidæ strangulati sunt. Stupebat omnis Syria omnisq; Iudęa & attonitis mentib. tantæ tragœdiæ finis expectabatur. Et quãuis omnib. nota esset Herodis crudelitas, nemo sperabat, q̃ vsq; ad tantũ nefas perseueraret. Antipatri tamẽ cruentus animus nõ est expletus mortib. fratrũ peremptorũ: sed mens impia, postquã non habuit fratres quos odiſſet, patrẽ latenter persequi cœpit. Quib. rex deprehensis, repente illũ alligatũ in vinculis custodia sepsit; ibiq; illũ quinq; dieb. antequam decederet, decollari fecit. Proinde antequã Antipater decollaretur, genuerat Agrippã, qui Herodes cognominatus est; cuius inferius faciemus mentionẽ. Memoratus aũt Herodes rex anno regni sui 37. & à natiuitate Christi 5. imperii vero Augusti Cæsaris 47. ætatis autẽ suæ 70. morbo intercutaneo deprehensus, lecto decubuit. Procedebat in deterius ægritudo, atq; acceſſu temporis asperabatur, quã imbecilla senect⁹ suis incõmoditatib. acerbabat quotidie. Per oẽs deniq;

Obitus Herodis.

neruos & articulos humore pestifero grauabatur. ita vt putrefactis interioribus, à foris etiã toto corpore scaturiret. Sicq; tandẽ miserabiliter morte pessima vitã flagitiosissimã terminauit. Quo mortuo, continuo in amphitheatro de obitu regis factum est indiciũ, & apertis tabulis testamenti, recitatur Philippus heres Trachonitidis regionis & finitimorum locorum. Antiphas vero Tetrarches. Et rex Archelaus: Ita tamen vt ad Augustum deferretur cumulus eius, atq; ad eius arbitriũ firmamentum omniũ dispositionum suarum reseruaretur: ac tum demum testamentũ eius ratũ esset, si Cæsar probasset. Successit ergo Herodi in regno Archelaus filius eius, maiestate quidẽ patre minor, sed vitiis non inferior. Veruntamẽ scelerum suorũ non est impunitate gauisus. Regnauit tamen annis nouem, id est: vsq; ad finem Cæsaris Augusti. Florebant Romę per idem tempus viri insignes: Virgilius, Salustius, Terentius, Horatius, & Liuius Ortensis. Porro Cæsar Augustus liberalibus studiis operam dabat: & erat ad recipiendas amicitias rarus; sed ad retinendum constantissimus. Fuit etiã mitis, gratus, ciuilis animi & limpidi, & toto corpore pulcher. Sed oculis magnis. Sed cùm esset cibi ac vini abstinens, seruiebat tamen libidini, vsq; ad probrum vulgaris famæ. Abiecta quippe vxore Scribonia, amore alienæ coniugis possessus, Liuiam concedente marito sibi coniunxit. Cui Liuiæ è priori marito nati fuerant filii duo: Tyberius & Drusus. Quorũ Tyberium sibi successorẽ reliquit. Sed cũ esset (sicut iã dictum) libidini seruiens, erat tamen eiusdẽ vitii seuerissimus vltor. Auxit deniq; & exornauit Romam ædificiis multis: Isto gloriãs dicto: *Vrbẽ reperi latericiam, relinquo marmoreã.* Imperauit autem annis quinquaginta & sex. Duodecim cum Antonio, & XLIV. solus. Nole morbo interiit; Ingressus annum 77.

Claudius Tyberius Liuiæ filius, Cæsaris Augusti priuignus, ad imperiũ sublimatus, añõ incarnationis Christi 16. imperauit 22. circiter annis. Iste primũ cũ magna modestia reip. præfuit; adeo vt quibusdã sibi suadentib. ad augenda prouinciis tributa, responderit: *Boni pastoris esse pecus tondere, non deglubere.* Apud hunc deniq; Archelaus rex accusatus, q̃ vsurpatione temeraria iã dudũ regimen in Iudæa exercuisset: apud Vienniã Galliæ vrbẽ exilio relegatus est, & opes eius thesauris Cæsaris associatæ sunt, & ad minuendã regni Iudaici potentiã, tres fratres Archelai tetrarchæ sunt constituti, Lysanias Siculus, Philippus & Herodes, qui Antiphas appellatur. Porro iste Philippus tetrarcha vrbem Cæsaream, quæ postea Panea, sed modo Belinas vulgo appellatur, ad radicẽ mõtis Libani ædificauit: vbi Iordanis fontes exoriuntur, & appellauit eã Cæsareã, in honorẽ Tyberii Cæsaris. Nam altera, est illa Cæsarea, quæ in littore maris sita quondã Turris Stratonis appellabatur. Et ipsius Claudii Tyberii Cæsaris anno 12. Pontius Pilatus ab eodẽ Cæsare præses est Iudææ prouinciæ destinatus. Et iterũ anno 15. imperii eiusdẽ Cęsaris, procurante Pontio Pilato Iudæã; tetrarcha aũt Galilęę Herode: Philippo aũt fratre eius tetrarcha Ituręæ & Trachonitidis regionis: Et Lysania Abilinæ tetrarcha; sub principib. sacerdotũ Anna & Caipha; sicut Euãgelica tradit historia, factũ est verbũ Domini super Ioannẽ Zachariæ filium, in deserto, & venit in oẽm regionẽ Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentię in remissionẽ peccatorum. Eodem ẽt anno euangelicã doctrinam inchoauit Dominus noster IESVS Christus, eligens sibi 12. discipulos, quos speciali priuilegio nominauit Apostolos; & habuit inter eos vnũ quo malo bene vtens, vt suæ passionis impleret dispositũ, & ecclesiæ suæ tolerandorũ malorum præberet exemplũ. Quorũ nomina Apostolorũ sunt hæc: Primus eorũ Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius; Iacobus Zebedęi, & Iohannes frater ei9, Iacobus frater Domini, & Thomas, Philippus, Bartholomæus, & Mattheus: Simon Chaneus atq; Taddeus, nec non & Iudas Iscariotes, qui tradidit eũ. Post hæc aũt, assumpsit etiã alios 72. discipulos; quorũ nomina vix inueniuntur: è quib. tamen putatur esse Matthias qui Iudæ successit, vt duodenarius numerus cõpleretur: Et Ioseph, qui vocabatur Barsabas, & cognominabatur Iustus. Cleophas quoque, qui frater esse Ioseph patris Domini perhibetur, & Barnabas, cuius ante meminimus. Philippus aũt rex habebat vxorẽ Herodiaden, Aristoboli filiam: Agrippi sororẽ. Quam cum vidisset Herodes eiusdẽ frater Philippi, in domo eius ausus est eam sollicitare, vt relicto fratre nuberet illi. Quãuis illi foret nupta Arabiæ regis Arethe filia. Quæ ei consensit: & illicito eã sibi Herodes copulauit matrimonio. Verum ita apud Iudæos iam interierat ius sacerdotii, ambitione & auaritia interceptũ, vt nullus hoc facinus auderet redarguere. Sed Ioannes, qui vocabatur Baptista, arguebat eũ dicens: *Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui.* Vnde Rex ira cõmotus, primum quidẽ illum in carcerem posuit, ac demum anno 19. imperii Tyberii Cæsaris decollauit, apud castellũ q̃ Macherontha vocatur. Arethe vero regis filia riualẽ indignata, ad patrem rediit. Porro eodẽ anno quo capite cæsus est S. Iohannes

hannes

hannes Baptista, ipso eodem passus est Ierosolymis Dominus noster IESVS Christus sponte sua, sub Pontio Pilato præside & Caipha pōtifice: vt iusta & recta ratione mundū redimeret. (*Christus crucifigitur.*) Resurrexit aūt tertia die, cum illucesceret Dominica dies, sexto calendarū Apriliū, prima primi mensis: qui Nisan apud Hebræos nominatur. Sed ipsa die qua passus legitur, hora dici sexta sol defecit; & terræ motus factus est: & petræ scissæ sunt, & monimenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorū qui dormierant Ierosolymis surrexerunt, & apparuerunt multis. Velum quoq; templi, quo tegebantur sancta sanctorū, diuisum est; Et Bithinia terræ motu concussa est, & plurima Nicheæ vrbis ædificia corruerunt. Et cū per dies 40. post diē resurrectionis suæ, viuum se Apostolis suis præbuisset, dixit eis: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo baptizate oēs gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare quæcunq; mandaui vobis. Et ecce, ego vobiscū sum vsq; ad consummationē seculi.* Demū vero die 40. ascendit in cœlum, videntibus & admirantib. illis. Et cū intuerentur in cœlū euntē illū, Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestib. albis, qui & dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælū. Hic* IESVS *qui assumptus est à vobis in cælū, sic veniet, quemadmodū vidistis eū euntem in cælum.* Decima aūt die ascensionis suæ misit idē Dominus noster IESVS Christus Spiritū paracletū Apostolis suis, in sancta Pentecostes solennitate. Porro Romanis mos antiquus erat, vt prouinciarū iudices, si quid forte noui in his quas regebāt prouinciis cōtigisset, Senatui scripto nunciarent. Vnde Pontius Pilatus, de his quæ sub eo Ierosolymis gesta erant in hunc modū Cæsari Tyberio scripsit: PONTIVS *Pilatus Claudio suo salutē. Nunc accidit ꝙ & ipse probaui, Iudæos ꝑ inuidiā se suosq; posteros crudeli dānatione punisse. Nam cum promissum haberet patres eorū, ꝙ illis Dominus mitteret de cælo Sanctum suū, qui eorū Rex merito diceretur, & hunc se promiserit per virginē ad terras missurū: Iste me præside Hebræorum Deus cū venisset, & vidissent eū cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, Dæmones ab hominib. fugasse, mortuos etiā suscitasse, imperasse vētis, ambulasse siccis pedib. super vndas maris, & multa alia mirabilia fecisse: Cū omnis populus Iudæorū hunc filium Dei dicerent, inuidiā contra eū passi sunt principes sacerdotū, mihiq; eū tradiderunt; & alia pro aliis mentientes, dixerunt eū Magum esse, & contra legē eorum agere. Ego aūt credidi ita esse, & flagellatū tradidi arbitrio eorū. At illi crucifixerunt eū: & sepulto ei custodes adhibuerunt. Ille vero militib. meis custodientibus eū, die tertia resurrexit. Sed in tantū exarsit nequitia eorū, vt darent eis pecuniā, dicentes: Dicite, ꝙ discipuli eius nocte corpus eius rapuerunt. Verumtamen milites cū accepissent pecuniā, ꝙ factū fuerat, tacere non potuerunt. Nam & illū resurrexisse testati sunt, & à Iudæis se pecuniam accepisse. Et hæc ideo ingessi, ne quis aliter mentiatur: & existimet credendū mendaciis Iudæorū.* Tunc Tyberius Cęsar cū suffragio magni fauoris retulit Epistolam ad senatū, postulās vt Christus Dominus haberetur. Lex enim erat antiquitus designata, *ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus decreto & sententia confirmatus.* Porro Senatus consecrationem Christi recusauit, indignatione cōmotus, ꝙ non sibi secundū morē prius epistola delata fuisset, & edicto constituit; exterminandos esse Christianos ab vrbe. præcipue Seiano vrbis præfecto suscipiendæ religioni Christianæ obstinatissime cōtradicente. Sed Cęsar super hęc indignatus, cōminatus est mortē accusatoribus Christianorū. Ab illa deniq; die cœpit immutari Cæsaris laudatissima prius modestia in pœnā contradictoris Senatus. Nam non multis diebus interpositis, plurimos senatorū proscripsit & ad mortē coegit. Viginti sibi patricios viros cōsilii causa delegerat, quorū vix duos reliquit incolumes. Seianum quoq; præfectū suū, res nouas molientē interfecit. Drusum ēt & Germanicū filios suos, quorū Drusus naturalis filius, Germanicus vero erat adoptatiuus, veneno perdidit. Sed & filios Germanici interemit. Sicq; contigit, vt qui spreuerant Christo saluatori, Cæsare proprio punirentur. Verū hoc, quod Senatus Christi consecrationē recusauit, diuina dispensatione factū est: ne Christus putaretur humanis assertorib. indigere. Interca vero Hierosolymis apostoli Matthiā Apostolum ordinauerunt. Crescente quoq; demū in eadem numero fidelium: Ordinantur ab eis Diaconi septē, per orationem & manus impositionem. Quorum nomina sunt hæc; Stephanus, Philippus, Prochorus, Nichanor, Thimo, Parmena & Nicolaus, aduena Antiochenus. Ab hoc Nicolao orta est hæresis, quæ appellatur Nicolaitarum, cuius mentio in apocalypseωs Iohannis libro continetur. Hic quippe Nicolaus, cūm ad prædicādum fuisset profectus, pulcherrimā secum ducebat vxorē. Sed cū quadam die à sociis suis de Zelotypia increparetur, produxit eā in medio, vt si quis vellet, ea vteretur. Quod tamen fecit potius ex contemptu libidinis, quā intentione hæreticæ prauitatis. Verūmtamen hac occasione quidam Hæretici putant, vti posse legitime delectatione carnali, & absq; vlla reuerentia promiscuos & illicitos concubitus expetunt, eius dictum & factū nequiter pro sua libidine

suscipientes. Proinde cum prædicatio verbi Domini iam succresceret, & procul per diuersas prouincias sese diffunderet, Philippus descendens in Samariam, prædicabat ibi verbũ Dei. Erat tunc in ciuitate magus quidã nomine Simon, populũ seducens Samariæ, qui virtus Domini ab eis vocabatur. Sed hic videns signa quæ faciebat Philippus, credidit, & baptizatus est ab eo. Post paucos vero dies peruenerunt ẽt ibidẽ apostoli, Petrus & Iohannes. Qui cũ imponerẽt manus suas super capita credentiũ, accipiebant Spiritum sanctũ. Quod cernẽs Simon, obtulit Apostolis pecuniã, dicens: *Date mihi hanc potestatẽ, vt cuicunq; imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Cui Petrus respondens, dixit: *Pecunia tua tecũ sit in perditione, quoniã donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars neq; sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectũ coram eo. Sed in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Quibus verbis Simon confutatus, & malæ mentis cõscientia intrinsecus transfossus recessit: verbi diuini fulmen ferre nõ præualẽs. Hæc est hęresis quę radice pestifera prima surrepsit in ecclesia Christi. Nã huius crimine Simonis maculantur oẽs qui sacros ordines pretio consequuntur. Gemina quoq; damnatio est in vno eodemq; delicto: vendentis scil. & ementis. Circa hos deniq; dies Paulus, vas electionis, per reuelationẽ Domini nostri IESV Christi, asciscitur in apostolatũ. Proinde diuinæ incarnationis anno 37. Stephanus, protodiaconus, cuius supra meminim⁹, Ierosolymis lapidatus est à Iudæis. Mota est ẽt persecutio magna in illis diebus, aduersus discipulos Christi. Et tunc prædicaturi per totũ orbẽ terrarũ apostoli, Iacobum, qui appellatur frater Domini, Hierosolymis patriarchã ordinauerunt. Iste est Iacobus, filius Alphæi & Marię sororis matris Domini, qui ẽt iustus cognominabatur. Huius etiã Iacobi est vna de septẽ epistolis apostolorum, quas Canonicas appellant. Et huius fuit frater Taddeus Apostolus, qui & Iudas appellatur, quiq; aliã de eisdẽ septẽ epistolis legitur edidisse. Reliquarũ vero epistolarũ illarum, sunt Apostoli Petri duæ, & Ioannis Apostoli & Euangelistæ tres. Duodecim igitur ab inuicem segregati, dispersi sunt per regiones Iudęæ & Samariæ, ac demũ abierunt ad Gentes, Euangelizantes & Baptizantes vbiq;. Fiebant ẽt signa & prodigia magna per manus eorũ. Vnde quotidie multitudo credentiũ augebatur: ita vt videres vna allocutione integros simul populos ad cultũ diuinæ religionis adduci. Et Petrus quidẽ Põtũ ac Galatiã, Bithyniã ac Cappadociã sua suorũq; perlustrauit prędicatione discipulorũ. Paulus vero ab Ierusalẽ vsq; ad Illyricũ, sua repleuit salutari doctrina. Tunc quoq; cæteri Apostoli singulas adierũt prouincias. Andreas videlicet Achaiã, Thomas Indiam, & Iohannes Asiã, vbi & defunctus est. Porro illi qui ad fidẽ Christi conuertebantur, & baptizabantur, non Christiani, sed discipuli tantũ cognominabãtur: nec erat vlla nominis distinctio inter cuiusdã Dosithei siue Theodæ, siue Ioannis Baptistæ, Christiq; discipulos, sed æqualiter oẽs adhuc discipuli dicebantur. Sed florentissima apud Antiochiã Ecclesia cõgregata prima Christi discipulos cœpit appellare Christianos, discernẽs eos a cõmuni præfatorũ vocabulo discipulorũ. Sicq; adimpletũ est Isaiæ vaticiniũ, quo scriptũ est: *Seruientiũ mihi vocabitur nomẽ nouũ.* Interea vero Aprippa, qui cognominabatur Herodes, Aristoboli filius, cuius præcedenti sermone meminimus, ad Cęsarẽ ambulauit, cupiens aduersus Herodẽ tetrarchã iudicio decertare. Sed spretus à Cęsare diu Romæ degit, vbi ascıuit plurimos sibi ad amicitiã. Inter quos maxime Gaiũ Germanici filium, Cæsaris ꝓpinquũ, quodã mentis præsagio specialiter excolebat. Accidit ẽt, vt quadam die manib. eleuatis deprecaretur, vt Tyberio mortuo, præfatũ Gaiũ adolescentẽ videret imperatorẽ. Quo prodito ꝑ Euericũ, libertũ suũ, iussu Tyberii in vincula ducitur, & grauib. modis excruciatur; nõ antedimissus, quã Tyberius diẽ clauderet extremũ. Et cũ defecisset Claudius imperator, memorat⁹ Gaius ei successit. Nã cũ immani furore suos pariter & externos puniret, anteq̃ decederet, Claudius imperator, resolutis militiæ artib. in vrbe Roma: Armenia per Parthos, Mesia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentib. direptæ sunt. Demum vero cum imperasset annis 22. 88. vitæ suæ anno, insidiis Gaii Caligulæ extinctus est.

De S. Petro & cæteris Apostolis, quomodo diuersi sunt.

Gaius ergo Caligula, imperator creatus anno incarnationis diuinæ 38. imperauit annis tribus & mensibus 10. & diebus 11. Iste fuit filius Germanici. Et quia in exercitu natus fuerat, cognomentũ calciamenti militaris, id est, *Caligulæ* sortitus est. Hic primo imperii sui anno Iudæorũ regnũ tradidit præfato Herodi Agrippæ, Aristoboli filio; Tradens illi Philippi Lysaniæ, & Herodis tetrarcharũ tetrarchias: & Herodẽ tetrarcham incestũ atq; crudelem, qui decollauerat Ioannem Baptistam, & Dominum IESVM Christum veste alba indutũ remiserat ad Pilatum, honore spoliatum vna cum Herodiade adultera æterno condemnauit exilio. Puellam quoq; quæ saltauerat in decollatione sancti Ioannis, viuã terra deglutiuit.

Præses

Præses etiam Pilatus non remansit impunitus, sed apud Viennam Galliæ vrbem exiliatu propria manu se interfecit. Verum Pilato successit Fœlix. Et factus est procurator Samariæ & Galilææ, totiusque prouinciæ quæ trans Iordanem iacet. Sed & (sicut dictum est) memoratus Herodes, qui & Agrippa nominabatur, regnum Iudæorum à memorato suscepit Augusto. Vnde idem Herodes Agrippa ædificauit Samariam inter Iudæam & Galilæam, & appellauit eam Sebastem, id est: Augustā, in honorē Gaii imperatoris. Ante enim vocabatur Sichē. Est autē posita in vertice montis Somer, iuxta sepulchrum Ioseph. Hac præterea tempestate Matthias Apostolus, his qui in Ierusalem Christum crediderant ex Iudæis, Euangelii librū in Iudæa Hebræo sermone conscripsit. Interea vero Cęsar magno & incredibili apparatu profectus quærere hosticis virib. Germaniā, Galliamq; percurrēs, in ora oceani, circa prospectū Britanniæ, Belinum Britannorū regis filium tyrannū in deditionem suscepit. Indeq; deficiente belli materia, Romam rediit. Iisdē etiam diebus, Iudæi apud Alexandriam seditione excitata: sede profligati & vrbe eiecti: expromendarum querelarum causa miserunt ad Cæsarem Philonem, quendā virum Iudęum eloquio affluentissimum, & in sensibus profundissimū; pariterq; interpretatione atq; intelligentia diuinarum scripturarū subtilissimum. Verum Cæsar spreuit eius legationē, quoniā Iudæis erat infestissimus. Iā enim Iudæos vbiq; pro cōmisso scelere in Ierusalem in Dei filium, vltio diuina damnabat. Tunc Philo egressus à Gaio, circumstantibus ait: *Bono animo nos esse conuenit, quibus iratus est Gaius. Necesse est enim adesse diuinum, vbi humanū cessat auxiliū.* Demum vero ille Cęsar templū, quod erat Hierosolymis, iussit profanari sacrificiis gentilium, Iouis statua ibi collocata. Se quoq; fastu superbo, vt Dominum cœli & terræ coli & adorari præcepit. Et cum esset flagitiosissimus, sorores suas libidine cognitas exilio condemnauit. Obscœnitate deniq; morum omnibus odibilis factus, à suis protectoribus, id est: à Prætorianis militibus est occisus, anno vitæ suæ sexagesimo quarto.

Claudius Tyberius, Caligulæ patruus à Romanis militibus post necem Caligulæ, ad imperium sublimatus est. Anno incarnationis Dominicę quadragesimo tertio. Imperauit annis tredecim, & mensibus octo. Hic vtilem se ostendere reip. cupiens, bellū vndiq;, & victoriā vndecunq; quæsiuit. Itaq; transuectus est in Britanniā, & expeditione commota, Insulam illam inuasit: Quam nec ante Iulium Cæsarem, nec post eum quisquam adire ausus fuerat. Recepit denique sine vllo prælio ac sanguine intra dies paucissimos eiusdem Insulæ partem in deditionem: Orcadas etiam Insulas vltra Britanniam in Oceano positas, Romano adiecit imperio. Quibus patratis sexto quo profectus est mense, Romam rediit. Filioq; suo Britannici nomen imposuit. Quod bellum anno imperii sui quarto peregit; qui est annus ab incarnatione Domini quadragesimus sextus. Hoc etiam anno fames grauissima per Syriam & Palestinam facta est; quę in actibus Apostolorum per Prophetam Agabum prædicta esse legitur. Discipuli autē qui Antiochiæ erant diebus famis, ex his quę habebantur, pro viribus suis ministrauerunt sanctis qui erant Hierosolymis, per manus Barnabę & Pauli. In illo quoq; tempore Herodes rex, qui, sicut sæpe retulimus, Agrippa cognominabatur, misit manus vt affligeret quosdam de Ecclesia, & interfecit Iacobum fratrem Ioannis gladio. Demū videns, quia placeret Iudæis de Iacobi nece, apprehendit Apostolū Petrum, & proiecit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo; quod & fecisset, nisi sancto Apostolo diuinum auxilium affuisset. Angelus enim Domini illum à compedibus soluit, & illæsum abire fecit. Sed non post multos dies, cum idem Herodes ad Cęsareā descendisset, & in honorem Cæsaris solenniter spectacula populo celebraret, ibiq; acclamaretur Deus, Et ille immemor humanæ naturæ acclamationē illicitæ adulationis non reprimeret, statim ab Angelo percussus est. Vnde graui infirmitate concepta, cū iam toto corpore tumens deficeret, respiciens ad amicos suos, ait; *En ego ille qui modo dicebar Deus, nunc mortis nexibus merito constringor.* Mortuus est igitur quinquagesimum ætatis agens annum, regni vero sui septimum. Quorum tribus regnauit sub Gaio, & quatuor sub Claudio; cui successit Agrippa filius eius. Igitur primus alienigenarum apud Iudæos ille regnauit Herodes, qui pueros interfecit: Et huic successit Archelaus filius eius. Et Archelao frater eius Herodes tetrarcha, qui decollauit Iohannem Baptistam, & Dominum nostrum IESVM Christum veste alba indutum remisit ad

Pilatum. Huic quoq; successit Herodes Agrippa, Aristoboli filius, qui interfecit Iacobum fratrem Iohannis, gladio. Et post hunc regnauit Agrippa, cuius modo meminimus, qui vsque ad extremum templi perdurauit excidium, Romanis semper amicus: & ab omni illa Iudæorum seditione tutissimus. Claudii Cæsaris præterea temporibus Simon Petrus ab Antiochia Romam venit: vt Dominam orbis Romam ipse per se princeps Apostolorum conuerteret. Decebat enim, vt quæ erat magistra erroris, summi discipuli fieret discipula saluatoris. Quo cum venisset, Saluatoris fidem, quam verbo docuit, potentissimus etiam virtutibus approbauit. His quoque diebus Marcus, eiusdem Apostoli Petri discipulus, qui primus Alexandrinæ Ecclesiæ fuit Episcopus, martyrium consummauit. Hic est Marcus, qui Euangelii librum composuit, sed in eo non ea quæ vidit; verum ea quæ magistrum audierat prædicantem narrauit. Veruntamen Claudius imperator libertorum & coniugis imperiis subditus, cum deficeret; Britannicum filium suum vxoris Agrippinæ persuasionibus exsortem Romani faciens imperii: Neronem maritum Octauiæ filiæ suæ designauit imperatorem, sicque prælatus est gener filio ordine præpostero. Mortuus est autem anno vitæ suæ sexagesimo quarto.

Nero igitur quintus ab Augusto Romani imperii dignitatem adeptus, incarnationis IESV Christi anno quinquagesimo septimo, imperauit annis tredecim & mensibus octo. Iste quinquennio valde modestus fuit. Huius denique primo imperii anno, Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotium suscepit Amanus, post Marcum Euangelistam. Is etiam imperii sui anno secundo Festum Iudææ procuratorem fecit; apud quem Ierosolymis causa dicta est. Paulus Apostolus Romam vinctus dirigitur, & ibidem per biennium, sicut Lucas testatur, in libera custodia retinetur. Inde quoq; postmodum Dei prouidentia relaxatus, Hispaniam adiit. Et Arelatæ Trophimum. Viennæ vero Crescentem, discipulos suos Gentibus ad prædicandum reliquit. Sed inde ad supradictam vrbem reuersus, tentus est & in vinculis positus, & inde secundam ad Timotheum scripsit epistolam. Huius præterea Pauli sunt quatuordecim epistolæ, quæ post septem canonicas epistolas in Ecclesia recipiuntur. Decem scilicet ad Gentes, & quatuor ad discipulos singulariter scriptæ: ad Romanos videlicet vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas vna, ad Ephesios vna. Ad Colossenses vna, ad Philippenses vna, ad Thessalonicenses duæ. Et ad Hebræos vna. Ad præfatum quoque discipulum eius duæ: ad Titum vna: & ad Philemonem vna.

Anno præterea septimo imperii Neronis, Iacobus frater Domini, cui Ierosolymis delata ab Apostolis fuerat sedes Episcopalis; a Iudæis lapidatus, & pertica fullonis est excerebratus. Per idem quoq; tempus Festo Iudææ procuratori, successit Albinus. Et Albino, Florus. Florus autem iste præsente Beronice regis Agrippæ sorore, quæ ad templum religionis causa venerat, honorabiles viros Hierosolymis, die solenni, flagris verberauit & patibulis subfixit; vt Iudæorum pertinaciam hac contumelia penitus annihilaret. Quod non ferentes Iudæi, contra Romanos rebellare cœperunt. Ad quos domandos mittitur à Cæsare Vespasianus Magister militiæ Romanorum. Titum filium suum maiorem habens inter legatos. Nam Cæsar Nero in re militari nihil audebat: delitiis, luxu, lasciuiaque resolutus. Circa hos denique dies Simon magus, cuius ante meminimus, Romam venit; & ita magicis artibus populum dementare cœpit; vt à nonnullis adoraretur vt Deus. Qui etiam Neronem imperatorem ita sibi conciliauerat, vt apud eum summum teneret amicitiæ locum. Et ipse quidem se Iouem credi volebat. Sylenem vero quandam meretricem, quam sibi sociam scelerum suorum fecerat, Mineruam esse dicebat: suamque & eiusdem meretricis imagines tanquam Deorum simulachra adorandas, publice regia fultus authoritate, præcipiebat. Sed Deus omnipotens per Apostolum suum Petrum vanitates eius & insanias detexit. Simon magus tamen, quamuis in aliis terrarum partibus Petri potentiam esset expertus: ausus est iactare, quod mortuos resuscitaret. Defunctus erat illo in tempore adolescens nobilis, propinquus Cæsaris. Admonuere plerique experiendum, vtrum posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus. Sed apud Gentiles nulla facti huiusmodi deferebatur fides. Dolor tamen exegit remedium. Perrectum est igitur ad Petrum. Fueri qui etiam

Simo-

Simonem accersendum putarent. Affuerunt vtrique. tunc ait Petrus Simoni: quod de sua se iactaret potentia, priores partes sese dare; vt si posset, mortuum resuscitaret: & si non resuscitasset ille, se non defuturum, vt Christus ferret opem defuncto, quo posset resurgere. Tunc Simon qui putaret apud vrbem Gentilium suas artes valituras plurimum, conditionem proposuit: vt, si ipse resuscitaret mortuum, Petrus occideretur. Si vero præualuisset Petrus, in ipsum pari genere vindicaretur. Acquieuit Petrus. Assensit concio. Adorsus est prior Simon, & accessit ad lectulum, incantare & murmurare dira cœpit carmina. Tunc visus est caput agitare qui demortuus erat; & subito ingens gentilium clamor exoritur, quod iam viueret, quod iam cum Simone loqueretur. Ira & indignatio in Petrum, quod ausus esset se conferre Simoni. Sed Petrus poposcit silentium, & ait: *Si viuit defunctus, loquatur. Si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur. Phantasma illud esse, non veritatem, quod videatur caput mouisse.* Deinde inquit: *separetur à lectulo Simon.* Abducitur a lectulo Simon: & remanet immobilis qui mortuus erat. Tunc astitit Petrus longius, & voce magna dixit: *Adolescens surge: resuscitet te Dominus IESVS Christus.* Qui statim surrexit, & locutus est: ambulauit, & cibum sumpsit & cum matre sua recessit. Et cum populus in Simonem impetum faceret, vt lapidaretur, ait Petrus; *Sinite eum; satis est ei ad pœnam, quod cognoscit suas artes nil valere. Viuat: & Christi regnum crescere videat vel inuitus.* Torquebatur Magus Apostoli gloria: & colligens populum, offensum se dicit à Galilæis: relicturum vrbem quam tueri solebat. Diem statuit, pollicetur volatum, quo supernis sedibus inueheretur. Et cum iam volaret, mirari cœpit populus & venerari. Tunc Petrus in medio stans, ait: *IESV Christe Domine, ostende ei vanas esse artes suas, ne hac specie populus qui in te crediturus est, decipiatur.* Et statim in voce Petri corruit Simon ab alto: confractisq; cruribus mortuus est. Tunc Nero dolens se deceptum & destitutum, iussit vt comprehenderetur Petrus Apostolus. Dato deniq; die, quo comprehenderetur Petrus, rogabatur à fidelibus vt se alio transferret. Resistebat ille, dicens: nequaquam se facturum, vt tanquam metu mortis territus, cederet: qui multos doctrina sua compulerit subdere se morti pro Christo, qui pati voluit pro peccatorib. Hæc dicente Petro instabat plebs lachrymis multis: quib. flentibus victus Petrus, promisit se vrbe esse egressurum. Et proxima nocte, salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficiscebatur solus. Sed vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum, ait: *Domine quo vadis.* Et respondit ei Iesus: *Venio Romam, iterum crucifigi.* Intellexit Petrus de sua passione hoc dictum, quod in eo Christus passurus videretur: Qui patitur in Sanctis suis non corporis dolore, sed quadã compassione misericordiæ. Et conuersus rediit in Vrbem, moxq; captus a persecutoribus, cruci adiudicatus est. Crucifixus est ergo Petrus capite deorsum. Paulus vero, qui dudum vinctus tenebatur in eadẽ vrbe, capite truncatus est, ipsa eademq; die. Sed horum & cæterorum actus Apostolorum Lucas modo dicti Apostoli Petri discipulus, lucido disertoq; sermone conscripsit. Hic etiã Lucas Euangelii librũ secundum traditionem Apostolorũ composuit. Porro Cæsar Nero sicut hostis Iustitiæ & æquitatis, primus in Christianos persecutionẽ excitauit. Qui etiã tam effrenatæ petulantiæ fuit: vt nec a matre nec à sorore cupiditates suas compresserit; quarum parricidio demũ sceleratior fuit. Nam matrẽ, fratrem, sororem, vxorem & omnes pene cęteros propinquos suos crudeliter interemit. Occidit præterea plurimos senatorum: & poetam Lucretium, & Senecam præceptorem suum. Fecit incendium vrbis, vt similitudinẽ ardentis Troiæ conspiceret, per sex dies, & per septem noctes, eius pauit aspectũ. Quod ex altissima turre prospectãs, lætusq; flammæ, vt aiebat, pulchritudine, tragico boatu Heliadã decantabat. Sed dũ hæc & alia multa mala, quæ recensere nimis longum est, reipublicæ irrogaret: Galba imperator in Hispaniam est creatus. Et Nero Romæ tam ab vniuerso populo, quam à senatu publicus hostis iudicatus est; vt qui sacrilegio, fidem: parricidio pietatem: incesto pudicitiam violauerat. Ipsamq; potentiam Romani imperii, vel officia siue negotiam improbissimis libertorum commiserat. Cum enim ipse fidem nulli seruaret, omnes suspectos habebat. Duobus tamen nequissimis Nimphidio & Gemellio se credendum putauit. Quos vilis conditio sibi obnoxios fecerat. Verum ipsi exemplum crudelitatis eius quandoq; perhorruere. Nam quod quosq; sibi coniunctissimos interemerat, ca-

uere sibi & præuenire voluerunt,quod metuebant. Ambo igitur,facta cum cęteris cōspiratione,parricidam deseruerunt. Itaq; desertus ab omnibus suis,fugit ex vrbe & seipsum interfecit. Proinde sub Nerone pollebant Romæ,Poetæ,Lucanus & Ouidius. Et Satyrici,Iuuenalis,Persius & Seneca Tragicus. Philosophi,Mosonius atq; Plutarchus. In Romana vero sede post Petrum Apostolum sedit Linus Episcopus: Adhuc tamen Nerone superstite,Galba in Hispania est creatus imperator. Periit vero Nero ætatis suæ anno tricesimo secundo. De cuius morte Romana plebs ita exultauit, vt induta pileis,tanquam sæuo exempta Domino triumpharet.

Galba igitur postquam Nero dignum meritis suis vitæ exitium tulit, Romam venit. Imperauit mensibus sex,& diebus totidem. His tamen diebus auaritiæ & segnitiei deditus,Pisonem nobilem & industrium adolescentem sibi in filium adoptauit. Sed hos ambos Otho Romæ in medio foro interfecit. Sicque inter tumultus & cædes Romanum inuasit imperium.

Otho proinde Saluius, splendidis ortus parentibus, ex oppido Ferentino,imperauit mensibus tribus. Contra quem à Germania veniens Vitellius,Lucio Vitellio ter consule natus,dimicauit. Sed cum animaduertisset Otho suos vinci in prælio,seipsum interfecit,sicq; Vitellius,Romam victor intrauit.

Vitellius igitur imperauit mensibus octo. Interea vero Vespasianus debellabat prouinciam Iudaicæ gentis. Conualuit itaq; in exercitu rumor ciuilium bellorum; Et de Galbæ & Othonis nece manifestum est,deq; imperio Vitellii,qui nequior superioribus quasi fex resederat. Tunc conferre secum viri veteris militiæ cœpere,& indigne ferre se primos ad pericula & vltimos ad honorem: quod ab inferioribus Dominos acciperent. Addebant etiam esse sibi virum strenuum, Vespasianum, quem eligi decuerat imperatorem: æui maturum ad consulendum, & iunioribus validiorem ad præliandum. Adoriuntur itaque Vespasianum, rogantque, vt gubernaculum Romani suscipiat imperii. Ille abnuere ac se indignum dicere, illi pronius instare. Vrgebant illi milites: insistebant duces. Cessit igitur Vespasianus inuitus, & prius curam quam honorem induit Imperialem. Vsusque sapienti consilio: vna cum filio Tito à Iudæa exiens, festinauit Alexandriam. Sciebat enim illic inesse maximas curas Romanæ reipublicæ. Conuento denique Tyberio Alexandrio, qui Romanis militibus ibi militantibus præsidebat: & compositis erga se rebus suis, prospere venit Antiochiam. Ibique tractatu habito Mutianum quendam exercitus sui ducem, cum magna parte militum, & non modico pedestri exercitu, transmisit ad Italiam. Ipse vero per Cappadociam & Phrygiam iter duxit. Romæ vero Vitellius positus, omnis magnitudinis, nominis, & maiestatis oblitus conuiuiis inhiabat: sed excitatus sinistro nuncio, Cecinam quendam ducem exercitus sui misit; eique summam sui commisit periculi. Ipse vero luxuria marcidus tabescebat. Porro Cecina Roma progressus, vbi cognouit præualidam manum aduentare cominus,strenuam bellis & exercitatam triumphis: seque contra viribus imparem, conuocatis centurionibus suis, suadet bello desistere: *Quod viribus essent inferiores, & gloria imperatoris præponderaret. Vespasianum multis sæpe enituisse: Vitellium vino sepultum, nihil aliud expectare, nisi vt cum hostis aduenerit, ebrius pereat sine sensu doloris. Vicerit Othonem vitiis parem: aduersus eum nunc esse negotium, qui pene totum triumphis suis cinxerit orbem. Omnibus populis iudicia sua reprehensa propter electi flagitia.* Demum vero cum Cecina pugnare metuit, & moras innectit: repente dux partis aduersæ, Antonius nomine, iuxta Cremonam ei occurrit. Consertoq; prælio Cecina superatus est; Et ceciderunt ex eius exercitu plusquam triginta millia. Quod postquam Vitellius comperit, primum deponere molitus est imperium: sed post a quibusdam animatus,Sabinum Vespasiani fratrem,nil mali suspicantem,interfecit. Domitianus vero Titi frater iunior Capitoliū occupauit,moxq; Vitellius Capitolium incendit. Post diem autem alterum Antonius adest. Occurritur è diuerso,trinoque circa vrbis mœnia congressu habito, fusi sunt & cæsi omnes Vitelliani. Deficientibus itaq; Vitelliani partibus:cum se in quandam Palatio proximam cellulam Vitellius intrusisset:turpiter inde pertractus, & excruciatus in forum deducitur,& ibidem occiditur. Demum etiam colligatus, & vnco in Tyberim tractus,communi caruit sepultura.

Vespasi-

Vespasianus igitur illa turbida Tyrannorum turba discussa, imperium adeptus, anno Incarnationis Domini septuagesimo primo. Imperauit annis nouem, mensibus vndecim, diebusque viginti duobus. Hic multis Iudæorum oppidis captis, sicut superius dictum est, audita morte Neronis, hortatu militum imperator effectus, reliquit Titum filium suum, ad procurationem obsidionis Hierosolymorum: vt & Romanis non deesset, nec Iudæis, quem filius repræsentaret.

Præterea vero cum apud Iudæos corrupta essent legis iura, & violata religio, deseruit eos diuina prouidentia: Et non solum illos vrgebant Romani, sed & ipsi inter se domesticis seditionibus laborabant. Cuius seditionis erant duo principes. Quorum vnus erat Iohannes quidam vir leuis, populi lues: dolis nulli versutorum secundus: quippe cui nunquam defuit nocendi affectus. doli callidus, fallendi artifex: doctus mendaciis quærere fidem, & credulitatem compositis asciscere mendaciis. Qui fallaciam virtutem putaret, & elegantiæ duces karissimos circumuenire.

Vltimum excidium Iudaicæ gentis & templi.

Promptus ad conspirandum & vehemens ad audendum, acer ad efficiendum; cui etiam erat inquietus animus: prompta audacia; quam processus alebat; & opes ad consociandam proditorum manum. Alter vero erat Simon, non impar crudelitate, sed tamen opum quantitate inferior. Et ipse erat durus, immitis, & qui nullo affectu ad pietatem flecteretur, quique nil carum vel sanctum haberet. Ambo tamen sub obtentu conseruandæ libertatis sæuiebant. Feruebant etiam in populo, studia diuersa. Alii quippe sectabantur luxuriæ effusiones & vnguentorum odores. Alii vero calamistris crispabant capillos, & stibio depingebant oculos, & muliebri amictu induebantur. Alii quoque non solum ornatum mulierum, sed & mollitiem affectabant. Nam viri muliebria exercere, vocem effæminare, illicitis passionum generibus sexum dissoluere, fracto gressu incedere, comam pascere, vultum dealbare, genas pumicare, barbam vellicare. In hac tamen dissolutione exercere se, vitium intolerabile. Subito enim momentanei bellatores, reconditos sub chlamydibus gladios exerebant. Deniq; versabatur inter eos seditio, pax sepulta erat: fides arebat, crudelitas vigebat. Præfati etiã principes dum sibi inuicem aduersarentur, diuersis populũ conditionibus fatigabant, & terrificabant modis nequissimis & iniquis. Et primum quidem publice dehonestabantur regalis generis viri, aut vinciebantur, vt cæteri terrerentur. Alii quoq; falso crimine afflicti, in carcere positi, iugulabantur, vt sæuientium principũ nequitia velaretur. Fingebantur itaq; calumniæ. Qui se redimebat, innocens erat: Qui non offerebat pecuniam, tanquã reus feriebatur. Regnabat quippe inter eos misera fames pecuniæ, quæ nihil sequendum putat, nisi quod ad præsens lucrosum est, nihil honestum quod pecunia sit vacuum. Et hęc passio generaliter inflammauerat omnes ad exercitium flagitiorum. Sacerdotes quoq; peregrini ab ipsa legis cognitione, qui contra sua merita [illegible] sacerdotii dignitatẽ, ad omne nefas arbitrio nequissimorum principũ, [illegible] vulgus subiiciebantur. Sicq; pariter principes atq; sacerdotes solutionẽ [illegible] operabantur. Similitudo enim morum voluntati societatem operatur, [illegible] sibi facile connectuntur. Et dum hæc Hierosolymis agerentur, Titus [illegible] triumphi, cum valida manu ab Alexandria est reuersus. Et per de[illegible] peruenit ad Aschalonem, & inde in Iopen. Sicq; peruentum est in Cæ[illegible] per commoratus, congregauit militum manum, quæ adhuc in hybernis [illegible] cum iam hyemis asperitas deficeret: assumptis secum militibus numero [illegible] exit exploratum equitatu ante vrbem Hierosolymorum, loci situm, munim[illegible]ue qualitatem, & murorum altitudinem, & studia plebis. Inspexit igitur totum [illegible] ambitum per circuitum, & in crastinum existimauit ad[illegible] obsidionem. Obsedit ergo eam die solenni Paschæ, quo frequens eo con[illegible] Iudæorum; iusto scilicet Dei iudicio tempore vltionis electo, vt qui [illegible] Paschæ Saluatorem nostrum cruentis manibus, & sacrilegis vocibus in[illegible] ipsis etiam diebus velut in vnum carcerem conclusi, feralis pœnæ [illegible] quod merebantur exciperent. Sed vbi hostis adesse visus est; domesti[illegible] sunt ciuilium bellorum certamina. Plerunq; enim acerba odia metus [illegible]. Denique cohortati sunt se inuicem factionum viri, vt in vno conspirantibus studiis patriam defensarent: ne eorum discordia incruentam Romanis

daret victoriam. Freti igitur numero hostem subito adoriendum putarunt, & improuisa eruptione primos turbauere. Sed Romani vsu veteri & diuersorum generum prælijs exercitati, sese armis confirmauere, & ordine suo nixi, incursantes cœperunt cædere; scutis repellere: perturbare iactu telorum, non sine communi exitio. Nulla intermissio, nulla requies: Nullæ dabantur induciæ: momentis omnibus dimicabatur. Iohannes cum suis in castro, cui nomen est Antonia prœliabatur. Simon vero ad cuiusdam Iohannis sepulchrum vicem tuendæ vrbis susceperat. Et Iudæis quidem pro salute; Romanis vero pro victoria certamen erat. Simon vero vrgebat suos terrore & formidine: Titus vero Romanos, sui pudore quam maxime conueniebat. Iudæis audaciam desperatio dabat: Romanis gloriæ cupiditas virtutem addebat. Titus militem monebat consilio pugnare, & eam solam dicebat esse *virtutem, cui comes est prouidentia. Fortitudinem autem sine consilio, videri temeritatem.* Cæsi sunt multi mortales; admouentur denique arietes, quibus ferirentur valida murorum. Quibus quatientibus paulatim cedebat murus. Vnde ipsum maiorem arietem appellabāt Iudæi vrbium excisorē. Soluta itaque parte murorum dereliquerunt Iudæi propugnacula primi muri, & accessere ad murum secundum, securi quod duos alios muros interiores haberent. Fugientibus Iudæis Romani ingredientes portas apernere. Tunc intromissus exercitus diruit murum exteriorem, ne bellantibus Roman s esset impedimento, & rebellantibus Iudæis defensaculum ad salutem. Bellum rursus accenditur, imminebant partib. duces. Erat ciuitas plena horroris. Vbique luctus, pauor vbique. Clamor mulierum, eiulatus senum; morientium gemitus, viuentium desperatio. Nec humare quenquam vlli vacabat, dum bello occuparentur vniuersi; feriendique magis quam humandi cura tenerentur. Omnes igitur cæsorum artus diro fœtebant odore. Denique Cæsar iubet admoueri arietem ad murum secundum. Iudæi vero ad exurendas machinas ignes iaculabantur, Tandem tamen vi insistente Cæsaris, solutus est murus secundus. Vnus iam murus, hoc est: tertius supererat, duobus subuersis, cum Cæsar temperari milites iubet, aduertens præcipitem pertinaciam Iudæorum, & studet operibus admiscere sermonem: ne forte per desperationem peruicacius vterentur. Suadet ergo, ne se vrbis incendiis inuoluerent, sed permitterent eam suæ potestati, quæ armis iam teneretur, & circumdata obsidione premeretur, promittens credentibus veniam se præstaturum, si modo vel sibi vel patriæ consulerent, ne tanta ciuitas dirueretur. Verum arbitros & incentores seditionis magis scelerum pœna, quam aduersa belli terrebat fortuna. Populi tamen pars non modica ad Cæsarem erumpere cupiebat: sed crudeles principes seditionis retractantes quæ in plebem grauibus perpetrauerant flagitiis, dum nullum veniæ locum sperarent perire cum omnibus malebant Cæsar ergo post triduum, quia nihil à Iudæis pacificum deferebatur, gemino agmine mœnia aggreditur, & duos aggeres attolli imperat. Vnum contra Antoniam, & alterum contra murum, qui erat ad Iohannis sepulchrum. Tunc etiam e diuerso distribuit sibi Iohannes & Simon officia defensionis; & omnes obsidentium conatus, quibus generibus defensionum poterant, eludebant. Interea clausis insuderat se miserabilis fames, & frumentum non inueniebatur. Nullus panis in publico ferebatur. Si cubi repertum fuisset, illico domus expugnabatur: ædium dominus iugulabatur, auferebatur quod occultauisset. Sin repertum fuisset, quasi diligentius absconditum foret, tormenta inferebantur. Itaque iam in occultis & in abditis mandebant incocta cibaria. Nulla mensa, nullum sedile, nulla lux: ne quis intra veniret. Miserabilis cibus, lachrymabilis esca. Filii parentibus: parentes filiis de ipsis faucibus cibum rapiebant. Ipsi etiam equorum cadauera, si forte reperissent, inter se trahentes graui prælio decerpere festinabant. Alii cortices arborum detrahebant. Alii radicibus vescebantur herbarum. Plerisque etiam aliorum vomitus esca fuit. Proinde diuitibus aut in vrbe permanere, aut perire vnum & idem erat. Si enim in vrbe permansissent, facultatum suarum causa, obiecto crimine, quasi quid transfugiendo cogitarent, perimebantur. Præcisa vndique spes miserorum. Nam fugiendi copia nulla erat. Fremebat enim intus Simon, & furebat Iohannes, & cauebant ne cui liceret de populo vrbem exire. Maiorque cura erat eis egressionem suorum quam ingressionem cauere Romanorum. Et si quis forte deprehensus fuisset, qui fugere tentaret, graues pœnas dabat; Etiam non argu-

mentis

mentis veritas, sed suppliciis quærebatur. Eorum etiam qui fugerant proximi trucidabantur, aut crucibus affixi, hi qui lapsi fuerant ostendebantur. Miserabantur Romani: non mollicbantur Iudæi. Compatiebatur hostis: socii non flectebantur. Facilius apud aduersarios pietas, quam apud socios reperiebatur. Optabant plerique mortis compendium: cum & fames afficeret, & crudelitas excruciaret. Inualescens denique acerbitas famis familias, gentemque vastabant: ita vt foris & penetrabilibus strata iacerent mulierum virorumque cadauera. Ciuitas plena mortuis, sed nullus eiulatus in exequiis, quod omnem affectum vis mali concluserat. Nec erat vllus doloris locus in communi omnium calamitate. Miserabilis erat congeries insepultorum cadauerum & in circuitu longo terra ipsa tecta cadaueribus. Terribilis species, horror grauis, odor pestilens, qui nec victores nec victos discerneret. Erat enim simul omnibus noxius.

Sed quid opus est pondus illius famis explicare, quæ in ipsas descenderat populi medullas, cum gestum sit ibi facinus, quod neque apud Græcos neque apud Barbaros vllus accepit auditus. Manebat intra ciuitatem mulier quædam, genere & facultate nobilis, nomine Maria, quæ cum reliqua multitudine quæ confluxerat Hierosolymis, secum suas eo deuexerat opes. Quas primum principes factionum certatim inuaserunt, & quicquid alimentorum habebat, de manibus eripiebant. Exagitabatur à perditis. Dira imprecabatur. Volebat mori sed percussorem non inueniebat. Malebant enim eam diutius affligere grauius quam cito perdere: quia putabant prædam fore quam diu viueret. Iam defecerant omnia: & iam delitiis assuetam dira fames asperiora palearum, vel dura coriorum edere compellebat. Habebat infœlix mulier infantem quem genuerat. Cuius vagitu excitata, qua se & paruulum commacerari videret, multis iam victa malis & calamitatibus, nec non & fame, quæ infuderat se in medullis eius, dolorem obsorbuit, furorem assumpsit; conuersaque ad paruulum, iam matrem oblita, sic ait: *Quid tibi faciam paruule? quid faciam tibi? Sæua te circumstant omnia. Bellum fames, incendia, ruinæ, latrones & exploratores. Cui te moritura credam? aut cui te tantillum relinquam? Sperata eram quod si adolesceres, me pasceres matrem, aut defunctam sepelires. Et si me obitu præuenires, ego te pretioso meis manibus includerem monumento. Quid agam misera? viuendi mihi aut tibi nullum video subsidium. Omnia sunt nobis erepta. cui te reseruabo? aut quo condam sepulchro, ne canibus vel alitibus præda sis. Omnia enim, inquam, prærepta sunt nobis. Potes tamen dulcis meus matrem esurientem pascere. Idoneæ carnes tuæ ad cibum. O mihi suauia viscera, artus iucundi; antequam consumat vos fames, reddite matri quod accepistis. Redite, inquam, in illud naturale secretum, & in quo domicilio viuentem spiritum suscepistis: in eo tumulus paretur. Ipsa complectar quæ genui: ipsa exosculabor. Esto ergo prædonibus, horror latronibus, fabula vitæ: ne quid desit nostris calamitatibus.* Et hæc dicens: auersa vultu, cultrum demersit, & in frusta filium secans, igni supposuit; partem comedit, & partem operuit, ne quis superueniret. Sed nidor incensi peruenit ad principes seditionis, & odorem secuti, introierunt mulieris hospitium: minantes necem quod ausa esset ipsis ieiunantibus edere, & exsortes eos facere cibi quem reperisset. At illa, *partem vestram vobis seruaui: nec auara, nec inhumana: Nolite indignari: habetis quod & vos edatis. De meis vobis visceribus cibum paraui. considete ocius, mensam apponam. Miraris habere me mulierem meum in iudicare,* quod nullius talem mulieris affectum inueneritis, quæ vos ita dulcibus suis saturauit membris.* Et hæc dicens, discooperuit ambusta membra, & epulandum eis obtulit, cum adhortatione huiusmodi: *Hoc est prandium meum, & hæc est vestra portio. Videte diligentius, ne vos fraudauerim. Ecce pueri manus vna: Ecce pes eius: ecce dimidium reliqui corporis. Et ne alium putetis: meus filius est iste. Ego denique dixi mihi quod manducarem, & quod vobis reseruarem. Nunquam mihi dulcior fili fuisti. Tibi debeo, quod adhuc viuo. Tua suauitas animam tenuit meam, & produxit matri vestræ diem mortis. Subuenisti in fame. Tu munus supremum senectæ Tu percussoris repressisti. Venerant necatori: Conuiuæ facti sunt. Habebunt & ipsi quod tibi debebunt, cum epulas meas sumpserint. Sed quid refertis gradum? Quid horrescitis animo, cur non epulamini quod mater feci? Possunt & vos delectare epulæ: quæ matrem exsaturauere. Iam postquam me filius meus pauit, & abunde exsatiata sum, famem nescio. Gustate & videte, quam suauis est filius meus. Nolite molliores matre fieri, infirmiores muliere. Aut si vos estis in meo vulnere mi-*

* f. In Iudæa.

sericordes, & non suscipitis hostiam meam: atque auersamini holocaustum meum, ego consummabo sacrificium meum. Manducabo quod reliquum est. Videte ne vobis opprobrio sit, quod fortior vobis mulier reperta sit, quæ assumeret epulas virorum. Ego quidem tales paraui epulas: sed vos sic epulari matrem fecistis. Et me tenebat passio: sed vicit necessitas. Repleuit continuo totam vrbem tanti sceleris nefas. Et vnusquisque ante oculos positum parricidalis conuiuii mysterium perhorrescebat. Cœperunt & ipsi incentores seditionis examinare posthæc, ne similes escas inuenirent, & velut imprudentes sumerent. Cœperunt quoque vniuersi timere ne diu viuerent, & mori velle: Sed & plerique hoc horrore perterriti, ad hostem fugerunt. Quo comperto Cæsar, execratus infelicis terræ contagium, manus eleuans ad cœlum, taliter protestabatur: *Ad bellum quidem, ô commilitones venimus, sed aduersus homines belluis ac feris crudeliores decertamus. Diligunt feræ fœtus suos, quos etiam in fame nutriunt. Sed & ea quæ alienis pascuntur corporibus, à consimilium ferarum abstinent cadaueribus. Hoc est vltra omnem acerbitatem & impietatem, vt membra quæ genuit mater deuoret. Ab hoc contagio me tibi mundus absoluo, quæcunque in cælo potestas es. Scis enim quia intimo affectu pacem frequenter obtuli, quod volebam populo parcere, vrbem seruare. Sed quid facerem? Sæpe à mœnibus reuocaui exercitum: monui, rogaui, incendia extinxi. Et ipsi nos de muris sæpe hortati sunt, dimicare, ne grauius perirent à suis. Quales sunt ciues, quibus hostis remedium est? Audieram quidem, quod hic populus incredibilibus opinionibus se excitaret in omnem insolentiam. Aiunt se de cælo genus ducere, & ibi primum induisse corporis formam: cœli se fuisse incolas: descendisse ad cultus terrarum: de terris ad cælum redire: transisse per maria sicco vestigio: fugisse ante se fluctus maris. Conuersa Iordanis flumina retrorsum. Asserunt etiam stetisse Solem, vt hostes suos vincerent, ne nox impediret. Quosdã suorum raptos in cælum igneis curribus: præliatas pro se potestates, & absentibus his vniuersas hostium fusas copias, dormientibus partam victoriam. Postremo quando his potest deesse audacia, qui (vt aiunt) mortui viuunt, & sepulti resuscitantur? Sed & opinio frequens intulit auribus nostris, aduersus Deum conspirasse hos homines, & pœna indicio est. Ardent enim nunc terræ propter incolarum impietatem. Videmus mare mortuum. Videmus & virentium fructuum vmbras inanes, foris gratiam, intus fauillam. Quis dubitare potest, quod apud inferos versemur, & vbi iam elementa quodammodo mortua sunt? Quin etiam ipsa quæ post mortem viuere solet impietas, apud hos mortua est: & superstes defunctis religio. Quis enim parentes etiam mortuos non diligat? Quis amissos filios non amet, & loco pignorum teneat? Manet affectus, etsi pignus obierit. Perseuerat nomen, gratia naturæ non intercidit. Apud hos vero nec viuentem mater recognoscit filium, nec audit appellantem, nec miseretur: sed propter vnius horæ execrabilem cibum, infert filio parricidales manus. Infœlix ciuitas, in qua talis officina, tale mysteriũ est. Operiant eam ruinæ suæ, & abscondant huiusmodi contagium: ne Sol videat, & ne stellæ globus spectet: aut maculentur aurarum spiramina. Thyesteas dapes fabulam putamus; flagitium videmus, cernimus veritatem Tragœdiis atrociorem. Ibi enim firmior sexus, & passus alienus, & aliena fraus: Hic autem est propria voluntatis. Ille doluit: Hæc insultauit. Digna talibus viris pœna, qui pertinaciter bellando mulieres suas ad tale coegerunt conuiuium. Maturius igitur bellum conficiamus regionem istam & execrabilem & perniciosam.* Et his dictis, admoueri muro arietes iubet. Euoluto itaque biennio, postquam obsessa est ciuitas, victor Titus machinis & aliis bellicis instrumentis muros eius irrupit, non tamen sine suorum sanguine. Rupto itaque muro solito terribilior increpuit sonitus tubæ, in ipso diei crepusculo: quo fessi labore Iudæi de improuiso turbantur: somnoque soluti, ante cœpere fugere, pauore perterriti, quam veri fides pateret. Titus autem audito tubæ fragore, exercitum suum ad arma concurrere iubet. Et orto mane, electorum circa se conuocata cohorte, murum ascendit suis auxilio, hostibus impedimento. Iam per aditum hostes irruerant; iam cuncta turbauerant, iamque ciuitatem tenebant. Exclusi vndique Iudæi, in templum cateruatim se conferunt. Romani fuerunt eis obuii, & instaurant prælium ante vestibulum templi, ibique furor bellicus dominatur. Non iam spiculis nec sagittis res agitur, sed manus inuicem conferuntur. fuerunt vulnera super vulnera. Gladius obtunditur ferri rigore. Ictus infigitur super ictum. Obtruncantur plurimi: sed maxime vulgus ignobile vbicunque occurrerat, sicut grex, interficiebatur. Nullis enim armis munitum: nec rebellando vulneri nec retorquendo idoneum erat. Cerneres sanguine quasi fluuio decurrere terrã & cæsorum congerie. Temerabantur sancta Sanctorũ belli necessitate, maiore tamen suorum quam Romanorum insolentia. Nam cum fu-

rore

rore ac temeritate adibant Iudæi ipsa templi penetralia, & madidas manus humano gerentes sanguine tractabant altaria. Vbique strages, vbique luctus, vbiq; periculum, vbique clamor, vbique desperatio. Nullus locus vacabat periculo. Resonabant clamores: personabant gemitus, morientium, viuentium. Itaque confuso strepitu tota ciuitas implebatur. Verum nocte superueniente, vterque paululum requieuit exercitus. Sequenti vero die præcepit Cæsar ianuas argento opertas succendi. Et admoto igne cæpit argentum defluere, ac demum paulatim lignum ardere: sicque in portam interiorem aditus patescere. Sed miseratus Cæsar, ne templum exureretur, vocauit ad consilium duces exercitus, dicens: *nec sibi cum insensilibus esse certamen, nec bellum ædificiis, quæ victoribus sufficerent, si exusta reseruarentur.* Duces vero dicebant, altitudinem parietum & templi munitionem Iudæis in reliquam ætatem incentiua futura, quibus esset grata insolentia. Radices rebellionis funditus euertendas, ne recrudesceret iterum temeritas. Iudæi quoq; dum insidiantur volentibus incendia templi restringere, cæsis aliquibus, hostem accenderunt. Vnus itaq; de Romanis admouit ignem portæ templi, quæ aurea vocabatur, & liquefactus auri rigor ilico lignum nudauit. Exustis deniq; valuis, furor ignis in penetralibus sese templi proripuit. Turbati omnes qui se munimine templi defensabant. Dumq; se in superiora aurarum spiramine ignis attolleret, magnum omnibus Iudæis dolorem infudit. Deinde omnes fusi qui erant in templo, Romanorum gladiis feriebantur. Flamma iam depascebat templi conclauia. Et aruit Titus, cupiens cuiusmodi essent ædes inspicere. Cuius gratia motus præcellentiorem fuisse temporum suorum operibus fatebatur. Mirabatur saxorum magnitudinem, metalli nitorem, venustatem operis, gratiam pulchritudinis. Pronunciabat etiam, *non immerito tantam fuisse loci celebritatem: Et quod tam honestum, non nisi Dei summi crederetur domicilium.* Interea vero prædones irruentes in omnia, quæcunque intus erant exinanibant; & iterum strages magna in eos qui residebant Iudæos agitabatur. Tunc etiam fugientibus seditionis principibus, vnus ex sacerdotibus sese dedit; & quædam vasa sacerdotaliũ ministeriorum; lucernas videlicet duas & mensas, crateras & phyalas aureas. Sed & perypetasmata templi. Fessi deniq; multa cæde Romani, quærebant quibus captiua mãcipia venderent. Sed quia plurimi venales & pauci inueniebantur emptores, nõ defuerunt, qui triginta mancipia vno numismate mercarentur. Tunc etiam comprehensus Phynees Gazophylacii custos, ostendit sacerdotum purpura multa & coccum, & cinnamomum, & casiam & vestem sacratam summi Pontificis. Iohannes præterea de occultis exiens, non multo post se Tito tradidit, fame tabidus, confectusque ieiunio. Simon autem latuit, cum paucis se recondens fidelioribus. Sed vbi & cibus defecit, & nullus euadendi exitus patuit, ad superiora erepsit, indutus veste preciosa; Quem Rufus Terentius Romanæ militiæ ductor Tito præsentauit. Concremata igitur est ciuitas, & murus ad solum vsq; deiectus. Cæsa per omne tempus obsidionis innumera millia Iudęorum: sed non omnium eiusdem religionis ac loci, quia eo vndiq; conuenerant multi causa solennitatis Paschalis. Captiui abducti ad nongenta septem millia. Qui fuere nobiles & validiores, triumpho reseruati. Quidam etiam captiuorum ferme per singulas vrbes, per quas remeabat Titus, bestiis obiiciebantur, vel cæteris suppliciis perimebantur, vt longe lateque per orbem rebellionum supplicio metus spargeretur. Hoc est summum excidium, quod anno millesimo cen- MCII.
tesimo secundo contigit à conditione sua. Hoc etiam Dominum nostrum IESVM Christum antequam crucifigeretur, liquido significasse Euangelii lectio docet. Consummatum est hoc bellum annis quatuor, duobus Nerone viuente, duob. postea. Veruntamen antequam templum exureretur, ferme per annum vnum supra ipsum cometes apparuit, gladii quandã in se ferens similitudinẽ. Denunciabat enim ferro, igni, gentis ac loci vrbisq; vel regni ipsius pariter futurã vastitatem. In ipsa deniq; Pentecostes solennitate, nocturno tẽpore ingredientes sacerdotes templi interiora, vt assueta offerrent sacrificia: motum quendam se sensisse primum professi sunt, & demum sonitum editum audiuisse, clamantium repentina voce: Transeamus hinc. Octaua igitur die, mensis septimi concremata est ciuitas, & templum funditus est euersum. Denique Vespasianus & Titus Imperatores magnificũ & memorabilẽ de Iudæis agentes triumphum, Romam ingressi sunt: continuoque omnibus bellis atque tumultibus domi,

forisque compressis, pacem toto regno Romano pronunciauerunt. Tunc etiam Achaia, Lydia, Rhodus, Bizantium, Samus, Thracia, Cilicia cum Magine in prouincias redactæ Romanis legibus paruerunt. A Vespasiano denique Romæ Colossus erigitur, habens centum & nouem pedum proceritatis. Romam quoque incẽdiis deformem ædificiorum copia renouauit. Nam Capitolium, & ædem Pacis, & Claudii monumenta reparauit. Itaque hunc Romana respublica iam exanguis sæuitia tyrannorũ, quasi fato quodam ne penitus rueret, assequuta est. Verum anno vitæ suæ septuagesimo, seriis ioca, quibus delectabatur, admiscens, interiit. Nam cum ventris eluuie fessus, assurrexisset, *stantem* ait *Imperatorem excedere terris decet.* Sicque exanimatus est. Cui successit Titus filius eius. In Romana vero Cathedra sancto Apostolo Petro Linus successit, & Lino Cletus.

Titus igitur Vespasiani filius, patri succedens in regno, anno incarnationis diuinæ octogesimo primo, imperauit annis duobus & totidem mensibus. Hic fuit vir omnium genere virtutum mirabilis, & morum imperialium pariter floribus adornatus: & qui nulli quicquam negaret. Huius etiam fuit illud celebre dictum, quod ait: se perdidisse diem, quo nil militibus suis largitus fuerat. Qui & tantum facundissimus extitit, vt causas latino poëmate peroraret, & Tragœdias græce componeret. Verum assumptæ dominationis toto decurso biennio, cum ingenti suorum luctu, in eadem qua pater suus villa defunctus fuerat, apud Sabinos febre exanimatus est. Anno vitæ suæ quadragesimo primo. Igitur post extremum Iudaicæ plebis excidium, eorundem breuiter arguam Iudæorum perfidiam, qui nondum in Christum credere volunt.

Excursus in Iudæos.

Maximus error versatur in cordibus Iudæorum, quibus spiritualis intellectus non emicat, in pagina diuinarum scripturarum. Contemptibilis enim eis in Christo videtur carnis infirmitas, & corpus de fœmina sumptum, & opprobrium crucis: in quibus stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, sicut ait Apostolus: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et alibi: *vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius seculi. Nonne Deus stultam fecit sapientiam huius mundi? Sed quoniam non per sapientiam suam cognouit eum mundus, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes: quoniam quidem Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus vero stultitiam. Ipsis vero vocatis Iudæis, & Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Quoniam stultum Dei sapientius est hominibus: & infirmum Dei, fortius est hominibus.* Propterea quippe totum hominem suscepit Deus in se; vt totum quod est homo à peccatorum peste sanaret. Et ideo per passionem crucis voluit mori; vt per gloriam resurrectionis suę nobis aditum repararet vitę. Et hæc gratia qua sanat infirmos: non superbe iactantes falsam beatitudinem suam, sed humiliter confitentes miseriam suam. Ipsi autem hoc quasi stultum & infirmum, velut sua virtute sapientes fortesque contemnunt. Dicunt etiam non adorandam Trinitatem; cum lex eorum dicat: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Quod eis ideo intelligimus esse dictum, ne Deos colerent alienos: quia iam vnum in substantia & maiestate Dominum cognouerant. Porro nos vnam in Trinitate colimus diuinitatem: cuius Trinitatis admirabile Sacramentum Psalmista nobis aperuit, qui ait: *Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Verbum Domini, Christum volens intelligi. Et spiritum oris eius, Spiritum sanctum, qui in ipso mundi principio super aquas ferebatur: vt pro arbitrii sui liberalitate rudibus creaturis vitæ vigorem infunderet. Et trinam iterum esse non simplicem suæ maiestatis essentiam, ipse Deus loquens in Genesis libro cum hominem creare disponeret, nobis ostendit, cum ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Non enim dixit: *Faciam hominem ad imaginem & similitudinem meam.* Sed, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et, quia nefas est, credere hominem factum ad imaginem Angelorum, aut eandem esse imaginem Angelorum & Dei: recte ibi intelligitur pluralitas Trinitatis. Sed quoniam Trinitas vnus est Deus: sequitur, & dicit: *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei.* Et non dixit: *Fecerunt Dii hominem ad imaginem eorum.* Hominem scilicet interiorem, non exteriorem. qui inuisibilis est per naturam, vt Deus immortalis nihil habens graue neque caducum. Nam exterior homo corporeis lineamentis compactus atque conuinctus, facile dissoluitur, & labefactus, tabescit: ideoque non Deo similis,

milis, sed esse dissimilis comprobatur. Et hæc de Trinitatis essentia dixisse sufficiat. Porro Dauid Christum Dei filium esse testatur, vbi ait: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Et hunc eundem esse Deum & hominem, Ieremias perhibet, dicens: *Hic est Deus noster; & non æstimabitur alter ad eum. qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel electo eius.* Et posthæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Locum quoque natiuitatis eius designat Micheas, inquiens: *Et tu Bethlehem Ephrata, non es minima in millibus Iuda, ex te enim exiet qui sit princeps in Israel, & possessio eius ab initio seculi.* Et de Apostolorum electione Psalmista locutus est, dicens: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Constitues eos principes super omnem terram.* Et de prædicatione eorundem Apostolorum: *In omnem terram exiuit sonus eorum. Et in fines orbis terræ verba eorum.* De passione proinde ipsius Esaias loquitur, dicens: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra.* Et item post pauca: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: & sicut ouis ad occisionem ductus est. Et quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Qualitatem autem passionis Dauid declarauit, dicens: *Foderunt manus meas & pedes meos.* De resurrectione quoque eius sic cecinit, & ait: *Nō derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et de ascensione inquit: *Et ascendit super Cherubin.* Locum quoque sessionis eius insinuat, dicens: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* De æternitate etiam regni ipsius: *Et ego primo genitum ponam illum: excelsum præ regibus terræ: In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi; & ponam in seculum seculi semen eius: & thronum eius sicut dies cæli. Si autem dereliquerint filii eius legem meam: Et in iudiciis meis non ambulauerint: si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Neque nocebo in veritate mea: neque profanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentiar. Semen eius in æternum manebit. Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo: Et sicut luna perfecta in æternum & testis in cælo fidelis.* Ecclesia nempe sancta semper in suæ fidei constantia permanebit, sicut promissum est: donec finito mundi termino, omni corruptione deposita, recipiat carnalem, sed sine corruptione substantiam. Veteris vero ceremonias testamenti, noui euacuatas esse constat plenitudine testamenti: sicut solet puerilem ætatem virilis ætas excludere. Decebat enim, vt arbiter æternus, per famulum suum Moysen hominibus minora præcepta daret: Et sua præsentia sublimiorem eis vitæ viam postmodum demonstraret. De qua legis euacuatione, Ieremias propheta vaticinatus est, dicens: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo supra domum Israel, & supra domum Iuda testamentum nouum, nec secundum testamentum quod disposui patribus eorum, cum apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Ægypti.* Cessare vero ipsas veteris legis ceremonias, Daniel præuidit, cum ait: *Cum venerit Sanctus Sanctorum, cessabit vnctio.* Vnde iam ipsi sine rege, sine sacerdote & sacrificio sunt. Sed cum hæc vident, & Christum adhuc venisse dubitant credere, impletur in eis quod scriptum est: *Oculis videant, & non videant, corde intelligant & non intelligant, ne quando conuertantur, & sanem eos dicit Deus.* Porro ideo Deus homo fieri voluit: vt hominem quem fecerat perire non sineret: voluit etiam ideo humanam assumere carnem, vt peccatum ab homine contractū ab homine piaretur. Decebat etiam, vt qui legem homini dederat, legis eius decreta per assumptum hominem perficeret. Et vt ad imitationem iustitiæ & sanctitatis humanum genus non tam vi cogeret, quam per assumptum hominem inuitaret. Igitur homines suum legislatorem viderunt præsentem, vt necessario illum imitarentur legis opera facientem. Sed forte nunc dicit aliquis: Potuit aliquis Angelus a supernis sedibus mitti, qui bonos homines à malis separatos ad superna gaudia raperet; & malos diuina fultus authoritate cum diabolo malorum inuentore, pœnis gehennalibus deputaret. Verum non erat congruum vt homo, qui ab Angelo maligno fuerat factus corruptibilis, per quemlibet Angelum redderetur incorruptibilis. Porro hæc contra Iudæos sub specie prologi dixisse sufficiat, & hanc metam finitus suscipiat.

Domitianus igitur frater Titi iunior, Romanum sumens imperium Dominicæ incarnationis anno octogesimo tertio: imperauit annis quindecim & mensibus sex. Iste primo Clemens visus est, & Chattos Germanosq; bello deuicit. Ius quoq; perorabat æquissime, & Romæ multa construxit ædificia. Inter quæ ædificauit Romæ templum mirificum, quod Panteon antiquitus vocabatur: sed nunc in honorem sanctæ Mariæ Dei genitricis & omnium Martyrum consecratum dinoscitur. Dehinc vero atrox factus, post Neronem secundam in Christianos exercuit persecutionem: & in tantam superbiam euasit: vt *Deum & Dominum* totius orbis se appellari iuberet. Magna denique crudelitate erga extraneos & domesticos sæuiens in vrbe Roma nobiles & illustres viros nullo iure, nulla ratione trucidauit, & multos in exilium trusit. Inter quos etiam Iohannem Apostolum, quem Dominus Iesus Christus semper amauit plurimum, quiq; in cœna super pectus eius recubuit: & cui, dum penderet in cruce matrē virginem virgini commendauit, propter insuperabilem Euangelizandi constantiam, in Pathmos Insula relegauit. Vbi positus ipse Dei amicus, Apocalypsin signatis edidit sermonibus. Huius præterea Cæsaris Domiciani anno quarto apud Alexandriam Amano, qui Marco successerat, successit Abilius. Ierosolymis vero sancto Iacobo Patriarchæ, successit Simon filius Cleophæ. In Romana vero vrbe eadem tempestate Anacleto Papæ Clemens successit. Iste est Clemens Papa sapientissimus atque sanctissimus, qui magnificos viros in Gallias ad collocandum destinauit dominicæ fidei fundamentum: Lugdunensibus Focinum, Narboni, Paulum: Turonis Gracianum: Cenomansis, Iulianum, & alios plures, per quos per illas regiones fidei doctrina profecit, & immensæ multitudinis populus ab idolorum cultura recessit. Sed cum Domicianus in vrbe Roma Senatum populumq; laniaret, & foris male dispositum exercitum assidua hostis cæde conficeret, à Senatu est damnatus & in Palatio interfectus. Hoc quoq; definitum est, vt omnes qui ab eo in exilium trusi fuerant, decreto Senatus reuocarentur, & suas reciperent facultates. Periit autem anno vitæ suæ XLI. Corpusque eius humana caruit sepultura.

Nerua denique senex Domitiano exitiabili Tyranno successit Prætomo præfecto fautore, & Parthemio Spadone interfectore Domitiani, incarnationis Christi anno nonagesimo octauo, imperauitque anno vno. Hic iurgiorum disceptator scientissimus & frequens fuit. Hic quoque primo suo edicto cunctos exules reuocauit, quos Domitianus exiliauerat. Vnde Beatus Iohannes Apostolus ab exilio Ephesum rediit quasi ad propriam scholam. Pullulauerant interea per Asiam hæreticorum semina quædam. Cherinthi scilicet & Hebrionis, & cæterorum qui negant Christum in carne venisse. Quos idem Theologus in Epistola sua AntiChristos appellat. mundum ab Angelis factum esse dicentes, & Iesum hominem tantummodo fuisse, nec resurrexisse. Irridebant quoque Ecclesiastica dogmata, & resurrectionem mortuorum nō credebant. Cum redisset ergo ab exilio iam dictus Apostolus, compulsus est ab Asiæ fratribus & multarum legationibus Ecclesiarum de coæterna Patris & Christi diuinitate facere sermonem. Qui mox in ipso sui sancti Euangelii exordio patenter ostendit, *quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Cuius nos informati sermone, quo scriptum est, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* memoratam abdicantes hæresim, mundum a Deo, non ab Angelis factum esse, & Christum credimus verum Deum esse: in carne venisse & conceptum fuisse, non de viro, sed de Spiritu S. & de carne virginis Mariæ: quæ vtique erat de semine Abrahæ. Credimus, inquam, Christum Deum de Deo: cuius vnigenitus est: & hominem de substantia matris, de qua temporaliter natus est. Nam & virtutibus verus Deus esse, comprehenditur, & homo ex humanis infirmitatibus comprobatur. Porro hunc contra morem humanæ conditionis virgo concepit & peperit, & integritatis damna non pertulit. Cuius conceptionis & natiuitatis inenarrabile Sacramentum illa Aaron virga significauit, quæ diuina virtute contra naturam, sine radice vel humore fronduit, floruit & fructificauit. Denique dogmata non irridemus Ecclesiastica, sed veneramur atq; suspicimus. Sicut data non per hominem aut per Angelum: sed per eundem Dominum nostrum Iesum Christum. Ex illius quippe latere pendentis in cruce, aqua nobis profluxit ad lauacrum, & sanguis ad propitiationem cri-

minum

minum nostrorum. Spiritum quoque paracletum, sicut filii adoptionis, suscepimus: quorum perceptione Sacramentorum illi compaginati, vnum corpus Ecclesiæ sumus in illo. In quo etiam credimus resuscitari; cum venerit iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Et hoc contra perfidos hæreticos. Sed vt ad historiam redeamus. Nerua Cæsar afflictæ reipublicæ multum consuluit. Dum Traianum virum strenuum & sapientissimum sibi in filium antequam moreretur adoptauit.

Traianus igitur genere Hispanus Romanum Imperium Nerua tradente suscipiens anno diuinæ incarnationis nonagesimo nono, imperauit annis decem & nouem & mensibus sex. Hic apud Agrippinam Galliæ vrbem, insignia imperii suscepit. Moxque Germaniam transiens subegit, & trans Danubium gentes multas superauit. Barbaras etiam nationes trans Euphraten & Tigrim sitas, redegit in prouincias. Denique Seleuciam & Babiloniam occupauit, & vsque ad Indiæ fines post Magnum Alexandrum accessit. Hic etiam fuit liberalis in amicos. Habens in re militari diligentiam, in ciuilibus lenitatem: Et in subleuandis ciuitatibus largitionem. Erat ei domi sanctitas: in armis fortitudo, & vtrobique prudentia. Denique prostrato & debilitato statu Romano, in remedium malorum credebatur diuinitus datus. Huius temporibus Iohannes Apostolus, qui quasi vnus de Paradisi fluminibus verba sancti Euangelii in toto terrarum orbe diffudit, cum esset annorum nonaginta nouem, sciens sibi vltimum diem vitæ venire, præsentibus suis discipulis, præmissa oratione ad Deum, descendit in defossum sepulturæ suæ locum: & ita à dolore mortis extraneus migrauit ad Dominum. Traiani vero tempore tertius in Christianos persecutionis impetus ebulliuit. Vnde Clemens Papa Romanus in mare præcipitatus est. Vbi in templo sibi diuinitus præparato manibus Angelicis requieuit. Simon quoque filius Cleophæ Christi discipulus, Ierosolymorum episcopus crucifixus est pro nomine eius. Ignatius etiam Antiochenus Episcopus, Romam adductus, & bestiis traditus, suscepit martyrium. Sed Alexander Papa Romanus martyrio coronatus est: & plures per alias circumquaque Christiani prouincias. Veruntamen persequutione feruente Plinius secundus, Orator & historiographus, qui inter cæteros iudices præsidatum administrabat, multitudine peremptorum commotus: scripsit Imperatori, Christianos propter confessionem Christi, & honesta conuenticula, nihil contrarium Romanis legibus facere. Moxque Dei nutu rescriptis lætioribus Cæsar temperauit edictum. In istis præterea diebus, apud Alexandriam iustus sacerdotio fungebatur. Traianus vero apud Selentiam Isauriæ vrbem profluuio ventris extinctus est. Vixit autem annis sexaginta quatuor. Huius etiam exusti corporis cineres Romam delati, & in foro Traiani sub marmorea columna conditi esse feruntur.

Helius Adrianus consobrini Traiani filius, quartus decimus ab Augusto principatum adeptus, ab incarnatione Domini anno centesimo nono, imperauit annis XXI. Hic fuit Græcis literis impensius eruditus. Et non sermone tantum peritus, sed & cæteris disciplinis, canendi, medendiq; scientia pollens. Erat etiam musicus, geometricus, pictor, fictorque ex ære vel marmore: atque facetus, acer nimis ad lacessendum, & ad respondendum seriis, ioco, maledictis; Sic enim referebat carmen carmini, dictum dictui, vt prorsus ad omnia diceres meditatum. Hic etiam per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem, virum sapientem instructus & eruditus, præcepit per epistolam ad Minutium Fundanum Proconsulem Asiæ datam; *Vt nemini liceret Christianum sine obiectu criminis ac probatione damnare.* Hic etiam bellū contra Sauromatas gessit & vicit. Iudæos deniq; per turbatione scelerum suorum exagitatos prouinciam quondam suam Palestinam depopulātes, vltima cæde perdomuit, & Hierosolymam reædificauit, & illam Heliam suo de nomine appellauit. Cuius opere factū est, vt loca sancta i. Dominicæ passionis & resurrectionis, quondā extra vrbem iacentia, nunc eiusdem vrbis muro septentrionali circumdentur. Denique præcepit ne cui Iudæo introeundi Hierosolymam esset licentia; Christianis tantum ciuitate permissa. Vnde primus ibidem ex gentib. constituitur Marcus Episcopus. Idem etiam Helius Adrianus rempub. iustissimis legibus ordinauit. Ideoq; Pater patriæ in Senatu vltra morē maiorum appellatus est, & vxor eius Augusta. Verum, quia Hierosolymis ab hoc tēpore, & deinceps assumere episcopos ex circumcisione cessatum est, nūc omnes à pri-

mo vsq; ad hæc tempora eiusdem vrbis Episcopos enumerare decreuimus. Primus horum fuit Iacobus Iustus, qui etiam frater Domini est appellatus. Secundus Simeon, filius Cleophæ. Tertius Iustus. Quartus Zacheus. Quintus Tobias. Sextus Beniamin. Septimus Iohannes. Octauus Matthias. Nonus Philippus. Decimus Seneca. Vndecimus Iustus. Duodecimus Leui. Tertius decimus Ioseph: Et Quartus decimus horũ vltimus Iudas. Eodem præterea tempore, Iustus Episcopus Viennensi præfuit Ecclesiæ. Floruit etiam in illis diebus Aquila orator, genere Ponticus, secundus interpres Mosaicæ legis, post septuaginta. Porro vixit Helius Adrianus Augustus annis LXII. In Romana vero Cathedra post Clementem sedit Anacletus, & Anacleto successit Euaristus, & Euaristo Alexander, qui constituit aquam aspersionis cum sale benedicti, & in habitaculis hominum spargi. Et huic subrogatus est Sixtus. Sixto vero successit Thelesphorus. Hic etiam constituit, vt per sex hebdomadas ante Pascha ieiunium celebretur, & vt in natali Domini, missæ per noctem celebrarentur.

Antonius Pius, qui & Titus Fuluius cognominatus est, vir peritissimus & natura benignus, successit Helio Adriano anno ab incarnatione Domini centesimo tricesimo. Imperauit annis viginti & non plenis tribus mensibus. Iste ab Adriano in filium fuerat adoptatus: cuius gener erat. Huic etiã Iustinus Philosophus librum *de Christiana religione* compositum tradidit, & benignum illum erga Christianos homines reddidit. Huius etiam anno primo Thelesphorus Papa Romanus vita decessit: Et Hyginus ei successit. Post quem sedit Romæ Episcopus Pius, sub quo Hermes librum edidit, qui *Pastoralis* appellatur. Et post Pium sedit Anicetus. Et illi subrogatus est Sother. Porro Antonius Augustus ita tranquillus extitit, vt merito Pius appellatus sit. Nam ad illum exteræ gentes legatos misere. Indi scilicet, Bactriani & Hircani. Iustitia tanti Imperatoris comperta. Erat enim carens appetentia gloriæ & ostentatione. Decessit autem imperii sui anno vicesimo tertio. Ob cuius honorem templa, sacerdotes, atque alia multa honorum insignia Romæ à Senatoribus sunt decreta. Floruerunt huius temporibus viri insignes. Arrianus Nichomediensis philosophus, Photinus Lugdunensium Episcopus, & Maximus: Cyrius & Apollonius, Stoicus, & Basilides Scythopolitanus, & Galenus insignis medicus. Et Criscus, Cynicus & Iustinus Martyr atque philosophus.

Marcus Aurelius Antoninus Romanum imperium assecutus anno incarnationis Dominicæ centesimo quinquagesimo tertio; imperauit annis decẽ & nouem & mensibus vndecim. Hic fuit vir tantæ seueritatis, vt ab infantia vultum neq; ex lætitia neq; ex mœrore mutauerit. Hic etiam asciuit sibi ad imperii partem, Aurelium Commodum, propinquum suum. Et hi ambo contra Parthos admirabili virtute & fœlicitate pugnauerunt: & vna de victoria Parthica triumphauerunt. Horum tamen diebus persecutio Christianorum iam post Neronem quarta vice excitata est. Qua persecutione feruente, Polycarpus vir egregius, Iohannis Apostoli & Euangelistæ discipulus Smyrneorum Episcopus, in Asia martyrio vitam finiuit. Iustinus etiam philosophus martyrizatus est. Hæc quoque persecutio durissima, Lugdunensem atque Viennensem vrbes nobilissimas Galliarum, quas præcipiti lapsu Rhodanus præterfluit, subintrauit. Vnde Fotinus egregius Episcopus Lugdunensis, & Iustus Viennensis, in eisdem vrbibus martyrizati sunt cum multis aliis. Sed statim secuta est lues magna, quę multas late prouincias deuastauit, maximeq; Italiam adeo contriuit, vt passim villæ & agri sine cultore & habitatore remanerent. Armis denique nulla vsquam quies erat. Sed & per omnem Orientem, Illyricum, Italiam & Galliam bella feruebant. Terræ motus quoq; sine interitu ciuitatum, & inundationes fluminum crebrescebant. Lues etiam crebre, & locustarum agmen prorsus agros infestabant. Verum Aurelius Commodus dum forte in vehiculo veheretur, vndecimo imperii sui anno, casu morbi, quem Græci ἀπόπληξιν vocant, suffocatus est. Quo defuncto Marcus Antonius solus paucis dieb. reipublicę præfuit. Demumq; seueriores leges nouis conditionib. temperauit. Per oẽs enim prouincias tributa donauit; omniaq; fiscalium negotiorum calumniosa monimẽta simul congesta in foro, iussit incẽdi. Hac præterea tempestate barbaræ nationes: Marchomanni, Quadi, Wandali, Sarmatæ, & oẽs pene Germaniæ populi, Romanum exercitum in Quadorum finibus circumuallauerant. Verum cum tolerare nequiret

ardo-

ardorem sitis, & hostis periculum: idem Romanus exercitus in preces effusus ad inuocationem nominis Christi tantam vim pluuiæ obtinuit, vt subita inundatione largissime reficeretur. Barbari vero crebris fulminum ictibus perterriti, in fugam versi sunt. Postmodum vero Antonius Imperator, Commodum Lucium filium suum assumpsit in regnum. His præterea diebus Hierosolymis, sicut dictum est, post eos qui ex circumcisione fuerant ordinati: sedit Marcus Episcopus: & post Cassianus. Deniq; Publius. Quem secuti sunt Maximus & Iulianus. Post Iulianum autem sedit Gaius alter & Iulianus. Capitonem deniq; secutus est Valens: & Valentem Docilianus. Demum autem tricesimus ab Apostolis huic præfuit Ecclesiæ Narcissus: vir sanctitate præcipuus. Alexandrinam autem Ecclesiam post Marcum Euangelistam gubernauit Anianus. Et post Anianum Abilius. Et post Abilium Cerdon. Et post Cerdonem Primus, & postmodum Iustus. Demum vero Cheladion, & post Agrippius. Demum Iulianus. Sed & Antiochiæ post Heronem præfuit Cornelius. Regebat etiam hac eadē tempestate Apollinaris Ieropolitanam Ecclesiam: Et Mileto Sardensis Ecclesiæ erat antistes. Romanam deniq; sedem obtinebat Eleutherius Papa sanctissimus. Ad quem misit Lucius Britanniarum rex epistolam, obsecrans vt per eius mandatum Christianus efficeretur, & mox effectum piæ postulationis consecutus est: susceptamq; fidem vsq; in tempora Diocleciani principis inuolatam integramq; in pace seruauerunt. Per idem etiam tempus floruit Egesyppus Historiographus, & Theodochion tertius diuinæ legis interpres. Erant etiam in illis diebus insignes, Fronto Rhetor, Aristides, Smyrneus Sophista: Opianus poëta, & Atticus Platonicus philosophus. Præterea Marcus Antonius Verus, Imperator quartus decimus ab Augusto in Pannonia constitutus, repentino morbo obiit. Ob cuius honorem, templa, columnæ, & alia multa condita esse comperiuntur. Cui successit Lucius Aurelius Commodus filius eius.

Aurelius denique Commodus patre defuncto, Anno incarnationis Dominicæ centesimo septuagesimo; imperauit annis tredecim. Hic luxuriæ & obscœnitati deditus, interfecit plurimos Senatorum. Illos tamen maxime, quos aduertit industria vel nobilitate præcellere. Flagitia imperatoris vrbis pœna prosecuta est. Nam Capitolium fulmine ictum est. Ex quo inflammatio facta Romanam bibliothecam rapaci turbine concremauit. Hac præterea tempestate Eleutherio Papæ, Romæ Victor successit. In his etiam diebus facta est quæstio magna de Pascha. Vnde apud Cæsaream Palestinæ concilium celebratum est. Vnde statutum fuit, vt semper in die Dominica celebremus, sicut nunc agimus, obseruata quartadecima Luna Martii mensis. Huic concilio interfuerunt, Victor Papa Romanorum, & Narcissus Patriarcha Hierosolymorum: Theophilus quoque ipsius Cæsareæ Episcopus, & præsul Lugdunensium Hyreneus. Eodem etiam tempore apud Alexandriam Iuliano Episcopo Demetrius successit: Et apud Antiochiam, octauus ab Apostolis constituitur Serapion. Apud Cæsaream autem Palestinæ Theophilus, & apud Corinthium Bachidus. Dionysius etiam gubernauit Ecclesiam Viennensem. Porro Cæsar Commodus cunctis incommodus, in domo Vestali strangulatus interiit.

Helius Pertinax senex à Senatu Imperator creatus, imperauit sex tantummodo mensibus, quibus vix expletis, Iuliani Iurisperiti scelere in Palatio cæsus est.

Iulianus autem, qui sibi vi Romanum vendicauit imperium, imperauit septem mensibus. Is apud Pontem Moluium bello ciuili victus & extinctus est. Sicq; inter Pertinacem Cæsarem & Iulianum eius successorem, vnus annus assumptus est. Per idem tempus erant insignes, Clemens Alexandrinus Philosophus, & Pantheus Stoicus, & Africanus historicus & Musianus.

Seuerus gener Afer, qui se ex nomine imperatoris, quem occisum vltus fuerat, Pertinacem voluit appellari, consecutus Romanum imperium, anno incarnationis Christi centesimo octogesimo, imperauit annis decem & octo. Hic fuit natura sæuus, multisque bellis lacessitus, & fortissime quidem rempublicam, sed laboriosissime rexit. Nam Pescenninum Nigrum, qui in Ægypto & Syria ad Tyrannidem aspirauerat, interfecit. Iudæos quoque & Samaritas conantes rebellare coërcuit, Parthosq; & Arabes superauit. Et ad extremum Claudio Albino, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, Lugduni interfecto, in Britanniam bellum transtulit: ibique magnis grauibus prælis

sæpe gestis, Insulam recepit, quam & vallo & crebris turribus, per centum & triginta duo millia passuum à mari vsque ad mare communiuit. Hic etiam post Neronem in Christianos quintam persecutionem exercuit. Qua persecutione plurimi Sanctorum per diuersas prouincias passi referuntur: inter quos Leonides, pater Origenis, capite cæsus pro Christi nomine. Teneræ adhuc ætatis supradictum Origenem dereliquit filium. Sed ita erat præfatus Origenes iam Grammatica eruditus, septimum decimum agens annum, vt ad docendum sufficeret, & quæ ad victum ei erant necessaria ex hoc pararentur. Census quippe Leonidis, qui maximus fuerat, regio fisco per proscriptionem sociatus erat. Sub hac etiam persecutione in Lugdunensi ciuitate passus est Hyreneus Episcopus, cum maxima multitudine Cleri sui, & populi; Cui successit Zacharias Episcopus. Sed & Viennensem Parachodes regebat Ecclesiam. Tunc etiam floruit Psimacus, elegans diuinæ legis interpres, & Theodochion genere Ponticus, qui tertio anno post memoratum Psimacum, quartam scripturarum sanctarum composuit editionem. In Romana vero Cathedra Calixtus Zephyrino successit. Post quem Vrbanus Romanum tenuit pontificatum. Imperator vero Seuerus apud Eboracum oppidum deficiens, reliquit filios duos, Bassianum & Getam; Quorum Geta hostis publicus iudicatus interiit, Bassianus vero Antonii cognomine assumpto potitus est patrio regno. Porro Seuerus cum vixisset annis sexaginta quinque, defunctus est, vir bellicosissimus omnium, qui ante eum fuerunt. Et Græcis ac Latinis literis simul sufficienter instructus. Fuit etiam acer ingenio: ad omnia quæ intendisset finetenus perseuerans. Beneuolentia vero qua se inclinasset, mirabili atque perpetua. Ad quærendum quoque diligens, & ad largiendum liberalis, & in amicos pariter vehemens & inimicos.

Aurelius Antonius Bassianus, qui & Caracalla dictus est, Seueri filius, Lugduni genitus, solus Romanum consecutus imperium, anno incarnationis diuinæ ducentesimo primo, imperauit annis septem. Hic fuit libidine intemperantior patre, qui etiam nouercam suam duxit vxorem. Huius tempore apud Alexandriam præfuit Demetrius, cui successit Lætus. Deinde Heraclas. Et Antiochiæ præerat Serapion Episcopus. His etiam temporibus Symmachus hæreticus prædicabat, Iesum

Symmachus Hæreticus.

de semine Ioseph fuisse natum; Et Mosaicam legem Iudaico ritu esse seruandam. Nos autem Catholici credimus Iesum Christum non de virili semine, sed de virgine natum, vt, sicut intrauerat mors in mundum per virginem: ita per virginem vita redderetur hominibus. Sed huic virgini Ioseph ministeriū tulit: Et puero simul & puerperæ oportuno tempore sedulo ministrauit. Nec quenquam moueat, quod illum Euangelista *patrem Saluatoris* appellat. Hoc enim vulgus opinabatur. Sed Lucas ipsam rem euidenter aperuit, dicens: *Factum est, cum baptizaretur populus à Iohanne, & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum; & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum. Et vox de cælo facta est: Hic est filius meus dilectus in quo complacuit mihi. Erat enim ipse Iesus quasi annorum triginta, & putabatur filius Ioseph.* Mosaicam vero legem, quam radicem nouæ legis dicimus, non penitus sicut Idololatriam abiicimus, sed velut elementa eruditionis nostræ credendo suscipimus. Hanc enim Christus non venit soluere, sed adimplere: transferens eam ab vmbra ad veritatem, à signo ad rem, à timore ad amorem, à seruitute ad libertatem. Sed idcirco vetustatem literæ, quam constat euacuatam plenitudine mysterii superueniente, non custodimus, quia cognoscimus in Noui Testamenti mysteriis, omnem nobis salutem pleniter esse constitutam. Hæc igitur contra hæreticum dixisse sufficiat. Nunc ad historiam redeamus. Cæsar igitur Aurelius Antonius contra Parthos egressus, apud Edessam occisus est, corpusq; eius Romam delatum. Vixit autem annis fere XXX. cui successit, nulla voluntate Senatus, Macer Macrinus Palatii præfectus.

Macer Macrinus Ophylus Palatii præfectus, post Antonium Romanum inuasit imperium, sed emisso anno, tumultu militari occisus est.

Marcus Aurelius Antonius Gabalus, imperio Romano potitus imperauit annis quatuor. Hic sacerdos Heliogabali templi, nullam sui nisi stupri & flagitiorum totiusque obscænitatis infamem dereliquit memoriam. Hic etiam tumultu militari Romæ exorto, cum matre peremptus est.

Alexan-

Alexander Mameas Senatus & militum voluntate imperator creatus, anno incarnationis Dominicæ ducentesimo duodecimo, imperauit annis tredecim. Hic in Persas expeditione commota Xerxem eorum regem maximo bello victor, oppressit. Huius imperatoris mater Mamea Christiana Origenem Presbyterum ab Antiochia euocatum audire curauit. His tamen temporibus inclyti martyres Christi Tyburcius & Valerianus: cum beata virgine Cecilia Romæ martyrizati sunt. Hac etiam tempestate apud Antiochiam Phyletus Episcopus residebat. Porro Aurelius Alexander, apud Maguntiam à Maximo Iulio Tyranno interfectus est.

Maximus Iulius nulla voluntate Senatus, imperium assecutus, anno incarnationis Domini ducentesimo vicesimo quinto. Imperauit annis tribus. Hic propter Christianam Alexandri cui successerat & Mameæ matris eius familiam, excitauit in Sacerdotes & Clericos persecutionem. Vnde Romæ Pontianus Papa, qui Vrbano successerat, martyrio coronatus est. Cui Antheros successit. Porro Maximus Iulius, qui & Maximinus legitur appellatus tertio quo regnabat anno à Pupenio Tyranno Aquileiæ interfectus, persecutionis & vitæ simul finem fecit. Moxque Pupenius & Balbinus frater eius vsurpauerunt Romanum imperium, sed statim in Palatio cæsi sunt.

Gordianus Romanum sublimatus in regnum, anno ab incarnatione Domini ducentesimo vicesimo octauo. Imperauit annis sex. Quibus expletis, postquam aduersus Parthos sæpe feliciter dimicasset, suorum fraude secus Euphratem interfectus est. His diebus Romæ Anthero Papæ Fabianus successit. Floruit etiam eadem tempestate Africanus, vir inter scriptores Ecclesiasticos nominatissimus. Porphyrius quoque Philosophus, etiam Theopompus, Victorque Sophista apud Athenas claruerunt.

Philippus, qui & Marcus Iulius dicitur appellatus, imperator constitutus anno ab incarnatione ducentesimo tricesimo septimo. Imperauit annis septem. Hic Philippum filium suum consortem sui fecit imperii. Et primus Imperator Romanorum Christianus extitit. Horum denique imperatorum anno tertio, millesimum annum à conditione sua Roma compleuit. Et hoc eodem anno Heraclas apud Alexandriam obiit, & Sacerdotium Dionysio dereliquit. Hic autem Dionysius multis confessionibus clarus, & pro tormentorum diuersitate toto orbe magnifice claruit. Verum ambo imperatores diuersis in locis fraude Decii successoris sui circumuenti sunt & occisi.

Decius Romanum inuadens imperium, anno incarnationis Dominicæ ducentesimo quadragesimo quarto: Imperauit anno vno & mensibus tribus. Hic ad persequendos & interficiendos Christianos, septimus post Neronem feralia dispersit edicta. Qua persecutione martyrizatus est Romæ Papa Fabianus: & apud Antiochiam Babilas sanctissimus: & in Epheso Sancti septem requieuerunt pueri dormientes. Sed & Hierosolymis Alexander Episcopus veneranda canicie præfulgens, posteaquam frequenter multis passionibus excruciatus, glorificauerat Deum, dum de vinculis ad tribunal, & à tribunalibus reuocatur ad vincula, inter ipsa sibi succendentia tormenta defecit. Cui in sacerdotium Mazabanes successit. Denique non possumus euoluere, quantæ multitudines hoc persecutionis igne feruente, in desertis, & in montibus latitantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus bestiisque consumti sunt. Hac præterea tempestate Nouatus Romanæ Ecclesiæ presbyter, elatione tumidus, & Episcopatus cupiditate, quam intra se latenter gerebat bonitatem simulans, vt incautos deciperet, princeps hæreseos Nouatiorum extitit: eorum scilicet, qui se superbo nomine *Catharos*, id est, mundos appellant. Hi igitur lapsis fratribus in persecutionem non communicabant: nec eorum pœnitentiam suscipiendam esse censebant. Ob quam rem sacerdotale concilium in vrbe Romana congregatum est, Episcoporum sexaginta & Presbyterorum totidem, cum Diaconis plurimis. Cui præfuit Cornelius Romanæ præsul Ecclesiæ. In quo concilio statutus Nouatus cum suis sectatoribus alienus ab Ecclesia DEI, & fratres in certamine lapsi pœnitentiæ medicamine decernuntur *Nouatiana hæresis.*

esse fouendi. Quibuslibet enim criminosis pœnitentia non negatur, si vita mutetur & pœnitentia peragatur. Vbique namque nobis occurrit diuina medicina. Nam datur homini præceptum, ne peccet: Et si peccauerit, promittitur remedium, ne desperet. Illi tamen qui in malitia sua permanent, & eleemosynis peccata sua se redimere sperant, falluntur. Propter hoc nempe eleemosynæ sunt faciendæ: vt cum de præteritis criminibus deprecamur, exaudiamur: vt non in eis perseuerantes, licentiam male faciendi nobis per eleemosynas comparare credamus. Igitur prius prauitas deserenda est, & demum vnicuique conuenit, vt tanto maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam: quanto sibi grauiora intulit damna per culpam. Porro Decius imperator nō totis duobus annis principatu Romani apicis administrato, cum filio suo quem iam Cæsarem legerat in medio Barbarorum sinu interfectus, regnum cum vita perdidit.

Gallus Hostilianus cum filio suo Volusiano regno potitus, anno ducentesimo quadragesimo quinto; imperauit vix annis duobus. Huius regnum cum floreret in initio; & cuncta ex sententia cederent, sanctos viros, qui pro pace & prosperitate regni eius Domino supplicabāt, persequi cœpit, cum quibus pariter prosperitatem suam fugauit & pacem. Sed exorta persecutione, exorta est etiam vltio violati nominis Christiani. Et vsque quo ad profligandas Ecclesias edicta decurrerent, eatenus incredibilium morborum pestis extenditur. Nulla fere prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali pestilentia correpta atque euacuata sit. Hac sola pernicie insignes Gallus & Volusianus, dum contra Æmilianum nouis rebus studentem, bellum mouetur ciuile, occisi sunt. Æmilianus quoque tertio mense inuasæ Tyrannidis extinctus est. Verum per idem tempus Romæ sancto Papa Fabiano iam defuncto; & Cornelio eiusdem sedis cathedram Episcopalem obtinente: Carthagini vero præsidente sancto Cypriano, ambobus fide & virtute præcipuis, orta est quæstio in Africæ partibus, vtrum oporteret hæreticos rebaptizari. Quæ tandem diffinita est, & inuentum atque sancitum est, sola eos manus impositione posse purgari. Siue enim schismaticus aut hęreticus vel facinorosus, secundum sanctorum sententiam canonum, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti* baptizetur; non debet ille qui baptizatus est, rebaptizari, ne tam salutare Sacramentum videatur annihilari. Quod Sacramentum specialiter est constitutum ad dissoluendam obligationem originalis peccati. Nam sicut quisque maris & fœminæ coniunctione opus habet vt seculo nascatur; ita & regeneratione opus habet, qua Deo renascatur, per aquam & Spiritum sanctum: sicque fit vt à noxa originalis peccati qua tenetur, impeditus, hoc salutifero Sacramento reddatur expeditus. Et hæc de Baptismatis Sacramento. Porro circa hos dies Origenes presbyter (cuius supra meminimus) defunctus esse legitur. Cuius Presbyteri scripta quibusdam in locis hæretica reperiuntur prauitate conspersa. maxime in locis illis vbi de purgatione & liberatione: ac rursus post longum tempus ad eadem mala reuolutione rationalis vniuersæ creaturæ tractare videtur. Ibi enim affirmare contendit, quod omnes qui præsentem vitam in flagitiis & facinoribus quālibet maximis finierunt, ipsumque postremo Diabolum & omnes satellites eius tandem post longa tempora purgatos, regno Dei lucique restitui: & rursus post alia tempora omnes qui liberati fuerint, ad tormenta relabi atque reuerti. Et has vices alternantes beatitudinum & miseriarum omnis rationalis creaturæ dicit semper fuisse, & semper fore. Sed hoc euidenter Euangelio contrarium sonat. Ibi enim legitur *Quoniam cum venerit Dominus in sede maiestatis suæ, dicet his qui à sinistris eius positi erunt. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo & Angelis eius. Et post pauca. Tunc ibunt hi in supplicium æternum: Iusti autem in vitam æternam.* Quod ideo dixerim, ne studiosus lector semper super verbis Origenis attendat. Sed hic botrum carpat, ne spinam contingat. Nam profecto liquet, si falsum est: Quod verax & iustus Deus criminosis æternum minatur supplicum, illud iterum esse falsum; quod iustis vitam promittit æternam. Verum Origenes mille & eo amplius tractatus edidit, & multos commentarios, quos appellat Tomos: Multos etiam Gentiles ad fidem Christi conuertit. Et ita à pueritia mundanam calcauit voluptatem, vt se Zelo Dei, sed non secundum scientiam ferro castrauerit; quod non solum moribus hominum, sed etiam legibus

Origenes.

inter-

interdictum esse euidentissime liquet. Imbecillis enim animi est suffragium, & non obtinet virtutis tropheum, hominem aduersus corpus suum vesano militare furore, nec habet insignia fortitudinis, nec profectũ vtilitatis. Est quippe huiusmodi istud, ac si videns nauis gubernator tempestatem futuram, tempestatis gratia declinandæ iratus gubernacula frangat, ac nauim fluctibus immergat. Hosti igitur se tradere causa martyrii religiosus Christianus sine pietatis dispendio, vbi oportunum prospexerit potuit: Manus vero suas sibi in hostem conuertere sine scelere non potuit. Sed his breuiter expeditis ad historiam redeamus.

Valerianus ab exercitu in Rhetia creatus imperator, anno ab incarnatione Domini ducentesimo quadragesimo septimo, imperauit annis quindecim. Eodem tamen anno Romæ à Senatu Galienus Cæsar est constitutus. Porro Valerianus ita primum sanctos venerabatur: vt domus eius DEI esse Ecclesia crederetur. Sed deprauatus postmodum per quendam magum, cœpit detestari fidem Christianorum: ita vt eos quos ante ducebat venerandos, iuberet interfici; sicut qui aduersarentur magicis artibus, quibus se deuouerat. Octauus denique a Nerone, adigi per tormenta Christianos ad Idololatriam iussit. Qua feruente persecutione, passus est beatus Cyprianus, apud Carthaginem, eodem die quo Romæ Papa Cornelius, sed non eodem anno. Verum Cornelio Romanę vrbis Episcopo Lucius successit. Et Lucio, Stephanus. Et Stephano Xixtus cuius fuit Archidiaconus Sanctus martyr Laurentius. Porro Valerianus persecutionis huius non est diu impunitate gauisus. Nam postquam Christianos affligi & interfici iussit, subito per totum Romanum imperium turbationum fragor increpuit; & solutæ vndique barbaræ gentes, laxatis habenis omnes Romanorum fines ingrediuntur. Græcia quoq; & Macedonia, nec non & Pontus & Asia Gothorum inuasione peruadunt. Germani denique alpibus & Italia penetrata Rauennam vsque perueniunt. Alamanni quoque Gallias ingrediuntur. Quadi & Sarmatæ Pannoniam depopulantur. Parthi Mesopotamiam auferunt. Posthumus in Gallia Tyrannidem inuasit, quam & per annos decem tenuit. Postea vero suorum seditione militum peremptus est. Ad extremum autem ipse Valerianus DEI præsidio destitutus, a rege Persarum Sapore captus, ignominiosa apud eum seruitute consenuit, & donec vixit hanc infamis officii pœnam semper tulit: vt accliuis humi regem ascensurum in equum non manu, sed dorso attolleret. At Galienus tam claro DEI territus iudicio, postquam rerum summam solus obtinuit, lenius ac moderatius agere cœpit, & pacem ecclesiis condonauit: statimque ira Dei in misericordiam versa est. Et Æmilianus Tyrannus apud Magonciacum, cum res nouas moliretur, occisus est. Marcius quoq; in Galliis post mortem Posthumi inuaserat imperium, continuo interfectus est. Sed & Victorinus Cæsar a Gallis creatus, post paululum est oppressus. In Oriente etiam per Odenatum quendam victi Persæ & repressi. Defensaq; Syria & recepta est Mesopotamia. Porro per idem tempus Antiochenam sedem obtinebat Demetrianus: & Hierosolymitanum sacerdotium post Zabanem suscepit Hieneus. Apud Alexandriam vero duodecimo anno imperii Galieni, Dionysius principum nobilissimus, cuius supra meminimus, requieuit in pace, & successit ei Maximus. Deniq; Galienus imperator, Claudio succedente, defunctus est. Regnauit autem cum Valeriano annis septem, & solus annis octo. Vixit autem annis quinquaginta.

Claudius vero, vir armis strenuus & probis moribus, voluntate Senatus imperator creatus, *anno ab incarnatione* Domini ducentesimo sexagesimo tertio: imperauit *anno vno*. *Hic* Gotthos iam per annos quindecim Illyricum Macedoniamque vastantes, *bello* adorsus, magna strage coercuit. Vnde illi in curia Clypeus aureus, & statua simul equestris aurea collocata est. Hoc etiam tempore apud Antiochiam Demetrio Episcopo Paulus quidam Samosatenus genere successit. Qui indigna de Christo sentiens, vtpote tumidus & superbus hæreticus, prædicabat enim hominem tantum communis naturæ fuisse, & de terra initium suscepisse, quod omnino Catholicæ fidei contrarium est. Duas quippe in Christo confitemur naturas: vnam, coæternam DEO Patri, & alteram qua natus est DEVS homo de virgine. Diabolica enim fraude primum deceptum hominem volens

P. Samosatenus.

omnipotens Deus ſua benignitate excellentiore gradu quam conditus fuerat ſublimare, factus eſt particeps humanitatis noſtræ, vt nos erigens ad ſublimiora participes faceret diuinitatis ſuæ. Denique operata eſt pariter in Chriſto vtraque natura, quod proprium habuit: diuinitatis ſcilicet eſſentia, quod Dei eſt: & carnis ſubſtantia, quæ carnis ſunt. Nam ita plena diuinitas in Chriſto intelligitur, homini iuncta; & plena humanitas in DEVM aſſumpta: vt nihil videatur caro ſine diuinitate peragere, nec diuinitas ſine carne quicquam efficere. Et ſic DEVS per ſuam ſapientiam Diaboli ſuperauit aſtutiam: & ita qui primum deceperat hominem de incontaminata terra formatam, ſuperatus eſt a Chriſto de virgine nato, ſine iniuria maieſtatis ac diuinitatis. Præfati prætereà Pauli dum verbum faceret ad populum, erat ſpectare ſuperbiam. Iactabat enim dexteram palmam femori, illidebat ſcabellum pede, cum ſonitu feriebat, & ab auditoribus fauorem plauſumque quærebat. Antiquis prætereà tractatoribus inſultabat, ſuas laudes extollēs. Collocauerat etiam ſibi intra Eccleſiam thronum excelſum, & ſecretarium ſuum variis decorauerat ornamentis, ita vt hæc videntes Gentiles, propter illius arrogantiam derogarent religionem diuinam. Sacroſanctum enim debet eſſe ſacerdotale miniſterium, vt Clero & plebi ſit exemplo. Verum nunc ad hiſtoriam redeamus. Claudio imperatore apud Syrmium defuncto Quintilius frater eius ab exercitu electus eſt, & in ſolio ſublimatus, ſed die ſeptimo imperii ſui interfectus, occubuit.

Aurelianus imperium ſumens Quintillo defuncto, imperauit annis quinque & menſibus ſex. Iſte fuit vir induſtriæ militaris experriſſimus, & memoratam Gotthorum gentem duris præliis profligauit: Ditionemque Romanam antiquis terminis ſtabiliuit, & Syriam totam receptam ſibi vendicauit: Vnde magna gloria Romæ triumphauit. Et poſtmodum ipſam vrbem muris firmioribus cinxit. Prætereà ſtatus Eccleſiæ hoc eodem tempore, incrementis proſperioribus augebatur quotidie. Vnde apud Antiochiam celebre conciliū eſt aggregatum. In quo præfatus Paulus hæreticus manifeſtiſſime conuincitur & condemnatur, inſiſtente maxime Malchione presbytero Antiochenæ Eccleſiæ, viro ſapientiſſimo. Huic enim ab omni Epiſcoporum concilio pe miſſum eſt diſputare cum Paulo, excipientibus notariis. Qui cum eſſet diſertiſſimus, diſſimulantem & occultantē ſe Paulum diutius, validis tandē diſceptationibus publicauit. Quibus ita geſtis, continuo Paulus & a ſacerdotio abſciſſus eſt, & à communione priuatus. & quidam nomine Donnus in eius locum ſubrogatus. Et cum eſſent adhuc vniuerſi pariter ſacerdotes in concilio poſiti, ſcripſerunt ad Dionyſium vrbis Romæ Papam epiſtolam, & ad Alexandrum Epiſcopum: & ad omnes Eccleſias: indicantes Pauli hæreſim eſſe denudatam. Sed & vitam intemperatam moreſq; eius pariter eiſdem reuelare ſtuduerunt. Et quod diu permanſerat in potentatu, cum eſſet immitis & elatus, quadam ſpecie Tyrannidis: ita vt ad arguendum illum vel ad accuſandum, nemo prorſus auderet accedere. Verum ille ablato fidei myſterio, nolebat exire de domo Eccleſiæ. Vnde interpellatus eſt Aurelianus imperator, vt inde illum exire compelleret. Qui mox imperauit illum inde vi publica expelli: & Donnum virum multis virtutibus adornatum Eccleſiæ tradi. Cui fauebat Romanus Antiſtes & omnes Italiæ ſacerdotes. Nondum enim erat Aurelianus malis deprauatus conſiliis, quibus proceſſu temporis bonum poſtmodum propoſitum immutauit, & perſecutionem duriſſimam Eccleſiis excitauit. Quo perſecutionis tempore in Galliis paſſa eſt ſancta virgo Columba in Senonenſi ciuitate. aliique per diuerſas prouincias occubuerunt libenter pro Domino IESV Chriſto, diuerſa certamina peragentes. Sed cum piorum ſanguinem impiiſſimus effunderet Aurelianus, inter Conſtantipolim, & Heracleam mortè ſubita diuinitus eſt extinctus. Quo defuncto, Tacitus imperauit menſibus ſex. Et hoc in Ponto interfecto, Florianus Romanum imperium eſt adeptus, qui & ipſe imperii ſui tertio menſe apud Tharſum eſt occiſus.

Probus denique Romanorum ſortitus imperium Tacito & Floriano imperatoribus interfectis, anno fere ab incarnatione Domini ducenteſimo ſeptuageſimo. Imperauit annis ſex & menſibus quatuor. Hic Gallias iam dudum à Barbaris occupatas per multa & grauia prælia deletis tandem hoſtibus perfectiſſime liberauit. Egit denique duo bella ciuilia, vnum in Oriente, quo Saturnum Tyrannum oppreſſit: Et aliud

quo

quo Proculum & Bonosum apud Agrippam magnis præliis superatos, interfecit. Circa hæc præterea tempora Dionysio Papæ Felix successit: & Felici Euthicianus: Et Euthiciano Gaius: Et Gaio Marcellinus. Antiochiæ post Donnum Episcopum, successit Tymeus in Sacerdotium: & Tymeo Cyrillus. Et Cyrillo Dorotheus. Apud Alexandriam autem post Maximum Theonas sedit, cui Petrus vir egregius atque sanctissimus successit: qui persecutionis tẽpore sub Maximiano Galerio Cæsare, postea martyr occubuit. Hierosolymis etiam post Irenæum, Zabas suscepit Sacerdotium. Sed & apud Laodiciam post Socratem sedit Eusebius: & post Eusebium Anatholius, vir eruditus & eloquentissimus. Et apud Cæsaream Palestinæ Theodegno successit Agapius. Et Agapio, Pamphilus, martyr sanctissimus. Hac denique tempestate fuit quidam Manes genere Perses; acer ingenio, vita vero vel moribus Barbarus, qui secundum nomen suum insaniens se Paracletum nominabat. Ab hoc diffusa est hæresis Manichæorum per orbem vniuersum. Hic asserebat duo esse principia. Vnum boni & alterum mali: vnum lucis & alterum tenebrarum. Cum omnis creatura bona sit per naturam: sed dum fuerit immutata, fit mala. Amissio igitur boni mali nomen accipit: & absentia lucis tenebræ nuncupantur. Proinde malum, de quo DEVS per Prophetam dicit: *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum*; non ideo dicit vt vlla sua natura mala subsistant. Sed tunc se dicit malum creare, cum res bene conditas male agentibus in flagellum creat: vt ea ipsa & per dolorem quo delinquentibus inferuntur, mala sint, & per naturam qua existunt bona. Vnde venenum mors quidem homini est, sed vita serpenti. Denique desipit omnis, qui videre tenebras quęrit, vel audire silentium: cum sint res non efficientes, sed deficientes. Sed nimis longum est modo tam stultam huius hæretici prauitatem redarguere: præsertim cum beatus Augustinus Episcopus, secundum sibi à Deo datam sapientiam, sermone luculento ei in quodam suo responderit libro. Porro Probus imperator apud Syrmium militari tumultu necatus est. **Manichæorum hæresis.**

Carus Narbonensis, Anno ab incarnatione Domini ducentesimo septuagesimo septimo imperio potitus, imperauit annis duobus. Hic cum filios suos Carinum & Numerianum consortes regni sui fecisset, ad bellum Parthicum profectus, in castris fulmine ictus, interiit. Numerianus vero qui cum patre profectus fuerat, inde rediens, Apri soceri sui fraude interfectus est.

Diocletianus ab exercitu imperator electus, Numeriano perempto, anno ab incarnatione Domini ducentesimo septuagesimo nono: imperauit annis ferme viginti. Iste Aprum Numeriani interfectorem, manu sua, mox vt creatus est imperator, interfecit. Et Carinum Numeriani fratrem apud Dalmatiam flagitiose degentem, difficillimo bello superauit & extinxit. His diebus Amandus & Helianus in Gallia, collecta rusticorum manu, quos Bagaldas vocabant, perniciosos tumultus excitauerunt. Vnde Diocletianus Maximianum Herculium quondam commilitonem suum Cæsarem fecit, & in Gallias destinauit, qui facile agrestium hominum imperitiam & confusam manum militari virtute compescuit. Sed in ipso itinere Thebea legio sub vno Galliæ loco Agauno sub præfato Maximiano pro Christo libenter occubuit. Hoc etiam in tempore, dum prosperis incrementis Ecclesia DEI per vniuersum orbem dilataretur & cresceret, subito turbo persecutionis increpuit. Anno quippe nonodecimo imperii Diocletiani, cum, sicut dictum est, Ecclesia DEI prosperis prouectibus afflueret: proponitur eiusdem principis edictum, vt cunctæ quæ in toto orbe erant Ecclesiæ, dissiparentur vsque ad solum, & sacræ Scripturæ igni comburerentur vbique, & omnes qui Ecclesiis præerant in vinculis ponerentur. Ac demum exquisitis suppliciis immolare cogerentur. Rapiebantur igitur omnes Ecclesiarum principes, & sancti Clerici sicut Christi domestici, & cum eis nobiles & ignobiles multi. Breui quoque post tempore rapiebantur & fœminæ, nec non etiam pueri, & in carceribus cruciabantur. Æstuantibus itaque carceribus præ multitudine compeditorum, rursus noua decreta vulgantur: vt ex his qui conclusi erant, si quis immolare vellet, liber abscederet: qui vero abnueret, diuersis pœnarũ generibus interiret. Tunc quidã terrore correpti

cedebant; ſed alii diuina virtute ſuffulti, non ſolum hæc, ſed omnia quæ homicidis, adulteris, venenariis & ſepulchrorum violatoribus inferri ſolent tormenta, non laſſeſſendo ferebant. Nam primo virgis cædebantur. Sed cum nec ſic adhuc frangebantur: adhibebantur eis leones, pardi, vrſi, apri, & indomiti tauri, quibus deuorarentur ac diſcerperentur. Alii vero laminas ignitas, fuſteſque, cruceſque patiebantur. Nonnulli denique poſt flagella, flammis traditi ſunt. Alii vero in mare præcipitati: & quidam capite cæſi, & alii ſunt conſumpti. Et hæc perſecutio eo vſque flagrauit: vt & oceani limbum tranſinearet. Paſſi ſunt quippe ſub hac perſecutione in Britanniæ partibus: Albanus, Aaron, & Iulius, cum aliis plurimis viris ac fœminis. Et ſemel cœpta rabies perſecutionis: vſque ad ſeptimum Conſtantini Magni imperatoris feruere non ceſſauit annum. Qua perſecutione feruente, Marcellinus Papa tentus eſt à Maximiniano. Et dum duceretur ad immolandum, conſenſit, ſed poſtmodum pœnituit, & martyr eſſe promeruit. Hac etiã tempeſtate decem & ſeptẽ millia martyrum paſſi ſunt intra vrbem Romam. Sed dum Diocletiani iuſſu & Maximiani iſta geruntur: graues per omnes Romani Imperii fines ſubitarum perturbationum concrepuerunt fragores: Carauſio, qui ad obſeruanda Oceani littora poſitus fuerat in Britannia rebellante, & Achileio in Ægypto: cum & Africam quinque Gentiani infeſtarent, & Narſeus rex Perſarum etiam Orientem bello premeret. Quo periculo Diocletianus permotus Maximianum Herculianum ex Cæſare fecit Auguſtum. Conſtantium vero & Maximianum Galerium Cæſares legit: Tradens Theodoram Herculii Maximiani filiam, & ſuam nomine Valeriam Maximiano Valerio. Porro præfatus Carauſius Britannia ſibi per ſeptem annos fortiſſime vendicata ac retenta: tandem fraude Allecti ſocii ſui interfectus eſt. Allectus vero poſtea ereptam Carauſio inſulam per triennium tenuit. Quem Aſclepiadotus præfectus oppreſſit, Britanniamque poſt decem annos recepit. Conſtantius vero Cæſar in Gallia primo prælio ab Alamannis profligato exercitu ſuo, vix ipſe ſurreptus eſt. Secundo autem, ſecuta eſt ſatis ſecunda victoria. Nam paucis horis ſeptuaginta millia Alamannorum cæſa referuntur. At Maximianus Auguſtus, Quinque Gentianos in Africa perdomuit. Diocletianus autem Achileum, obſeſſum per octo menſes apud Alexandriam cepit & interfecit: ſed immoderata victoria vſus, Alexandriam direptioni dedit, Ægyptumque totam proſcriptionibus fœdauit. Erat etiam cum Diocletiano in illis diebus, Conſtantinus, iuuenis inclytus, filius Cæſaris Conſtantii, quem ex Helena priori ſua coniuge procreauerat vir ſtrenuus Conſtantinus. Quem Diocletianus dolo perimere Galerio inſtigante ſatagebat. Sed cognita fraude, ad patrem ſuum ſaluus diuina prouidentia remeauit Conſtantinus. At Maximianus Galerius, cum duobus iam præliis aduerſus Narſeum conflixiſſet, tertio congreſſu victus, amiſſis copiis, ad Diocletianum refugit: à quo arrogantiſſime exceptus eſt: ita vt per aliquot millia paſſuum purpuratus ante vehiculum eius cucurriſſe referatur. Veruntamen hac contumelia quaſi cote ad virtutem vſus eſt: poſtquam regii faſtus detrita rubigine, aciem mentis expediit. Itaque mox per Illyricum & Meſiam vndique copias contraxit: raptimque in hoſtem reuerſus, Narſeum magnis copiis viribuſque ſuperauit: extinctiſque Perſarum copiis, ipſoque Narſeo in fugam acto, caſtra eius inuaſit: vxores liberoſque cepit: immenſamque vim gazæ Perſiæ diripuit: captiuoſque quam plurimos Perſarum nobilium adduxit. Et reuerſus in Meſopotamiam, à Diocletiano plurimo honore ſuſceptus eſt. Interea dirus perſecutionis furor in Chriſtianos ſæuiebat. Veruntamen Diocletianus tandem ab inuito exegit Maximiano, vt ſimul purpuram, imperiumque deponerent: ac iunioribus in republica ſubſtitutis, ipſi in priuato habitu conſeneſcerent. Itaque ſub vna die Diocletianus apud Nichomediam, Maximianus vero apud Mediolanum poteſtatem imperii cultumque depoſuerunt. Tunc Galerius Maximianus, & Conſtantius Auguſti, in duas procurationes, Orientis ſcilicet, & Occidentis primi Romanum diuiſerunt imperium, & annis quinque pariter regnauerunt. Et Galerius Maximianus Illyricum, Aſiam & Orientem: Conſtantius vero vir ſummæ manſuetudinis & ciuilitatis Gallia tantum Hiſpaniaque contentus, Galerio cæteris partibus ceſſit. Demum tamen Galerius duos poſt ſe Cæſares legit, Maximinium, quem in Italia poſuit, ipſe in Illyrico conſtitutus. Idem etiã Galerius Auguſtus, cum eſſet nimis

ſuper-

ſuperſtitioſe ſimulachrorum deditus cultibus, iuſſit vetuſta & derelicta delubra per totum Orientem renouari: Et tanta inſuper impietate Chriſtianos afficere cœpit: vt præceſſores omnes vinceret in ſcelere. Sanctorum quippe ſingulis membris ſpecialia geſtiebat inferre tormenta. Paſſus eſt igitur apud Alexandriā hoc perſecutionis tempore, ſupra nominatus Petrus, eiuſdē vrbis Epiſcopus: vir inclytus & maximis virtutibus adornatus. Paſſi ſunt etiā tam in præfata vrbe, quā per alias Orientis prouincias innumerabiles ſancti, pro fidei veritate & Spiritus libertate. Sed cum ſemel accenſa crudelitas perſecutionis, magis magiſq; quotidie iā per decenniū graſſaretur, præfatus Cæſar Galerius ægritudinē incurrit. Qua ſtimulatus anguſtia, edictis late miſſis, Chriſtianos de exilio reuocauit. At memoratus Auguſtus Conſtantius, mitius ſe agebat, & cultores Chriſti venerationi habebat & honori: intelligens in idolis veri numinis nullam conſiſtere maieſtatem. Vnde gratia Dei matura prædictorum ſubſequuta eſt perditio Tyrannorum, & regnum Conſtantini filii eius vſq; ad Oceanum dilatatum fœliciter creuit. Nam Herculius Maximianus perſecutor, imperium quod abiecerat iterū accipere volens Conſtantino nondum imperatore Maſſiliæ oppreſſus eſt, & extinctus. Galerius etiam Auguſtus, Seuerū Cæſarem ad Italiam cum exercitu miſit. Vbi cum vrbem obſideret, militum ſuorum ſcelere deſertus & perditus Rauennæ interfectus eſt. Diocletianus quoq; (ſicut iam dictum eſt) regia dignitate depoſita, Salonæ defunctus eſt.

Conſtantius deniq; ſtrenuiſſimus imperator, Anno imperii ſui 15. Eboraci deficiens, ordinauit Licinium Cæſarem Hiſpaniarū, & Conſtantinum filium ſuum Cæſarē Galliarū. In Romana vero ſede Marcellino Papę Marcellus ſucceſſit: & Marcello Euſebius: & Euſebio Melchiades. Porro Melchiades conſtituit, *vt in die Dominica nemo ieiunet.* Et huic Sylueſter ſucceſſit, qui imperatorē Conſtantinū baptizauit, & priuilegiū Romanæ Eccleſiæ ab eo prometuit. Hic etiam conſtituit: vt ſacroſanctum ſacrificium non in panno ſerico, ſed in puro linteo conſecretur. Reperit quoq; Dalmaticæ vſum.

Præcedenti libro Spiritus ſancti ſuffragio, pauca de quibuſdam primitiuæ Eccleſiæ Sanctis, qui poſt noſtri ſaluatoris natiuitatem, & eius ad cœlos glorioſam aſcenſionem preſſuras innumerabiles ꝓ fide ſuſtinuere Catholica, perorauı. Præſenti vero volumine tentabo, ſi poſſum, de illis qui pacis & tranquillitatis diebus floruerūt, aliquid etiam dicere. Ab illo tempore duces exordiū, quo Romani imperatores idolis abrenunciantes, pro quib. olim perſequebantur Chriſtianos, verū Deū cœperūt colere, qui mundi fabricam condidit vniuerſam. Nullo enim tēpore deſtitit Deus in vinea ſua, id eſt, Eccleſia idoneos operarios conducere: Neq; illa dignos illi fructus per patientiā gignere. Sed quanto duriora pro redemptoris ſui nomine certamina tolerauit; tanto glorioſius ſemper de Diabolo triumphauit. Proinde zelatur diuini muneris efficaciam antiqui ſerpentis impietas: & contra pietatis iuſtitiam armatur iniquitas. Ille quippe qui dudū in cælo poſitus, diuinitati ſe comparauit, & eſſe Deo ſimilis, non per iuſtitiam, ſed per potentiam concupiuit: quiq; propter ſuam de cœlo proiectus eſt ſuperbiā, ſolida verſutia poſt perſecutionis tempora, quę ſuſtinuit Eccleſia primitiua, trāquillitati eius inuidens, ruſus per quoſdam hæreticos tentauit ſubuertere Catholicam fidem. Et qui prius aduerſus eam ſæuam perſecutionum excitauerat tempeſtatem: Ille etiā poſtmodum in ea hæreticorum ſeminauit germina nequam. Sed pietas Dei munificentiſſima contra præfatam nequitiam quoſdam ſuos armauit proceres: qui magno ſuo labore & hæreticorum dolos confunderent, & ſacræ fidei lineam vberiori facundia roborarēt. Quorum profecto meritum à martyrii dignitate non degenerat. Nam idem labor pro fide certantibus eos martyribus æquiparat. Et quia nihil veritate validius, Ita omnem hæreticam prauitatem fides Catholica præfatorū labore virorum contriuit, ſicut dudū antiquorum philoſophorum ambiguas opiniones ſanctorum Patriarcharum atq; Prophetarum auctoritate quaſſauit. Et quemadmodum ille fœlix Angelorum exercitus, qui poſt Diaboli lapſum in cœlis remanſit, Deo ſecundum ſibi datum ordinem dignitatum famulatur & ſeruit: & ad nutum eius Angelorum multitudinem Archangelorum obedientia regit: ita & nunc Eccleſia, ſecundum ſibi datos gradus ordinis & diſciplinæ, ipſi Deo pro humana poſſibilitate fideliter in terra miniſtrat. Verum quos illa non colligit, hos profecto Diabolus ad interitum ſecum rapit. Et hæc præſenti prologo de ſancta dixiſſe ſufficiat Eccleſia.

Amodo vero inferam operi inchoato quædam Capitula de gestis Francorum locis oportunis. Non enim fas est præterire penitus tantæ gentis virtutem, quæ Gallorum gentem asperam, audacem, bellicosam, & cunctis regnis terribilem, ipsisq; etiam Romanis, imperio terrarum florentibus formidabilem, suis armis subigere, & suo sensu sibi potuit retinere. Prius tamen ipsius Galliæ situm, quam nunc præfata Francorū gens incolit, breuiter comprehendam atq; depingam. Igitur vniuersa Gallia non tam ampla quam inclyta, prouinciis tribus terminabatur antiquit⁹. Quarum vna, Belgica; alia Aquitania: alia vero Lugdunensis nominabatur. Porro Belgica prouincia, habet ab Oriente limitem fluminis Hylem, & Germaniam: ab Euro vero habet Alpes Apenninas, & à Meridie, prouinciam Narbonensem: & ab occasu, prouinciam Lugdunensem, & à Circio Oceanum Britannicū. Vrbes eius inclytæ & famosæ Colonia Agrippinensis, Tungris, Treueris, Metis, quæ & Mediomatricum, Remis, Laudunis, & Pagus Helueticorum: quam nunc Alemanni incolunt. Fluunt per eandem prouinciam, Scladus, Matrona, & Mosa & Auxona: quæ vltimos Remorum fines præterfluit. Sylua etiam habetur in ea quæ dicitur Ardenna, quæ à ripis Rheni fluminis vsq; in Treuenorum fines extenditur. Aquitania autem à Warunna flumine ad Pyreneos montes extenditur: & obliquo Ligeris cursu, qui eam ex parte terminat, pene in orbe cingitur. Continentur in ea vrbes egregiæ: Narbona, Auernis, quæ Clarus Mons dicitur, Byturix, Cadrus, Tholosa, Ruthenus, Lemouix, Petragorica, Pictauis, Burdegalia, Sanctonas, & Engolisma. Meat per Aquitaniam Dordonia, quæ in Warunnam immergitur. Sylua habetur in ea Leenna, Byturigibus & Aruernis confinis. Lugdunensis prouincia oritur à monte Viranno: quæ est inter Sequanos & Heluetios. Et à lacu Lemanno, & flumine Rhodano, extenditur ad Oceanum Britannicum, dilataturq; ad Ligeris alueum, qui eam ab Aquitania separat & diuidit. Vrbes in ea multæ & opulentæ: Lugdunum, Cabilonis, Edua, quę & Augustudunus, Senones, Autisioderus, Niuedunus: quæ & Veneruis, Meldis, Trecas, Parisii, Carnotum, Gennabus, quæ & Aurelianis, Rhotomagus, Ebrocas, Oximus, id est, Sagiensis, Cenomannis, Lixouium, Nannetis, Andus, quæ & Andegauis, Abricatina, Rhedonis, Venetus. Quarum Augustudimus & Senonis maioris antiquitus authoritatis fuere. Nam Augustudimus, amicitiam Romani populi amplectendo, nobilis euasit. Senonenses vero quondam Romam obsidione cinxerunt. Fluunt per Lugdunensem prouinciam: Rhodanus & Araris, qui & Sagonna vocatur, & Sequana, quæ Oceano Britannico immergitur. Syluæ in ea: Pertic⁹ & Langolaria. Has tres Galliæ prouincias dū Franci occupauissent, illā regionē quæ Septentrionem versus, inter Mosam & Rhenum porrigitur, Austriam vocauerunt. Illam autē quæ à Mosa vsq; ad Ligerim protenditur, Neustriam nuncupauerunt. Quædam tamē pars Galliæ quam Burgundiones intra Lugdunensem occupauere prouinciam, nunc Burgundia vocitatur. Aquitani autem nomen adhuc auitum retinet. Dicta Aquitania, quod præ cæteris Galliæ prouinciis fontibus & torrentibus scaturiat. Et hoc modo compendioso sermone tantum de situ Galliæ dixisse sufficiat. Restat tamen vt & Narbonensem prouinciam, quæ pars Galliarum est, describamus. Narbonensis prouincia habet ab Oriente Alpes Gothicas: & ab Occidente Hispaniam: & à Circio, Aquitaniam: Et à Septemtrione, Lugdunensem prouinciam, & ab. *.*.

Gallia descriptio.

Austria. Neustria.


Burgundia. Aquitania.

Heic deficit (quod dolendum est) codex noster ms. mala manu abruptus, & truncatus ea parte quæ huc maxime faciebat. quod damnum hactenus neque vlla inuestigandi diligentia, neque subsidiaria amicorum in Galliis & Britanniis opera, resarcire hactenus licuit. Non dubitaui tamen vel sic mutilatum exhibere; additis etiam ad marginem, quæ in Codice extabant, non magnæ rei notationibus: ne memoria tanti operis Iuoniani (cuius alibi nulla apud scriptores occurrit mentio) prorsus interiret. Neque despero, integrum aliquando alicuius felicioris beneficio Reipublicæ obuenturum. Interea quo æquius desiderium amissæ huius partis, de rebus nimirum Francicis, feramus, libuit eiusdem Iuonis Epitomen, cum Epistolis à Fr. Iureto editam, hoc loco substituere.

CHRO-

CHRONICON

IVONIS CARNOTENSIS DE REGIBVS FRANcorum.



RANCOS lingua Attica Valentinianus imperator à feritate & duritia atque audacia vocari voluit, qui post paululum cum tributa Romanis negarent, & Romanorum impetum ferre non possent, egressi à Sicambria peruenere in extremos fines Rheni fluminis in Germanorum oppida, ibique aliquot annis cum principibus suis Marcomiro & Sunone resederunt. Vbi primum regem Pharamundum sibi statuunt, legibusque se subdunt, quas primores eorum Wisogastus Arbogastus Salegastus inuenerunt. Pharamundus Rex primus Francorum, Niceta Viennensis episcopus Iustus Lugdunensis, episcopus relicto episcopatu in Ægypto Anachoreta moritur, ossaque eius Lugdunum referuntur, ossaque Viatoris ministri eius Martinus Turonorum episcopus Miraculorum gloria insignis effulsit.

Didio Pharamundi filius Rex Francorum secundus. Abhinc Franci crinitos Reges habere cœperunt. Eodem tempore Romani Gallias tenebant, citra Ligerim fluuium Gothi.

Clodio post Didionem Rex Francorum tertius. Hic de Thoringiorum finibus egressus Rhenum transiit, victoque Romano exercitu Carbonariam siluam tenuit, ibique sibi sedem statuit.

Meroueus post Clodionem Rex Francorum quartus, Metis à Francis succensa, Franci vsque Aurelianos peruenerunt.

Childericus post Merouеum quintus regnauit annis XXIV.

Clodoueus post Childericum Rex Francorum sextus regnauit annis XXX. Hic primus Regum Francorum à beato Remigio baptizatus est cum populo suo. Siagrius Agidii patricii filius cum Clodoueo apud Suessionem pugnam committens deuictus & occisus est, sicque vires Romanorum in Galliis ceciderunt, Clodoueus Rex Burgundiam sibi subegit. Mamertus Viennensis episcopus clarus habetur, Clodoueus Milliario X. à Pictauis vrbe cum Alarico Rege pugnam iniit, eumque vicit & occidit sibique subegit Tolosam Santonas omnemque Aquitaniam. Fulgentius Ruspensis episcopus & Auitus Viennensis clari habentur.

Mortuo Clodoueo Chlotildis vxor eius cum quatuor filiis suis regnum Francorum tenuit, Theoderico, Clodomiro, Childeberto, Clotario, Clodomirus & Childebertus atque Clotarius contra Sigismundum exercitum mouent & contra Gothimarum fugientibusque Burgundionibus Sigismundus ad monasterium Agaunensium Martyrum fugiens apprehenditur à Clodomiro ibiq; cum vxore & filiis interficitur, ideoq; Clodomirus vltra cum Burgundionibus decertans ab eis interfectus est. Quod Franci indigne ferentes, Gothimarū persecuti occidunt, Childebertus & Clotarius filios Clodomiri nepotes suos, ne regnarent loco patris, occiderunt, vnus tamen Clodoaldus effugit, qui clericus factus & plenus virtutibus migrauit ad Christum. Beatus Medardus migrauit ad Christum sepultus in Ciuitate Suessionis à Rege Clotario, qui & non multo post defunctus in eadem Ecclesia sepelitur, regnauitque LII annis.

Quatuor filii Clotarii regnum inter se diuidunt, Karibertus accepit regnum Clodomiri sedemque constituit Parisiis. Guntranus regnum Childeberti sedemque constituit Aurelianis, Chilpericus regnum patris sui Clotarii Suessioni, Sigebertus accepit regnum Theoderici Remis, Karibertus Rex mortuus in Ecclesia sancti Ro-

mani in Blauio castro sepelitur. Beatus Germanus Parisiorum Episcopus claruit, Chilpericus fratrem suum Sigebertum fraude Fredegundis Reginæ interfectum in Lambani via sepeliuit. Inde vero translatus est in Basilicam S. Medardi. Guntranus vero Rex in Ecclesia S. Marcelli Cabilloni sepultus est, Regnauit vero annis XXXI.

Chilpericus dolo Landrici ac Fredegundis Reginæ ipsius vxoris occisus. Parisiis in Ecclesia S. Vincentii sepelitur.

Theodebertus & Theodericus filii Childeberti cum auia sua Brunechilde in Regnum gloriosi Regis Guntrani Burgundiam directi sunt, inde Theodericus cum Theodeberto fratre pugnam iniit, eumque occidit, Brunechildis tandem pro multis sceleribus in præsentia Clotarii Regis indomitis equis religata cruribus & brachiis membratim discinditur, eiusq; ossa igne concremata sunt.

Clotarius filius Chilberici Rex Francorum octauus. Hic Saxonum terram adeo vastauit, vt non remaneret ibi homo longior spata sua, non longo post tempore obiit anno XLIV. regni sui.

Dagobertus filius Clotarii Rex Francorum nonus, vir strenuus fuit, habuit autem duos filios Sigebertum & Clodoueum. Anno vero Regni sui XLIV. febre valida tactus & mortuus est, sepultusque in loco Bindionum. Clodoueus filius Dagoberti Rex Francorum Decimus, cuius vxor Batildis de genere Saxonum genuit ei tres, Clotarium Childericum atque Theodericum. Clodoueus XVI. regni sui anno vita decessit.

Clotarius filius Clodouei Rex Francorum Vndecimus, hic IV. annis regnans obiit.

Theodericus filius Clodouei frater Clotarij Rex Francorum duodecimus, Ebroinus princeps domus Leodegarium episcopum multis affectum pœnis gladio percussit, fratremq; eius germanum. Theodericus anno Regni sui XVIII. obiit.

Clotarius filius Theoderici Rex Francorũ decimus tertius regnauit annis tribus.

Childebertus filius Theoderici, frater Clotarii Rex Francorum decimus quartus. Hic XIII. anno regni sui obiit.

Dagobertus filius Childeberti Rex Francorum decimus quintus, cũ adhuc puer esset, maior autem domus Theodebaldus Pipini Austrasiorum ducis filius Dagobertus V. annis regnans mortuus est.

Danielem post Dagobertum quendam clericum post abiectionem tonsuræ Franci super se statuentes eum vocantes Chilpericum exercitum contra Carolum vsque Mosam fluuium mouent. Ex alia parte Rabbodus Dux cum Frisonibus contra eundẽ Carolũ insurgit, pugna valida cõmissa. Carolus magno dãno afflict⁹ est dilapsus, Chilpericus simul cum Raganfrido Arduennã siluã ingressus, peruenerunt vsq; Coloniã, sed subito Carolo super eos irruente, prælioq; confecto fugantur Chilpericus atq; Raganfridus, Chilpericus ad Eudonem Ducẽ fugiens, ab eodẽ Duce redditus est Carolo & V. anno post in ciuitate Nouiomo mortuus est. Theodericus Dagoberti iunioris filius Rex Francorum decimus septimus. Carolus maior domus & Austrasiorum princeps vastans omnia, & Saxonum agros diripiens, cum eis bellum iniit, vbi grauissima cædes hominum altrinsecus morientium. Post aliquot annos in Bauariam iter arripuit, eamque cum labore maximo ad deditionem coegit, sed postea reluctantes via secunda perdomuit. Iterum abiit in Saxoniam, deinde in Sueuos contra Lanfredum, quos ab infestatione & iniuria repressit, Inde contra Eudonem Aquitanorum ducem iuit, eumque vsque in Vasconiam fugauit, Saracenos præterea cum longis nauibus venientes, vrbesque plurimas tam Septimaniæ quam Viennenses deuastantes, idem Carolus grauiter fugit, eosq; in Hispaniam repulit. Post aliquot annos perrexit vsq; Vasconiam Aquitaniamq; depopulatus est, Saracenos quoq; Aquitaniam & alias prouincias deuastantes perdomuit.

Childericus post Theodericum Rex Francorum decimus octauus, Maiores domus Carolomanus & Pipin⁹ frater eius, sed Carolomanus abiecto seculari habitu Romam abiit: inde ad S. Benedictum in montem Cassinum perrexit. Gripho autem faciẽ Pipini Ducis fugiens, fugit in Saxoniam atque Bauariam, ducatumque ipsius Pipini subiugauit, Gripho vero fugiens ad Gaifarum Aquitanorum Ducem coniunctim

parent

parent bellum contra Pipinum, interea Pipinus Francorum regnum defecisse videns, iussu Zachariæ Papæ eleuatur in Regem.

Pipinus Rex Francorum decimus nonus regnauit annis XVIII. mox post vnctionem suam bellum in Saxoniam mouit, eamque deuicit. Zachariæ Papæ successit Stephanus, Pipinus rex auxilium Zachariæ Papæ contra Aistulphum Longobardorum Regem, qui facultates Romanæ Ecclesiæ quæ in regno eius erant abstulerat, porrexit eumque quod abstulerat reddere coegit. Rursus idem Pipinus Saxoniam intrauit eamque Francis per singulos annos traiectos equos reddere fecit, inde anno ab incarnatione Domini D. CCCXLVIII. obiit.

Carolus gloriosus Rex Francorum XX. filius Pipini & Bertrudæ Reginæ. Hic gentem Saxonum subegit: vbi cum exercitus eius graui siti laboraret, medio die subito ex quodam torrente largissime aqua emanauit, quæ sufficeret cuncto exercitui. Idem Carolus ab Adriano Papa contra Desiderium Longobardorum Regem Italiam intrauit, Papiam cepit, Desiderium occidit, omnemque Longobardiam sibi subegit, Saxones iterum rebellantes deuicit & ex vtraque parte firmauit, custodibusque positis, obsidibusque receptis rediit. Rursus Saxones Heresburgum castrum inuadunt, machinas ad id capiendum præparantes, viderunt in modum scuti duos globos flammantes super Ecclesiam quæ in vno castro erat. Qua visione perterriti & relinquentes præparationem suam ita fuga elapsi sunt, vt mutuis sese confoderent gladiis. Quod audiens Carolus Rex Saxoniam ingreditur, obtinuitque omnes illorum firmitates, omnesque Saxones cum vxoribus suis & infantibus baptizatos in fide sibi coniunxit. Carolus idem Pascha celebrat in Aquitania castro Cassinogilo, Hispaniam ingreditur, Destruit Pampilonam, Saracenos subiugat. Per Narbonam & Vasconiam reuertitur. Deinde orandi gratia Romam ingreditur. Beneuentum capit, filios ipsius Ducis obsides cum maximis muneribus accepit. Idem Auaros gentem ferocem perdomuit, quorum Dux ad eum se contulit, credensque baptizatus est. Idem quoque Carolus Romam ingressus primus ibi de gente Francorum Imperatoris & Augusti nomen sumpsit, eosque qui Leonem Papam dehonestauerant, deponendo in exilium misit, quo tempore factus est terræmotus magnus. Eodem tempore Rex Persarum misit Carolo papilionem & tentoria pallia serica multa & preciosa, sed & horologium de aurichalco arte mechanica mirifice compositum, in quo XII. horarum cursus ad clepsydram vertebatur cum totidem æreis pillulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant, Additis totidem equitibus qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras quæ prius erant apertæ, claudebant: nec non & alia multa in ipso horologio erant mira. Anno incarnationis Domini D.CCCXIV. Carolus imperator Aquisgrani moritur, regni vero sui XLV.

Ludouicus Caroli magni filius Rex Francorum XXI. & Imperator Romanorum, regnat annis XXVIII. amator pietatis & religionis. Hic in ingressu imperii secundam & placidam quietem habuit, sed finis eius multis calamitatibus fatigatus.

Carolus Caluus Ludouici filius Rex Francorum XXII. regnauit annis XXXVII. Imperator & ipse Romanorum. Initia regni & finem prospere gessit, ædificator Ecclesiarum Dei, amator pauperum, impendens Ecclesiis Dei multa beneficia, in crucibus & in aliis ornamentis.

Ludouicus Caroli filius Rex Francorum XXII. regnauit annis duobus.

Carolus Ludouici filius Rex Francorum XXIV. regnauit annis XXXVIII. Hic Tutudi quod Martellus dicitur à suis dictus est, & quia in regno suo vix aut raro pacem habuit, ideo res Ecclesiarum suis militibus in stipendium contulit maxima ex parte. Qui mortuus in Ecclesia beati Dionysii martyris sepultus à sinistra parte altaris maioris, visus est noctu in specie Draconis effracto sepulchro per vitream Ecclesiæ cum magno terrore exisse.

Radulphus Rex Francorum XXV. Conradi ducis Burgundiæ filius regnauit annis XIX. cultor iustitiæ, restaurator ecclesiarum, resistentes sibi prospere deuicit. Ludouicus Radulphi filius Rex Francorum XXVI. regnauit annis XVIII.

Lotharius Ludouici filius Rex Francorum XXVII. regnauit annis XXX. Eodem tempore fuit Vuillermus Dux Normannorum.

Ludouicus Lotharii filius clericus Rex Francorũ XXVIII. regnauit annis II. Hic captus à Francis Lauduni interiit, ſicque progenies Caroli magni defecit. Hugo filius Hugonis Capeti Rex Francorum XXIX. regnauit annis X.

Robertus filius Hugonis Rex Francorum XXX. regnauit annis XXXV. cuius vxor Conſtantia. Hic iuſte & religioſe regnum ſuum diſponens ſancto fine quieuit. Gilbertus Papa.

Henricus filius Roberti Rex Francorum XXXI. regnauit annis XXXII. Willermus nobiliſſimus Dux Normannorum pugnauit apud Vallium dunas, Henricus Rex fortis in bello Vitriaco obiit.

Philippus filius Henrici Rex Francorum XXXII. regnauit annis XLIX. Huius VII. anno regni Willermus glorioſus Dux Normannorum Anglos ſubegit, ibique Rex factus regnauit XXII. annis. Huic ſucceſſit Willermus longa ſpata filius eius, regnauitque annis XIV. atque in noua foreſta ſagitta interiit. Huic ſucceſſit Henricus, frater eius, vir nobilis, ſapiens iuſtitiæ cultor, amabilis, nulli moderni temporis in regendo regno comparabilis, qui & regnauit annis XXX.

GESTA REGVM FRANCORVM EPITOMATA,

PARTIM E GREGORII TVRONENSIS EPIscopi Commentariis (cuius & nomen in vetustißimis Codicibus præferunt) partim aliunde, neque satis constat vnde, desumpta: ab Auctore quidem perantiquo, cuius fidem etiam AIMONI nomine notus Compilator in plerisque verbotenus sequutus est.

E MSS. diuersis optimæ notæ, summa fide & diligentia nunc primum edita.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI HISTORIAR. FRANCOR.

Expliciunt capitula.

INCI-

INCIPIT LIBER S. GREGORII TORONIS EPISCOPI.

Gesta regum Francorum.

CAPVT I.

De origine, ac gesta Francorum, vel eorum sequentia certamina.



Rincipum quoque Francorum gentis originem, vel Regum gesta proferamus. Est autem in Asia oppidum Troianorum, vbi est ciuitas quæ Ilium dicitur, vbi regnauit rex Æneas. Gens illa fortis & valida, viri bellatores atque rebelles nimis, inquieta certamina obiurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem reges Græcorum aduersus Æneam regem Troianorum, cum multo exercitu, pugnaueruntque contra eum cæde magna, corruitq; ibi exercitus maximus Troianorum. Fugit autem Æneas rex, & reclusit se in ciuitate Ilium. Pugnauerunt enim aduersus hanc ciuitatem annis decẽ. Tunc ipsa ciuitate subacta, fugit Æneas rex cum cæteris viris suis in Italiam locare gentes illas, vt ei auxilium ferrent. Alii autem de principibus eius, Priamus & Antenor, cum aliis viris de exercitu Troianorum duodecim millia fugerunt cum nauibus, quo introeuntes ripis Tanais fluminis per Mæotidas paludes nauigauerunt, & peruenerunt terminos finitimos Pannoniarum, tendentes finitima spacia secus Mæotidas paludes cœperunt ædificare ciuitatem ob memoriale eorum, appellaruntque eam Sicambriam, ibique habitauerunt annis multis, creueruntque in gentem magnam.

CAPVT II.

Quod gens Alamannorum contra Valentinianum Imperat. rebellarunt, eosque Franci deuicerunt, & tributa Francis concessa sunt.

IN illo tempore Valentinianus Imperator Imperium Romanorum regebat. Eo tempore gens Alanorum atrocissima rebellauerunt contra prædictum Imperatorem. Ille itaque commoto exercitu magno Romanorum direxit aciem contra eos, superauitque eos, & attriuit atque debellauit. Illi autem cæsi super fluuio Danubio fugerunt, & intrauerunt in Mæotidas paludes. Tunc ait Imperator: *Si quis potuerit introire in paludes istas, & inde eiicere potuerit gentem hanc rebellem Alanorum, concedam ei tributa annos decem.* Tunc congregati Franci, qui fuerunt de Troia eiecti, fecerunt insidias ex aduerso, sicut erant edocti, per incognita latibula, & ingressi in Mæotidas paludes cum reliquo exercitu Romanorum eiecerunt inde Alanos, percusseruntq; eos in ore gladii. Tunc appellauit eos Valentinianus Imperator Francos Attica lingua, quod in Latinum intelligitur sermonem, hoc est, feros: à duritia vel ferocitate cordis.

CAPVT III.

Vbi Imperator exactores misit, vt tributa soluerent Franci.

IGitur post transactos decem annos, misit Imperator exactores, vna cum primario duce de Romano Senatu, vt reciperent prætermissa tributa de populo Franco-

rum. Illi quoque, vt erant immanissimi, consilium perfidum atque inutile accipientes dixerunt intra se: Imperator cum exercitu Romanorum non potuit eiicere Alanos de latibulo Paludarum gentem rebellem. Nos autem, qui eosdem deuicimus, cur soluimus tributa? Consurgamus autem contra primarium hunc, vel exactoribus istis, & irruamus super eos, & non demus Romanis tributa: ne forte subiiciant nos: & erimus iugiter liberi. Tunc insidiantes interfecerunt eos.

CAPVT IV.

Quod idem Imperator exercitum commouit aduersus Francos: & de aduentu eorum partibus Rheni fluminis, & de Rege eorum primo.

al. hostem. hoost, Gall.

HÆc audiens Imperator, in ira magna commotus, præcepit commouere exercitum hostilem † Romanorum, aliarumq; multarum gentium, vna cum Aristarcho principe militiæ; direxerunt aciem contra Francos, fuitque ibi strages magna de vtroque populo. Videntes Franci tantum exercitum sustinere non posse, cæsi valde fugerunt: ceciditque ibi Priamus Dux eorum. Illi quoque egressi à Sicambria venerunt, in extremis partibus Rheni fluminis in Germaniarum oppidis, illicque inhabitauerunt cum Principibus eorum Marchomiro filio Priami, & Sumnone filio Antenoris, habitaueruntque ibi annis multis.

Faramundus R.

Tunc defuncto Sumnone, & accepto consilio, in vnum primatum eorum vnum habere Principem, petierunt consilium Marchomiro, vt Regem vnum haberent sicut & cæteræ gentes. At ille dedit eis consilium, & elegerunt Faramundum filium ipsius Marchomiri, & leuauerunt eum super se Regem crinitum. Tunc & Legem habere cœperunt, quam consiliarii eorum priores gentiles his nominibus, Wisogast, Arogast, Salegast, in villabus Germaniæ, id sunt Arbotachim†, Solechagin, & Widechagin, † tractauerunt.

al. Iubotachim. VVidecheim

CAPVT V.

De morte Pharamundi Regis, & de Chlodione filio eius, & de Chunorum incursu in Gallias.

A. Ch. 431.

MOrtuo quippe Faramundo, Chlodionem filium eius crinitum in regnum patris eius eleuauerunt. Tunc temporis crinitos reges in initium sublimauerunt. Venientesque sagaciter in finibus Toringorum, ibique resederunt. Habitauit itaque Clodio rex in Dispargo castello in finibus Toringorum in regione Germaniæ. Propterea omnes regiones gentium, quæ vltra Rhenum fluuium sunt, hoc nomine nuncupantur, Germaniæ: eo quod immania corpora sint, immanesque nationes, sæuissimis duratæ frigoribus, semperque indomiti ferocissimi. Quorum fuisse centum pagos tradit scriptura. In illo tempore in his partibus citra Rhenum vsque Ligere fluuio habitabant Romani, vltra Ligere autem Gothi dominabantur: Burgundiones quoque, qui Ariani erant, habitabant iuxta Rodanum fluuium, qui adiacet Lugdunum ciuitatem.

Clodio R.

Clodio autem Rex misit exploratores de Dispargo castello Toringorum vsque ad vrbem Camaracum, ipse postea cum grandi exercitu Rhenum transiens, multo populo Romanorum prostrato fugauit: Carbonariam siluam ingressus, Tornacensem vrbem obtinuit. Exinde vsque Camaracum vrbem properauit: ibiq; pauco tempore residens, Romanos quos ibi inuenit, interfecit. Et exinde vsque Sumnam † fluuium occupauit.

Saonam, id est, Sequanã.

Chlodione rege defuncto Meroueus in regnum sublimatus est, regnauitq; Chlodoueus annos XX. à Meroueo itaque rege vtili, qui in regno Francorum sublimatus est, celebre nomen reges Francorum *Meronichi* nuncupati sunt. Ipse Meroueus genuit filium nomine Childericum, patrem Chlodouei sublimissimi regis.

A. Cb. 451.

Erant

Erant autem tunc Franci fanatici, adorantes idola & simulacra, & non Dominum cœli & terræ, qui creauit eos. *Gr. Tur. II. 10.*

Erat autem tunc in ista parte Galliarum ex Romanis Egidius, rex † militiæ Romanorum ab Imperatore missus. *Dux.*

CAPVT VI.

Vbi Childericus Rex eiectus est de regno.

CHildericus autem Rex filius (vt diximus) Merouei, cum esset nimis luxuriosus, & regnaret super Francos, cœpit filias eorum distrahere, & violenter deludere eas. *Anno 462.* Illi autem hoc nimis indignantes, voluerunt occidere eum, & eiicere de regno. Ille aũt *Aim. ii. c. 7.* cum hoc audiisset, Toringiam petiit, vocauitq; amicum suum consiliarium nomine Wiomadum: petiit cum eo consilium, qualiter animos furentium Francorum posset mitigare, donantes inter se signum, qualiter certo iudicio cognoscere deberet, si ad pacem quandoq; reuerti potuerit, quale signum inuicem recognoscerent. Tunc diuiserunt aureum vnum inter se in signum: vnam partem Childericus Rex secũ portauit: aliam vero partem Wiomadus retinuit dicens: *Quando istam aliam partem tibi transmisero, scias me Francos tecum habere pacatos: tunc securus reuertere in pace.* Abiit ergo Childericus in Toringiam, apud regem Bisinum vxoremque eius Basinam latuit.

CAPVT VII.

Quod Franci super se statuunt Egidium Romanum, atque deiiciunt, & Childericum recipiunt.

FRanci vero relicto Childerico, Egidium principem Romanorum eleuauerunt super se Regem. consilium non bonum, nimisque inutile atque absurdum. Qui cum octo annos super eos regnaret, finxit se Wiomadus eius consiliarius in amicitia familiari fœdus inire, & hortabatur Egidio aliquos Francos dolose opprimere. Ille audiens consilium eius, callide opprimere nitebatur eos. Illi hoc formidantes, nimio furore adtriti, consilium expetierunt à Wiomado, quid agere deberent. At ille dixit eis: *Non reminiscimini nec recordatis, qualiter cæperunt Romani opprimere gentem vestram de terra eorum, & vos eiecistis Regem vestrum vtilem, atque strenuum, eleuastis super vos militem hunc Imperatoris Romanorum, crudelem & elatum, atque superbum. Sine consilio hoc fecistis, non bene sed male hoc egistis.* Illi dixerunt: *Quia sine lege abutebatur filias nostras. Pœnitet nos hoc fecisse contra Regem nostrum, vtinam meruissemus inuenire eum, & cum pace regnaret super nos.* Tunc amicus ille Regis misit partem solidi, quem prius inter se diuiserunt, dicens: *Reuertere ad regnum Francorum, quia pacificata sunt omnia.* Ille vero cognoscens hoc signum, medium aureum, intellexit certo indicio, quod à Francis desideraretur, ipsisque rogantibus reuersus est in regnum suum. Nam dum fuit in Toringia, cum Basina regina vxore Bisini regis ipse Childericus rex commixtus fuit. Reuersusque ad Francos in regno suo restitutus est. Egidium Romanum principem eiecerunt de regno eorum.

Basina quoque illa regina Bisini regis Toringorum, relicto viro suo ad Childericum venit. *Aim. 1. c. 8.* Cumque interrogata fuisset ab eo, *quid quæreret, aut pro qua causa ad eum de tam longinqua regione venisset?* respondisse fertur: *Noui vtilitatem tuam & pulchritudinem, quod sis vtilis atque strenuus: ideo veni vt habitem tecum. Nam si in extremis finibus maris vtiliorem te cognouissem, ipsum expetiissem, atque cum eo habitassem.* At ille gaudens, eam sibi in coniugium copulauit. Posthæc igitur concipiens ex eo peperit filium, vocauitq; nomen eius Chlodoueum. Hic fuit rex magnus, super omnes Reges Francorum, pugnator bellicosissimus atque egregius. *Chlodou. R.*

CAPVT

CAPVT VIII.

Vbi capta est Agrippina ciuitas, & de morte Egidij: & de Adonagrio Duce Saxonorum.

Colonia Agr.

IN illis diebus ceperunt Franci Agrippinam ciuitatem super Rhenum, vocaueruntque eam Coloniam; multumque populum Romanorum à parte Egidii occiderunt ibi. Egidiusque exinde per fugam lapsus euasit. Venerunt autem Treueris ciuitatem super Musellam fluuium, vastantes terras illas, ipsamque vrbem succendentes ceperunt. Nam ante à Chunis fuerat disrupta atque adflicta.

Adonacrius. al. Odouacr. i. exercitu. f. At Ouacr. i. Ecclesiam dum.

Eo tempore mortuus est Egidius dux Romanorum, tyrannus: Syagrius filius eius in regnum resedit, habitauitque in Suessionis ciuitate, vbi sedem regni tenebat. Tunc Childericus rex commoto magno exercitu hostium vsque Aurelianis ciuitatem perrexit, terras quoque illas vastauit. At Onagrius † Saxonorum Dux cum nauale hoste † Andegauis ciuitatem venit: magna tunc cæde populum vastauit. Adouagrius † itaq; de Andegauis vel de aliis ciuitatibus obsides accepit. Redeunte quoque Adonagrio de Andegauis Childericus rex cum Francorum exercitu ibidem aduenit, interfecto Paulo comite, qui in ipsa ciuitate præerat, ipsamque vrbem cepit, & domum † quæ in ea ciuitate erat, igne combussit.

CAPVT IX.

De morte Childerici, & bellum Chlodonechi contra Siagrium.

Anno 484. Gr. 11. c. 27. f. dux. al. Ragnechario.

EO tempore mortuus est Childericus rex, regnauitque annos XXIV.

Chlodoueus filius eius regnum Francorum sagaciter suscepit. Anno autem quinto Chlodoueo regnante Siagrius filius Egidii rex † Romanorum Suessionis ciuitatem, quam pater eius tenuerat, residebat. Super quem Chlodoueus cum Raucario † parente suo cum hoste aduenit. Conuenientes ad bellum, hisque inter se fortiter compugnantibus, Siagrius læsum cernens exercitum suum, per fugam lapsus ad Alaricum regem Gothorum fugit ad Tolosam. Chlodoueus enim missos suos ad Alaricum transmisit, reddere Siagrium: Si autem reddere non vellet, pararetur ad præliũ. Ille vero timens Francorum iram, tradidit Siagrium missis Chlodouci. Qui cum præsentatus Chlodoueo fuisset, iussit eum occidere: totumque regnum suum & thesauros in suum dominium recepit.

CAPVT X.

De petitione Episcopi ad regem Chlodonechum vt vrceum redderet: & quia deuicti Toringii sub tributo seruierunt.

al. sequere. Hæc etiam ita leguntur in vita S. Remigii apud Sur. Tom. 1.

EO tempore multæ Ecclesiæ à Chlodouci exercitu deprædatæ sunt. Erat autẽ tunc fanaticus & paganus. De quadam autem Ecclesia vrceum miræ magnitudinis pulchrum hostis eius tulerat, cum alio ministerio Ecclesiæ, & ornamenta multa. Episcopus autem Ecclesiæ ipsius missos suos ad Regem direxit, deprecans vt si aliud de sacris vasis Ecclesiæ recipere non mereretur, vel illum vrceum reddere iuberet. Hæc audiens Rex, ait ad missos Ecclesiasticos; *Sequimini † nos vsque Sessionis ciuitatem, quia ibi cuncta quæ adquisita sunt, diuidenda erunt: cumque mihi vrceus ille in parte euenerit; quod Episcopus postulat, adimpleam.* Veniens autem Rex Sessionis ciuitatem, cuncta præda, quæ adquisita sunt, rogat afferre in medium, dicens: *Rogo vos, ô fortissimi pugnatores, vt mihi dare istum vrceum non negetis.* Hæc Rege dicente illi Franci qui bono animo fuerunt, aiunt: *Omnia gloriose Rex, quæ cernis, tua sunt: & nos tuo dominio sumus subiugati: quod tibi bonum videtur, hoc fac. Nullus enim tuæ potestati resistere audet.* Cum hæc illi benigniter dixissent, vnus Francus leuis cum vociferatione eleuata bipenne (quod est *Francisca* †) percus-

percussit vrceum illum dicens: *Tu nihil hinc accipias, Rex, nisi quod tibi sors vera dederit.* Obstupefactis omnibus, Rex iniuriam suam patienter ferens †, acceptumque vrceum nuntio Ecclesiastico reddidit, seruans iram in corde absconsam. Transacto anno Chlodoueus Rex omnem exercitum suum iussit cum armorum apparatu venire ostensurum in campo Martio, omnium armorum nitorem horum videre. Verum vbi Rex cunctum exercitum circumiuit, venit ad hominem illum, qui vrceum ante percussit, & ait ad eum: *Nullus tam incultam & sordidam armam † habet quam tu. Quia neque clypeus, neque lancea, neque bipennis est vtilis.* Accepit autem Rex franciscam eius (quod est bipennis) & proiecit in terram. At ille cum inclinasset & colligeret eam, Rex statim eleuatis manibus suis, franciscam suam in capite eius defixit, & ait: *Sicut Sessionis ciuitate superiore anno in vrceo illo fecisti.* Mortuoque illo, alium exercitum Rex de ipso campo iussit discedere in pace ad propria sua. Grandis pauor & timor pro hac causa in Francorum populo deinceps consurrexit.

al. iniur. s. in patientiam mittens.

Ita etiam Tit. XVIII. Leg. Burgun. par. 5.

Chlodoueus exinde decimo anno regni sui commoto exercitu magno valde in Toringiam abiit, ipsosque Toringos plaga magna prostrauit. Deuictoque ipso populo, totaque eorum terra vastata, ipsos Toringos tributarios Francorum fecit.

CAPVT XI.

Quod Aurelianus legatarius Chlodouei vestitus cultu peregrino ad opus domini sui sponsauit Chrodchilde.

IN illo tempore Gundebandus † Rex Burgundionum fuit, qui ex genere Athanarici regis fuisse perhibetur. Huic fuerunt quatuor filii, Gundebaudus, Godeghisulus, Chilpericus, & Godomarus. Gundobaudus igitur Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, vxoremque eius ligato saxo ad collum in aqua necare † præcepit, filiasque eius duas seniores vocauit: Chorona, quam mutata veste exilio condemnauit, iuniorem vero nomine Rothilde † domo retinuit. Chlodoueus itaque dum frequenter legationem in Burgundiam mitteret, Rothildis puella inuenitur à legatoriis: qui cum eam vidissent pulchram, elegantem atque sapientem, Chlodoueo nuntiauerunt hæc. Et ille hæc audiens iterum legationem ad Gundebaudum misit, Aurelianum legatarium suum Rothildam neptam suam petendam. Erat autem Rothildis Christiana. Quadam die Dominica cum ad missarum solemnia Rothildis venisset, Aurelianus missus Chlodouei, accepta vestes pauperculas, bonas vero vestes quas secum adtulerat, reliquit sodalibus suis in siluis, ante Ecclesia matricula in medio pauperum consedit. Transacta missarum solemnia Rothildis iuxta consuetudinem solitam cæpit erogare eleemosynam in pauperibus. Cumque ad Aurelianum pauperi simulanti venisset, misit aureum vnum in manu eius, & ille osculans manum ipsius puellæ, retraxit pallium eius caute. Post hæc illa ingressa est cubiculum suum, misit ancillam suam, vocare peregrinum illum. At ille annulum à Chlodoueo rege manu tenens, reliqua ornamenta sponsalia recondita retinebat in sacculum suum: Relictoque eo retro secus ostium Cameræ. Cui ait Rothildis: *Dic mihi homo iuuenis, cur te pauperem simulas, vel pro qua causa retraxisti pallium meum.* Et ille dixit: *Loquatur, obsecro, seruus tuus secreto tecum.* Et ille ait, *Loquere.* Qui dixit: *Dominus meus Chlodoueus Rex Francorum misit me ad te, vult te habere reginam, ecce annulus eius, & reliqua ornamenta sponsalia.* respexit retro ostium cameræ, non inuenit sacculum suum, & molestus tædere cæpit. Illa vero sollicite requisita ait: *Quis tulit pauperi sacculum suum, & inuenit eum?* Recepitque illa abscondite ornamenta sponsalia: acceptoque annulo, quem Chlodoueus Rex miserat per Aurelianum, reposuit illum in thesauro auunculi sui. Chlodoueoque salutem dicito, *Licitum non est Christianam pagano nubere. Vide vt hanc causam nemo sciat. Quomodo iubet dominus Deus meus, quem ego coram omnibus confiteor, sic fiat. Tu vero vade in pace.* At ille veniens nunciauit hæc domino suo.

al. Gundeuecus. Gr. ei. c. 28.

al. negare, i. noyer.

Chrodchilde. Aim. l. 1. c. 13.

CAPVT XII.

Vbi Chlodoueus Rex miſit ad Gundobadum pro ſponſa ſua Chrodchilde.

[Aim.l.1.c.14.] ANno inſecuto miſit Chlodoueus Aurelianum legatarium ſuum ad Gundobaudum pro ſponſa ſua Rothilde. Audiens hæc Gundobaudus territus corde ait: *Vt ſciant omnes fortiſſimi conſiliarii amici mei Burgundiones, qualem occaſionem quærit Chlodoueus aduerſum nos, quia nunquam nouit neptam meam.* Et ait ad Aurelianum; *Tu explorare veniſti domos noſtras occaſionem quærendi. Renuntia domino tuo, quia fruſtra mendacium locutus eſt, ſponſam habere neptam meam.* Et Aurelianus cõſtanter loquitur, dicens ei: *Sic mandat dominus meus Chlodoueus Rex: ſi vis dare ei ſponſam ſuam, vt locum ei præpares denominatũ, vbi vis, quãdo Rothildam ſponſam ſuam recipiat. Sin autem non vis, ille cum exercitu Francorum in occurſum tuũ venire diſponet.* Et ille ait: *Vbicunq; vult, veniat: & ego contra eum ire diſpono cum hoſte plurimo Burgundionum, vt decedat ruina eius ad internecionem, quam perpetratus eſt coram multis gentib. & vindicetur ſanguis multorum, qui effuſus eſt in manibus veſtris.* Audiẽtes hæc Burgundiones, qui erant conſiliarii eius, metuentes valde iram Chlodouei conſilium dederunt Gundebaudo † [al. Gunbado.] dicentes: *Inquiratur Rex ex miniſtris & cubiculariis publice, ſi non fuerint aliquando deſerta munera per ingenium à legatariis Chlodouei Regis: vt non inueniatur occaſio ſuper populum tuum & regnum tuum, vt victor valeas ſuperare eum, eo quod nimis furibunda eſt Chlodouei nequitia.* Burgundiones, (ſicut eſt ſolitum) hoc conſilium dederunt Regi ſuo. Requiſiti autẽ inuenerunt in theſauro Regis annulum Chlodouei inſcriptione vel imagine inſcriptum. Tunc cõtriſtatus valde Gundobaudus rex iuſſit puellam de hac cauſa inquirere. At illa ait: *Scio domine mi Rex, ante hos annos tibi pro munere aurea munuſcula à miſſis Chlodouei deſerta, & mihi ancillæ tuæ † [al. veſtra.] dediſtis in manum vnum annulum paruulum. Ego vero in theſauris veſtris ipſum recondi.* At ille ait; *ſimpliciter & ſine conſilio factum † [al. hoc actũ.] fuit:* acceptamq; eam cum ira Aureliano miſſo Chlodouei tradidit. Ille autẽ cum ſociis ſuis accepit Rothildam cum magno gaudio & lætitia, adduxeruntq; eam Chlodoueo, Sueſſionis ciuitate in Franciam. Gauiſus eſt autem Chlodoueus rex, eamq; in matrimonio copulauit. Cum eſſet ſero die illa, quando inſimul nuptiale more accumbere deberẽt: illa prudentiæ ſuæ more conuerſa, & confiſa in Dominum, ait: *Deinceps, domine mi Rex, audi ancillam tuam loquentem, & concedere digneris quod deprecor, antequam famula tua veſtræ dominationi coeam.* Et Rex ait: *Poſtula quod vis, & ego concedam.* At illa poſtulabat dicens: *Primo peto, vt Dominum cæli patrem omnipotentem credas, qui te creauit. Secundum confitere Dominum Ieſum Chriſtum, qui te redemit, regem omnium regum à Patre de cælis miſſum: Tertium Spiritum ſanctum, confirmatorem & illuminatorem omnium iuſtorum: totam ineffabilem maieſtatem, omnipotentiamq; coæternam agnoſce, & agnitam crede, & Idola vana derelinque, qui non ſunt Dii, ſed ſculptilia vana, incendeq; ea, & Eccleſias ſanctas quas ſuccendiſti, reſtaura. Memento quæſo, vt requirere debeas portionem genitoris mei, & genitricis meæ, quos auunculus meus Gundebaudus malo ordine interfecit. Sic ſanguinem eorum Dominus vindicet.* Et Chlodoueus ait: *Vnum reſtat, quod difficile petis, vt Deos meos derelinquam, & Deum tuum colam. Aliud vero quod petis, vt potero, faciam.* Illa inquit: *Hoc maximum obſecro, vt Dominum Deum omnipotentem qui eſt in cælis, adores.*

CAPVT XIII.

Quod iterum Chlodoueus miſit ad Gundobadum pro theſauro Chrodchilde.

CHlodoueus iterum in Burgundiam Aurilianum ad Gundebaudum dirigit, pro theſauro Rothildæ reginæ ſuæ. Gundebaudus itaq; in ira commotus ait: *Nunquid in manus Chlodoueo tradetur regnum meum, aut theſauri mei? Non enim dixi tibi, & obteſtatus ſui tibi Aurıliane, vt non venires amplius in regno meo explorare ſubſtantiam meam. Per ſalutem Principum obteſtor, & cum iuramento ſpondeo, reuertere cito, & recede à me: Sin autem, ego interficiam te.* Cui Aurelianus reſpondit dicens: *Viuit dominus meus Chlodoueus rex, & primatus magnatorum Francorum regni eius, quia non timeo minas tuas, dũ dominus meus*

adhi-

[illegible] filius tuus proprius, dominus meus Chlodoueus rex, vbi pro thesauro vxoris [illegible] cum exercitu suo tibi occurret. Tunc Burgundiones, (sicut est consuetudo) [illegible] Gundebando regi suo dixerunt: *Da neptæ tuæ aliquid de facultate thesauri* [illegible] *quia si esse iustum, decernitur: habeasque fœdus & pactum cum Chlodoueo &* [illegible] *ne forte inruant in terram nostram, quia populus ferocissimus est sine Deo exi-*[illegible] Consilium eorum obaudiens Gundebandus, dedit per manus Auriliano ad partem Chlodouei maximam partem ex thesauro suo, supellectileq; neptæ suæ Rothildæ reginæ, aurum multum & argentum, fabricaturas preciosissimas, & ait: *Quid restat* [illegible] *regnum meum Chlodoueo dare debeam.* Et dixit ad Aurilianum: *Re-*[illegible] *tuum, quia habes quod ei deferas, munera multa quæ non laborastis.* Et ait Aurilianus: *Filius* [illegible] *est Dominus meus Chlodoueus rex: omnia vestra communia erunt.* Et dixerunt sapientes Burgundionum: *Viuet rex, qui tales habet leodos.* † Reuersusque est Aurilianus cum thesauris multis ad dominum suum in Franciam. *al. leudus.*

CAPVT XIV.

De prædicatione Chrodchildis ad Chlodoueum, vt Regem Regum crederet.

CHlodoueus itaquo rex habebat filium de concubina, nomine Theudericum. In illis diebus dilatauit Chlodoueus amplificans regnum suum vsq; Sequanam, sequenti tempore vsq; Ligere fluuio occupauit. Accepitq; Aurilianus Castrum Milidunense, quem in ducatum accepit. Concepitq; Chrothildis filium & peperit, quem baptismo consecrare voluit. *Aim. 1. c. 15.* Tunc non credebat Chlodoueus dominum Deum cœli. Regina enim cotidie prædicabat eum. At ille nolebat audire eam. Interea regina parat ad baptismum filium, ornat Ecclesiam velis atq; cortinis: quomodo corda Regis ad credendum compungerent. Baptisatus autem puer, quem in albis Ingomirum † vocauit: qui in ipsis albis transiens. *al. Ingomirem.* Rex autem † de morte eius nimis contristatus, reputabat increpando dicens: *al. quem Rex* *Quasi in nomine Deorum meorum dedicatus fuisset puer, vixisset vtique: quia in nomine Dei vestri baptisatus est, viuere non potuit.* Regina vero dicebat: *2. c. 19.* *Deo gratias ago, quia me non duxit indignam, & de vtero meo primogenitum in regno suo recipere dignatus est.* Ego autem nullum dolorem in corde meo pro hac causa retineo.

Postea vero genuit alium filium, quem baptisatum Chlodomirum vocauit. Et *2. cap. 29.* hic cum ægrotare cæpisset, dixit Rex: *non potest aliud, nisi vt de isto sic sit, quomodo fuit & de fratre eius, vt baptisatus in nomine Dei vestri cito moriatur.* Sed orante Regina & Domini misericordia præcurrente, recepit sanitatem. Regina quoque non cessabat prædicare Regem, vt Deum verum coleret, & idola quæ colebat vana derelinqueret: sed nullo modo animum eius ad credendum commouere potuit. Donec tandem ali- *2. c. 30.* quando bellum contra Alamannos Sueuosque moueretur: in quo compulsus est confiteri, quem antea negauerat.

CAPVT XV.

Bellum contra Alamanos, vbi Chlodoueus necessitate compulsus verum Deum inuocat in adiutorio, & à sancto Remedio baptisatur.

FActum est autem bellantibus inter se Francorum exercitu cum Alamannis †, vt *Apud Tolbiacū in Vbiis* Chlodouei exercitus nimis corrueret. Aurilianus intuens Regem, ait: *Domine mi Rex,* [illegible] *dominum cæli, quem Domina mea Crothildis Regina prædicat.* Ille vero eleuatis ad cœlum oculis, commotus lachrymis ait: *Ihesu Christe, quem Chrothildis regina mea prædicat esse filium Dei viui, qui subuenis in tribulatione, qui das auxilium in te speranti-*

bus, tuum adiutorium deuotus postulo, vt si mihi victoriam super hos hostes dederis, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populi prædicant, credam tibi, & in nomine tuo baptiser. Inuocaui enim Deos meos; &, vt expertor, elongati sunt ab auxilio meo: vnde credo eos nulla potestate esse præditos, qui sibi credentibus non succurrunt. Te verum Deum ac dominum inuoco, tibiq; credere desidero, tantum vt liberes me ab aduersariis meis. Cumque hæc orans clamaret, Alamanni in fugam lapsi terga verterunt. Cumque regem suum vidissent interfectum, Chlodouei potestati se subdunt, dicentes: *Parce precamur, domine Rex, ne pereat plus populus, iam tui sumus.* Tunc iussit Rex imminentem plagam cessare: cepitque ipsos Alamannos, atque terram eorum sub iugo tributarios constituit, factaque victoria reuersus est in Franciam ad reginam suam, narrauitque ei qualiter per inuocationem nominis Iesu Christi victoriam meruit obtinere. Acta sunt hæc anno XV. Chlodoueo regnante.

Gr. Tur. II. c.31. Remigium. Aim.1.c.16. Tunc Regina clam vocauit sanctum Remedium †, vrbis Remensis antistitem, deprecans eum, vt Regi via salutis prædicaretur: quem sacerdos ad baptismum venire prædicabat. Et ille ait: *Libenter te audiam, beatissime pater: sed vnum restat, quia populus qui me sequitur, non vult relinquere Deos suos: sed vadam adhortare eos iuxta verbum tuum.* Cohortari. Conueniens autem Rex ad populum, cæpit coartare † eos. At illi clamauerunt, præcurrente misericordia Dei, & potentia ipsius omnis populus Francorum adclamauerunt dicentes: *Mortales Deos relinquimus, gloriose Rex, & Deum verum immortalem, quem Remedius prædicat, credere parati sumus.* Nuntiauerunt autem hæc sancto Remedio: ille quoque gaudio magno repletus, iussit baptismi lauacrum parare: velis diuinitus depictis adumbrantur plateæ, fabricantur Ecclesiæ, componitur baptisterium, balsamum decoratur, redolent ceræ odorante tali gratia, quam Dominus subministrauit in populo, vt æstimarent se paradisi odoribus collocare. Rex ergo prior petiit sanctum Remedium, vt se baptisaret. Venit nouus Constantinus ad baptismum, abnegatis Greg.II.c.31 Diabolo pompisque eius. Cui ingresso ad baptismum, sanctus Dei Regi sic ait ore facundo: *Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Erat autem sanctus Remedius vir sapiens atque sanctissimus, egregius Rhetoricus, præclarus in virtutibus, cæcis visum restituens, mortuis vitam reparans, dæmonia eiiciens. Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptisatus est in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti: delibutusque sacro chrismate cum signo sanctæ crucis domini nostri Ihesu Christi. Baptisantur de exercitu eius amplius quam tria millia virorum, al. Albofredu. baptisantur sorores eius, his nominibus, Albofledis † & Landehildis ipsa die, baptisatusque postea cunctus populus Francorum.

CAPVT XVI.

Vbi Burgundiones à Chlodoueo deuicti eius dominio se subdunt: & de hominum deuoratione à bestiis dicitur.

Gr. Tur. II. c.32. Aim.1.c.19. POsthæc autem Chlodoueus contra Gundebaudum, & Godeghiselum fratrem eius, commoto exercito Francorum grandi perrexit. Illi hæc audientes exercitum maximum colligunt Burgundionum veniensq; Diuione castrum super Hoscarum al. Oscaram. † fluuium, ibique inter se valde atrociter confligentibus Chlodoueo & Gundebaudo ac Godeghiselo, Burgundiones terga verterunt. Chlodoueus quoque, sicut solebat, victor exstitit: afflictoque exercitu Burgundionum, Gundebaudus & Godeghiselus in fugam versi vix euaserunt. Gundebaudus in Auenionem ciuitatem super Rhodanum ingressus, ibi se reclusit. Chlodoueus Rex illuc eum persecutus obsedit: quem cũ ipsa vrbe confringi nõ potuissent, regionem illam deuastantes Franci. *Gundebaudus itaq; misit consiliarium suum sapientem, Aredium nomine, vt animam furentẽ Chlodouei regis per suum consilium optimum mitigaret. Dederuntq; ei munera infinita, auri & argenti pondera multa, atq; se sub eius tributo subiugant. Chlodoueus vero oblatis thesauris cum præda maxima cum Francorum exercitu reuersus est victor.

In

In his temporibus fuit in Viennam vrbem terræmotus maximus, vbi multæ Ecclesiæ & domus multorum concussæ fuerunt & subuersæ. Ibi bestiæ multæ oberrantes, lupi, vrsi, ac cerui ingressi per portam ciuitatis, deuorantesque plurimos per totum annum hoc faciebant. Nam veniente solemnitate sanctæ Paschæ, [Gregor. II. c.34.] sanctus Mamertus, qui in ea vrbe erat Episcopus, dum missarum solemnia † ipsa vigilia celebraret, [al. sacrificia.] Palatium quoque regale quod in ea ciuitate erat, diuino igne succensum est. Cumque hæc agerentur, appropinquante ascensione Domini, indixit ieiunium vir sanctus Dei triduanum in populo cum gemitu & contritione, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Tunc cessauit ipsa tribulatio & subuersio. Deinceps omnes Ecclesiæ Dei & sacerdotes hoc exemplum imitantes vsque ad præsens ipsas triduanas letanias vbique celebrare coguntur.

CAPVT XVII.

De miraculis Dei Chlodoueo ostensis, & quia deuictis Gothis Alaricum interfecit.

IN illis diebus rex Chlodoueus cum venisset Parisiis ciuitate, ait Reginæ, & ad populum suum: *Satis mihi molestum est, quod Gotti Arriani partem optimam Galliarum tenent.* [Gr.II.c 37.] *Eamus cum Dei auxilio, euictamus eos de ipsa terra, nostrisque ditionibus subiiciamus, quia valde bonum est.* [Aim.I.c.20] Placuitque hoc consilium proceribus Francorum. Tunc Rothildis regina consilium dedit Regi dicens: *Faciens faciat,* inquit, *Dominus Deus victoriam in manibus Domini mei Regis. Audi ancillam tuam, & faciamus Ecclesiam in honorem sancti ac beatissimi Petri principis Apostolorum, vt sit tibi in auxilium in bello.* Et Rex ait: *Placet hoc quod hortaris, ita faciamus.* Tunc Rex proiecit in directum à se bipennem suam, quod est Francisca, dixitque; *Fiatur Ecclesia beatorum Apostolorum, dum auxiliante Domino reuertimur.* Commouit autem Rex cunctum exercitum suum, populum Francorum Pictauis direxit: ibi enim tunc Alaricus rex Gothorum commorabatur. Multa pars hostium per territorium Turonorum † transiebat. [al. Toringor. male.] Præcepit autem rex pro reuerentia sancti Martini, nihil aliud nisi herbam præsumerent ad eorum equos sustentandum. Direxit itaque nuntios Rex ad beati Martini Basilicam cum muneribus multis, & equo suo velocissimo, quem Rex amabat plurimum, & ait: *Ite, & forsitan victoriæ aliquid ex sancto sermone accipiatis ab scripturis sanctis.* Tunc datis muneribus nuntius dixit: *Si tu Domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam tibi meis manibus tradideris in ingressu, sancte Martine dignatus esto mihi reuelare, vt sciam si propitius sis famulo tuo.* Venientibus autem pueris ad beati Martini Ecclesiam, cumque ad ipsa limina introiissent, primicerius Ecclesiæ hanc antiphonam imposuit dicens: *Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus me: & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.* Quod pallentium † vt audierunt, Domino gratias agentes, dimisso ibi equo Regis, & alia munera multa, cum lætitia & exultatione nuntiauerunt Regi. [vulg satellites male] Cum venisset autem Rex ad fluuium Vincennam cum exercitu suo, in quo loco eum vadare deberet, [Aim.I.c.21.] non inueniebat: inundauerat enim à multitudine pluuiarum: Deprecatusque Dominum, vt ei vadum ostenderet, nocte illa ibi fuit, mane autem facto, cerua miræ magnitudinis ante eos Domini voluntate præcedente vadum ostendit: illaq; vadante populus sequens vadauit. Veniente autem Rege apud Pictauis ciuitatem, dū procul ab Ecclesia S. Hilarii tentoria fixissent, nocte farus ignea ex ea visus est exire: apparuit nempe supra ipsa tentoria in auxilium Chlodoueo Regi cum virtute B. Hilarii. Præcepit autem Rex hosti † suo, vt nec cibum, nec vllum stipendium de ipso pago tollerent, nullaq; spolia. [i. exercitui.] Chlodoueus autem rex cum Alarico rege Gothorum in campo Vogladensi † super fluuium Clinno, milliario decimo ab vrbe Pictaua conuenit: [al. Vocladinense.] illisque inter se compugnantibus Gothi cum Rege suo nimis conlæsi terga verterunt. Chlodoueus sicut solebat, victor exstitit: cumque Alaricum interficeret, duo Gothi cum contis eum ex aduerso in latere ferierunt, sed propter loricam, qua indutus erat,

non liuorauerunt eum. Dominus autem adiuuabat eum in cunctis quæ agebat, maxime autem tunc. Ibi Arueruorum populus, qui cum Apollonare Duce ibi venerat, corruit in gladio Francorum cum multis Senatoribus. De hac pugna Amalraicus euasit per fugam, filius Alarici, & in Spaniis regnum patris sui sagaciter recepit. Chlodoueus autem Theodricum filium suum per Albiensem & Rotinus ciuitatem, & Aduernum dirigit: qui pergit, omnesque vrbes illas à finibus Gothorum vsque Burgundiam subiugauit, & in potestatem patris sui restituit, regnauitque Alaricus annis XII. Chlodoueus quoq; apud Burdegalensem † ciuitatem totam hyemem resedit: thesauros vero plurimos Alarici regis de Tholosa abstulit, omnesque vrbes illas accipiens, Eccolosinam ciuitatē veniens, tantam gratiam ei Dominus contulit, vt in eius aduentum muri eius corruerent. Interfectis Gothis qui ibidem erant, ipsam vrbem adprehendit : omni terra eorum subiugata in Santonico † vel Burdegalense Francos manere præcepit, ad Gothorum gentem delendam. Deinde Turonis ciuitatem reuersus, multa munera basilicæ beati Martini attribuit. Equus vero, quem antea ad ipsam Ecclesiam transmiserat, illius matriculariis datus est: ille vero centum solidos pro ipso equo, vt eum reciperet, transmisit. Quibus datis equus ille nullatenus mouit. At ille ait; *Date illis alios centum solidos*. Cumque alios solidos dedissent, statim ipse equus solutus abiit. Tunc cum lætitia Rex ait: *Vere beatus Martinus bonus est in auxilio, & carus in negotio.*

al. Burdalēs. — al. Santonco. — Frisingens. 4. Chron. ca. penult. — Gr. Tur. II. c. 38. — Aim. I. c. 22.

Ab Anastasio Imperatore Codicillos accepit Chlodoueus Rex pro consulatu. Tunica blattea indutus Rex in Basilica beati Martini, corona aurea in capite suo : ascenso equo aurum & argentum in atrium, quod est inter ciuitatem & Ecclesiam beati Martini, præsente populo manu propria sparsit, atque voluntate benignissima dispensauit. Ab ea die tanquam *Consul* & *Augustus* est appellatus. De Turonis autem egressus Parisios ciuitatem venit, ibi sedem regni sui constituit.

CAPVT XVIII.

Bellum Chlodouei contra Regnecharium parentem suum.

al. Ragnaharium. — Gregor. II. cap. 42. — Aim I. c. 23.

DEinde commotus contra Ragnearium † parentem suum. Erat autem ipse Ragnearius apud Camaracum ciuitatem effrenis in luxuria : habebat quoque consiliarium nomine Pharaonem simili spurcitia lutulentum. Cum aliquid muneris aut cibi ei defecti essent, dicebat : *Sint ista mihi, & meo Pharaoni consiliario.* Pro qua causa indignati Franci, qui erant cum eo, consentiebant Chlodoueo, commouentes eum aduersus Ragnearium. Deditque eis Chlodoueus stipendia pro hac causa, baltheos & armillas adsimilatas de auro, sed de intus æramen & cuprum erat deauratum sub dolo factum, pro munere leudibus Ragnearii, qualiter super ipsum inuitarent eum. Commoto Chlodoueus exercitu contra Ragenharium parentem suum, misit Ragenharius speculatores ad cognoscendum, interrogans, cuius esset hostis maior? Qui responderunt mentientes; *Tibi est fortior, & tuo Pharaoni consiliario.* Venientes autem Chlodoueus & Ragenharius ad pugnam, fortiterque inter se præliantes, Ragenharius cæsum cernens exercitum suum, fugere nititur. Sed ab ipsis traditoribus comprehensus, ligatis à tergo manibus vna cum Richario fratre suo, Chlodoueo præsentatur. Cui dixit Chlodoueus : *Cur humiliasti gentem nostram, & te vincire permisisti? nonne tibi melius fuit mori?* Et eleuatam bipennem in caput eius defixit : & mortuus est. Conuersus autem ad fratrem eius ait : *Si tu solatium fratri tuo præbuisses, ille ligatus non fuisset.* Similiter & ipsum in capite percussum interfecit, & mortuus est. Post mortem eorum, cognoscentes traditores eorum aurum, quod à Chlodoueo acceperant, esse vitiatum, dixerunt hoc Regi. Rex respondens dixit eis : *Merito tale aurum debet accipere, qui Dominum suum ad mortem tradit. Sufficiat vobis vitam tantummodo habere concessam, ne in tormenta deficiatis.* Illi hæc audientes, gratiam

&

& vitam solummodo optantes habere adeptam, sibique in hoc sufficere dicebant. Fuerunt autem supradicto Ragenario parentes: quorum frater Regnemirus nomine apud Cenomannis ciuitatem iubente Chlodoueo Rege interfectus est. Quibus mortuis parentibus omne regnum eorum & thesauros Chlodoueus accepit. Interfectisq; multis & magnis Regibus vel parentibus suis. Post hæc omnia mortuus est Chlodoueus Rex in pace, & sepultus est in basilica sancti Petri Apostoli, quam ipse & Regina sua ædificarunt. Mortuus est autem anno V. postquam cum Alarico rege Gothorum pugnauit. Regnauitq; simul annos XXX.

Gregor. II. c. 43. Aim. I. c. 25. An. DXIII.

A transitu sancti Martini vsq; ad transitum Chlodouei Regis fuerunt anni CXII. Rothildis regina post mortem viri sui Turonis ciuitatem frequenter pergens ad Basilicam beati Martini diutissime commorata, Domino seruiebat, raro Parisios visitabat.

CAPVT XIX.

De morte Chlodouei, & quia quatuor filii eius in regno successerunt: & de Danis qui in Gallias inruunt.

IGITVR post mortem Chlodouei Regis filii eius Theudericus, Chlodomirus, Hildebertus, & Chlotharius regnum eius diuiserunt æqualiter. Habebat quoque tunc Teudericus filium nomine Teutbertum, strenuum & vtilem: eleuatique sunt in magna potentia. Amalricus quoque filius Alarici regis Gothorum sororem eorum ad coniugium petiit: quam illi non negantes, cum ornamentis optimis: eamque ipse sibi in matrimonium assumpsit.

Gr III. c. 1. Aim 2. c. 1.

In illo tempore Dani cum rege suo nomine Chochilago cum nauale hoste per altum mare Gallias appetunt, Theuderico pago Attuarios vel alios deuastantes, atque captiuantes, plenas naues de captiuis de alto mare intrantes, Rex eorum ad littus maris residens. Quod cum Theuderico nuntiatum fuisset, Teudobertum filium suum cum magno exercitu in illis partibus dirigens: qui consequens eos, pugnauit cum eis cæde maxima, & prostratum Regem eorum interfecit, prædam tulit, & in terram suam restituit.

Gregor. III. cap. 3.

CAPVT XX.

Quod Chlodmirus & Childebertus, & Chlodharius bellum ineunt aduersus Burgundiones.

IN illis diebus Rothildis † regina cum venisset Parisios, ait ad filios suos: *Non me pœniteat filii mei, vos dulciter enutrisse: precor indignate iniuriam meam, & patris mei, & matris meæ mortem vindicate.* Illi hæc audientes, in ira magna commoti, cum maximo exercitu Burgundiam petunt, contra Sismundum † & Godomarum, Regis Gundebandi filios. Tunc temporis ædificabat Sismundus rex monasterium sanctorum martyrum Agaunensium in Burgundia, sancti Mauricii cum sociis suis VI DC. † Illi autem commouerunt hostem Burgundionum contra Chlotmirum regem, & Hildebertum & Chlotarium fratres, filios Chlodouei. Illis inter se compugnantibus, fugerunt cæsi Burgundiones cum Godomaro. Sismundus vero dum ad sanctos Agaunis fugeret, consecutus est eum Chlodomirus, adprehenditque eum cum vxore, & filios eorum captos in pago Aurilianense eos adduxit, atque in carcerem retrudi iussit. Beatus autem Auitus, qui erat tunc vir sanctus Dei, Abba in Aurilianensi ciuitate, deprecabatur Chlodomirum, vt non occideret eos: sed ille nolebat audire eum. Tunc interfecit Sismundum & vxorem eius, & filios eius, proiecitque eos in puteum in loco qui dicitur *Colomna vico.*

Chrothildis. Gregor. III. cap. 6. Aimon. II. cap. 3. al. Sigismundum. Aimon. II. cap. 4. al. sex millia DC.

CAPVT XXI.

Quod iterum Chlodmirus Burgundiones deuictos interfectus est.

Aimon. II. cap. 7. Vesontio.

POST hæc iterum commoto exercitu Chlodomirus in Burgundiam pergens contra Godomarum. Cumque venisset cum magno hoste in pago Viennense in loco qui dicitur Visoroncia †, Godomarus locatis gentibus cum Chlodomiro præliaretur, Burgundiones valde conlæsi cũ Godomaro fugerunt. Cũq; eos persequeretur Chlodomirus, nimis valde decucurrit, qui antecedens eos cum equo veloci in medio eorum ingressus: qui ex aduersa parte percussus corruit & mortuus est. Quod videntes Franci nimio dolore & ira commoti, Godmarum persequentes exterminant, Burgundiones perimunt, cunctasque regiones vastantes, à puero vsque ad senem interimentes reuersi sunt. Chlotarius hæc audiens, vxorem fratris sui accepit in coniugium, Gundeacam nomine. Filios quoque Chlodomiri orfanos, Theudoaldum, Guntharium, Chlodoaldum Crothildis regina nutriebat, eos secum retinens.

CAPVT XXII.

De cæde magna quod Franci in Thoringorum populo prostrauerunt, & de Ermenfredo rege eorum.

Gregor. III. cap. 7. Aimon. II. cap. 9.

IN illo tempore Theodericus, & Teutbertus filius eius, & Chlotarius Rex, cum Francorum exercitu Rhenum transeuntes, in Toringiam dirigunt contra Ermenfredum regem Toringorum. Hæc audientes Toringi, fossatos fecerunt sub dolo, desuper cooperientes cespitibus. Cumque ad bellum ibidem conuenissent, intelligentes quod equi eorum ibidem corruissent, indignati sunt valde. Fugit autem Ermenfridus cum Toringis vsque Onestrudem fluuium, illic eum persequentes Franci. Ibi reparatis viribus contra Francos, tanta cædes ibi fuit de Toringis, vt ipse fluuius ex eorum cadaueribus repleretur. Franci vero super eos tanquam per pontem transiebant & conculcabant: totamque regionem illam vastantes atque captiuantes depopulabant. Ermenfridus per fugam lapsus vix euasit. Franci autem cum multa præda & spolio reuersi sunt. Fuerunt autem Ermenfrido duo fratres, Baldoricus & Bertrannus †.

al. Bertechariues. al. Bertarius. Gregor. III. c. 8.

Post hæc iterum Theudericus data fide Ermenfrido regi, Tulbiaco ciuitate ad se venire fecit. Cumque supra murum ipsius ciuitatis conloquerentur, compulsus de muro vrbis ipsius corruit ad terram, & mortuus est, suosq; infantes Theudericus interficere rogauit.

CAPVT XXIII.

Bellum quod Childebertus exercuit aduersus Gothos, & Amalrici interfectione.

Gregor. III. cap. 10. al. Hispania.

CHILDIBERTVS quoque cum esset Aluernus ciuitate, soror eius vxor Amalrici regis Gothorum nomine puellæ Clothiltæ regina direxit ad eum nuntios de Spania †, dicens, quanta mala super ipsam insidiaretur propter Catholicam fidem: Nam cum ad Ecclesiam Christi iret orationem facere, stercora & multos fætores ipsi super eam proiiciebant, atque in tantum verberabant eam, vt sanguine inlitum sudarium suum frari suo transmisit dicens: *Indignate, dulcissime frater, laborem & iniuriam meam, domine carissime.* Cum hæc audisset Childibertus rex, in ira magna commotus hostem maximum collegit, in Spaniam direxit, pugnam iniit cun Amalrico. Gothi valde conlæsi,

conlæsi, Amalricus fugam vertit, naues parat ad fugiendum. Cumque nauem attingere conaretur, persecutus est eum exercitus Childiberti. At ille victum se cernens, ad ecclesiam Christianorum fugere nitebatur: sed antequam ad introitum Ecclesiæ peruenisset, quidam Francus lancea eum percussit, mortuusque est ibi. Tunc Childibertus Spaniam deuastans, Toletum vrbem ingressus, thesauros magnos inde abstulit: vna cum sorore sua reuersus est. Sed nescio quo periculo imminente languore in ipso itinere mortua est, Parisios deportata in Basilica sancti Petri iuxta patrem suum sepulta est. Childibertus vero inter reliquos thesauros ministerio Ecclesiæ detulit, de vasis Salomonis preciosissima sexaginta, calices XV. patinas XX. capsas Euangeliorum ex auro purissimo cælatas, gemmario opere pulchre ornatas. Ille vero noluit ea confringere, totaque per Ecclesias dispensauit, distribuens cuncta Ecclesiis.

CAPVT XXIV.

Consilio impio Childebertus & Chlodtharius pertractantes nepotes suos interficiunt, & regnum patris eorum inuadunt.

IN illis diebus Rothildis regina, cum Parisiis resideret, vidensque Childibertus rex, quod filios fratris sui senioris Chlotmeris præfata regina mater ipsorum enutriret, & nimis eos diligeret, cogitans quod reges eos vellet facere, dixit Chlothario fratri suo: *Mater nostra filios fratris nostri secum retinet, & tenere diligit, eosque in regnum fratris nostri vult eleuare: consilio accepto pertractare debemus, quid de eis faciemus. Aut tondeamus eos, aut interficiamus, regnumque fratris nostri patris eorum inter nos diuidamus.* Miserunt autem ad Reginam Parisios Archadium, nobilem virum industrium, dolose dicentes: *Dic matri nostræ, vt mittat ad nos filios fratris nostri, nepotes nostros, vt eos reges constituamus.* At illa credens hoc verum esse, gaudens transmisit eos illis. At illi statim remittunt Arcadium ad Reginam dicentes. *Hic sunt forsices, & ecce gladius. Sic mandant filii tui: si vis eos tondere, aut gladio perimere?* Illa vero præ nimio dolore & amaritudine cordis cum lachrymis ait: *Satis vndique me angustiæ comprimunt. Si regnare non debent, quid mihi eos prodest nutrisse? Fuit eis melius mori quam tonderi.* At ille nuntiauit eis dolose falsum, dicens: *Sic dicit Regina, mallet occidere eos quam tondere.* Nec mora etiam. adprehendit Chlodharius puerum seniorem, proiecit ad terram, defixit cultrum in ascellam eius, quem transuerberatus statim mortuus est. Frater quoque eius iunior cum hoc vidisset, proiecit se ad pedes Childeberti, dicens flendo: *Succurre mihi, piissime pater, ne & ego peream sicut frater meus.* Hildebertus commotus lacrymis ait: *Obsecro dulcissime frater, te vt vitam concedere digneris* †; *& quantum volueris, pro hoc dabo tibi.* At ille in ira succensus ait ad eum: *Ejice eum à te, aut certe pro eo morieris. Tu es enim qui hoc malum consilium petisti & tu vis liberare eum modo.* Hæc audiens Childebertus proiecit eum à se. Chlotharius quoque proiecit † eum in terra, defixoque in axilla cultro interfecit, sicut fratrem eius: & pueros eorum, & nutricios similiter iugulauit, ascensisque equitibus abscessit. Regina quoque hæc audiens, cum nimio mœrore contrita, compositis corpuscula eorum cum magno psallentio & immenso luctu Parisiis ad basilicam sancti Petri deportata sepeliuit. Quorum vnus erat decem annorum, & alius septem. Tertius vero nomine Chlodoaldus effugit, & per auxilium puerorum foris liberatus est: qui postea relicto terreno regno ipse se propria manu totondit, clericus factus est, bonis operibus præditus presbyter ordinatus, plenus virtutibus migrauit ad Dominum: Nouiento villa Parisiaco suburbana depositus requiescit.

Chrothildis autem regina in eleemosynas profluens, cum summa abstinentia & sobrietate vitam degens.

Gregor. III. c.18. Aim. II. c.12.

al. vt huius vitam tua largitate mihi concedere iubeas & q. al. elisis.

CAPVT

CAPVT XXV.

De morte Theuderici, & regnum Theudoberti, & bellum aduersus Chlodtharium.

A. DXXXVII.

IN illis diebus mortuus est Theudericus Rex, regnauit autem annos XXIII. Teutbertus quoq; filius eius regnum eius recepit.

Gregor. III. c.28. Aim. II. c.18. i Concides, concisas. In quo falli tur hic Aim.

Post hæc Childebertus & Teutbertus commouentes exercitum contra Chlotharium ire disponit. Ille hæc audiens, videns quod eorum exercitui resistere non possit, in siluam confugit in Auriliano, fecitque combros,† totamque spem suam in Dei pietatem transfundens. Sed & Rothildis regina hæc audiens, beati Martini sepulchrum adiit, ibique in oratione prosternitur, tota nocte vigilans, deprecans ne inter filios suos bellum ciuile consurgeret. Cumque conuenissent cum hostibus magnis contra Chlotharium, vt sequenti die eum interficerent, mane facto in loco in quo erant congregati, orta est maxima tempestas, tentoria irrumpens cum immixtis fulgoribus cuncta subuerteret, irrumpentibus imbribus cum tonitruis validis. Illi vero prostrati in terram corruenses læsi grandinibus validis grauiter verberantes corruunt, nullum eis tegumen remansit, nisi clypeus tantum: hoc maxime timentes, ne ab igne cœlesti cremarentur. Sed & equi eorum ita dispersi sunt, vt vix in vicesimo stadio reperirentur: multi enim de his non sunt inuenti. Tunc illi aut lapidibus cæsi, aut humo prostrati, pœnitentiam agentes veniam postulabant a Deo, quod ista contra sanguinem suum agere voluissent. Super Chlotharium vero neq; vna quidem pluuiæ gutta decidit: neque vllatenus sonus tonitrui est auditus, sed neque anhelitus venti in illo loco senserunt. Illi quoque mittentes nuntios pacem ad concordiam petierunt, qua data ad propria sunt reuersi.

CAPVT XXVI.

Quod Childebertus & Chlodtharius in Hispaniam dirigunt, Cæsaraugustanam obsident, & quia Longobardi sub tributo vixerunt.

Gr. III. c.29. Aimon. II. cap.19.

POST hæc iterum Childebertus & Chlotharius commoto exercitu magno in Spaniam dirigunt: in quam ingressi ipsam terram vastantes succendunt, interficientes populum, Cæsaraugustanam ciuitatē circumdantes obsederunt. Populus quoq; ibidem obsessus tenebatur, induti ciliciis, adsperso capiti cinere, in tanta humilitate ad Dominum conuersi sunt, & cum tunica beati Vincentii martyris muros ciuitatis psallendo circumirent, mulieres similiter indutæ nigris palliis, desolutos crines, plangentes sequebantur, vt illic Niniuitaram ieiunium celebraretur. Hi quoque Reges hęc videbant, putabant eos aliquid agere maleficiis. Tunc adprehensum vnum rusticum de ciuitate interrogabant eum, quid hoc esset, quod agerent. Qui ait: *Domine, tunicam beati Vincentii martyris deportant, & cum ipsa vt eis Dominus misereatur, exorant.* Et ille ait: *Vade, dic Episcopo ciuitatis, vt cum fiducia veniat ad nos nihil dubitans.* Ille vero cum hæc Episcopo nuntiasset, ipse cum muneribus statim occurrit eis. Childebertus quoque postulauit, vt ei reliquias beati Vincentii daret. At ille dedit eis stolam eius. Tamen memorati Reges adquisita maxima parte Spaniæ, cum multis spoliis reuersi sunt. Childebertus vero Parisios veniens Ecclesiam in honore beati Vincentii martyris ædificauit

Tunc Teutbertus Rex, filius Teuderici, in Italia cum hoste plurima adiit, Longobardos deuictos atque prostratos maxima parte de ipsa terra vastauit, ipsosq; Longobardos tributarios subiugauit, & cum multo spolio reuersus est.

CAPVT XXVII.

De morte Theodoberti, & Chrodchilde, & Theudoaldo, & quia Chlodcharius regnum recepit, & bellum contra Saxones.

POST hæc rex Teutbertus ægrotans, febre valida correptus mortuus est. Regnauitque annos XIV. regnum ipsius, in superiores Francos in Auster, Teudoaldus filius eius accepit. *Gregor. III. c.36.*

Igitur bonæ memoriæ gloriosissima Rothildis regina bonis operibus plena, apud vrbem Turonicam migrauit ad Dominum plena dierum. Quæ cum magno psallentio Parisios deportata in sacrario Basilicæ sancti Petri ad latus Chlodouichi Regis viri sui sepulta est, à filiis suis Hildeberto & Chlothario regibus humata ibi & beatissima Genouefa sepulta est. *Gr.IV.c.1. Aim.II.c.25.*

Chlotharius quoq; Rex de diuersis mulieribus septem filios habuit, id est, de Vngunde Guntharium, Hildericum, Heribertum, Guntramnum, Sigibertum, & Rothsindam † filiam: de Heregunde quoque sorore Emigunde † habuit Hilpericum; de Gunsinane † habuit Chramnum. Per amorem enim Ingundis eo quod pulcra esset & decora, & ipse esset nimis luxuriosus, Herigundem sororem eius in coniugium accepit. *Chrodsindā Ingundis. Gunsinam. Gr.IV.c.2.*

Teudoaldus autem rex filius Teutberti regis in Auster, ægrotans febre valida mortuus est, regnauitque annos VII. regnumque eius Clotharius rex cum thesauris multis accepit. *DLIX.*

Eo anno rebellantibus Saxonibus Clotharius rex commoto Francorum exercitu contra eos pugnam iniit super Wiseram fluuium, exercitum eorum maximum interfecit, terramq; eorum vastauit. Peruagans totam Toringam, ac depopulans, pro eo quod Saxonibus solatium † præbuissent. *Gr.Tur.IV. cap.10. Aim.II. c.27. i.auxilium.*

CAPVT XXVIII.

Quod Chramnus coniurationem aduersus patrem suum fecit cum Childeberto, & de obitu Childeberti.

CRAMNVS itaque filius Clotharii pulcher & decorus nimis, acerbus & callidus, qui cū vltra Ligere a patre suo missus in loco eius fuisset, cepitq; illam regionē valde iniquiter opprimere. Quod cum patri nuntiatum fuisset, ille cū ad se venire præcepit. Sed Cramnus noluit iussionem patris implere, durius agens. Willchari filiam nomine Chaldam duxit vxorem, adprehensos multos thesauros Parisios veniens cum Hildeberto rege; patruelem suum sacramento constrictus, iurans patri esse certissimum inimicum. *Aim.II.c.28*

Cum autem Hildibertus Rex ægrotare cepisset, diutissime Parisiis febribus decubans, mortuus est, in Basilica beati Vincentii martyris, quam ipse construxit, sepultus. Cuius regnum & thesauros Clotharius rex accepit. *Aim.II.c.29*

Cramnus quoq; cum euadere non posset patri, Britannos petiuit: ibi cum Britannorū rege Cunoberto ipse, & vxor eius, & filii eius latuerunt. Willicharius autem socer eius Turonos ad Basilicam sancti Martini confugit. Tunc ipsa Basilica per peccata Willegharii & vxoris eius succensa est: quam postea Chlotharius Rex ab stagno † cooperire iussit, & in illa vt prius fuerat, elegantia reparauit. *Aim.II.c.30 i.stanno.*

Post hæc Lotharius Rex commoto exercitu contra Cramnum in Britannos frendens direxit. Sed & Cramnus, nec timens, contra patrem ad bellum cum Cunoberto Rege Britannorum egreditur. Cumque fortiter compugnarent, Lotharius Rex commotus lachrymis aiebat: *Respice Domine de cælo, & iudica iuste, illudque impone iudicium, quod quondam inter Absalonem & patrem eius Dauid posuisti.*

Confligentesque pariter, Britannorum Rex in fugam vertitur, ibique & cecidit. Chramnus quoque dum per fugam euadere conaretur, nauesque in mari paratas haberet, & dum vxorem vel filias liberare vellet, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cum Lothario regi nuntiatum fuisset, iussit eum cum vxore & filiabus igne consumi: inclusique tugurium cuiusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extentus orario sugillatus † est, & sic postea super eos ipsa casella incensa cum vxore & filiabus est.

i. strangulatus.

CAPVT XXIX.

Quo tempore S. Medardus transiit: & de morte Chlodcharii, & quia filii eius successerunt in regnum.

Gregor. IV. c.19. Aim. II. c.36 DLVI.

TVNC quoque in illis temporibus beatissimus Methardus Episcopus, plenus virtutibus præclaris & gloria migrauit ad Dominum: quem Lotharius Rex Suessione ciuitate cum magno psallentio gloriose sepeliuit, tribuens illic multis facultatibus.

Aim. II. c.37

Rex vero Lotharius ad beati Martini sepulchrum abiit: illic diutissime orans, ibique multa munera largitus, per multas basilicas Sanctorum complurima dona tribuens. Post hæc dum in Cottia † sylua venationem exerceret, à febre valida corripitur. Exinde compendio villa rediit, in qua cum grauiter vexaretur, dicebat: *Vua, vua † quid putatis? qualis est ille Rex cælestis, qui sic tam magnos Reges interficit?* In hoc enim tædio positus spiritum exhalauit, regnauitque annos L I. Quem quatuor filii sui cum magno honore Suessionis ciuitate deferentes, in basilica beati Medardi † sepelierunt.

al. Gotia. i. Va, va. A. DLXIV. al. Martini.

Chilpericus vero post mortem patris sui Thesauros, qui in villa Brinnaico † erant congregati, accepit, & ad Francos vtiliores petiit, ipsisque munera multa dedit, & sibi subdidit. Mox Parisios ingreditur †, sedemque Hildiberti regis occupat: sed non diu licuit ei hoc possidere. Nam coniuncti fratres eius eum exinde expulerunt, & sic intra se hi quatuor, id est, Herebertus, Guntrannus, Helpericus, atque Sigibertus diuisionem legitimam inter se fecerunt. Accepitque Heribertus regnum Hildiberti, sedemque constituit Parisiis: Guntrannus regnum Chlodomeris accepit, Aurilianis sedem instituit: Hilpericus vero regnum Chlodharii patris sui accipiens, Suessionis ciuitate sedem statuit. Sigibertus autem regnum Teuderici accepit, sedem habere Remis ciuitatem constituit.

al. Brinnaco. al. egreditur. Aim. III. c.1

CAPVT XXX.

Vbi Chuni Gallias appetentes prostrati sunt, & bellum inter Sigiberto & Chilperico, & de vxoribus Chareberti.

Gr. IV. c.23. al. honore.

IGITVR post mortem Chlodharii regis Chuni commoti cũ Cagano rege suo Gallias venire destinant. Contra quos Sigibertus exercitum mouit contra eos fortiter pugnaturus, ac cæsos Hunos prostrauit atque deuincit, & in ore † gladii eos fugauit. Sed postea Rex eorum amicitias cum Sighiberto petiit, & per missos suos pacẽ cum eo postulauit, reuersusque est in terram suam. Dum autem illic moraretur Sighibertus, Hilpericus frater eius hoste collecto Remos peruasit, Campania succensa atque prædata vastauit. Sighibertus quoque rediens victor à Chunis, contra Hilpericum exercitum commouit, Suessionis ciuitatem occupat: ibique inuento Teurberto filio Hilperici adprehendit, & in exilio transmittit. Accedens autem contra Hilpericum bellum commouit, quo victo atque fugato ciuitates suas in suo dominio restituit. Teutobertum vero filium eius apud Ponticonem villam custodire iussit per annum integrum: quẽm postea, clemens vt erat, muneribus ditatum patri reddidit sanum, dato sibi sacramento, ne vnquam contra eum agere deberet. Quod postea peccatis ingruentibus fuit inruptum.

Chare-

Charebertus Rex Ingodobergam † duxit vxorem. Habebatque ipsa regina puellas duas cuiusdam pauperis filias nimis pulchras & speciosas. Nomen senioris Machouesa †, nomen vero iunioris Merofledis vocabatur. In quarum amore Rex Charebertus nimis exarserat. Ingoberta quoque affligebat eas nimio odio pro ea caussa. Nam & patrem earum compositorem lanificii fieri iussit. Pro qua caussa Rex nimis iratus Ingobergam reliquit, Merofleden accepit vxorem. Posthæc quoque Marcouefa sororem eius ad coniugium copulauit: pro qua caussa à S. Germano Parisiorum Episcopo excommunicatus vterque est. Sed cum rex relinquere nollet, percussa iudicio Dei mortua est.

al. Ingodergam. Gregor. IIII. c. 26. Aim. III. c. 2 Marcouefa.

CAPVT XXXI.

De morte Charaberti: & quia Sighibertus Brunchildem accepit vxorem sibi, & Chilpericus Galsuïntam & de Fredegunde.

NON post multum tempus Charebertus Rex mortuus est, Blaniaco castello in Basilica S. Romani sepultus.

Porro Sigibertus Rex cum videret, quod fratres eius indignas sibi vxores acciperent, & ancillas ad coniugium copularent, legationem in Spaniam mittit, & cum multis muneribus Brunchildem Athanigilde Regis filiam petiit. Erat enim puella elegans opere, & pulchra, & ingeniosa; quam pater eius non denegans, cum magnis thesauris antedicto regi transmisit. Ille vero cum magno apparatu & immenso gaudio eam accepit vxorem: & quia Arriana lege subiecta erat, eam Sigibertus Rex in nomine sanctæ Trinitatis baptisare præcepit: & fide Catholica confessa perfecte imbuta est.

Gr. IV. c. 27 Aim. 3. c. 4.

Quod videns Chilpericus Rex, cum iam plures haberet vxores, sororem Brunchildæ nomine Galsuintam expetiit, promittens per legatos, alias vxores dimittere. Pater vero eius has promissiones audiens, filiam suam præfatam cum multis thesauris ei destinauit. nam ipsa Galtsuinta ætate senior erat Brunichilde. Chilpericus vero cum magno gaudio eam in coniugio suscepit, & ipsa in nomine sanctæ Trinitatis chrismata, magna Christiana effecta est. Per odium autem Fredegundis valde pessimæ ortum est inter eas grande scandalum. Dicebat enim ipsa Galasuinda, tantas iniurias sufferre non posse, & à Rege propter inimicitias Fredegundæ petiit, vt relictis thesauris quos secum de Spania tulerat, liberam eam redire dimitteret in patriam ad patrem suum. Sed ille eam verbis mollibus blandiebatur. Per consilium itaque pessimæ Fredegundis eam per noctem in strato suo strangulauit. Post cuius obitum Deus virtutem ostendit. Quo facto, fratres Chilperici hoc indignantes, cum de regno eiicere voluerunt. Habebat autem tunc Hilpericus Rex tres filios de Audouera regina sua, id est, Teutbertum, Merouecum & Chlodoueum.

Aim. III. c. 5 Gr. IV. c. 28.

Nunc autem ad cepta redeamus, qualiter Fredegundis dominam suam Audoueram reginam decepit. Nam ipsa Fredegundis ex familia infima fuit. Cum autem Chilpericus rex in hostem cum Sighiberto fratre suo contra Saxones ambulasset, Audouera regina grauida remansit, quæ peperit filiam. Fredegundis vero per ingenium consilium dedit ei dicens: *Domina mea, ecce Dominus Rex victor reuertitur: quomodo potest filiam suam gratanter † recipere non baptisatam?* Cum hæc audisset regina, baptisterium parare præcepit; vocauitque Episcopum, qui eam baptisare deberet. Cumque Episcopus adfuisset, non erat matrona ad præsens, quæ puellam suscipere deberet. Et ait Fredegundis: *Nunquid similem tui inuenire poterimus, quæ eam suscipiat. Modo tumet ipsa suscipe eam.* Illa vero hæc audiens, de sacro fonte eam suscepit. Veniens autem Rex victor, exiitque Fredegundis obuiam ei, dicens: *Deo gratias, quia Dominus noster Rex victoriam recepit de aduersariis suis; nataque tibi est filia, cum qua dominus meus Rex dormiet hac nocte? quia domina mea Regina commater tua est de filia tua Childesinde.*

Hæc non habentur in Gregorio illo Turon. Sed ex hoc sumpsit Aim. III. c. 6 al. gratulanter.

Et ille ait: *Si cum illa dormire nequeo, dormiam tecum.* Cumque introisset Rex in aulam suam, occurrit ei adorare regina cum ipsa puella. Et ait ei Rex: *Nefandam rem fecisti per simplicitatem tuam: iam coniux mea esse non poteris amplius.* Rogauitque eam sacro velamine induere, cum ipsa filia sua, deditque ei prædia multa & villas. Episcopum vero qui eam baptisauit, exsilio condemnauit. Fredegundam vero copulauit ad reginam.

CAPVT XXXII.

Bellum quod fuit inter Sigiberto & Chilperico: & de morte Sighiberti.

Gregor. IV. cap. 31. al. ambiuit. IV. c. 47. Aim. III. cap. 12.

TVNC Iustinus Imperator apud Constantinopolin ciuitatem obiit: Iustininianus accepit † Imperium.

Chlodoueus quoque iunior filius Hilperici habiit vsque Burdegalam vrbem, cum illic nullo inquietante resideret, Sigulfus quidam à parte Sighiberti regis missus, cum exercitu se super eum obiecit. Quem fugientem cum tubis & buccinis, quasi fugientem ceruum insequebatur: qui vix ad patrem labens Parisios peruenit.

al. interfecit.

Hilpericus quoque Teutbertum filium suum seniorem, qui antea Sighiberto iurauerat, vltra Ligerem cum hoste direxit. Qui abiens ciuitatem Sighiberti auunculi sui peruasit, id est, Turonis, Pictauis, vel reliquas. Apud Pictauis autem contra Gundoaldum ducem pugnauit; conlæsusque exercitus Gundoaldi fugit, magnamque cædem illic Teutbertus de hoste Gundealdi fecit. Cōmoto inde exercitu Lemouicinum Cadorcinumque abiit, easque peruasit atque peruastauit: Ecclesias multas incendit, ministeria detrahit, clericos occidit †; monasteria virorum deiecit, puellarum deludit, & cuncta deuastauit. Fuitq; in illo tempore peior in Ecclesiis gemitus, quam tempore persecutionis Maximiani & Diocletiani Imperatorum.

Gr. IV. c. 49. IV. c. 50.

Cumque has discordias inter hos fratres disseminari videret, commoto iterum Chilpericus exercitu vsque Remis accessit, cuncta incendens atque debellans. Quod audiens Sighibertus conuocatis gentibus illis quæ vltra Rhenum sunt, Parisios venit, & contra fratrem suum ire disponit, mittens nuntios Dunensibus vel Toronicis, vt contra Teutbertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, rex Godegisilum & Guntramnum duces in capite dirigit, qui commouentes exercitum aduersus eum pergunt. Ille quoque derelictis suis cum paucis remansit, sed tamen ad bellum exire non dubitauit. Venientesque ad pugnam Teutbertus deuictus prosternitur, mortuusque est ibi: ab Aunolfo † quoque duce collectus Ecolasinam † ciuitatem deportatus, ibidem sepultus est. Hilpericus vero per Rodomagensem vrbem fugiens cum vxore sua ac filiis, Turnacum ciuitatem ingressus, ibi se reclusit & communiuit. Sighibertus vero ciuitates illas quæ vltra Parisios sunt positæ, vsque Rodomacum accepit. Regressus inde Parisios introiens, ibiq; ad eum Brunchildis cum filiis suis venit.

Arnolfo. vel Engolismensem.

Gr. IV. c. 51.

Tunc Franci, qui quondam ad Hildebertum seniorem aspexerant, ad Sighibertum legationem mittentes, vt ad eos veniret, & illic Chilperico derelicto ipsum super se regem stabilirent. Ille hæc audiens, misit fratrem suum insuper memoratam ciuitatem Turnacum obsidere, & ille cum exercitu sequeretur eos. Cui beatus Germanus Episcopus dixit: *Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, viuus & victor redis: sin autem aliud cogitaueris, morieris.* Sic enim Dominus per Salomonem ait: *Foueam quam fratri tuo præparabis, in eam cades.* Quod ille audire neglexit. Venientem autem illum apud villam cui nomen Victoriacū, collectus est ad eum omnis exercitus, impositumque supra clypeum Regem eum super se statuunt. Tunc Fredegundis inebriauit duos pueros Taraconenses, dixitque eis: *Ite ad cuneum Sigberti, & adsimulate vt eum supra vos in Regem eleuare debeatis, cumque interficite. Si euaderitis viui, ego mirifice honorabo vos & sobolem vestram: si autē corrueritis, ego pro vobis eleemosynas multas per loca Sanctorū distribuā.* Illi vero nec dubii, fero vt erant corde, ad eū venientes, cū aliā causam suggerere simularent, abstractis cultris (quos vulgus *scramasaxos* † vocāt) vtraq; ei latera feriunt. At ille voci-

Sachs: longiores cultros & ma bere Witikind.

vociferans atque corruens non post multo spacio emisit Spiritum: vbi etiam & illi homicidi corruerunt. Chilpericus vero nesciens de fratris interitu, quid Fredegundis egisset, dubius hæsitabat, quomodo angustias, quas ab hoste fratris sui patiebatur, an euadere posset aut non. Donec Fredegundis omnia de fratris sui morte narrauit Tunc egressus Chilpericus Rex cum satellitibus suis de Turnaco cum vxore & filiis, vestitum Sigibertum vestibus ornatis apud Lambrus vicum sepeliuit: vnde postea Suessionis in Basilica S. Medardi iuxta patrem suum Chlodharium sepelierunt. Obiit autem anno XIV. regni sui, ætate quadragenaria. DLXXVII.

Interempto quoq; Sigiberto Rege apud Victoriacum villam, Brunichildis enim Regina cum filiis suis Parisiis residebat, plena luctu, quid de se agere deberet, ignorabat. Gandoaldus Dux adprehensum Childebertum filium eius paruulum furtim per noctem abstulit, & cum eo in Auster fugit; collectisq; gentibus, super quas pater eius regnauerat, regem instituit. Aim. 3. c. 1.

CAPVT XXXIII.

Quod Brunchildis in exilio retruditur, eamque Meronechus in vxorem adsumitur, & bellum Campanorum.

CHILPERICVS vero Rex Parisios veniens, adprehensa Brunhilde apud Rotomagensem ciuitatem in exilio retrusit, thesaurosque eius quos Parisios detulerat, abstulit, & filias eius Meldis vrbe tenere præcepit. Chilpericus vero filium suum, Merouerim cum exercitu vltra Ligerim dirigit. At ille relicta ordinatione patris, per Cenomanicum reuersus, matrem suam Audoueram visitare se finxerat, Rotomagum ciuitatem veniens; ibiq; Brunihildæ reginæ coniungitur, eam sibi in coniugium copulauit. Hæc audiens Chilpericus, quod scilicet contra fas & legem Canonicam vxorem patrui accepisset, valde amarus festinus ad ipsam vrbem perrexit. Illi vero cum cognouissent, quod eos separare decerneret, ad Basilicā sancti Martini, quæ est ligneis tabulis, supra murum constructa confugiunt. Rex vero cum eos per ingenium inde eiicere non posset, dolose eis iurans; *Si*, inquit, *voluntas Dei fuerit, ipse eos separare non conaretur*. Hæc illi sacramenta accipientes, de Basilica egressi sunt: exosculatisq; dolose, & dignanter acceptis, epulauit cum eis. Post dies vero paucos cum ipso Merouco assumto Suessionis ciuitatem rediit. Greg. V. Aim. c. 1.

Cum ibidem moraretur, collecto hoste de Campania aduersus Chilpericum, ille quoque similiter cum exercitu aciem dirigit contra eos. At illi nimis cæsi in fugam dilabuntur, multosque ibi nobilissimos viros occidit. Quæ postquam acta sunt, Rex Chilpericus propter coniugationem Brunhildæ, vel eius maleficia, Merouæum suspectum habebat pro hac pugna, insidiante Fredegunde. Tunc expoliatum eum ab arma, commendauit custodibus, tractans quid de eo facere deberet. Post hæc tonsuratus est ipse Meroueus, iubente Chilperico, presbyter ordinatus cum veste sacerdotali monasterium ab insula † Cenomanicum eum direxit, vt illic regulari ordine degere deberet. Greg. V. c. 3. al. Aninsola in Cenomanico.

Tempore quoque illo beatus Germanus Parisiorum Episcopus plenus dierum ac virtutibus magnis migrauit ad Dominum, cum gloria & psallentio maximo in beati Vincentii martyris Basilica sepultus. Greg. V. c. 8. Aim. III. c. 16.

Childebertus post hæc iunior legationem ad Hilpericum misit propter Brunichildem matrem suam. Illa quoq; pacifice reddita est.

Eo tempore Samson filius Hilperici mortuus est. Gr. V. c. 22.

CAPVT XXXIV.

De descriptiones pessimas, quas Chilpericus fieri iussit.

CHILPERICVS autem Rex descriptiones nouas & graues per consilium Fredegundis in cuncto regno suo fieri iussit. Pro qua caussa multi relinquentes ciuita- Gr. V. c. 28. Aim. III. c. 1[illegible]

tes illas vel possessiones proprias, alia regna petierunt, dicentes; *Se melius esse peregrinare, quam tali periculo subiacere.* Sic enim statutum fuerat, *vt possessor de propria terra vnam amphoram vini per arepennem† redderet.* Sic & de reliquis terris & vniuersa substantia faciebant: Similiter & de mancipiis cuncta agebantur. Populus vero valde oppressus vociferabant ad Dominum. Eo tempore Rex Hilpericus grauiter ægrotauit. quo recuperante, filius eius iunior necdum baptisatus ægrotare cœpit: qui baptisatus vix conualuit. fraterque eius senior nomine Clodobertus hoc morbo corripitur valde†.

par arpent. — *V. c. 34.* — *al. valida tabe.* — *al. repenitens.*

Et Fredegundis plena dolore filiorum, & cum gemitu ait ad Regem sero† pœnitens: *Diu nos male agentes pietas diuina sustentat. Nam nos sæpe febribus & aliis malis corripuit & emendare neglEximus. Ecce iam perdimus filios: ecce iam eos lacrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orfanorum interimunt. Ecce auri & argenti immensa pondera, cellaria & horrea plena redundant, & nescimus cui congregamus ea. Ecce quod pulcrius habebamus, perdimus. Quid nobis proderunt omnia ista? Nunc vero placeat tibi consilium meum, & iube reddere quod male peruasimus, & descriptiones nouas quas iniuste iniquitatem fecimus, iube incendere: vt si natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus.* Tunc Rex compuncto corde tradidit omnes descriptiones iniquas ad comburendū in ignem. Post hæc puer paruulus filius eius moritur: quem cum grandi mœrore Parisios in Basilica sancti Dionysii martyris deportantes sepelierunt. Deinceps Robertus† filius eorum alius, cum nimis ægrotaret, componentes eum in feretro Suessionas† ad Basilicam sancti Medardi deduxerunt: proiicientesque eum ad sanctum sepulcrum vouerunt vota pro eo. Sed media nocte deficiens mortuus est, quem in Basilica sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani sepelierunt. Magnus quoque planctus in omni populo fuit: nam mulieres cum viris sumentes lugubria flebant, nigris vestibus indutæ, percussæ pectora hoc funus sunt prosecutæ, multa munera ac dona Chilpericus Rex Ecclesiis vel pauperibus ac prædia multa est largitus.

Chlodobertus vulg. — *al. Saxonis.*

CAPVT XXXV.

De Iustino & Thiberio Impp. & de Italia subiugata: & transitu Gunthramni Regis, & quod per ingenium Fredegundis interfectus est Chilpericus.

Gr. V c. 30. Aim. 3. c. 18

EO quoque tempore Iustinus Imperator amens effectus XIII. anno imperii sui apud Constantinopolin ciuitatem obiit. Tiberius quoq; imperium suscepit.

CHLOTARIVS 2. Greg. in hoc definit.

Post hæc Teudericus puer filius Chilperici obiit. His diebus peperit Fredegundis puerum, quem Chlodharium vocauerunt. Hic fuit postea Rex magnus, qui genuit Dagobertum.

Aim. 3. c. 54. — *al. ortus.* — *Ado, Austria*

In illis quoq; diebus Childibertus rex in Italiam abiit, rursumq; eam ad partem Auster† quam ipse regebat, adquisiuit, & sub tributo subiugauit.

Tunc etiam maximæ discordiæ inter Chilpericum & Childibertum nepotem suum consurgebant. Iritabantq; eos ex vtraq; parte Fredegundis & Brunhildis.

al. Cabillono.

Eo quoque tempore mortuus est bonæ memoriæ Guntramnus rex inclitus, frater Chilperici, Cauelone† ciuitate Burgundiæ, in Basilica sancti Marcelli martyris sepultus. Regnauit autem annos XXXI.

al. Ricohundem. — *Leubegildum.* — *Hæc nō sunt in Gre. Tanguntur ab Adone.* — *Aim. 3. c. 57.* — *al. Calensa.*

Fredegundis vero filiam suam nomine Rihgunde†, cum magnis opibus & infinitis thesauris, in Hispaniis ad Leudebegildum† Regem, vxorem filii sui cum magna legatione Gottorum direxit. Erat autem Fredegundis regina pulcra & ingeniosa nimis, atque adultera. Landericus quoque erat tunc in aula Regis Chilperici, vir efficax atque strenuus: ad quem memorata regina diligebat multum, quia luxuria commiscebatur cum ea. Quadam die maturius mane, cum Rex ad venationem exercendam de villa Calinsa† in Parisiaco dirigeret, cum nimis ipsam Fredegundem diligeret, reuersus in camera Palatii de stabulo equitum, illa caput suum abluens aqua in ipsa camera; Rex vero retro veniens eam in natibus

suis

suis de fuste percussit. At illa cogitans quod Landricus esset, ait: *Quare sic facis Landrice?* Respiciens rursum † vidit quod rex esset, expauit vehementer. Rex vero nimis tristis effectus, in ipsam venationem perrexit. Fredegundis itaque vocauit ad se Landericum, & narrauit ei hæc omnia quæ Rex fecerat, dicens: *Cogita quid agere debeas: quia crastino die ad tormenta valida exibimus.* Et ait Landericus contristatus Spiritu, commotus lacrymis dicens: *Tam mala hora te viderunt oculi mei. Vbi fugere possum domino meo Regi? Ignoro enim quid agere debeam: quia comprimunt me vndique angustiæ. Et illa dixit ei: Noli timere. audi consilium meum, & faciamus hanc rem, & non moriemur. Cum autem Rex de venatione summo noctis vespere obtenebrante crepusculo aduenerit, mittamus qui eum interficiat: & præcones clament, quod insidiæ sunt Childeberto. Illo quoque mortuo nos cum filio meo Chlodhario regnemus.* Factum est autem in initium noctis reuertente Hilperico rege de venatione, quidam pueri adulatores inebriati vino a Fredegunde missi, dum de equo descenderet, pergentibus reliquis personis ad hospitia † sua, ipsi gladiatores percusserunt Regem in aluum seramsaxis. † At ille vociferans exspirauit, & mortuus est. Succlamauerunt quoque adulatores, quos Regina fraudulenter miserat, dicentes; *Insidiæ, insidiæ fuerunt Childiberto regi Austrasiorum, super dominum nostrum Regem.* Tunc exercitus huc illucque discurrentes cum nihil inuenissent, reuersi sunt ad propria sua. Maldulfus itaque Siluenestensis Episcopus, qui in ipso Palatio tunc aderat, indutumque vestibus regalibus, in naue leuatum, cum hymnis & psallentio cum Fredegunde regina vel reliquo exercitu Parisios ciuitatem in Basilica beati Vincentii martyris eum sepelierunt. Regnauit enim annos XXIII.

al. rursum. — *al. ad metata sua.* — *al. Seramxafis. ita infr.* — *A. DLXXXVI.*

CAPVT XXXVI.

Vbi Fredegundis bellum cum Austrasiis egit, eosque deuictos Campaniam succendit.

FREDEGVNDIS autem cum Chlodhario rege paruulo filio suo, & Landerico quem maiorem domus palatii constituerat, † in regno resedit. Franci quoque prædictum Chlodharium regem paruulum supra se in regnum statuerunt.

al. elegerunt. Aimon. III. cap. 59.

Audiens autem Childibertus rex Austrasiorum filius Sighiberti, nepos Hilperici, auunculo suo mortuo maleficia Fredegundis reginæ, hostem collegit. Nam defuncto Guntramno patruele suo regnum Burgundiæ ipse accepit. Burgundiones & Austrasii, superiores Franci simul commoti, grandem exercitum valde per Campanias digressi, pago Sessaunico † cum Gundealdo & Vuintrione patriciis suis vastantes ingrediuntur. Hæc audiens Fredegundis cum Landerico & reliquis Francorum Ducibus hostem congregat: Brinnacum villam veniunt, multa dona & munera Francis donauit, eosque ad pugnandum contra inimicos eorum cohortans. Cumque vidisset, quod nimius esset exercitus Austrasiorum coniuncti simul, consilium dedit Francis qui cum ea erant, dicens; *De nocte consurgamus contra eos cum lucernis, portantes socii [illegible] ramos siluarum in manibus, tintinnabulis supra equos ligatis, vt nos cognoscere ipsi [illegible] custodes hostium non queant. In lucescente initio diei irruamus super eos, & forsitan eos deuincemus.* Placuitque consilium, cum denunciatum fuisset placitum, qua die ad prælíandum in loco nuncupante Truciæ in pago Suessionicó conuenire deberent. *Illa sicut consilium dederat, de nocte consurgens, cum armorum apparatu, cum ramis in manibus, vel reliqua quæ superius diximus, ascensis equitibus, Chlodhario paruulo rege in brachia vehitans, vsque Trucciago † peruenerunt. Cum autem custodes hostium Austrasiorum ramos siluarum, quasi in montibus, in agmine Francorum cernerent, & tinnitum tintinnabulorum audirent custodes, dixit [illegible] suum, *Nonne crastina die in illo & illo loco campestria erunt, quomodo nunc siluæ [illegible]? Et ille irridens dixit: certe inebriatus fuisti, modo deliras. non audis tintinnabula equarum nostrorum iuxta ipsam siluam pascentium.* Cum hæc agerentur, & aurora diei initium daret, irrueruntque Franci cum strepitu tubarum super Austrasios & Burgundiones dormientes, cum Fredegunde & Chlothario paruulo: interfeceruntq;

Aimon. III. cap. 81. — *al. Suessionico.* — *al. Trunciaco.*

maximam partem de hoste illo innumerabilis multitudo maximus valde exercitus à maiore vsque ad minorem. Gundoaldus quoque & Witrio † per fugam dilapsi vix euaserunt. Landericus vero insecutus Witrionem, ille per auxilium equi velocissimi euasit. Fredegundis vero cum reliquo exercitu vsque Remos accessit, Campaniam succendit atq; vastauit, cum multa præda & spolia reuersa est Suessionis ciuitatem cum exercitu suo.

al. Wintrio.

CAPVT XXXVII.

De morte Fredegundis: & bellum Theudoberti contra Chlotharium.

EO tempore Childebertus rex Austrasiorum habebat filios duos, seniorem ex concubina, nomine Teudobertum, iuniorem vero ex regina nomine Teudericum: ipsumque cum auia sua Brunhilde in Burgundiam in regno Guntramni regis magni direxit.

DXCIX. Aimon. III. cap. 84. Eo tempore mortuus est Childebertus rex iunior, regnauitque annos XX. Teudebertus filius eius in regno patris sui in Austria † statutus est: Teudericus vero in Burgundia. Eo etiam tempore mortua est Fredegundis regina senex & plena dierum, Parisiis in Basilica S. Vincentii martyris sepulta.

al. Auster. Aim. III. cap. 86. Aim. III. c. 88.

Teudericus vero Burgundiæ erat pulcer & strenuus, ac callidus nimis per consilium auiæ suæ Brunhildæ: hostem maximum ex Burgundia congregans contra Clotharium patruelem suum dirigens. Chlotharius hæc audiens, commoto Francorum exercitu, contra eum festinus perrexit. Conuenientesque simul cum hostibus in pago Senonico † super fluuium Aroanno bellum commissum in inuicem: tanta cædes illic fuit de vtroque populo, vt ipse alueus de cadaueribus hominum completus, aqua ipsa penitus currere non valeret, tanto cruore fuso. Ibi enim in ipso certamine visus fuit angelus Domini euaginato gladio super populum illum. Chlotharius rex cernens læsum exercitum suum, in fugam dilapsus, secus fluuium Sequanam Miclitanum † castrum ingressus, exinde Parisios vrbem penetrauit. Teudericus quoque regionem illam deuastans atque succendens vsque Sciona vico † cum multa spolia reuersus est. Chlotharius autem à Parisiis egressus vsque Aurellauno † sylua properauit.

al. Saxonico male. al. Militonẽ. Sciunanico. al. Erelauno.

CAPVT XXXVIII.

De consilio pessimo Brunchildis, & quia Theudericus fratrem suum occidit.

Aim. 3. c. 98 BRVNIHILDIS vero sæpius per inuidiam peiora consilia Teuderico regi nepoti suo subministrabat dicẽs; *Cur negligis ac non requiris thesaurum patris tui, ac regnum [illegible], de manu Teudoberti? Cum scias eum non esse fratrem tuum: quia filius meretricis est, concubinæ patris tui, in adulterio fuit editus.* Cum hæc audisset Teudericus, acerbis moribus [illegible], *Aim. 3. c. 98* exercitum plurimum commotum contra Teutbertum germanum suum direxit. Tulbiacum castrum ad bellum conuenerunt. Illis inter se valde confligentibus, Teudebertus læsum cernens exercitum suum, in fugam dilabitur, Colonia ciuitate ingressus. Teudericus autem terram Rinbarinse † succendens atque deuastans. Populus itaque regionis illius eius se ditionibus subdunt, dicentes: *Parce [illegible] Rex, iam [illegible] sumus tibi: noli nos amplius opprimere.* Et ille ait; *Aut [illegible] Teutbertum, aut caput eius amputate & mihi deferte si vultis vt vobis parcere [illegible].* Illi hæc audientes, in ipsa ciuitate ingressi, ei alia pro alia mentientes dixerunt: *[illegible] mandat frater tuus, redde thesaurum patris tui quem apud te retines: ille post hæc reuertetur cum exercitu suo.* Cumque ei mentientes dicerent, ille cũ eis in palatium thesauri sui ingressus. Cumq; in arca thesaurorum ornamenta requireret, vnus ex eis abstracto gladio à retro eũ in ceruicẽ percussit,

al. Ribnarinsem. l. Ripuarinsem.

percussit & amputauit caput eius. Sustuleruntque eum per murum ciuitatis Coloniæ. Teudericus vero hæc videns, ipsam ciuitatem adprehendit, thesauris magnis acceptis. Cumque sacramenta ab ipsis Francorum sublimibus accepisset, in Basilica sancti Gereonis martyris, visum fuit ei vt percussus fuisset in latere doloie. At ille ait: *Obserua te ista, forsitan quis de istis periuratis Riboariis me percussit.* Cumq. reuoluissent vestimenta eius, non aliud inuenerunt, nisi signum paruulum purpureum. Inde enim cum multa spolia Teudericus rex reuersus, cum filia Teutberti regis fratris sui, vel duobus filiis eius paruulis, reuersus est vrbem Metensem, ibique Brunhildis regina aduenerat, adprehensisque pueris filios Teutberti interfecit.

CAPVT XXXIX.

Quod Theudericus neptem suam ad coniugium sociare voluit, & quia Brunchildis ipsum Theudericum occidit.

TEudericus itaque videns pulcram filiam Teutberti, neptam suam, volensq; eam ad coniugium copulare. Cui ait Brunhildis: *Quomodo accipere poteris filiam fratris tui?* At ille ait. *Nonne tu dixisti mihi, quod non esset frater meus? cur induxisti super me hoc peccatum inimica, mala, & rea mortis, vt fratres & parentes interimerem.* Et euaginato gladio † volunt eam transuerberare. Illa vero a circumstantibus erepta, euasit in cubiculum domus elapsa. Post hæc odio nimio infecta † potione venenata per manus ministrorum crudelium ei deferens: qui statim nesciens hunc dolum venenū bibit; deinceps deficiens iniquum fudit spiritum. Illoq; mortuo paruulos filios eius iniquiter præfata Regina iugulauit. Iuniorem enim puerum in albis, eliso cerebro ad petram interfecit. Aim.3.c.vlt. al. cultro. al. exterrita.

CAPVT XL.

Quod Austrasii & reliqui Franci Chlodcharium in Monarcham eleuant, & Brunchildem morte condemnant.

HIs Regibus mortuis Burgundiones, & Austrasii, cum Francis, pace facta, Chlotharium Regem in totis tribus regnis in monarcham super se statuerunt. Rex itaque Chlotharius commoto exercitu in Burgundiam abiit. Brunhilden dolose quasi eam ad coniugium sociare se fingeret, data fide venire ad se fecerat. At illa credens exornata cultu regali ad eum venit. Qui cum eam vidisset, ait: *Inimica Domini, cur tanta mala perpetrare inualuisti; vt tam nobilissimam sobolem regalem interimere in maleficiis tuis præsumpsisti, tantumque nefas agere non dubitasti?* Tunc adunato agmine Francorum et Burgundionum cunctis vociferantibus, *Brunhildam morte turpissima esse condignam.* Tunc iubente Chlothario rege in camelo leuata, toto exercitu girato, deinde equorum indomitorum pedibus ligata, dissipatis membris obiit, ad extremum sepulcrum eius ignis fuit, ossa ipsius combusta. Rex vero pace facta per circuitum reuersus est. Aim.4.c.1. Brunchildis exitus.

CAPVT XLI.

Vbi Saxones aduersus Dagobertum pugnam ineunt, ducemque eorum Chlodcharius interfecit, & non longiorem hominem ex eis reliquit, quam spata sua erat.

ERat eo tempore post Landericum Gundoaldus † nobilis, maior domus in aula Regis, vir egregius atque industrius. Eratque Chlothario regi tunc filius nomine Dagobertus, puer efficax, atque strenuus ad omnia, solerter versutissimus; al. Gedoland. al Gundobaldus. Aim.4 c.8.

al. in Auster. quem Rex adultum vna cum Pipino duce ad Austria † regnaturum direxit. Austrasii vero Franci superiores congregati in vnum, Dagobertum super se regem statuunt.

Aim 4.c.18 In illis quoq; diebus Saxones rebellantes nimis commouerunt exercitum gentium plurimarum contra Dagobertū regem vel Chlotharium. Dagobertus vero collecto hoste plurimo, Rhenum transiit, contra Saxones ad pugnam exire non dubitauit. Illisque valide pugnantibus, Dagobertus super se galea capitis sui percussus, abscisa auricula de capillis eius ad terram, à retro stans armiger eius colligit eam. At ille læsum cernens populum suum, dixit ad ipsum puerum suum: *Perge velociter festinus cum crine capitis mei nunc ad patrem meum, vt succurrat nobis antequam cunctus exercitus corruat.* Qui cucurrit velociter, Ardennam siluam transito Rheno fluuio penetrauit. Illic Chlotharius Rex cum exercitu plurimo peruenerat. Cumque ille nuncius festinus adfuisset, deferens Regi de abscisco crine filii sui: Ille nimio dolore commotus, cum strepitu tubarum de nocte consurgens, cum exercitu suo Rhenum transiit, in auxiliū filii sui festinus peruenit. Cumq; simul coniuncti in vnum hilari corde manibus plauderent, super Wisera fluuiū tendentes fixerunt tentoria. Berthoaldus vero Dux Saxonorum ex alia parte ripæ huius fluminis stans, paratus ad placitum, vt ad pugnam procederet, audiens hunc tumultum populi interrogauit, *Quid hoc esset?* At illi responderunt dicentes; *Dominus Clotharius rex venit, & ob hoc lætantur Franci.* Qui respondens cū

Cachinno. gauno † dicens; *Mentitis vos, delerare formidatis, cum Chlotharium habere dicitis: cum nos eum mortuum esse auditum habemus.* Rex quoque illic stans lorica indutus, galea in capite, crinis cum canicie variatis obuolutas. Cumque discopertus à galea, apparuisset ca-

al. baleiumentis. put Regis, cognouit Berthoaldus esse Regem, & ait: *Tu hic eras brie † iumentis.* Rex vero hæc audiens, valde indignatus hoc conuicio, Wiseram fluuium ingressus cum equo velocissimo, transnatauit, ferus vt erat corde, Berthoaldum persequebatur, Francorumque exercitus sequens Regem, natantes vix fluuium cum Dagoberto transiiciebant per gurgites immensos. Rex quoq; Chlotharius persecutus Berthoaldū, cer-

al. O Rex. tabat valde cum eo. Dixitque Berthoaldus; *Recede à me, oro †, ne forte interficiam te. Quia si præualueris aduersus me, sic omnes homines dicent, quod seruum tuum Berthoaldum gentilem peremisti. Si autem interfecero ego te, tunc rumor magnus in cunctis gentibus audietur, quod fortissimus rex Francorum à seruo sit interfectus.* Rex autem nequaquam adquieuit dictis eius; sed magis consurgebat supra eum. Equi itaque exercitusq; Regis à longe secutus Regi clamat: *Confortare contra aduersarium tuum, domine mi Rex.* Erantq; manus Regis graues valde. Erat enim Rex loricatus, consurgensque Rex super eum, interfecit ipsum Berthoaldum, sustulitque caput eius in conto. Reuersusque ad Francos, illisque lugentibus nesciebant quid Regi contigisset, viso ergo eo gauisi sunt gaudio magno. Rex ve-

al. terra Saxonorum. ro tota terra illa † vastata, populo illo interfecto, non ibi maiorem hominem reliquerunt

Spata, espée Gall. viuentem, nisi & gladius suus (quod spatam vocant †) per longum habebat. hoc signum in regione illa statuit: reuersusque est Rex victor in terra sua.

CAPVT XLII.

De morte Chlodcharii, & regnum Dagoberti.

Anno 631. Dagobertus II. R. SVccedente vero tempore mortuus est Chlotharius Rex, senex & plenus dierum: regnauitque annos XLIV. regnumque eius Dagobertus rex filius eius in Monar-

Aim. 4. c. 19. chia in totis tribus regnis sagaciter accepit. Fuitque ipse Dagobertus rex fortissimus in bellis, enutritor Francorum, seuerissimus in iudiciis, Ecclesiarum largitor. Ipse enim Elemosynarum copia de fisco palatii per Ecclesias sanctorum primus distribuere censum iussit: pacem in cuncto regno suo statuit. In multis gentibus rumor eius personuit, timorem & metum in vniuersis regnis per circuitum incussit. Ipse pacificus sicut Salomon, quietus regnum obtinuit Francorum.

Tunc & beatus Audoenus Episcopus exortus enituit.

Eo tempore defuncto Gundoaldo maiore domus inclito, Dagobertus Rex Er-

Aim. 4. c. 27 coaldo viro inlustri in maiorem domatus statuit. Habuitque prædictus Rex ex regina sua Nathilde de genere Saxonorum filios duos, Sigebertum & Chlodoueum. Si-

ghiber-

ghibertum vero maiorem filium suum in Auster, vna cum Pippino duce, direxit in regno statuto: Chlodoueum quippe iuniorem secum retinuit. *Anno 645.*

CAPVT XLIII.

De morte Dagoberti, & Sighiberti, & regnum Chlodouei.

POst hæc igitur Rex Dagobertus à febre valida correptus, ægrotans mortuus est, in Spinogilo villa, in pago Parisiense † in Basilica beati Dionysii martyris sepultus est. Planxeruntque eum Franci diebus multis: regnauitque annos XXXIV. *Aim. lib. 4. cap. 42. ubi verbatenus hæc ipsa, & sequentia, vsq; ad finem, inserta extat. al. Paracl.e.*

Chlodoueum filium eius Franci super se Regem statuunt. Accepitque vxorem de genere Saxonorum nomine Balthilda, pulchram valde, & omni ingenio strenuam. Post hæc autem Sighibertus rex Austrasiorum Pipino defuncto Grimoaldum filium eius in maiorem domatus statuit. Decedente vero tempore defuncto Sighiberto rege, Grimoaldus maior domus filium eius paruulum nomine Dagobertum totondit. Didonemque Pictauiensis vrbis Episcopum in Scotia ad peregrinandū eum dirigens, filium suum in regno constituens. Franci itaque commoti atq; vehementer indignati Grimoaldo insidias præparant: eumque eximentes ad condemnandum Regi Francorum Chlodoueo defertur. Cum Parisiis ciuitate in carcere mancipatus, vinculorum cruciatu constrictus (vt erat morte dignus) quod in domino suo exercuit, ipsius mors valde cruciatus finiuit. *Anno 665. Anno 647.*

CAPVT XLIV.

Quo tempore regnum Francorum concidit, & de morte Chlodouei, & regnum Chlodcharii.

EO tempore Chlodoueus brachium beati Dionysii martyris abscidit, instigante Diabolo. Per idem tempus concidit regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit autem Chlodoueus omni spurcitiæ deditus, fornicarius & in luxuria † feminarum, gula & ebrietate contentus. Huius morte & fine nihil dignum historia recolit. Multæ enim scripturæ eius finem condemnant, nescientes finem nequitiæ eius, in incertum de eo alia pro aliis reddentes, & referentes. Nam ex Balthilde regina habuit † tres filios, Chlotharium, Hildericum, atque Theudericum. Decedente itaque in extremis præfatum regem Chlodoueum, regnauitque annos XVI. Franci vero Chlotharium seniorem puerum ex tribus sibi regem statuerunt, cum ipsa regina matre regnaturum. *Aim. 4. c. 45* *al. inlusor.* *al. asserunt eū habuisse. An. 682.*

CAPVT XLV.

Vbi Ebroinus Maior domus eligitur, Chlodhariusque Rex moritur, regnumque Theudericus & Childericus assumitur.

EO tempore defuncto Erquinaldo † maiore domus, Franci in incertum vacillantes præfinito consilio Ebruino huius honoris altitudine maiorem domo in aula regis statuunt. In his diebus Chlotharius Rex puer obiit, regnauitque annis quatuor. Teudericus autem frater eius rex eleuatus est Francorum. Childericum itaque alius fratrem eius in Austria vna cum Vulfaldo duce regnum suscipere dirigebant. *Ercbonaldo. Aim. 4. c. 44*

Eo tempore Franci aduersus Ebroinū insidias præparant, super Teudericum cōsurgunt, eumq; a regno deiiciunt, crinesq; capitis amborū vi abstrahentes, incenderunt, Ebroinum totonderunt, eumque in Luxouio monasterio in Burgundia dirigunt. In Auster propter Childericum legationē mittentes accommodant, & vna cū Vuolfoal- *Childericus R.*

do duce veniens in regno Francorum eleuatus est. Nam ipse Childericus leuis nimis omnia incaute peragebat, donec inter eos odium maximum & scandalum creuit, Francos valde opprimens: è quibus vnum Francum, nomine Bodolernum † ad stipitem tensum cædi valde sine lege præcepit. Hæc videntes Franci, in ira magna commoti, Ingobertus videlicet, & Amalbertus, & reliqui maiores natu Francorum, seditionem contra ipsum Childericum concitantes, Bodolernus super eum cum reliquis surrexit insidiatoribus, Regem interfecit, vna cum Regina eius prægnante, quod dici dolor est. Vulfoaldus quoque per fugam vix euasit in Auster reuersus.

al. Bodileno. Bodilonem.

Franci vero Leudesium filium Erchinaldi † nobilem in maiorem domus palatii eligunt. Eratque ex Burgundia in hoc consilio beatus Leudegarius Augustodunensis Episcopus, & Cherinus frater eius consentientes. Ebroinus itaque consilio accepto, capillos crescere sinens, congregatis in auxilium sociis, hostiliter à Luxouio cœnobio egressus in Franciam reuertitur cum armorum apparatu. Ad beatum Audoenum direxit, quid ei consilium daret? At ille per internũcios hoc solum scripto dirigens ait: *De Fredegunde tibi subueniat in memoriam.* At ille, ingeniosus vt erat, intellexit, de nocte consurgens, commoto exercitu vsque Hissera † fluuium veniens, interfectis custodib. ad sanctum Maxentium Hissera transiens, ibi quos reperit de insidiatoribus suis occidit. Leodesius vna cum Theoderico rege & sociis quamplurimis per fugam euasit. Ebroinus eos persecutus est, Pacio † villa veniens thesauros regales adprehendit. Deinde post hæc Crisciago † veniens regem recepit. Laudesium data fide sub dolo ad se venire mandauit: quo facto Leudesium interfecit, ipse principatum sagaciter recepit. Sanctum Leudegarium Episcopum diuersis pœnis cæsum gladio ferire iussit. Gairoenum † fratrem eius dura pœna damnauit. Reliqui vero Franci eorum socii per fugam vix euaserunt: nonnulli vero in exilio peruagati, propriis facultatibus priuati sunt.

Archenoldi. Adoni. — al. Isram. — al. Statio. Bazinum. — al. Gerinum.

CAPVT XLVI.

Quod Martinus & Pippinus Duces Austrasiorum bellum agunt contra Ebroinum & Theudericum.

Aim. 4. c. 45

EO quoque tempore decedente Vulfoaldo de Auster, Martinus & Pippinus iunior filius Ansigiseli, quondam decedentibus Regibus, dominabantur in Auster: donec tandem aliquando hii duces in odium versi contra Ebroinum, exercitum plurimum Austrasiorum commoti contra Theudericum regem & Ebroinum aciem dirigunt. Contra quos Theudericus Rex, & Ebroinus cum hoste occurrunt, loco nuncupante Lufao †, simulque coniuncti se inuicem cæde magna prosternunt, corruitque ibi infinita turba populi. Austrasii deuicti, in fugam lapsi, terga verterunt. Ebroinus eos cæde crudelissima insecutus, maximam partem ex illa regione vastata: Martinus per fugam elapsus, Lauduno clauato ingressus illuc se reclusit. Pippinus autem altrinsecus euasit. Ebroinus itaque perpetrata victoria reuersus est veniens cum exercitu Erchérego † villa ad Martinum nuntios dirigit, vt data sacramenta cum fiducia ad Regem Theudericum veniret. hoc dolose ac fallaciter super vacuas † capsas ei iurantes: ille vero credens eis, Erchreco veniens ibi cum sociis suis interfectus est.

al. Lucofao. — al. Ertherici — thecas reliquiarum; quæ nulla intus essent.

CAPVT XLVII.

Vbi Ebroinus occiditur, VVaratto in maiorem domatus assumitur, & S. Audoinus ad Dominum migrauit.

Aim. 4. c. 46

EBroinus itaque magis ac magis Francos crudeliter opprimebat, donec tandem Ermenfredas Francas insidias parare desimulat. Ille quoque per noctem clam super eum consurgens, atrociter præfatum Ebroinum interfecit, atque ad Pippinum in Auster fugiens euasit.

Franci

Franci vero consilio accepto, Waratonem virum inlustrem in loco eius, cum iussione Regis maiorem domum Palatio constituunt. Accepto itaque Warato inter hæc obsides à prædicto Pippino, & pacem cum eo iniit.

Erat in illo tempore memorato Warato, filius efficax industriusque, fero animo, & acerbis moribus, insidiator patris sui, eumque ab honore generositatis supplantans, eratque nomen eius Ghisamarus. Cui beatus Audoenus Episcopus prohibuit, ne hanc nequitiam contra patrem suum inferret. Quod ille audire contemsit, fueruntque inter ipso Ghisamaro & Pippino bella ciuilia & multæ discordiæ. qui ob iniurias patris vel alia peccata crudelia à Deo percussus, iniquissimum spiritum exhalauit, iuxta quod sanctus Audoenus ei prædixerat. illoque defuncto Waratto iterum honorem pristinum functus est.

Sub his diebus Audoenus Rotomagensis Episcopus plenus dierum atque virtutibus præclarus Clippiago villa regale in suburbana Parisiorum ciuitate migrauit ad Dominum, cum gloria, Basilica sancti Petri Rotomago ciuitate sepultus est.

CAPVT XLVIII.

Quod VVaratto moritur, & Bertharius in loco eius constituitur, Pippinusque eos deuictos maior domatum in sua redigit potestate.

SVccedente temporis curriculis prædictus Waratus defunctus est. Fuitque ei matrona nobilis ac ingeniosa, nomine Ansefledis. Franci namque in diuersa tendentes vacillabant: interdum Bertharium quendam statura pusillum, sapientiæ ignobilem, consilio inutilem, in maiorem domatus oberrantes statuunt. Franci in inuicem diuisi, Pippinus in Auster consurgens, commoto hoste quamplurimo, contra Teudericum Regem & Bertharium aciem dirigit: conuenientesque ad prælium in loco nuncupante Textricio: illisque inter se belligerantibus, Teudericus rex cum Berthario maiore domo terga verterunt. Pippinus quoque victor exstitit.

Aim. 4. c. 47.

Procedente † itaque tempore ipse Bertharius ab adulatoribus suis occisus est, instigante Ansflede.

succedente.

Posthæc Pippinus Teuderico rege cæpit esse princeps regiminis ac maior domus. Thesauris acceptis, Nortbertum † quendam de suis cum Rege relictum, ipse in Austriam remeauit.

Anno 789. *Nordebertd, Adoni.*

Eratque Pippino vxor nobilissima ac sapientissima nomine Plectrudis: ex ipsa genuit filios duos, nomen maioris Drocus, & nomen minoris Grimaldus. Drocus ducatum Campaniæ accepit.

CAPVT XLIX.

De obitu Theuderici, & regnum Chlodouei & Childeberti, & Grimoaldo maiore domus.

OBiit autem Teudericus rex, regnauitq; annos XIX. Chlodoueus filius eius puer regalem sedē suscepit, ex regina nomine Rothilde † progenitus. Nec multo post ipse Chlodoueus rex puer mortuus est: regnauitq; annos II. Childebertus frater eius, vir inclytus, in regno statutus est. attamen & Nortbertus mortuus est.

Anno 692. *al. Crotilde.* *Aim. 4. c. 48.*

Grimaldus Pippini principis filius iunior in aula Regis Childeberti maior domus effectus est.

Pippinus quoq; multa bella gessit contra Ratboden gētilem, vel alios principes, contra Suevos, vel quamplurimas gentes. Grimaldus quippe genuit filium ex concubina, Teudaldum nomine. Sub idem vero tempus Drogus filius Pippini defunctus est. Habensque Pippinus præfatus princeps filium ex alia vxore, nomine Carolum, virum elegantem, egregium atque vtilem.

An. 708.

CAPVT

CAPVT L.

De transitu Childeberti, & regnum Dagoberti: & quia Grimoaldus interficitur, & honorem patris sui Theudoaldus ambitur.

Aim. 4. c. 49. Anno 710.

TVnc enim beatæ memoriæ Childibertus rex iustus migrauit ad Dominum; regnauit autem annos XVII. sepultusque est Cauciago monasterio in Basilica S. Stephani martyris: regnauitq; Dagobertus filius eius pro eo. Habebatque Grimaldus vxorem in matrimonio, nomine Teuthindam, filiam Ratbodis ducis gentilis. Eratq; ipse Grimaldus maior domus pius, modestus & iustus.

Eodem enim tempore ægrotante Pippino duce genitore suo, dum ad eum visitandum accessisset, nec mora, in Basilica sancti Landeberti martyris gladio peremptus est à Rangario gentile, filio Belial. Teudoaldum vero, iubente auo, in aula Regis honore eius patris sublimem statuunt.

CAPVT LI.

De morte Pippini: & bella Francorum inter se, & Theudoaldo fugato, Rogamfredus in principatum est eleuatus.

Anno 714. Aim. 4. c. 50.

EO tempore Pippinus febre valida correptus defunctus est: obtinuitque principatum suprascriptis Regibus annos XXVII.

Plectradis quoque cum nepotibus suis vel Rege cuncta gubernabat sub discreto regimine.

In illis diebus instigante Diabolo Franci denuo in Cotia silua in Francos inuicem inruunt, ac se mutuo durissima cæde prosternunt. Teudoaldus autem per fugam elapsus ereptus est. Fuitque illo tempore valida persecutio. Teudoaldo enim fugato, Ragenfredum in maiorem domatum elegerunt. qui commoto cum Rege exercitu, Carbonaria silua transeuntes, vsque Mosam fluuium terras illas vastantes succenderunt: cum Radbodo duce gentile amicitias feriunt.

Carolus his diebus cum captus à Plestrude femina sub custodia teneretur, auxiliante Domino vix euasit.

CAPVT LII.

De morte Dagoberti, & regnum Chilperici, & quod bellum gessit Carlus contra Ratbode.

Anno 715. Aim. 4. c. 51.

SEquente tempore Dagobertus rex ægrotans mortuus est, regnauitque annos V.

Franci nimirum Danielum quondam clericum, cæsarie capitis crescente, eum in regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant.

Eo enim tempore denuo exercitum mouentes, vsque ipsum fluuium Mosam contra Carolum dirigunt: ex alia parte Frigiones † cum Ratbodo duce consurgunt. Carolus quoque super ipsos Frigiones inruit, ibiq; maximum dispendium de sodalibus suis perpessus est, atque per fugam dilapsus abscessit.

† Frisones.

CAPVT LIII.

Quod Carlus pugnam gessit contra Chilperico & Ragamfredo, in loco nuncupante Vinciaco; eosq; deuictos atq; fugatos, omne regnum Francorum in sua redegit potestate.

Succe-

SVccedente igitur tempore iterum ipse Chilpericus cum Ragenfredo, hoste commoto Ardennam siluam ingressus, vsque Rhenum fluuium, vel Colonia ciuitate peruenerunt. vastantes terram, thesauros multos à Plectrude matrona accepto reuersus est. Sed in loco quodam Complana † maximum, Carolo in eos inruente, perpessi sunt dispendium. *al. Amblava*

Eodem tempore prædictus vir Carolus exercitu commoto iterum contra Chilpericum vel Ragenfredo surgens, contra quem illi hostem colligunt bellum parantes accelerat. Sed Carolus pacem fieri postulat. Illisque contradicentibus, ad prælium egressi sunt in loco nuncupante Vinciago, † Dominico die inlucescente XII. Kal. Apr. in quadragesima. Inter illos quidem fortiter bellantibus, Chilpericus cum Ragenfredo terga verterunt. *Aim. 4. c. 12* *Vicieto Aav.* *An. 717.*

Carolus victor extitit, regiones illas vastatas atque captiuatas, iterum cum multa præda in Austria reuersus, Coloniam ciuitatem veniens, ibique seditionem intulit, cum Plectrude matrona disceptauit, & thesauros patris sui sagaciter recepit, regemque sibi statuit Chlotharium nomine.

Chilpericus itaque vel Ragenfredus Eudonem ducem expetunt in auxilium, qui mouens exercitum contra Carolum perrexit. At ille constanter occurrit ei intrepidus. Sed Eudo fugiens, Parisios ciuitatem regressus, Chilpericum cum thesauris regalibus sublatum, vltra Ligerem secessit. Carolus eum persecutus non reperit. Chlotharius quidem memoratus Rex eo anno obiit. Carolus anno insecuto legationem ad Eudonem dirigens, amicitiasque cum eo faciens: ille vero Chilpericum regem cum multis muneribus reddidit, sed non diu in regno resedit. Mortuus quidem est post hæc, Nouiomo * ciuitate sepultus: regnauitque annos V.

Franci vero Teudericum ad Cala monasterium enutritum, filium Dagoberti iunioris, Regem super se statuunt. qui vsque nunc † in regno subsistit. *Circa Anni 720.*

H

CAPVT

IN EODEM CODICE NAZARIANO ANTIQVISSIMO SEQVEBATUR Annalium fragmentum tale.

Anno DCCVII. Pippinus senior regnare cœpit.

An. DCCVIII. Drogo mortuus.

An. DCCIX. *Durus & deficiens fructus. Et Gothofridus mortuus est.*

An. DCCX. *Pippinus perrexit in Alamaniam.*

An. DCCXI. *Aquæ inundauerunt valde. Et mors Hildeberti.*

An. DCCXII. *Mors Heriberti regis Langobardorum.*

An. DCCXIII. *Mors Alisllidæ & Halidulfi regis.*

hæc propemodum in edit. Pithœi. ante pag. 2.

An. DCCXIV. *Pippinus defunctus est.*

An. DCCXV. *Pugna Francorum, & mors Dagoberti regis.*

An. DCCXVI. *Pugnauit Carolus contra Ratboth.*

An. DCCXVII. *Pugnauit Carolus contra Ragenfredum in Vinciaco in Dominica die.*

An. DCCXVIII. *Vastauit Karlus Saxonia plaga magna.*

An. DCCXIX. *Occisio Francorum ad Suessionis ciuitatem, & mors Ratbothi.*

An. DCCXX. *Pugnauit Karlus contra Saxones.*

An. DCCXXI. *Eiecit Heudo Sarcinos de Equitania.*

An. DCCXXII. *Magna fertilitas & bella contra Aquilonem.*

An. DCCXXIII. *Duo filii Drogoni ligati, Arnoldus, & vnus mortuus, & Karlus infirmatus.*

An. DCCXXIV. *Leuauit contra Karlo, & Karlus perrexit Andegauis.*

An. DCCXXV. *Hrothrudis mortua. Betto mortuus. Sarcini venerunt primitus.*

An. DCCXXVI.

An DCCXXVII.

An. DCCXXVIII.

An. DCCXXIX.

An. DCCXXX. *Lantfridus mortuus.*

An. DCCXXXI. *Karlus vastauit duas vices vltra Ligere, & Ragenfridus mortuus, & Beda presbyter Anglorum obiit.*

An. DCCXXXII. *Karlus pugnauit contra Sarcinos die Sabbato ad Pectauis.*

An. DCCXXXIII. *Hildratus mortuus.*

An. DCCXXXIV. *Karlus perrexit in Frisiam, & inde vsque ad inter *.*

An. DCCXXXV. *Karlus inuasit Wasconiam.*

An. DCCXXXVI. *Hatto ligatus est.*

Gothia.

An. DCCXXXVII. *Karlus pugnauit contra Sarcinos in Gutia † in dominico die.*

An. DCCXXXVIII. *Karlus intrauit in Saxonia.*

An. DCCXXXIX. *Karlus intrauit in prouincia vsque Massilia.*

An. DCCXL. *Sine hostilitate vlla.*

An. DCCXLI. *Karlus mortuus est, & Theodaldus interfectus est.*

DCCXLII. *Franci in exercitu in Aquitania, & postea in Beuueria vsque Lech.*

DCCXLIII. *Pippinus quieuit: & Karlomannus in Saxonia cum exercitu.*

DCCXLIV. *Franci in Bauueria, quando ille Walus fuit: & Romanus egressus est de Alamania.*

DCCXLV.

DCCXLV. *Karlomannus & Pippinus cum exercitu in Saxonia, & Theotbaldus in Alsatiam.*
DCCXLVI. *Karlomannus in Alamaniam & postea in Aquitaniam.*
DCCXLVII. *Karlomannus iuit ad Romam, & Eberhardus defunctus est.*
DCCXLVIII. *Otbertus interfectus est: & Griso in Saxonia elapsus.*
DCCXLIX. *Franci in Saxonia cum magno exercitu: & Griso in Beueria.*
DCCL. *Franci in Beueria, & Griso reuersus est ad propria.*
DCCLI *Pippinus Rex eleuatus est. Res Ecclesiarum descriptas: quæ & de visas* Baldebertus Episcopus Benedictus. Zacharias Papa defunctus: Stephanus electus, in die percussus: alter Stephanus electus atq; consecratus. & Lantfridus mortuus.* Pippinus R. Fr.
DCCLII. *Pippinus in Saxonia cum exercitu. Grifo Franciam ingressus, qui & interfectus.*
DCCLIII. *Papa in Franciam venit; commotoq; exercitu Francorum, cæde facta in Langobardos receptas res S. Petri, reuersus est ad sedem suam, & Karlomannus redut, qui & detentus est, & obiit. dominus Bonifacius Episc. in prædicatione in Frigiam † perrexit, vitam temporalem in martyrio finiuit.* Frisiam.
DCCLIV. *Venit Desilo ad Martis campum. Francique absque bello quieuerunt.*
DCCLV. *Franci iterum in Langobardia cum exercitu: & domnus Romanus transiuit, & Heistoluus mortuus est.*
DCCLVI. *Papa Stephanus defunctus. Franci quieuerunt, excepto custodes directos ad Arbonam.*
DCCLVII. *Venit organa in Franciam.*
DCCLVIII. *Rex Pippinus fuit in Saxonia.*
DCCLIX. *Mutauit rex Pippinus nomen suum in filium suum.* hoc alia manu.
DCCLX. *Rex Pippinus erat cum exercitu Francorum in Aquitania.*
DCCLXI. *Pippinus rex fuit in Wasconia cum exercitu vsque ad Limodiam ciuitatem.*
DCCLXII. *Rex Pippinus cum Francis fuit in Aquitania: Bituricam conquisierunt. Baldebertus obiit. Haribertus abba ordinatus est.*
DCCLXIII. *Franci absque bello.*
DCCLXIV. *Hiems grandis & durus. Habuit rex Pippinus conuentum magnum cum Francis ad Charisago.*
DCCLXV. *Franci quieuerunt.*
DCCLXVI. *Rex Pippinus erat cum Francis in Wasconia, & conquisiuit Limodiam ciuitatem, & alias ciuitates.*
DCCLXVII. *Paulus papa obiit. Heribertus abba Roma transmissus. Pippinus Tolosa perrexit.*
DCCLXVIII. *Rex Pippinus obiit VIII. Kalend. Octobris. Et Vuaferius antea occisus est.*
DCCLXIX.
DCCLXX. *Berta duxit filiam Desiderii regis Langobardorum in Franciam.*
DCCLXXI. *Karlomannus obiit II. Non. Decembris.* Karolus R.
DCCLXXII. *Franci in Saxonia cum Karolo rege eorum.*
DCCLXXIII. *Mai campus ad Genua † & Carolus rex cum exercitu Francorum in Langobardiam.* Genuam.
DCCLXXIV. *Paucia ciuitas conquesita est, & Desiderius rex & Ansa vxor eius exiliati sunt in Franciam: & Carolus rex reuersus est in Franciam. Haribertus abba obiit, & Amicho abba ordinatus est.*
DCCLXXV. *Mai campus ad Dura: & Carolus rex cum exercitu Francorum in Saxoniam.*
DCCLXXVI. *Carolus rex perrexit in Langobardiam interfecto Rotgauzo †: postea Mai campus ad Wormacia, & Carolus rex cum Francis in Saxonia. iam sine bello.* Radagaiso.
DCCLXXVII. *Mai campus in Saxonia ad Pedebruna.*

DCCLXXVIII. Carolus rex cum exercitu Francorum perrexit in Spaniam, & Saxones in Franciam.

DCCLXXIX. Mai campus ad Dura: & Franci cum Carolo rege eorum in Saxoniam, iam absque bello.*

DCCLXXX. Franci in Saxonia, deinde Carolus rex ad Romam perrexit.

Vangionum. DCCLXXXI. Carolus rex reuersus est de Roma, & Mai campum ad ciuitatem Wagionum† habuit.

DCCLXXXII. Rex Carolus cum Francis ad Lippia absque bello; & postea Saxones mentiti sunt, & quosdam de Francis occisis, & iterum rex cum exercitu Francorum super Saxones.

DCCLXXXIII. Rex Carolus cum agmine Francorum super Saxones cæde facta terram deuastauit. Hildegardis regina obiit pridie Kal. Maias.

DCCLXXXIV. Carolus Rex ad Lippaham transiuit vna cum Francis Rhenum flumen, & deuastauit Saxones.

DCCLXXXV. Rex Carolus in Heresburc super hiemem residebat, & Saxones in pace conquisiuit.

DCCLXXXVI. Thuringi autem consilium fecerunt vt Carolum regem Francorum dolo tenerent & occiderent. Si ergo hoc scelus atque nefandissimum crimen perpetrare non præualuissent, saltim hoc cupiebant constituere, vt non ei obedissent, neque obtemperassent iussis eius. Quod nequam consilium Regi multa tempora latere nequaquam potuit. Ille enim eo quod erat prudens ac mitis valde, patientissime hoc deportabat. Igitur trāsactis aliquis temporibus transmisit iam præfatus Rex legatum suum ad aliquem de illis Thuringhis propter filiam suam, sponsam scilicet vnius Franci, quam secundum legem Francorum sponsatam habuisse cognoscebatur, vt tempore statuto ei reddedisset sponsam suam. Ille enim parui pendens iussa Regis non tantum spopondit, se illam reddere, sed etiam insuper congregauit pene vniuersos Thuringos proximosq; suos, & voluerunt se defendere de rege Francorum. Rex namque hæc audiens iratus est valde, atque indignans hoc, missis ex satellitibus suis contra eos qui sagaciter atq; fiducialiter contra eos perrexerunt, prædia possessionesq; eorum deuastantes. Thuringi namque timore perterriti ad corpus beati Bonifacii martyris confugerunt, vt per merita venerationemque ipsius sancti Rex relaxaretur illis noxam, dolum, insidiasque, quæ præparare conati fuerant. Porro pater monasterii illius consolabatur eos verbis pacificis dulcisque sermonibus, per nuntium qu suum intimauit hæc omnia Regi. Rex ergo distinauit ad eos legatum suum vt ad se cum pace venirent: qui mox ad eum profecti sunt, steteruntq; coram Rege. Rex nempe sciscitabatur ab eis, si verum an falsum fuisset, quod ei intimatū fuerat de illis, scil. vt de morte eius cogitarent, & si constituere nisi fuissent, vt p̄ parui pē-dissent mādata illius? Illi n. nullo modo poterant neq; condignauerunt hoc negare. Fertur namq; vnū ex illis dixisse ad Regem: si collegæ sociiq; mei mihi consentire cōprobarentur, tu nunquā postmodum citra Rhenum fluuium trāsire viuus cognoscebaris. Rex vero quia erat mitissimus atq; sapientissimus super oēs Reges qui fuerant ante eū in Francia, moderantissime illud deportauit. Transactis igitur quibusdā diebus, trāsmisit Rex ipsos Thuringos vna cū missis suis aliquos in Italiam & ad S. Petrum, quosdā vero in Neustriam atq; in Aquitaniam, per corpora Sanctorum scil. vt iurarent fidelitatem Regi liberisq; eius, quod & ita actum esse comprobatur. Qui exinde reuertentes, nōnulli ex illis detenti sunt in via, & euulsi esse noscuntur oculi eorū: aliqui vero peruenerunt ad ciuitatem Wagionum†, & ibidem comprehensi sunt, & exinde exiliati, & illuc euulsi esse cognoscentur oculi eorum. Possessiones vero vel agros eorū omnes infiscati esse noscuntur. Rex ergo inlæsus atq; incolumis permanens, optime regens regnum Francorum atque Langobardorum Romanorumque, eo quod cælorum rex protector eius esse comprobatur. Etiam præfatus Rex ad Romam perrexit.

Vangionum.

DCCLXXXVII. Carolus rex Francorum de Roma reuertens ad Paucia ciuitatem Langobardos congregauit, & exinde fraudulentissimos eorum in Franciam exiliauit. Ipseq; venit in Franciam & ad Wormaciam resedit. Postea aūt commoto exercitu Francorū perrexit in fines Alamannorum & Beiuueriorū ad flumen quod appellatur Lech. Illucq; veniens Desilo† Dux Beiuueriorum ad eum, & reddidit ei cum baculo ipsam patriam, in cu-

Tassilo.

ius

ius capite similitudo hominis erat: & effectus est vassus eius, & Theodonem filium suum dedit ei obsidem.

DCCLXXXVIII. *Dessilo autem Dux Beiuueriorum venit in Franciam ad regem Francorum Carolum ad villam quæ appellatur Ingolumheim* †. *Post hæc ergo transmisit iam præfatus Rex legatos suos in Beiuueriam post vxorem ac liberos iam præfati Ducis, qui studiose atque efficaciter iussionem Regis implentes adduxerunt hæc omnia vna cum thesauris ac familia eorum copiosa valde ad iam dictum Regem. Cumque hæc ita agerentur, comprehensus est iam præfatus dux à Francis, & ablatis armis eius ductus est ante Regem. Igitur cumque simul sermocinarentur, interrogauit eum de insidiis atque dolosis consiliis, quod cum multis gentibus iam olim ei præparare conatus fuerat. Quod cum ille negare nequaquam prævalere videbatur, inuitus iussus est comam capitis sui deponere. Ille autem magnis precibus postulabat Regem, vt non ibidem in palatio tonderetur, propter confusionem videlicet atque opprobrium quod à Francis habere videbatur. Rex enim precibus eius adquiescens ad sanctum Gannarium* † *qui iuxta Rheno flumine in corpore requiescere cognoscitur, eum transmisit: & ibidem clericus effectus est, & exinde exiliatus est ad cænobium quod appellatur Gemedium.* * *Duo quoque filii eius his nominibus, Theoto & Theotbertus vtrique tonsurati atque exiliati sunt. Nam & vxor iam præfati ducis nomine Lintburga exiliata esse comprobatur. Hæc ergo omnia ad gloriam & honorem domino Regi, ad confusionem vero & opprobrium fiebant inimicis suis: eo quod rerum creator omnium fecit eum semper esse triumphatorem.*

Ingelheim. leg. Nazarium.

DCCLXXXIX. *Carolus autem Rex vna cum Francis seu cæteris gentibus in patriam Vuilciorum* † *hostiliter perrexit, ipsamque patriam conquisiuit, & regem eorum nomine Dragoidus adprehendit, & iterum ipsi iam præfato Regi illam patriam commendauit: & reuersus est cum pace in Franciam.*

Vvilziorum

DCCXC. *Franci quieuerunt.*

Hactenus MS.

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS EXCERPTA CHRONICA

EX

FREDEGARII SCHOLASTICI HIstoria Miscella.

INCIPIT PRAEFATIO GREGORII.†

Ipsius vero Gregorii Turonensis Extat praefatio enarri in MS. Pal.



DEcedente atq; immo potius pereunte ab vrbibus Gallicanis liberalium cultura litterarum, cum nonnullæ res gererentur vel recte vel improbe, ac feritas gentium desæuiret, Regũ furor acueretur, Ecclesię inpugnarētur ab Hæreticis, à Catholicis tegerētur, ferueret Christi fides in plurimis, tepesceret in nonnullis, ipsę quoq; Ecclesiæ vel ditarētur à deuotis, vel nudarētur à perfidis; nec repperiri posset quisquam peritus Dialectica in arte Grammaticus, qui hęc aut stilo prosaico, aut metrico depingeret versu; ingemiscebant sępius clerici dicentes: *Væ diebus nostris, quia periit studium litterarum à nobis, nec repperitur in populis, qui gesta præsentia promulgare poßit in paginis.* Ista etenim atq; & his similia iugiter intuens dici, pro commemoratione meritorum vt notitiam adtingerent veniētum & si inculta effatu, nequiui tamen obtegere vel certamina flagitiosorum, vel vitam recte viuētium. & pręsertim sic inlectus stimulis, quod à nostris fari plerumq; miratus sum, *Quia philosophantem Rhetorem intelligunt pauci, loquentem rusticum multi.* Libuit etiam animo meo vt pro supputatione annorum ab ipso mundi principio libri I. ponatur initium.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI, QVOD EST EXCARpsum de Chronica Gregorii Episcopi Thoronachi.

XV.

EXPLICIVNT CAPITVLA:

INCIPIT LIBER.

CAP.

CAPVT I.

De Chunis, & Agetio Patricio.



CVMQVE Wandali præteriſſent à Galliis, nec multo poſt tempore Chuni Gallias ingredi diſponebant. Quod cum beatus Seruatius epiſcopus Thungrorum ciuitatis audiſſet, Romam pergit ad limina ſancti Petri Apoſtoli, ibique cotidianum ieiunium & vigilias adſidue faciens, in viſione ſomni ab Apoſtolo reſponsũ accipiens, decretũ ab Altiſſimo Chunos ingredi Gallias, protinus ad ciuitatẽ ſuam rediret, & prædicens eius obitum, vt hoc malum nõ videret. Aietium patricium huius Chronicæ geſta laudant. Virilis, habitu formatus, animo alacer, membris vegetus, equis promptiſſimus, ſagittarum peritus, conti impiger, bellis aptiſſimus, pacis captator celebris, nullius auaritiæ ſectator, bonis animæ præditus, iniuriarum patientiſſimus, labores adpetens, inpauidus periculorum, famis, ſitis, vigiliarum tolerantiſſimus, cui ineunte ætate prædictum liquet, quantę potentię factis deſtinaretur temporibus ſuis locisq; celebrandus. Hæc ſupradictus Hiſtoriographus† de Aietio narrat. Cum iniſſet certamen cum Hunis, quæ geſſerit, Ydacius ſuæ hiſtoriæ huius volumine narrat. Nam his diebus oratione vxoris ſuæ ad limina beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli ieiuniis & vigiliis diſcurrentes, intercedentibus Apoſtolis Aietius a periculis liberatur. Reuelatum eſt cuidam pauperi nuncianti vxoris Aietii orationibus fuiſſe ſaluatum. Quod cum à pauperibus proditum fuiſſet, pauper cæcitate percutitur.

† *Gr. Turoni-cus.*

CAPVT II.

De Francorum origine, & eorum Regibus.

DE Francorum vero Regibus beatus Hieronymus,† qui iam olim fuerant, ſcripſit. Quod prius Virgilii poetæ narrat hiſtoria, Priamum primum habuiſſe regem; cũ Troia fraude Vlixis caperetur: exinde fuiſſe egreſſos. Poſtea Frigam habuiſſe bifaria diuiſione; partem eorum Macedoniam fuiſſe adgreſſam; alios cum Friga, vocatos Frigios, Aſiam peruagantes in litore Danuuii fluminis & maris Oceani conſediſſe. Denuo bifaria diuiſione Europam media ex ipſis pars cum Francione eorum rege ingreſſa fuit, qui Europam peruagantes cum vxoribus & liberis Rheni ripam occuparunt: nec procul a Rheno ciuitatem ad inſtar Troię nominis ædificare conati ſunt; cœptum quidem ſed imperfectum opus remanſit. Reſidua eorum pars, quæ ſuper littore Danuuii remanſerat, electum à ſe Turchot nomine regem, per quem vocati ſunt *Turchi*: & per Francionem hii alii vocati ſunt *Franci*, multis poſt temporibus cum Ducibus, externas Dominationes ſemper negantes.

† *In vita Hilarion. apud Aim. II. c. 10.*
Aim. I. c. 1.

CAPVT III.

*De Ducibus Francorum tribus, & pugnis cum Republica.**

* *i. Romanis.*

FRANCOS tranſegiſſe comperimus vſque ad Marcomerem, Sonninem, & Genebaudum duces; cum quibus, temporibus Imperatoris Theudoſii in Germaniam protumpentes, pagos depopulantes, etiam Coloniæ metum incuſſerunt. Quod cum Treueris perlatum fuiſſet, Nanninus † & Quintinus magiſter militum collecto exercitu Francos de Germania eiecerunt: apud Carbonariam † de Francis ſtrages fitur. Poſt Heraclio & Iouiniano cum exercitu vltra Rhenum

† *al. Nannius. Gr. II. c. 9. Aim. I. c. 5.*
† *Carb. ſilua. ibid. c. 5.*

transeuntibus,& disponentibus Francos ad internecionem perducere, tantæ strages ex militibus à Francis factæ sunt, vt Heraclius & Iouinianus cum paucis de eodem prœlio potuissent euadere. Nec vlterius aduersus Francos præsumpserunt arma adripere. Post paucum temporis Arbogastes superbia elatus, aduersus Francos arma commouit cum eisdem dimicans victus effugit.

CAPVT IV.

De Francis, & Valentiniano Imperatore.

Ex Sulpitio Alexandro apud Greg. Tur. lib. 2. c. 9.

FRANCI Treueris hiemando residere præsumunt. Valentiniano Imperatore infra priuatum modum redacto, militaris rei cura Francis satellitibus tradita, ciuilica quoque officia transgressa in coniurationem Arbogastis Sacramentis obstricti sunt. Arbogastis Marcomerem & Sononem duces odiis insectans exercitu fraude Francos deceptos vrendosque cum decursis foliis nudi atque arentes siluæ, insidiantes adgredere transgresso Rheno pagum quem Chamaui incolunt depopulatus est.

CAPVT V.

De Regibus denuo in Francis creatis.

DEhinc extinctis Ducibus, in Francis denuo Reges creantur ex eadem stirpe, qua prius fuerant.

CAPVT VI.

De Iouiniano & Constantino, vel Honorio Imperatore.

al. Iouinus.

EODEM tempore Iouinianus † ornatus regios adsumpsit. Constantinus fugam vertens Italiam dirigit: missis à Iouiniano principe obuiam percussoribus, super Mentio flumine capite truncatur. Multi nobiliũ iussu Iouiniani apud Aruernis capti, & à ducibus Honorii crudeliter intercmpti sunt.

CAPVT VII.

De euersione vrbis Treueris quæ à Francis facta est per Lucium.

Aim. l. c. 3.

TREVERORVM ciuitas factione vnius ex senatoribus, nomine Lucii, à Francis capta & incensa est. Cum Auitus Imperator esset luxuriæ deditus, & iste Lucius haberet mulierem pulcherrimam cunctorum, fingens se Auitus ob infirmitatem corporis lecto depremere, iussit ad omnes Senatrices vt eum requirerent. Cumque vxor venisset Lucii, vi ab Auito oppressa fuit. In crastino surgens de stratu Auitus dixit ad Lucium: *Pulchras termas habes: nam † frigide lauas.* Hæc indignante Lucio, sua factione direpta est ciuitas, & incensa à Francis.

al. & f. l.

CAPVT VIII.

De Castini domesticorum Comitis pugna cum Francis.

Orosii verba apud Greg. ibid.

CASTINVS domesticorum Comes expeditionem accepit contra Francos, eosque proterit, Rhenum transit, Gallias peruagatur, vsque ad Pirenæos montes peruenit.

CAP.

CAPVT IX.

De initio Regis criniti Francorum.

FRANCI electum à se Regem, sicut prius fuerat, crinitum inquirentes diligenter ex genere Priami Frigi & Fran. ionis, super se creant, nomine Theudemerem † filium Richemeris, qui in hoc prœlio, quod supra memini, à Romanis interfectus est. Substituitur filius eius Chlodeo in regno, vtilissimus vir in gente sua, qui apud Hesbargem † castrum residebat, quod est in termino Thoringorum. Burgundiones quoque Arrianorum secta vtebant, sedentes in Cisalpinis. Chlodeo missis exploratoribus ad vrbem Camaracum perlustrans omnia, ipse sequitur, Romanos proterit, ciuitatem capit, & inde vsque Sumnam fluuium occupauit. Hæc generatio fanaticis vsibus culta est. Fertur super litore maris æstatis tempore Chlodeone cum vxore residente meridie, cum vxor ad mare lauatum vaderet, Morouccho bestiam Neptuni Minotauri similem eam adpetisse. Cumque in continuo aut à bestia aut à viro fuisset concepta, peperit filium Meroueum nomine, per quem Reges Francorum postea vocantur Merouingi.

al. Theudemirum.

Clodio Rex. al. Chlogio. Sidon. Cloio. al Dispargũ. Gr. Tur.

Merouchus.

CAPVT X.

De Auito Imperatore.

AVITVS Imperator luxuriosus apud Placentiam vrbem Episcopus ordinatur, & postea ad ecclesiam sancti Iuliani fugiens vitam amisit.

CAPVT XI.

De Childerico rege Francorum, & Vuiomado Franco.

CHILDERICVS vero filius Merouei, cum successisset patri in regno, nimia luxuria dissolutus filias Francorum stupro tradidit. Illi vero ob hoc indignantes eum de regno eiiciunt. Wiomadus Francus fidelissimus cæteris Childerico, quod eum cum à Chunis cum matre captiuus duceretur, † fugaciter liberauerat. Hic inuentum aureum cum Childerico diuidit, dum cerneret eum Franci eum interficere conarentur, dixitque ei; *Fuge in Thuringiam, latita aliquantulum ibi. Si tibi potuero Francos placare, istum aureum medium tibi ad signa dirigo: & si non potuero, vbicumque adgressus fueris, mihi notam facias viam tuam. Quando quidem potuero, & istam partem tibi direxero, pariterque coniunctæ vnum effecerint solidum, securus patriam repedabis.* Childericus habitans in Thoringia apud Regem Bysinum, vxoremque eius Basinam, latuit. Franci tunc Egidium vnanimiter regem adsciscunt: Wiomadum amicum Chilperici subregulum ab Egidio iterum Franci instituerunt, eiusque consilio omnes Francos singulos aureos tributa . it. adquiescentes impleuerunt. Dicens iterum ad Egidium Wiomadus; *Gens hæc durissima. Quæ mihi ad agendum iussisti, parum adtributati sunt, superbia sæuiunt. iube vt ternos solidos tributentur.* Quod cum factum fuisset, adquiescentes Franci dixerunt; *Melius nobis est ternos solidos tributa dissoluere, quam cum Childerico grauissimam vitam ducere.* Wiomadus iterum ad Egidium dicit: *Rebelles existunt tibi Franci: nisi præceperis ex eis plurimos iugulari, eorum superbiam non mitigas.* Electos à Wiomado centum inutiles, & in necessitatibus incongruos, ad Egidium direxit, quos Egidius consilio Wiomadi vsus interficere iussit. Wiomadus secretius dicens ad Francos: *Non sufficiunt tributa quæ soluitis? Quamdiu hoc malum sustinere vultis? vt parentes vestri sicut pecora iugulentur?* Tunc Franci vnanimiter dicẽtes: *Si Childericum vbicumq; potuissemus comperire, libenter eum super nos recipiebamus ad Regem: forsitan per ipsum de his adflictionibus eripiebamur.* Tunc Wiomadus protinus ad Egidium vadens dixit; *Modo est gens Francorum quæ disciplinæ perdomita:* dans idemque consilium,

Gr. H. c. 12. Aim. l. 1. c. 7.

f. Sagaciter.

Legatos ad Mauritium Imperatorem dirige, gentesq; vicinas erat posse adtrahi, vt vel quinquaginta millia solidorum ad Imperatorem dirigerentur. quo potius accepto in munere se imperio subiicerent. Addensque dixit ad eum; *Aliquantulos solidos tuæ instantiæ locum accipiens militani partum, seruos tuos, argentum habeo. volebam cum tuis legatis puerum dirigere, vt melius Constantinopoli mihi argentum mercaret.* Tunc acceptis ab Egidio quingentis in munere aureis, quos ad hoc opus emendum transmitteret, misit puerum creditarium sibi cum media parte aurei, quem cum Childerico diuiserat. Saccellum plenum plumbeis, quod puer pro solidis secum portaret, comperto iam Childericum Constantinopoli esse cum legatis Egidii puer adgreditur his verbis instructus, vt legatis præcederet, & Childerico protinus nunciaret, priusquam legati in conspectum Imperatoris venirēt, quod Egidius qui tributa publicis ærariis soluere debebat, tributa Imperatori soluendum quæreret. quod cum Childericus Mauritio Imperatori nuntiasset, repletus furore & indignatione cum legati Egidii ei præsentati fuissent, his verbis suggerentes, iubet eos retrudi in carcerem. Dixitque Childericus ad Mauritium Imperatorem; *Iube me seruum tuum ire in Gallias: ego furorem indignationis tuæ super Egidio vlciscar.* Multis muneribus à Mauritio Childericus ditatus, euectu nauali reuertit in Gallias. quem cum Vuiomadus nunciante puero comperisset apud castrum Barrum ad ipsum venit, & à Barrēsibus receptus est. Eorum omnium reditus publicos pro initio receptionis consilio Wiomadi benigne concessit, deinde ab omnibus Francis resublimatur in regno. multaque prœlia cum Egidio egit, plures strages ab ipso factæ sunt in Romanis.

CAPVT XII.

De Basina regina, & Childerico.

BASINA, quæ Bisinum regem in Thoringia iugalē habebat, cū audisset Childericū à Francis in regno sublimatū, cursu veloci relinquēs Bisinū ad Childericū transiit. Qui cum eā solicite interrogasset, qua de causa ad eū de tā longe venisset, respondisse fertur; *Noui, inquit, vtilitatē tuam, quod sis valde strenuus, ideoq; veni vt habitē tecum. Si vtiliorē sub cælo scissem, ad eū expetissem.* Quā Childericus gaudens & diligens eiusdē pulchritudinē in coniugio copulauit. Cum prima nocte iugiter strato iunxissent, dicit ad eum mulier: *Hac nocte à coitu virili abstinebimus. Surge secretius, & quod videris ante aulas palatii, dices ancillæ tuæ.* Cumque surrexisset, vidit similitudinem bestiarum Leonis, Vnicornis, & Leubardi, ambulantium, reuersusque dixit mulieri quæ viderat. Dicit ad eum mulier; *Domine mi, vade denuo, & quod videris, narra ancillæ tuæ.* Ille vero cum foris abisset, vidit bestias similitudine Vrsi & Lupi deambulantes. Narrans & hæc mulieri, compellit eum tertio vt iret, & quod videbat nuntiaret. Cumque tertio exisset, vidit bestias minores, similitudine canis, & minorum bestiarum ab inuicem detrahentium & volutantium. Cumque Basinæ hæc vniuersa narrasset, abstinebant se casti vsque in crastinum. Surgentes de strato dixit Basina ad Childericum, quæ visibiliter interpretationem habent: *Nascetur nobis filius fortitudinem Leonis signum & instar tenens. Filii vero eius Leobardi & Vnicornis fortitudinem signum tenent. Deinde generantur ex illis, qui Vrsi & Lupi fortitudinem, & voracitatem eorum similabunt. Et tertio quæ vidisti ad discessum, columnæ regni huius erunt: quia regnabunt ad instar canum, & minoribus bestiis eorum consimilis erit fortitudo. Pluritas autem minorum bestiarum, quæ ab inuicem detrahentes volutabant, populos sine timore principum ab inuicem vastandos significat.* Concepit Basina, & peperit filium nomine Chlodeueum. Hic fuit magnus & pugnator egregius, ad instar Leonis fortissimus ceteris Regibus.

Childericus cum Odouacro Rege Saxonorum Aurelianis pugnans Andegabum victor perrexit. Mortuo Egidio, reliquit filium Syagrium nomine. Eodem tempore Brittones de Berorica † à Gothis expulsi, multi apud Dolensem † perempti sunt. Paulus Comes cum Romanis & Francis bellum Gothis intulit, & prædas egit. Childericus Odouacro superato Paulum comitem interfecit, Andegauum obtenuit. His

Biturica. al. Tolosam. Gr. II. c. 19.

actis

actis inter Saxones & Romanos bellum gestum: Saxones terga vertentes, multis ex eis extinctis, in solo eorum cum multo populo interempto à Francis capti atque subuersi sunt.

CAPVT XIII.

De Eorico Rege Gothorum, & Childerico.

IPSO anno terræ motus fuit. Eoricus, Gothorum rex XIV. sui regni anno ecclesiam sancti Iuliani Briuatæ † columnis ornatam mirifice cõstruxit. regnans Eoricus an. XX. *al. Briuatis.*

In Burgundia nimiæ famis oppressio aduenit. Cumque populus à fame diuersis regionibus dispergeretur, nec esset qui alimoniam præberet, Ædetius † quidam ex Senatoribus magnam tunc rem in Deo fecisse perhibetur. Misit pueros suos cum equitibus & plaustris per vicinas sibi ciuitates, vt eos qui inopia vexabantur, sibi adducerent; cunctos pauperes, quos inuenire potuerunt, adduxerunt ad domum eius, ibiq; eos tempore sterilitatis patens à fame liberauit. Fuerunt plus quam IV. millia, quos aluit vsque tempora vbertatis, post quorum discessum vox è cœlis lapsa peruenit dicens Ædecio: *Quia fecisti rem hanc, tibi & semini tuo panis non indigebit in sempiternum.* Ædecius miræ velocitatis † fuit: pluribus vicibus multitudinem Gothorum cum paucis in fugam conuertit. Euatrix Rex Gothorum excedens Spanum limitem, grauem in Galliis intulit persequutionem. *Gr. 2. c. 24. Aim. 1. c. 13. al. Ædituus. al. felicitatis.*

CAPVT XV.

De initio regni Chlodouei, & Syagrio patricio.

DEfuncto Childerico Chlodoueus eiusdem filius regnat pro eo. Anno autem quinto regni eius Syagrius Romanorum patricius apud † Sexonas, quem quondam pater suus tenuerat, sedem habebat, quem Chlodoueus cum Regnachario inruens, Syagrius inlæsum † cernens exercitum terga vertit, & ad Alaricum regem Tholosam, cursu veloci perrexit. Chlodoueus legatos ad Alaricum mittit, vt eum redderet; alioquin nouerit sibi bellum inferre. At ille metuens, (vt Gothorum pauere mos est) Syagrium vinctum legatis tradidit, quem Chlodoueus custodiæ mancipauit, regnoque eius accepto eum gladio trucidare præcepit. Chlodoueus eo quod esset fanaticus, Ecclesias deprædare permisit. *al. Santonas. lege Suessionas. al. elisum.*

CAPVT XVI.

De Chlodoueo, & S. Remedio vrbis Remensis.

IGitur de ecclesia Remicianæ † vrbis horceum magnum hostis abstulerat, cum reliquis ministeriis. Sanctus Apostolicus Remedius pontifex eiusdem vrbis ad Chlodoueum veniens postulat; *Si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltim vel horceum* † *illum reciperet.* Audiens Rex dixit: *Mitte nuntium vsq; Suessionas, ibi, quæ adquisita sunt, diuidenda erunt. Si mihi illud sors dederit, petitionem tuam implebo.* Cum præda in medio diuidenda poneretur, ait Rex; *Rogo vt saltim mihi vas istud extra partem concedatis.* Hæc Rege dicente, respondent Franci; *Gloriose Rex, quæ cernimus, tua sunt: sed & nos tui sumus, Domine. Quod tibi placet, fac.* Tunc vnus leuis, inuidus, & facilis, voce magna horceum impulit dicens; *Nihil hinc accipies, nisi quod tibi sors vera largietur.* Rex iniuriam hanc patientia leniuit. Sorte posita acceptum horceum beato Remedio transmisit; seruans abditum sub pectore vulnus. Kal. Marcias iussit omnes armorum Phalangi se ostensuros. Vbi cunctos circuibat, venit ad horcei percussorem dicens ad eum; *Inculta sunt arma tua, neq; securis est vtilis,* adprehensamq; securim eius terræ deiecit. Et ille cum paullolum inclinatus fuisset, Rex eleuatis manibus securim caput eius defixit; *Sic, inquit, & tu Suessionas horceo fecisti.* [illegible] sibi per hanc [illegible] timorem fecit. *Remensis. Gr. 2. c. 27. Aim. 1. c. 12. vrceum.*

CAPVT XVII.

De Gundiocho rege Burgundionum, & filiis eius.

al. Gotichi-sius. male. Godegisilus. Gr 2. c. 28. Gr. Suruna. Adoni, Chrona. al. Crothechildis.

FVIT igitur Gundiochus rex Burgundionum ex genere Athanarici Regis persecutoris. Huic fuerunt quatuor filii, Gundebadus, Godeghyselus, † Chilpericus, & Gotemarus. Gundebadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio: vxorem eius ligato ad collum lapide aquis immersit: duos filios eorum gladio trucidauit: duas filias exilio condemnauit, quarum senior nomine Sedeleuba, † mutata veste, se Deo deuouit; iunior Chrothildis † vocatur.

CAPVT XVIII.

De Chlodoueo rege, & Chrotechilde regina, & Aureliano qui follem perdidit.

i solus. — *al. ad ianuam ciuitatem.* — *al. vt certa fieres.* — *Gr. 2. c. 28. Aim. 1. c. 15. 14. 15.*

PORRO Chlodoueus legationem in Burgundiam sæpius mittens ambientes Chrotechildem, & cum non esset licitum eam videre, Chlodoueus Aurelianum quendã ex Romanis ingenio, quo posset ad Chrotechildẽ præuidendã direxit. At ille nisi singulus, † ad instar mendici peram à dorso ferens, veste deformi, illis perrexit partibus, annulum Chlodouei, quo potius crederetur, secum portans. Cumque ad Genouam † ciuitatem, vbi Chrotechildis cum Germana Sedeleuba sedebat, venisset, & illę hospitalitate peregrini sectantes eum causa mercedis accepissent, pedes eius Chrotechildis lauit. Aurelianus verbo secreto inclinans ad eam dixit: *Domina mi, grande verbum tibi nunciaturus sum, si locum dare dignas vbi secretius suggeram.* Illa annuens verbo secreto audiens, dixitque Aurelianus; *Chlodoueus Rex Francorum me direxit, si voluntas Dei fuerit, vult te culminis sui sociare coniugio. Vt certe faceres, † hunc annulum tibi direxit.* Quem illa accipiens, gauisa gaudio magno, dixitque ad eum: *Accipe centum solidos pro laboris tui munere, & annulum hunc meum: festinans reuertere ad Dominum tuum, & dic ei, si me vult matrimonio sociare, protinus per legatos à patruo meo Gundebado postuletur. Legati, qui venient, obtenta ad præsens firment, placitum sub celeritate instituant, nisi ad perficiendum festinent, Aridii cuiusdam sapientis de Constantinopoli aduentum vereor; cuius consilio, si prius venerit, hæc omnia dissipentur.* Aurelianus eodem habitu, quo venerat, redit ad propria. Cum iam prope Aurelianense territorium, nec procul a domo prope accessisset, quendam pauperem mendicum in via secum itineris socium habebat. Iam securus Aurelianus sopore depressus, à collega suo pera cum solidis eiusdem furatur. Cumque a somno expergefactus fuisset, mætore plenus cursu veloci perrexit ad propria, dirigensque pueros ad inquirendum mendicum, qui peram eius portabat, quem adprehensum Aureliano præsentant, eumque fortiter triduo cæsum permisit ire mendicum. Protinus Aurelianus Chlodoueo Regi per singula narrat suggestiones nuncians. Quod cum Chlodoueo vtilitas & consilium Chrotildæ placuisset, legatos ad Gundebadum dirigit, petens vt Chrotechildem neptem suam ei coniugio sociandam traderet. Quod ille denegare metuens, & sperans amicitiam cum Chlodoueo inire, eam daturus spondit. Legati offerentes solidum & denarium, vt mos erat Francorũ, eã partibus Chlodouei sponsant, placitum ad præsens petentes, vt ipsam ad coniugium traderet Chlodoueo. Nulla stante mora initum placitum Cabyllonis; nuptiæ præparantur. Venientes cum celeritate Franci, Chrotechildem a Gundebado acceptam leuantes in basternam cum multis thesauris ad Chlodoueũ dirigunt. Chrotechildis cum iam comperisset aduentum Aredii reuertentis ab imperio, dixit ad seniores Francos: *Si voletis me Domino vestro præsentare, remouete me de basterna, supra equum leuate, & quantum protinus potueritis, illis partibus celerate. in hac basterna ad suam non possum venire præsentiã.* Franci leuata Chrotechilde super equum, festinã ad Chlodoueũ pergũt.

CAPVT

CAPVT XIX.

De Aridio Sapiente, & eius consilio.

CVMQVE Aredius à Massilia velocissimo cursu hæc audiens ad Gundobadum venisset, dixitque ei Gundobadus; *Audisti quod amicitiam cum Francis iniuimus, neptemque meam Chlodoueo tradidi vxorem?* respondens Aredius dixit: *Non est hic amicitiæ cultus, sed initium discordiæ perpetuæ. Reminiscere debueras, Domine mi, quod genitorem Chrotechildæ germanum tuum Chilpericum gladio trucidasti, matrem eius lapide ad collum ligato necare iussisti, duos eiusdem germanos capite truncatos in puteum fecisti proiicere. Si præualuerit, iniuriam parentum vindicabit. Dirige protinus exercitum post eam, vt reuertatur. Facilius vnius feres iurgium, quam omni tempore tu & tui scandalicemini à Francis.* Hæc audiens Gundobadus exercitum post tergum Chrotechildę retentandum dirigit, qui consequentes thesauros & basterna cuncta retentēt Chrotechildis vero cū adpropinquasset Vilariaco, in qua Chlodoueus residebat in territorio Trecassino, adhuc antequā terminos Burgundiæ Chrotechildis præteriret, rogans eos, à quibus ducebatur, duodecim leuuas in vtrasq; partes de Burgundia prædarent & incenderent. Quod cum permittente Chlodoueo fuisset impletum, dixit Chrotechildis; *Gratias tibi ago, Deus omnipotens, quod initium vindictæ de genitoribus & fratribus meis video.*

CAPVT XX.

De coniunctione Chrotechildis & Chlodouei.

TVNC ad præsentiam Chlodouei perducitur, ipsamque in matrimonium Chlodoueus accepit, quam cultu regali perfecto dilexit amore. Habebat iam tunc Chlodoueus filium de concubina, nomine Theudericum. Chrotechildis cum primogenitum filium habuisset quem baptismo consecrare vellet, viro adsidue suadens Christianum efficere, nullatenus ad conciliandum Regis animus mouebatur, dicens; *Deorum nostrorum iussione cuncta creantur, Deus vester nihil posse manifestatur.* Regina filium ad baptismum exhibet. Baptizatus autem puer, quem Inghomerem † vocitabant, in albis obiit. Qua de caussa permotus felle Rex, increpabat Reginam dicens; *Si in nomine Deorum meorum puer fuisset nominatus, vixerat.* Regina Deo omnipotenti gratias agens, vt de vtero suo genitum in regno suo acceperit. Post hunc genuit filium, quem Chlodomerem vocitauit. Qui cum baptizatus ægrotare cœpisset, dicebat Rex; *Et iste, sicut frater, moritur.* Orante matre, Domino adiuuante, conualuit. Regina tamen assidue Regi verbis blanditis ad Christi cultum suadebat.

al. Ignomerum. al. Ingomirū. Gr. II. c. 29. Aim. I. c. 15.

CAPVT XXI.

De initio Christianitatis per Chlodoueum, & B. Remedium, qui eum baptizauit.

CVmque bellum contra Alamannos Chlodoueus Rex moueret, suadente Regina vouit, si victoriam obtenebat, efficeretur Christianus. Cumque vterq; phalanges certamina iungerent, & strages ingentes essent, dixitq; Chlodoueus; *Deum inuoco, quē Chrodechildis regina colit. Si me iuuet in hoc prælio, vt vincam hos aduersarios meos, ero q; illi fidelis.* Alamanni terga vertentes in fugam lapsi sunt. Cumq; Regem suum cernerent interemptum CIV. annis exsules à sedibus eorum, nec vllam potuerunt gentem comperire, quæ eis contra Francos auxiliaret: tandem se ditioni Chlodouei subdunt. Nam cū de prælio memorato superius Chlodoueus Remos fuisset reuersus, clam à sancto Remedio Remensi Episcopo, adtrahente etiam Chrotechilde regina, baptismi gratia cum sex millibus Francorum in Pascha Domini consecratus † est. Cum à sancto

al gratiam consecratus.

Remedio in albis euangelii lectio Chlodoueo adnuntiaretur, qualiter Dominus noster Iesus Christus ad passionem venerat, dixitque Chlodoueus: *Si ego ibidem cum Francis meis fuissem, eius iniuriam vindicassem.* Iam fidem his verbis ostendens, Christianum se verum esse adfirmat.

CAPVT XXII.

De Godegiselo & Gundebado, & Chlodoueo Rege.

Chodeghiselus frater Gundebadi solatium † per legatos Chlodoueum postulat, cum eum comperisset fortissimum in prœliis, promittens si eiecerit Gundobadum cum suo solatio à regno, tributum partibus Chlodouei dissolueret. Gundobadus ignorans dolum fratris Ghodeghiseli, ad eum misit dicens: *Veni, vt resistamus Francis vnianimiter, vt cum aliæ gentes passæ sunt, non perferamus nos.* At ille; *Vadam*, inquit, *& præbeam tibi auxilium.* Chlodoueus cum Francis aduersus hos duos Reges castro Diuionense Campaniam direxit ad prælium. Ghodeghyselus Chlodoueo coniungitur, ac vterque exercitus Gundobadi populum adterit. At ille dolum fratris cognoscens terga vertit, Rodani ripam percurrens Auenionem vrbem ingreditur. Ghodeghyselus obtempta victoria, promissa Chlodoueo ex parte implens, Viennamque † triumphat. Chlodoueus rex post Gundobadum dirigit, cumque de ciuitate extrahi vellet.

i. auxilium, suppetias. Gr.2.c.33. A 1.c.19.

al. Aueniouem.

CAPVT XXIII.

De consilio Aridii sapientis.

ARIDIVS prudentissimus vir cum Gundobado intra castra sedens, ad Gundobadum ait; *Oportet te lenire huius hominis feritatem. Ego simulans à te fugere, ad eum transibo, vt faciam neque te neque hanc noceat regionem. Quodcumque tibi meum iniungit consilium, faciendum promitte, donec causam tuam Dominus prosperet.*

CAPVT XXIV.

De Aridio, Gundebado, & Chlodoueo rege.

ARIDIVS valedicens Gundobado, ad Chlodoueum perrexit dicens; *Illum perfidum Gundobadum relinquens, tuæ gloriæ expedi.* Benigniter a Chlodoueo recipitur, eratque iocundus in fabulis, strenuus in consiliis, iustus in iudicio, & commisso fidelis. Dixit ad Chlodoueum; *Tua est hæc regio, quare eam vastare permittis. Iube Gundobadum tibi tributa soluendum, & ipsum & regionem dominabis. Quod si noluerit, perfice quod capisti.* Hæc iniuncta à Chlodoueo Gundobadus implere promittens, Chlodoueus rediit in Franciam, relictis cum Ghodeghysilo V. millia Francorum. Exigens Gundobadus de Auione resumptis viribus Ghodeghyselum Viennæ circumdat, per aquæductum in ciuitatem ingrediens, Ghodeghyselum interfecit, Francos adgregatos in vna turri ferro trucidauit, nihilque postea Chlodoueo reddere disponens.

CAPVT XXV.

De Alarico rege Gothorum, & Chlodoueo.

IGitur Alaricus Rex Gothorum cum amicitias fraudulenter cum Chlodoueo iniisset, quod Chlodoueus discurrente paterno legato suo cernens aduersum Alaricum arma cõmouit, & in campania † Voglauensi X. ab vrbe Pictaua milliario Alaricũ interfecit, & plure manu Gothorum trucidata, regnum eius à mare Tyrreno, Ligere fluuio, & montibus Pirineis vsque Oceanum mare a Chlodoueo occupatum est. Thesauros Alarici à Tholosa aufferens secum Parisius duxit, multis muneribus Ecclesiam sancti

Gall. Champaigne, i. planicie. Gr. 2.c.37. Aim. 1.c.22.

Martini

Martini & sancti Hilarii ditauit, quorum fultus auxilio hæc cernitur impleſſe. cumque Pariſios perrexiſſet, ibi cathedram regni conſtituit.

CAPVT XXVI.

De interitu Chlodorici filii Sigiberti regis.

THEVDERICVS eiuſdem filius ciuitatibus captis circa maritima à patris iuſſo patris filius ad eum reuertitur, filio Sigiberti Regis nomine Chlodorico, quem cum exercitu in eius ſolatio contra Gothos Chlodoueus habuerat, liciniis † verbis, dum per Scaldem fluuium nauigarent, adtracto. Ipſe vero patrem ſuum Sygibertum in Burconia † interfecit. Doloſe ipſe à percuſſoribus Chlodouei interfectus eſt. Regnum Sygiberti abſque vllo precio cum theſauris Chlodoueus adſumſit.

Hic ipſe locus allegatur ab Aim. lib I. c. 18.
al. denibus f. dolenſiſcis.
al. Burgundia.
Burchonia ſilua.
Gr. lib. II. cap. 40.

CAPVT XXVII.

De interitu Chararici regis.

CHararicum regem parentem ſuum Chlodoueus interfecit, & regnum ſuum ſibi ſubdidit.

CAPVT XXVIII.

De interitu Ragnacharii regis.

RAgnacharium regem atque ſuum parentem Chlodoueus dolis interfecit manu propria, & fratrem ſuum Richarium ſimiliter manu propria iugulauit. Regnum Ragnacharii, qui apud Camaracum ſedem habebat, ſuæ ditioni ſubiecit. Regnum Chlodouei maxime per totas Gallias dilatatur. Studioſe tractauit, vt nullus de ſuis parentibus ſupereſſet, niſi de ſuo ſemine, qui regnaret.

Gr. II. c. 41.
Aim. I. c. 23.

CAPVT XXIX.

De interitu Chlodouei regis.

MOrtuo Chlodoueo, ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Petri Apoſtoli, quam ſuo opere conſtruxerat. Obiit poſt Voglenſe † bellum annis V. regnum tenuit annis XXX. A tranſitu ſancti Martini vſq; ad tranſitum Chlodouei fiunt anni CXII. Chrotechildis regina ad limina ſancti Martini Thuronis orationibus & vigiliis peruacabat.

Vogladenſe.
Gr. Tur. II. c. 43.
Aim. I. c. 25.

CAPVT XXX.

De diuiſione regni inter filios quatuor Chlodouei.

QVattuor filii Chlodouei, id eſt, Theudericus, Chlodomeres, Childebertus, & Chlotarius, regnum eius æquo ordine inter ſe diuiderunt. Sortitus eſt ſedem Theudericus Mettis, Chlodomeres Aurelianis, Childebertus Pariſios, & Chlotarius Sueſſionas. Theudericus habebat iam filium nomine Theudebertum vtilem & ſtrenuum.

Gr. III. c. 1.
Ai. II. c. 1. 2.

CAPVT XXXI.

De Amalrico filio Alarici regis.

AMALRICVS filius Alarici sororem eorum in matrimonium accepit, per quam Baranonæ à Childerico & Francis occisus est. Dani euectu nauali Gallias appetunt † in regno Theuderici.

al. in regnū Theoderici inuaunt, & à Theudeberto, ut in cæt. seq. quod in aliis deest.

CAPVT XXXII.

De Alanis, qualiter in regno Francorum interfecti sint.

ALANI à Theudeberto filio Theuderici superantur, omnemque prædam & vitam amiserunt.

CAPVT XXXIII.

De Regibus Thoringorum, & Thoringia ditioni Francorum subiecta.

Gr. III. c. 4.

THORINGORVM tres fratres regnabant, Badericus, Ermenfridus, & Bertharius. Ermenfridus Bertharium interfecit, instigante vxore Ermenfridi nequissima nomine Amalberga: & † Badericum germanum suum cum solatio † Theuderici interfecit. Ipse vero à Theudeberto filio Theuderici interfectus est. Regnum Thoringorum Francorum ditioni subactum est.

al. Baldericum. al. consilio.

CAPVT XXXIV.

De Gundobado, & filio eius Sigismundo.

al. Ardegauensem. al. Agaunēsem. Gr. III. c. 5. Aim. 2. c. 4.

GVNDEBADI filius Sygismundus apud Genuauensem † vrbem villa Quadruuio, iussu patris sublimatur in regnum, habens vxorem filiam Teuderici regis Italiæ, vnde habebat filium nomine Syghiricum. Eadem mortua aliam duxit vxorem, filium suum Syghiricum nouercæ insidiis iussit interfici. Vnde postea fortem pœnitentiam agens, monasterium sanctorum Agaunensium miri operis construxit, & alia plura monasteria ædificauit. Chrotechildis assidue filios admonebat, mortem patris matrisque vel germanorum suorum vlcisci. Quam ob causam ibi Burgundias adpetunt, Syghismundum & Godumarem in prœlio vincunt.

CAPVT XXXV.

De transitu Sigismundi.

CLODOMERIS Sighismundum, dum ad monasterium sanctorum Agaunensium fugeret, captum cum vxore & liberis, Aurelianis adducit. Godemaris terga vertens latuit. Godemaris resumptis viribus regnum Burgundiæ tenet. Chlodomeris iterum aduersus Godemarem exercitum mouet, interfecto Sygismundo & vxore cum liberis.

CAPVT XXXVI.

De obitu Chlodomeris.

M. S. Vesorontia.

PRÆDICTVM est Chlodomeri ab Auito Abbate, quod fecerat Syghismundo, ipsum item passurum. Cumque Vesontiæ † Franci cum Burgundionibus bellum inissent, Chlodomeres capite truncatur, deceptus ab auxiliis Theuderici, qui filiam Syghismundi habebat vxorem.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

Quod regnum Burgundiæ Francorum ditioni subiicitur.

FRanci vero in ipso prœlio resumptis viribus Burgundiones † Vesontiæ superatis, & ad internecionem perductis, patriam eorum ditioni subiiciunt. Chlotharius vxorem Chlodomeris nomine Gunthiocam vxorem duxit, filiosque eius tres his nominibus, Theudoaldum, Gunthacharium †, & Chlodoaldum, Chrotechildis alebat. Childebertus dolose Aruernos contra Theudericum inuasit. Chlotharius & Childebertus Burgundias adpetunt : Sed Theudericus cum eis adgredi noluit. Childebertus & Chlotharius fugato Godemaro Burgundias occupant. Theudericus cum exercitu Auernos vastat. Mundericus, qui se parentem Regi adsereret, regnumque deberi dixit, à Satellitibus Theuderici occiditur fraude deceptus: res eius fisco subiiciuntur.

MS. Vesertasia.

al. Gunsharium.

Greg. 2. c. 11. 14. 15. 18. 22.

CAPVT XXXVIII.

De pace falsa inter Childebertum & Theudericum.

INita pace inter Childebertum & Theudericum cum sacramento datis obsidibus. Sed celerius rumpitur, multique filii senatorum ob hoc seruitio subiiciuntur. Nepos beati Gregorii Lingonacæ vrbis Episcopi, Treueris cuidam barbaro seruiens, ingenio Leonis cuiusdam ex cocis ipsius Episcopi liberatur & reducitur.

CAPVT XXXVIIII.

De Chrotechilde regina, & nepotibus, qui à Chlothario sunt interfecti.

CHrotechildis regina cum filios Chlodomeris, quos alebat, Parisius resedens vnico amore diligeret, Childebertus inuidia de eis ductus Chlotharium suadet, vt interficerentur. ex quibus duo Theodoaldus & Guntharius Chlotharii manu propria interficiuntur. Chlodoaldus ad clericatum tondetur, dignamque vitam gerens transiit; ad cuius sepulchrum Dominus virtutes dignatur ostendere. Theudericus filium suum Theudebertum.... vbi Vuisigardem cuiusdam Regis † filiam desponsauit. Theudebertus relinquens Vuisigardem, Theotheriam genere Romanam duxit vxorem.

VVotonis. Aim. 2. c. 12.

CAPVT XL.

De obitu Theuderici.

THeudericus XXIII. regni sui anno moritur, regnumque Theudebertus adsumpsit, qui magnum se atque in omni bonitate præcipuum ostendit. Deotheria zelans à Theudeberto, filiam suam dolo interfecit. Theudebertus relicta Deotheria, Vuisigardem duxit vxorem.

CAPVT XLI.

De Childeberto, & Theudeberto, contra Chlotharium agentibus.

CHildebertus & Theudebertus fœdere inito inter se contra Chlotharium mouent exercitum. Sed orationibus Chrotechildæ ad limina sancti Martini, & diuino nutu grandine & infestatione tonitrui & fulgore veniente, separati sunt, pacem inientes ad proprias sunt sedes reuersi.

CAPVT XLII.

De Childeberto & Chlothario in Spaniam cum exercitu adgressis.

POst hæc Childebertus & Chlotharius Spanias adpetunt, easque parte maxima depopulati sunt. Amalricum regem Barcenonæ interficiunt. Cæsaraugusta ciuitas orationibus & ieiuniis liberatur.

CAPVT XLIII.

De Theudahado rege Spaniæ interfecto.

Greg.3.c.30. Aim.2.c.19. 20. POst Amalricum Theudo regnat in Spaniis. Quo interfecto Theudeghyselus regnum adsumit, qui, dum ad cænam lætus sederet, extinctis cereis à suis occiditur. Cui Aggyla succedit in regno. Gothi vero iam olim habent vitium, cum Rex eis non placet, ab ipsis interficitur.

CAPVT XLIV.

De vxore & filia Theuderici regis Italiæ interfectis, & compositione.

ET quia Theudericus Italiæ rex sororem Chlodouei in matrimonium habuit, ex qua paruolam filiam cum vxore reliquit, cum mater ei Regis filium sociandum prouideret, à seruo nomine Tranquilliano † accipitur. Tranquillianus exercitu à matre puellæ capitur, & capite truncatur. Acceptam filiam mater disciplinam ingerens secum duxit. Filia matrem veneno interfecit. Theodatus regnum Theuderici ambiuit, & filiam, quæ matri extiterat parrida, balneo vehementer succenso iussit includi, ibique combureretur. Vnde causa conpositionis L. millia solidorum Childeberto, Chlothario, & Theudeberto transmissi sunt: quod Childebertus & Theudebertus inter se diuidentes, nihil exinde Chlothario dederunt. Theodato defuncto Totila successit in regnum, quem Narsis patricius interfecit, regnumque Gothorum in Italia destructum est.

al. Traquillone. al. Traquila

CAPVT XLV.

De Theudeberto Italiam ingresso, & Italia recepta.

vid. infr. c. 64. POst Theudebertus cum exercitu Italiam ingreditur, eamque per maritimos terminos cunctam depopulatur. Narsidem patricium in fuga versum..... Postea Bucellinus dux iussu Theudeberti Siciliam occupat, totamq; Italiam dominans, magna ei felicitas in his conditionibus fuit.

CAPVT XLVI.

De Verdunis à Theudeberto recuperatis.

PEtitione Desiderati Verdunensis vrbis Episcopi Theudebertus clementer VIII. millia solidos ciuibus Verdunensibus ad recuperandum dedit. Theudebertus vexatus à febre moritur XIV. regni sui anno.

CAPVT

CAPVT XLVII.

De morte Chrotechildis reginæ.

CHrotechildis regina plena dierum & bonis operibus moritur, & in sacrario Basilicæ sancti Petri sepelitur. Chlotharius iubet ad omnes Ecclesias, tertiam partem fructuum fisco dissoluerent. Sed resistente Iniurioso pontifice hoc malum destruitur. Chlotharius de Ingunde Guntharium, Childericum, Aribertum, Gunthramnum, Sighibertum, & Chlodesindam filiam habuit; de Aregunde † sorore Ingundis Chilpericum; & de Vnsina † habuit Chramnum. Gr.4.c.1.2.3 Aim.2.c.16 al. Radegunde. al. Gunsina.

CAPVT XLVIII.

De Aquilane rege Spaniæ.

AQuilane † in Spania regnante, cum esset iniquus suis, exercitus Imperii Spanias ingreditur. † Aquila interficitur. MS. Agilanem. MS. Aggyla.

CAPVT XLIX.

De Athanagildo rege Spaniæ.

AThanagildus succedit in regno, qui ab Spania exercitum Imperii expulit.

CAPVT L.

De Theudebaldo filio Theudeberti, Buccelino duce, Belisario & Narsete patriciis.

THeudebaldus filius Theudeberti Vualderadam † duxit vxorem. Erat valde iniquus suis, cuius tempore vuæ in sauro † natæ sunt: stella ex aduersu veniens in Lunam egressa est. Buccelinus in Italia apud Belsarium & Narsidem patricios sæpius fortiter dimicans, eosq; in fugam vertit, eorumq; exercitum proterit. Tandem infirmatus a profluuio ventris, & exercitus suus eadem infirmitate adtritus, Belisario iam interfecto, à Narside superatur & interficitur. Ipsoque anno Theudebaldus obiit, regnumque eius Chlotharius accepit, copulans Vualderadam sibi vxorem. al. Vuldodradam. Gr. 3.c.9. al. sambuco.

CAPVT LI.

De regno Chlotharii, & pugna cum Saxonibus.

EO anno rebellantibus Saxonibus Chlotharius commoto exercitu maximam eorũ partem deleuit, Thoringiam vastans, quia eis auxiliare præsumserant. Nec multo post tempore denuo Saxonibus rebellantibus, Chlotharius mouit aduersus eos exercitum. Saxones offerentes cuncta emendare, quæ male gesserant, mediam partem omnium rerum eorum, exceptis vxoribus & liberis in conpositione offerunt. Quod Franci accipere despicientes, eos interficere conabantur Chlothario dicentes; *Non pacificabis cum eis, sed surge, præliemus & vlciscamur in illis.* Cum ille nollet, Franci Chlotharium volentes occidere, inuitus perrexit ad prœlium, ibique tanta strages à Saxonibus de Francis facta est, vt mirum fuisset. Gr.ib.c.14.

CAPVT LII.

De Childeberto & Chramno filio Chlotharii.

Childe-

CHildebertus cum Chramno insidias Chlothario parat. Aribertus & Gunthramnus iussu patris cum exercitu contra Chramnum dirigunt; sed diuino nutu temperante, cum graui coruscatione exorta à prælio separantur. Chramnus cum Childeberto pertendit. Saxones factione Childeberti in Francia venientes vsque † Deuiciam ciuitatem prædas egerunt. Chramnus cum Childeberto se fortiter constringit. Childebertus Remensem Campaniam depopulatus est. Austrapius dux in Ecclesia sancti Martini Chramnum metuens fugit.

al. Diuiciã. al. Duuciam. apud Greg. c. 16. Nuciam. Male. vulgo. Duitz, ex aduerso Colonia Agrip.

CAPVT LIII.

De morte Childeberti.

CHildebertus rex apud Parisios obiit: in Ecclesia sancti Vincentii, quam ipse construxerat, sepultus est; cuius thesauros & regnum Chlotharius adsumpsit.

CAPVT LIV.

De exilio Vualderadæ relictæ Childeberti, & interitu Chramni.

VValderadam & filias eius duas in exilio posuit. Chramnus in Brittanniam fugit ad Conobrem † comitem Brittanniorum. Willacharius socer eius ad Ecclesiam S. Martini confugit, propter ipsum hæc Ecclesia incendio concrematur. Postea à Chlothario condigne recuperatur, & † stanno cooperitur. Chramnus à Chlothario patre suo captus, cum vxore & liberis in Brittannia igne concrematur. Conober comes Brittannorum interfectus.

al. Cunobertum Regem. Aim. 2. c. 30 Gre. 4. c. 17. MS. Stagno.

CAPVT LV.

De obitu Chlotharii, & diuisione regni inter filios eius quattuor.

CHlotharius pro suis peccatis, quæ gesserat, aut negligenter egerat, exorandum ad limina beati Martini confessoris properat, exinde Conpendium villam veniens LI. regni sui anno vexatus à febre obiit. Childericus occupatis thesauris Chlotharii in villa Brinnaco, sedem Childeberti Parisios occupat: sed mox exinde repellitur. Charibertus, Guntramnus, Chilpericus, & Sighibertus regnum patris diuidunt. Dedit sors Chariberto regnum Childeberthi, Parisiis sedem habens: Guntramno vero regnum Chlodemeris, sedem habens Aurelianis: Chilperico regnum Chlotharii patris eius, cathedram habens Suessionas: Sighiberto quoque regnum Theuderici, sedem habens Mettis. † Eodem tẽpore Chuni Gallias appetunt, contra quos Sighibertus mouit exercitum, eosque interfecit, atque fugauit: postea cum eis pacem iniuit. Chilpericus Remos inuadit, & alias ciuitates, quæ ad Sighibertum pertinebant, abstulit. Vnde inter ipsos bellum ciuile surrexit. Sighibertus Suessionas occupat; Theudebertum filium Chilperici adprehensum in exilium transmittit: Chilpericum victũ atque fugatum, ciuitates in sua dominatione reuocauit. Post annum Theudebertum filium Chilperico reddidit, datis in inuicem pacem cum sacramentis. Guntramnus in Burgundia regnans, in locum Agricolanis † patricii Celsum instituit, virum in verbis paratum, & in cupiditate promptissimum. †

Gr. 4. c. 21. Aim. 2. c. 37. An. 564.

Gall. Mett. Germ. Metz.

Agricole. Gr. 4. c. 24. al. ciuitate prudentiss.

CAPVT LVI.

De Guntramno, & Regina Marchitrude.

GHuntramnus fuit Rex bonus, timens Deum. Accepit primum concubinam nomine Venerandam, de qua habuit filium nomine Gundebadum. Postea accepit Marchy-

Gr. 4. c. 25.

Marchytrudem filiam Magnacharii. Quæ postquam de Guntramno habuisset filium, veneno Gundebadum dolose interfecit: ipsa iudicio Dei filium, quem habebat, perdidit, & odium Regis per saginam incurrit. Eadem demissa Austrichildam eiusdē ancillam, cognomento Bobilanem, Guntramnus accepit vxorem, de qua duos filios habuit nomine Chlotharium & Chlodomerem. Vt Marchytrudis dimitteretur, hæc fuit occasio. Mater eius post mortem Magnacharii de vilibus hominibus vnum ex nutritis Magnacharii acceperat maritum, quæ instigantibus Guntione & Vuiorico filiis ab eodem mater iussu Guntramni separatur, & ipse puer occiditur, clamantibus filiis negligenter matrem herbariam † & meretricem. Hac occasione filiam eiecit de regno. Charibertus rex Ingobertam accepit vxorem: qua relicta Merofledem lanarii filiam accepit, & aliam pastoris ouium filiam nomine Theudechildem duxit vxorem, ex qua habuit filium, sed protinus moritur.

Gre. 4. c. 25. i. maleficam. Gr. 4 c. 26.

CAPVT LVII.

De Sigiberto, & Brunichilde regina.

Porro Sighibertus cum videret fratres suos vxores viles accipere, Gogonem causa legationis ad Anagyldum regem direxit, petens vt ei filiam suam Brunam nomine coniugio traderet. Quam Anagyldus cum multis thesauris Sighiberto ad matrimonium transmisit. Ad nomen eius ornandum & augendum est determinatum, vt vocaretur Brunechildis, quam cum multa lætitia atque iocunditate Sighibertus accepit vxorem.

CAPVT LVIII.

De Rodino duce, & bonitate eius.

Ante hæc in infantia Sighiberti omnes Austrasii, cum elegerent Chrodinum Maiorem domus, eo quod esset in cunctis strenuus, & timens Deum, patientia imbutus, nec quicquam aliud, nisi quod Deo & hominibus placeret, in eo inueniretur, ille hunc honorem respuens dicebat; *Pacem ego in Austro facere non valeo, maxime cum omnes primates cum liberis in toto Austro mihi consanguinei sint, non possum ex eis facere disciplinā, nec quemquam interficere. Ipsi vero per me insurgeant, vt agant superstitiose: eorum acta non permittat Deus, vt me inferni claustro tradant. Elegite alium, quem vultis, ex vobis.* At illi cum non inuenirent,

CAPVT LIX.

De Gogone effecto Maiore domus.

Tunc Chrodini consilio nutritum suum, memoratum superius Gogonem Maiorem domus elegunt. In crastino primus ad eius mansionem perrexit Chrodinus ad ministerium, bracile † Gogoni in collo tenens. Quod reliqui cernentes, eiusdem sequuntur exemplum. Prosperum hoc Gogoni ad gubernandum fuit, quoadusque Brunichildem de Spania adduxit. Quem Brunichildis continuo apud Syghibertum fecit odiosum, ipsum suo instigante consilio Sighibertus interfecit. Tanta mala & effusione sanguinum a Brunichildæ consilio in Francia facta sunt, vt prophetia Sibyllæ impleretur dicens: *Veniet Bruna de partibus Spaniæ, ante cuius conspectum multæ gentes peribunt.* Hæc vero equitum calcibus disrumpitur.

brachium Gogonis. Aim. 3. c. 4.

CAPVT LX.

De Chilperico, quod Gachilisindam sororem Brunichildis accepit.

Aim. 3 c. 5. al. Galsontã. VValsontam

CHilpericus Gachylisindam † sororem Brunichide habuit vxorem, relinquens Fredegundem & alias, quas habebat, vxores. Postea transcendit sacramentum, quod Gothorum legatis dederat, ne vnquam Gachylesindam de culmine regni degradaret, ipsamque suggilare † fecit. *i. strãgulare.* Post cuius transitum Fredegundem denuo accepit vxorem. Reputantes ei fratres eius, quod suo ingenio Gachylesinda fuerit interempta, eum de regno eiiciunt. Habebat Chilpericus de priore regina Audouera tres filios, Theudobertum, Merouеum, & Chlodoueum.

CAPVT LXI.

De Chunis, & Sighiberto Rege.

Aim. 3. c. 2.

CHuni in Gallias venire conantur, aduersus quos Sighibertus cum magno adgreditur exercitu. Chuni magicis artibus instructi multis fantasiis ostensis exercitui Sighiberti metum incutiunt; terga vertunt. Sighibertus à Chunis circumdatur, sed sua prudentia dona offerens liberatur, nec ei quicquam hæc conditio fecit obprobrium. Pacem sempiternam cum Chunis firmauit, & à rege Chunorum condignis muneribus honoratur.

CAPVT LXII.

De Aruernis, & Celso patricio.

SIghibertus præcepit Aruernis ciuibus Arelatem occupare. Iubente Guntramno à Celso patricio Aruerni Arelate trucidati sunt.

CAPVT LXIII.

De Athanagildo, Leuuane, & Leuuildo regibus.

AThanghildo rege in Spania defuncto, Leuua cum Leuuildo fratre regnum adsumunt. Moritur Leuua. Tum Leuuildus integrum Spaniæ regnum tenet, habens Gadsuindam † vxorem matrem Brunichildis.

al. Gadsiundam. Aim. 3. c. 17

CAPVT LXIV.

De obitu Justiniani, & Imperio Justini.

EOdem tempore, defuncto Constantinopoli Iustiniano Imperatore, Iustinus ambiuit imperium, vir iniquus & cupidus. Ad quem Sighibertus legatos, Vuarmarium † Francum, & Firminum comitem direxit, qui pacem cum Imperatore firmarent, qui secundo anno sunt reuersi.

al. VVarmacharium.

CAPVT LXV.

De Langobardorum gente, & eorum origine, & nomine.

al. Scãdauia. al. Schatanagia. leg. Schandinauia. Aim. 2. c. 13.

LAngobardorum gens priusquam hoc nomen adsumeret, exientes de Schatanauia †, quæ est inter Danuuium & mare Oceanum, cum vxoribus & liberis Danuuium tranimeant. cum Chunis Danuuium transeuntes fuissent comperti, eisque bellum conarent inferre, interrogati à Chunis; *Quæ gens eorum terminos introire præsumeret?* At illi mulieres eorum præcipiunt comam capitis ad maxillas & mentum ligarent, quo potius [illegible] habitum simulantes plurimam multitudinem hostium ostenderent: eo quod erat mulierum comæ circa maxillas & mentum ad instar barbæ valde longæ, fertur desuper utroque falangæ vox dixisse; *Hi sunt Langobardi.* Quod ab his genti-

gentibus fertur eorum Deum fuisse locutum, quem fanatici nominant Wodanum. Tunc Langobardi, cum clamassent, *Qui instituerat nomen, concederet victoriam.* Hoc prœlio Chunos superant, partem Pannoniæ inuadunt. nec multo post tempore Narsis patricius minis Iustini Imperatoris eiusque Augustæ Sophiæ perterritus, eo quod Augusta ei adparatum ex auro factum muliebre, eo quod Eunuchus erat, cum quo filaret, direxit, & pensilariis † regeret, non populo. At ille respondet; *Filum filabo, de quo Iustinus Imperator, nec Augusta, ad caput venire non possent.* Tunc Langobardos à Pannoniis inuitans, cum Alboeno rege Italiæ introduxit. Alboenus Chlodesindam Chlotharii regis filiam habuit vxorem. Qua defuncta aliam duxit coniugem, cuius patrem interfecit.

VVodan Deus veterum Germ.

operariis qui pensa trahunt.

CAPVT LXVI.

De obitu Alboini regis Italiæ.

IPse vero eiusdem mulieris fraude veneno periit: ipsaque postea cum aliquo Langobardo, apud quem Rauennam fugaciter de ciuitate Verona, vbi virum occiderat, adgrediebat, pariter interiit. nam ibi adprehensi & interfecti sunt.

CAPVT LXVII.

De Langobardis in Franciam prorumpentibus.

LAngobardi regem nomine Clip † super se elegunt. Prorumpentibus Langobardis in Gallias, Amatus patricius ab ipsis interficitur, & à Burgundionibus multæ ibidem strages factæ sunt. Post Amatum Mummolus patriciatum adsumit.

al. Calip.

CAPVT LXVIII.

De Mummulo patricio, & Langobardis vel Saxonibus.

INruentes iterum Langobardi in Gallias, cum quibus Mummolus fortiter dimicauit, & vsque ad internecionem obpressit: pauci ex eisdem Italiam repedantur. Saxones, quos Theudebertus in Italiam miserat, in Gallias prorumpunt apud Stuplonem † castra ponentes; multæ strages per vicina loca ab ipsis perpetrantur: qui à Mummolo superantur, & in Italiam fugaciter reuertuntur, amissis omnibus, quæ prædauerant. Saxones cum vxoribus & liberis in Gallias distinant, vt à Sighiberto rege recepti, vnde exierunt, redirent. Venientes in territorium Auennicum, Mummolus protinus obuiam veniens eis Rodanum transire non permittebat. Postea acceptis muneribus transire eos permisit. Ad Sighibertum † pergentes in loco, vnde prius egressi fuerant, sunt stabiliti. Postea defuncto Clip, Langobardorum duces Chamo, Zaban & Rodanus Gallias inruperunt. Quibus obuiam Mummolus cum exercitu venit, & hos tres duces cum eorum exercitu vsque ad internecionem deleuit. In alio anno Mummolus cum exercitu Thuronus ac Pictauis, iubente Guntramno, de potestate Chilperici abstulit, & ad partem Sighiberti restituit. Multi ibidem de exercitu Chilperici, & ipsi Pictauenses sunt gladio trucidati. Taloardus & Nuntio duces Langobardorum per ostiola in Sidonense territorium cum exercitu sunt ingressi, ad Monasterium sanctorum Agaunensium nimiam facientes stragem. Baccis villa, nec procul ab ipso monasterio & Duces eorum exercitus à Vuiolico & Theudefrido ducibus Guntramni sunt interfecti: XL. millia † tantum ex illis fugaciter Italiam remeant.

supr. cap. 41. al. Stiplolonem.

al. à Sigeberto.

al. quadraginta tantū.

CAPVT LXIX.

De Chlodoueo filio Chilperici.

CHlodoueus filius Chilperici Burdegalem peruadit. A Sigulfo duce superatus & fugatus ad patrem rediit.

CAPVT LXX.

Quod Chilpericus ciuitates de regno Sygiberti peruasit.

CHilpericus Pictauis & Turonus de regno Sygoberti peruasit; & Sigulfum ducem fuga vertit, suumque exercitum prostrauit. Chilpericus ciuitates, quas peruaserat, eas Sygoberto reddidit. Post annum Chilpericus cum multo exercitu regnum Sygoberti ingreditur. Sed intercurrentibus legatis pacificati sunt.

CAPVT LXXI.

De interitu Sigiberti, & pace Guntramni.

POstea vna inientes consilium, amboque mouentes exercitum, volentes Guntramnum interficere, regnumque eius adsumere. Sygobertus cum exercitu Arciaca resedens, Chilpericus duodecim pontes. Audiens hæc Guntramnus exercitum velociter mouet, veniensque villam Veriacum, intercurrentibus legatis hi tres germani, Sygobertus, Guntramnus, & Chilpericus Trecas vixerunt, & in Ecclesia sancti Lupi sacramento contra Guntramnum, vt pacem seruarent, dederunt. Guntramnus idemque cum eis pacem sacramentis firmauit. Redientes ad castra Austrasii, aduersus Sygobertum rumorem leuant dicentes; *Sicut promisisti, date nobis vbi rebus ditemur, aut prœliemur: alioquin ad patriam non reuertimur.* Ille nolens, conpulsus à suis super Guntramnum ire, Austrasii valde consiliose dicunt ad eum; *Sacramentis pacem cum Guntramno firmasti, quo pacto possimus super eum inruere?* vnianimiter exclamantes, se super Chilpericum velle ire, protinus mouentes super Chilpericum, iam eius exercitus ad propria festinans longe abierat. Cum hæc cognouisset Chilpericus, terga vertens Thornua † venit. Sygobertus post tergum eius Parisius venit, ibique sanctum ac beatissimum Germanum Parisiorum vrbis Episcopum cum Sygebertus vidisset, hæc ab eodem verba prophetice audiuit; *Si germanum tuum ita persequere cogitas, vt eum interficere disponas, & regnum suum auferre, scriptum est: Fouea, quam fratri tuo parabis, in eam cadebis.* Cuius castigationi nolens conniuere, cogitabat optata perficere. Cumque victoria cessisset, † omnes Neostrasii tractum Veniensem suæ ditioni subiecerunt. Ansoandus tantum cum Chilperico remansit. Fredegundis duobus pueris dolose tranmissis Sygobertum interficiunt, & ipsi interfecti sunt. Resumptis viribus Chilpericus suum regnum recepit.

al. Turones.

al. Victoria co accessisset, o. N. actum venientes se s.d.s.

CAPVT LXXII.

De exilio Brunichildæ, & rege Childeberto.

BRunichildis cum filio suo Childeberto Parisius sub custodia tenebatur. Sed factione Gundoaldi ducis, Childebertus in † pera positus per fenestram à puero acceptus est, & ipse puer singulus eum Mettis exhibuit, ibique à Gundoaldo vel Austra-

sponsa Aim. 3 c. 14.

Austrasiis in regno patris sublimatur. Brunichildis iussu Chilperici† exilio Rothomerem retruditur. In eo anno fulgor decurrisse visus est. Sigobertus in Ecclesia sancti Medardi sepultus est, ætate quadragenaria, XIV. regni sui anno. *L. in exiliũ Rothomagũ truditur.*

CAPVT LXXIII.

De reputatione annorum ab Adam vsque transitum Sigoberti.

A Transitu Theudeberti senioris vsque ad exitum Sigoberti, anni XXIX. A principio vsque ad diluuium, anni II. millia CCXLII. A diluuio vsque ad Abraham, anni DCCCCXLII. Ab Abraham vsque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, anni CCCCLXII. Ab egressu filiorum Israel ex Ægypto ad ædificationem templi Salomonis, anni CCCCLXXX. Ab ædificatione templi vsque ad dissolationem eius & transmigrationem Babyloniæ, anni CCCLXL. A transmigratione Babyloniæ vsque ad passionem Domini, anni DCXLVIII. A passione Domini vsq; ad transitum Chlodouei regis, anni CXII. & vsque ad transitum Theudeberti, anni XXXVII. A transitu Theudeberti vsque ad exitum Sigoberti, anni XXIX. quod sunt simul anni V. millia DCCLXXIV. *Gr. 4. c. 51.*

CAPVT LXXIV.

De Meroueo filio Chilperici, & Brunichilda.

CHilpericus filium suum Meroueum Pictauis cum exercitu direxit, & exinde reuertens † Rothomum accessit, & Brunichildem in coniugium accepit. Protinus Chilpericus ipsum de ea separauit. Campanenses Sessionas peruaserunt. Chilpericus cum exercitu contra eos inualuit, Sexsionas † recepit. Filium suum Meroueum † honus tonsurari clericatui fecit, & presbyterum ordinari. Roccolonem ducem, Guntramnum idemque ducem persequentem trânsmisit. Roccolenus ab infirmitate vexatus nihil ibidem perualuit. *f. Rothomagũ. Gr. 5. c. 2. 4. 14. Aim. 3. c. 15. Suessionas. ita MS. pro honos, ĩ honore; Ita & alibi infra.*

CAPVT LXXV.

De Chlodoueo filio Chilperici, & pugna Mummuli patricii, & Desiderii regis.

EO tempore sanctus Germanus Parisiorum Episcopus transiit. Chilpericus filium suum Chlodoueum Thoronus transmisit, qui & vltra Ligerem ciuitates Childeberti peruaderet. Mummolus patricius Guntramni contra Chlodoueum & Desiderium ducem Chilperici bellum gessit, eosque superauit. Cæsa à Mummoli exercitu V. millia, à Desiderio vero XX. millia. *Gr. 5. c. 8. 13. Aim. 3. c. 16.*

CAPVT LXXVI.

De pugna inter Suauos & Saxones.

INter Suæuos & Saxones bellum surrexit. Cæsi sunt à Saxonibus XX. millia, VI. millia tantum ex eis remanserunt. Suæuorum quoque V. millia CCCCLXXXVIII. prostrati sunt: reliqui vero victoriam obtenuerunt. Saxones deuouerunt, vt nec pilum nec barbam inciderent, priusquam hanc iniuriam vlciscerent: sed mentita est eorum iracundia. *Aliter Gr. 5. c. 15.*

CAPVT LXXVII.

De comitibus Brittannorum.

Gr.5.c.16.18 Aim.3.c.20 21.26.

BRittanis Magliauus & Bodetus illo tempore comites erant, amicitiam cum ſacramentis inuicem inientes. Mortuo Bodico Macliauus filium eius nomine Theudericum de regno expulit : ſed tandem reſumptis viribus Theudericus Magliauum cum filio Iacob interfecit, regnumque patris recepit. Vuarochus Magliaui filius in patris loco comes efficitur. Guntramnus rex Magnacharii filios gladio interemit, inſtigante Auſtrichilde regina, facultates eorum fiſco redegit. Filii Guntramni duo continuo mortui ſunt.

CAPVT LXXVIII.

De Guntramno, & Childeberto adoptato.

GVntramnus Childebertum adoptauit in filium. Chilpericus prætextatum Rothomenſem Epiſcopum in exilium trudit, reputans ei quod conſilio Brunichildæ vſus contra Chilpericum tractarit, quod veritate ſubſiſtebat. Meroueus iterum laicus efficitur, de Thoronus fugiens per Authiſiodorum † Diuionem venit, in Remenſem campaniam peracceſſit, a Tharauannenſibus circumuentus eſt, & in quadam villa concluditur à Gaileno † familiare ſuo, ipſoque rogante Merouèus cultro interfectus eſt. Gailenus manibus & pedibus, naribus & auribus truncatus, turpiter vitam finiuit.

al. de Auinione venit.

al. Gauleno.

CAPVT LXXIX.

De Iuſtini Imperatoris amentia, & vxore eius Sophia.

Aim.3. c.19

EOdem tempore Iuſtinus Imperator amens effectus eſt. Sophia eius Auguſta cum Tyberio Cæſare regebat Imperium. Tyberius largiſſimus in elemoſynis fuit. Sed cum à Sophia argueretur, vt theuſaurum non vaſtaret, in medio palatii cruce in lapide reperta, iubet Tyberius ipſum lapidem leuare deſuper, in alio lapide duæ cruces repertæ ſunt, leuatoque & ipſo, inuenta ſunt ſuper ipſum mille centenaria auri, quod largiter diuino amore pauperibus erogauit.

CAPVT LXXX.

De theſauro Narſidis patricii.

DEfuncto Narſide, prudente alloquio Senicæ, cui Narſis crediderat, theſaurum eius Tyberius abſconditum ſub terra inuenit, nimiam multitudinem ponderum auri & argenti, ſeu & lapides pretioſos ; quod idemque largiter Tyberius in alimoniis diſtribuit pauperum. Samſon filius Chilperici moritur, quem Chilpericus nimium luxit. Eo anno ſtella in medio Lunæ fulgens viſa eſt. Guntramnus Bozo relictis filiabus ſuis in Eccleſia ſancti Hilarii ad Childebertum tranſiit. Anno quoque III. Childeberti regis, qui erat Chilperici & Guntramni XVI. Guntramnus Bozo filias ſuas a Pictauo auferre vellens, Dracolenus ſuper eum inruit. multa munera a Guntramno, Dracoleno offeruntur: ſed Dracolenus, vt erat elatus,

Gr.5.c.25.

dicit

dicit; *Funiculum, vnde alios ligare soleo, paratum habeo, vbi Guntramnus hodie ligatur.* Cumq; fuisset prælium cæptum, Guntramnus inuocato nomine Domini & virtutis S. Martini, leuato conto Dracolenum mactat in faucibus, suspensumque de eo viuum, mortuum in terram proiecit: feliciter postea, quod cæpit, expleuit. Post hæc Pictaui, Bagassinitæ, † Romani, & Andegaui cum aliis multis in Brittanniam contra Vuarocum† exercitum mouent. Super quos Vuarocus per noctem ruens, nimiam stragem de Saxonis Baicassinis fecit.

Baiocassitæ. al. VVaracũ

Anno IV. Childeberti, qui fuit XVIII. Guntramni & Chilperici, Salonius & Sagittarius episcopi Cabillonni in synodo ab episcopatu degradantur. Chilpericus descriptiones grauissimas in omni populo regni sui fieri iussit. Marcus referendarius, qui hanc descriptionem faciebat, secum omnes polepticos ferens Kal. Martias à Limodicinis † interfectus est, & omnes poleptici incendiis sunt concremati. Dum hæc agerentur, Iustinus Imperator XVIII. anno regni sui cum amentia, quam incurrerat, vitam finiuit.

f. Lemouicinis Gr. 5. c. 28

CAPVT LXXXI.

De largißimis eleemosynis Tiberii Imperatoris, & Sophia Augusta.

Traiectæ sunt inscriptiones, & deprauatæ.

TYberius arripuit imperium. Sophia Augusta inmemor promissionis suæ, aduersus Tyberium insidias mouebat. Iustinianum nepotem Iustini in imperio voluit sublimare. Quod Tyberius cernens adprehensam Sophiam expoliatam thesauris, segregatis ab ea pueris, in custodiam iussit retrudi. Iustinianum obiurgatum, tanto in posterum amore dilexit, vt filio eius filiam suam promitteret, eiusque filio suo filiam suam expeteret. Sed non est sortita effectum res. Exercitus eius Persas † debellauit, victorq; regressus tantum prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ posse sufficere. XX. Elefanti exinde adducti sunt.

MS. deuallauit.

CAPVT LXXXII.

De regimine Childeberti, & inundatione aquarum, & igne de cœlo ciuitates & vicos vrente.

EOdem tempore, anno V. Childeberti regis tantæ lues per vniuersam regionem factæ sunt, vt nimium mirum fuisset, cum vniuersa flumina terminos, quos nunquã excesserant, præterierunt, pecora excitio, grandi ædificia naufragio.... quod cessantibus pluuiis arbores denuo floruerunt. erat mensis September. Fulgor per cœlum currisse visus est; sonus quasi deruentium arborum in totam terram auditus est. Burdegala terræmotu concussa est. De Pyreneis montibus inmensi lapides sunt euulsi, qui pecora & homines prostrauerunt. Vicus Burdegalensis incendio diuinitus orto flammatus multos exussit, subito comprehendens domus & areas cum annonis incendium concremauit, nulla incitamenta habens ignis, Forsitan iussionem diuinam. Aureliana ciuitas ab hoc incendio vastata est. Apud terminum Carnotinum idem è fracto pane sanguis fluxit. Sed hoc prodigium grauissima lues est subsecuta, & discordia Regum iterum bellum ciuile parātium. Disentericus morbus totas Gallias præoccupauit. His diebus Austrechildis Guntramno princeps Regina ab hoc morbo consumpta est. Medicos ad Guntramnum accusans, † iussu Guntramni, Medici diuersis pœnis adflicti migrant ad cœlum. Eo anno in Spaniis Christianorum persecutio fuit, instigante Goesinda, quam post Anaghyldum regem rex Leupidus acceperat, de alia vxore duos filios habens. Ex quibus vnus Ermenchildus nomine filiam Sigoberti nomine Sedegundem accepit vxorem.

Greg. 5. c. 33. Aim. 3. c. 33.

al. medicus Guntramni Christianos in hoc accusans, iussu.

CAPVT LXXXIII.

De filia Sygoberti, nomine Sidegunde, vxore Ermenhildi.

Gr.5.c.38. Aim.3.c 38. MS adficitur.

QVæ cum magnis thesauris & apparatis in Spaniam est directa, & ab auia Goesida benigniter † adcipitur. Sed cum nullatenus auiæ iniquo cõsilio sensisset, in vnam ciuitatem cum viro habitandum constituitur. Protinus marito prædicans, ad Christi cultum baptizatus effectus est Christianus. Quem pater Leuuildus insequens, & vellens occidere, tandem eius insecutione filius est interfectus, per quem data est occasio post mortem Mirionis regis Gallitiæ filio eius Eurico, & genero nomine Audegane, de regno certantibus, à Leuuildo Suæuo & omnes Gallitii potestati Gothorum subiiciuntur.

CAPVT LXXXIV.

De morte trium filiorum Chilperici.

MS. vnum.

IGitur Chilpericus tres filios suos iam adultos ab infirmitate dysenteriæ † vna perdidit, quos de Fredegunde habebat. Restiterat adhuc Chlodoueus filius eius, quem postea instigante Fredegunde vinctum custodiam retrusit, ibique factione Fredigundæ cultro percussus obiit.

CAPVT LXXXV.

De fuga Mummuli.

Auẽnionem. Aim.3.c.39. al. remouentur.

POst hæc Mummolus patricius regno Guntramni fuga dilabitur; Auentionem † castrum suæ defensioni expetiit. Legati Chilperici, qui ad Tyberium Imperium accesserant, ab eodem, illo tempore, continuo † reuertuntur.

CAPVT LXXXVI.

De pace Chilperici & Childeberti falsa.

i quia. sic & alibi.

al. ab Vrsione & Bertefredo.

CHildebertus relicta Guntramni pace, se cum Chilperico, vt regnum eius pariter auferrent, coniunxit, promittens Chilpericus, dum † sine filiis erat, vt Childebertum regni sui relinqueret hæredem. Sed more solito mendax apparuit. Lupus dux Campanensis † ob Vrsionem & Bertefredum ab exercitu internecione persequitur: sed Brunichilde intercedente liberatur, præsidiumque eius à supra scriptis tralatum est.

CAPVT LXXXVII.

De reclauso nomine Hospitio.

al. Nicæsim.

IN illo tempore reclausus Hospicius apud Netensem † vrbem, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, super cilicio, nihil aliud quam purum panem & paucos dactylos comedebat, in Quadragesima radices herbarum. Qui dum versaretur in corpore, multæ virtutes, præstante Domino, per

per eumdem ostensæ sunt. Chilpericus Desiderium ducem ad præuadendum Petrocorecum & Agennum cum exercitu dirigit, qui fugato † Ragnoaldo duce has ciuitates peruasit, eiusque vxorem cunctis rebus expoliauit. Baudastis dux in Wasconia obiit, maximamque partem exercitus sui amisit. Anno igitur VII. Childeberti regis, qui erat Chilperici & Guntramni XX. stella cometes † apparuit in die sanctæ Paschæ. Apud Sexionas † ciuitatem cælum ardere visum est. In Parisiaco vero † sanguis denuo fluxit, super vestimenta multorum hominum cecidit. Valitudines variæ & mortalitas magna eo anno in populo fuit. Igitur legati Chilperici Anhoaldus & Domighyselus, qui ad conspiciendam dotem in Spaniam fuerant missi, sunt regressi his diebus. Leubyldus rex contra Ermenghildum filium suum in exercitum residebat; tunc filium suum interfecit, eiusque mulierem à Græcis liberare non potuit, sed vsque in mortem illuc permansit.

al. Regnoaldo.

al. Comata. Lege: Suessionas.

f. vero. Aim. in Paris. pago.

CAPVT LXXXVIII.

De morte Rodini Ducis.

EO anno Rodinus dux moritur, vir elemosynarius & bonitate plenissimus, iustus in cunctis, piissimus in pauperibus. Qui dum quadam vice (vt consueuerat) mortuum sepelire præciperet, & ad quoddam monumentum cum cultris pueri fossam facerent, leuato lapide inuenit miræ magnitudinis thesaurum, & solidorum multitudinem. Hunc sibi proprium vir † censuit, quem sine intermissione fideliter pauperibus erogauit, æquanimiter ei fide reddidit hunc thesaurum, à quo acceperat. Multa signa & prodigia eo anno in cælo sunt visa. Chilperico filius denuo nascitur: iubet omnes carceratos laxare.

al. verum. al. iure.

CAPVT LXXXIX.

De Gundoaldo filio Chlotharii, qui regnare cœperat, & interfectione Mummuli.

GVNDOALDVS, qui se filium Chlotharii dicebat, de Constantinopoli reuertitur, & Chlothario à Childeberto patruo directus est. Quem Chlotharius videns, comam capitis tondere iussit, quem Syghibertus arcessitum misit eum in Agripennensem ciuitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Exinde lapsus ad Narsidem dirigit. Narsis eum Mauritio Imperatori direxit. Cum exinde fuisset reuersus, à Mummolo patricio fuit susceptus, factione Syagrii & Flauii Episcoporum, vt Guntramnum degradarent à regno, & sublimarent Gundoaldum. Ob hanc causam Mummulus interfectus est. Gundoaldus à Bozone duce factione Combenensis vrbis de cacumine rupis inpingitur, ibique disruptus moritur. Cariatto Spatarius Guntramni, qui hanc rem prodidit, huius vicissitudine repensionis Episcopatum Gennauensem adsumpsit.

Lib. seq. c. 2.

CAPVT LXL.

Quod Chilpericus Parisios inuasit.

IN illo tempore Chilpericus Parisius contra pactum, quod cum Francis inierat, ingreditur. Ob quam rem portionem suam exinde † iuste amisit. Guntramno partem Childeberti de Massilia dedit. † Mummolum factione Fredegundæ, cui reputabant filium suum per incantationem interfecisse; iussit rex suggillare, multæque mulieres per ipsum mendacio à Fredegunde sunt interfectæ.

MS. iusti admisit. al. reddidit.

CAPVT LXLI.

De timore Chilperici, vt cum thesauris aufugit.

CHILPERICVS timens Guntramnum & Childebertum, in Camarincensem cum thesauris omnique præsidio est adgressus. per ipsum timorem sæpe exercitum mouebat, & resedere faciebat.

CAPVT LXLII.

De Childeberto, quomodo in Italiam fuerit adgressus.

CHILDEBERTVS in Italiam abiit, & Langobardi se suæ ditioni commendant. gloriose exinde Childebertus reuertitur. Acceperat prius à Mauritio Imperatore L. millia auri, vt Langobardos de Italia expugnaret, sed non solum eis non nocuit, sed etiam amicitias cum ipsis iniuit. Leubildus (vt supra fecimus mentionem) filium suum Ermenghyldum interfecit.

CAPVT LXLIII.

De Chilperico, quod filiam suam in Spaniam cum thesauris direxit, & in continuo ad Calam villam mortuus est.

CHILPERICVS & Fredegundis filiam eorum cum magnis thesauris & multitudine familiæ in eius ministerium direxit in Spaniam, quam filius Leubildi accepit vxorem. Nec post mora extante, Chilpericus ad Calam villam, nec procul à Parisius, ab homine nomine Falcone, † qui missus à Brunichilde fuerat, est interfectus, & sic crudelissimam vitam digna morte finiuit.


A.DLXXXVII. Nihil hic de Landerico, de quo alter Epitomator cap.35. & ex eo Ado, & Aim.3.c.57.

EXPLICIT LIBER CHRONICÆ.

FREDE-


FREDEGARII SCHOLASTICI CHRONICÆ LIBER.

INCIPIT PROLOGVS.



CVM ad liquidam iussus verbi proprietatem, non habeam quod proferam, nisi præstitum ab Altissimo fuerit; & dum quæro implere sententiã, longo ambitu vix breuis viæ spatium consummo. Vernacula Linguæ huius verba † interpretatio absurde resonat. Si ob necessitatē (al. vernaculum l.h. verbi interpretatur.) aliquid in ordine sermonis mutauero, ab interpretis videor officio recessisse. Itaque beati Hieronymi, Ydacii, & cuiusdam sapientis, seu & Isidori, immoq; & Gregorii Chronica à Mundi origine diligentissime percurrens, vsq; decedente regno Guntrāni his quinq; Chronicis huius libelli, nec * plurimis prętermissis singillatim congruentia stilo inserui, quę illi sollertissime absq; reprehensione condiderunt. (al. plurima prætermissa.) Cum hæc ita se habeant, necessarium duxi veritatem diligentius insequi, & ob id in prioribus his Chronicis, quasi quamdam futuri operis miniam, omnium mihi rerum & temporum ponens, & singularum gentium curiosissimo ordine quæ gesserunt, coaptaui, quod prudentissimi viri, quos supra memini, hisce Chronicis (verbum hoc est nomen Græcum, quod Latine interpretatur *Gesta temporum*) seuerissime dictantes condiderunt, velut purissimus fons largiter fluenta manantes. Optaueram & ego, vt mihi subcumberet * talis dicendi facundia, vt vel paulolum esset instar. Sed (f. succurreret.) cassus hauritur, vbi non est certa perennitas. Atq; Mundus iam senescit, ideoque prudentię acumen in nobis tepescit, nec quisquam potest huius temporis, nec præsumit oratoribus prudentibus esse similis. Ego tamen, vt rusticitas & † extremitas sensus mei valuit, studiosissime de hisdē libris (al. externitas.) breuitatem, quantum plus potui, optare præsumpsi. Ne quisquam dubitet, vniuscuiusq; libri nomen, redeat ad Auctorem, cuncta reperiet subsistere veritate. Transacto namque Gregorii libri volumine, *Temporum gesta*, quæ vndique scripta potui reperire, & mihi postea fuerunt agnita, acta * Regum & bella gentium, quæ gesserunt, legenda simul & audienda, (al. rerum.) etiam & videnda cuncta, quæ certificatus cognoui, huius libelli volumine scribere non silui, sed curiosissime, quantum potui inserere studui, de eodem incipiens tempore scribere, quo Gregorius finem Gestæ cessauit & tacuit, cum Chilperici vitam finisset. In præsenti autem stilo ea tempora .....

EXPLICIT PROLOGVS.



INCIPIVNT CAPITVLA CHRONICÆ.

XLVIII.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT LIBER CHRONICÆ.

CAPVT I.

De bonitate Guntramni, & ecclesia sancti Marcelli.



GVNTRAMNVS Rex Francorum, cum iam annos XXIII. Burgundiæ regnum bonitate plenus regebat, cum Sacerdotibus vtique Sacerdos instar se ostendebat, & cum leudis erat aptissimus, *Aim.3.c.59* elemosinam pauperibus largiter tribuens, tantæ prosperitatis regnum tenuit, vt omnes etiam vicinæ gentes ad plenitudinem de ipso laudes canerent. Anno XXIV. regni sui diuino amore Ecclesiam beati Marcelli, vbi ipse preciosus requiescit in corpore, *al. suburbe.* quæ in † suburbio quidem Cabyllonensi; sed tamen in † Segonum est territorio, miri- *al. suburbano.* fice & sollerter ædificare iussit, ibique monachis congregatis monasterium condidit, *al. Sequano.* ipsamque ecclesiam rebus plurimis ditauit. Synodum XL. Episcoporum fieri præcepit, & ad instar institutionis monasterii sanctorum Agaunensium, quæ temporibus Sighismundi regis ab Auito & cæteris Episcopis, ipso iubente principe, fuerat firmata, idemque & huius synodi coniunctione monasterii sancti Marcelli Guntramnus institutionem firmandam curauit.

CAPVT II.

De Gundoaldo, quod contra Guntramnum factione Mummuli regnum arripere voluit.

Gr. Tur. 7. c.14.36.38. & IX. c.28. Aim.3.c.61. 67.68.69. 70. HOc anno Gundoaldus cum solatio Mummuli & Desiderii mense Nouembrio partem regni Gunthramni præsumpsit invadere, & ciuitates euertere. Guntramnus Leudisdum † Comitem stabuli, & Ægilanem patricium cum exercitu contra ipsos direxit. Gundoaldus † terga vertens Conbanem ciuitatem latebram dedit. Exinde de rupe à Bosone duce præcipitatus interiit. *al. Leudigildum. Ballomer dictus.*

CAPVT III.

Qualibet Guntramnus Chlotharium in regno sublimauit.

CVmque Guntramno perlatum fuisset, eo quod frater suus Chilpericus esset interfectus, festinans perrexit Parisius, ibique Fredegundem cum filio Chilperici *al. Riolo.* Chlothario ad se venire præcepit, quem in Riogilo † villa baptizare iubet: & eum de sancto lauacro excipiens in regno patris firmauit.

CAPVT IV.

De interfectione Mummuli.

Aim.3.c.75. ANno XXV. regni Guntramni Mummulus Senouiæ iussu Guntramni interficitur. Vxorem eius Sidoniam vna cum omni thesauro Domnulus Domesticus & Wandalmarus camerarius Guntramno præsentant.

CAPVT

CAPVT V.

De exercitu Guntramni in Spania adgreßo.

ANNO XXVI. regni sui exercitus Guntramni Spanias ingreditur, sed loci infirmitate grauatus protinus ad propria reuertitur. Anno XXVII. eiusdem regni Leudistus à Guntramno patricius partibus Prouincię ordinatur. filius Childeberti regis Theudebertus natus fuisse nunciatur.

CAPVT VI.

De inundatione aquarum, patriciatu Siagrii, signo in cœlo, morte Leubildi, & Richario sublimato in regno.

EO anno nimia inundatio fluminum in Burgundia fuit, vt eorum terminos nimium transcenderent. Ipsoque anno Syagrius comes Constantinopolim iussu Guntramni in legatione pergit, ibique fraude patricius ordinatur: cœpta quidem, sed ad perfectionem hæc fraus non † peraccessit. Eo anno signum apparuit in cœlo, globus igneus decidens in terra cum scintillis & rugitu. Ipsoque anno † Leubildus Rex Spaniæ moritur, & obtenuit regnum † Richaredus filius eius. Anno XXVIII. regni Domni Guntramni, alius filius Childeberti nomine Theudericus natus nuntiatur.

al. proaccessit. al. Leupildus. al. Leuuchildus. al Richarius. al. Richaricus.

CAPVT VII.

De pace inter Guntramnum & Childebertum firmata.

GVNTRAMNVS secum Childeberto pacem firmans dum Andelao coniunxit. Ibi mater & soror & coniunx Childeberti regis pariterque fuerunt; ibique specialis conuenientia inter Domnos Guntramnum & Childebertum fuit conuenta, vt regnum Guntramni post eius discessum Childebertus adsumeret.

CAPVT VIII.

De Ducibus iussu Childeberti interfectis.

IPsoque tempore Rauchingus & Boso Guntramnus, Vrsio & Bertefridus optimates Childeberti regis, eo quod eum tractauerunt interficere, ipso Rege ordinante interfecti sunt. Sed & Leudefredus Alamannorum Dux in offensam antedicti Regis incidit, etiam & latebram dedit. Ordinatus est loco ipsius Vncilenus dux. Eo anno Richaredus Rex Gothorum diuinum complectens amorem, prius secretius ipse baptizatur, post hæc omnes Gothos, dum † Arianam sectam tenebant, Toletum adunare præcepit, & omnes libros Arianos præcepit vt præsentarentur, quos in vna domo conlocatos incendio concremare iussit, ipsosque Gothos ad Christianam legem baptizare fecit. i quidā.

CAPVT IX.

De vxore Aunulfi regis Persarum nomine Cæsara.

EO anno vxor † Aunulfi Imperatoris Persarum nomine Cæsara, virum relinquens, cum quattuor pueris & totidem puellis, ad beatum Iohannem Episcopum Constantinopolim veniens, se vnam esse de populo dixit, & baptismi gratia ad antedictum beatum Iohannem expetiit, cumque ab ipso pontifice fuisset baptizata, Augusta Mauritii Imperatoris, eam de sancto suscepit lauacro. Quam cum vir suus Imperator Persarum per legationes sæpius repeteret, & Mauritius Imperator vxorem ipsius esse al. Arnulfi.

nesciret, tunc Augusta videns eam pulcherrimam, suspicans ne ipsa esset, quam legati quærebant, dicensque eis; *Mulier quidem de Persis hic venit, dixit se vnam esse de populo. Videte eam, forsitan ipsa est, quam quaeritis.* Quam legati videntes, proni in terra adorauerunt, dicentes; *Ipsam esse eorum Dominam, quam quaerebant.* Dicit ad eam Augusta: *Redde illis responsum.* Tunc illa respondit; *Ego cum istis non loquor. Vita illorum instar canis est. Si conuersi Christiani, sicut & ego sum, efficiuntur, tunc eis respondebo.* Legati vero animo libenti Baptismi gratiam accipiunt. Postea dicit ad eos Cæsara; *Si vir meus voluerit Christianus fieri, & baptismi gratiam accipere, libenter ad eum reuertar. Nam penitus aliter ad ipsum non repedabo.* Legati vero Imperatori Persarum nunciantes, statim ille legationem ad Mauritium Imperatorem remisit, vt sanctus Iohannes veniret Antiochiam, ipso tradente Baptismum vellet accipere. Tunc Mauritius Imperator infinitissimum apparatum Antiochiæ fieri iussit, ibique Imperator Persarum cum LX. millibus Persarum baptizatus est, & ad duas ebdomatas à Iohanne & reliquis Episcopis Persæ ad plenitudinem supra scripti numeri baptizantur. Imperatorem illum Gregorius Episcopus Antiochiæ suscepit de lauacro. Aunulfus Imperator Mauritium Imperatorem petens, vt Episcopum cum clero sufficiente eidem daret, quos in Persas stabiliret, vt vniuersa † Persia baptismi gratiam adhiberent. Quod Mauritius libenti animo præstitit, summaque celeritate omnis † Persia ad Christi cultum baptizatur.

al. Persida.
al. Persida.

CAPVT X.

De exercitu Guntramni in Spanias adgresso.

ANno XXIX. Guntramni, exercitus in Spaniam eiusdem iussu dirigitur: sed neglegentia Bosonis, qui caput de exercitu fuit, grauiter à Gothorum exercitu illi trucidantur.

CAPVT XI.

De tunica Domini nostri Jesu Christi inuenta.

Aim. 3. c. 78

ANno XXX. regni supra scripti principis, tunica Domini nostri Iesu Christi, quæ eidem in passione sublata est, & à militibus, qui eum custodiebant, est sortita, de qua Dauid propheta dixit; *Et super vestimenta mea posuerunt sortem,* inuenta est, profitente † Simone filio Iacobi. Qui per duas ebdomadas multis cruciatibus adfectus, tandem profitetur ipsam tunicam in ciuitate Zafad, procul à Hierusolimis, in arca marmorea positam esse. Quam Gregorius Antiochenus, & Thomas Hierusolimorum, & Iohannes Constantinopolitanus episcopus cum aliis multis Episcopis, triduanum facientes ieiunium, exinde condigne cum arca marmorea (leui effecta, quasi ex ligno fuisset) ordine pedestri Hierusolimam cum deuotione sanctissima perduxerunt, & eam in loco, vbi crux Domini adoratur, cum triumpho posuerunt. Eo anno Luna obscurata est. Eo anno inter Francos & Brittanos super fluuio Vicinonea bellum est ortum.

Psalm. 22.
Iohan 19.
f. prodente.

CAPVT XII.

De Beppeleno & Ebrechario Ducibus.

BEPPELENVS Dux Francorum factione Hebrecharii itemque Ducis à Brittanis interficitur. Vnde post Ebrecharius ad plenitudinem paupertatis de rebus suis expoliatus peruenit.

CAPVT XIII.

De Agone sublimato in regnum Italiæ super Langobardis, ac defectione Solis.

Anno

ANNO XXXI. regni Gunthramni, Theudofredus dux Vltraiuranus moritur, cui successit Wandatmarus in honore ducatus. Ipsoque anno Ago dux in Italia super Langobardos in regno sublimatur. Anno XXXII. regni Gunthramni ita à mane vsque ad mediam diem Sol minoratus est, vt tertia pars ex ipso vix adpareret.

CAPVT XIV.

De obitu Guntramni.

ANNO XXXIII. regni Gunthramni. Eo anno, V. Kal. April. ipse Rex moritur: sepultus est in ecclesia sancti Marcelli in monasterio, quem ipse construxerat. Regnum eiusdem Childebertus adsumsit. Eodem anno Quintrio dux Campanensis cũ exercitu in regnum Chlotharii ingreditur. Chlotharius cum suis obuiam pergens hostiliter, Quintrionem in fugam vertit: sed vtriusq; exercitus nimium trucidatus est. *Aim.3.c.81.*

CAPVT XV.

De regno Childeberti in Burgundia.

ANNO secundo cum Childebertus regnum accepisset Burgundiæ, exercitus Francorum & Brittanorum in inuicem prœliantes, vtrique nimium gladio trucidantur. Anno III. Childeberto in Burgundia regnante, multa signa in cælo ostensa sunt: apparuit stella cometes. Eo anno exercitus Childeberti cum Warnis, † qui rebellare conauerunt, fortiter dimicauit, & ita Warni trucidati ac victi sunt, vt parum ex ipsis remansisset. *Aim.3.c.83.*

† Warni hi forte Werini illi sunt, quorum Leges cum aliis extant, hoc titulo: Lex Angliorum, & Werinorum, hoc est, Thuringorum edit. Basil. fol. 1557.

CAPVT XVI.

De obitu Childeberti.

ANno IV. postquam Childebertus regnum Gunthramni acceperat, defunctus est: regnumque eius filii sui Theudebertus & Theudericus adsumunt. Theudebertus sortitus est Auster, sedem habens Metensem: Theudericus accepit regnum Guntramni in Burgundia, sedem habens Aurelianis. *Aim.3.c.84*

CAPVT XVII.

De Fredegunde, quod Parisius inuasit, & pugna contra Theudebertum.

EO anno Fredegundis cum filio Chlothario rege Parisius vel reliquas ciuitates ritu barbaro occupauit, & contra filios Childeberti regis Theudebertum & Theudericum mouit exercitum. Loco nominato Latofao castra vtrique ex aduerso ponentes, Chlotharius cum suis super Theudebertum & Theudericum cum suis inruens eorumque exercitum grauiter trucidauit. Anno II. regni Theuderici Fredegundis moritur. *Aim.3.c.86*

CAPVT XVIII.

De morte Quintrionis.

ANno III. regni Theudeberti, Quintrio dux instigante Brunnihilde interficitur. Anno IV. regni Theuderici † Colenus genere Francus patricius ordinatur. Eo anno clades glandolaria Massiliam & reliquas Prouinciæ ciuitates grauiter vastauit. Eo anno aqua calidissima in lacu Dunensi, quem Arola fluuius influit, sic valide ebulliuit, vt multitudinem piscium coxisset. Eo anno Warnacharius Maiordomus Theuderici transiuit, qui omnem facultatem suam in alimoniis pauperum distribuit.

† al. Quolenus

CAPVT XIX.

De Brunichilde, qualiter de Austria est eiecta.

Aim.3.c.87 i.sola.sic & alibi. EO anno Brunihildis ab Austrasiis eiecta est, & in Marciacensi Campania à quodam homine paupere singula† reperitur. Secundum eius petitionē ipsa ad Theudericum perducitur. Theudericus auiam suam Brunnihildem libenter recipien ,gloriose honorat. Huius vicissitudine meriti episcopatum Audioderensem, † faciente Brunnihilde, adsumpsit. Anno V. regni Theuderici iterum signa, quæ anno superiore visa fuerant, globi ignei per cœlum currentes, & ad instar multitudinis astrorum ignium † ad occidentem apparuerunt.

Altissiodorensem.

f. hastarum ignearum.

CAPVT XX.

De pugna, quam Theudebertus & Theudericus contra Chlotarium fecerunt, ipsumque vicerunt.

Aim.3.c.88. IPsoq; anno Theudericus & Theudebertus Reges contra Chlotharium regem mouent exercitum, & super fluuium Aroannam nec procul a Doromello vico prœlio confligentes iunxerunt, ibique exercitus Chlotharii grauissime trucidatus est: ipsoq; cum ipsis qui remanserunt, in fugam verso, pagos & ciuitates ripæ Sigonæ, quæ se ad Chlotharium tradiderant, depopulant & vastant. Ciuitates ruptæ nimis, pluritas captiuorum ab exercitu Theuderici & Theudeberti exinde deducitur. Chlotharius oppressus, vellet nollet, per pactionis vinculum firmauit, vt inter Sigonam & Ligerem, vsque mare Oceanum & Brittannorum limitem, pars Theuderici haberet: & per Sigonam & Isaram ducatum integrum Denzileni vsque Oceanum mare Theudebertus reciperet: XII. tantum pagi inter Iseram & Sigonam & mare littoris Oceani Chlothario remanserunt. Anno V. Theuderici Catinus dux interficitur.

CAPVT XXI.

De filio Theuderici nato, & Ægyla patricio interfecto.

ANno VI regni Theuderici, de concubina filius nascitur, nomine Sigobertus: & Ægyla patricius nullis culpis exstantibus, nisi tantum cupiditatis instinctu, instigante Brunnihilde, ligatus interficitur, facultatesque eius fiscus adsumsit. Eo anno Theudebertus & Theudericus exercitum contra Wascones direxerunt, ipsosq; Deo auxiliante deiectos suæ dominationi redigunt, & tributarios faciunt, ducem super ipsos nomine Genialem instituunt, qui eos feliciter dominauit.

CAPVT XXII.

De inuentione corporis sancti Victoris.

Aim.3 c.90 EO anno corpus sancti Victoris, qui Salodoro cum sancto Vrsione passus fuerat, à beato Æconio pontifice Maurionensi inuenitur. Quadam nocte in sua ciuitate ei reuelatur insomnium, vt surgens protinus iret ad Ecclesiam, quam Sedeleuba regina in suburbano Genauensi construxerat: in medio Ecclesiæ designato loco illud sanctum corpus adesse. Cumque Genauam festinus perrexisset, cum beatis Rustico & Patricio Episcopis, triduanum ieiunium facientes, lumen per noctem, vbi illud gloriosum & splendidum corpus erat, apparuit. Quod cum silentio hii tres Pontifices, cum lacrimis & orationibus, eleuato lapide, in arca argentea inuenerunt sepultum, cuius faciem rubentem quasi viui repererunt. Ibiq; princeps Theudericus

praticis

præſens aderat, multisque rebus huius Eccleſiæ maximam partem facultatis Warnacharii † ibidem confirmauit. Ad ſepulchum illud ſanctum miræ virtutes ex ipſa die, *de quo ſupra cap. 18.* qua repertum eſt, præſtante Domino, integra aſſiduitate oſtenduntur. Eo anno Ætherius epiſcopus Lugdonenſis obiit; ordinatur loco ipſius Secundinus epiſcopus.

CAPVT XXIII.

De Focate, qualiter Mauritium Imperatorem interfecit, & imperium adſumſit.

EO anno Focas dux & patricius Reipublicæ, † victor à Perſis rediens, Mauritium *i. Romanor.* Imperatorem interfecit, & in loco ipſius imperium adſumſit.

CAPVT XXIV.

De exilio S. Deſiderii Epiſcopi.

ANno VII. regni Theuderici de concubina naſcitur ei filius nomine Childebertus: & ſynodus Cabilloni collegitur. Deſiderium Viennenſem epiſcopum deiciunt, *Deſid. Vien. epiſcopus, cuius Epiſtolæ extant.* inſtigante Aridio Lugdunenſi epiſcopo, & Brunnihilde, & ſubrogatus eſt loco ipſius in ſacerdotali officio Domnulus. Deſiderius vero in inſulam quamdam exilio retruditur. Eo anno Sol obſcuratus eſt. Eo quoque tempore Bertoaldus, genere Francus, Maiordomus Palatii erat Theuderici, moribus menſuratus, ſapiens & cautus, in prœlio fortis, fidem cum omnibus ſeruans. Anno IX. regni Theuderici naſcitur ei de concubina filius nomine Corbus. Cum iam Protadius genere Romanus vehementer in Palatio ab omnibus veneraretur, & Bruñihildis ſtupri gratia eum vellet honoribus exaltare; defuncto Wandalmaro duce, in pago Vltraiurano & Scutingorum Protadius patricius ordinatur, inſtigatione Brunnihildis. Vt Bertoaldus potius interiret, eum in Ripam Sigonam vſque Oceanum mare per pagos & ciuitates ad fiſcum inquirendum dirigunt.

CAPVT XXV.

De Bertoaldo Maioredomus.

BERTOALDVS à Theuderico directus cum CCC. tantum viris, illis partibus properauit: cumque Arclaunum villam veniſſet, & venationem inibi exerceret, hæc comperiens Chlotharius filium ſuum Meroueum & Landericum Maioremdomus cum exercitu ad Bertoaldum opprimendum direxit, & maximam partem inter Sigonam & Ligerem, pagos & ciuitates de regno Theuderici præſumſit contra pactum peruadere. Bertoaldus hæc audiens, cum ſuſtinere non prǫualeret, terga vertens Aurelianis ingreditur; ibique à viro beatiſſimo Auſtrino Epiſcopo ſuſcipitur. Landericus cum exercitu Aurelianis circumdans, vocabat Bertoaldum vt veniret ad prœlium. Bertoaldus de muro reſpondens; *Nos duo ſingulari certamine, ſi me expectare deliberas, reliqua multitudine procul ſuſpenſa, iungamus ad prælium, vt à Domino iudicemur.* Sed hæc Landericus facere diſtulit. addens Bertoaldus dixit; *Dum facere non audes, proximo temporis Domini noſtri pro eis, quæ facis, iungent ad prælium. Induamur vterque, ego & tu, veſtibus vermiolis, præcedamus cæteris: vbi congreſſus erit certaminis, ibique & mea & tua vtilitas apparebit.* Promittentes ante Deum ad inuicem, promiſſionis huius rei veritatem ſubſiſtere.

CAPVT XXVI.

De victoria Theuderici contra Chlotharium.

Cvmque hoc in die festo sancti Martini antistitis actum fuisset, Theudericus cum hoc audiuisset, quod à Chlothario pars regni sui contra pactum fuisset peruasa, in Natiuitate Domini protinus cum exercitu Stampas super fluuio Loa peruenit, ibique obuiam Meroueus filius Chlotharii regis cum Landerico & magno exercitu venit. Cũ esset artus peruius ille, vbi Loa fluuius transmeatur, vix tertia pars exercitus Theuderici transierat, initum est prœlium, ibique Bertoaldus secundum placitum adgreditur vocitans Landericum. Sed Landericus non est ausus, vt promiserat, tantam huius certaminis congressionem adire: ibique Bertoaldus, cum nimis cæteris præcessisset, ab exercitu Chlotharii cum suis interficitur, nec vellens exinde euadere, dum senserat se de sui gradus honore à Protadio degradandum; ibique Meroueus filius Chlotharii capitur. Landericus in fugam versus, à nimia multitudine, exercitus Chlotharii in eo prœlio gladio trucidatus est. Theudericus Victor Parisius ingreditur. Theudebertus pacem cum Chlothario Compendio villa iniuit, & vterque exercitus eorum inlæsus rediit ad propria.

CAPVT XXVII.

De Protadio Maioredomus, eiusque interitu.

Aim. 3. c. 92.

ANNO X. regni Theuderici Protadius, instigante Brunihilde, Theuderico iubente, Maiordomus substituitur. Qui cum esset nimium argutissimus & strenuus in cunctis, sed sęua illi fuit cõtra personas iniquitas, fisco nimium stringens de rebus personarum, ingeniose fiscũ vellens implere, & se ipsum ditare. Quoscumq; de gente nobili repperiret, totos humiliare conabat, vt nullus reppereretur, qui gradum, quem adripuerat, potuisset adsumere. His & aliis nimia sagacitate vexatis, maxime cunctos in regno Burgundiæ lucratus est inimicos. Cum Brunnehildis nepotem suum Theudericum integra adsiduitate moneret, vt contra Theudebertum moueret exercitum, dicens; *Quasi Theudebertus non esset filius Childeberti, nisi † cuiusdam hortulani.* Et Protadius ipsoq; consilio adsistens, tandem iussu Theuderici mouetur exercitus. Quod cum in loco nomine Caraciaco Theudericus cum exercitu castra metasset, hortabatur à leudibus suis, vt cum Theudeberto pacem iniret. Protadius singulus † hortabatur, vt prœlium committeretur. Theudebertus nec procul exinde cum exercitu residebat. Tunc omnis exercitus Theuderici inuenta occasione supra Protadiũ inruunt, dicentes; *Melius esse vnum hominem † mortuum, quam totum exercitum in periculum missum.* Protadius in tentorio Theuderici regis cum Petro Archyatro † tabula ludens sedebat. Cum eum vndiq; iam exercitus circumdasset, & Theudericum leudis tenebant, ne illuc adgrederet, misit Vncelenum, vt suę iussionis verbũ nuntiaret exercito, vt se de insidiis Protadii remouerent. Vncelenus protinus ad exercitũ nuntians dixit; *Sic iubet domnus Theudericus, vt interficiatur Protadius.* Inruentes super eum tentorium Regis, gladio vndique incidentes, Protadium interfecerunt. Theodericus confusus & coactus cum fratre Theudeberto pacem iniuit, & inlæsus vterque exercitus reuertit ad propriis sedibus, post discessum Protadii.

i. sed. sic & alibi sæpe.

i. solus.

al. moriturum.

al. ad tabulam.

CAPVT XXVIII.

De bonitate Claudii Maiorisdomus.

al. Dotudius

ANNO XI. regni Theuderici subrogatur Maiordomus Claudius † genere Romanus, homo prudẽs, iocundus in fabulis, strenuus in cunctis, patientiæ deditus, plenitudine consilii abundans, litterarum eruditus, fide plenus, amicitiam cum omnibus sectans. Priora exempla metuens lenem se & patientem huius gradus ascensu ostendit. Sed hoc tantum impedimentum habebat, quod sagina esset corporis adgrauatus. Anno XII. regni Theuderici Vncelenus, qui ad mortem Protadii insidiose fuerat locutus, instigante Brunnihilde, pede truncato, de rebus expoliatus ad † breuitatam perductus est.

paupertatem.

CAPVT

CAPVT XXIX.

De interitu Vulsi patricii.

VVlsus patricius, idemque Brunnichilde instigante, qui mortem Protadii consilio suo consenserat, in Fariniaco villa, iubente Theuderico, occiditur, & in patriciatum eius Ricomeres Romanus genere subrogatur. Eo anno natus est de concubina Theuderici filius nomine Meroueus, quem Chlotharius de sancto lauacro suscepit.

CAPVT XXX.

De Ermenberga, quam de Spania Theudericus adduxit.

EOdem anno Theudericus Aridium episcopum Lugdunensem, Rocconem & Æborinum Comestabuli ad Belericum regem Spaniæ direxit, qui exinde Ermẽbergam filiam eius Theuderico matrimonio sociandam adducerent, ibiq; datis sacramẽtis, *vt à Theuderico ne vmquam à regno degradaretur:* ipsamq; accipiunt, & Theuderico Cabilloni præsentant, quam ille gaudens diligenter accepit. Eadem factione auiæ suæ Brunnichildæ virilem coitum non cognouit. instigantibus verbis Brunnichildæ auiæ & Theudelanæ germanæ efficitur odiosa. Post anni circulum Theudericus Ermenbergam expoliatam à thesauris in Spaniam retransmisit. Aim. 3. c. 94

CAPVT XXXI.

De legatis Betterici ad Reges transmissis.

BEthericus hæc indignans, legationem ad Chlotharium direxit. Legatus Chlotharii cum Betherici ad Theudebertum perrexit. Iterum Theudeberti legati cum Chlotharii & Betherici legatis ad Agonem regem Italiæ accesserunt, & vnianimiter hii quattuor Reges cum exercitu vndique super Theudericum inruerunt, vt regnum eius aufferrent, & eum morte damnarent, eo quod tantam de ipso reuerentiam ducebant. Legatus vero Gothorum euectu nauali de Italia per mare in Spaniam reuertitur. Sed hoc consilium diuino nutu non sortitur effectum, quod cum Theudericus conperisset, fortissime ab eo despicitur.

CAPVT XXXII.

De martyrio sancti Desiderii.

EO anno Theudericus consilio Aredii Episcopi Lugdunensis perfidi vtens, & persuasu auiæ suæ Brunnichildæ, sanctum Desiderium de exilio regressum lapidare præcepit: ad cuius sepulcrum miræ virtutes à die transitus sui Dominus integra assiduitate ostendere dignatur. Per quod credendum est, pro hoc malo gesto regnum Theuderico & filiis suis fuisse destructum. Aim. 3. c. 93.

CAPVT XXXIII.

Quod Sisebodus Rex in Spania sublimatur.

EO anno, mortuo Betherico, Sisebodus Spaniæ successit in regnum, vir sapiens & in tota Spania laudabilis valde, pietate plenus. Nam & aduersus manum publicam i. Romanos. † fortiter dimicauit; prouinciam Cantabriam Gothorum regno subegit, quam aliquando Franci possederant. Dux Francion, qui Cantabriam in tempore Francorum rexerat, tributa Francorum Regibus multo tempore impleuerat. Sed cum a parte Imperii fuerat Cantabria reuocata, à Gothis, (vt supra legitur) præoccupatur, & plures ciuitates ab imperio Romano Sisebodus in litore maris abstulit, & vsque fundamentum destruxit. Cumque Romani ab exercitu Sisebodi trucidarentur, Sisebodus dicebat pietate plenus; *Heu me miserum, cuius tempore tanta sanguinis effusio fitur.* Cuicunq; poterat occurrere, de morte liberabat. Confirmatum est regnum Gothorum in Spania per maris littora vsque Pyreneos montes.

CAPVT XXXIV.

De Agone Rege, & eius Regina Theudelinde.

AGo rex Langobardorum accepit vxorem Grimoaldi & Gundoaldi germanam, nomine Theudelindem ex genere Francorum, quam Childebertus habuerat desponsatam. qui cum eam consilio Brunnihildæ postposuisset, Gundoaldus cum omnibus rebus se cum germana Theudelinde in Italiam transtulit, & Theudelindem in matrimonium Agoni tradidit. Gundoaldus de gente nobili Langobardorum accepit vxorem, de qua duos filios habuit his nominibus, Gundebertum & Haribertum. Ago Rex filius Autharii Regis, de Theudelinde habuit filium nomine Odoaldum, & filiam nomine Gundobergam. Dum Gundoaldus à Langobardis nimium dilegeretur, factione Agonis regis & Theudelindæ, cum ipso iam zelum tenerent, vbi ad ventrem purgandum in Faldaone sedebat, sagitta saucius moritur.

CAPVT XXXV.

De Brunnichilde, & Belichilde Reginis.

ANno XIII. regni Theuderici, cum Theudebertus Belichildem habebat vxorē, quam Brunnichildis à negotiatoribus mercauerat, & esset Belichildis vtilis, & à cunctis Austrasiis dilegeretur vehementer, simplicitatem Theudeberti honeste conportās, nihil se minorem à Brunnichilde esse cerneret, sed sæpius legatos Brunnechildæ despiceret, dum ab ipsa increpatur, *Quod ancilla ipsius Brunnichildæ fuisset;* tandem his & aliis verbis, legatis discurrentibus ab inuicem vexarentur, placitus inter Colerensem & Suentemsem fitur, vt has duas Reginas pro pace inter Theudericum & Theudebertum coniungerent loquendum. Sed Belichildis consilium Austrasios inibi venire distulit.

CAPVT XXXVI.

De vita S. Columbani.

Aim. 3. c. 95. ANno XIV. regni Theuderici, beatus Columbanus creuerat iam passim fama his ciuitatis suæ in vniuersas Galliæ vel Germaniæ prouincias, eratque omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis, in tantum vt Theudericus rex ad eum sæpe Lussouium venerit, & orationum suarum suffragia omni cum humilitate poposcerit. Ad quem sæpissime cum veniret, cæpit vir Dei eum increpare; cur concubinarum adulteriis misceretur, & non potius legitimi coniugii solamine frueretur, vt regalis proles ex honorabili regina procederet, & non potius ex lupanaribus videretur emergi. Cumque iam ad viri Dei imperium regis sermo obtemperaret, & se ab omnibus inlicitis segregare responderet, mentem Brunnichildis auiæ, (secunda vt erat Iezabelis) antiquus anguis adiit, eamque contra virum Dei stimulatam superbiæ aculeo

leo excitat, quia cerneret viro Dei Theudericum obœdire. Verebatur enim, ne si abiectis concubinis Reginam aulę præfecisset, dignitatis atq; honoris sui modum amputasset. Euenit ergo vt quadam die beatus Columbanus ad Brunnichildem veniret, (erat enim apud Brucariacum villam) cumq; illa eum in aulam venire cerneret, filios Theuderici, quos de adulterinis permixtionib. habebat, ad virum Dei adducit. Quos cum vidisset, sciscitatur, Quid sibi vellent? Brunnichildis ait; *Regis sunt filii, tu eos benedictione robora.* At ille: *Nequaquam*, inquit, *istos regalia sceptra suscepturos scias; de lupanaribus emerserunt.* Illa furens paruulos abire iubet. Egrediens vir Dei Reginæ aula, dum liminem transiliret, fragor ex terrore incussit, nec tamen miseræ feminæ furorem conpescuit. Parat quidem inde insidias molire. Vicinis Monasterii per nuntios imperat, vt nulli eorum extra monasterii terminos iter pandatur, neq; receptacula Monachis eius vel quælibet subsidia tribuātur. Cernens B. Columbanus regios animos aduersum se permotos, ad eos properat, vt suis monitis miseræ pertinaciæ intentum frangat. Erant n. tunc tempore apud Spinsiam villam publicam. Quo cum iam Sole occūbente venisset, Regi nuntiant, virū Dei inibi esse, nec Regis † domus initare velle. Tunc Theudericus ait; *Melius esse virum Dei oportunis subsidiis honorare, quam Dominum ex seruorum eius offensa ad iram vndiq; prouocare.* Iubet ergo regio cultu oportuna præparare, Deiq; famulo dirigere. Itaque venerunt, & iuxta imperium Regis oblata offerunt. Qui cum vidisset dapes, & pocula cultū regio administrata, inquirit, *Quid sibi de istis vellent?* Dicunt illi; *Tibi a rege fuerunt directa.* Abhominatus ea ait; *scriptum est, Munera impiorum reprobat altissimus. Non enim † dignus est, vt famulorum Dei orationibus † is polleatur, qui non solum ad sua, verum etiam aliorum habitacula famulis Dei aditum deneget.* His dictis vascula omnia in frusta disrupta sunt, vinaque ac siceera solo defusa, cæteraque separatim dispersa. Pauefacti ministri rei gestæ causam † Regi nuntiant. Ille pauore perculsus cum auia diluculo ad virum Dei properant, precantur de commisso veniam, se in postmodum emendare pollicentur. His pacatus promissionibus, ad monasterium rediit. Sed † pollicitum vi Dæmonii iurandum non diu seruatur, violenter exercentur miseriarum incrementa, solitaque a Rege adulteria † patrantur. Quibus auditis B. Columbanus, literas ad eum verberibus plenas direxit, comminatusq; ie excommunicationem, si emendare dilatando non vellet. Ad hæc rursum permota Brunnichildis, Regis animum aduersus Columbanum excitat, omnique conatu perturbare intendit, orauitq; proceres aulicos, optimates omnes, vt Regis animum contra virum Dei perturbarēt. Episcoposq; sollicitare adgressa, vt de eius religione detrahendo, & statutū regulæ, quā sui custodiendā monachis indiderat, macularēt. Obtēperantes igitur aulici regii persuasionib. miseræ Reginæ, animum Regis contra virum Dei perturbant, cogentes vt accederet, ac religionem probaret. Adactus itaque Rex ad virum Dei Lussouium venit, conquestusq; cum eo, cur a cōprouincialibus morib. desciscerer, & inter septa secretiora omnib. Christianis aditū non pateret. Beatus itaq; Columbanus, vt erat audax atque animo vegens, talibus obiicienti Regi respondit; *Se consuetudinem non habere, vt sæcularium hominibus & religione alienis famulorum Dei habitationes pandant introitum: sed oportuna aptaq; loca ad hoc habere parata, quo omnium hospitum aduentus suscipiatur.* Ad hęc Rex, *Si*, inquit, *largitatis nostræ munera, & solaminis supplementum capere cupis, omnibus in locis omnium patebit introitus.* Vir Dei respondit; *si quod nunc vsq; sub regularis disciplinæ habenis † constrictum fuit, violare conaris, nec tuis muneribus, nec quibuscunque subsidiis me fore ad te sustentaturum. Et si hanc ob causam huc in loco venisti, vt seruorum Dei cœnobia destruas, & regularem disciplinam maculare, scito tuum regnum funditus ruiturum, & cum omni propagine regia demersurum.* Quod postea rei probauit euentus. Iam enim temerario conatu Rex refectorium ingressus fuerat: his ergo territus dictis † celer foris repedauit. Duris post hæc increpationibus Regem arguit. Contra quem Theudericus ait: *Martyrii coronam a me tibi illaturum speras ... non esse tantæ dementiæ, vt hoc tantum patrarem scelus: sed potioribus consiliis agere, & vtilia † patrabo, vt qui ab omnium sæcularium moribus † disiungeris, quo veneris, ea via repedare studeas.* Aulica simul consona voce vota prorumpunt, *Se habere in his locis non velle, qui omnibus non sociatur.* Ad hæc beatus Columbanus, Se, dicit, de cœnobii septis non egressurum, nisi violenter abstrahatur. Discessit ergo Rex, relinquens virum quendam † procerum nomine

al. domibus initare. (beside "domus initare")
al. dignum. (beside "dignus est")
al. eius polluantur. (beside "is polleatur")
f. casum. (beside "causam")
MS. polliciti vadimonii iurandum diu seruatur. (beside "pollicitum … seruatur")
al. perpetrantur. (beside "patrantur")
al. constrictū. (beside "constrictum")
al. celeriter. (beside "celer")
al. paraturum. (beside "patrabo")
al. recesserat. (beside the dagger before "disiungeris")
al. disiicitur. (beside "disiungeris")
al. procerum nomine Audalf. (beside "procerum nomine")

Baudulfum. Hic ergo cum remansisset, virum Dei à monasterio pellit, & pœnis Vesontionem oppidum ad exulandum perducit, quoadusq; ex eo regalis sentētia, quod voluisset, decerneret. Post hæc vir Dei cernens, quod nullis custodiis angeretur, a nulloq; molestiam ferret (videbant enim omnes in eo Dei virtutem flagrare, ideoq; omnes ab eius iniuriis segregabantur, ne socii culparum forent.) Ascendit ergo Dominica die in verticem ardui cacuminis montis illius. Ita enim situs vrbis habetur, cū domorum densitas in defuso latere procliui montis sita sit, †prorumpens ardua in sublimibus cacuminibus, qui vndique † ei abscisi fluminis Deniæ alueo vallante nullatenus commeantibus viam pandit. † Ibique vsque ad mediam diem expectat, si aliquis iter ad Monasterium reuertendi prohibeat. Et cum nullus contrarius existeret, ipse per mediam vrbem cum suis ad Monasterium regreditur. Quo audito Brunnichildis ac Theudericus, quod scil. ab exilio reuertisset, atrocioribus iræ aculeis stimulantur. Iubentes Bertharium comitem adtentius perquirendum virorum cum præsidio, simulque & Baudulfum, quem superius dixerat, destinarunt. Quo cum venissent, beatum Columbanum in ecclesia positum, psallentemq; ac orationi deditum cum omni congregatione fratrum repperiunt, sicque virum Dei adloquuntur; *Precamur vt tam regiis, quam etiam nostris obœdias præceptis, egressusque eo itinere, quo primum his aduentasti in locis....* At ille, *Non enim*, inquit, *reor placere conditori † semel natali solo ob Christi timorem relicto, denuo repedare.* Cumque nullatenus cerneret sibi virum Dei obaudire, relictis quibusdam Bertharius, quibus feroces animi inerant, abscessit. Hi vero, qui remanserant, virum Dei hortantur, vt illis misereatur, qui ad tale opus patrandum infeliciter fuerant relicti; eorumque periculo consuleret, qui si eum violenter non abstraherent, mortis eos periculum incurrere. At ille; *Se*, ait, *iam sæpius testatum esse, nisi vi abstraheretur, se non discessurum.* Illi gemino vallati periculo, vndique vrguente formidine palliū, quo indutus erat, adtingunt: alii genibus prouoluti cum lacrimis precantur, vt pro tāti sceleris culpa illis ignosceret, qui non suis desideriis, sed regis obtemperarent præceptis. Videns itaque vir Dei periculosum fore, si suæ veritati satisfaceret, cum omni eiulatu atque mærore egreditur, deputatis custodibus, qui quousque ditionis suæ regno pelleretur, non eum relinquerēt. Inter quos primus Raguinundus erat, qui eum Namethis vsque perduxit. Sicq; a regno Theuderici expulsus iterum Hiberniam Insulam repedare disposuit. Sed vt † nulli pænitus iter gradiendum sit † Pontificium, nisi permissu Altissimi. Ipse vero sanctus Italiam expetens Monasterium in loco nomine Bobio, illuc construens, sanctæ cōuersationis plenus dierum migrauit ad Christū.

al. prorūpere.
al. decli.
al. itaque.
al. simul.
al. nullum.
al. pontificit.

CAPVT XXXVII.

De iniuria Theuderici Regis, quam ex Alsatio habuit.

ANno XV. regni Theuderici cum Alesationes, vbi fuerat enutritus, præcepto patris sui Childeberti tenebat, à Theudeberto ritu barbaro peruaditur. Vnde placitum inter hos duos Reges, vt Francorum iudicio finiretur, in Saldissa † castro instituunt, ibique Theudericus cum Scotiris tantum X. millibus accessit: Theudebertus vero cum magnō exercitu Austrasiorum, inibi prælium vellens committendum, adgreditur. Quod cum vndiq; Theudericus timore perterritus, per pactionis vinculum Allatius ad partem Theudeberti firmauit, etiam Sugintensis, † & Turensis, & † Campanensis, quod sæpius repetebat, idemque amisisse visus est, regressi sunt vterque ad sedibus propriis. His diebus & Alamanni in pago Auenticensi Vltra-Iuranum hostiliter ingressi sunt, ipsumque pagum prædantes, Appellinus & Erpinus comites, cum cæteris de ipso pago Comitibus, cum exercitu pergunt obuiam Alamannis. vterque falangi Wangas iungunt ad prælium. Alamanni Trans-Iuranos superant, plurimos eorum gladio trucidant & prosternunt, maximam partem territorii Auenticensis incendio concremant, plurimorum nimium hominum multitudinem exinde in captiuitatem duxerunt, reuersique cum præda pergunt ad propria. Theudericus contra has

Aim. 3. c. 96.
hod. Seltz.
f Suitensis. i. Heluetior.
al. Campianensis.
al. Abbelenus.

hàs iniurias deinceps integra assiduitate consilium inibat, quo pacto Theudebertum potuisset opprimere.

Eo anno † Bilichildis à Theudeberto interficitur. Theudebertus puellam nomine Theudechildem accepit vxorē. Anno XVI. Theuderici, Theudericus legationem ad Chlotharium direxit, indicans se contra Theudebertum, eo quod frater esset suus, hostiliter velle adgredere, si Chlotharius in solatio Theudeberti nō esset. Ducatum Denzelini, quem contra Theudebertum cassauerat, si Theudericus Theudebertum superabat, Chlotharius supra memoratum Denzelini ducatum suæ dicioni reciperet. Hac conuenientia à Theuderico & Chlothario, legatis intercurrentibus, firmata, Theudericus mouet exercitum.

al. Belieldis.

CAPVT XXXVIII.

De pugna Theuderici cum Theudeberto, & Austria recepta.

ANno XVII. regni Theuderici Lingonas de vniuersis regni sui prouinciis, mense Maio, exercitus adunatur, dirigensque per † Andelaum Nasium † castrum cæptum, *Tullum* ciuitatem perrexit: ibiq; Theudebertus cum Austrasiorū exercitu obuiā pergens in Tullensi campania † confligunt certamine. Theudericus superat Theudebertū, eiusq; exercitum prostrauit. Cæsa sunt de exercitu eodem prœlio nimia multitudo virorum fortium. Theudebertus terga vertens per territorium Metense veniēs, transito Vuosago Coloniam fugaciter peruenit. Theudericus post tergum cum exercitu insequens, beatus & Apostolicus vir Leonisius Magancensis vrbis Episcopus, diligens vtilitatem Theuderici, & odiens stultitiam Theudeberti, ad Theudericum veniens dixit; *Quod cæpisti, perfice: satis te vtiliter oportet huius rei causam expetere.* Rustica fabula dicitur: Cum lupus ascendisset in montem, & filii sui iam venare cæpissent, eos in monte ad se vocat dicens; *Quam longe oculi vestri in vnam quemq; partem videre præualent, non habetis amicos, nisi paucos qui è vestro genere sunt. Perficite quod cæpistis.* Theudericus cum exercitu Ardennam transiens Tholbiacum peruenit. Theudebertus cum Saxonis, Thoringis, vel cæteris gentibus, quas de Vltra-Renum vel vndique potuerat adunare, contra Theudericum Tholbiacum perrexit; ibiq; denuo cōmissum est prœlium. Fertur a Francorum cæterisq; gentibus ab antiquitus sic forte nec aliquando fuisse prœlium conceptum: ibiq; tantæ strages ab vtroq; exercitu factæ sunt, vbi falanges ingressu certaminis contra se præliabant, cadauera vero occisorum vndiq; non haberent vbi inclines iacerent, sed starent mortui inter cæterorum cadauera stricti quasi viuentes. Sed Domino præcedente iterum Theudericus Theudebertum superat, & à Tholbiaco vsque Coloniam exercitus Theudeberti gladio trucidatur, per loca oram terræ cooperuit. Ipsoq; die Coloniam perrexit, omnesque thesauros Theudeberti inibi recepit. Dirigensq; Theudericus vltra Renum post tergum Theudeberti, Bertharium cubicularium, qui diligenter Theudebertum insequēs, cum iam cum paucis fugeret, Theudebertum captum Bertharius † Coloniam in conspectum Theuderici præsentat. Exibi tum vestes regales Theudebertus expoliatus, equusq; eius cum stratura regia, hoc totumq; Berthario à Theuderico conceditur. Theudebertus vinctus Cabillonum destinatur. Filius eius nomine Meroueus paruulus, iussu Theuderici adprehensus à quodam per pedem ad petram percutitur, cerebroq; eius capitis erupto amisit spiritum. Chlotharius ducatum Denzelini, secundum conuenientiam Theuderici, integrum suæ ditioni redegit. Ob quam rem Theudericus, cum iam totum Auster dominaret, nimia indignatione commotus contra Chlotharium exercitum mouet. Anno XVIII. regni sui de Austria & Burgundia mouere præcepit, legationem prius dirigens, vt se Chlotharius de iam dicto ducatu Denzelini omnimodis remoueret, alioquin nouerit se exercitu Theuderici vndique regnum Chlotharii impleturum. Quod verbum, quem legati nuntiant, probauit euentus.

al. Andelaū Nasio castro cæpto. f. capto.

hod. Nancy.

Champagne. i planicie.

Aim. 3. c. 98.

Fabella.

Hunc locum tangit Aim. 3. c. 98. sub finem.

al. Coloniæ.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

De obitu Theuderici.

An. 618. *Aim. 3. c. vl.* IPſo quoque anno iam exercitus contra Chlotharium adgrediebat. Theudericus Mettis profluuio ventris moritur. Exercitus protinus redit ad propriis ſedibus. Brūnichildis cum filiis Theuderici quattuor, Sigoberto, Childeberto, Corbo, & Merouco, Mettis reſedens, Sigobertum in regno patris inſtituere nitens.

CAPVT XL.

De Chlothario, quomodo in Auſter ingredi cæpit.

Aim. 4. c. 1. CHlotharius factione Arnulfi & Pipini vel cæterorum procerum Auſter ingreditur, cumque Captonnacum acceſſiſſet, & Brunnichildis cum filiis Theuderici Vuarmatiæ reſideret, Legatos his nominibus, Chadoindum & Herponem, ad Chlotharium direxit, conteſtans ei vt ſe de regno Theuderici, quod filiis reliquerat, remoueret. Chlotharius reſpondebat, & per ſuos legatos Brunnichildæ mandabat; *Iudicio Francorum electo, quicquid præcedente Domino à Francis in eodem iudicabatur, pollicetur ſeſe implere.* Brunnichildis Sigobertum filium Theuderici in Thoringiam direxit, apud quē Vuarmarium Maiorem domus & † Alboenum cum cæteris proceribus deſtinauit, gentesque vltra Rhenum adtrahere, qualiter Chlothario potuiſſent reſiſtere. Poſt tergum indiculum direxit, vt Alboenus cum cæteris Vuarnarium interficeret, eo quod ſe in regnum Chlotharii vellet transferre. Quem indiculum relectum, Alboenus diſruptum proiecit in terram. Inuentus eſt à puero Vuarnarii ſuper tabula cera linitus denuo ſolidatur. Quo indiculo relecto Vuarnarius cernens ſe vitæ periculum habere, deinceps cogitare cæpit, quo pacto filii Theuderici obpremerentur, & regnum Chlothario elegeret. Gentes quæ illic adtractæ ſunt conſilio ſecreto de ſolatio Brunnichildæ & filiorum Theuderici, procul abeſſe. Exinde regreſſi cum Brunnichilde & filiis Theuderici Burgundias adpetunt, miſſis per vniuerſam Auſter diſcurrentibus, exercitum mouere nitebantur.

al. Alboinū.

CAPVT XLI.

De conſilio inito ſuper perditione filii Theuderici.

BVrgundiæ Farones tam Epiſcopi, quam Leudes, timentes Brunnichildem, & odium in eam habentes, cum Vuarnario conſilium inientes tractabant, vt neque vnus ex filiis Theuderici euaderet, ſed eis totis obpreſſis Brunnichildem delerent, & regnum Chlothario expeterent. Quod probauit euentus. Cumque iuſſu Brunnichildæ & Sigoberti filii Theuderici exercitus de Burgundia & Auſter contra Chlotharium adgreditur.

CAPVT XLII.

Quod Chlotharius regnum Burgundiæ & Auſter recepit, & filium Theuderici occidit.

al Campaniam territorii Catalaunenſis. VEnienſque Sygobertus in † Campaniæ territorium Catalaunenſe ſuper fluuium Axonam, ibiq; Chlotharius obuiam cum exercitu venit, multos iam de Auſtraſiis ſecum habens factione Warnarii maioris domus. Sicut iam olim tractauerat, conſentientibus Aledeo patricio, Roccone, Sigoaldo, & Eudilane ducibus; cumque in congreſſu certaminis debuiſſent cum exercitu confligere, priuſquam præliare cæpiſſent,

sent, signa dantes, exercitus Sigoberti terga vertens redit ad propriis sedibus. Chlotharius paulatim, vt conuenerat, post tergum exercitum sequens vsq; Ararem, id est, Saogonnam fluuium peruenit. Captis filiis Theuderici tribus, Sigoberto, Corbo, & Merouco, quem ipse de fonte excepit. Childebertus fugaciter ascendens, neumquam postea fuit reuersus. Austrasiorum exercitus reuertit ad propriis sedibus. Factione Vuarnarii maioris domus, cũ reliquis maxime totis proceribus de regno Burgundiæ, Brunnichildis ab Erbone Comestabuli de pago Vltraiurano ex villa † Vrba, vna cum Theudelane germana Theuderici producitur, & Chlothario in Ronaua vico super Vincẽnam fluuium præsentatur. Sigobertus & Corbus, filii Theuderici, iussu Chlotharii interfecti sunt. Merouеus secretius iussu Chlotharii in Neptriam perducitur, eumdem amplectens amore, quod ipse de sancto accepit lauacro, & Ingobodi grafioni cõmendatur: vbi plures post annos vixit. Chlotharius, cum Brunnichildis in suo præsentaretur conspectu, & odium cõtra ipsam nimium haberet, reputans ei quod decem Reges Francorũ per ipsam interfecti fuissent, id est, Sigobertus, & Meroueus, & genitor suus Childericus, Theudebertus, & filius suus Chlotharius, item Meroueus filius Chlotharii, Theudericus, eiusdemq; filii tres, qui ad præsens extincti fuerant; per triduum eam diuersis tormentis adflictam, iubetque eam camelum per omnem exercitum sedentem perducere: Posthæc † comam capitis, vno pede & brachio ad vitiosissimi † equi caudam ligare, ibique calcibus velocitate cursus membratim disrumpitur. Warnarius in regno Burgundiæ substituitur maiordomus, sacramento à Chlothario accepto, *Ne umquam vitæ suæ temporibus degradaretur.* In Auster Rado idemque hunc gradum honoris adsumsit. Firmatum est omne regnum Francorum, sicut à priore Chlothario fuerat dominatum, cunctis thesauris ditioni Chlotharii subiectis. Quod feliciter post XV. annos tenuit, pacem habens cum vniuersis gentibus vicinis. Iste Chlotharius fuit patientiæ deditus, litteris eruditus, timens Deum, Ecclesiarum & sacerdotum magnus munerator, pauperibus elymosynam tribuens, benignum se omnibus & pietate plenum ostendens, venatione ferarum nimium assidue vtens, & postremum mulierum & puellarum suggestionibus nimium annuens; ob hoc quidem blasfematus à leudibus.

al. Orba. — *Brunnichildis funestus exitus. Aim. 4. c. 1.* — *al. coma.* — *f. ferocissimi.* — *Chlotharius II.*

CAPVT XLIII.

De internecione Erponis ducis.

CVm anno XXX. regni sui in Burgundia & Austria regnum arripuisset, Erponem ducem genere Francum, loco Theudelanis in pago Vltra Iurano instituit. Qui dum pacem in ipso pago vehementer arripuisset sectari, malorum nugacitatem premens, ab ipsis pagensibus, instigante parte aduersa, consilio Alethei Patricii & Leudemundi Episcopi & Erponis Comitis, per rebellionis audaciam Erpo Dux interficitur. Chlotharius cum in Alesatia, in villa Maurolegia † cognomento, cum Bertrude Regina accesserat, pacem insectans, multos inique agentes gladio trucidauit.

hod. Marley.

CAPVT XLIV.

De Leudemundo Episcopo, & Bertrude Regina.

LEudemundus quidem Episcopus Sedunensis ad Bertrudem Reginam veniens secretius, consilio Alethei patricii verba ignominiosa dixit, quod Chlotharius eodem anno omnimodis migraret de sæculo, vt thesauros, quantum potebat secretissime ad Sedunis suam ciuitatem transferret, eo quod esset locus tutissimus, & Aletheus esset Patricius, qui suam relinquens vxorem Bertrudem Reginam acciperet, eo quod esset regio genere de Burgundionibus, ipsa sub Chlothario posset regnum adsumere.

Regina Bertrudis cum hæc audisset, verens ne veritate subsisteret, lacrimas prorumpens abiit in cubiculum. Leudemundus cernens se huiuscemodi verbis habere periculum, fugaciter per noctem Sedunis perrexit. Exinde latenter fuga Lussouium ad † Domnum Austrasium Abbatem peruenit. Posthæc ab ipso Abbate cum Domno Clothario his culpis excusatur, & ad suam reuersus est ciuitatem. Clotharius in Massolaco villa cum proceribus residens, Aletheum ad se venire præcepit. huius consilium iniquissimum compertum est: gladio trucidare iussit. Anno XXXIV. regni Chlotharii Vuarnacharium maiorem domus cum vniuersis pontificibus Burgundiæ & faronibus in Bonogellum villam ad se venire præcepit, ibique cunctis illorum iustis petitionibus annuens, præceptionibus roborauit.

al. ad domū Austrasii abbatis.

CAPVT XLV.

De tributis Langobardorum cassatis.

Aim. 4. c. 7.

LAngobardorum gens quemadmodum tributa XII. mill. solidorum ditioni Francorum annis singulis dissoluebant, referam: vel quo ordine duas ciuitates, Augustam & Siusium cum territoriis ad partem Francorum cassauerant, non abscondam. Defuncto Cleopio summo principe, Duces Langobardorum XII. annis sine Regibus transierunt, ipsoque tempore, (sicut supra scriptum legitur) per loca in regno Francorum proruperunt. Ea præsumptione in compositione Augustam & Siusium ciuitates, cum integro illorum territorio & populo, partibus Gundhranni tradiderunt. Posthæc legationem ad Mauritium Imperatorem dirigunt hii XII. duces, singulique legatarios destinant, pacem & patrocinium Imperii petentes. Idemque & alios legatarios XII. ad Gundrannum & Childebertum destinant, vt patrocinium Francorum & defensionem habentes XII. mill. solidos annis singulis his duobus Regibus in tributa inplerent; vallem cognomento Ametegis partibus Gundranni cassantes, his legatis, vbi plus congruebat, patrocinium sibi firmarent. Post hæc integra deuotione patrocinium eligunt Francorum. Nec mora, post permissu Gundhranni & Childeberti tunc Chlotharium ducem super se Langobardi sublimant in regnum. Alius Autharius idemque dux cum integro suo ducatu se ditioni Imperii tradidit, ibique permansit. Et † Chlotharius Rex tributa, quæ Langobardi ad partem Francorum spondiderant, annis singulis reddidit. Post eius discessum filius eius Ago in regno sublimatur, similiter implesse dinoscitur. Anno XXXV. regni Clotharii legati tres nobiles ex genere Langobardorum, Agilulfus, Pompegius, & Gauto, ab Agone Rege ad Clotharium destinantur, petentes vt illa XII. mill. solidorum, quos annis singulis Francorum ærariis dissoluebant, debuisset cassare, exhibentes ingeniose secretius III. mill. solidos, quos Vuarnacharius mille, Gundelandus mille, & Chunus mille acceperunt. Clothario vero XXXV. solidorum insimul exhibebant, quos consilio suprascriptorum, qui occulte † xeniati fuerant, Chlotharius accepit, & ipsa tributa ad partem Langobardorum cassauit, & amicitiam perpetuam cum Langobardis sacramentis & pactis firmauit.

al. Autharius.

al. exeniati. i. donati.

CAPVT XLVI.

De morte Beretrudæ reginæ.

Aim. 4. c. 8.

ANno XXXVI. regni Clotharii Beretrudis Regina moritur, quam vnico amore dilexerat Clotharius, & omnes leudes bonitatem eius cernentes vehementer amauerunt.

CAPVT XLVII.

De initio regni Dagoberti.

Anno

ANno XXXVIII. regni Clotharii, Dagobertum filium suum consortem regni fecit, eumque super Austrasios Regem instituit, * retenens sibi quod Ardenna & Vuosagus versus Neuster & Burgundiam excludebant.

CAPVT XLVIII.

Aim. 4. c. 9.

De initio regni Samonis in Vuinidis.

ANno XL. regni Clotharii, homo nomine Samo, natione Francus, de pago † Senonago, plures secum negotiãtes † adduxit ad exercendum negotium, in Sclauos cognomento Vuinidos perrexit. Sclaui iam contra Auares cognomento Chunos & Regem eorum Gaganum cæperunt rebellare. Vuinidi † Bifulci Chunis fuerant iam ab antiquitus, vt cum Chuni in exercitu contra gentem quãlibet adgrediebant, Chuni pro castris † adunato illorum stabant exercitu. Vuinidi vero pugnabant, si ad vincendum præualebant; sin autem Vuinidi superabantur, Chunorum auxilio fulti vires resumebant. Ideo † Bifulci vocabantur à Chunis, eo quod duplicem in congressione certaminis... Chuni ad hiemandum annis singulis in Sclauos veniebant; vxores Sclauorum & filias corũ stratu sumebant; tributa super alias obpressiones Sclaui Chunis soluebant. Filii Chunorum, quos in vxoribus Vuinidorum & filiabus genuerũt, tandem non sufferentes malitiam ferre & obpressionem, Chunorum dominationem negantes, (vt supra memini) cæperãt rebellare. Cum in exercitu Vuinidi contra Chunos fuissent adgressi, Samo negotians, (quomodo memoraui superius) cum ipsis in exercitu perrexit, ibique ei fuit vtilitas de Chunis facta, vt mirum fuisset, & nimia multitudo ex eis gladio Vuinidorum trucidata fuisset. Vuinidi cernentes vtilitatem Samonis, eum super se elegunt Regem, vbi XXXV. annos regnauit feliciter. Plurima prælia contra Chunos in suo regimine Vuinidi inierunt, suo consilio & vtilitate Vuinidi semper superant. Samo XII. vxores ex genere Vuinidorum habebat, de quibus XXII. filios, & XV. filias habuit.

Sennonico. *adduxit exerc.* *al. Bifulci.* *al. adunatũ i. st. exercitum.* *al. Prefulci.*

CAPVT XLIX.

De Adoaldo Rege Langobardorum, & eius transitu.

IPsoque anno XL. Clotharii Adloaldus Rex Langobardorum, filius Agonis Regis, cum patri suo successit in regnum, legatum Mauritii Imperatoris nomine Eusebium ingeniose ad se venientem, benigne suscepit. † Inunctus in balneo nescio quibus vnguentis, ab ipso Eusebio persuadetur: & post inunctionem nequicquam aliud, nisi quod ab Eusebio hortabatur, facere non potebat. Persuasus ab ipso, vt primates nobiliores cunctos in regno Langobardorum interficere ordinaret, eisque extinctis se cum omni gente Langobardorum Imperio traderet. Quod cum iam vel XII. ex eis, nullis culpis extantibus, gladio trucidasset, reliqui cernentes eorum esse vitæ periculum, *

Aim. 4. c. 10. *al. Inunctis.*

CAPVT L.

De Charoaldo sublimato in regnum super Langobardos.

CHaroaldum ducem Taurinensem, qui germanam Adloaldi Regis habebat vxorem nomine Gundebergam, omnes Seniores & nobilissimi Langobardorum gentis, conspirante consilio in regnum elegunt sublimandum. Adloaldus Rex † veneno hausto interiit. Charoaldus statim regnum adripuit. Taso vnus ex Ducibus Lango-

al. veneno vnctus. al. venenum auctus.

f. Tuscana. bardorum cum ageret in Tuscana † prouincia, superbia elatus aduersus Charoaldum Regem cœperat rebellare.

CAPVT LI.

De Gundeberga Regina, eiusque iniuria & exilio.

GVndeberga Regina cum esset pulcra aspectu, benigna in cunctis, & pietate plenissima, Christiana, eleemosynis larga, præcellente bonitate eius diligebatur à cunctis. Homo quidam nomine Adalulfus, ex genere Langobardorum, cum in aula Palatii assidue ad obsequium Regis conuersaretur, quadam vice ad Reginam veniēs, cum in eius staret conspectu, Gundeberga Regina eum, sicut & cæteros, diligens dixit; *Honestæ staturæ Adalulfum fuisse formatum.* Ille hæc audiens ad Gundebergam secretius ait dicens; *Formam † staturæ meæ laudare dignasti: stratu tuo iube me subiungere.* (al. statum mei) Illa fortiter denegans, eumque despiciens in faciem expuit. Adalulfus cernens se vitæ periculum habere, ad Charoaldum Regem protinus cucurrit, petens vt secretius ad suggerendum haberet locum, vbi exponeret. Quo accepto dixit ad Regem; *Domina mea, Regina tua Gundeberga apud Tasonem ducem secretius tribus diebus locuta est, vt te veneno interficeret, ipsum coniugatum sublimaret in regnum.* Charoaldus Rex his mendaciis auditis, credens, Gundebergam in † Caumello castro in vnam turrim exilio trudit. (al. Camello.) Clotharius legatos dirigens ad Charoaldum Regem, inquirens qua de re Gundebergam Reginam, parentem Francorum, humiliasset? Charoaldus his verbis mendaciis, quasi veritate subsisterent, respondebat. Tunc vnus ex Legatariis nomine Ansoaldus, non quasi iniunctum habuisset, sed ex se ad Charoaldum dixit; *Liberare potebas de blasphemio causam hanc. Iube illum hominem, qui huiuscemodi verba tibi nuntiauit, armare; & procedat alius de parte Reginæ Gundebergæ, quique armatus ad singulare certamen, vt iudicio Dei his duobus confligentibus cognoscatur, vtrum huius culpæ reputationis Gundeberga sit innoxia, an fortasse culpabilis.* (al. primatis.) Cumque hoc Charoaldo Regi & omnibus † primatibus Palatii placuisset, iubet Adalulfum armatum conflictum adire certaminis; & de parte Gundebergæ, † procurantibus consobrinis Gundebergæ & Hariberto, homo nomine Pitto contra Adalulfum armatus adgreditur. (al. procurritibus. al. concurrentibus.) Cumque confl xissent certamine, Adalulfus à Pittone interficitur. Gundeberga statim de exilio post annos III. regressa sublimatur in regnum.

CAPVT LII.

De interitu Chrotoaldi.

(Aim. 4. c. 11.) ANno XLI. Clotharii Regis, cum Dagobertus iam vtiliter regnaret in Auster, quidam ex proceribus de gente nobili Ayglolfinga nomine † Chrodoaldus in offensam Dagoberti cadens, (al. Charoaldus.) instigantibus beatissimo viro atque Pontifice Arnulfo, & Pippino maiore domus, seu & cæteris † prioribus sublimatis in Auster, (al. primoribus.) eo quod esset ipse Chrodoaldus rebus plurimis ditatus, cæterarum facultatium cupiditate peruasor, superbiæ deditus, elatione plenus, nec quicquam boni in ipso repperiretur. Cumque Dagobertus ipsum iam vellet pro suis facinoribus interficere, Chrodoaldus ad Clotharium terga vertit, vt suam cum filio vitam obtinere dignaret. Clotharius cum Dagobertum vidisset, inter cæteras conlocutiones Chrodoaldi vitam precatur. Dagobertus promittens; *Si id quod male gesserat, emendaret, Chrodoaldus, vitæ periculum non haberet.* Sed nulla extante mora, cum Chrodoaldus cum Dagoberto Treuerus † accessisset, (al. reuersus.) iussu Dagoberti interfectus est; cui Bertharius homo Scarponensis euaginato gladio ad ostium cubiculi caput truncauit.

CAPVT LIII.

De Dagoberto, quod Reginam accepit, eiusque regnum augetur.

ANno XLII. regni Clotharii Dagobertus cultu regio & iussu Patris honeste cum leudibus † in Chlippiacum, non procul Parisius venit, ibiq; germanam Richildæ Reginæ nomine Gomadrudem in cõiugium accepit. Transactis nuptiis, die tertio inter Clotharium & filium suum Dagobertum grauis orta fuit intentio. Petensq; Dagobertus cuncta, quæ ad regnum Austrasiorum pertenebant, suæ ditioni velle recipere; quod Clotharius vehementer denegabat, eidem ex hoc nihil velle concedere. Electi sunt ab his duobus Regibus XII. Franci, vt eorum disceptatione hæc finiret intentio; inter quos & domnus † Arnulfus Pontifex Mettensis cum reliquis Episcopis elegitur, vt benignissime, (sicut sua erat sanctitas) inter patrem & filium pro pacis loqueretur concordia. Tandem à Pontificibus vel sapientissimis viris proceribus, pater pacificatur cum filio. Reddensque ei solidatum, quod aspiciebat ad regnum Austrasiorum, hoc tantum exinde, quod citra Ligerem vel Prouinciæ partes situm erat, suæ ditioni retenuit.

Aim. 4. c. 1. al. Neghppia gom. al. Carnulf. al. Charnulfus.

CAPVT LIV.

De obitu Vuarnarii Maioris domus, & interitu filii sui Godini.

ANno XLIII. regni Clotharii Vuarnarius Maiordomus moritur. Filius eius Gotinus animum leuitate inbutus, nouercam suã Bertanem eo anno accepit vxorẽ. Vnde Clotharius Rex aduersus eum nimio furore permotus, iubet Arneberto duci, qui Godini germanam vxorem habebat, eum cum exercitu interficeret. Gotinus cernens suæ vitæ habere periculum, terga vertens cum vxore ad Dagobertum Regem perexit in Auster, & in Ecclesia S. Apri regio timore perterritus fecit confugium. Dagobertus per legatos pro eius vita sæpe Clothario regi deprecabat. Tandem à Clothario promittitur Godino vita concessa, tamen vt Bertanem, quam contra Canonum instituta vxorem acceperat, relinqueret. Quod cum ipsam reliquisset, reuersus est in regnum Burgundiæ. Berta continuo ad Clotharium perrexit, dicens; *Si Godinus conspectui Clotharii præsentaretur, ipsum Regem vellet interficere.* Gotinus iussu Clotharii per præcipua loca sanctorum domni Medardi Suessionis, & domni Dionysii Parisius, ea præuentione sacramenta daturus adducitur, vt semper Clothario deberet esse fidelis, vt congrue locus esset repertus, quo pacto cum suis interficeretur. Chramnulfus vnus ex proceribus, & Vualdebertus domesticus dicentes ad Godinum, vt Aurelianis in Ecclesia S. Aniani, & Toronis ad limina S. Martini, ipsaq; sacramenta adhuc impleturus adiret. Quod cum in suburbano Carnotis Chramnulfo † indicante & transmittente, hora prandii in quamdam villulam venisset, ibiq; Chramnulfus & Vualdebertus super ipsum cum exercitu inruunt, cumque interficiunt, & eos qui cum ipso adhuc restiterant, quosdam interficiunt, aliosque expoliatos in fugam vertentes relinquunt.

Aim. 4. c. 14. al. iudicante.

Eo anno Palladius eiusq; filius Seducus episcopus Tollosani, incusante Aighonane duce, quod rebellionis † Vuasconorum fuissent conscii, exilio retruduntur. Boso filius Audeleni de pago Stampensi, iussu Clotharii ab Arneberto duce interficitur, reputans ei stuprum cum Regina Sichilde. Eo anno Clotharius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecassinis coniungitur, cum eorum esset sollicitus, si vellent iam Vuarnario discesso alium in eius honoris gradum sublimare. Sed omnes vnianimiter denegantes, nequaquam se velle Maioremdomus elegere Regis † gratia, obnixe petentes cum Rege transagere.

al. Vuasconũ. al. gratiam.

CAPVT LV.

De intentione inter Charibertum & Agynanem.

Aim. 4. c. 15 — *Agniano. Aimon.* — *al. præsentia.* — *al. Mercuri.* — *al. diuertere.*

ANno XLIV. regni Clotharii, cum Pontifices & vniuersi proceres regni sui tam de Neuster quam de Burgundia Clippiaci ad Clotharium pro vtilitate regia & salute patriæ coniunxissent, ibique homo nomine Ermenarius, qui Gubernator palatii Gariberti filii Clotharii erat à pueris, ab Æghinane † genere Saxonorum optimate interficitur. Pene fuerunt exinde nimiæ multorum strages, nisi pænitentia † Clotharii interueniente simul & occurrente fuisset depressum. Æghyna in monte Mercomiro, † iubente Clothario, resedit, plurium secum habens multitudinem pugnatorum. Produlfus auunculus Chariberti exercitum vndique colligens, super ipsum cum Chariberto volebat inruere. Clotharius ad Burgundiæ farones specialius iubet, vt cuius pars suum volebat † deuertere iudicium, eorum instantia & vtilitate obpremeretur. Ea pactione vterque iussione regia pacantur.

CAPVT LVI.

De obitu Clotharii, & quod regnum eius Dagobertus adsumpsit.

Aim. 4. c. 16 — *al. in exercitu.* — *al. suggestiones peraccedens. al. suggestio peracced.* — *Pal. Suessionis peracced.* — *al. Rudulfus vel Hradulfus.*

ANno XLV. regni sui Clotharius moritur, & in suburbano Parisius in Ecclesia sancti Vincentii sepelitur. Dagobertus cernens genitorem suum fuisse defunctum, vniuersis leudibus, quos regebat in Auster, iubet † exercitum promouere. Missos in Burgundiam & Auster direxit, vt suum deberent regimen elegere. Cumque Remus venisset, † per suggestiones accedens, omnes Pontifices & leudi de regno Burgũdiæ inibi se tradidisse noscuntur. Sed & Neaustrasiæ pontificum & procerum plurima pars regnum Dagoberti visi sunt expetisse. Garibertus frater suus nitebatur, si potuisset regnum adsumere: sed eius voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. † Brodulfus vellens nepotem stabilire in regnum, aduersus Dagobertum muscipulare cœperat. Sed huius rei vicissitudinem probauit euentus.

CAPVT LVII.

De regno Chariberti filii Clotharii.

l. Neustria, ita sæpe infra quod mutare nolui. — *Aim. 4. c. 17* — *al. Equitanica.*

CVmque regnum Clotharii tam † Neptrici quam Burgundiæ à Dagoberto fuisset præoccupatum, captis thesauris & suæ ditioni redactis; tandem misericordia motus, consilio sapientum vsus, citra Ligerem & limitem Spaniæ, qui ponitur partibus Vuasconiæ, seu & montes Pireneos, pagos & ciuitates fratri suo Chariberto ad transagendum, quod ad instar priuato habitu ei viuendum potuisset sufficere, concessit: pagum Tholosanum, Cathurcinum, Agenensem, Petrocoreum, & Santonicum, vel quod ab his versus montes Pyreneos excluditur, hoc tantum Hariberto regendum concessit, quod & per pactionis vinculum strinxit, vt amplius Haribertus nullo tempore aduersus Dagobertum de regno patris repetere præsumeret. Haribertus sedem Tholosanam elegens, regnat in parte prouinciæ † Aquitanicæ. Post annum tertium cum regnare cœpisset, totam Vuasconiam cum exercitu superans suæ ditioni redegit, aliquantulumque largiorem fecit regni sui spatium.

CAPVT

CAPVT LVIII.

De introitu Dagoberti in Burgundiam, & bonitate eius.

DAGOBERTVS cum iam anno sexto regnaret, maximam partem regni patris, (vt supra memini) Burgundias ingreditur. Tanto timore pontifices & proceres in regno Burgundiæ consistentes, seu & ceteros leudes aduentus Dagoberti concusserat, vt à cunctis esset mirandus: pauperibus iusticiam habentibus gaudium vehementer inrogauerat. Cumque Lingonas ciuitatem venisset, tantam in vniuersis leudibus suis tam sublimis quam pauperibus iudicabat iustitiam, vt crederetur omnino fuisse Deo placibile, vbi nullum intercedebat præmium, nec personarum acceptio, nisi sola dominabatur iusticia, quam diligit Altissimus. Deinde adgressus Diuionam, imoque & Latonę † residens aliquantis diebus, tantam intentionem ad vniuersum regni sui populum iustitia iudicandum posuerat. [*Laudun.*] Huius benignitatis desiderio plenus nec somnũ capiebat oculis, nec cibo satiebatur, intentissime cogitans vt omnes cum iustitia recepta de conspectu suo læti remearent. Eodem die, quo Latona ad Cabillonum delibe-rarat properare, priusquam lucesceret balneum ingrediens, † Brudulfum auunculum [*al. Rudulfum.*] fratris Ariberti interficere iussit, qui ab Amalgario & Arneberto ducibus, & Wellibaldo patricio interfectus est. Cumq; Cabillonum iustitiæ amore, quam cœperat, perficiendæ Dagobertus intentione dirigit: Post per Augustidunum, Authesiodarum pergens, per ciuitatem Senonas Parisius venit, ibiq; Gomadrudem Reginam in Romiliaco villa, vbi ipsam in matrimonium acceperat, relinquens, Nantildem vnam ex puellis de monasterio in matrimonium accipiens, Reginam sublimauit. Vsq; eodem tempore ab initio, quo regnare cœperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi Mettensis vrbis pontificis, & Pippini Maiorisdomus vsus, tanta prosperitate regale regimen in Auster regebat, vt à cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet, timorem vero † sic [*al. tam.*] fortem sua concusserat vtilitas, vt iam deuotione arriperent suæ se tradere ditioni, vt etiam gentes, quæ circa limitem Auarorum & Sclauorum consistebant, eum promte expeterent, vt ille post tergum eorum iret feliciter, & Auaros & Sclauos, ceterasq; gentium nationes, vsq; manu publica †, suæ ditioni subiciendum fiducialiter spondebat. [*i. Romanus.*] Post discessum beati Arnulfi, adhuc consilium Pippini Maiorisdomus, & Huniberti pontificis vrbis Coloniæ vtens, & ab ipso fortiter admonitus, tanta prosperitate & iustitiæ amore conplexus vniuersas sibi subditas gentes, vsque dum ad Parisius (vt supra memini) peruenit, regebat, vt nullus de Francorum Regibus præcedentibus sua laude fuisset præcellentior.

CAPVT LIX.

De natiuitate Sygoberti, filii Dagoberti.

ANNO † VII. regni sui, cum Auster regio cultu circuiret, quamdam puellam no- [*al. VIII.*] mine Ragnetrudem, stratui suo adsciuit: de qua eo anno habuit filium nomine [*Aim. 4. c. 10.*] Sygobertum.

CAPVT LX.

De mutatione Dagoberti, & Suasione malicia Neustrasiorum.

REuertens in Neustriam, sedem patris sui Clotharii diligens, assidue residere disposuit, cum omnis iustitiæ, quam prius dilexerat fuisset oblitus; cupiditatis instinctu super rebus Ecclesiarum & leudium sagaci desiderio vellet omnibus vndique spoliis nouos implere thesauros. Luxuriæ super modum deditus. Nam tres habebat maxime ad instar Reginas, & plurimas concubinas. Reginæ vero hæ fuerunt;

Nanthildis, Vulfgundis, & Berchildis. Nomina concubinarum, eo quod plures fuissent, increuit † huic Chronicæ inseri. Quod cum auersum fuisset plures cor eius (sicut supra meminimus) & à Deo cogitatio eius recessisset, tamen postea, atque vtinam illi ad mercedem veram lucri fuisset...... Nam & eleemosynam pauperibus supra modum largiter erogabat. Si huius rei sagacitatem cupiditatis instinctus non præpedisset, regnum meruisset æternum.

i piguit.

CAPVT LXI.

De bonitate & continentia Pippini.

CVm leudes sui eiusque nequiciæ gemerent; hoc cernens Pippinus, cum esset cautior cunctis, & consiliosus, plenissimus fide, ab omnibus dilectus pro iusticiæ amore, quam Dagoberto consilio instruxerat, dum suo vsus fuerat consilio: sibi tamen necquicquam oblitus iustitiam, neque recedens à via bonitatis. Cum ad Dagobertum accederet, prudenter agebat in cunctis, & cautum se in omnibus ostendebat. Zelus Austrasiorum aduersus eumdem vehementer suggerebat, vt etiam ipsum conarent cum Dagoberto facere odiosum, vt potius interficeretur. Sed iusticiæ amor & Dei timor, quem diligenter amplexerat, ipsum liberauit à malis. Ipse vero eo anno cum Sygoberto filio Dagoberti ad Haribertum Regem accessit.

CAPVT LXII.

De Chariberto Rege, cum Sygobertum nepotem suum excipit.

al. ad insidias.

CHARIBERTVS Aurelianis veniens Sygobertum de sancto lauacro excepit. Æga vero à ceteris Neustrasiis consilio Dagoberti erat † assiduus. Eo anno legati Dagoberti, quos ad Heraclium Imperatorem direxerat, reuertuntur, nunciantes pacem perpetuam cum Heraclio firmasse. Acta vero miraculi, quæ ab Heraclio facta sunt, non prætermittam.

CAPVT LXIII.

De imperio Heraclii.

al. arreptus.

HERACLIVS cum esset Patricius super vniuersas Africæ prouincias, & Focas, qui tyrannico ordine Mauritium Imperatorem interfecerat, imperium † adeptus nequissime regeret, & modo amentiæ thesauros in mare proiecerat, dicens, Quod *Neptuno daret munera*; Senatores cernentes, quod vellet Imperium per stulticiam destruere, factione Heraclii Focatem adprehensum senatus, manibus & pedibus truncatis lapide ad collum ligato in mare proiiciunt. Heraclius consensu Senátus imperio sublimatur, cum infestatione Persarum imperium à temporibus Mauricii & Focatis Imperatorum multæ prouinciæ fuissent vastatæ.

CAPVT LXIV.

De victoria Heraclii super Persas.

Aim.4.c.21.

MOre solito denuo contra Heraclium Imperatorem Persarum Rex cum exercitu surgens, Calcidona ciuitatem nec procul à Constantinopoli vastantes Persi prouinciæ Reipub. peruenissent, eamque rumpentes incendio concremauerunt. Post hæc Constantinopolim sedem Imperii propinquantes destruere conabantur. Egrediens

diens cum exercitu Heraclius obuiam, legatis discurrentibus, Heraclius Imperatorem Persarum petiit nomine Construem †, vt hii duo Imperatores singulare † certamen coniungerent, suspensa procul vtriusque exercitus multitudine. Cuius victoria præstabatur ab Altissimo, imperium huius, qui vincebatur, & populum inlæsum reciperet. Imperator Persarum huius conuenientiæ se egressurum ad prœlium singulari certamine spondidit. Heraclius Imperator arma sumens, telam prœlii & falangem à suis post tergum præparatam relinquens, singulari certamine, vt nouus Dauid, procedit ad bellum. Imperator Persarum Construes patricium quendam ex suis, quem fortissimum in prœlio cernere potuerat, huius conuenientiæ ad instar pro se contra Heraclium prœliandum direxit. Cumque vterque cum † equis hii duo congressione prœlii in inuicem propinquarent, Heraclius ait ad Patricium, quem Imperatorem Persarum Construem æstimabat, dicens; *Sic conuenerat, vt singulari certamine † prœliando debuissemus confligere: Quare post tergum tuum alii sequuntur?* Patricius ille gyrans caput conspicere, qui post tergum eius veniret, Heraclius equum calcaneo vehementer vrguens, extrahens vxum, † caput Patricii Persarum truncauit. Construes Imperator cum Persis deuictus & confusus, terga vertens à suis propriis tyrannico ordine † ipse interficitur. Persi terga vertentes, ad sedibus remeant propriis. Heraclius euectu nauali cum exercitu Persas ingreditur, totamque Persidam suæ ditioni redegit, captis exinde multis thesauris, & † VII. Arnitis tribus annis circiter, Persida vastata eius dictioni subicitur. Posthæc denuo Persas Imperator superat.

Cosdroen. al. certamine coniungerentur. al. equitibus. al. prœliandum. ita in MS. al. Cosdroes. al. Aeltiis. Pal. & IV. Aeltiarnitis.

CAPVT LXV.

De pulchritudine & vtilitate Heraclii.

HERACLIVS Imperator erat speciosus conspectu, pulcra facie, † status forma dignæ mensuræ, fortissimus cæteris, pugnator egregius. nam & sæpe Leones in arenis, & inermis plures singulus interfecit. Cum esset literis nimie eruditus, Astrologus efficitur, per quod cernens à circumcisis gentibus Diuino nutu imperium esse vastandum, ad Dagobertum Regem Francorum dirigens, petens vt omnes Iudæos regni sui ad fidem Catholicam baptizandum præciperet. Quod protinus Dagobertus impleuit. Heraclius per omnes prouincias Imperii taliter idemque facere decreuit. Ignorabat vnde hæc calamitas contra Imperium surgeret.

Aim. 4. c. 23. i. statura iusta longitudine.

CAPVT LXVI.

De initio infestationis Sarracenorum contra Imperium.

AGARENI, qui & Saraceni, (sicut Orosii liber testatur) gens circumcisa, à latere montis Caucasi super mare † Caspium terram Hercolei † cognomento iam olim concesserat, in nimia multitudine creuissent, tandem arma sumentes prouincias Heraclii Imperatoris vastandum inruunt. Contra quos Heraclius milites ad resistendum direxit. Cumque prœliare cœpissent, Saraceni milites superant, eosque gladio grauiter trucidant. Fertur in eo prœlio C L. millia militum à Saracenis fuisse interfecta. Spolia eorum Saraceni per legatos Heraclio recipiendum offerunt. Heraclius cupiens super Saracenos vindictam, nihil ab his recipere voluit. Congregatis vndique vniuersis prouinciis Imperii, nimiam multitudinem militum tranmittens Heraclius, legationem ad portas † Caspias, quas Alexander magnus Macedo super mare Caspium æreas fieri & serrare iusserat, propter inundationem gentium sæuissimarum, quæ vltra montem Caucasi culminis habitabant; easdem portas Heraclius aperire præcepit, indeque C L. millia pugnatorum, auroque locatos, † in auxilium suum contra Saracenos prœliandum mittit. Saraceni duos habentes principes, CC. fere millia erãt. Cũq; castra nec procul inter se exercitus vterq; posuissent, Ita vt crastino bellum inirent, confligentes eadẽ nocte gladio Dei Heraclii exercitus percutitur:

al. Asficum. al. Ercolia. al. Cispium. i. stipendiarios.

in castris.LV. millia ex militibus Heraclii in stratu mortui sunt. Cumque in crastino ad prœlium debuissent adgredere, cernentes eorum exercitum milites partem maximam Diuino iudicio interfectum, aduersus Saracenos nec ausi sunt inire prœlium. Regressus omnis exercitus Heraclii ad propriis sedibus. Saraceni more, quo cœperant, prouincias Heraclii Imperatoris assidue vastandum pergebant. Cum iam Hierusolimā propinquassent, Heraclius videns quod eorum violentiam non potuisset resistere, nimiæ amaritudinis mœrore adreptus Eutychinam hæresin iam sectans, Christi cultum relinquens, habens vxorem filiam sororis suæ, à febre vexatus crudeliter vitam finiuit. Cui successit in imperii gradum Constantinus filius eius, cuius tempore pars publica † à Saracenis nimium vastatur. 1

i. respub. Rom.

CAPVT LXVII.

De obitu Chariberti, & filii sui, & quod regnum eius Dagobertus ambiuit.

Aim. 4. c. 23

ANNO VIII. Dagoberti, Haribertus Rex moritur, relinquens filium paruulum nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est. Fertur factione Dagoberti fuisse interfectus. Omne regnum Hariberti vna cum Wasconia Dagobertus protinus suæ dictioni redegit. 2 Thesauros quoque Hariberti Barontum ducem adducendum & sibi præsentandum direxit. Vnde Barontus graue dispendium fecisse dinoscitur, vna cum thesaurariis faciens, nimium exinde fraudulenter subtraxit.

CAPVT LXVIII.

De initio scandali, & stragis Francorum.

EO anno Sclaui cognomento Winidi in regno Samonis, negotiantes Francorum cum plurima multitudine interfecissent, & rebus expoliassent: hoc fuit initium 3 scandali inter Dagobertum & Samonem Regem Sclauorum. Dirigens quemdam Dagobertus Sicharium legatarium ad Samonem petens, vt negotiantes, quos sui interfecerant, aut res inlicite vsurpauerant, cū iustitia faceret emendare: Samon nolens Sicharium videre, nec ad se eum venire permitteret; Sicharius vestem indutus ad instar Sclauorū cū suis ad conspectum peruenit Samonis, vniuersa quæ iniuncta habuerat, eidem nunciauit. Sed vt habet gentilitas & superbia prauorum, nihil à Samone, quæ sui admiserant, est emendatum, nisi tantum placita vellens instruere, vt de his & aliis intentionibus, quæ inter partes ortæ fuerant, iustitia redderetur in inuicem. Sycharius sicut stultus legatus, verba improperii, quas iniuncta non habuerat, & minas aduersus Samonem loquitur, eo quod Samo & populi regni sui Dagoberto deberent 4 seruire. Samo respondens iam saucius dixit; *Et terram, quam habemus, Dagoberti est; & nos sui sumus, si tamen nobiscum disposuerit amicitias conseruare.* Sicharius dixit; *Non est possibile, vt Christiani & Dei serui cum canibus amicitias conlocare possent.* Samo è contrario dixit; *si vos estis Dei serui, & nos sumus Dei canes, dum vos assidue contra ipsum agitis, nos permissum accepimus vos morsibus lacerare.* Eiectus est Sicharius de conspectu Samonis. Cum hæc Dagoberto nunciasset, Dagobertus superbiter iubet de vniuerso regno Austrasiorum contra Samonem & Winidos mouere exercitum. Vbi tribus turmis falangæ super Winidos exercitus ingreditur: etiam & Langobardi solutione † Dagoberti idemque hostiliter in Sclauos perrexerunt. Sclaui his & aliis locis è contrario † præparantes, Alamannorum exercitus cum Chrodeberto duce in parte, quam ingressus est, victoriam 5 obtenuit. Langobardi idemque victoriam obtenuerunt, & plurimum numerum captiuorum de Sclauis Alamanni & Langobardi secum duxerunt. Austrasii vero cum ad castrum †. Vogastense, vbi plurima manus fortium Winidorum immorauerat, circumdantes triduo prœliantes, plures idemque de exercitu Dagoberti gladio trucidantur, & exinde fugaciter omnes tentoria & res, quas habuerunt, relinquentes, ad propriis

leg. sollicitatione. al. reparantes.

al. Vocatensem. Pal. Vocastinsem.

propriis sedibus reuertuntur. Multis posthæc vicibus Winidi in Thoringiam, & reliquos vastandum pagos in Francorum regnum inruunt: etiam & Deruanus Dux gentes vrbium, quæ ex genere Sclauorum † erant, & ad regnum Francorum iam olim aspexerant, se & regnum Samoni cum suis tradidit. Istamque victoriam, quam Winidi contra Francos meruerunt, non tantum Sclauinorum fortitudo obtenuit, quantum dementia Austrasiorum, dum se cernebant cum Dagoberto odium incurrisse, & assidue expoliarentur. *Pal. Sclauinorum.*

CAPVT LXIX.

De Charoaldo Rege Langobardorum, quod Tasionem interfecit, & ipse Rex moritur.

EO anno Charoaldus Rex Langobardorum legatos ad Hisacium Patricium secretius mittens, rogans vt Tasonem Ducem prouinciæ Thoscanæ, quo potebat ingenio, interficeret. Huius beneficii vicissitudine tributa, quæ Langobardi de manu publica † recipiebant, tria centenaria auri annis singulis, vnde vnum centenariũ auri Charoaldus Rex partibus Imperii de præsente cassaret. † Hisacius Patricius hoc audiens, tractabat quibus ingeniis potuisset implere. Thasonem ingeniose mandans, dum in offensa Charoaldi erat, cum ipso amicitias oblegaret: ipse vero contra Charoaldum Regem ei auxiliaretur. Tali præuentus est fraude: Rauennam pergit. Hysacius ei obuiam mandans, præ timore Imperatoris Thasonem cum suis infra muros Rauennæ vrbis armatum non audebat recipere. Cumque Taso credens, arma suorum foris vrbem relinquens, in Rauennam fuisset ingressus; statim qui fuerant præparati, super Tasonem inruunt, & ipsum & suos totos, qui cum eo venerant, interficiunt. Charoaldus Rex vnum centenarium auri, sicut promiserat, partibus Hysacii & imperii cassauit; dua tantũ cẽtenaria deinceps à parte Langobardorum à patricio Romanorum annis singulis implentur. Vnus centenarius centum libras auri capit. Post hæc continuo Charoaldus Rex moritur. *i. Imperio Rom.* *i. remitteret.*

CAPVT LXX.

De Chrothario Rege Langobardorum sublimato.

GVNDEBERGA Regina, eo quod omnes Langobardi ei fidem cum sacramentis firmauerant, Chrodharium quemdam, vnum ex Ducibus, de territorio † Brissia ad se venire præcepit, eum compellens ut vxorem, quam habebat, relinqueret & eam in matrimonium acciperet, per ipsam omnes Langobardi eum sublimarent in regnum. Quod Chrotharius libenter consentiẽs, sacramentis per loca sanctorum firmans, ne vmquam Gundebergam postponeret, nec de honore gradus aliquid minuaret, ipsamque vnico amore diligens in omnibus honorem præstaret condigne. Gundeberga attrahente omnes Langobardorum primates Chrotharium sublimant in regnum. Chrotharius cum regnare cœpisset, multos nobilium Langobardorum, quos sibi senserat contumaces, interfecit. Chrotharius fortissimam disciplinam & timorem in omni regno Langobardorum, pacem sectans fecit. Chrotharius oblitus sacramenta, quæ Gundebergæ dederat, eamque in vnum cubiculum Ticini in aula palatii retrudit, eamque ad priuatum habitum viuere fecit. Quintus annus sub ea retrusione finitur. Chrotharius per concubinas bacchatur assidue. Gundeberga vero, eo quod esset Christiana, in hac tribulatione benedicebat Deum omnipotentem, ieiuniis & orationibus assidue peruacabat. *al. Breffia.*

CAPVT LXXI.

De Aubedone in legationem ad Chlotharium in Italia adgresso.

QVando Deo complacuit, Aubedo legatarius directus à Clodoueo Rege causa legationis ad Rotharium Regem Langobardorum, vsque Papiam cognomento Ticinum ciuitatem Italiæ peruenisset, cernens Reginam, quam sæpius in legatione veniens viderat, & ab ipsa benigne semper susceptus fuerat, fuisse retrusam, quasi iniunctum habens exinde inter cætera Crothario Regi suggessit, quod illam parentem Francorum, quam Reginam habuerat, per quam etiam regnum adsumserat, non debuisset humiliare; multum exinde Reges Francorum & Franci essent ingrati. Quam Chrotharius de præsente reuerentiam Francorum habens, iubet egredi foras: & post V. circiter annos per totam ciuitatem & foris Gundeberga regali ordine per loca Sanctorum ad orationem † adgreditur. de villis & opibus fisci, quas habuerat Chrotharius, ei restaurare pręcepit, quod vsque diem obitus sui & gradu dignitatis & opibus pluribus ditata regio cultu post feliciter tenuit. Aubedo vero à Gundeberga Regina fortiter remuneratur. Chrotharius cum exercitu Genauam maritimam, Albinganum, † Varicottim, Saunam, Vbitergium, & Lunam ciuitates in litore maris de Imperio aufferens vastat, rumpit incendio concremans, populo deripit spolia & captiuitate condemnat, muros ciuitatibus subscriptis vsque ad fundamentum destruens Vicos has ciuitates nominare præcepit.

al. egreditur. *al. Varicotti, Saunam.* *Vicus, oppidum sine muris.*

CAPVT LXXII.

De Chunis in Baioaria quare sint interfecti.

Aim. 4. c. 14 Pannonia.

EO anno in Auarorum cognomento Chunorum regno in † Spania surrexit vehemens intentio, eo quod de regno certarent, cui deberetur ad succedendum. Vnus ex Acaris, & alius ex Bulgaris, collecta multitudine vterque in inuicem impugnarunt. Tandem Auari Bulgaros superant. Bulgaris superatis, VIII. millia virorum cum vxoribus & liberis de Pannonia expulsi ad Dagobertum expetunt, petentes vt eos in terra Francorum manendum reciperet. Dagobertus iubet eos hiemandum † Baiouarios recipere, dum modo pertractabat cum Francis, quid exinde fieret. Cumque dispersi per domos † Baioiariorum ad hiemandum fuissent, consilio Francorum Dagobertus Baioiarios iubet, vt Bulgaros illos cum vxoribus & liberis vnusquisque in domo sua in vna nocte Baioiarii interficerent. Quod protinus à Baioiariis est impletum: nec quisquam ex illis remansit Bulgaris, nisi tantum Altiaus † cum DCC. viris, & vxores cum liberis, qui in marca Winidorum † saluatus est. Post hæc cum † Wallaco duce Winidorum annis plurimis vixit cum suis.

al. Baldouarios. *al. Bagariorum.* *al. Bacariorum.* *Pal. Altiecaus.* *hod. Windischemarck* *al. Walloco.*

CAPVT LXXIII.

De Sisenando per solatium Dagoberti erecto in regnum Spaniæ.

Aim. 4. c. 15 *Pal. Sintila*

EO anno quod partibus Spaniæ, vel eorum Regibus contigerit, non prætermittam. Defuncto Sisceboto Rege clementissimo, cui Senzila † ante annum circiter successerat in regnum: cum esset Senzila nimium in suis iniquus, & cum omnibus regni sui primatibus odium incurreret, cum consilio cęterorum Sisenandus quidam ex proceribus ad Dagobertum expetiit, vt ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Senzilanem degradaret à regno. Huius beneficii repensionem † missorium aureum nobilissimum ex thesauris Gothorum, quem Thorsemodus Rex ab Aetio Patricio susceperat, Dagoberto dare promisit, pensantem auri pondus quingentos. Quo audito Dagobertus, vt erat cupidus, exercitum in auxilium Sisenandi totum regnum Burgundiæ bannire † præcepit. Cumque in Spania deuulgatum fuisset, exercitum Francorum auxiliando Sisenando adgredere, omnis Gothorum exercitus se ditioni Sisenandi subegit. Habundantius & Venerandus cum exercitu Tholosano tantum vsque Cæsaraugustam ciuitatem cum Sisenando accesserunt, ibique omnes Gothi de regno Spaniæ Sisenandum

i. patinam, concham. Gl. vet. Græci scribunt. ματοινειον. *i. conuocare, cogere.*

nandum sublimant in regnum. Habundantius & Venerandus cum exercitu Tholosano muneribus honorati, reuerterunt ad proprias sedes. Dagobertus ad Sisenandum legationem dirigens, vt missorium illum, quem promiserat, eidem dirigeret. Cumque à Sisenando Rege missorius ille legatariis fuisset traditus, à Gothis per viam tollitur, nec eum exinde † exhibere permiserunt. *al. abstrahere.* Postea discurrentes legati CC. millia solidorum pro missorii huius pretio Dagobertus à Sisenando accipiens, ipsumque pensauit.

CAPVT LXXIV.

Quomodo Dagobertus Magontiacum cum exercitu, contra Vuinidos ambulando, accessit.

ANno X. regni Dagoberti, cum ei nuntiatum fuisset, exercitum Vuinidorum Thoringam fuisse ingressum, *Aim. 4. c. 26* cum exercitu de regno Austrasiorum de Mettis vrbe promouens, transita Ardenna Maganciam magno cum exercitu adgreditur, disponens regnum transire, scaram de electis viris & fortibus de Neauster & Burgundia, cum Ducibus & grafionibus secum habens. Saxones missos ad Dagobertum dirigũt, petentes vt eis tributa, quæ fisci ditionibus dissoluebant, indulgeret. Ipsi vero eorum studio & vtilitate Vuinidis resistendum spondent, & Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Quod Dagobertus consilio Neaustrasiorum adeptus præstitit. Saxones, qui huius petitionis suggerendum venerant, sacramentis (vt eorũ mos erat) super arma placata pro vniuersis Saxonibus firmant. Sed parum hæc promissio sortitur effectum; tamen tributum Saxones, † quod reddere consueuerant, *al. quem.* per præceptionem Dagoberti habent indultum, quingentas vaccas inferendales annis singulis à Clothario Seniore censiti reddebant, quod à Dageberto cassatum † est. *i. remissum.*

CAPVT LXXV.

De initio regni Sigoberti in Auster.

ANno XI. regni Dagoberti, cũ Vuinidi iussu Samonis fortiter sæuirent, & sæpe trãscenso eorum limite regnũ Francorum vastandum in Thoringam & reliquos pagos ingrederentur; Dagobertus cum Mettis vrbem venisset, cùm consilio pontificum seu & procerum, omnibusq; primatibus regni sui consentientibus, Sygibertum filium suum in Auster regnum sublimauit, sedemq; Mettis ciuitatem habere permisit. Hunibertum Coloniæ vrbis pontificem, & Adalgyselum Ducem, palatium & ad regnũ gubernandum instituit. Thesaurum, quod sufficeret, filio tradidit: condigne (vt decuit) cum huius culmine sublimauit, & quodcumq; eidem largitus fuerat, sigillatim præceptionibus roborandum decreuit. Deinceps Austrasii eorum studio limitem & regnũ Francorum contra Winidos vtiliter defensare noscuntur.

CAPVT LXXVI.

De natiuitate Clodouei, & pactione de regno cum Austrasiis.

CVmq; anno XII. regni Dagoberti, eidem filius nomine Clodoueus de Nantilde *Aim. 4. c. 26* regina natus fuisset, consilio Neaustrasiorum eorumq; admonitione, per pactionis vinculum cum Sygiberto filium suum firmare dinoscitur, & Austrasiorum omnes primati Pontifices cæteriq; leudes Sygoberti manus eorum ponentes insuper sacramentis firmauerunt, vt Neptricum † & Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodouei post Dageberti discessum aspiceret. *ita MS. quod nunquam mutauimus.* Auster vero † ideq; ordine solidato, eo quod & de populo & de spatio terrę esset coęquans, ad regnũ Sygiberti idemq; in integritate deberet aspicere, *al. eodemq;.* & quicquid ad regnum Austrasiorũ iam olim pertineret, hoc Sygibertus Rex suæ ditioni regendum reciperet, & perpetuo dominandum haberet, excepto ducatu Danzileni, qui ab Austrasiis iniquiter abstultus fuerat, iterum ad Neaustrasios † subiungeretur, & Chlodouei regimini subiceretur. *P. Neustrasios.* Sed has pactiones Austrasii terrore Dagoberti coacti, vellent nollent, firmare visi sunt; quod postea temporibus Sygiberti & Chlodouei Regibus conseruatum fuisse constat.

CAPVT LXXVII.

De Radulfo Duce.

RAdulfus dux filius Chamari, quem Dagobertus Toringæ ducem instituit, pluribus vicibus cum exercitu Winidorum dimicans, eosq; victos vertit in fugã. Huius superbiæ elatus, & contra Adalgyselum Ducem diuersis occasionibus inimicitias tendens, paulatim contra Sygibertum iam tunc cœperat rebellare. Sed (vt dictum est) sic agebat, qui diligit rixas, meditatur discordias.

CAPVT LXXVIII.

Aim.4.c.28

De exercitu, iussu Dagoberti de Burgundia in Vuasconiam adgresso.

ANNO XIII. regni Dagoberti, cum Vuascones fortiter rebellarent, & multas prædas in regno Francorum, quod Aribertus tenuerat, facerent, Dagobertus de vniuerso regno Burgundiæ exercitum promouere iubet, statuens eis caput exercitus, nomine Chadoindum referendarium, qui temporibus Theuderici Regis quondam multis prœliis probatus strenuus. Quo cum X. Duces cum exercitibus, id est, Arimbertus, Amalgarius, Leudebertus, Wandalmarus, Waldericus, Ermenricus, Barontus, Ariardus ex genere Francorum, †Ramlenus ex genere Romanorum, †Willibadus patricius ex genere Burgundionum, Agino ex genere Saxonum, exceptis comitibus plurimis, qui ducem super se non habebant, in Wasconiam cum exercitu perrexissent, & tota Wasconiæ patria ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, Wascones de intermontiũ rupe egressi ad bellũ properant. Cumq; prœliare cœpissent, (vt eorum mos erat) terga vertentes, dum cernẽtes se esse superandos, in faucibus vallium montes Pireneos latebram dantes, se locis tutissimis per rupes eiusdem montium conlocantes latitarent. Exercitus post tergum eorum cum Ducib. insequens, plurimo numero captiuorum Wascones superatos, seu & ex his multitudine interfectis, omnes domus eorum incensas, pecuniis & rebus expoliant. Tandem Wascones obpressi seu perdomiti, veniam & pacem à suprascriptis Ducibus petentes, promittunt se gloriæ & conspectui Dagoberti Regis præsentaturos, & suæ ditioni traditos cuncta ab eodem iniuncta impleturos. Feliciter hic exercitus absq; vlla læsione ad patriam fuerunt repedati. Sed †Arimbertus Dux maxime cũ senioribus & nobilioribus exercitus sui per neglegentiam a Wasconibus in valle Subolano †fuisset interfectus. Exercitus vero Francorum, qui de Burgundia in Wasconia accesserat, parta victoria redeunt ad propriis sedibus. Dagobertus ad Clippiacum residens, mittit nuncios in Brittaniam, vt quæ Brittanes male admiserunt, velociter emendarent, & ditioni suæ traderent: alioquin exercitus, qui in Wasconia fuerant, de præsente in Brittanias debuissent inruere. Quod audiens Iudacaile †Rex Brittonorum, cursu veloci Clippiacum cum multis muneribus ad Dagobertum perrexit, ibique veniam petens cuncta, quæ sui regnum Brittaniæ pertenentes leudibus Francorum inlicite perpetrauerant, emendandũ spondidit, & semper se & regnũ, quod regebat, Brittaniæ subiectũ ditioni Dagoberti & Francorum Regibus esse promisit. Sed tamen cum Dagoberto ad mensam vel ad prandium discumbere noluit, eo quod esset Iudacaile religiosus & timens Deum valde. Cumq; Dagobertus resedisset ad prandium, Iudacaile egrediens de Palatio ad mansionẽ Dadonis referẽdarii, quẽ cognouerat sanctæ religionis sectantem, accessit ad prandium. Indeq; in crastino Iudacaile Rex Dagoberto valedicens in Brittaniam repedauit, condigne tamen à Dagoberto muneribus honoratus.

[Margin notes: al. Ramlenus. — al. Willibaldus. — pro, nisi. P. Subola. — Aim.4.c.29 — Rex Britonum.]

Anñ XV. regni Dagoberti, Wascones oẽs seniores ad Dagobertum Clippiacũ venerunt, ibiq; in Ecclesia S. Dionysii regio timore perterriti confugiũ fecerũt. Clementia Dagoberti vitam habent indultam, ibiq; sacramentis Wascones firmantes simul & promittentes se omni tempore Dagoberto & filiis suis regnoq; Francorum esse fideles. Quod more solito, †sicut semper fecerant, posthæc †probauit euentus. Permissu Dagoberti Wascones regressi sunt in terram Wasconiæ.

[Margin notes: al. siccum, al. sicque — al. prœliauit.]

CAPVT LXXIX.

De obitu Dagoberti, & initio regni Chlodouei.

Anno

ANno XVI. regni ſui Dagobertus profluuio ventris in Spinogelo † villa ſuper Segona † fluuio nec procul à Pariſius, ægrotare cœpit: exinde ad Baſilicā ſancti Dionyſii à ſuis defertur. Poſt paucos dies cum ſuæ vitæ ſentiret periculum, Aeganem ſub celeritate ad ſe venire præcepit; ſe iam diſceſſurum ſentiens, Reginam Nantildem & filium ſuum Clodoueum eidem in manu commendans, conſilium Aeganæ pergratum habens, quod cum eius inſtantia regnum ſtrenue gubernare poſſit. His geſtis poſt paucos dies Dagobertus emiſit ſpiritum, ſepultusque eſt in Eccleſia ſancti Dionyſii, quam ipſe prius condigne ex auro & gemmis & multis pretioſiſſimis ſpeciebus ornauerat, & condigne in circuitu fabricare præceperat, patrocinium ipſius pretioſe expetens. Tantæ opes ab eodem & villæ & poſſeſſiones multæ per plurima loca ibiq; ſunt conlatæ, vt miraretur à plurimis. Pſallentium ibidem ad inſtar monaſterii Sanctorum Agaunenſium inſtituere iuſſerat. Sed facilitas abbatis Aigulfi eamdem inſtitutionem noſcitur † ſuffragaſſe.

Aim. 4. c. 33 & 42.
Eſpinay hod.
Sequana.
al. refragaſſe.

Poſt Dagoberti diſceſſum filius ſuus Chlodoueus ſub tenera ætate regnum patris adſciuit. Omnes leudes de Neauſter † & Burgundia eumque in Maſſolaco villa ſublimant in regnum. Aega vero cum Regina Nantilde, quam Dagobertus reliquerat, *

P. Neuſter.

CAPVT LXXX.

De Aegane Maioredomus, & bonitate eius.

ANno primo regni Chlodouei, ſecundo inminente eiuſdem regni anno, condigne palatium gubernat & regnum. Aega † vero inter ceteros primates Neptrici prudentius agens, & plenitudine ſapientiæ inbutus, cunctis erat præcellentior, eratq; genere nobili, opibus habundās, iuſtitiam ſectans, eruditus in verbis, paratus in reſpōſis: tantum modo à plurimis blaſphematur, eo quod eſſet auaritati deditus. Facultates plurimorum, quæ iuſſu Dagoberti in regno Burgundiæ & Neptrico inlicite fuerant vſurparæ, & fiſci ditionibus contra modum iuſtitiæ redactæ, conſilio † Aeganis omnibus reſtaurantur.

Ega Aimonio, 4. c. 35.
al. Aegynana.

CAPVT LXXXI.

De imperio Conſtantis, & vaſtatione Saracenorum.

EO anno Conſtantinus Imperator moritur. Conſtans filius eius ſub tenera ætate conſilio Senatus imperio ſublimatur. Idem eius tempore grauiſſime à Saracenis vaſtatur Imperium. Hieruſolima à Saracenis capta, ceteræq; ciuitates euerſæ ſunt; Ægyptus ſuperior & inferior à Saracenis peruaditur; Alexandria capitur & prædatur; Africa tota vaſtatur, & à Saracenis poſſidetur. Paululum ibique Gregorius Patricius à Saracenis eſt interfectus. Conſtantinopolis tantum cum Traciana prouincia, & paucis inſulis, etiam & Romana † prouincia Imperii dictioni remanſerant. Nam maxime totum Imperium à Saracenis grauiter fuit adtritum. Etiam & in poſtremum Imperator Conſtans conſtrictus atq; conpulſus, effectus eſt Sarracenorum tributarius, vt vel Conſtantinopolis cum paucis prouinciis & inſulis ſuæ dictioni reſeruaretur, tribus annis circiter. Et fertur adhuc amplius, per vnumquenque diem mille ſolidos ad ærariis Saracenorum Conſtans implebat. Tandem reſumptis viribus, Conſtans Imperium aliquantiſper recuperans, tributa Saracenis implendum refutat. Quem ad modum hoc factum fuiſſet, euentum anno, in quo impletum eſt, in ordine debitum referam, & ſcribere non ſilebo: donec de his & aliis, optata ſi permiſerit Deus, perficiam, huic libello cuncta mihi ex veritate cognita inſeram.

Aim. 4. c. 32.
hod. Romania.

CAPVT LXXXII.

Qualiter ſublimatus eſt Tolga Rex Spaniæ, & degradatus.

Aim. 4. c. 35

EO anno Sentila Rex Spaniæ, qui Sisenando in regno successerat, defunctus est. Huius filius nomine Tholga sub tenera ætate Spaniæ petitione patris sublimatur in regno. Gothorum gens impatiens est, quando super se forte iugum non habuerit. Huius Tolganis adulescentia omnis Spania more solito vitiatur, diuersa committens insolentia. Tandem vnus ex primatis nomine Chintasindus, collectis plurimis senatoribus Gothorum cæteroque populo, in regno Spaniæ sublimatur. Tolganem degradatum ad honores † [MS. honus. i. honorem, ita supra.] clericati tonsorare fecit. Qui cum omnem Spaniam suæ ditioni firmasset, cognito † [al. more.] morbo Gothorum, quem de Regibus degradandis habebant (vnde sæpe cum ipsis in consilio fuerat) quoscumque ex eis huius vitii promtũ contra Reges, qui à regno expulsi fuerant, cognouerat fuisse noxios, totos † [i. omnes.] singillatim iussit interfici, aliosq; exilio condemnare, eorumq; vxores & filias suis fidelibus cũ facultatib. tradit. Fertur de primatis Gothorum ad hoc vitiũ reprimendum CC. fuisse interfectos, de medio gregis CCCCC. interficere iussit. Quoadusque hunc morbum Gothorum Chintasindus cognouisset perdomitum, non cessauit, quos in † [al. suspectione.] suspicione habebat, gladio trucidare. Gothi vero à Chintasindo perdomiti nihil aduersus eumdem ausi sunt, vt de Regibus consueuerant inire consilium. Chintasindus cum esset plenus dierum, filium suum nomine Richuisindum in omne regnum Spaniæ Regem stabiliuit. Chintasindus pœnitentiam agens, elemosynam multam de rebus propriis faciens, plenus senectute, fertur nonagenarius mortuus.

CAPVT LXXXIII.

[Aim. 4. c. 37]

De morte Aeganis, & interfectione Agnulfi comitis.

ANno III. regni Chlodouei Regis, Aega in Clippiaco villa vexatus à febre moritur. Ante paucos dies Ermenfridus, qui filiam † [al. Aegana.] Aeganis vxorem acceperat, Ainulfum comitem in Albiodero vico in mallo † [i. foro, loco iudicii.] interfecit. Ob hanc rem grauissima strages de suis rebus, iussione & permissu Nantildæ, à parentibus Ainulfi & populo plurimo fitur. Ermenfredus in Auster Remus ad Basilicam sancti Remedii fecit confugium; ibidem diebus plurimis, hanc infestationem deuitando & regio timore, resedit.

CAPVT LXXXIV.

De initio ascensus Erchinoaldi Maiorisdomus.

POst discessum Aeganæ Erchinoaldus Maiordomus, qui consanguineus fuerat de † [al. genetrice.] genere Dagoberto, Maior domus palatii Chlodouei efficitur. Erat homo patiens & bonitate plenus. Cum esset † [al. patiens.] sapiens & cautus, humilitatem & benignam voluntatem circa Sacerdotes, omnes patienter & benigne respondens, nullaque tumens superbia neque cupiditate sæuiebat. Tantæ in suo tempore pacis sectans fuit, vt Deo esset placabile. Erat sapiens, sed in primis cum simplicitate, rebus mensurate † [P. mensuratim.] ditatus, ab omnibus erat dilectus. Igitur post discessum Dagoberti Regis, quo ordine eius thesauri inter filios diuisi fuerant, non omittam, sed dilucidato ordine huic volumini inserere procurabo.

CAPVT LXXXV.

De Austrasiis, quomodo thesaurum Sigoberto debitum receperunt.

[Aim. 4. c. 36]

CVm Pipinus Maiordomus post Dagoberti obitum, & ceteri Duces Austrasiorum, qui vsque in transitu Dagoberti suæ fuerant ditioni † [al. detenti.] recensiti, Sigobertum vnanimi conspiratione expetissent; Pipinus cum † [al. Vniberto.] Chuniberto, sicut & prius, amicitiam vehe-

vehementer se firmiter in perpetuo conseruandum obligant, omnesque leudes Austrasiorum secum vterque prudenter & cum dulcedine abtrahentes, eos benigne gubernantes, eorum amicitiam constringunt semperque seruandam. Igitur discurrentibus legatis partem Sigyberto debitam de thesauris Dagoberti, à Nantilde Regina & Chlodoueo Rege ad Sigybertum requiritur. ad quod reddendum placitus instituitur. † Chunibertus Pontifex vrbis Coloniæ, & Pipinus Maiordomus, cum aliquibus primatibus Austrasiæ à Sigyberto directi in Compendium villam vsque perueniunt, ibique thesaurus Dagoberti, iubente Nantilde & Chlodouei instantia Æganæ maiorisdomus præsentatur, & † æquilancia diuiditur. Tertiam tamen partem, de † quibus Dagobertus adquæsierat, Nantildis regina receperat. Chunibertus & Pipinus hunc thesaurum, quæ pars fuit Sigyberti, Mettis faciunt perducere, Sigyberto præsentatur & describitur. Post fertur anni circulum Pipinus moritur, nec paruum dolorem eiusdem transitus cunctis generauit in Auster, eo quod ab ipsis pro iustitiæ cultu & bonitate eiusdem dilectus fuisset. † Grimoaldus filius eius, cum esset Strennuus, ad instar patris diligebatur à plurimis.

al. Vnibertus. *al. æqua lance.* *al. quo.* *Refer ad sequens cap. 86.*

CAPVT LXXXVI.

De Grimoaldo, & Othone filio Beronis.

OTTO quidam filius † Beronis domestici, qui baiolus † Sigyberti ab adulescentia fuerat, contra Grimoaldum superbia tumens & zelum ducens, cumque despicere conaretur; Grimoaldus cum Chuniberto Pontifice se in amicitiam cōstringens, cœperat cogitare, quo ordine Otto palatio eiceretur, & gradum patris Grimoaldus adsumeret.

Aim. 4. c. 38 *al. Verones.* *al. Vironis.* *al. Eronis.* *al. Aronis.* *i. paedagogus, gubernator.*

CAPVT LXXXVII.

De Sigyberto cum Radulfo in Toringia.

CVmque anno VII. Sigybertus regnaret, Radolfus dux Toringiæ vehementer contra Sigobertum rebellandum disposuisset, iussu Sigoberti omnes leudes Austrasiorum in exercitum gradiendum banniti sunt. Sigobertus Rhenum cum exercitu suo transiens, gentes vndique de vniuersis exercitus sui pagis vltra Renum cum ipso adunati sunt. Primo in loco filium Chrodoaldi nomine Faram, qui cum Radulfo vnitum habebat consilium, exercitus Sigyberti trucidans rupit, ipsumque interfecit, omnem populum huius Faræ, qui gladium euasit, captiuitati deputant; omnes primates & exercitus dextras in inuicem dantes, vt nullus Radulfo vitam concederet. Sed hæc promissio non sortitur effectum. Sigobertus deinde Bugoniam † cum exercitu transiens, Thoringiam properans. Radulfus hoc cernens, castrum lignis munitum in quodam monte super Vnestrode fluuio in Toringia construens, exercitum vndique, quantum plus potuit, colligens, cū vxoribus & liberis in hunc castrum ad se defendendum stabiliuit, ibique Sigybertus cum exercitu regni sui veniens, castrum vndique circumdat exercitu. Radulfus vero intrinsecus ad prælium fortiter præparatus sedebat. Sed hoc prœlium sine consilio initum est. Hoc adulescentia Sigyberti Regis patrauit, cum alii eodem die vellent procedere ad bellum, & alii in crastino, nec vnitum habentes consilium. Grimoaldus & Adalgiselus Duces hæc cernentes, Sigyberti periculum zelantes, eum vndique sine intermissione custodiunt. Bobo Dux Aruernus cum parte exercitus Adalgiseli, & Ænoualaus Comes Sogiontensis † cum pagensibus suis, & cæteri exercitus manus plura contra Radolfum ad portam castri protenus pugnandum perrexerunt. Radulfus cum aliquibus ducibus exercitus Sigyberti fiduciam haberet, quod super ipsum non voluissent viribus inruere, de castro per portam prorumpens, super exercitum Sigyberti cum suis inruens, tanta strages à Radulfo cum suis de exercitu Sigoberti fitur, vt mirum fuisset. Ma-

al. Buchoniam sc. silua. *al. Sigionensis.*

gancenses in hoc prœlio non fuerunt fideles; fertur ibique plurima millia hominum fuisse gladio trucidata. Radolfus patrata victoria in castrum ingreditur. Sigobertus cum suis fidelibus graui amaritudinis mærore adreptus, super equum sedens, lacrimas oculis prorumpens plangebat, quos perdiderat. Nam & Bobo dux, & Nauualaus, & ceteri nobilium fortissimi pugnatores, seu & plurima manus exercitus Sigoberti Regis, qui cum ipsos in congressione certaminis sunt adgressi, conspiciente Sigoberto in hoc prœlio fuerunt trucidati. Nam & Freudolfus domesticus, qui amicus Radulfo fuisse dicebatur, in hoc prœlio occubuit. Sigobertus eadem nocte, nec procul ab ipso castro, in tentoriis cum suo mansit exercitu. In crastino videntes, quod Radulfo nihil præualuissent, missis discurrentibus, vt pacifice Rhenum iterum transmearent, cum Radulfi conuenientia Sigobertus & eiusdem exercitus ad propriis sedibus remeantur. Radolfus superbia elatus ad modum Regis in Toringia se esse censebat, amicitias cum Winidis firmans, cæterisque gentibus, quas vicinas habebat, cultum amicitiæ obligabant in verbis, tamen Sigoberto regimen non denegabant. Nam in factis fortiter eiusdem resistebant dominationi.

CAPVT LXXXVIII.

De Grimoaldo Maioredomus, & interfectione Othonis.

ANno X. regni Sigoberti, Otto, qui aduersus Grimoaldum inimicitia per superbiam tumebat, factione Grimoaldi à Leuthario Duce Alamannorum interficitur. Gradus honoris Maiorisdomus in palatio Sigoberti, & omni regno Austrasiorum, in manu Grimoaldi confirmatus est vehementer.

CAPVT LXXXIX.

De Flaucato, qualiter Maiordomus efficitur.

Aim. 4. c. 39 40. ANno IV. regni Chlodouei, cumque Nantildis Regina cum filio suo Clodoueo rege post discessum Aegang Aurelianis in Burgundiæ regnum venisset, ibique omnes seniores, Pontifices, Duces, & primates de regno Burgundiæ ad se venire præcepit, ibiq; cunctos Nantildis singillatim adtrahēs, Flaocatus genere Frācus Maiordomus in regno Burgundiæ, electione Pontificū & cunctorū Ducum à Nantilde Regina & hoc gradu honoris stabilitur, neptemq; suam nomine Ragnobergam Flaocato desponsauit. Sponsaliæ hæ nescio qua factione fiunt. Nam alium consilium secrete Flaocatus & Nantildis machinabant; quem creditur non fuisse Deo placabilem, ideoque non mancipauit effectum. Cumque Erchinoaldus & Flaochadus maiores domi inter se quasi vnum inissent consilium, consentientes ab inuicem hunc gradus honorem alterutrum solatium præbentes, disponunt habere feliciter. Flaochadus cunctis Ducibus de regno Burgundiæ seu & Pontificibus, per epistulam, etiam & sacramentis firmauit, *Vnicuique gradum honoris & dignitatem, seu & amicitiam perpetuo conseruarent.* Hac dignitate sublimatus Flaochadus regnum Burgundiæ peruagatur, consilium assidue iniens, priorem inimicitiam, qua cordis archana diu celauerat, memorans Vuillibadum patricium interficere disponebat.

CAPVT XC.

De Vuillibadi interitu, & Flaocati obitu.

VVillibadus cum esset opibus habundans, & plurimorū facultates ingeniis diuersis abstollēs ditatus inclite fuisset, & inter patriciat⁹ gradū & nimiā facultatē elationi superbię esset dedit⁹, aduersus Flaochadū tumebat, eūq; despicere conabatur. Flaochadus collectis secū Pontificibus & Ducib. de regno Burgundiæ, Cabilloni pro vtilitate patriæ

† patriæ tractandum mense † Maio placitum instituit, ibiq; & Vuillebadus multitudinem secum habēs aduenit. Flaochadus ibidē Vuillebadum interficere nitebatur. Hæc cernens Vuillebadus palatium noluit introire. Flaochadus foris contra Vuillebadum præliandum adgreditur. Amalbertus verò germanus Flaochadi ad pacandum intercurrens, vbi iam in congressione certaminis confligi debuerāt, Vuillebadus Amalbertum secum retenens de hoc euasit periculo: intercurrentibus & cæteris personis separantur inlæsi. Flaochadus deinceps vehementer minabat consilium de interitu Vuillebadi. Eo anno Nantildis Regina moritur. Eodemque anno mense Septembrio Flaochadus cum Clodoueo Rege, & Erchinoaldo idemque & Maiore domus, & aliquibus primatibus Neaustrasiis, de Parisiaco promouens per Senonas & Autisioderum, Augustidunum accesserunt, ibique Chlodoueus Vuillebadum patricium ad se venire præcepit. Vuillebadus cernens inimicum consiliū à Flaochado & germano suo Amalberto, Amalgario & Ramneleno Ducib. de suo interitu fuisse initum, colligens secum plurimam multitudinem de patriciatus sui termino, etiam & Pontifices seu nobiles & fortes, quos cōgregare potuerat, Augustidunum gradiendū iter arripuit. Cui obuiam à Chlodoueo rege, Erchinoaldo Maiore domus, & Flaochado Ermenricus domesticus dirigitur, eo q, Vuillebadus trepidabat, vtrum accederet, an suum deuitando periculum repedaret, vt ab Ermenrici promissione præuentus vsq; Augustidunum adgrederetur. Quē ille credens, † dignis munerib. honorauit. Post tergum eius Augustidunū accessit, ibiq; tentoria cum suis nec procul ab Vrbe posuit, eodemq; die, quo ibidem p accesserat, Aigulfum Valentiæ vrbis Episcopū, & Ghysonem comitē ad præuidendū, quæ agebantur, Augustidunum direxerat, qui à Flaochado in Vrbe detenti sunt. In crastino Flaochadus, Amalgarius, & Chramnelenus, qui consiliū de interitu Vuillebadi vnianimiter cōspirauerant, de vrbe Augustiduno maturius promouētes, vtriq; Duces de regno Burgūdię cū exercitu eius subiunguntur. Erchinoaldus cū Neaustrasiis, quos secū habebat, idemq; arma sumens, ad hoc bellū adgreditur. Vuillebadus contra tela prælia † construens, quoscumq; poterat adunare. Falangis vterq; in cōgressione certaminis iūgit ad præliū. In ea pugna Flaochadus, Amalgarius, & Chramnelenus, idemq; Vualdebertus duces cū suis in cōgressione certaminis cōtra Villebadū pugnando confligunt. Nam cæteri Duces vel Neaustrasii, qui vndique eumdem debuerant circumdare, se tenentes aspiciebant, expectantes euentum, super Vuillebadum noluerunt inruere. Ibiq; Vuillebadus interficitur: plurimi cum ipso de suis gladio trucidantur. In eo certamine ceteris primus Bertharius comes Palatii, Francus de pago Vltraiurano, cōtra Vuillebadum cōfligit. Aduersus quē frendens Manaulfus Burgundio exiens de inter cæteris cum suis aduersus Bertharium præliandum. Bertharius, eo q, prius illi amicus fuisset, dicens; *Veni sub clypeum meum, de hoc periculo te liberabo.* Cumq; ad eum liberādum clypeum eleuasset, Manaulfus cum conto Bertharium in pectore percutiens, cæteri qui cum eo venerant ipsumq; circumdantes, eo quod Bertharius nimium reliquis præcellisset, vulneratur grauiter. Tunc Aubedo filius Berthari cernens patrem in periculo mortis, cursu velocissimo patri auxiliandum perrexit, Manaulfum conto pcussum in pectore in terrā prostrauit, cæteros qui patrem percusserant, totos † interfecit. Sic Bertharium suum genitorem, vt fidelis filius, præstante Domino, liberauit à morte. Hi vero Duces, qui cum eorum exercitu super Vuillebado inruere noluerant, tentoria Vuillebadi, Episcoporum, vel cæterorum qui cū eo venerant, deprædando plurimum inibi auri & argenti capitur: reliquaq; res & † equites ab his, qui præliare noluerant, percepti sunt. His ita gestis Flaochadus in crastino Augustiduno promouens; Cabillonum perrexit. Ingressus in vrbem, in crastino Vrbs nescio quo casu maxime tota incendio concrematur. Flaochadus iudicio Dei percussus vexatur à febre, conlocatur in scafa, euectu nauali per Ararim fluuium, (qui cognominatur Sagonna) Latonam † properans, in itinere vndecimo die post Vuillebadi interitum emisit spiritum, sepultusque est in Ecclesia sancti Benigni in suburbano Diuionensi. Creditur à plurimis, hii duo Flaochadus & Vuillebadus, eo quod multa in inuicem per loca Sanctorum de amicitiis obligandum sacramenta dederant, & vterque in populos sibi subiectos cupiditatis instinctu inique obpresserant, simul † lateribus nudauerant, quod iudicio Dei de eorum obpressione plurimam

al. pacis.
al. Madio.
Gall. menoit inde, menees
al. condignis.
f. telā prælii, vt supr. alicubi.
i. omnes.
al. equi.
Landunum.
Pal. lata reb.

multitudinem liberasset, & eorum perfidia & mendacia eos vtrumque interire fecissent.

CAPVT XCI.

De Baldichilde Regina Chlodouei, & eius filiis, Chlothario, Childerico, & Theoderico: & de obitu Chlodouei.

Aim.4.c.43 IGitur Chlodoueus filius Dagoberti ex genere alienigenarum Reginam accipiens nomine Baldchildem, prudentem atq; elegantem, genuit ex ea filios tres, Chlotharium, Childericum, & Theodoricum: habebatq; Maiorem domus palatii virum strenuum atq; sapientem nomine Erchoaldum.† Chlodoueus itaque in regno pacem habuit absque bello. In extremis vero vitæ annis amens effectus, vita caruit, regnauitque annos XVIII.

Pal. Erchanualdum.

CAPVT XCII.

Quod Chlotharius eius filius eleuatur in regno, & de Ebroino Maiore domus.

FRanci quoque Chlotharium filium eius maiorem in regno statuunt, cum præfata Regina matre. Eodem quoq; tempore mortuus est Erchanualdus Maior domus palatii. Franci autem in incerto vacillantes, accepto consilio Ebruinum in huius honoris curam ac dignitatem statuunt.

CAPVT XCIII.

De obitu Chlotharii, & quod Theodoricus frater successit in regno, & Childericus in Austria regnum accepit.

Aim.4.c.44 HIsce diebus Chlotharius Rex à valida febre correptus obiit in iuuentute, regnauitque annos quatuor. Theodoricus vero frater in Austria à Francis in regnum eleuatus est apud Wulfoaldum ducem.

CAPVT XCIV.

Quod Theodoricum à regno deiiciunt, & crines tondunt, & Ebroinum in Luxouium monasterium dirigunt, & Hildericum in cuncto regno suscipiunt.

EO tempore Franci aduersus Ebruinum insidias præparant: contra Theodoricum insurgunt, eumque à regno deiiciunt: crines capitis eius abscindentes totonderũt, Ebroinumq; & ipsum tondunt, & in Burgundiam Loxouium monasterium inuitum dirigunt. Propter Childericum in Austriam legationem mittunt, vna cum Vuolfoaldo duce venientem, eumque super cunctum regnum suscipiunt.

CAPVT XCV.

De obitu Childerici, & Bilichide Regina, & quod Leudesius filius & Charialdus maior domus efficitur.

Erat

ERat enim ipſe Childericus Rex leuis atq; citatus nimis, gentem Francorum in ſeditionem mittens, & in ſcandalum ac deriſum: donec odium non modicũ inter ipſos creuit vſq; ad ſcandalum & ruinam. Quo ingraueſcente vnum Francum nobilem, nomine Bodilonẽ, ad ſtipitem tenium cædere contra legem præcepit. Vidẽtes hæc Frãci ira magna cõmoti, Ingolbertus videl. & Amalbertus, vel reliqui maiores natu Frãcorum, ſeditionem contra ipſum Childericum concitauerunt. Memoratus Bodilo ſuper eum cum reliquis quã plurimis ſurrexit inſidiaturis in Regem in Lauchonia ſylua, vna cum Regina eius prægnante nomine Bilihilde (quod dici dolor eſt) interfecit. Vulfoaldus quoq; per fugam lapſus euaſit, & in Auſtriam reuerſus eſt. Franci vero Leudeſium filium Erchonualdi nobilem in Maioris domus dignitatem ſtatuunt per conſilium B. Leudegarii & ſociorum eius.

Aimon. ib.

CAPVT XCVI.

Quod Ebroinus à Luxouio exiens Leudeſium interfecit, & S. Leudegarium gladio perimi iuſsit.

EBruinus audiens has diſſenſiones, conſilio accepto, Francos inuicem diſcordantes conuocatis in auxilium ſociis, perſonis quam plurimis, cum multo comitatu exercituum, à Luxouio Cœnobio egreſſus in Franciam regreditur, vſque Iſſam fluuium veniens acceſſit, cuſtodes dormientes interfecit ad ſanctam Maxentiam, atque Iſſam fluuium tranſiens, quos ibi inuenit de inſidiatoribus ſuis occidit. Leudeſius Maior domus vna cum theſauris Regis per fugam dilapſus euaſit: Abaciuo villa euadens aufugit: ibique adueniente Ebruino, theſauros quos ibi reperit, apprehendit. Inde egreſſus Criſcæum villam veniens, in Pontio Leudeſium ſubdole fidem promittit, ſimulans fefellit. Facto placito, vt coniuratione facta cum pace diſcederet, ſed Ebruinus fallaciter agens (vt ſolebat) compatri ſuo inſidias præparans, ipſum Leudeſium occidit, Regem Theodoricum in regnum reſtitutum, ipſe ſuum principatum ſagaciter reſtaurauit. Sanctum Leudegarium Epiſcopum crudeliſſimis tormentis cæſum, gladio perimi iuſſit: Girenum † germanum eius diuerſo tormento trucidauit. Reliqui viri Franci eorum ſocii per fugam lapſi, Ligerem tranſgreſſi, vſque Vuaſcones confugerunt: quam plurimi vero exilio damnati vltra non comparuerunt.

† al. Gerenum

CAPVT XCVII.

Quod Martinus dux, & Pippinus filius Anſegiſili, contra Ebruinum ad Locoficum pugnam inierunt.

Aim. 4. c. 45

IN Auſtria quoque mortuo Vuolfoaldo duce, Martinus dux, & Pippinus filius Anſigiſili quondam Franci nobilis dominabantur. Defunctis Regibus, commiſſis inuicem principibus Ebruino, Martino, atque Pippino, aduerſus Theodoricum Regem excitantur ad bellum. Commoto exercitu ad locum cui vocabulum eſt Locofico, interim commiſſi prælium ineunt, ibiq; magno certamine dimicantes, plurima pars populi ex vtriſque partibus corruit. Deuicti cum ſociis Martinus atq; Pippinus in fugam lapſi ſunt; perſecutuſq; eos Ebroinus, maximam partem de illa regione vaſtauit. Martinus ideoque Laudunum † Clauatum ingreſſus, ſe infra muros ipſius vrbis muniuit. Perſecutuſq; cum Ebroinus, veniens Ertreco villa ad Laudunum Clauatũm nuncios dirigit, Ægilbertum ac Regulum Remenſis vrbis Epiſcopum, vt fide promiſſa in incertum ſuper vacuas capſas † ſacramenta falſa dederint. Qua in re ille credens eos, à Lauduno Clauato egreſſus, cum ſodalibus ac ſociis Adercheeum veniens, ille cum ſociis omnibus interfectus eſt.

† Laon Le Cloue.

† in queis nil reliquiarum intus.

CAPVT XCVIII.

Aim.4.c.46

De obitu Ebroini, & quod Franci Vuaratonem Maiorem domus efficiunt, & Ageslemaris filius eius ipsum supplantauit.

Gall. des menees.

EBruinus quoq; magis atque profusius crudeliter Francos opprimebat, donec tandem aliquando Ermenfrido Franco minas †parat, rebus propriis tollere disponit. Consilio cum suis patrato, nocte collecta manu sociorum, per noctem super eum consurgens, Ebruinum interfecit: quo perempto ad Pippinum ducem in Austriã cum munerib. suis peruenit. Quo facto Franci accepto consilio, Vuaradonem illustrem virum loco eius in honorẽ Maioris domus constituerunt. Idcirco præfatus Vuarado obsides à Pippino duce accipiẽs, pacem inuicem impetrauit. Erat id temporis memorato Vuaradoni filius valde efficax atque industrius, eruditus in consilio, qui vice patris curam Palatii gerebat nomine Ghislemarus, qui ob nimiam calliditatem ac sagacitatem patrem ab honore proprio supplantauit, quem S. Adoinus †Episc. sæpius ob hoc increpabat, vt ad pacem vel patris indulgentiam remearet: qui audire renuit, & in duritia cordis permansit. Fuerunt igitur inter Pippinum & præfatum Ghyslemarum discordiæ multæ, bella ciuilia plurima. Nam ad castrum Manucum contra hostem Pippini ducis Ghyslemarus consurgens, fraudulenter falso iuramento dato, quam plurimos eorum nobiles viros occidit. Inde vero reuersus ob supplantationem patris, vel aliam malitiã non modicam, quam fallaciter perpetrauerat, a Deo percussus prædictus Ghyslemarus, vt dignus erat, iniquissimum fudit spiritum, illoque mortuo pater eius Vuarato honorem pristinum Maioris domus recepit.

al. Audoenus.

CAPVT XCIX.

De obitu sancti Audoini, & obitu Vuaradonis, & qualiter Bertharius maior domus efficitur.

EO tempore B. Audoinus Episc. plenus virtutibus migrauit ad Dominum. In illo itidem tempore Vuarado præfatus Maior domus obiit. Eratq; ei matrona nobilis & strenua nomine Ansfledis, cuius gener nomine Bertharius honorem Maioris domus palatii suscepit. Eratq; statura paruus, intellectu modicus, leuis atq; citatus, Francorum amicitiam atq; consilia sæpe contemnens. Hæc indignantes Franci Andramus, Reolus & alii multi relinquentes Bertharium, ad Pippinum per obsides coniunguntur, amicitias copulant, super Bertharium vel reliquam partem Francorum concitant.

CAPVT C.

Aim.4.c.47

Qualiter Pippinus cum Austrasiis in oppido Virmandinsi, cui nomen Textricium, contra Theodoricum & Bertharium dimicauit.

s. pago Veromanduensi.

PIppinus commoto exercitu hostiliter ab Austria cõsurgens, contra Theodoricum Regem & Bertharium properat ad bellum. Coniuncti in oppido Vermandensi†in loco qui dicitur Textricio, bellum mutuo gesserũt. Præualente Pippino cũ Austrasiis, Theodoricus Rex cum Berthario fugam iniit. Pippinus victor extitit, persecutusq; eã regionem sibi subiugauit. Sequenti tempore idem Bertharius ab adulatoribus falsis amicis interfectus est, instigante Ansflede matrona, socru sua. Post hæc autem Pippinus Theodoricum Regem accipiens cum thesauris, & domum palatii omnia peragens in Austriam remeauit. Eratq; ei vxor nobilis & prudentissima nomine Plithrudis, genuitque ex ea filios duos: nomen senioris Drogo, † nomen vero iunioris Grimoaldus.

al. Drocus.

CAPVT

CAPVT CI.

De obitu Theodorici, & de Chlodoueo filio eius eleuato in regno, & quod eo mortuo Childebertus frater eius resedit in regno; & de Grimoaldo filio Pippini maiore domus, & bonitate eius. Aim. 4. c. 48

MOrtuus est autem Theodoricus Rex, regnauit autem annos XIV. Chlodoueum filium eius paruulum elegerunt in regnum. Non post multos vero annos prædictus rex Chlodoueus ægrotans mortuus est, regnauit autem annos IV. Childebertus frater eius in regnum resedit. Drocus vero a Pippino genitore eruditus, ducatum Campanensem accepit. Grimoaldus iunior cum Childeberto Rege Maior domus palatii super Francos electus est; fuitque vir mitissimus, omni bonitate & mansuetudine repletus, largus in eleemosynis, in orationibus promptus.

CAPVT CII.

Quod Pippinus contra Radbodum pugnauit, & vicit.

PIppinus contra Ratbodem ducem gentilem Frisionem gentis aduersus alterutrum bellum intulerunt, castro Dorestate, illic belligerantes inuicem. Pippinus victor extitit, fugatoque Ratbodo Duce cum Frisionibus, qui euaserant, idem Pippinus cum multis spoliis & præda reuersus est. Post hæc Drocus filius Pippini à valida febre correptus mortuus est, & sepultus in Basilica beati Arnulfi Confe† Mettis vrbe. *ita MS.* Grimoaldus quoque ex quadam concubina genuit filium, nomine Theudoaldum.

CAPVT CIII.

Quod Pippinus Halpaidam duxit vxorem, & habuit ex ea filium nomine Carolum.

IGitur præfatus Pippinus aliam duxit vxorem nobilem & elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocauitque nomen eius lingua † propria Carolum, creuitque puer elegans, atque egregius effectus est. *i. vernacula, patria, sc. Theotisca, Karl.*

CAPVT CIV.

De obitu Childeberti & Grimoaldi, & quod Dagobertus filius Childeberti successit in regnum, & de obitu Pippini, & Theudoaldo Maiore domus, & de pugna in Cotia contra Theudoaldum. Aim. 4. c. 49

MOrtuus est his diebus Childebertus Rex, & sepultus Cauciaci in Basilica sancti Stephani martyris. Regnauit autem annos XIII.

Dagobertus filius eius sedem regni patris sui accepit. Igitur Grimoaldus filiam Ratbodi ducis Frisionum duxit vxorem. Ægrotãte quoque Pippino Iobii villa † super *hod. Ionuille* Mosam fluuium, cum ad eum visitandum idem Grimoaldus venisset, cum ad orationem in Basilica S. Landberti martyris processisset, à crudelissimo viro impio, Rantgario nomine, interfectus est. Post hæc Theualdus filius eius paruulus, in loco ipsius, cum prædicto Rege Dagoberto Maior domus Palatii effectus est.

Sequenti quoque tempore idem Pippinus dux ægrotans mortuus est. Rexitque *Aim. 4. c. 50.* populum Francorum annos XXVII. Reliquit superstitem Carolum filium. Post obi-

tum quoq; eius, Plichtrudis matrona præfata suo consilio atque regimine cuncta agebat. Demum Franci mutuo in seditionem versi, cõsilio inutili, commissa acie in Coa- f.Cottia. cia † sylua, contra Theudoaldum & Leudes Pippini quondam atque Grimoaldum iniere certamen. Corruitque ibi immodicus exercitus. Theudoaldus itaque a sodalibus suis per fugam lapsus euasit. Magna & valida perturbatio & persecutio extitit apud gentem Francorum.

CAPVT CV.

De Raganfrido maiore domus, & qualiter Carolus de custodia Plicthrudis auxilio Dei liberatus est.

EO tempore elegerunt in honorem maioris domus quendam Francum nomine Raganfridum, commotoque exercitu hostili vsque Mosam fluuium properant, cuncta vastantes, cum Radbodo duce fœdus inierunt. His diebus Carolus dux à præfata fœmina Plichtrude sub custodia detentus Dei auxilio liberatus est.

CAPVT CVI.

Aim.4.c.51. *De obitu Dagoberti Regis, & quod Hilpericus successit in regno, & qualiter dux Carolus contra Raganfridum pugnauit, & victor extitit.*

EOdem tempore Dagobertus Rex obiit, regnauitque annos V. Franci vero Chilpericum quendam regem constituerunt. Iterato quidem tempore commoto exercitu contra memoratum Carolum dirigunt. Ex alia parte iidem cum hoste Frisionum venturo Radbodum ducem inuitant. Contra quem prædictus vir Carolus cum exercitu suo consurgens, certamen inuicem iniere; sed non modicum ibi perpessus est damnum de viris strenuis atque nobilibus. Cernensque læsum exercitum terga vertit, Chilpericus post hæc & Raganfridus adunata hostili plebe Arduennam syluam transeunt, ab alia parte præstolante Radbodo duce, cum exercitu suo hactenus Coloniam vrbem super Rhenum fluuium peruenerunt, regiones illas pariter vastantes, munera multa & thesauros à præfata Plichtrude accipientes reuersi sunt. Sed in via in loco qui dicitur Amblaua, ab exercitu Caroli grande perpessi sunt damnum.

Aim. 4.c.52 Succedenti tempore Carolus commoto exercitu contra Chilpericum & Raganfridum direxit. Bellum iniere die Dominica in Quadragesima XII. Cal. April. in loco An.718. nuncupato Vinciaco in pago Cameracensi nimia cæde inuicem collisi. Chilpericus & Raganfridus deuicti, in fugam lapsi terga vertentes euaserunt, quos Carolus persecutus Parisios ciuitatem properauit.

CAPVT CVII.

Qualiter Carolus dux Chlotharium sublimauit in regno, quo mortuo Chilpericum qui fuga lapsus, apud Raganfridum fuerat, Abedone duce Aquitaniæ recepit, & eo mortuo Theodoricum Regem statuit.

DEinde Coloniam vrbem reuersus ipsam ciuitatem cepit reseratam, præfata Plechtrudis thesauros patris sui ei reddidit, & cuncta suo dominio restituit, Regem sibi constituit nomine Chlotharium. Chilpericus itaque & Raganfredus legationem ad Eudonem dirigunt, eius auxilium postulantes rogant, regnum & munera tradunt.

gradiuntur. Illi quoque hoste Vasconorum commoto ad eos venientes, pariter aduersus Carolum perrexerunt. At ille constanter & intrepidus eis occurrere properat. Eudo territus quod resistere non valeret, aufugit. Carolus insecutus eum vsque Parisios, Sequanam fluuium transit, vsque Aurelianensem vrbem accessit, & vix euadens terminos regionis suæ penetrauit, Chilpericum Regem secum cum thesauris sublatis auexit. Chlotharius itaque Rex defunctus decessit. Carolus per missos suos ab Eudone duce idemque prædictum Chilpericum Regem recipit. Veniensque vrbem Nouiomo, post non multum tempus cursum vitæ & regnum amisit, & mortuus est, regnauitque annos sex. Quo mortuo Theodoricum Regem statuerunt in sedem regni, qui nunc locum solii regalis obtinuit annis vitæ simul præstolatis. His ita euulsis, Carolus princeps insecutus idem Raganfredum, Andegauis ciuitatem obsedit, vastata eadem regione cum plurimis spoliis remeauit. *An. 720.*

CAPVT CVIII.

Qualiter Carolus cum Saxonibus, Baioariis, & cum Eudone duce, aduersus Abdirama Regem Sarracenorum pugnauit & vicit.

Aim. li. 4. c. 52. cir med. Vbi ista, & sequentia vsq; ad fin. verbotenus inserta habentur.

PEr idem tempus rebellantibus Saxonibus, Carolus princeps veniens eos præoccupauit ac debellauit, victorque reuertitur. Secutis diebus euoluto anni circulo, coacta agminum multitudine Rhenum fluuium transiit, Alemannosque & Suauos lustrat, atque Danubium peraccessit, illoque transmeato fines Baiorenses occupauit. Subacta regione illa thesauris multis, cum matrona quadam Bilitrude, & nepte sua Sonichilde egreditur. Per idem tempus Eudone Duce a iure fœderis recedente, eoque comperto per internuntios, Carolus princeps commoto exercitu Ligeram fluuium transiens, ipso duce Eudone fugato, præda multa sublata, bis eo anno ab his hostibus populata, iterum remeatur ad propria. Eudo namque Dux cernens se superatum atque derisum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxilium contra Carolum principem, & gentem Francorum excitauit. Egressique cum Rege suo Abdyrama nomine, Garumnam transeunt, Burdegalensem vrbem peruenerunt Ecclesiis igne concrematis, populis consumptis vsque Pictauos progressus est; vbi Basilica sancti Hilarii igne cremata, (quod dici dolor est) ad domum beatissimi Martini euertendam destinant. Contra quos Carolus Princeps audacter aciem instruit, super eosque belligerator irruit, Christo auxiliante tentoria eorum subuertit, ad prælium stragem conterendam accurrit, interfectoque Rege eorum Abdirama prostrauit exercitum, proterens dimicauit atque deuicit, sicque victor de hostibus triumphauit.

An. 718. *Sarraceni in Galliam. An. 721.*

CAPVT CIX.

Qualiter Burgundiam ipse Dux subiugauit, & Sarracenos qui in Auennione erant, prostrauit. Quomodo Narbonam venit, & Sarracenos cum Rege eorum in ore gladii interfecit.

Aim. 4. c. 55

PRocedente aliquin in anno sequente, egregius bellator Carolus princeps regionem Burgundiæ sagaciter penetrauit, fines Leudibus suis probatissimis viris industriis, ad resistendum gentibus rebellibus & infidelibus statuit; pace parta Lugdunum in Gallia suis fidelibus tradidit. firmata fœdera iudiciaria, reuersus est victor fiducialiter agens. In illis quippe diebus Eudo Dux mortuus est. Hæc audiens præfatus princeps Carolus, inito consilio procerum suorum, denuo Ligerem fluuium transiit vsque Garumnam vel vrbem Burdegalensem, vel castrum Blauium † *Chasteau de Blaye.*

veniens occupauit, illamque regionem cepit ac subiugauit, cum vibibus ac suburbano castrorum. Victor cum pace remeauit, opitulante Christo Rege regum, & Domino dominorum.

Aim.4.c.54 Curricula annorum hactenus reperiuntur ab Adam vel initio seculi vsque diluuium anni IICCXLII. A diluuio vsque Abraam anni DCCCCXLII. Ab Abraam vsque ad Moysen anni DV. A Moyse ad Salomonem vsque reædificationem templi temporibus Darii regis Persarum anni DXII. A restauratione templi vsque ad aduentum domini nostri Iesu Christi anni DXLVIII. Certe ab initio mundi vsque ad passionem domini nostri Iesu Christi anni MMMMMDXXXVIII. & a passione Domini vsque in istum annum præsentem in cyclo Victoris anni CLXXVII. Cal. Ianu. die (An.728.) Dominica anni DCCXXXV. & vt istud millenarium compleatur, restant anni CCLXV.

Aim.4.c.55. Itemque (quod superius prætermisimus) in gentem durissimam maritimam Frisionum nimis crudeliter rebellantem, præfatus Princeps audacter nauali euectione properat, certatim ad mare ingressus nauium copia adunata. Anistrachiā † & Austrachiam insulas Frisionum penetrauit, super Burdine fluuium castra ponens: Poponem gētilem ducem illorum fraudulentum consularium interfecit, exercitum Frisionum prostrauit: fana eorum idololatriæ contriuit, atque combussit igni, cum magnis spoliis & prædis victor reuersus est in regnum Francorum.

† f. VVestrachiam.

Aim.4.c.56 Itaque sagacissimus vir Carolus dux, commoto exercitu ad partes Burgundiæ dirigit, Lugdunum Galliæ vrbem, maiores natu atq; præfectos eiusdem prouinciæ suæ ditioni & reipublicæ subiugauit, vsque Massiliensem vrbem vel Arelatum suis iudicibus constituit, cum magnis thesauris & muneribus in Francorum regnum remeauit in sedem principatus sui.

Itemque rebellantibus Saxonibus † Paganissimis, qui vltra Rhenum fluuium consistentibus, strenuus vir Carolus dux commoto exercitu Francorum in loco, vbi Lippia fluuius Rhenum amnem ingreditur, sagaci intentione transmeauit, maxima ex parte regionem illam dirissimam strauit, gentemque illam sæuissimam ex parte tributarios esse præcepit, atque quam plures obsides ab eis accepit, sicque (opitulante Domino) victor remeauit ad propria.

† les Sesnes.

Denuo rebellante gente valida Ismahelitarum, quos modo Sarracenos vocabulo corrupto nuncupant, irrumpentesque Rodanum fluuium insidiantibus infidelibus hominibus sub dolo & fraude, Mauronte quodam cum sociis suis, Auennionem vrbem munitissimam ac montuosam collecto hostili agmine ipsi Sarraceni ingrediuntur. Illisque rebellantibus ea regione vastata. At contra vir egregius Carolus dux germanum suum virum industrium Hildebrandum ducem, cum reliquis Ducibus & Comitibus, ad illas partes cum apparatu hostili dirigit, quique propere ad illam peruenientes tentoria instruunt. Donec insecutus vir belligerator Carolus prædictam Vrbem aggreditur, muros circundat, castra ponit, obsidionem coaceruat, in modum Hiericho cum strepitu hostium & sonitu tubarum, cum machinis & restium funibus super muros & ædium mænia irruunt, vrbem munitissimam ingredientes succendunt, hostes inimicos suos capiunt interficientes, trucidant atque prosternunt, & in suam ditionem efficaciter restituunt. Victor igitur atque bellator insignis, intrepidus Carolus Rodanum fluuium cum exercitu suo transiit, Gothorum fines penetrauit, vsque Narbonensem Galliam accessit, ipsam Vrbem celeberrimam atque metropolim eorum obsedit: super Adice fluuio munitionem in gyrum in modum arietum instruxit, regem Sarracenorum nomine Athima cum satellitibus suis ibidem recludit, castraque metatus est vndique. Hæc audientes maiores natu & principes Sarracenorum, qui commorabantur eo tempore in regione Hispaniarum, coadunato exercitu hostium cum alio Rege Amor nomine, machinis aduersus Carolum viriliter armati consurgunt, præparantur ad prælium. Contra quos præfatus dux Carolus triumphator occurrit super fluuio Birra, † & valle Carbaria palatio. † Illisque mutuo confligentibus, Sarraceni deuicti atque prostrati, cernentes Regem eorum interfectum, in fugam lapsi terga verterunt: qui euaserant, cupientes nauali euectione euadere, in stagno maris natantes sibimet mutuo

† al. Birsa.
† al. & val. Corbo prædatium.

tuo conatu insiliunt. Mox Franci cum nauibus & iaculis armatoriis super eos insiliunt, suffocantesque in aquis interimunt. Sicque Franci triumphantes de hostibus prædam magnam & spolia capiunt. Capta multitudine captiuorum, cum Duce, victor regionem Gothicam depopulatur. Vrbes famosissimas, Nemausum, Agatem, ac Biterris funditus muros & mœnia Carolus destruens, igne supposito concremauit, suburbana & castra illius regionis vastauit.

Deuicto aduersariorum agmine, Christo in omnibus præsule, & capite salutis victoriæ, salubriter remeauit in regionem suam, in terram Francorum, ad solium principatus sui. *An. 740.* Denuo curriculo anni illius mense secundo, prædictum germanum suum cum pluribus Ducibus atque Comitibus, commoto exercitu ad partes Prouinciæ dirigit. Auenionem vrbem venientes, Carolus properans accessit, cunctamque regionem vsque littus maris magni, suæ dominationi restituit, fugato Duce Mauronto impenetrabilibus tutissimis rupibus maritimis munitionibus, præfatus princeps Carolus cuncta sibimet adquisita † regna victor regressus est, nullo contra eum rebellante. Reuersusque in regionem Francorum ægrotare cæpit in villa Verinbrea † super Issara fluuio.

al. adquietus Aim.

al. VVermeria. hod. Verberie pres compiegne.

CAPVT CX.

De Legatione Papæ Gregorii Vrbis Romæ, cum clauibus S. Petri ad Carolum, missis: & de diuisione regni inter filios suos, seu de obitu ipsius.

EO etenim tempore bis à Roma sede S. Petri Apostoli beatus Papa Gregorius claues venerandi sepulchri, cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis & infinitis legatione, (quod antea, nullis auditis aut visis temporibus fuit) memorato Principi destinauit. Eo pacto patrato, *Vt ad partes Imperatoris recederet, & Romanum consulatum præfato Principi Carolo sanciret.* Ipse itaque Princeps mirifico ac magnifico honore ipsam legationem recepit, munera pretiosa contulit, atque magna præmia cum suis sodalibus missis, Grimonem Abbatem Coruensis monasterii, & Sygobertum reclusum Basilicæ S. Dionysii martyris, Romam ad limina S. Petri & S. Pauli destinauit. Igitur memoratus Princeps, consilio optimatum suorum expetito, filiis suis regnum diuidit. Itaque primogenito suo, Carolomanno nomine, Auster & Suauiam, quæ nunc Alemannia † dicitur, atq; Thoringiam tradidit. Alterum vero secundum filium iuniorem, Pippinum nomine, Burgundiæ & Neustrasiæ & Prouinciæ præfecit.

Aimonius paulo aliter.

l. Alemaigne etiam hodie, pro tota Teutonia.

Eo anno Pippinus dux commoto exercitu cum auunculo suo Hildebrando duce & multitudine primatum & agminum satellitum plurimorum ad Burgundiam dirigunt, fines regionum præoccupant. Interim, (quod dici dolor & mæror sollicitat † rerum) in Sole, Luna & stellis noua signa apparuere, seu & Paschalis ordo sacratissimus turbatus fuit. Carolus nempe princeps Parisiis Basilicam S. Dionysii martyris multis muneribus ditauit: veniensque Carisiacum villam Palatii super Issaram fluuium, valida febre correptus obiit in pace, cunctis in gyro regnis acquisitis. Rexit autem vtraque † regna annos XXV. Transiit itaque XI. Cal. Nouembris, sepultusque est Parisiis in Basilica S. Dionysii Martyris. *An. 739.*

al. suscitat. Aim.

sc. Austriæ & Neustriæ.

Hactenus optimus ille Codex Nazarianus in Bibliotheca Archi-Palatina. Quæ sequuntur, ex alio Codice Bauarico non ita dudum edita Ingolstadii, hoc loco adiici non abs re visum.



CHILTRVDIS quoque filia eius, faciente consilio nefario nouercæ suæ, fraudulenter per manus sodalium suorum Rhenum transiit, & ad Dodilonem ducẽ Bagwariæ peruenit. Ille vero eam ad coniugium copulauit, cõtra voluntatẽ vel consilium fratrum suorum. Interea rebellantibus Gwasconib. in regione Aquitaniæ, cũ Chunobaldo duce, filio Theudone quondã, Carlomannus atq; Pipinus, Principes germani, cõgregato exercitu Ligeris alueũ Aurelianis vrbe transeũt, Romanos proterũt, vsq; Bituricas vrbẽ accedunt, suburbana ipsius igne *Aim.lib.4. cap.59. vocat Hunoldum.* cõburunt † Chunoaldũ ducem persequentes fuga cuncta vastãtes, Lucca castrũ diruunt atq; funditus subuertunt; custodes illius castri capiunt, & inibi victores existunt, prędã sibi diuidentes, habitatores eisdẽ locis secũ captiuos duxerunt. Inde reuersi circa tẽpus Autumni eodem anno iterum exercitum ordinauerunt vltra Rhenũ contra Almanos. *nomen desf.* Sederunt atq; castra metati super fluuium Danuuie in loco nuncupato † Vsquequo habitatores Alamanni se victos videntes, obsides donant, iura promittunt, munera offerunt, & pacem petentes eorum se ditioni submittunt.

An.742. Inde reuersi anno II. regni eorum cognatus Hodilo dux Baioariæ cõtra ipsum bellũ excitat: cõpulsi sunt generalẽ cum Francis in Baioaria admouere exercitũ, venientesq; *Lycus fl.* sup fluuium, qui dicitur Lech, sederunt super ripã fluminis vterq; exercitus, hinc inde se mutuo videntes vsq; ad dies quindecim: qui tantundẽ prouocati irrisionib. gentis illius, indignatione cõmoti periculo se dederunt per loca deserta & palustria, vbi pons transeundo nullatenus aderat, nocteq; irruentes diuisis exercitib. eos improuisos occupauerunt: cõmissoq; prælio, prædictus dux Hodilo cæso exercitu suo, vix cum pau- *Oenus fl.* cis turpiter vltra Igne fluuium fugiendo euasit. His triumphis peractis, nõ sine dispendio multorum, tamen feliciter victores ad propria remeauerunt.

An.745. Euoluto triennio iterum Carlomãnus confinium Saxonorũ, ipsis rebellantib. cum exercitu irrupit; ibiq; captis habitatoribus qui suo regno adfines esse videbantur, absq; belli discrimine feliciter adquisiuit, & plurimos eorum (Christo Duce) baptismi Sacramento cõsecrati fuerunt. Per idẽ tempus rebellante Theudebaldo filio Godfredi ducis, Pipinus cum virtute exercitus sui ab obsidione Alpium turpiter expulit fugientem, reuocatoque sibi eiusdem loci ducatu, victor ad propria remeauit.

An.746. Inde reuersi prędicti germani sequente anno, prouocato coturno Gwasconorũ iterumq; vsq; ad Ligerim fluuium pariter adunati venerunt. Quod videntes Gwascones præoccupauerunt pacem petentes & voluntatem Pipini in omnibus exsequentes, muneratum eum à finibus suis vt rediret, precibus obtinuerunt.

His transactis sequenti anno dum Alamanni contra Carlomannum eorum fidem fefellissent, ipse cum magno furore cum exercitu in eorum patriam peraccessit, & plurimos eorum, qui contra ipsum rebelles existebant, gladio trucidauit.

His ita gestis sequenti curriculo annorum, Carlomãnus deuotionis causa inextincto succensus, regnum vna cum filio suo Chrohone manibus germani sui Pipini com- *An.747.* mittens, ad limina beatorum Petri & Pauli Romam in Monachorum ordine perseueraturus aduenit, qua successione Pipinus roboratus in regno.

Eodẽ anno Saxones more cõsueto fidem, quã germano suo promiserãt, mentiri conati sunt. Qua de causa adunato exercitu ad eos peruenire cõpulsus est; cui etiã reges Winidorum seu Frisionũ ad auxiliandum vno animo cõuenerunt. Quod vidẽtes Saxones, cõsueto timore cõpulsi, multis ex eis iã trucidatis & in captiuitate missis, regionib. eorum igne concrematis, pacem petentes, iuri Francorum sese, vt antiquitus mos *Aim.lib 4. cap. 26.* fuerat, subdiderunt; & ea tributa quæ Chlotario quondam præstiterant, plenissima solutione ab eo tempore deinceps esse reddituros promiserunt. Ex quibus plurima multitudo videntes, se contra impetũ Francorum rebellare nõ posse, propriis viribus destituti, petierunt sibi Christianitatem sacramenta conferre. Quo peracto tempore Baioarii consilio nefandorum, iterum eorum fidem fefellerunt, & contra præfatum Principem eorum fidem mentiti sunt. Qua de re commoto exercitu cum magno agmine *f.Oeni.fl.* apparato eorum patrias peraccessit: ipsi vero terrore compulsi vltra fluuiũ igni † cum vxoribus ac liberis eorum fugientes, & memoratus Princeps super ripam Igni castra metatus, nauale præliũ præparauit, qualiter eos internecione insequeretur. Quod videntes Baioarii, eorum viribus se auxiliare non posse, legatos cum muneribus multis

tis transmittunt, & in eius ditione se subdunt, & sacramenta vel obsides donant, vt ne
vlterius rebelles existant. Ipse vero duce Christo, cum magno triumpho in Franciā ad
propriam sedem feliciter remeauit. Et quieuit terra à præliis annis duobus. Quo tem-
pore vna cum consilio & consensu omnium Francorum missa relatione à sede Apo- *Pippin. Rex. An. 751.*
stolica auctoritate percepta, præcelsus Pippinus electione totius Franciæ in sedem re-
gni, cum consecratione Episcoporum & subiectione principum, vna cum regina Ber-
tradane, vt antiquitus ordo deposcit, sublimatur in regno.

His transactis sequenti anno iterum Saxones contra eorum fidem, quā præfato Re- *An. 752.*
gi dudum promiserant, solito more iterum rebelles contra ipsum existunt. Vnde & Pi-
pinus Rex ira cōmotus, commoto omni exercitu Francorum iterum Rheno trāiecto
in Saxoniam cum magno apparatu veniens, ibiq; eorum patriam maxime igne cōcre-
mauit, captiuos tam viros quā fœminas secum duxit, cum multam prædam ibidem fe-
cisset, & plurimos Saxones ibidē prostrauisset. Conuenientib. iis Saxones pœnitentia
cōmoti, cum solito timore clementiam Regis petunt, vt pacem eis cōcederet, & sacra-
mēta atq; tributa multo maiora quā ante promiserant redderent, & nunquā vltra iam
rebelles existerent. Rex Pipinus (Christo propitio) cum magno triumpho iterū ad Rhe
num ad castrū, cuius nomen est Bonna veniens. Dum hæc ageret, nuncius veniens ad
præfatū Regem ex partib. Burgundiæ, q̃ germanus ipsius Regis nomine Gripho quon-
dā in Gwasconiam ad Waiofariū Principem confugium fecerat, & Theodonē Vien-
nens. seu & Fridericum Vltraiuranū Comitem secundū partes Langobardiæ peteret,
& insidias cōtra ipsum prædictū Regem pararet, apud Mauriennā vrbem sup fluuium
Arboris† interfectus est. Nā & ipsi superscripti oēs in eo prælio pariter interfecti sunt, p̄ *f. Arbona.*
Ardennam siluā cum ipse Rex veniens ad Theodonē† villam publicam sup Mosellā *hod. Thionuille.*
resedisset, nuncius ad eum veniens dixit, q̃ Stephanus Papa de partib. Romæ cum ma-
gno apparatu & multis munerib. iam monte Iouis† transmeato ad eius p̄perarct aduē- *vul. Mont. Iou.*
tum. Hæc audiens Rex cū gaudio & lætitia & ingenti cura recipere eum præcepit, & fi- *Stephanus PP.*
lio suo Carolo ei obuiam ire præcepit, qui vsq; ad pōtem Vgone villæ publicæ ad eius *An. 753.*
præsentiā adducere deberet. Ibiq; Stephanus Papa Romensis ad pręsentiam Regis ve-
niens, & multis munerib. tam ipsi Regi quā & Francis largitus est, auxilium petens cō-
tra gentē Lōgobardorum, & eorum regem Aistulfum, vt p eius adiutorium ab eorum
oppressionib. & fraudulentia eos & de manibus eorum liberaret, & tributa & mune-
ra, q̃ contra legis ordinē à Romanis requirebant facere, desisterent. Tunc Pipinus Rex
præfato Stephano Papa apud Parisius ciuitatē in monasterio S. Dionysii martyris, cum
ingenti cura & multa diligētia hyemare præcepit, legationem ad Aistulfum regē Lon-
gobardorum mittens, petens, vt propter reuerentiam beatissimorum Petri & Pauli in
partib. Romę hostiliter nō ambularet, & superstitiosas ac impias & contra legis ordinē
causas, quas antea Romæ nunquam fecerat, propter eius petitionem facere non debe-
rent. Cum prædictus Rex Pipinus q̃ per legatos suos petierat, non impetrasset, & Ai-
stulfus hoc facere cōtempsisset, euoluto anno Rex, à Kal. Mart. oēs Francos (sicut mos *Expeditio Lōgobardica*
Francorum est) in Bernaco villa publica ad se venire præcepit, initoq; consilio cum p̄-
ceribus suis eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, Stephanus Papa & reli-
quæ nationes, quæ in suo regno commorabantur, & Francorum agmina ad partes Lā-
gobardiæ cū omni multitudine p Lugdunum Gallię & Viennam pergentes vsq; Mau-
riennā peruenerunt. Aistulfus Rex Langobardorū hæc audiens, cū omni exercitu Lā-
gobardorum vsq; ad clusas, q cognominatur Valle Sweliana, veniens ibi cum omni ex- *Clusæ.*
ercitu suo castra metatus est, & cū telis & machinis, & multo apparatu, q̃ nequiter cō-
tra Rempublicā† & sedem Romanam Apostolicam admiserat, nefarie nitebatur de- *i. Imperium Rom.*
fendere. Et cum supra scriptus Rex Pipinus Mauriennam cū exercitu suo redisset, &
propter angusta valliū, montes, rupesq; exercitus prædicti Regis minime transire po-
tuisset, pauci tamen montib. angustiisq; locis erumpentibus, vsq; in Valle S. Eusana p-
uenerunt. Hæc cernens Aistulfus Rex Langobardorū, oēs Langobardos armare præ-
cepit, & cū omni exercitu suo sup eos audaciter venit. Hæc cernentes Franci, non suis
auxiliis, nec suis viribus liberare se putabant, sed Deum inuocant, & B. Petri Apostoli
adiutorium rogant. Cōmissoq; prælio fortiter inter se dimicantes, Aistulfus Rex Lan-
gobardorum læsum cernens exercitum suum, terga vertit, & pæne omnem exercitum

suum, quē secum adduxerat, tam Duces, Comites, & oēs maiores natu gentis Langobardorum in eo prælio oēs amisit, & ipse quodam monte rupis vix lapsus euasit, Ticinū vrbem suā cum pa . cis venit. Igitur pręcelsus Rex Pipinus, patrata (Deo adiuuante) victoria, cum omni exercitu & multitudine, agmina Franco um vsq; ad Ticinum accessit, castra metatus est, vndiq; omnia quę in gyro fuerunt vastans, partes Italiæ maxime igne cōcremauit; totā regionem illā vastauit, castra Langobardorum omnia disrupit, & multos thesauros & alia ornamēta quāplurima & eorum tentoria omnia rapuit & cepit. Hæc cernens Aistulfus Rex Lōgobardorum, q̄ nullatenus euadere potuisset; pacem per Sacerdotes & optimates Francorum petens, dictiones supradicto Regi Pipino faciens, & quicquid contra Romanā Ecclesiam vel sedem Apostolicam, contra legis ordinē fecerat, plenissima solutione emendaret, sacramēta & obsides ibidem donat, *Vt nunquā à Francorum ditione se abstraheret, & vlterius ad sedem Apostolicam Romanam & Rempublicā hostiliter nunquā accederet.* Præfatus Rex Pipinus clemēs vt erat, misericordia motus vitā & regnum ei cōcessit, & multa munera Aistulfus partib. prædicti Regis donat. nam & optimatib. Francorum multa munera largitus est. His itaq; gestis, Pipinus Rex prædicto Stephano Papa cum optimatibus suis & multa munera partibus Romæ cum magno honore direxit, & sedem Apostolicam incolumem, sicuti prius fuerat, restituit. His transactis Pipinus Rex cum exercitu suo, & multis thesauris ac multis muneribus, (Deo adiuuante) reuersus est ad propria.

Sequenti anno Aistulfus Rex Lāgobardorū fidem suam quā regi Pipino ꝓmiserat, peccatis facientib. fefellit. Iterum ad Romā cum exercitu suo veniens, fines Romanorū peragrans, atq; regionem illā vastans, ad Ecclesiam S. Petri perueniens, & domos quas ibidē reperit, maxime igne cōcremauit. Hæc Pipinus Rex cum per nūcios audisset, nimio furore & ira motus, cōmoto iterum omni exercitu Frācorum per Burgundiā, per Cauolonnā vrbem, & inde per Ianuā vsq; ad Mauriennam veniens. Rex Aistulfus cū hoc reperisset, iterū ad clusas exercitū Longobardorū mittēs, qui regi Pipino & Frācis resisterēt, & partes Italiæ intrare nō sinerēt. Rex Pipinus cū exercitu suo, mōte Cinisio trāsacto vsq; ad clusas, vbi Lōgobardi resistere nitebantur, ꝑueniens, & statim Franci solito more, vt edocti erāt, per mōtes & rupes erūpentes in regnum Aistulfi cum multa ira & furore intrant, Longobardos quos ibi repererūt, interficiunt. Reliqui qui remāserāt, vix fuga lapsi euaserūt. Rex Pipinus cū nepote suo Tassilone Baioarorū duce, partes Italiæ vsq; ad Ticinum iterū accessit, & totā regionem illā fortiter deuastans, & circa muros Ticini vtraq; parte fixit tentoria, ita vt nullus exinde euadere posset. Hæc Aistulfus rex Longobardorū cernens, etiam nullā spem se euadendi speraret; iterum per supplicationē Sacerdotum, & optimatū Francorum, veniā & pacem prædicto supplicās, & sacramenta, quæ præfato Regi dudū dederat, *vt quæ contra sedem Apostolicam rē nefariā fecerat, omnia iudicio Francorum & sacerdotū plenissima solutione emendaret.* Igitur rex Pipinus solito more iterum misericordia motus, ad petitionem optimatum suorum vitā & regnum iterato concessit. Aistulfus Rex iudicio Francorum & sacerdotum, thesaurum, qui in Ticino erat, id est tertiam partē prædicto Regi tradidit, & alia multa munera maiora quā antea dederat, partib. Regis Pipini dedit, sacramenta iterū & obsides donat, *Vt amplius nunquā contra regem Pipinum & proceres Francorum rebellis & contumax esse debeat, & tributa, quæ Longobardi regi Francorum à longo tempore dederant, annis singulis per missos suos desoluere deberent.* Præcelsus rex Pipinus victor cum magnis thesauris & multis muneribus, absque belli euentu, cum omni exercitu suo illæso ad propriam sedem regni sui remeauit incolumis, & quieuit terra à prælüs annis duobus.

Mors Aistulphi. P Diac. lib 6. c. 50. Vide Aim. l 4. c. 63. 64 65.

Post hæc Aistulfus rex Longobardorū, dum venationem in quadam insula exerceret, diuino iudicio de equo, quo sedebat, super quandā arborem proiectus, vitam & regnum crudeliter digna morte amisit. Longobardi vna cū cōsensu prædicti regis Pipini, & consilio procerum suorum, Desiderium in regni sedem instituunt.

Dum hæc agerentur, rex Pipinus legationem Constantinopolim ad Constantinum Imperatorem pro amicitiæ causa & salute patriæ suæ mittens, similiter & Constantinus Imp. legationem præfato Regi cum multis muneribus mittens, & fidem per legatos eorum vicissim inter se promittunt. Nescio quo faciente, postea amicitia, quam inter se mutuo promiserant, nullatenus sortita est effectum.

His

His itaq; gestis & duobus annis cum terra cessasset à præliis, prædictus rex Pipinus legationẽ ad Waiofarium Aquitanum principẽ mittens, petẽs per legatos suos, vt res Ecclesiarũ de regno ipsius, quæ in Aquitania sitæ erant redderet, & sub immunitatis nomine, sicut ab antea fuerant cõseruatas esse deberent, & iudices ac actores in supra dictas res Ecclesiarum, quod a lõgo tempore factum non fuerat, cõmittere non deberent; & Gothos prædicto Regi, quos dudum Waiofarius contra legis ordinem oc iderat, ei soluere deberet; & homines suos, q; de regno Francorum ad ipsum Waiofariũ principem confugium fecerunt, reddere deberet, hæc omnia Waiofarius, quæ prædictus Rex per legatos suos ei mandauerat, hoc totum fa ere contempsit. Igitur Pipinus Rex inuitus coactus vndiq; contraxit exercitum, & partibus Aquitaniæ, per pagũ Trecasinum vsq; Antisiodorum vrbem accessit, inde ad Ligerem fluuium, cum omni exercitu Francorũ, ad Masuam vicum in pago Antisiodorensi Ligerẽ fluuium transmeauit, per pagum Bitorinum vsq; Auernicam accessit, regionẽ illam peruagans, & maximam partem Aquitaniæ igne concremauit. Waiofarius princeps Aquitaniæ, per legatos suos pacem supplicans, Sacramenta & obsides ibidẽ donat, vt omnes iusticias quas præfatus rex Pipinus per legatos suos ei manda ierat, in placito instituto facere deberet. Rex Pipinus cum omni exercitu suo illæso reuersus ad propria.

Reuoluto anno, id est, anno decimo regni ipsiu omnes optimates Francorum ad Dura in pago † Riguernensi ad componendum, pro salute patriæ & vtilitate Francorum tractanda placito instituto, ad se venire præcepit. Dum hæc agerentur Waiofarius inito iniquo consilio contra Pipinum regem Francorum insidias parat, exercitum suũ cum Vniberto Comite Bitoruio, & Blaudeno Comite Aruernico, qui dudum ante annum superiorem ad prædictum regem Pipinum cum Bertellano Episcopo Bitoricæ ciuitatis missus fuerat, & animum Regis ad iracundiam nimium prouocasset, cum reliquis Comitibus clam hostiliter vsque Caualonum, omnem exercitum suum transmisit, & totam regionem illam, id est Augusdunensium vsque ad Caualonum, igne cremauit, & suburbana Caualoni vrbis quidquid ibidem reperierunt, omnia vasta erunt, Melciacum villam publicam incendio cremauerunt, cum multis spoliis & præda nullo resistente remeauerunt ad propria. Cum hoc Pipino Regi nunciatum fuisset, quod Waiofarius maximam partem regni sui vastasset, Sacramenta, quæ ei dederat fefellisset; nimium ira motus iubet omnes Francos vt hostiliter, placito instituto, ad Ligerem venissent: commotoque exercitu cum omni multitudine iterum vsque ad Trecas accessit, inde per Antisiodorum ad Neuernum vrbem veniens Ligeris fluuio transmeato, ad castrum, cuius nomen est † Burbone, in pagum Bitornium peruenit. Cumq; in gyro castra posuisset, subito a Francis captũ & succensum est, & homines Waiofarii, quos ibidem inuenit, secum duxit, maximam partem Aquitaniæ vastans, vsq; vrbem Auernam, cum omni exercitu veniens Claremontem castrum captum atq; succensum bellando cepit, & multitudinem hominum tam virorum quam mulierum, & infantum plurimos, in ipso incendio cremauerunt. Blandinum Comitem ipsius vrbis Auernicæ captum atq; ligatum ad præsentiam Regis adduxerunt: & multi Wascones in eo prælio capti atq; interfecti sunt. Igitur rex Pipinus vrbe capta, ac regione illa tota vastata, cum præda & populo multo (Deo auxiliante) cum illæso exercitu iterum remeauit ad propria. Factum est autem postquam Pipinus rex vrbem Auernam cepit hanc, regionem illam totam vastauit.

Sequenti anno, id est anno vndecimo regni ipsius, cum vniuersa multitudine gentis Francorum Bitoricas venit, castra metatus est vndiq;, & omnia quæ in gyro fuerũt, vastauit: circumsepit vrbem munitione fortissimam, ita vt nullus egredi ausus fuisset, aut ingredi potuisset. Cum machinis & omni genere armorum circumdedit eam vallo, multis vulneratis, plurimisque interfectis Francis, per muros cepit vrbem, & restituit eam ditioni suæ iure prælii, & homines illos quos Waiofarius ad defendendum ipsam ciuitatem dimiserat, clementia suæ pietatis absoluit, dimissique reuersi sunt ad propria. Vnibertum Comitem & reliquos Vascones, quos ibidem inuenit, sacramentis dati secum adduxit, vxores eorum ac liberos in Franciã ambulare præcepit, muros ipsius Bitoricæ ciuitatis restaurare iubet, Comites suos in ipsam ciuitatem ad custodiendum misit. Inde cum omni exercitu Francorum vsque ad castrum quod

An. DCC LXI.

Aim. 4. c. 65 vocat villam Duriam.

Aimon 16. Berlionum vocat.

An. DCC LXII.

Cadurcia Aimonio, vulgo Cahors.

vocatur † Toarcius veniens. Cumq; in gyro caſtra poſuiſſet ipſe, caſtrum mira celeritate captum atq; ſuccenſum eſt, & Guaſcones, quos ibidem inuenit, vna cum ipſo Comite ſecũ duxit in Franciam. Pipinus (Chriſto duce) cum omni exercitu Francorum cum multa præda & ſpoliis, iterum reuerſus eſt ad ſedem propriam. Facta eſt autẽ longa altercatio inter Pipinum regem Francorum & Guaiofarium Aquitaniæ principẽ. Pipinus rex (Deo auxiliante) magis ac magis creſcens, & ſemper ſe ipſo robuſtior in ſe ipſo factus eſt; pars autem Waiofarii, & eius Tyrannidis decreſcens quotidie. Waiofarius princeps ſemper contra prædictum regem Pipinum inſidias parare diſſimulat. Nam Mancionem Comitem conſobrinum ſuum ad partes Narbonæ cũ reliquis Comitibus tranſmiſit, vt cuſtodias, quas prædictus rex Narbonam, propter gentem Saracenorum ad cuſtodiendum miſerat, ne aut intrarent, aut ſi quando iterum in patriam reuerterentur, capere aut interficere ſuos poſſent. Factum eſt autem vt Aſtraldus Comes, & Galemanius itemq; Comes, compares eorũ ad propria reuerterentur, ſic Mancio vna cum multitudine gẽtis Guuaſconorum ſuper eos irruit, fortiter inter ſe dimicantes. Prædictus Galemanius & Aſtraldus ibidem Mancionẽ & vniuerſos pares ſuos (Deo adiuuante) interficiunt. Hæc cernentes Guuaſcones terga vertunt, omnes equites † quos ibidem adduxerant, amiſerunt, montes valleſq; peruagantes pauci tamen vix fugaciter euaſerunt. Ipſi vero cũ multa prę da & equitibus & ſpoliis cum gaudio reuerſi ſunt ad propria. Dum his & aliis modis Franci & Guuaſcones ſemper inter ſe altercarent, Chilpingus Comes Auernorum collecto vndiq; exercitu, in pago Lugdunenſi in regno Burgundiæ ad præliandum ambulare nitebatur. Contra quem Adalardus Comes Gaualonenſis, & Aſtraldus idemq; Comes, cum paribus eorum contra eũ venientes; ſtatim Chilpingus Comes in eo prælio à ſupra ſcriptis Comitibus occiſus eſt, & multi qui cum eo venerant, ibidem interfecti ſunt. Hęc videntes Guaſcones terga vertunt. Vix pauci ſyluis & paludibus ingreſſis euaſerunt.

i. equi. ſic & alibi.

Amanugus Comes Pictauenſis dum Turonicam infeſtatam prædaret & ab hominibus Gulfardi Abbatis monaſterii beati Martini interfectus eſt, & plures, qui cum eo ibidem venerant, cum ipſo pariter ceciderunt: reliqui qui remanſerant terga vertẽtes, pauci vix euaſerunt. Dum hæc agerentur, Remiſtanus auunculus Guaiofarii ad prædictum Regem veniens, ſacramenta multa & fidem prædicto regi Pipino promiſit, vt ſemper fidelis tam prædicto Regi, quam & filiis ſuis omni tempore eſſe deberet. Rex vero Pipinus in ſuam ditionem eum recepit, & multa munera auri & argenti, & precioſa veſtimenta, equites & arma largiendo ditauit.

Rex Pipinus caſtrũ cui nomen Argentonnis, in pago Bitoruio, à fundamento miro opere in priſtinum ſtatũ reparare iuſſit, Comites ſuos ibidẽ ad cuſtodiendũ mittens ipſum caſtrũ, Remiſtano ad Guaiofario reſiſtendũ cũ eis medietatẽ pagi Bitoruio vſq; ad Care cõceſſit. Videns prædictus Guaiofarius princeps Aquitanicus, q; caſtrũ Claremontis Rex bellando ceperat, & Bitoricas caput Aquitaniæ, munitiſſimã vrbẽ cũ machinis cepiſſet, & impetum eius ferre non potuiſſet, omnes ciuitates, quæ in Aquitania Prouincia ditionis ſuæ erant, id eſt Pictauis, Lemouicas, Sanctionis, Petrecors, Equoliſma, & reliquas quam plures ciuitates & caſtella, omnes muros eorum in terram proſtrauit, quos poſtea præcelſus rex Pipinus reparare iubet, & homines ſuos ad ipſas ad cuſtodiendum dimiſit.

DCC LXVI.

Iterum eo anno cum omni exercitu ſuo prædictus Rex Pipinus ad ſedem propriã reuerſus eſt. Iterum ſequenti anno cõmoto omni exercitu Francorũ per Trecas, inde Antiſiodorum, vſq; ad Auernũ vrbem cũ omni exercitu veniens ibiq; cum Francis, & proceribus ſuis placitum ſuũ Campomadio tenens, poſtea Ligere tranſacto Aquitaniã pergens vſq; ad Lemodicas acceſſit, totam regionẽ illam vaſtans, villas publicas, quæ ditionis Guaiofarii erant, totas igne cremare pręcepit. Tota regione pene vaſtata, Monaſteriis multis depopulatis, vſq; Hiſandonem veniens, vnde maximam partem Aquitaniæ, vbi plurimum vinearum erat, cepit ac vaſtauit, vnde pene omnis Aquitania tam Eccleſiæ, quam monaſteria, diuites & pauperes vina habere conſueuerunt, omnia vaſtauit & cepit. Dum hæc agerentur Guaiofarius cum exercitu magno & plurimorum Guuaſcanorum, qui vltra Garronam † commorantur (qui antiquitus vocati ſunt Vaocei) contra prædictum Regem veniens, ſed ſtatim ſolito more omnes Guaſcones

Garumnam.

terga

terga verterunt, plurimi ibidem à Francis interfecti sunt. Hæc cernens Rex, persequi eum iubet, & vsq; ad noctē eum persequens, vix Guaiofarius cum paucis, qui remanserant, fugiendo euasit. In eo prælio Blandinus Comes Auernorum, quem prædictus Rex prius ceperat, & qui postea ad Guaiofarium confugium fecerat, interfectus est. Rex Pipinus (opitulante Deo) victor extitit, patrata iterum victoria cum magno triumpho iterum ad Degontum cum omni exercitu Francorum ad Ligerem veniens. Inde per pagū Augustudunēsem ad propriam sedem remeauit. Ibi victus Vuaiofarius legationem ad prædictum Regem mittens, petens eum, *Quod Bitoricas & reliquas ciuitates Aquitaniæ prouinciæ, quas de manu eius prædictus Rex abstulerat, ei redderet, & postea ipsius Guaiofarius ditioni suæ faceret: Tributa & munera, quæ antecessores sui Reges Francorum, de Aquitania prouincia exigere consueuerant, annis singulis partibus prædicto regi Pipino soluere deberet.* Sed hoc Rex per consilium Francorum, & plurimorum nationis qui in regno suo commorabantur, & procerum suorum, facere contempsit. Euoluto igitur anno, commoto omni exercitu Francorum vsque Aurelianis veniens, ibi placitum suum Campomaii (quod ipsus primus pro campo Martio, pro vtilitate Francorum instituit) tenens, multis muneribus à Francis & proceribus suis ditatus est. Iterum Ligere transacto totam Aquitaniam pergens vsque ad Aginnum veniens totam regionem illam deuastauit. Videntes tam Guascones, quam maiores natu Aquitaniæ, necessitate compulsi plurimi ad eum venerunt, sacramenta ibi donant, & se ditioni suæ faciunt. Ita omnis Aquitania prouincia vastata cum multa præda ac spoliis, per pagum Prætecoricam & Equolisnam, † iam pene omni Aquitania acquisita, cum omni exercitu suo Francorum iterum eo anno cum omnibus suis reuersus est in Franciam.

Campo-Maius.

Engoulesme.

Iterum denuo sequenti año commoto omni exercitu Francorum per pagum Trecasinam inde ad vrbē Antisiodorum veniēs ad castrum, quod vocatur Gordinis, cum Regina sua Bertrada iam fiducialiter Ligere transacto ad Bitoricas accessit, palatium sibi ædificare iubet. Iterum campomadium (sicut mos erat) ibidem tenere iubet, initoque consilio cum proceribus suis præfatā Reginam Bertradam cum reliquis Francis ac Comitibus fidelibus suis in prædicta Bitorica dimisit, ipse prædictus Rex cum reliquis Francis & optimatibus suis ad persequendum Guaiofarium ire perrexit. Cumq; prædictus Rex ipsum Guaiofarium persequens nō reperiret, iam tempus hyemis erat, cum omni exercitu ad Bitoricas, vbi præfatam Reginam Bertradam dimiserat reuersus est.

An. DCCLXVII.

Dum hæc agerentur, Remistanius filius Iudonæ, quondam fidem suam, quam prædicto regi Pipino promiserat, fefellit; & ad Guaiofarium iterum veniens ditioni suæ faciens, quod Guaiofarius cum magno gaudio eum recepit, & adiutorem sibi cōtra Francos & prędictum Regem eum instituit. Superscriptus Remistanus contra prędictum Regem & Francos, seu custodias quas ipse in ipsius ciuitatibus dimiserat, nimium infestus accessit, & Bitorium seu Limoticinum quas Rex acquisierat, prædando nimium vastauit, ita vt nullus colonus terrę ad laborandum, tam agros quam vineas colere non audebat. Prædictus Rex Pipinus in Bitorice per hyemem totam cum regina sua Bertrada in palatio resedit, totum exercitum suum per Burgundiam ad hyemandum mittens, Natale domini nostri Iesu Christi & sanctæ Epiphaniæ apud Bitoricas vrbem per consilium Episcoporum & Sacerdotum venerabiliter celebrauit. Euoluto igitur eo anno cum in Bitoricis resideret, medio ante Februario omnem exercitum suum, quem in Burgundiam ad hyemandum miserat ad se venire præcepit; initoque consilio, contra Remistanum insidias parat, Hermenaldum, Beringarium, Childeradum, & Chunibertum Comitem Bitorinum, cum reliquis Comitibus & leudibus suis ad ipsum Remistagnum capiendum mittens, prædictus Rex Pipinus cum omni exercitu Francorum, iterum ad persequendum Guaiofarium ire destinauit. Bertrada Regina Aurelianis transiens, & inde nauali euectione per Ligerem fluuium vsque ad Sellus castrum super fluuium ipsius Ligeris peruenit. His itaque gestis nunciatum est Regi, quod missi sui, quos dudum ad Amormuni regem Saracenorū miserat, post tres años ad Marsiliam reuersi fuissent, legationem prędicti Amormuni regis Saracenorū ad prędfatum Regē cū multis muneribus

ſecum adduxerant. Quod cum compertum Regi fuiſſet, miſſos ſuos ad eam direxit, qui eos venerabiliter reciperent, & vſque ad Mettis ciuitatem ad hyemandum ducerent. Igitur ſupra ſcripti Comites, qui ad Remiſtagnum capiendum miſſi fuerant, per diuinum iudicium, & fidem Regis eum capiunt, & ligatum ad præſentiam Regis cum vxore ſua adduxerunt. Quum ſtatim rex † Vniberto & Ghiſelario Comitibus Bitoricæ ciuitatis ipſum Remiſtagnum in patibulo ſuſpendi iuſſit. prædictus Rex Pipinus vſq; ad Garonnam acceſſit. Ibi Guuaſcones, qui vltra Garonnam cõmorantur, ad eius præſentiam venerunt, & ſacramenta & obſides prædicto Regi donant, vt ſemper fideles partibus Regis ac filiis ſuis Carolo & Carlemanno omni tempore eſſe debeant. Et aliæ multæ quam plures gentes ex parte Guaiofarii, ad eum venientes, & ſe ditioni ſuæ ſubdiderunt. Rex vero Pipinus benigniter eos in ſuam ditionem recepit. Vuaiofarius cum paucis per ſyluam, quæ vocatur Edobola, in pago Petrecorrego latitans, & huc illuc vagatur incertus. Præfatus Rex Pipinus ad Guaiofarium capiendum inſidias iterum parat. Inde ad Reginam ſuam de Sellum veniens, legationem Saracenorum, quam Mettis ad hyemandum miſerat, ad Sellus caſtrum ad ſe venire præcepit, & ipſi Saraceni munera, quæ Amormuni tranſmiſerat ibidem præſentant. Iterum Rex ipſis Saracenis, qui ad ipſum miſſi fuerant, munera dedit, & vſque ad Marſiliam cum multo honore adduci præcepit; Saraceni vero nauali euectione per mare redeunt ad propria.

Videtur aliquid deeſſe. Vide Aim. 4.c.67.

DCC LXVIII.

Præcelſus rex Pipinus iterum de Sellus caſtro cum paucis ad perſequendum Guaiofarium eo anno iterum ire perrexit, vſque ad Sanctiones mira celeritate primus cum paucis venit. Cum hoc Guaiofarius audiſſet, ſolito more terga vertit. Rex Pipinus in quatuor partes Comites, ſcaritos, & leudos ſuos ad perquirendum Guaiofarium tranſmiſit. Dum hæc agerentur, vt aſſerunt, conſilium regis factum fuiſſet, Guaiofarius princeps Aquitaniæ a ſuis interfectus eſt. Præfatus Rex Pipinus iam tota Aquitania acquiſita, omnes ad eum venientes ditionis ſuæ, ſicut antiquitus fuerãt, ſe faciunt. Cũ magno triumpho & victoria Sanctionas, vbi Bertrada Regina reſidebat, venit. Dum Sanctionas præfatus Rex veniſſet, & cauſſas pro ſalute patriæ & vtilitate Francorum tractitaret, à quadam febre vexatus ægrotare cœpit, Comites ſuos ac iudices ibidem conſtituit. Inde per Pictauum vſq; ad Turonis vrbem ad monaſterium beati Martini confeſſoris acceſſit, ibique multam eleemoſynam tam Eccleſiis quam Monaſteriis, & pauperibus largitus eſt, & auxilium beati Martini petens, vt pro eius facinoribus Domini miſericordiam deprecari dignaretur. Inde promouens ſe cum prædicta Regina Bertrata, & filiis ſuis Carolo & Carlomanno, vſque ad Pariſius ad monaſterium beati Dionyſii martyris veniens, ibique moratus eſt aliquandiu, cernensque quod vitæ periculum euadere non poſſet, omnes proceres ſuos, Duces & Comites Francorum, tam Epiſcopos quam Sacerdotes, ad ſe venire præcepit; ibique vna cum conſenſu Francorũ & procerũ ſuorum ſeu & Epiſcoporum, regnum Francorũ quod ipſe tenuerat, æquali ſorte inter prædictos filios ſuos Carlum & Carlomannũ, dũ adhuc ipſe viueret, inter eos diuiſit, id eſt Auſtraſiorum regnum Carolo ſeniori filio regnum inſtituit: Carlomanno vero iuniori filio regnum Burgundiæ & Prouinciæ Alceſans † & Alamaniam tradidit: Aquitaniam quam ipſe Rex acquiſierat, inter eos diuiſit. His geſtis rex Pipinus poſt dies (vt dolor eſt ad dicendũ) multitudine † & vita ſimul caruit. Sepelieruntque eum prædicti Reges, Carlus & Carlomannus filii ipſius Regis, in monaſterio S. Dionyſii martyris, vt ipſe voluit, cum magno honore. regnauitq; annis viginti quinque. His tranſactis prædicti Reges Carolus & Carlomannus vnuſquiſq; cum leudelibus ſuis ad propriam ſedem regni eorum venientes, inſtituto placito, initoque conſilio cum proceribus eorum, menſe Septembri die Dominico XIV. Calendas Octobris, Carolus ad Nouionem vrbem, & Carlomannus ad † Saxones ciuitatem, pariter vno die, a proceribus eorum & conſecratione Sacerdotum ſublimati ſunt in regno.

f. Alſatiam.
i. potentia. Aim. lib. 4. c 67. ait obiiſſe 7. Kalen. Oct.

Suſſionis dicitur ab Aimon. ib.

ERCHAN-

ERCHANBER II.

FRAGMENTVM

Ex breuiario Regum Francorum, & maiorumdomus.



CHLODHARIVS Rex de Austris, postquam Theodericus & Theodeberdus reges & germani mortui sunt, recepit regnum eorum, consilio & adiutorio Pippini senioris, qui tunc temporis Maiordomus erat; & sortitus est præfatus Rex trium regnorum monarchiam XVI. annis, sicut illi S. Columbanus Abba in prophetico Spiritu antea prædixit: quia ille Theotericus Rex instigante Brunnihilta auia sua de suo monasterio illum expulerunt. Quam etiam statim vt comprehendit Clotharius, vitam ignominiose finire fecit. Maiordomus tunc Gundolandus vir egregius erat.

Post non multum Rex præfatum Pippinum in Austris cum filio suo iam adulto Tagoberto misit, ibidem eum Regem constituendum, ipsumq; ei in Maioremdomus ac pædagogum constituens.

Dagobertus Rex post mortem patris regnauit annis XVI. Hic magnificus Ecclesiis Dei largitor ac distributor fuit. Maiordomus eius Erchanoldus † vir inluster, Pippino interim in Auster Duce, ac nō post multū mortuo post mortē Dagoberti Regis. *al. Erchanbaldus.*

Chlodoueus Rex filius Dagoberti regnauit XVI. annis, qui omni spurcitiæ deditus fuit. Maiordomus qui supra.

Chlodharius Rex, filius Chlodouei adhuc in puerili ætate suæ iuuentutis mortuus est, regnauitq; annis IV. Maiordomus Ebroinus.

Theodorichus Rex filius Chlodouei, frater Chlodharii regnauit annis XIX. Maiordomus Bertharius, quo occiso, Pippinus iunior filius Ansegisili † veniens de Austrasiis successit in principatum Maiorumdomus. *al. Ansgisi.*

Exhinc Reges nomen non honorem habere cœperunt, quibus tamen vbi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaq; iugis erga illos habebatur, ne aliquid iure potestatis agere possint. Illis namq; temporib. ac deinceps Gotefredus Dux Alamannorum, cæteriq; circumquaq; Duces noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eo quod non potuerunt Regib. Morouecis seruire, sicut antea soliti fuerāt. Ideo se vnusquisq. secum tenuit, donec tandem aliquādo post mortē Gotefridi Ducis, Carlus cæteriq. Principes Francorū paulatim ad se reuocare illos arte qua poterāt studuere.

Chlodoueum adhuc puerum filium Theodorici constituunt Regem, qui tantum regnauit annos II. Maiordomus Pippinus qui supra.

Childebertum filium Theodorici, fratrem Chlodouei statuunt in regnum, qui regnauit annos XVII. Maiordomus cōstituitur Grimoaldus filius Pippini, quia ipse Pippinus ægrotare cœperat, qua infirmitate & moritur, & interim Grimoaldus occiditur.

Dagobertum filium Childiberti Regem statuunt, qui regnauit annos V. Maiordomus Theodoaldus filius Grimaldi, post quem Regnifredus †.

Illis temporibus Karlus, filius Pippini ex concubina, in custodia à Plectrude matrona eiusdem Pippini tenebatur: auxiliante Domino vix euasit. *al. Raginfredus.*

Danielem quondam clericum, cæsarie capitis crescente, Regem Franci constituunt quem Chilpericum nuncupant: quia deficiente prosapia Regum, illum quē propinquiorem in Merouejs inuenire poterant, statuere: quia Merouei (vt aiunt) sicut antiquitus Nazarei, nullo capitis crine inciso erant. Regnauitq; annis VI.

Interim prædictus Carlus princeps ad Austrasios paternarum sedium aufugiens, ibique principatum arripiens, Regemque sibi nomine Chlodharium constituens, multa bella cum Chilperico Rege & suo Maioredomus nomine Reganfredo

commiſit,eoſque vt voluit ſuperauit, & theſaurum patris ſui à Plectruda recepit,ſuuſque Rex Chlodharius poſt non multum obiit.

Theoderichum filium Tagoberti iunioris Franci in Regem ſibi ſtatuunt,qui nutritus in Cala monaſterio erat, regnauitque annis VI. Maiordomus ac princeps Carolus: qui iam vtraque regna viriliter gubernans, circumquaque cum Regibus ac Ducibus bella ſemper ſuperando committens, donec eum omnes vincendo, qui ei contrarii fore videbantur, vincere conſtabat.

De Pipino Anſegiſi F. Orientalium Francorum principe, & Maioredomus regni Auſtraſiæ, cognomento Breui, fragmentum inſigne.

An. 688. ANNO ab incarnatione Domini noſtri Iheſu Chriſti DCLXXXVIII. Pipinus Anſegiſili nobiliſſimi quondam Francorum principis filius,poſt plurima prœlia, magnoſq; triumphos à Deo ſibi conceſſos,orientalium Francorum,glorioſo genitori feliciter ſuccedens,ſuſcepit principatum.Cuius memorabilium geſtorum commenta *ſeu a.p.* †quæ ante principatum,ſeu in principatu,cunctis Francorum populis declarata coruſcant.Principium tamen inſignis victoriæ & perpetuæ laudis cumulus extitit, quod adhuc in pueritiæ flore poſitus,indebitam glorioſi genitoris ſui necem(auxilio diuinæ virtutis)inæſtimabili proſperitate vltus eſt. Autorem enim infandi facinoris alienis deliciis affluentem,ſubita inruptione interimens, puerili quidem manu, ſed heroica felicitate proſtrauit;haud aliter quam vt de Dauid legitur,quod (Domino gubernante)immanem Goliam puerili ictu proſternens,proprio gladio vita capiteq; ſpoliauit. In opibusq; ipſius ſuis fidelibus diſtributis,Pipini virtus atq; victoria longe lateq; vulgabatur.Interea Duces ac optimates Francorum,quos glorioſus genitor eius nutriuerat,magniſq; honoribus exaltauerat,audita nequiſſimi tyranni perditione, immenſo repleti gaudio ad Pipinum properant;ſeq; cum hominibus quos gubernabant,ſuæ ditioni mancipant. *i. auxilium.* Ad ſolatium † autem tantæ reipublicæ adminiſtrationis erat ei glorioſa genitrix,cunctis laudibus digna,nomine Bega†, *Bega Pipini F.* filia Pipini præcellentiſſimi quondã principis,qui populum inter Carbonariam ſyluam & Moſam fluuiũ, & vſque ad Freſionum fines vaſtis limitibus habitantẽ,iuſtis legibus gubernabat.Sane quia huic maſculi ſexus proles defuerat,nepoti ſuo Pipino ſuperſtitionem cum principatu dereliquit.Prædicta autem matrona nomine Bega,repleta omni prudentia,filium ſuum Pipinum cotidie ſalutaribus alloquiis admonebat, vt ſe regno futuro inter adoleſcentię rudimenta ſine iniquitatis contagione(Domino adiuuante) reſeruaret.Ipſe vero gratia diuina præditus,cunctas ſalubres ſuæ genetricis admonitiones ſtrenuis præueniebat motibus. *pp.* Tunc enim prudentiæ lumine radiabat,vt grandęuis & maiorib.natu... ipſi ſubiecta maximam admirationem ingereret. Erat ei agnatione propinquus qui- *S. Arnulfus.* dam vir Arnulfus nomine, Metenſis vrbis Epiſcopus:hic omniũ Francorum corã Deo & hominibus patronus præcipuus habebatur.Ipſe illũ nihilominus ſacris monitis, diuinis & humanis frequentiſſime,vt ad potiora conualeſceret,roborabat diſciplinis. Ille vero non tardus auditor in cunctis ſe feliciter mandatis & iuſtificationibus Domini *Gertrudis.* exercebat.Porro matertera ipſius virgo Deo ſacrata Gerettudis vocabulo, quæ ſe ab infantia gratia Dei repleta immortalis Domini ſeruitio mancipauerat,conſtructoque monaſterio in loco qui vocatur Nibgella in hereditate propria,vna cum genitrice ſua Itaberga dignum Deo cum turma plurima virginum ſeruitium rependebat. Hæc itaque adoleſcentis animum, inter primęuæ poteſtatis gaudia exultantem, cœleſtis diſciplinæ fructuoſo imbre rigabat. Horum igitur (vt ita dixerim) ſanctorum propinquorum monitis, ſanctiſſimisque exhortationibus confortatus, per iuſtitiæ ſemitas ad regni gubernacula ſine offenſione gradiebatur. Confluebant autem ad aulam ipſius vniuerſi optimates cunctorum Orientalium Francorum, quos illa propria lingua *al. Oſterlingos.* Oſterliudos † vocauit. Año ſcilicet incarnationis Domini DCLXXXVII. ſuſcepit prin- *An. 687.* cipatum. Hinc Suauos & Bauuuarios,Toringos & Saxones,crebris irruptionibus frequentibusq; prœliis cõtritos,ſuę ditioni ſubiugauit.Hæ etenim gentes,& alię plurimę multis ſudorib.adquiſitę,Francorũ ſummo obtẽperabant imperio:ſed propter deſidiã

Regum

Regum, & domesticas dissensiones, & bella ciuilia, quæ in multas partes diuisi regnum [illegible], legitimam dominationem deserentes, singuli in proprio solo armis [illegible] mouebantur † defendere. Quam obstinationem inuictus Pippinus princeps crebris expeditionibus vltimisq; † consiliis & frequentibus populationibus (Domino cooperante) compescuit. *moliebātur.* *vtiliss.*

Eodem tempore Theodericus Rex Occidentalium Francorum, quos illi *Niu-strios* † dicunt, regebat imperium, habens Maiorem domus Ebroinum nomine, crudelem scilicet virum, & ad plurima vitia pronum: qui quondam necessitate cogente monasterium quod vocatur Luxouium adiit, ibiq; capitis coma deposita monachi [illegible] cū voto suscepit. Sed succedentib. annis, cū Rex alius qui sibi amicus fuerat, Francorū suscepisset imperium, rursum Monasteriū relinquens, habitūq; monachi [illegible] abiiciens, vxore recepta honorē iterū Maiordomatus arripuit. Sed quanto inordinate & inlicite officii illiùs administrationem subiit, tanto peruersius & [illegible] ipsius gubernationē exercuit. Nā illos qui sibi in primi principatus amissione aduersarii visi sunt, ita persecutus est, vt nōnullos vita, multos libertate, plurimos propriis facultatib. spoliaret. In quo furore ēt Leodegarius, eximiæ sanctitatis Episcopus, quia ipse solus suam væsaniā redarguere conaretur, martyrio coronatur. Ea tēpestate plurimi nobiliū Francorū ob sæuitiam prædicti tyranni Neustriā relinquentes, in Austriam ad Pippinū confugiunt, supplices suam clementiā postulantes, vt se de manib. crudelissimi hostis eriperet. Quos ille pietatis solitę affectu cōmotus, misericorditer excipiebat. Defuncto igitur Ebroino, Theodericus Rex Waratonem, virum strenuum atq; inlustrem, Maiorem domus instituit. Erat aūt eidem Waratoni filius lubricus & callidissimus nimis, nomine Gisilmarus: qui potestatis cupiditate captus patrem ab honore deposuit, & ipse improb. potestatē arripuit. Inter quē & inuictum principē Pippinum dissensiones plurimę extiterunt, quas digna mors Gisilmari mature terminauit. Quo mortuo Warato genitor ipsius pristino honoratur officio: qui ēt non multo post tēpore vita decessit. Defuncto Warattone gener ipsius Bertarius nomine Maior domus a Theuderico Rege constituitur; nihil morib. impii Gisilmari discrepans, præter ingenii calliditatem, & humani consilii sagacitatē. Igitur profugi quos Pippinus in sua misericordia susceperat, frequentibus cum querimoniis appetebant, obsecrantes vt pro diuino amore iniurias suas vlcisceretur. Pippinus vero sedato animo legatos ad Theodericum pacifice dirigit, suggerens vt profugis quos Ebroinus pro sua cupiditate proprio suo expulerat, propriisq; facultatib. exspoliauerat, iure regio suis sedib. reuocatos, æquitatis norma seruata, patrimoniis iniuste ablatis reuestire iuberet. Hanc legationē Theodericus suggerente Berthario superbe recepit, suosq; profugos seruus, † quos Pippinus contra [illegible] & legē susceperat, quandoq; se requirendos spopondit. Legati redeunt, responsum Theoderici Pippino referunt, superbiam Regis indicant, minas quas ingerebat [illegible], [illegible]tatem atq; inconstantiam Berthari manifestant. Pippinus adunatis optimatib. [illegible] rem in medium retulit, superbi Regis responsum per ordinē pandit, lacrymas profugorum & miserabiles supplicationes, qui in fidē suā sese crediderant, manifestans, [illegible] improbi principis ad memoriam reuocat. Periculum quoq; quod imminet [illegible] patriæ, quidq; super his agendum sit sciscitatur. Omnib. optime placuit, arma capere pro miseris ac spoliatis, qui tutelam fidemque suā & defensionem [illegible]. Pippinus vero accepto à magistratu consilio, quod apud se [illegible] in animo magno repletus gaudio exercitum congregat, quo obstinati Regis iactantiā præueniret. Adunato igitur exercitu Pippinus ad Carbonariā siluā peruenit, quæ terminus vtraq; regna diuiserat: vbi cōuocatis optimatib. suis, imo cuncto exercitu, intentionē suam succincta cōcione innotuit: *Vnde nihil aliud præter tumidū & superbum [illegible] responsum accipere merui, secunda causa me ad talem prouocauit laborē. Nobilium [illegible] Francorum ad nostrā fidem confugientiū lachrimæ & gemitus, qui tot calamitatū [illegible] per nos arbitrantur adipisci posse suffragiū.* Tunc vnanimiter inuocato Dei auxilio [illegible] Carbonariam siluam transeunt, hostiliter cuncta vastantes, ad interiores regni illius partes intrepidi perueniunt: haud proculq; ab oppido Viromanduorum iuxta villam cui vocabulum est † Textratium, castra posue- *feruos.* *al. Textricū*

Margin notes, in order: *al. Neu-strios. Neu-strios.* *Ebroinus Maiordomus.* *S. Leodegarius.* *al. VVaratonem.* *Carbonaria sylua.*

runt. Theodericus igitur cũ audiſſet hoſtẽ in ſui regni penetralib. cõmorantem, exercitum congregat, aciẽ contra Pippinũ conſtruit, ex aliaq; parte villæ caſtra ponit. Inter quos modicus quidẽ fluuius, ſed difficili traiecto defluebat qui ab incolis Dalmanio nuncupatur. Pippinus itaq; ab Aquilone eiuſdẽ fluminis, Theodericus ab Auſtro conſederat. Pippinus ergo ad Theodericũ legatos dirigit, ea quæ pacis ſunt offerens, cauſas aduentus ſui indicat; ſcilicet vt pro Eccleſiis Dei apud illũ intercederet, vt quod iniqui tyranni illis abſtulerant, hoc in cõmuni eorũ eleemoſyna reformaret; & profugis, qui fidẽ ipſius expetierant, iuſtitiã de reb. ablatis facere iuberet. Multa quoq; pondera auri & argenti ſe ſibi dare ſpopondit, ſi eius ſuggeſtionib. adquieſceret, & pacẽ cũ ipſo magis quã prælium habere eligeret. Nuntii itaq; legationis officio functi, Theodericus conſiliarios ſuos alloquitur, Quid ſuper his ſit faciendũ? Bertarius more ſolito inito conſilio pacẽ oblatã à Pippino diſſipat, hoſtẽ à patria pelli ſuadet, vt damna quæ in illo itinere perpetrauerãt, ſanguine piarent. Theodericus ergo bellũ indicat, legatoſq; Pippini ad propria reuerti iubet, & ea quæ pacis erant, abnuit. Nã Theodericus in innumerabilis populi multitudine magis quã cõſilii ordinatione confidens, traditũ ſibi iã Pippinũ cũ vniuerſo exercitu ſuo inanib. verbis gloriabatur. Pippinus cõtra optimates ſuos dulcib. alloquiis admonebat, vti ſeſe votis & orationib. Dei omnipotentis defendendos cõmendarẽt, qui dat honorẽ & victoriã omnib. timentib. eũ, & cuſtodientib. præcepta eius. His igitur & talib. allocutionib. ſuorũ pectora roborauit fidelium, ita vt quaſi iã cælitus patrata victoria alacri corde grates omnipotẽti Domino perſonaret. Itaq; vnanimiter ſe ad bellũ accingũt. Pippinus ergo prudentiſſima prouidẽtia ex quodã eminẽtiore colle locũ certaminis deligit, & quo ad illũ accedendũ erat, prouida ſpeculatione oſtendit. Igitur diẽ illam cũ nocte magno curarum æſtu Pippinus princeps tranſegit: inluceſcenteq; aurora copias caſtris educit, & magno ſilẽtio Dalmanionẽ fluuiũ tranſit, atq; ab Oriẽte parte caſtrorũ Theoderici, prout pridie cõſtituerat, aciẽ ordinat. Orto igitur iam ſole Theoderico ſui nuntiant, Pippini caſtra deſerta & ignib. eſſe conſumpta. Cui intrepidus & præſtantior conſilio & armis princeps Pippinus occurrit, cõmiſſoq; acerrimo prælio Theodericus cũ conſiliario ſuo Bertario in fugã verſus, cunctos optimates ſuos in ore gladii interemptos dereliquit. Pippinus igitur victor caſtra hoſtiũ in-

fuga def. uadẽs, ſpolia ampla (Deo gratias referẽs) ſuis fidelib. impertitur, plurimi aũt ſe † defendendos crediderũt. Quorũ maxima turba ad beati Quintini martyris limina, nõnulli ad Perronã monaſteriũ, in quo beatus Furſeus corpore requieſcit, confugium fecerunt. Indeq. profectus Theodericũ fugientẽ perſequitur, ad Pariſius vſq; ciuitatẽ peruenit. Theodericũ quoq; recipiens, ne tyrannidẽ videretur exercere ſæuitiã,

pro, illi, i. Theoderico. nomen ſibi † Regis inæſtimabili pietate reſeruauit. Ipſe vero totius regni gubernacula, theſauroſq; regios & vniuerſi exercitus dominationem, propriæ facultati ſuæ diſponenda retinuit.

A. 691. Igitur Anno ab Incarnatione Domini noſtri Iheſu Chriſti DCXCI. Pippinus ſingularẽ Francorũ obtinuit principatũ, correctiſq; omnib. prauitatib. quæ in illis partib. p cupiditatẽ & iniquitatẽ .... multos annos adoleuerãt .... pacatiſſima .. diſpoſitis ......bus in Occidẽte regni gubernaculis ad Oriẽtalẽ Franciã .. ſedes cũ ſumma gloria.

A. 692. Anno ab Incarnatione Dominica DCXCII. Pippinus exercitũ vniuerſalẽ Francorum adunare .. tractaturus de vtilitate ... ri conſiliis occurrit Ratbodi Friſionum Ducis obuiare ſuperbiæ, qui tantæ ſtultitiæ inuolutus caligine fuit, vt Pippino ... præcipi... parte præſum... ..victus atq; fugatus magnã parte exercitus ſui perdidit .. indem pœnitentia ductus legatos ad Pippinũ dirigens pacẽ poſtulat, ſe ... ſubdidit, obſidibuſq; datis .. efficitur. His ita peractis ſynodũ adunare .. in quo de vtilitatibus Eccleſiarũ, orfanorũ ac viduarũ ... ſeſe in opulentiſſimis regni [illegible] cũ ſuis fide-


Kal. Mart. lib .. hiemandũ locauit. Singulis vero annis in Kal. Mar. generalẽ [illegible] Francis ſecundũ priſcorũ conſuetudinẽ conc. .ob regni .. reuerenti ... [illegible] & manſuetudinis magnitudine .. ab omnib. optimatib. Frãcorũ .. verba [illegible] pace & defenſione Eccleſiarũ Dei & pupillorũ & viduarũ facta .. raptu fœminarũ & incendio ſolido ... dicto exercitus quoq; .datur quã in .. illis denunciaretur, parati eſſent in partẽ quã ipſe ... erat proficiſci. His actis regnũ comitante diuino regnũ Franc... hic deſinit V.C. **

LIBER

PAVLI WARNEFRIDI LANGOBARDI FILII, DIACONI FORO-IVLIENSIS,

DE EPISCOPIS METENSIS ECCLESIÆ.

PAVLVS DIACONVS lib. VI. de gestis Langobard. cap. XVI.



ED & ego in libro, quem *de Episcopis Mettensis ciuitatis* conscripsi, flagitante Angilrammo, viro mitissimo & sanctitate præcipuo, præfatæ Ecclesiæ archiepiscopo, de hoc sacratissimo viro Arnulfo quędam eius miracula composui, quæ modo superfluum duxi replicare.

SIGEBERTVS Gemblacensis de Scriptoribus Ecclesiast. cap. 80.

PAVLVS Monachus Cassinensis cœnobii, natione Italus, propter sciêntiam litterarum à Carolo M. Imp. ascitus, scripsit vitam primi Gregorii Papæ, scripsit gestâ Pontificum Metensium, scripsit miracula S. Arnulfi, qui primo Maior domus Regis Francorum, postea Metensium Episcopus heremiticam vitam expetiit. Historiam quoq; Vinnulorum, qui postea nominati sunt Longobardi, luculento & plano sermone scripsit.

INCIPIT LIBELLVS DE NVMERO SIVE ORDINE EPISCOPORVM, qui sibi ab ipso prædicationis exordio in Mettensi ciuitate successerunt.



OSTQVAM peractis omnibus, quæ cum patre pro mundi salute gerenda disposuerat Christus dominus, migrauit ad cælos, statim vt promisso sancti spiritus munere beati Apostoli potiti sunt & confirmati, illico quam vnusquisque eorum prouinciam vel regionem prædicaturus adgredi deberet, communi consilio iuxta diuinam prouisionem sorte decernunt. Singulis igitur ad sibi delegata loca pergentibus, beatus Petrus qui in eorum numero primus erat, & quasi dux fortissimus eminebat, ad eam quæ totius tunc mundi caput erat, hoc est vrbem Romuleam tota alacritate contendit. Fundata prius apud Antiochiam ecclesia, ac suæ sedis nomine dedicata.

Igitur cum Romam peruenisset, illico qui summas quasque vrbes in occiduo positas Christo domino per verbum fidei subiugaret, optimos eruditosque viros ex suo consortio direxit. Tunc denique Apollinarem Rauennam, Leucium Brundisium, Anatolium Mediolanum misit: Marcum vero qui præcipuus inter eius discipulos habebatur, Aquilegiam destinauit. quibus cum Hermagoram, suum comitem Marcus præfecisset, ad beatum Petrum reuersus Alexandriam missus est.

Ea igitur tempestate cum apud Galliam Belgicam Mediomatricum, quæ etiam Mettis appellatur, ciuitas in ipsa Mosellæ amnis ripa posita, copiosis populorum turbis abundaret; ad eandem beatus Petrus Apostolus vrbem, Clementem nomine virum egregium ac meritis probatum, sublimatum pontificali dignitati direxit: cum quo pariter (sicut antiqua tradit relatio) ad eas, quæ præcipuæ erant Galliarum vrbes, verbo fidei obtinendas alii quoq; religiosi doctores ab eodem Apostolorum principe missi sunt.

Cum ergo peruenisset beatus CLEMENS Mediomatricum ciuitatem, in cauernis (vt ferunt) Amphitheatri, quod extra eandem vrbem situm est, hospitium habuit: in quo etiam loco oratorium domino construens altare in eo statuit, ac beati Petri Apostoli præceptoris sui nomine consecrauit. Is igitur venerandus sacerdos dum sedula admonitione eiusdem vrbis populis prædicaret, cooperante sibi diuina misericordia maximam ex eis multitudinem à sordidis idolorum cultibus & erroris cęcitate liberatam ad veræ fidei splendorem perduxit: primusque in illis regionibus ostensor iustitiæ & index veritatis enituit.

Denique asseuerant qui eiusdem loci cognitionem habent, quod in Amphitheatro vbi primitus aduenicns habitauit, vsque in præsentem diem nec serpens consistere queat, sed & omnino noxiæ pestes locum illum refugiant, vnde olim veræ salutis emanarunt insignia.

Successit huic vir Deo plenus COELESTIS nomine, qui cælestem vitam cum regni cælorum adnuntiatione ducens exemplis pariter & doctrinis credentium numerum dilatauit.

Post hunc deniq; regendam suscepit ecclesiam FELIX.
Deinde PATIENS.
Post hæc quintus in ordine VICTOR.
Deinde alius VICTOR.
Post hos SIMEON septimus.

Poſt quem SAMBATVS octauus. Quorum omnium ſtudiis certum eſt creuiſſe Dei eccleſiam: quamuis eorum nobis ſpecialiter occulta ſunt geſta.

RVFFVS vero & ADELFVS, qui ſunt in numero nonus & decimus, magnis abſq; dubio in vita meritis fulſiſſe credendi ſunt: quandoquidem tali etiam poſt obitũ fulſere miraculo. Horum deniq; corpora cum in baſilica beati Felicis martyris eſſent humata (ſicut ad nos vſq; decucurrit relatio) vir quidã erat religioſus ac de animę ſuę cura ſollicitus, qui nocturno tempore vt priuatis orationibus ſe Domino commendaret, vniuerſa quę extra muros eiuſdem ciuitatis ſita erant oratoria indeſinenti ſtudio circumire ſolebat. Hic itaq; dum ad prædictam beati Felicis martyris perueniſſet baſilicã, nec tamen ingrediendi eſſet conceſſa facultas, acceſſit iuxta murum forinſecus ad eam partem, qua prædictorum ſacerdotum corpora requiſcebant, atq; ibi ſe in orationẽ tota mentis intentione proſtrauit. Qui dum poſt effuſas preces ab oratione ſurrexiſſet, & in eorum Sanctorum honorem ad quorum è regione ſepulcra orauerat Pſalmi verſiculum, id eſt *Exultabunt Sancti in gloria* pronuntiaret, mox ab intus vocem ſubiungentis audiuit, *lætabuntur in cubilibus ſuis*.

Succeſſit his ſacris viris FIRMINVS. Deinde LEGONTIVS: de quorum aliquid vita, præter nomina, nihil ad nos deduxit relatio priſca.

Accepit deinde tertius decimus venerandus præſul AVCTOR gubernandã eccleſiam ea tempeſtate, quando non ſolum Gallia, ſed vniuerſus pene Occidens Barbarorum ſæuientium eſt perpeſſus ſæuitiam. De quo viro, quamuis & alia ab eo inſignia facta credantur, duo tantum ad noſtram memoriam eius miracula peruulgata ſunt. Eo igitur tempore cum reuerendus hic præſul vitam cunctis virtutibus decoratam duceret, Attila Rex Hunnorum omnib. belluis crudelior habens multas barbaras nationes ſuo ſubiectas dominio, poſtquam Gundigariũ Burgundionum regẽ ſibi occurrentem protriuerat, ad vniuerſas deprimendas Gallias ſuæ ſæuitię relaxauit habenas. Huius aduentu beatus Seruaſius Tungrorum Epiſcopus præcognito, Romam ad beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſacratiſſima corpora perrexit, vt per eorum ſublime meritum ſpecialiter à Domino impetraret, quatenus iræ ſuę indignationem auerteret, & Tungrenſis vrbis populum à tanto exitio liberaret. Tunc ei diuinitus per eundem B. Petrum Apoſtolum reuelatum eſt; quod ita cæleſti eſſet iudicio definitum, vt vniuerſa Gallia Barbarorum foret infeſtationi tradenda, præter B. Stephani Leuitæ & protomartyris ſitum apud Mettis oraculum, in quo ipſius erat pretioſus cruor abſq; corruptionis labe reconditus. Hæc dum S. Seruaſio reuelata fuiſſent, feſtinus ad Gallias repedauit: inuenitq; iam Hunorum examina per vniuerſas Gallias debacchari. Qui cum ad obſidionem Mettenſium pro eo quod eorum ciuitatem inexpugnabilem ob murorum fortitudinem cernerent, receſſiſſent, contigit B. Seruaſium ipſo tempore dum à Roma reuerteretur, Mettis deuenire. Qui dum vniuerſa, ſicut reuelatione didicerat, ſancto conſacerdoti ſuo Auctori retuliſſet, ad ciuitatem propriã, hoc eſt Tungris reuerſus eſt. Nec mora, poſt eius egreſſionem murus ciuitatis Mettenſis corruit, ingreſſumq; hoſtibus ſuperna diſpoſitione patefecit. Mox vero B. Auctor traditam ciuitatem inimicorum gladiis aduertens, vniuerſos paruulos, qui necdum ſacri fontis ablutionem perceperant, baptiſari pręcepit. Igitur audientes Huni, qui duodecimo exinde milliario ſitum caſtrum, quod Scarponna dicitur, obſidebant, Mettenſis vrbis mœnia corruiſſe, iterato ad eam feſtina celeritate regreſſi ſunt, incendiiſq; & rapinis vniuerſa vaſtantes, plures è ciuib. cum eis qui baptiſati fuerant paruulos interemerunt: reliquos vero qui exitio ſupereſſe poterant, ſimul cum S. Auctore epiſcopo captiuos abducunt. Impletum ſane eſt ſuper B. Stephani Leuitæ & protomartyris domicilio, quod à beatiſſimo Petro apud Romam Chriſti famulo Seruaſio fuerat ante prædictum. Nam cum eandem baſilicam procul furentes Barbari adſpicerent, ad eam curſim quaſi opima ſpolia capturi properabant: cumq; propius accederent, eorum oculis velut ingens ſaxum ac moles ſolida apparebat. Quam cum cæcati mentibus, manibus per gyrum palparet, aditumq; ingrediendi quærerent; nihil omnino eis aliud quam naturalis ſaxi durities videbatur. Deniq; ſæpius abſcedentes rurſumq; reuertentes, cũ ſe nihil proficere cernerent, tandem fatigati diſceſſerunt, ſuæq; iniquitatis effectu fruſtrati ſunt.

lib.2. cap.7. Quid etiam de hoc oratorio B. Gregorius Turonorũ Episcopus in suis libris † narrauerit, non silebo. Refert enim, priusquam hi hostes venirent, vidisse virũ fidelem in visu quasi conferentem cum sanctis Apostolis Petro ac Paulo B. Leuitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentẽ: *Oro domini mei, vt non permittatis obtentu vestro Metensium vrbem ab inimicis exuri; quia locus in ea est, in quo paruitatis meæ pignora continentur: Sed potius sentiant se populo aliquid me posse coram Domino. Quod si tantum facinus populi supercreuit, vt aliud fieri non possit, nisi ciuitas tradatur incendio, saltem vel hoc oratoriũ non cremetur.* Cui illi aiunt: *Vade in pace, dilectissime frater: oratorium tantum tuum carebit incendio. Pro vrbe vero non obtinemus: quia Dominicæ sanctionis super eam sententia iã præcessit. Inualuit enim peccatum populi, & clamor malitiæ eorum ascendit coram Domino. Ideo ciuitas hæc cremabitur incendio.* Vnde non dubium est, quod horum obtentu, vrbe vastata, oratorium permansit inlæsum.

Igitur exinde hostes dum ad oppidum quod appellatur Decẽpagos, quod à Metensi vrbe triginta millib. abest, peruenissent; quia Deo nostro semper de suis seruulis cura est, & in irá misericordiam (sicut ait Psalmista) non continet; tantæ subito eosdem Hunos tenebræ circumuallauerunt, vt quid agerent, vel quo se verterent, omnino nescirent. Tunc causam tantæ calamitatis, vt in tali re opus erat, sollicite inquirentes ab vno ex captis quos ducebant, audiunt, quia propter seruũ cælestis Domini Auctorem Episcopum quem in captiuorũ numero se vidisse dicebat, talia paterentur. Mox igitur facta inquisitione B. Auctorẽ repperiunt: quem dum percunctarentur, quid in munere vellet accipere, vt à tãto eos periculo liberaret, ille ad hęc respondit: sibi nullum aliud gratius posse munus offerri, quam si omnes quos ducebant captiuos, sinerent ad propria remeare. Quod illi si facerẽt, promittit se sine dubio à suo domino impetraturum, vt ab illis quib. tenebatur tenebris eruerentur. Factumq; est. Et mox in vniuerso suo Huni exercitu captiuos quos ducebant, requirẽtes eos B. Auctori reddiderunt: à suis (vt eis promissum fuerat) cessantib. tenebris luce reddita angustiis liberati sunt. Sicq; venerabilis Christi famulus, dum ad modicũ in captiuorum sorte deputatus est, multos pariter à captiuitate resoluit. O quantum potiori gloria de reductis iste ciuib. triumphauit, quam crudeles Barbari, qui eos antea quasi victores abduxerant, triumphare potuissent.

Veniamus & ad aliud miraculum, quod eiusdem meritis cælesti est virtute patratum. Quodam deniq; tempore cum in oratorio B. Protomartyris Stephani (de quo supra retulimus) trabis ab ipso culminis fastigio dissoluta corruisset, marmor quod in altari eximii candoris erat, ita confregit, vt in duabus illud partibus omnino diuideret. Adest B. Auctor, & cunctis qui aderant pro inlato dispendio contristatis, ipse vero fidens in Domino præcepit easdem fracturas sibi inuicem copulari, pararique sibi ministeria, quo desuper more solito diuini sacrificii munus offerret. Stupentibus itaq; illis, & quid esset facturus, intendentibus, mox salutarem hostiam Deo obtulit. Illico omnis illa confractio ita solidata est, quasi antea diuisa minime fuisset. Est tamen in eodem marmore, quod non mediocriter vsq; in pręsentem diem possit admirari. Nam ita apparet hactenus attentius cernentib. quasi diuisum, sed studiose contrectatum digitis ita probatur solidum, vt nullius in eo diuisionis sentiatur indicium. Non est dubium, & plura eum miranda patrasse: sed quantus qualisq; fuerit, ex his quæ reuelata sunt, plene potest agnosci.

Successit huic quartus ac decimus, ÆPLETIVS.
Deinde quintus decimus VRBICIVS.
Sextus decimus BONOLVS.
Septimus decimusq; TERENTIVS.
Octauus decimus GVNSOLINVS.
Exinde ROMANVS.
Vicesimus deniq; FRONIMVS.
Post quem CROMATIVS.
Deinde AGATHANDER.

Tres itaque iſti quos præmiſimus, ſicut in eorum nominibus attenditur, de origine credendi ſunt manare Græcorum.

Poſt hos rexit eccleſiam SPERVS.

Deinde VILLICVS.

Tum viceſimus quintus PETRVS.

Viceſimus ac ſextus AGIVLFVS, qui fertur patre ex nobili ſenatorum familia ortu, ex Chlodouei Regis Francorum filia procreatus.

Poſt iſtum exſtitit nepos ipſius nomine ARNOALDVS.

Quem ſecutus eſt PAPPOLVS.

Poſt hos ad regimen Eccleſiæ beatiſſimus ARNVLFVS aſcitus eſt, vir per omnia lumine ſanctitatis, & ſplendore generis clarus. Qui ex nobiliſſimo fortiſſimoque Francorum ſtemmate ortus ita Dei Eccleſiæ præfuit, vt & palatii moderator exiſteret. Hic denique & in corpore permanens ſimul & poſt vitæ exitum multa admiranda perpetrauit, quæ ſi quis noſſe deſiderat, libellum qui de eius ſpecialiter actibus conſcriptus eſt, legat. Vnum tamen eius admirabile factum referam, quod ſatis miratus ſum quo ordine prætererit is qui eius contexuit vitam. Hic denique cum pœnitentiam pro aliquibus exceſſibus ageret, contigit vt per Moſellæ fluminis pontem tranſiret. Cumque ſubterfluentium aquarum profundos nec viſu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiæ ſpei fiduciam mente gerens, extractum digito annulum in illam aquarum profunditatem proiecit; *Tunc*, inquiens, *me putabo culparum nexibus abſolutum, quando iſtum quem proiicio recepero annulum.* Poſt aliquot vero annos cum ad Epiſcopatus aſcendiſſet officium, ei die quadam piſcator quidam piſcem attulit; quem ille ſibi, quia carnibus abſtinebat, ad refectionem veſpertinam iuſſit præparari. Cumque eum miniſter eius officii more ſolito exenteraſſet, eundem annulum intra ipſius piſcis inteſtinum repperit. Ille factum admiratus, ſed rem neſciens, beato Arnulfo detulit. Quem ille vt vidit, ſtatim recognouit: ac Deo omnipotenti iam de remiſſione delictorum fidus gratias retulit: ac deinceps non remiſſius vitam duxit; ſed maiori ſe potius abſtinentia coartauit. Nec diſſimiliter pater hic venerabilis quam olim Gedeon ille ſignum à Domino popoſcit. Ille etenim indicium per vellus in area poſitum capere voluit, vtrum in bello victoriam de inimicis habere potuiſſet. Iſte annulum in profundiſſimum fluminis gurgitem proiiciens experiri cupit, vtrum de inimicis iam victoriam cepiſſet. Fortes quidem erant, quos ille deuicerat: ſed hi quos iſte ſuperauerat, fortiores. Hæc ego non à qualibet mediocri perſona didici, ſed ipſo totius veritatis aſſertore præcelſo rege Karolo referente cognoui; qui de eiuſdem beati Arnulfi deſcendens proſapia, ei in generationis linea trinepos extabat. Nam venerandus iſte vir (vt ad ſuperiora redeam) iuuentutis ſuæ tempore ex legitimi matrimonii copula duos filios procreauit, id eſt, Anſchiſum & Chlodulfum. Cuius Anſchiſi nomen ab Anchiſe patre Æneæ, qui à Troia in Italiam olim venerat, creditur eſſe deductum. Nam gens Francorum, ſicut à veteribus eſt traditum, à Troiana proſapia trahit exordium. Cum igitur hos duos, de quibus præmiſimus, venerabilis Arnulfus filios haberet, quoniam erat miſericors, & ad pietatis opera ſemper intentus, vtriſque filiis ſuis cœpit ſuadere, vt ei aſſenſum præberent, quatenus omnes ſuas facultates ad vſus pauperum diſpertiret. Tunc maior filius, id eſt Chlodulfus, ſe hoc poſſe facere, id eſt vt portionem ſibi debitam patri largiretur, omnimodis denegauit. At vero minor filius, id eſt Anſchiſus, fidens de Chriſti pietate ſibi pluriora condonari, ad omnia quæ pater vellet, ſe libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, & prædicit ei, pluriora eundem quam reliquerat, habiturum: inſuper benedixit eum, eiuſque cunctam progeniem naſcituram in poſterum. Factumque eſt. Nam & pluriores Anſchiſo quam reliquerat, diuitiæ acceſſerunt, & ita in eo paterna eſt conſtabilita benedictio, vt de eius progenie tam ſtrenui forteſque viri naſcerentur, vt non immerito ad eius proſapiam Francorum tranſlatum ſit regnum.

Et vt hoc agnoſcere poſſis,paucis aduerte docebo. Anſchiſus genuit Pippinum, quo nihil vnquam potuit eſſe audacius. Pippinus genuit Karolum, viris omnino fortiſſimis conferendum: qui inter cætera & magna bella quæ geſſit, ita præcipue Sarracenos detriuit,vt vſque hodie gens illa truculenta & perfida Francorum arma formidet. Hic itaque genuit Pippinum, ſapientia nihilominus & fortitudine ſatis clarum;qui inter reliqua quæ patrauit, Waſcones iamdudum Francorum ditioni rebelles cum Waifario ſuo principe facilitate mira debellauit & ſubdidit. Huius itaque filius magnus Rex Karolus extitit, qui Francorum regnum ſicut nunquam ante fuerat, dilatauit. Denique inter plura & miranda quæ geſſit, Langobardorum gentem bis iam à patre deuictam,altero eorum Rege cui Deſiderius nomen erat,capto;alterumque qui dicebatur Adelgiſus,vt cum genitore regnantem ſuo Cõſtantinopolim pulſo,vniuerſam ſine graui prælio ſuæ ſubdidit ditioni. Et quod raro fieri adſolet, clementi moderatione victoriam temperauit. Romanos prætereа, ipſamque vrbem Romuleam, iampridem eius præſentiam deſiderantem,quæ aliquando Mundi totius domina fuerat, & tunc à Langobardis depreſſa gemebat, duris anguſtiis eximens ſuis addidit ſceptris: cunctaque nihilominus Italia miti dominatione potitus eſt.De quo viro neſcias vtrum virtutem in eo bellicam, an ſapientiæ claritatem,omniumque liberalium artium magis admireris peritiam.

Hic ex Hildegard coniuge quatuor filios & quinque filias procreauit. Habuit tamen ante legale connubium ex Himiltrude nobili puella filium nomine Pippinum. Natorum ſane eius,quos ei Hildegard peperit,iſta ſunt nomina. Primus dictus eſt Karolus,ſcilicet patris ac proaui vocabulo nuncupatus.Secundus item Pippinus,fratri atque auo æquiuocus.Tertius Lodobich, qui cum HLothario(qui biennis occubuit) vno partu eſt genitus. Ex quibus iam, Deo fauente,minor Pippinus regnum Italiæ,Lodobich Aquitaniæ tenent.

Mortua autem Hildegard, Rex excellentiſſimus Karolus Faſtradam duxit vxorem: quæ Hildigard apud vrbem Mettenſem in beati Arnulfi oratorio requieſcit. Pro eo denique quod à beato Arnulfo iam fati Reges originem ducerent, ſuorum ibi carorum defuncta corpora poſuere.Nam ibi humatę ſunt duæ regis Pippini filię, quarum vna Rodthaid,altera Adelaid appellata eſt. Ibi quoque & iunioris Regis Karoli duæ nihilominus tumulatæ ſunt natæ, ſcilicet Adelaid & Hildigard. Quæ Hildigard materno nuncupata nomine matrem morientem citius ſubſecuta eſt. Quarum omnium Epitaphia à nobis iuſſu glorioſi Regis Caroli compoſita,vt de eis liquido lectori ſatisfieret,ſubter annotare curaui.

[* *Hæc in mſ.noſtro non extabant.*]

Sed his quæ prætereunda non erant,breuiter prælibatis,ad narrationis tramitem reuertamur.Poſt beatiſſimum denique Arnulfum Mettenſi Eccleſiæ GOERICVS triceſimus, qui & ABBO vocitatus eſt,præfuit.

Deinde GODO primus atque triceſimus Epiſcopalis officii curam geſſit.

Quo de mundo excedente CHLODVLFVS,cuius ſupra mentionem fecimus, beati patris Arnulfi genitalis filius, Anſchiſi quoque à quo ſemen propagatum eſt regiũ, germanus ad Epiſcopale culmen ob paternæ ſanctitatis gloriam triceſimus atq; ſecundus aſcendit.De quo nihil ad nos amplius,præter quod à tali radice exortus eſt, fama perduxit.

Quo decedente fidelem populum moderaturus tertius atque triceſimus ABBO aſcitus eſt.

Poſtquem APTATVS.

Deinde FELIX gregi feliciter dominico paſtores extiterũt.

Dehinc SIGIBALDVS generoſis ortus natalibus religioſo cœtui antiſtes effectus eſt: vir per omnia vtilitatibus Eccleſiæ deditus,ſacrorum quoq; culminum ſolertiſſimus reſtitutor. Hic de animarum ſtatu ſollicitus duo monaſteria condidit: è quibus vnum Elanacum vel etiam Noua cella dicitur,alterum quoque Noua villa vocitatur.Hunc dirus podagræ dolor vehementer afflixit: ſed ille in æternis gaudiis mentem figens,dolores corporeos patientiſſime tolerauit.

Iam hinc vir egregius & omnibus pręconiis efferendus CHRODEGANGVS antiſtes

stes eligitur, ex pago Hasbaniensi oriundus, patre Sigrammo, matre Landrada Francorum ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio maioris Karoli ab ipso enutritus, eiusdemq; referendarius extitit: ac demum Pippini Regis temporibus pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clarissimus, omniq; nobilitate coruscus, forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quam etiam Latino sermone imbutus, seruorum Dei nutritor, orfanorum viduarumq; non solum altor, sed & clementissimus tutor. Cumq; esset in omnibus locuples, à Pippino Rege omnique Francorum cætu singulariter electus Romam directus est: Stephanumq; venerabilem Papam, vt cunctorum vota anhelabant, ad Gallias euocauit. Hic clerum adunauit, & ad instar cœnobii intra claustrorum septa conuersari fecit, normamq; eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent: quibus annonas vitæq; subsidia sufficienter largitus est, vt perituris vacare negotiis non indigentes diuinis solummodo officiis excubarent. Ipsumq; clerum abundanter lege diuina Romanaq; imbutum cantilena morem atq; ordinem Romanæ Ecclesiæ seruare præcepit: quod vsq; ad id tempus in Mettensi Ecclesia factum minime fuit. Hic fabricare iussit, vna cum adiutorio Pipini Regis, sedem sancti Stephani Protomartyris & altare ipsius atq; cancellos, presbyterium, arcusq; per gyrum. Similiter & in Ecclesia B. Petri maiore presbyterium fieri iussit. Construxit etiam ambonem auro argentoq; decoratum, & arcus per gyrum throni ante ipsum altare. Ædificauit præterea monasterium in parochia B. Stephani in pago Mosellensi in honore beatissimi Petri Apostoli, & ditauit illud opibus magnis, Monachosq; ibi constituit, atq; sub regula sancti patris Benedicti in vna caritate coniunxit. Construxit etiam alterum monasterium, quod Gorzia vocitatur, vbi pari modo non modicam multitudinem adunauit monachorum. Expetiit deniq; à Paulo Romano Pontifice tria corpora sanctorum martyrum, id est, beati Gorgonii, quod in Gorzia requiescit; & beati Naboris, quod in Hilariaco monasterio conditum est; beati Nazarii, quod vltra fluuium Rhenum in monasterio quod vocatur Lorisaim, ædificata in honorem ipsius martyris miri decoris basilica collocauit. Hoc siquidem prædium Chillisnindis quondam religiosa fæmina & Cancro eius filius eidem Chrodegango antistiti ad partem B. Stephani tradiderant. Fuit siquidē beatus iste vir in elemosynis largus, in caritate purissimus, susceptor hospitum atq; peregrinorum. Sed quoniam longum est, bona quę gessit, ex ordine retexere, satis sit hæc pauca prælibasse de plurimis. Hic consecrauit Episcopos quam plurimos per diuersas ciuitates, Presbyteros nihilominus ac Diaconos cęterosq; Ecclesiasticos ordines, sicut moris est Romanæ Ecclesiæ, in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit ecclesiam Mettensem annis viginti tribus, mensibus v. dieb. v. Obiit pridie nonas Martias in diebus Pippini Regis: requiescit in Gorzia monasterio, quod ipse à fundamentis extruxit.

Hic iam pater sanctissime Angilramne, † narrationis serie vestram Beatitudinē locus expectat. Sed ego meæ tenuitatis non immemor, attentare minus idonee non audeo, quæ de vestræ vitæ cursu laudabili maiori stylo promenda sunt.

Hic fuit abbas Senonensis, post Cancellarius Imp. demum Episcopus Metens.

In eodem Codice sequebantur

Nomina Pontificum Mettensis sedis, & actus:

Hoc obitus seriem codice scripta lege.

Clemens Episcopus sedit annis XXV. & mens. IV. Obiit IX. Kal. Decemb.

Cælestis Eps. sedit ann. XV. Obiit prid. Id. Octob.

Felix Eps. sedit an. XLII. & menses VI. Obiit IX. Kal. Mart.

Patiens Eps. sedit ann. XIV. Obiit VI. Id. Ian.

Victor Eps. sedit ann. IX. Obiit X. Kal. Octob.

Victor Eps. sedit ann. III. & menses II.

Simeon Eps. sedit ann. XXX. Obiit XIV. Kal. Mart.

Sambatius Eps. sedit annos XVIII. Obiit XVIII. Kal. Octob.

Rufus Eps. sedit annos XXVIII. Obiit VII. Id. Nouemb.

Adelfius Eps. sedit ann. XVII. Obiit IV. Kal. Sept.

Firminus Eps. sedit ann. XLV. Obiit XV. Kal. Septemb.

Legontius Eps. sedit ann. XXXIV. & menses VI. Obiit XII. Kal. Mart.

Auctor Epſ. ſedit annos XXVIIII. Obiit IIII. Id. Aug.
Æpletius Epſ. ſedit ann. XVI. Obiit III. Kal. Aug.
Vrbitius Archiepſ. ſedit ann. XLVIIII. Obiit XIII. Id. Apr.
Bonolus Epſ. ſedit ann. III. & menſes VI. Obiit VII. Id. Octob.
Terentius Epſ. ſedit ann. XX. Obiit IV. Kal. Nou.
Cunſolinus Epſ. ſedit ann. XVIII. Obiit II. Kal. Aug.
Romanus Epſ. ſedit ann XXXVI. Obiit Id. Apr.
Fronimus Epſ. ſedit ann. VIII. Obiit VI. Kal. Aug.
Cromatius Epſ. ſedit ann. XXV. Obiit VII. Kal. Maii.
Agathander Epſ. ſedit ann. XII. & menſ. VI. Obiit IV. Id. Maii.
Sperus Epſ. ſedit ann. XVII. Obiit X. Kal. Sept.
Villicus Epſ. ſedit ann. XXV. & menſ. II. Obiit XV. Kal. Maii.
Petrus Epſ. ſedit ann. X. Obiit V. Kal. Octob.
Haigulfus Epſ. ſedit ann. XII. Obiit X. Kal. Decemb.
Arnoaldus Epſ. ſedit annos XXVII. & dies XXX. Obiit XI. Kal. Decemb.
Arnulfus Epſ. ſedit ann. XV. & dies X. Obiit XVII. Kal Sept.
Gobericus ſiue Abbo Epſ. ſedit ann. XVIII. Obiit XIII. Kal. Octob.
Godo Epſ. ſedit ann. X, & menſ. II. Obiit VIII. Id. Maii.
Chlodulfus Epſ. ſedit ann. XL. & dies XXV. Obiit VIII. Id. Maii.
Abbo Epſ. ſedit ann. X. & menſ. I. & dies XXVI. Obiit XVII. Kal. Maii.
Aptatus Epſ. ſedit ann. VII. & menſ. II Obiit XII. Kal. Febr.
Felix Epſ. ſedit menſ. IX. Obiit XI. Kal. Ian.
Sigibaldus Epſ. ſedit ann. XXV. Obiit VII Kal. Nouemb.
Chrodegangus Archiepſ. ſedit annos XXIII. menſ. V. dieſque V. Obiit prid. non. Mart.
Anghibrammus Archiepſ. ſedit ann XXIII. dieſque XXVIII. Obiit VII. Kal. Nouem.
Gundulfus Epſ. ſedit ann. VI. menſ. VIII. Obiit VII. Id. Septemb.
Drogo Archiepſ. ſedit annos XXXIV. menſes V. dies VII. Obiit VI. Id. Decemb.
Aduentius Epſ. ſedit ann. XVII. dies XXV. Obiit II. Kal. Septemb.
Vuala Archiepſ. ſedit ann. VI. dies V. Obiit III. Id. April.

Eiuſdem P. Diaconi ſupplementum Langobardicorum, è Mſ. Palatino optimæ notæ.

hic deſinunt editiones vulgares, & plerique etiã mſ. codd. CVſtodiens.†Igitur Hildeprandus, quem præfatus Rex conſortem regni fecerat, hunc ipſi qui ei ſub iureiurando fidem dederant, à regno pellentes, Ratchiſum qui Dux fuerat, ſibi Langobardi elegerunt in Regem. Hic igitur in proceſſu temporis cum per plura Romanorum oppida deuaſtando decurreret, Peruſinam ciuitatem circumdans fortiter expugnabat. atque ſanctiſſimus Zacharias Papa ſpe diuina fretus, ad eandem ciuitatem perrexit, impenſiſque eidem Regi plurimis muneribus, opitulante Domino ab oppreſſione ipſius ciuitatis eum amouit. Quem & *l. humiliare.* ſalutifere prędicãs, Deo auctore valuit animum eius ſpiritali ſtudio inclinare.† Poſt aliquantos vero dies iſdem Ratchis Rex relinquens regalem dignitatem deuote cũ vxore & filiis ad beati Petri principis Apoſtolorum limina venit, acceptaque à præfato ſanctiſſimo Papa oratione, clericuſque effectus, cum vxore & filiis monachicõ indutus eſt habitu.

Poſt hunc vero Langobardi germanum eius Aiſtulfum ad regni gubernacula leuauerunt. Is dum quaſdam ciuitates ad iura B. Petri pertinentes, quas ipſe inuaſerat, reddere noluiſſet, ad hunc Stephanus Papa, vna cum Imperialibus & Francorum miſſis, Papiam per ſe veniens, nullis ab eo precibus vt iuri Romanæ Eccleſiæ redderentur, valuit obtinere. Hinc cum ad Gallias peruehiſſet, a Pippino Francorum rege, & eius filiis Carolo & Carlomanno, vtpote vicarius B. Petri Apoſtoli honorifice eſt ſuſceptus. Qui præfatus Rex iterum ad eundem Aiſtulfum ſuos miſſos dirigens, qui & ipſi nihil impetrantes ad ſuum dominum ſunt reuerſi: ac per hoc cum validiſſima Francorum manu ad Italiam ſuper eum veniens, in Papia per aliquot dies clauſum obſedit. Et tunc quod ſponte reddere noluit inuitus dimiſit.

Pippinus

Pippinus vero ad Gallias est reuersus: & Aistulfus post aliquot annorum curricula, dum in quodam loco venandi † operam daret, diuino ictu percussus interiit.

f. venationi.

DESIDERIVS XXII. Rex, *& vltimus.*

Tunc Desiderius quidam Dux Langobardorum, qui ab eodem Aistulfo Tusciæ in partes erat directus, audiens præfatum obiisse Aistulfum, illico aggregans ipsius Tusciæ vniuersam exercitus multitudinem, regni Lãgobardorum arripere nisus est fastigium. Huius personam despectui habens Ratchis, dudum Rex & postmodum Monachus, germanus præfati Aistulfi, sed & alii plures Langobardorum optimates eundem Desiderium spernentes, plura trans Alpium vel cætera Langobardorũ exercituum multitudinem congregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt. Interea dum vniuersorum consensu Desiderii regnum firmatũ est, Ratchis palatiũ gubernabat. Tunc suffragante Papa Stefano ita omnipotens Deus disposuit, vt sine vlla animarum periclitatione ante fatus Desiderius per iam dictę quo angelicæ cursum, † eandem quam ambiebat regalem adsumeret dignitatem.

Leg: iam dictis coniugalis consensu: vide Notas I. Gruteri.

Hic vero confirmato regno cum per iam annos plures regnasset, imitator factus Aistulfi, abstulit ciuitatem Fauentinam, & ducatum Ferrariæ, seu comachium, † de exarcato Rauennate. Ad quem Adrianus Papa sæpius suos missos direxit, & obsecratorias literas misit, deprecans eum vt à tantis malis resipisceret, & eas quas abstulerat, ad sedem Apostolicam redderet ciuitates. Sed nequaquam eius cor lapideum potuit emollire. Et dum in magna angustia ac tribulatione consisteret, necessitate compulsus direxit suos missos marino itinere cum Apostolicis litteris ad Carolum regem Francorum, deprecans eius excellentiam vt sicut genitor eius, ita & ipse sanctæ Romanæ Ecclesiæ subueniret. Quod confestim idem mitissimus Karolus Francorum rex direxit eidem Desiderio suos missos, deprecans vt easdem B. Petro Apostolo, quas abstulerat, pacifice redderet ciuitates, promittens insuper ei dare quatuordecim millia solidorum. Sed neq; deprecationibus, neque muneribus, eius ferocissimum cor flectere valuit: sed magis cum omni apparatu Langobardorum ad resistendum ei armatus occurrit. At vero Carolus cum alpes transiens Italiam ingredi cœpisset, Langobardi cum Rege suo dimissis propriis tentoriis, fugam omnes generaliter nemine eos persequente arripiunt. Ipse vero Desiderius velociori cursu fugiens Papiam se muniens clausit. Quem Carolus persecutus, eandem ciuitatem ex omni parte circumdans vallauit, positisq; custodibus ad persequendum Adelgisum Desiderii filium Veronam venit: qui tanti Regis aduentum metuens, post aliquos dies clam fugiens, in portu Pisano nauale iter arripiens, Constantinopolim non reuersurus migrauit. Carolus igitur Papiam reuersus, cum iam per VI. mensium spacia ibidem moraretur, relicta ibi exercitus multitudine, ipse magnum habens desideriũ orationis, voto Romã ad limina beati Petri Apostoli deuotissimus venit. reuersusq; Papiam ipsamq; obsidens, fortiterq; debellans, eandẽ ciuitatẽ simulq; & Desiderium Langobardorum regem, atq; cunctos qui cum eo erant, comprehendit, suæq; potestati subiugauit, dominans Italiam, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXIII. præfatum vero Desiderium & eius coniugem ad Franciam misit. Finitumq; est regnum Langobardorum, quod mansit per annos CCVI. postquam ipsi Italiam intrauerunt.

f. comitatu.

[Huc vsq; Diaconus filum historiæ suæ deduxisse videtur. Quæ sequuntur incogniti continuatoris in eodem vetustissimo Codice, non indigna visa sunt, quæ subiicerentur.]

Anno DCCLXXIV.

Anno DCCLXXV.

Anno DCCLXXVI. Rotchaus dux Foroiuliensis rebellis occiditur.

Anno DCCLXXVII.

Anno DCCLXXVIII.

Anno DCCLXXIX.

Anno DCCLXXX.

Anno DCCLXXXI. Carolus Rex Romam veniens: ibique baptisatus est filius eius qui vocabatur Carlomãnus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocauit Pippinum, & vnxit Regem super Italiã, fratremq; eius Lodouuicum super Aquitaniam.

Anno DCCLXXXII.

Anno DCCLXXXIII.

Anno DCCLXXXIV.

Anno DCCLXXXV.

Anno DCCLXXXVI. Hoc anno multa signa apparuisse dicitur. Signũ etiam Crucis in vestimentis hominum apparuit, & sanguinem è terra atque de cœlo profluere multorum affirmatione innotuit.

Anno DCCLXXXVII. Carolus Rex Romã veniens in terram Beneuenti profectus est, monasterium S. Benedicti adiit.

Anno DCCLXXXVIII. Idem Rex Tassilonem Baioariæ Ducem de principatu eiecit.

Anno DCCLXXXIX.

Anno DCCXC.

Anno DCCXCI.

Anno DCCXCII.

Anno DCCXCIII.

Anno DCCXCIV. In Galliis in loco qui Franconofurth dicitur, aduersus Elifandũ Hispaniarum Toletanæ sedis Episcopum, & Felicem eius socium, magna Synodus congregata est. Hi asserebant Dei filium adoptiuum non proprium esse. quam hæresin viri sanctissimi Paulinus Aquilegiensis Patriarcha, & Petrus Mediolanensis archiepiscopus, seu Alchuinus insulæ Britãniæ archidiaconus, cum cæteris Episcopis, diuinarũ scripturarum adsertionibus destruentes, proprium eum & nõ adoptiuum dici sanxerunt. Contra quam hæresin Leo tertius Papa congregata Romæ Synodo multis eam Euangeliorum & sanctorum Patrum testimoniis in perpetuum damnauit. Nam & Paulinus vir miræ scientiæ Patriarcha aduersus hanc nefandissimam hæresin tres libros luculento sermone composuit.

Anno DCCXCV.

Anno DCCXCVI. Hunnorum gens quæ erat vltra Danubium, per Pippinum Caroli regis filium Francorum potestati subiecta deleta est.

Anno DCCXCVII.

Anno DCCXCVIII.

Anno DCCXCIX. Leo Apostolicus cum more solito in Letania, quæ maior appellatur, procederet, Paschalis primicerius cum Campolo saccellario, & aliis Romanis, ferino more eum comprehendentes in terram proiecerunt, expoliantesq; eum crudeliter eius oculos euellere & ipsum penitus cæcare conati sunt. Nam & lingua eius præcisa, & vt ipsi omnino tunc arbitrati sunt, cæcum eum & mutum in media platea dimiserunt. Qui postea cum ab ipsis carnificibus in monasterium S. Erasmi in custodiam mitteretur, à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ noctu per murum ciuitatis dimissus est, & ad legatos Caroli magni regis qui tunc apud Ecclesiam B. Petri Apostoli erant, Wirundum scilicet Abbatem & Winigisum Spoletinum Ducem veniens, primo Spoletium, deinde ad Franciam est deductus, atque à præfato Rege venerabiliter susceptus, & honorifice Romam remissus est.

Anno DCCC. Carolus sæpe nominatus Rex Romam veniens, & Leo Apostolicus in ecclesia B. Petri Apostoli corã omnibus amplectens, sancta Christi quatuor Euangelia ascendens in ambonem contra nefanda crimina, quæ eis à Romanis obiecta fuerant, sub iureiurando clara voce dixit, *Quia de falsis criminibus istis, quibus super me imposuerunt Romani, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco.*

Anno DCCCI. Idem Carolus Rex cum ipsa die Natalis ad missam ante confessionem B. Petri Apostoli ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit. & à cuncto Romano populo acclamatum est: *Karolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.*

Anno DCCCII.

Anno DCCCIII.

Anno DCCCIV.

Anno DCCCV.

Anno DCCCVI.

Anno DCCCVII.

Anno DCCCVIII.

Anno

Anno Dcccix.

Anno Dcccx.

Anno Dcccxi.

Anno Dcccxii.

Anno Dcccxiii.

Anno Dcccxiv. Carolus Imp. moritur v. Kal. Febr. eodemq; anno Lodouuicus filius eius in eius loco Augustus est appellatus.

Anno Dcccxv.

Anno Dcccxvi.

Anno Dcccxvii.

Anno Dcccxviii. Lodouuicus Aug. Lotharium filium suum cōsortem regni fecit. Bernardus vero Rex regis Pippini filius rebellis effectus, captus ad Franciam ductus moritur.

Anno Dcccxviiii.

Anno Dcccxx.

Anno Dcccxxi.

Anno Dcccxxii.

Anno Dcccxxiii. Lotharius Imp. primo ad Italiam venit, & diem sanctum Paschæ Romæ fecit. Paschalis quoq; Apostolicus potestatem quam prisci Imperatores habuerunt, ei super populum Romanum concessit.

Anno Dcccxxiv

Anno Dcccxxv. Lotharius Imp. iterum ad Italiam veniens missam S. Martini Romæ celebrauit Et hoc est iuramentum quod Romano clero & populo ipse & Eugenius Papa facere imperauit: *Promitto ego ille per Deum omnipotentem, & per ista sacra quatuor Euangelia, & per hanc Crucem domini nostri Ihesu Christi, & per corpus beatissimi Petri principis Apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero dominis nostris Imperatoribus, H Ludouico & H Lothario, diebus vitæ meæ, iuxta vires & intellectum meum, sine fraude atque malo ingenio; salua fide quam repromisi domino Apostolico: & quod non consentiam vt aliter in hac sede Romana fiat electio Pontificis nisi canonice & iuste, secundum vires & intellectum meum: & ille qui electus fuerit, me consentiente consecratus Pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in præsentia missi domini Imperatoris & populi, cum iuramento quale dominus Eugenius Papa sponte pro conseruatione omnium factum habet perscriptum.*

EPISTOLÆ FRANCICÆ.

REMIGII EPISCOPI REMENSIS ad Chlodoueum Regem, & alios. Item aliorum Regum, Reginarum, Episcoporum, Abbatum, Ducum, & variarum eius aui personarum illustrium; necnon aliorum vicißim ad illos, Epistolæ.

Nunc primum editæ, è vetustißimo Codice Nazariano in Bibliotheca Palatina.

INDEX EPISTOLARVM.

XXXIII.

I.

Domino illustri meritis, Chlodoueo regi, Remigius Episcopus.



al. Albofledis. *f. suspici.*

NGIT me & satagit vestræ causæ tristitia, quod gloriosæ memoriç germana vestra transiit Albochledis, † sed cõsolari possumus, quia talis de hac luce discessit, vt recordatione magis suscipi † debeat quam lugeri. Illius enim vitæ fuit, quod adsumpta credatur à Domino, quæ à Deo electa migrauit ad cælos. Viuit vestræ fidei, & si est conspectus desiderio recepta, Christus impleuit, vt benedictionem virginitatis acciperet; quæ sacrata nõ est lugenda, quæ flagrat in conspectu Domini flore virgineo, quo scilicet & corona tecta, quam pro virginitate suscepit. Absit vt à fidelibus lugeatur, quæ bonus Christi odor esse promeruit, vt per eum, cui placet, auxilium possit conferre poscentibus. Dominus meus, repelle de tuo corde tristitiam, animo rite composito regnum sagacius gubernate, erectiora sumentes studio serenitatis consilia. Læto corde membra conforta, mœroris torpore discusso, acrius inuigilabis ad salutem: manet vobis regnum administrandum, & Deo auspice procurandum. Populorum caput estis, & regimen sustinetis. Acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicia videre consueuerunt. Esto ipse tuæ animæ consolator, vigorem illius prouidentiæ continens ingenitæ, ne tristitia candorem tuæ menti subducat. De eius præsente transitu, quæ choris est iuncta virgineis (vt credo) Rex gaudet in cœlo. Salutans gloriam vestram, & commendo familiarem meum presbyterum Maccolum, quem direxi. Quæso vt tantis habeatis ignoscere: qui quod occursum debui, exhortatoria destinare verba præsumpsi. Tamen per harum baiulum, si iubetis vt vadam, contempta hyemis asperitate, frigore neglecto, itineris labore calcato, ad vos (auxiliante Domino) peruenire contendam.

Maccolus presbyter.

II.

Domino insigni & meritis Magnifico, Chlodoueo Regi, Remigius Episcopus.

RVmor ad nos magnus peruenit, administrationem vos secundum rei bellicæ suscepisse. Non est nouum, vt cœperis esse sicut parentes tui semper fuerunt. Hoc imprimis agendum, vt Domini iudicium à te non vacillet, vbi tui meriti qui per industriam humilitatis tuæ ad summum culminis peruenit, quia quod vulgus dicitur ex fine actus hominis probatur. Consiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare. Et beneficium tuum castum & honestum esse debet, & Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere. Quod si tibi bene cum illis conuenerit, prouincia tua melius potest constare. Ciues tuos erige, afflictos releua, viduas foue, orphanos nutri, si potius est quam erudies, vt omnes te ament & timeant. Iustitia ex ore vestro procedat, nihil sit sperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona, aut aliquid accipere velis; prætorium tuum omnibus pateat, vt nullus exinde tristis abscedat. Paternas quascunque opes possides, captiuos ex inde liberabis, & à iugo seruitutis absolues. si quis in conspectu vestro venerit, peregrinum se esse non sentiat. Cum iuuenibus ioca, † cum senibus tracta, si vis regnare nobilis iudicari.

† iocare tracta, i. consulta.

Ludouico † Regi Francorum Theodericus Rex Italiæ.

al. Luduin. Extat apud Cassiodor. lib. III. c. vii.

GLoriosa quidem vestræ virtutis affinitate gratulamur, quod gentem Francorũ prisca ætate residem feliciter in noua prçlia concitastis, & Alamanicos populos, causis fortioribus inclinatos, † victrici dextra subdidistis. Sed quoniam semper in aucto-

i. humiliatos.

auctoribus perfidiæ resecabilis videtur excessus (quia primariorum plectibilis culpa omnium debet esse vindicta) motus vestros in fessas reliquias temperate. Quia iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Estote illis remissi, † qui nostris finibus celantur exterriti. Memorabilis triumphus est, Alamanum acerrimum sic expauisse, vt tibi eum cogas de vitæ munere supplicare. Sufficiat illum Regem cum gentis suæ superbia cecidisse. Sufficiat innumerabilem nationem partim ferro cæsam, partim seruitio subiugatam. Nam si cum reliquiis confligis, adhuc cunctos superasse non crederis. In talibus causis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella prouenerunt, quæ moderato fine peracta sunt. Is enim vincit assidue, qui nouit omnia temperare: dum iucunda prosperitas illis potius blanditur, qui authoritate nimia non rigescunt. Cede igitur suauiter genio nostro, quod sibi gentilitas communi remittere consueuit exemplo. Sic enim fiet, vt & meis petitionibus satisfecisse videamini, nec sitis solliciti ex illa parte, quam ad nos cognoscitis pertinere. Quocirca salutantes gratia, honore & affectione qua dignum est, illum & illum Legatos nostros ad Excellentiam vestram consueta caritate direximus: per quos & sospitatis vestræ iudicium, & speratæ petitionis consequamur effectum. Quædam vero quæ ad nos pro vestris vtilitatibus peruenerunt, per harum portitores verbo vobis insinuanda commisimus: vt cautiores effecti, optata † possitis victoria constanter expleri. Vestra siquidem salus, nostra gloria est: & toties regnum Italiæ proficere iudicamus, quoties de vobis læta cognoscimus. Citharœdum etiam, arte sua doctum, pariter destinamus expetitum: qui ore manibusque consona voce cantando, Gloriam vestræ potestatis oblectet. Quem ideo fore credimus gratum, quia ad vos eum iudicastis magno opere dirigendum.

Hic vide M. Velser. VIII. rer. Aug. Vind. sub Anno CCCCXCIX. al. remissus.

f. obtenta.

III.

Dominis vere Sanctis, & Meritis Beatissimis in Christo Fratribus, Heraclio, Leoni, & Theodosio, Remigius Episcopus. Expostulatoria de contumelioso responso.

PAulus Apostolus in Epistola sua loquitur: *Charitas nunquam excedit.* Quæ, vt tales ad me literas mitteretis, in vestris sensibus non resedit. Nam pro Claudio fudi simplicem precem, quem vos non Presbyterum scribitis, vt in me indignationem vestri pectoris proderetis. Illum non abnego grauiter deliquisse. Sed vos ætati meæ, etsi non meritis, decuerat detulisse. Quod propitia Diuinitate sit dictum, quinquaginta & tribus annis Episcopali sedi præsideo, & me appellauit tam procaciter nemo! Dicitis, *Melius vos fuisse non natos.* Hoc mihi fuerat opportunum, ne audissem transgressoris opprobrium. Ego Claudium presbyterum feci, non corruptus præmio, sed præcellentissimi Regis testimonium, qui erat non solum prædicator fidei catholicæ, sed defensor. Scribitis, *Canonicum non fuisse, quod iussit.* Summo fungamini sacerdotio. Regionum præsul, custos patriæ, gentium triumphator iniunxit. Tanto in me prorupistis esse commoti, vt nec Episcopatus vestri detuleritis auctori. Rogaui, vt Claudius sacrilegii perpetrator pœnitentiæ seruaretur. Legimus namque, legimus quod excidium cœlesti denuntiatione prædictum euaserint per pœnitentiam Niniuitæ; quod Iohannes præcursor Domini in Euangelio prædicauit, vt regno appropinquante cœlorum eam † populi agerent, ne perirent. In Apocalypsi Angelis Ecclesiarum scribitur ex præcepto Domini saluatoris, Vt quæ digne minus egerant, pœnitentiæ satisfactione corrigerent. De iracunda dictione Sanctitatis vestræ intelligo, quod lapsum non miseramini post ruinam, sed magis velle vos video, ne conuertatur & viuat. Cum Dominus dixerit; *Nolo mortem morientis, sed vt conuertatur, &*

Claudius presbyter.

LIII. annis Episcopus R.

ft. pœnitentiam.

viuat. Hoc nos expedit sequi, hanc Domini voluntatem non prætermittere, sed tenere: quia nos posuit non ad iracundiam, sed ad hominnm curam, & seruire pietati potius quam furori. Ponitis in epistola vestra, quod Celsus quidam qui Claudio credidit, quod abductus, & vtrum viuat aut sit mortuus ignoratis: atque huius inquisitorem me esse præcipitis, & nescitis si in seculo, aut si apud inferos sit quærendus, & res suas à me vultis restitui, quas sublatas fuisse non noui. Impossibilia præcipitis, vt impia peragatis. Annorum numerum me esse scribitis Iubilæum, irridentes potius, quam pro dilectione gaudentes, cui vinculo caritatis inrupto insinceriter, à vobis nec parcitur nec defertur.

Celsus Claudii sectator.

IV.

Domino vere Sancto, & in Christo Beatissimo Fratri, Falconi Episcopo, Remigius Episcopus.

Expostulat cum nouo Episcopo, de inuasa sua iurisdictione.

QVantum comperi rebus gestis, probaui. Prius curæ Beatitudini tuæ fuit, vt mihi inferres iniuriam, quam salutationem deferres. O adueniens † principium quod dedisti, vt læderes Episcopos ante me, quam Episcopum te viderem! Nimium cito pennis tenerulis euolasti, leuitate animi, non maturitatis consilio. In ipso siquidem Episcopatus exordio, ius ingredi tentas alienum, qui adhuc tuum verecunde debueras introire. Fas ergo fuit, vt inlicitis ordinationibus tuis à te credideris occupandam loci Mosomagensis ecclesiam, quam Metropolitani vrbis Remorum (sub ope Christi) sua semper ordinatione rexerunt. Adhuc (arbitror) tua nescis, & iam aliena peruadis. In quam igitur cum Leuitas feceris, presbyteros consecraris, Archidiaconos institueris, primicerium scholæ clarissim. militiæque lectorum. Non queror, quod me consilio inter ista non videris. Vtinam te vidisses. Si enim Canones tua Sanctitas ignorabat, satis præproperum fuit, vt transgrederetis antequam disceres. At vero Ecclesiarum statuta si noueras, tanto grauius tantoque periculosius inspientia tua priscorum magnificorumque Pontificum decreta calcauit. Caue, qui aliena præsumis, ne quod habere videris, amittas. Cum factæ ordinationis iura non constent, quo potissimum consilio sacerdotalis officii tyrocinia defensabis, si temerariæ transgressionis admissum pertinacia vel impotentia miscueris? Maioris discriminis erit, antiquam sanctionem fuisse violatam; quam laus sit, loco stare contra Canones, quos creasti. Sed quid de eorum loquar ordinibus, quos à Beatitudine tua non licuit promoueri; plus illud est, quod si iuxta maiorum statuta seueritatemque discutimus, non minus quam status illorum, vester veniet Episcopatus in dubium. Dominus in Euangelio dicit ad Petrum: *Simon Iohannes, diligis me?* Et Petrus: *Etiam Domine, tu scis quia amo te;* cui bis terque à Domino sub hac responsione præcipitur, *Pasce oues meas.* Ego quia oues Christi pascere omnimodis imperitus, alimoniæ cœlestis vbertate non possum, tu qui es sacris eruditionibus eruditus, eas quæ mihi Christo iubente traditæ sunt, vt pascas admoneo, vt inuadas inhibeo. Age semper, vt te digna comitentur. Ecclesiæ, quam diuina dispensatione meruisti præsidendam, deserui, & pro salute gregis Dominici solicitus pastor inuigila. Vtinam mediocritati meæ ista suppeterent, quæ in nomine Domini habere vos cupio. Sed quia desunt meæ, vel credita mihi sunt obsequia saluatoris, saluari mercenario non requiro. Iohannes in Apocalypsi septem quippe Angelis suis comprehendit, & vnicui-

† f. communis.

Mosomagens. ecclesia.

nicuique scribit Ecclesiæ. Facta igitur merita quæ præpositis: quæ probata corrigenda, castigat. Cum ergo sub vocabulo Angeli, tradatur actionis forma pontificiæ, doleo super tuæ præsumptionis audacia, vt iura permutes vetera nouus, cauta temerarius, diuina terrenus. Audiant nos, audiant quos elegeris Sacerdotes. Sacerdotes tui ipsi nos audiant. Creatoris confido sententiam non pro te, sed in te, à iudicantibus proferendam. Quis enim pro sensus sui probitate non improbet, cum contra Ecclesiæ regulam prorupisse, qui debuerat Ecclesiæ regulam custodire? Mandas (vt audio) colonorum tibi tributa portari, & præcipitis vt reditus deferantur agrorum. Datur intelligi, quod Ecclesiæ rem, non Ecclesiam concupisti: quando sollicitus exquisitor exposcis, quæ ego, ad quem iure veniebant, remisi potius quam quæsiui. Nolo te lateat, Leuitas atque Presbyteros, contra ordinem quos fecisti, ab ordine iam remotos. Perpendi enim, quod à me non decebat admitti, quos à te non licuerat ordinari. Heu quantum me à cultus tui proposito repulisti, dum mauis perperam gerere, quam fœdera fraterna seruare. Optaueram namque vt clarus † permansisses, quia factus fueras vt † sacerdos. Sed si mentem tuam cura ista non tangit, ego tamen pro sinceritate profiteor, quod animum non minus angit, à te inexcusabiliter erratum, quam me fuisse contemptum.

f. clarius. f. vi sacerd.

V.

Domino suo Nicetio Papæ, Florianus ex Monasterio Romano.

BEnedicitur vna Trinitas, Deus noster, qui vos pontificalibus meritis pontificali locauit in vertice, vt non beatitatem dignitas, sed beatitudo præcederet dignitatem. Nec immerito: cum ab ineunte pueritia Dominicis militaueris in castris, vt illuc totius † & validius discretis, quibus iaculis intelligibilis ille prosternitur Amalech, scilicet quando & ipse victor es nomine. Sic enim estis Deo præsule in statutis cœnobialibus eruditi, vt per mare seculi sine secularibus fluctibus inoffenso vestigio transiretis, & triumphalem hymnum cum Moyse merito concinentes: *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare.* Sic indiuiduus comes Eliæ, vt nunquam deserens altiora, quo humilitate conscenderas, vnde cum Apostolis in montem glorificatum aspiceres Dominum Saluatorem. Quia igitur tanta sanctimoniæ vestræ prærogatiua, suffultat, quæso vt pro me qui impetrastis, oretis. Quoniam Deus præscius futurorum, qui fecit quæ ventura sunt, sciens me sanctorum solatio indigere viuorum, vt bonus dominus præparauit auxilia. Vide ergo quantis adiutoribus vteris, cum pro me cœperis obsecrare, sanctæ memoriæ dominum Ennodium Pontificem Ticinensis ecclesiæ, qui generosi sanguinis nobilitatem humilitate præuexit ad gloriam, vt in cœlestis patriæ senator † fieret, & ibi senator, cuius incomparabilem doctrinæ facundiam non solum testatur Occidens, sed & Oriens, instructa miratur, Nestorii fulmen, Eutychis extinctor, gloriosam dominam meam inuiolabilemque, Mariam Christotocon & Theotocon, apostolica auctoritate perdocuit. Ipse ergo meus est pater ex lauacro, quem credo apud æternum Patrem per Filium interuenire pro filio. Sed & coronæ † vestræ socium beatæ memoriæ dominum Cæsarium Arelatensem episcopum, qui vixit inter barbaros pius, inter bella pacatus, pater orphanorum, pastor egentiũ, qui tanti census effusione nil perdidit, catholicæ regulã disciplinæ dictis

f. tutius. Nuchrm. Ennodius Ticinens. f. Senatus. l. Episcopatus sacerdotii. Cæsarius Arelatens.

factisq; demonstrans. Ipse igitur mihi Latinis elementis imposuit Alphabetum, sed & hunc pro famulo discipuloque suo impetrare confido. Addo & tertium, imparem quidem dignitate, sed meritis coæqualem, sanctæ memoriæ Theodatum Abbatem meum, & Archimandritam, seculi huius inimicum, cui crucifixus est Mundus, templum vere dignissimum Trinitatis, plenum reuerentiæ Christianitatis, ex placida bonitate mitissimum, ieiuniis castigatum, orationibus refectum, puritate mund.ssimum, qui mihi sacras exposuit scripturas, & flores teneræ lanuginis ipse suscepit; qui pro filio & discipulo, successoreque suo, licet indigno, non ambigo quod laus † exoret. Vincunt ergo, Domine mi, tanti iusti orationem peccatorum. Igitur quia conuersatio vestra in cœlis est, sicut dicit Apostolus, *Vestra autem conuersatio in cœlis est.* Orate cum his & rogate illum meum sacratissimum confessorem Ambrosium, quatenus me vt peculiarem famulum tueatur, vt proprium ciuem foueat, vt familiarem alumnum eruat: qui apud dominum Iesum quod orauerit, exorabit. Quocirca salutationis obsequium famulanter insinuans, precor vt pro beatissimo viro, domino meo Datio Episcopo fratre vestro semper oretis. Æquum est enim, vt pro eo, quem monasterii septa sacrarunt successorem, etiam confessorum successor egregius beatorum exorare non desinas. Et hoc si dignum ducitis, supplicamus, vt Beatitudinis vestræ sospitati paruitatem nostram faciatis, sicut petimus, successorem.†

Theodatus Abbas. — *f. latus.* — *Datius episcopus.* — *f. certiorem.*

VI.

Domino meritis Beatissimo, & Apostolico Patri, Nicetio Archiepiscopo, Florianus seruus Christi.

EGregiam vestræ Sanctitatis famam audiuimus, quæ vbique celeberrimo sermone vulgatur. Vnde gratias agimus bonorum omnium largitori Deo, qui te talem opportuno præuidit tempore, quando confluentes de toto orbe captiui tranquillissimum te portum salutis inueniunt. Captiuos enim redimis, oppressos subleuas, saturas esurientes, pusillanimos consolaris. His ditatus mercibus Maximianam Paulinianamque beatitudinem promereris, qui angelicam vixerunt vitam in seculo. Hii te loco suo dignissimum propagauerunt hæredem, quorum fidem atque constantiam vestra nobis sanctimonia repræsentat. Quapropter salutationis obsequium famulanter insinuans, precor per eum qui vos sacrauit, vt pro me humillimo peccatore, innumerabilibus malis afflicto, diuinam clementiam iugiter imploretis. Illud autem suppliciter quæso, vt domino filio vestro gloriosissimo Regi Theodebaldo insulam Lariensem, quæ CHRISTOPOLIS dicitur, plurimum commendetis, vt Romanis seruis eius sacramenta quæ data sunt, omnimodis conseruentur, vt regnum ipsius Deus augeat & defendat. Quia vero non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent: iterum vos iterumque rogabo, vt me me, quem sæua istius mundi procella mortificat, quoniam multa flagella peccatoris, tua dominus oratione viuificet, ac vobis pro me impetrantibus, Prophetica pollicitatio compleatur, quæ ait: *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit:* Quatenus misericordissimæ Trinitati, & Beatitudini vestræ perpetuas referre gratias mereamur. Rogo vos per dominum nostrum Iesum Christum, vt pro me sic oretis, vt sentiam & merear per Deum consolari.

Christopolis.

VII.

VII.

Domino ſemper ſuo, Iuſtiniano Imperatori, Nicetius cum ſuis humilis, ſed miſericordia Domini Epiſcopus. Iuſtinianum Imp. ab errore reuocat.

IN nouiſſimis temporibus iam, vt ſermo Euangelicus prædixit, proſpicimus, & cum tempus noſtrum ſemper ſit paratum, tamen finem (vt ſcriptura denuntiauit) venire ſentimus. Sed beatus ille homo, quem, cum venerit Chriſtus, inuenerit ipſum vigilantem. Sol conuertetur in tenebras ab Oriente, id eſt ab alto, hoc eſt à vita ſancta. In integro mundo ſplendebas vt Sol, & cum omnes inde gratia Domini rectores Eccleſiæ, cuncti conſilii ipſius gauderemus, de vulgante fama, ex lapſu veſtro, quem nunquam peruenire debuimus, contriſtati & humiliati, vſque in terra ſumus. Dulcis noſter Iuſtiniane, quis te ſic decepit? quis vt talia proſequereris ſuaſit? Quis, vt Chriſtum purum hominem fatereris, docuit? Quis, vt in Iudæ conſortium te tranſcriberes, circumuenit? Quis, vt illum, qui dixit, *Ego à patre exiui, & veni in hunc mundum*, per circumciſionem, per baptiſmum, per paſſionem, vt creſceret, te docuit? Quis, vt qui cor miſerum non habebas, arte repente oppreſſit? Quis vt quod Patres, quos venerari debuiſti, ad cædes, ad diuerſas cruces mitteres, prouocauit? Quis vt illa, propter quæ Chriſtus crucifixus eſt, & Apoſtoli omnes pertulerunt, deſtrueres, prouocauit? Quis vt quod iam ſemel, bis & tertio ab omnibus rectoribus Eccleſiæ condemnatum fuerat, vel adorares, commonuit? Neſtorii & Eutychis (vt diximus) iam anathematizata quotiens atque quotiens ſecta, vt te de ipſa interimeres, quis imperauit? Ille, ille, qui Adam vt cõtingeret arborem vitæ ſuaſit, qui ſtudio ſuo mortem adinuenit, circumuenit; qui Iudam, cum Chriſtum purum hominẽ fecit, & pro homine tradidit, in ignẽ, quẽ præparauit Deus Diabolo & angelis eius, miſit. Dulcis & dulcis noſter Iuſtiniane, rememorare quæ promiſiſti cũ baptizatus es, quid per ſingula te credere dixiſti: *Vnũ Filium manentẽ in duabus ſubſtantiis, cum Patre & Spiritu ſancto*, non duos Chriſtos teſtatus es; cũ exceſſiſti, quid feciſti? quid tibi præparaſti? Diſcute, & bene te proſpice, & vide ſi non in loco perditionis te obligaſti. Adhuc ſi vis, viuis; ſi vis, reuertendo gaudes. *Conuertimini*, inquit, *ad me, & conuertar ad vos*. Patres à quib. benedictionẽ expectare debuiſti, in exilium trãſmiſiſti: Tu cũ in vltima ætate tua per componere & coniũgere te ad redẽptorem tuũ debuiſti, ipſe te, non alter, ſed tu & te & tuos decepiſti. Cum Lactantius, vt dicit presbyter, loca ſancta per Gallias propter Domini miſericordiam viſitaret, ante nos apparuit, quæ legis deprecauimus, & per Ieſum Chriſtum redemptorem noſtrum coniurauimus. Ergo literis præſentibus Deum noſtrum coniuramus inſuper, & conteſtamur, vt & tu reuertaris, & quantos† perire ſuaſiſti in horrenda perſecutione, reuertere prouoces; quod ſi non feceris, ſit iudex ille inter nos & te, ſed quantum citius cui tu honores tuliſti, & purum hominem feciſti, cum legiſti; *Ego & Pater vnum ſumus, ſed talis pater qualis & filius: quia ita pater vt filius.* Quoniam verum eſt, quomodo ad circumciſionem veniendo, ad baptiſmum, ad martyrium, meliora reprobantur. qui Deus & creator omnium eſſe conuincitur. Feſtina, feſtina, ſed protinus. Nam ſi te ſic vltimus dies inuenerit, qualis nunc hodie appares, deſcendes ad inferiora terræ, & ad partes vulpium eris. Lætetur ſancta Eccleſia de regreſſu tuo, quia vehementer luget de exceſſu tuo. Gaudere nos in vltimo ſeculo [illegible] facias quos lugere poſt lætitiam de perditione tua feciſti. Ne dicas vel in corde tuo, *Fui, fui, Vici, vici.* Victus es & vinctus, ſed inde vnde filius Diaboli & inimicus iuſtitiæ. Nam notum tibi ſit, quod tota Italia, integra Africa, Hiſpania, vel Gallia coniuncta, nomen tuum, cum de perditione tua plorant, anathe-

† quodcunque.

matizant. Et si non quæ docuisti destruxeris, & publica voce clamaueris, *Erraui, erraui, Peccaui. Anathema Nestorius, anathema Eutyches:* cum ipsis te ad supplicia sempiterna tradidisti. Salutamus plurimum, coniurantes per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, per illum qui in vno trinus apparet, & in tribus vnus agnoscitur, vt te de horrenda secta & abominabili persecutione semoueas, & illos qui te suadēte in ipsam ceciderunt, ad meliorem viam venire studeas.

VIII.

Dominæ Clementissimæ in Christo Filiæ, Chlodosuindæ Reginæ, Nicetius peccator. Hortatur, vt maritum ad fidem Catholicam adducat.

CVm legatos vestros per Francorum Reges germanos tuos ire conspicimus, de prosperitate vestra solliciti sumus, sed illa inde audimus quod quam semper sonare etiam & sonare confitemur, quam magna, quam alta, quam laudabilis, quam vtilis, quam humana vel munifica, quomodo de pauperibus sollicita, quomodo de regione astuta, quomodo in cuncto populo pia conuersatione splendida. Ille hoc concedat, qui tibi spiritum sapientiæ & intellectus iam dedit. Gaudemus ex hoc, gaudere nos Christus faciat de Alboino Rege, † quem habes, & de felicitate sua triumphare. Stupentes sumus, cum gentes illum tremunt, cum Reges venerationem impendunt, cum potestates sine cessatione laudant, cum etiam ipse Imperiis † ipsum præponit, quod animæ remedium non festinus requirit. Scriptum legimus: *Quærite primum regnum Dei, & omnia bona apponentur.* Qui sic, quemadmodum ille, fulget fama; miror quod de regno Dei & animæ suæ salute nihil inuestigare studet; sed illos recipit, illis adquiescit, qui potius animam in gehennam perdunt, quam ad viam salutis adducant. Duos Deos esse prædicant, alium in Deitate patrem, alterum in Deitate, sed pro creatura filium: Cum scriptura dicat: *Ego sum saluator, & non est alius præter me.* Te domina Chlodosoinda, pertremendum diem iudicii coniuro, vt hanc epistolam & bene legas, & bene illi & frequenter exponere studeas, & vt ipsum interroges, Quis est Saluator? Patrem dicunt esse saluatorem, an filium? quoniam † duos esse, cum vnus est, & alius non est, denuntiant? si dicent Filium, ergo Pater saluator non est; & si dixerint Patrem, ergo Filius non est saluator, quia saluare qui saluator non est, nullum potest. Si dixerint; Duo sunt Saluatores, istud scriptum nusquam inuenient. Nisi; *Ego & pater vnum sumus*, hoc est Pater in Filio & cum Filio, & Filius in Patre, & cum Patre. Deus præ magnitudine videri ab oculo humano non potest, qui tantum grandis, tantum fulgens, tantum etiam igneus est. Legimus: *In circuitu cæli, & terræ tabernaculum eius*, quod etiam præ ista magnitudine & splendore ab homine videri non potest, expressit de se quem semper habuit apud se, qui latibulum sibi de carne fecit, & ideo Scriptura dicit: *Posuit tenebras latibulum suum.* Ideoque in Euangelio ait verbum Dei, quod Iohannes dicit, quia *in principio erat, verbum caro factum est*, & quod de Maria erat, sic illud ad se iunxit, vt esset vnum. Et per scripturam dixit: *Ex Sion species decoris eius*, hoc est, homo in Deo transibit. In Euangeliis ipse dixit: *Ego ex patre exiui, & veni in hunc mundum.* In quadragesimo septimo Psalmo dixit: *Distribuite gradus eius. Eius* dixit, non *eorum.* Quoniam vnus esse, sed nec solus apertissime scitur, vt enarretis in progenie altera. Nam in die resurrectionis, nec narrare, nec apparere poterit, qui Trinitatem in vnitate non crediderit, & pro eo omnis militia Angelorum per singulos dies clamat; *Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Zebaoth.* Non tres Sancti, sed ter sanctum dixit dominum Deum Zebaoth, sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus. Vnus sanctus, sicut vnus dominus;

Longobardor. P. Diac. Lib. 2. c. vlt.

f. Imperator. vel, ipsum Imperium.

f. quare.

nus. Vnde & Iohannes Euangelista dixit: *Ipse est qui est, & qui erat, & qui venturus est saluator.* Si pernominauero, gradus esse videntur. Cum Patrem audis, nomine maior esse videtur, & ideo dixit: *Pater maior me est*, sed nomine tantum: in Deitate autem euidentissime per Christum & per Apostolos eius vnus esse agnoscitur. Quia ipse cum à discipulo interrogaretur: *Domine, ostende nobis patrem. Et ille, Me vides, & de patre interrogas?* Vides quia in Trinitate inuocatur, & in vna Deitate esse inuenitur, cum Patrem audis, sine filio esse non credas; cum audis Filium, cum patre esse non dubites, nec dubites tres in personis, nam vnus in Deitate esse agnoscitur, & ideo ad discipulos suos dixit: *Ite, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. In nomine*, dixit, non *in nominibus*, quia vnam Deitatem dixit, non tres. Spiritus autem sanctus separari non potest, quoniam vnde esse scitur gratia Dei, inde donum Dei esse cognoscitur, ab ipso spirant bona omnia, sicut Apostolus dixit: *Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Et hinc Propheta dixit: *Tu solus altissimus*, sed solus altissimus in omni terra saluator Iesu Naue ipsum conspexit, & ideo dixit, *Noster es an aduersariorum?* Ille autem respondens ait: *Ego sum qui sum, & alius præter me non est.* Abraham, qui dicitur amicus Dei, & probatur, tres vidit, & vnum credidit, cum tres adorat. Trinitatem (sicut dixi) commemorat, cum vnum in domum intrare deprecatur, vnam potestatem esse denuntiat. Nam Moysi quotiens atque quotiens dixit: *Ego sum qui sum, & alius præter me non est.* Quid nos ire per singula necesse est? ad duodecim Discipulos quos habuit, veniamus, quia ipsi Gothi hodie ipsis venerationem impendunt, & reliquiis eorum, ... † furtim tollent, sed nihil ibi habent, quia fidem eorum ad nulla repræsumunt. Quid est quod in Basilicis eorum corpora ipsorum hodie venerantur, non ingrediuntur? Quid est quod nihil ibidem præsumere audent, nisi furtiue, vt canes à foris, animas decipiunt, cum illos suos fideles Rex Alboinus sibi demittat, & ad domini Petri, Pauli, Iohannis, vel reliquorum Sanctorum limina perducatur, ibidem Missas facere, si audent, deliberent, sed non audent, quia domini Petri discipuli non apparent, & contrarii Christi esse probantur: quia quod per crucem ipse redemit, destruere infelices inueniuntur. Qua causa venena eorum talis Rex, & talis ætas percipit, Hic si iubet, ad dominum Martinum per festiuitatem suam, quam vndecima die facit Nouember, ipsos mittat; & ibi, si audent, aliquid præsumant, vbi cæcos hodie illuminari conspicimus, vbi surdos auditum, & mutos sanitatem recipere: Nam quid dicam de leprosis, aut de aliis quam plurimis, qui quantacunque debilitate percussi sunt, ibidem per singulos annos alii & alii sanantur? Fortasse dicunt, confingunt vel cæcos, qui cæci à natiuitate esse videntur, Quid dicunt cum inde illuminatos conspicimus, & ad propria (Deo miserante) sanos reuerti videmus? Nam quid dicam adhuc de domino Germano, Hilario, vel Lupo Episcopis? vbi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo. vbi tribulantes, id est Dæmonia habentes in aera suspensi torquentur, & dominos quos dixi esse confitentur? Nunquid in Ecclesiis eorum sic faciunt? non faciunt, quia Deum & dominos Sanctos ibi habitare non sentiunt: Dæmon dæmonem non exorcisat. Nam vbi sancti habitant, Dæmon vagari non dimittitur, ideo fit vt locus vbi Deus est, ostendatur. Quid de domino Remigio, & domino Medardo Episcopis, quos tu credo vidisti? non possumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Audisti ab auia tua domina bonæ memoriæ Rodhildis, qualiter in Francia venerit, quomodo dominum Chlodoueum ad legem catholicam adduxerit, & cum esset homo astutissimus, noluit acquiescere antequam vera agnosceret. Cum ista quæ supra dixi, probata cognouit, humilis ad domini Martini limina cecidit, & baptizari se sine mora permisit, qui baptizatus quanta in hæreticos Alaricum vel Gundobaldum Reges fecerit, audisti; qualia bona ipse vel filii eius in seculo possederunt, non ignoratis. Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus Rex esse dicitur, talis fama, quem mundus sic præponit, quare non conuertitur, aut quare tardus ad requirendum viam salutis apparet? Deus bone, qui es Sanctorum gloria, & omnium

f. reliquias e.f. tollunt.

Gothi Apostolorum cultores

XI. Nouemb.

Germanus, Hilarius, Lupus epi.

B. Remigius, Medardus.

Chlodou. Rex.

salus, tute in illum mitte. Et tu domina Chlodosoinda, cum verbum facis, solatium tribue, vt omnes de tali stella, de tali gemma sic gaudeamus, qualiter Deo placere possimus. Saluto tantum quantum valeo, deprecor vt ociosa non sis, incessanter clama, incessanter canta. Audisti dictum: *Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem.* Nam scias, prima salus, prima remissio est, qui conuerti fecerit peccatorem ab errore suo. Vigila, vigila, quia Deum propitium habes, rogo vt sic agas, vt & gentem Longobardorum fortem super inimicos facias, & nos de salute tua, vel viri tui gaudere concedas.

IX.

Dominæ Clementißimæ atque Præcellentißimæ, & nobis semper Piißimæ dominæ, & in Christo Sanctæ Ecclesiæ Filiæ, Brunehildi Reginæ Germanus peccator.

Deprecatio bellum

QVia caritas congaudet veritati, & omnia sustinet, & nũquam excedit; propterea ex contribulato corde, & ex intima animi dilectione audemus vobis suggerere. Quia eo tempore quando minor erat numerus populi Christiani, & cum Dei auxilio licebat residere quietum, cum Apostoli dicebant: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Nunc è contrario tam funestos & luctuosos ante oculos habentes dies, flenter dicimus: *Ecce dies tribulationis & perditionis nostræ aduenerunt.* Væ nobis, quia peccauimus. Si nos istæ non conterruissent amaritudines & tribulationes, & corpori exhibuissent infirmitatem, per nosmet ipsos vestræ debuimus occurrere pietati. Quia si fas dici est, singulariter & vestri dilectionem in nostro gestamus pectore, & vnice de vestra præsentia spirituali desiderio sitientes, sicut cultores & peculiares filii Dei, ambientissime vos viuere atque proficere in omnibus pie optamus. Sed quicunque hominem in anima diligit, si minus oculis carnalibus eum valet intueri, quæ ad animæ & corporis vel prosperitatem pertinent & salutem, omnimodis literario officio reticere non debet. Vulgi verba iterantes, quæ nos maxime terrent, vestræ Pietati in notitiam deponimus, quæ ita disseminat, eloquentium ora detrahuntur, quasi vestro voto, consilio & instigatione dominus gloriosissimus Sigebertus Rex tam ardue hanc velit perdere regionem. Non propterea hæc dicimus, quasi à nobis credatur: sed supplicamus, vt nulla occasio tribuatur dicendi, vnde vobis tam maximum & periculosum generetur blasphemium.† Licet hæc regio iam caruisse felicitatem, & perditionis nostræ concludamus terminum: sed de misericordia non desperabamus diuina, adhuc vltionis suspendendi manum, dum emendationis expectatur remedium, si non dominaretur intentio, † quæ mortem operatur; cupiditas, quæ radix est omnium malorum; iracundia, quæ sensum aufert prudentiæ. Saluator noster perspiciens suæ passionis imminere tempus, dixit: *Væ homini, per quem scandalum venit.* Quod ore proprio detestatus est, impune non posse manere credimus, omnibus clamamus, omnes conscientiæ suæ cogitationes & actiones considerent, & caueant ne cum Iuda proditore, huius condemnationis sortiantur iudicium. Deo sufficit nosse, optabam aut pro ipsis mori, vt illi viuerent; aut ante eorum interitum quocunque casu vitam finire, vt nec eorum, nec regionis cerneremus interitum. Sed alter ab alterutro excusatione vtitur, & nullus ex ipsis ante oculos Dei ponit iudicium; neque aliquid Dei reseruat potestati iudicandum, nec credent se iam sub Dei esse notitia. Quia à nullo audiri meremur, vobis & ideo supplicamus: quia si illi regnum perdiderint, nec vos, nec filii vestri magnum possidebitis triumphum. Ad hoc vos hæc regio † suscepisse gratuletur, vt per vos salutem non interitum percipere videatur. In hoc populi restinguitis verba, si mitigatis furorem, si Dei facitis expectare iudicium. In veritate suggero, si meam humilem non despicitis supplicationem, adhuc de votorum vestrorum gaudemus plenitudine. Propterea hæc dolens scribo, quia video, qualiter præci-

Gall. blasfme.
l. vituperiũ.
l. contentio. sic & alibi.
Gallia siue Francia.

præcipitantur & Reges & populi, vt Dei incurrant offensam. Ita legimus; *Quicunq; in brachiu sui fortitudine sperauit, antea confusionem quam victoriam promeruit.* Quicunq; adminiculo gentis sibi adiuuari posse confidit, antea periculum mortis quam salutẽ promeruit. Quicunq; propter copiam auri & argenti, eleuatur in superbiam, antea desolationis opprobrium sustinebit, quam suæ cupiditatis cõsuluisset auiditati. Ipse iudex æternus nunc iudicat, perpetuam iudiciariam possidet potestatem: non corrumpitur præmiis, aut aspicit ad vota impiorum, sed considerat cogitationes cordium, & reddet vnicuiq; secundum opera sua. Inhonesta victoria est fratrem vincere, domesticas domos humiliare, & possessionem à parentibus constructam euertere. Contra semetipsos pugnant, suamq; felicitatem exterminant: de sua perditione gaudet accelerans inimicus. Qua fide, & ex quo animo, qua deuotione hæc scribimus, Deo sufficit nosse, vt vobis bona futura præparetis, & nos cum Deo absolutos esse vel paululum sentiamus. Sed quia Sacerdotibus præceptum est; *vt tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo opera eorum,* ergo piissima domina intelligite mysterium, & cauete exemplum. In principio duobus fratribus .. * .. erat mundus. Vnus ex ipsis Cain fratricidium perpetrauit, & vsque septuplum punitionis sententiam suscepit. Ioseph fratres sui per inuidiam vendiderunt, & postea seruituti ipsius subiugati sunt. Saul sanctum Dauid per inuidiam nitebatur occidere, ipse postea in eum misericordiam exercuit. Absalon fratrem interfecit, patrem è regno voluit remouere, & qualem suscepit interitum, nulli habetur incognitum. Præcipue quoq; Dauid Propheta dicente: *Quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur, qui vero expectant Dominum, ipsi hereditabunt terram.* Apostolus clamat; *Qui odit fratrem suum, homicida est, & in tenebris ambulat, & nescit quo vadit.* Saluator denunciat: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur; Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Vbi est pax & caritas, ibidem est Dei pietas. Legimus per Hester Reginam populo fuisse concessam salutem. In hac parte & vestram ostendite prudentiam, & fidei vestræ salubritatem atq; perfectionem, vt & dominum Regem à Dei reuocetis offensa, & populũ à parte sua viuere liceat quietum, donec iudex æternus consuetam discernat iustitiam. Quia euidentissime omnibus patet, qui caritatem fraternam postponit, despicit consortium, nõ adquiescit veritati. Omnes Prophetæ contra ipsum loquuntur, omnes Apostoli ipsum detestantur, & Deus omnipotens ipse quod constituit iudicabit. Præmissa salutatione obsequia supplicamus, vt latorem præsentium seruũ vestrum Gundulphum commendatum habeatis, & quæ per eundem verbo mandamus, absq; hæsitatione credentes recipiatis, & implere non despiciatis, & elaboretis, qualiter de vestra salute nobis gaudia præparetis. Illud petimus, vt per vestræ Pietatis rescriptum ex omnibus iocundari mereamur.

For. d. f. cõmissum totum i. m.

Gundulfus.

X.

Domino inclito, & vbique gloriosissimo atq; in Christo piissimo domino & filio, Teudeberto regi, Aurelianus Episcopus.

LIcet tam sera scriptorum officia iustissime trepidatio comitetur, tamen nequaquã reor sermo euasa offensione iudicabitur, si apud aures clementiæ sola tantum deuotione animi perpendatur. Hinc præcipue quod ambientib. cunctis celsitudinẽ vestram, nec metum trahunt ex priuilegio culminis, nec repulsam metuunt de præiudicio tarditatis. Vestra enim erectio ita solemnis est, vt etiam humilium amore tangatur, ac dignitatum cumulum † onerata fastigia vernularum adhuc rudium primitiuis cultibus præsumantur. Nouis namq; nunc studiis in obsequia religiosi principis informamus, & cum testimonio perfectæ dilectionis ad præsentiam sacratæ mentis admittimur. Hæc ergo ex parte amoris nostri fiduciam, Princeps optime metieris, cum ministeriis tuis nec territi pro tarditate subtrahimur, nec verecũdia pauperis ingenii refraudamur. Suscipe igitur benignę deuotionis studio tyrocinia famulantum, & gremia veniæ largioris expande supplicibus. Quia cum omnes generaliter bono cordis inclyti perfruantur, nos tamen etsi exigua portio obsequii vestri, plenitudinem nobis principalis indulgentiæ ad integrum vindicamus. Etenim cum de te loquimur, adest gratia,

Laudatoria, vel adulatoria.

f. Cumulo. vel, cumulis.

etsi eloquentia deest, & solo ornatui nostro materia sufficit, quanquam doctrina non adsit. Quæ cum ita sint, præclaram indolem laudis vestræ votis potius celebrabo quã literis. Quoniam semper quæ sunt maxima, conscientiam potius requirunt, quam linguam; digniusq; cõmittuntur pectoris iudicio, quam sermonis. Ac perinde nõ mihi in votis hoc cõmemorandum est, quod tempora celebrant, sed quod æternitas probat, religiosam potius actionem taxauimus, quæ documentis euidentior est facta quã linguis, nec min⁹ inuicta meritis quam triumphis, cuiusq; iam effectui laudabili velociora sunt exempla quam nuntia. Ideoq; tropæis titulisq; secularibus sufficit loquacitas orbis. Multum namq; tuis onusta virtutibus currit Fama, cum pondere, & veris opinionibus iam adsueta, de te tantum didicit non mentiri. Prætereo generis tuì stemma sidereum, taceo & illud, quod vnicus sceptris, multiplex populis, gente varius, dominatione vnitus, solidus regno, diffusus imperio. Illud tamen quod stilo rerum magnitudo suggerit, non tacebo. Dicam igitur, quod ortum moribus transcendisti, quod originalium culminum celsitudines gloriosas descendẽs per natalium lineas præcessisti. Didicisti itaq;, quam sit arduum excelsa conscendere; & docuisti, quam magnum sit in sublimibus humilitatem seruare. Quæ de primis prima dicenda sunt, quæ potissimum de cumulo præsumenda? Quid (inquam) potius aut prius dicimus? misericordiam in miseris, temperantiam in subiectis, affluentiam in donis, consiliũ in dubiis, constantiam in aduersis. Cedant si qua sunt mandata literis, facta priscorum supergrederis, antiquitatem exemplis, tempora meritis, maximus dominio, quia magnus in voto, felix conscientia, cum pius in vita, macte restaurator vetustatis, nouitatis inuentor, in illis maturus, in istis iucundus: absentes beneficiis respicis, gratia præsentes illustras, circumseptus amore omnium, dilatatus opinione cunctorum, simul apud te cum sis quietus, triumphas. in hoc gloriosus factus, dum ostendis in diuitias regni non tam habere quam vincere dominantem† adfirmant, & cœlestibus aptum efficiunt. Multiplica ig tur cottidianis operibus, & profectibus indefessis, gratiam quam Deus contulit, mens meruit, mundus agnouit. Supergredere crescendi spatia feliciter, vincendo te ipsum: quia in conspectu Maiestatis æternæ accepturus es præmia absq; pretio. Nunc in temporariis finem tollas mercedibus laborandũ, tantum eris magis debitor quantũ copiosius accepisti; & tantum erit reddenda ratione magis periculum, quantũ amplius regnum. A Christiano Principe inæstimabilis ratio Deo reddenda est. Cogita semper, sacratissime Præsul, diem iudicii, diem terroris inenarrabilis, diem furoris Domini, diem remunerationis iustorum, diem æternæ lætitiæ & perpetuæ pœnæ, diem vbi damnatio non accipiet terminum. Nunc iocunditas habet occasum. Diem (inquam) illũ vbi omnes Angeli, principatus & potestates de expectatione iudicii contremiscent, vbi non erit discretio natalium, sed meritorum: vbi non seruus & liber, pauper & potẽs; sed omnia & in omnibus Christus: vbi acceptio personarum non fiet, vbi diuitiæ non proderunt nisi præmissæ,† vbi etiam cogitationes cordium discutiendæ sunt. In hac itaq; die quam memorauimus, faciat vos Deus omnipotens post longissima tempora, ac felicia sceptra variis exornatũ virtutibus, & summa remuneratione dignos venire, vbi & pro vobis, & pro omnium vestrorum profectu accipiatis coronam. Ostendatis ibi opera misericordiæ, iustitiæ, concordiæ, pietatis, mansuetudinis, humilitatis, & in his omnibus centenæ plenitudinis, cum hic impleueritis salubriter numerum, illuc recipiatis in perpetuo fructum. Deus omnipotens vitam felicitati vestræ, ad præsidium & consolationem multorũ, longissimis temporibus protegere & conseruare dignetur.

videtur aliquid deesse.

i. in pauperes erogata.

XI.

*Domino sancto, & in Christo beatissimo fratri Nicetio Papa, Mapinius * Episcopus.*

f. Maximus.

Petit sibi eius pericula indicari.

EVANGELICÆ Lectionis doctrina testatur, *Regnum in se diuisum stare non posse.* Si hoc de mundi amatoribus, & in terrena cupiditate manentibus, recte & non immerito credatur, indubitanter rectius de Sacerdotum personis sentitur, si discordantibus votis ac studiis inter se diuidui comprobentur. Aut

Aut qua fiducia conditori nostro, qui nos in vnitate compagis, quod est corpus suæ deitatis, viuere præcepit, preces oblaturi sumus, si nos vicissim mutua caritate seponimus? vt quodam loco Deificus sermo docet; *Studere nos conuenit vt frater fratri adiuuans, sicut ciuitas munita & fortis, incōcusso fundamine stare possit*; scilicet vt vni⁹ fratris mœstitiæ omnes æquanimiter compatiendo participemus, mutuisq; nos laboribus subleuemus. Pro qua re, piissime ac multum diligende domine, & frater, indicamus, nos literas filii nostri domini Regis Theodobaldi excepisse, vt in Tullensium vrbe die Kalendarū Iuniarum adesse deberem, & nullam causam euocationis declarantes, reciprocante pagina indicauimus, nos illuc accedere nō debere, qui a causam conditionemq; nos cōstabat ignorare, iteratis scriptis edocuit Beatitudinem vestram, dum aliquos Francorum pro zelo diuini timoris corripit, ac pro incestis conditionibus à communione ecclesiastica remouit, scandala seu anxietates multimodas sustinere. De qua re non mediocriter ingemiscimus, quod nos relatione vestra scire non feceritis, vtrum ex canonica lectione damnantur, an pro pastorali diligentia de mediocrib. reatibus corrigantur. Licet nihil noui vos de his rebus inuenire posse cognoscimus, quod prisca patrum solertia non potuit reperire; Tamen absurdum esse videtur, vt à nobis recipiantur, qui à vobis secundū seriē Canonum ecclesiastica seueritate abdicantur. Nouimus enim, si scienter hoc gerimus, quod criminibus aliorum misceamur; si ignoranter, reatui non subdamur. Quapropter salutantes charitate debita indicamus, simulq; suademus, vt nos in omnibus participes tam tribulationum vestrarum incommodis, quam prosperitatum cōmodis fieri studeatis. Nam nos mediante capite nostro, quod est Christus, nullis aduersitatibus à vestra anxietate diuellimur, nullisq; asperitatibus à vestra charitate diuidimur. De qua re, si tam pręsumptuosi non existimus, indicare præsumimus. Decuerat vt vestra consolatio pro huiusmodi conditionibus potius, quam regiæ vocationis nos conferere debuisset: quia pari modo, si nobis aliquid simile (quod in posterum arbitramur posse fieri) cōtigisset, statim ad vestram fraternitatē scripta direxissemus, vt nos cōgruo tempore vel loco coram positi videremus. Quanquā parere nos Regiis præceptis in bonis rebus & conueniat & libeat, tamen non vestris minus scriptis studio caritatis non supplicio † dirigātur dispectionis: quia amaritudo vestra dul- *f. supercilio.* cedo nostra esse non poterit, nec abiectio vestra absq; nostra deiectione constabit, & veneratio vobis debita impensa à nobis non dinoscitur procul posita. Atq; vtinam (vt præfati sumus) caritate suadente, ac pagina decurrente vestra nobis patefierent. decreuistis animorum molestiam, cognoueramus, vtrum compatimur molestiis vestris, an delectamur? Nam tacente (vt ipsi scitis) diuina, sola loquente viro humanitas intelligere potest. Hoc tamen plenius nouerit vestra perfectio, si ad nos iterata scripta domini Regis ante quinque vel sex dies Kalendarum Iuniarum peruenisset, in die præfata præsentiam humilitatis nostræ in locum habueratis constitutum.

XII.

Epistola Dinamii ad amicum.

QVantum æstifero solis ardore defesso, vel longinqui itineris vastitate quassato gelida lympha, dum ariditatē temperat, restinguit desideria sitientis; ita mihi vestrarum epistolarum elocutio, cum incolumitatis vestræ indicia retulit, gaudiorū incrementa nutriuit. Quia quotiens crebra recordatione dulcia affectionis vestræ vota cōmemoro, desideria pectoris publicare suspiriis non desisto. Pro eo quod ille corporali fraudatur intuitu, qui de cordis non absentatur arcano. Idcirco officium sospitatis plenissimo caritatis iure persoluens, spero vt quoties aditum temporum difficultas diuersa præstiterit, semper exiguitatem meam vestrorum apicum elocutio desiderata confortet; quousq; cum Diuino auxilio, animorum deuotione suppleta, mutuis inter nos lætemur aspectibus, qui nunquam indiuisis affectionibus sequestramur.

XIII.

Domino suo Chamingo Duci Gogo.

ITa in arcano pectoris vestræ dulcedinis affectus includitur, vt nequaquam absens esse à me aliquatenus iudiceris, qui semper intuitu interiore conspiceris. Nec valet interiacentium terrarum lõginquitas diuersa videre, quos dudũ est quod antiqua caritas indiuiduis dilectionis nexibus dinoscitur sociasse. Non tamen me in aliquo vastitas tenebat † itineris, si ad vos videndos præstaret licentiæ liberalitas principalis, vt quantitatem vestri corporis quam exterior errat † oculis, tenaci complexu auidus ambiret affectus, & integram gratulationem animi lętitiam caperet, dum ille tandem adstaret coram positus, qui à me dinoscitur esse indiuisus. Ergo nihil mihi de vobis aliud, Patrone dulcissime, cum alternis prouinciis resedimus, longinquitas temporum nisi corporalem fraudat affectum. Sed & ipsa intrinsecus decora vi pectoris forma conspicitur, cum affectuosis motibus, recordatione sæpissima figuratũ. Idcirco reddens munia sospitatis, ingentes gratias refero, quod me toties oneratis collatione munerum, quem multum antiqua dignatione reddetis honoratum. Illud tamen (auxiliante Domino) relatione veridica vobis gaudiis promulgatus annuncio, quod tantum assidua erga vos gratia Regii amoris accumulat, vt pollicitatio, quæ in iuuenili ætate facta est, assiduis successibus amplietur. Et licet in tuis laudibus me imparem esse sentiam, attamen amoris impulsu tardum promouisse dinoscor ingenium, & in cuius laudem vix sufficere poterat eloquentia Maroniana, præco imperitiæ meæ audacia præstabit ingressum. Sed in his versiculis subter adnexis, quos amore solenni trepidantibus digitis exaraui, & diligentis affectus ostenditur, & ignorantis rusticitas propalatur.

f. terebat. f. cernit.

XIV.

Domino sancto, meritis apostolicis prædicando in Christo Patri Magnerico Papæ Fortunatus humilis.

CVlmen honorificum, patrum pater, arce † sacerdos,
Pontificale decus proficiente gradu.
Quem fidei titulo mercis † erexit in altum,
Ecclesiæq; caput distribuente Deo.
Discipule egregii bone Magnerice Niceti,
Nominis auspicio magne canende tuo.
Clare sacro merito, tanto informante magistro,
Quem reparas operum fructificante loco.
Cuius opime sequax, sancta & vestigia seruans,
Rite minister agens, ecce magister ades.
Auctorisque pii successor dignus haberis,
Heredisque sui frugi parensque manet.
Creuit post obitum pater, & te crescere fecit,
Dum capit ille polum, tu capis arce locum.
Grex alitur per te vice præcessoris alumne,
Nec sua damna dolet, dum tua lucra tenet.
Fratribus optandus, iocundus honore ministris,
Carius & populis pastor amore places.
Te panem esuriens, tectum hospes, nudus amictum,
Te fessus requiem, spem peregrinus habet.
Hæc faciens intende magis, venerande sacerdos,
Vt commissa tibi dupla talenta feras.
Pro Fortunato exorans quoque dulcis amator,
Spem mihi dans veniæ, sit tibi palma pater.

f. alme. f. meritis. vel mercis.

Domino suo Villico Papæ, Mapinius Episcopus.

FElicem beatumq; te, Beatissime pater, omnes vnanimiter prædicamus, cui superna pietas huiusmodi tribuit intellectum, atq; benignitatis affectum, vt singulari caritate perfectione viuere comproberis. Licet S. Petro hoc à Domino dictũ legamus, *Pasce*

oues

oues meas, sed ad cunctos qui sacerdotale funguntur officium, pertinet præsens sententia. Tu vero cunctos supergrediens, dulcedine singularis, qui non solum oues tibi cōmissas pascere cerneris, sed aliarum ouiū sacerdotes melliflua perfectione, atq; deliciarum vbertate saginare non desinis. Testis est ille perscrutator renis & cordis, non assentatorie ista, sed veridica à nobis assertione conscribi. Quod si te conditor redemptorq; noster, vsq; ad sexagenarium numerum annorum (vt exoramus) prouexerit, eris cunctis præcipuus, & reliquis sacerdotibus anteponendus; vt cuncti qui vitæ tuæ instructione proficiunt, se doleant te deesse, & se post viuere ingemiscant. Salutantes igitur amore debito, amore sollicito precantes, gratias cum sedula relatione laudesq; referentes, pro nobis misericordis Domini misericordiam exorare non desistas. Quapropter rogamus, vt nobis caritas vestra indicare dignetur, quantos solidos ad comparandos porcos, in illis partibus dirigamus. Quia constat nobis donum à vobis muneris loco collatum, si hoc beneficium vobis ordinantibus fuerit repertum.

XV.

Gogo Traserico.

AVgmentum ingenii vestri non veraciter excusatis, nec mirum ducimus, vt inde vbertas verborum procedat, in quo salubritatis scientia abundat. Nā difficile valet, qui vacuare conditum, quem ad ministrandum diffusio reddidit quotidiana repletū, & noscit * arescit tellorem circinus vbi fluminis gignitur ortus. Ergo dum scientiam nostram falsis laudibus adornatis, & parentali affectu ostenditis, & magistra institutione inscium castigatis: quatenus illum possitis ad verum prouocare pręconium, qui vestris cupit iudiciis parere per meritum. Et quamlibet circa saurina † nemorum succisa purgetis, nostra quoq; pectora sermone Dialectico aperuistis. Vtrasq; enim res vobis ad laudem facitis pertinere, cum agricolis culturam, & nobis præparatis in Epistolis lectionem. Præcipua est itaq; (diuinitate propitia) minime necessarium, secundū quod scribitis, ad alienos requirere, quod per proprios vates aliis possumus fœnerare, quoniam Poetis datur inducia peregrinis prudentiam monstrari insignem, cum te incola regio nostra vnicum meruit habere doctorem. Neque enim vita piorum vsurpatio exegit sapiētiam, quam in vos institutio priscorum, & singularis natura fundauit. Quid igitur facturus sum? prouocaui laticem, quem nec dum in responsis sustinere valeo decurrentem. Sed hæc vnda irrigua & imperitum depromat sensum, & componit barbarum dictatorem, qui potius apud Dodorenum didicit gentiū linguas discerpere, quam cum bonæ memoriæ Parthenio obtinuisse Rhetorica dictione. Qua de re salutans plurimum, optans vt inter nos præmia cottidiana discurrant (Deo propitio) gaudiorum.

† *ita MS.*

Dodorenus. *Parthenius.*

XVI.

Domino semper peculiari suo, Villico papæ, Dynamius.

VEreor quidem, ne pro huius tarditate libelli reus vestri existam imperii. Sed si solito pietatis arbitrio mearū amaritudinum pondus inspicitis, necessitati protinus indulgetis. Vt valui, tamen implere quæ præcepistis, intendi. Quoniā non dubites, Beatissime Pontifex, q, iam me tibi reddidit perpetua sedulitate subiectum vnicæ caritatis imperium. Sed mirū hoc esse non censeo, dum te in omniū pectoribus sic deuinctū esse confido. Nam eatenus vos remuneratione superna, diuersa beneficii largitate prærogatiua generalis amplificat, vt in vobis esse probetur ingenitum, quicquid vbiq; radiat pretiosum. Et dū generosa natalium dignitate decoratur, humilitate plus nobilē, totum te tribuit libertati. Quo fit vt caritatis splendor, qui intra vestri pectoris arcana immensi luminis claritate præradiat, & iā corporis serenitatem ostendat, & ita sit cordis speculum, gratia quæ renitet in vultu. Pro qua re vniuersitas se certatim vestro cōciliari affectu desiderat, dum oēs conscius amor inuitat. Quam magis ego inuicē mei famulatus verborū gaudeo iura præmittere, donec & recuperatis viribus reb. merear respondere. Idcirco fœnus humilime sospitatis impendens, deprecor vt iugiter mé in diuinis oraculis, quę receptū dignatio retinet, intercessio vestra commendet, & omni-

bus quibus necessarium inspicitis, per quos etiam Regis auribus deferatur, meam necessitatem adserite, vel celerem reditum obtinete; vt indulto suffragetis patrocinio, quem impenso fouetis affectu. De transmissis vestris xeniis, † ancipiti meditatione suspendor, vtrum me referre grates oporteat, an silere: quoniam qui non valet implere præconium, digne vitat affectum. Non tamen credit coronæ vestræ † magnitudo sufficere, quod in Vrbe cui præestis, non desinit vniuersis immensa largitas ministrare: nisi vt illos stipendiis donetis propriis, qui mœnibus inhabitant alienis. Sicut me, quē humanitas vestra optata infestatione persequitur: quam dum non valui coactus effugere, deuotus videor excepisse. Vnde tamen licet ariditas subsistat ingenii, tamen poterat suffragii propago prætendi, nisi quod inibi epistola terminum habuit, quod spatium charta negauit.

i. donis.

i. sacerdotii, episcopatus.

XVII.

Domino illustri, inclito triumphatori ac semper Augusto, Iustiniano Imperatori, Theodobaldus Rex.

ACcedentibus ad nos legatis vestris, Iohanne & Missario, nō mediocriter lætificati suscepimus, dum eorum relatione felicitatem Imperii vestri diuinitate fundatam, crescere & permanere cognouimus inconcussam. Salutantes igitur Serenitatem vestram debito, indicamus munera vestra præfatis deportantibus, eo à nobis excepta animo, quo à vobis affectu constat esse transmissa. Ideoq; tā pro largitate muneris, quā pro delectatione animorum, quam indicastis vobis præstitam, pro eo quod vos in solium genitoris vestri (vt dignum erat) superna potentia residere præcepit, inexsolubilē gratiarum actionem impendimus. Illud namq; inter omnia valde animis nostris molestiam generauit, quod tantum ac talem Principem, ac diuersarum gentium domitorem, post mortem pagina decurrente videmini lacerare, qui viuens Imperatoribus ac Regibus, vel gentibus vniuersis fidem immaculatā, promissasq; semel amicitias firmis conditionibus conseruauit, & Christianæ religionis intuitu, non (vt scribitis) loca Sacrosancta destituit; sed magis Paganorum consumpta excidio, suis (Christo auctore) temporibus in meliori culmine reuocauit. Nam qualē præfatus princeps, in cuius vos opprobrio tanta dixistis, cunctis gentibus fidem seruauit, innumerabilium triumphorum (Deo volente) victoriis declaratur. Amicitias nostras, quas delectabiliter requiritis, stabiliter rogamus habere studeatis, & quo melius fœdere inuiolabili permaneant, ab animis vestris nullis intercedentibus causis obsistant.

XVIII.

Domino illustri, & præcellentissimo Domino & Patri, Iustiniano Imperatori, Theodebertus Rex.

LIteras gloriæ vestræ Andrea comite veniente suscepimus, quibus indicare dignamini, tria millia virorum in solatium Bregantini patricii dirigere deberemus. Sed moram huius rei legatio nostra fecit; & ratio aliqua, quam per ipsum vobis verbo mādauimus, intercessit, quæ ad nos tardius quam sperauimus, aut vestra excellentia scripserat, peruenit, quā X. Kal. Octob. ad nos accessisse gloria vestra cognoscat. Et ideo ipso Andrea reuertente, amorem nostrū erga Imperium vestrum, vt profectus cōmunis habuerit, interueniente caritate custodire (Deo adiuuante) disponimus, ita vt cum Legatarii vestri ad nos peruenerint, & omnia pro vtilitate communi à nostris partibus (Deo auspice) fuerint confirmata, rebus euidentibus, quomodo vos diligamus, approbetur.

XIX.

Domino illustri, & præcellentissimo Domino & Patri, Iustiniano Imperatori, Theodebertus Rex.

THeodorus vir expectabilis cum Solonem veniens pariter literas, quas Imperii vestri clementia destinauit, integra animi caritate & deuotione suscepimus, quia cū de nobis curam geritis, sic latiꝰ per diuersas gētes atq; prouincias Dei amatā amicitiā propagamus. Id vero quod dignamini esse solliciti, in quib. prouinciis habitemus, aut

quæ

quæ gentes noſtræ ſint (Deo adiutore) ditioni ſubiectæ, Dei noſtri miſericordia feliciter ſubactis Thuringis, & eorum prouinciis acquiſitis, extinctis ipſorum tunc temporis Regibus, Norſauorum †gentis nobis placata Maieſtas colla ſubdidit, Deoq; propitio Wiſigotis, qui incolebant Franciæ ſeptentrionalem plagam, Pannoniam, cum Saxonibus Euciis, † qui ſe nobis voluntate propria tradiderunt, per Danubium & limitẽ Pannoniæ, vſq; in Oceani littoribus, (cuſtodiente Deo) dominatio noſtra porrigitur. Et quia ſcimus Auguſtam celſitudinẽ veſtram, de profectu Catholicorum (ſicut etiã literæ veſtræ teſtantur) plena animi iucunditate gaudere, ideo eſt q, ſecundum voluntatẽ veſtram, quæ Deus nobis conceſſerit, ſimplici relatione mandamus: deſiderantib. animis exoptantes, vt felicibus profectibus gloria veſtra ita valeat, vt antiquam retroactorum principum amicitiam conſeruetis, & gratia quam ſæpius promittitis, in communi vtilitate iungamur.

Aim. lib. 3. c. 9.
† Nortmanorum.
† Eudeſiis.

XX.

Domino ſemper ſuo, & Apoſtolico domino & Papæ Nicetio, Rufus epiſcopus.

DVm ſuauiſſimis pietatis veſtræ imperiis plena deuotione famulari contendo, harum portitores artifices, de partibus Italiæ accitos, & ſacramẽtorum legationi ſecuritate traditos, ad vos (Deo ducente) tranſmiſi. Ad quos præſentandos venerationi veſtrę fratrem meum amabilem presbyterum deſtinaui. Salutem ergo humilimam, & omnem ſuauitatis dulcedinem vinculis colligatam perſoluens, ſuggero mihi multum diuinitus præſtitum, dum in occurſum veſtrum me ambulaſſe congaudeo: vt tantum decus, ornatumq; Eccleſiæ, ſanctitate ſummum, caritate benignum, humilitate egregium, puritate ſerenum, humilitate largum, largitate munificum, pietate laudabilem, ſcientia laudandum, humilis veſtræ †conſpectib. Deus noſter præceperit non fraudari. Quæ omnia dum recordor; amplius mihi, dum elongans abſentor, quam gaudii fecerat, mçroris ingeſſit. Hoc tantum conſolationis remanſit, quod vos inter arcana pectoris mei, quamlibet carcereo pectoris habitaculo, integre tamẽ recludens, me congaudeo conſolari. Nam tantum iam deſiderio cogor, vt me nec itineris longinquitas, nec viarum vaſta contritio, nec labentium aquarum congeſti moles, nec ſæuientium indiſciplinatorum †timenda iniuria retineat. Niſi ſi fieri poſſit, pinnifero vellem volatu veſtris adſtare conſpectibus, vt ſanctis obtutibus præſentatus, aduolutus genibus, manibuſq; deoſculatis, vt nõ minus mihi, & modo, quam antea collatum fuerat (Chriſto præſtante) gauderem. Et dum cũ famulis meis, quos veſtræ congaudeo eruditioni dulcatos, vobiſcum pariter lętabamur, dum mero temporalis excludebatur lętitia, ſpiritualis ipſo adiuuante excoleretur. Sed quia ad præſens, quod opto, implere non poſſum, fruantur vel illi aſſidue & longo tempore, quod pro veſtris meritis, vel ſua habere meruerunt benignitate, & nos ſi nõ meremur præſentiã, vel nuntio currente de vobis (ipſo propitiante) lætemur.... enim diuina potentia, vt qui vos talem Pontificem iuſſit inſtitui, pro omnium profectu vſq; ad ſummum ſenectutis iubeat culmen perduci. Omnes ſancto lateri veſtro adhærentes, præcipue conſeruos meos Sunnoucho & Catellione Diac. ſi propitii permittitis, ſalutari rogo. In ſanctis orationibus veſtris mei meminiſſe dignemini, Domine ſancte, & Apoſtolicæ ſedis digniſſime, & meus peculiaris Domine.

† humilitatis noſtræ.
† paganorũ.
Sunnouchus Catellio Diac.

XXI.

Domino vere ſancto, ac beatiſſimo Domino & Patri, Petro Papæ, Gogus.

SEdula dilectiõe ad vos vel eũdem locũ cõpellor ſcribere, quo ſacerdotali dignitate pręcellitis, vbi nuper nouus poſſeſſor eſſe ꝓmerui. Quod etiã diuinæ fuit diſpẽſatio Maieſtatis, vt eſſem vobis opportunitate vicinus, quib. erã caritatis iure cõiunctus; & alternis vicib. viſitare deberẽ, quos videor in corde amore indiuiduo retinere. Eadem-

que possessio, dum vestra residet defensio, iam vnita in vestris præsidiis nos promptos esse sollicitat. Saluto igitur venerabiliter peculiarem Pontificem, in quo Apostoli Petri nomen radiat renouatum, quem decorat speculando Dei gratia pastoris probitas, ac dispensatoris humanitas. Saluto Iohannem, beati præcursoris de honore nominis coruscantem, rectorem domus Ecclesiæ singularem. Saluto Theodulfum, sacri Domitiani Abbatis similem, de cuius sepulchro rosarum virgulta prodierunt, moribus insignem, & vitæ conuersatione sublimem. Saluto reliquos Abbates, sanctis templorum limitibus conuersantes. Saluto Flitomerem, qui sub præterito sacerdote actionem Ecclesiæ laudabiliter gubernauit. Saluto Macarium Archidiaconum, dignitate conspicuum, inhiantem in reparationem Ecclesiæ, in vtilitatibus vigilantem. Saluto Auolum notarii eruditione fulgentem. Saluto Sindericum, Psalmorum carmina in positionis ordine diluculo concinentem. Saluto Theodosium, vniuersorum aures serenis cantibus lenientem. Saluto Theodomundum, amicis congruum, præsidium ciuium, fidei fundamentum. Sed nec illum insalutatum relinquo, cuius gressibus indesinenter Sanctorum limina visitantur, & nunc super Mosellæ littoribus præcelsa templi cernitur construxisse iam culmina; & de cuius doctrina Reg[illegible]unt ornata palatia. Per te enim, beatissime Papa, saluto vniuersam plebem pastorali vobis solicitudine commendatam, quæ orationibus vestris obtinentibus illæsa erit diuinis obtutibus præsentanda.

Petrus epis. — Iohannes. — Theodulfus. — Flitomer. — Macarius. — Auolus. — Sindericus. — Theodosius. — Theodomundus. — f Nicetius Episc. Treuer. Bischofstein. de quo Fortunat.

XX.

Epistola Auspicii Episcopi ecclesiæ Tullensis, ad Arbogastem, Comitem Treuerorum.

Ad eum scribit & Sidon. Apollinar. li. 4. epist. 17.

PRæcelso expectabili his Arbogasto Comiti,
Auspicius qui diligo, salutem plurimam.
Magnas cœlesti Domino rependo corde gratias,
Quod te Tullensi proxime magnum in vrbe vidimus.
Multis me tuis actibus lætificabas antea,
Sed nunc fecisti maximo me exsultare gaudio.
Maior etenim solus apparuisti omnibus,
Vt potestatis ordinem illustri mente vinceres,
Cui honor debitus maiore nobis gaudio
Nondum delatus nomine, iam est collatus meritis.
Plus est enim laudabilem virum fulgere actibus,
Quam prætentare lampada sine scintillæ lumine.
Sed tu qui totis gradibus plus es quam esse diceris,
Erit credo velocius vt reddant merita.
Clarus etenim genere, clarus & vitæ moribus,
Iustus, pudicus, sobrius, totus illustris redderis,
Pater in cunctis nobilis fuit tibi Arigius:
Cuius tu famam nobilem aut renouas, aut superas.
Sed tuus honor eius est, eiusque tibi permanet,
Et geminato lumine sic tu † præclues omnibus. (*Praluces.*)
Cuiusque nemo dubitet felicitati præstitum,
Vt superesset genitrix tibi, laudanda omnibus,
Quæ te sic cunctis copiis replet & ornat pariter,
Vt sis abundans vsibus, & sis decorus actibus.
Congratulandum tibi est, ô Treuerorum ciuitas,
Quæ tali viro regeris, antiquis comparabili.
De magno origo semine descendit tui nominis:
Certe virtutis eius est, vt Arbogastis legitur.
Scribantur in annalibus huius triumphi pariter,
Sicut & eius scripti sunt, quem supra memorauimus.

Arbogastes, comes olim Francus, apud Pacat. O. os. S. Aur. Victor. Sulp. Alexand. alios.

Sed hoc addamus meritum huic, qui vere maior est,
Quod Christi nomen inuocat religioni deditus.
Fuit in armis alacer ille antiquus, verum est:
Sed infidelis moritur, & morte cuncta perdidit.
Hic autem noster strenuus, belligerosus, inclytus,
Et quod his cunctis maius est, cultor diuini nominis.
Nunc autem, fili sapiens, quæso dignanter accipe
Tui cultoris paginam, quam ex amore porrigo.
Primum deposco, cupias collatas tantas gratias
In te conserues integras, & bonis multis afflues.
Vnum repelle vitium, ne corda pura inquinet,
Quod esse sacris scribitur Radix malorum omnium:
Cupiditatem scilicet, quæ in alumnos desæuit,
Nec sæua parcit rabiem quorum amore pascitur.
Hos (inquam) semper deuorat famem edendam † perferens, f. edendi.
Et velut ignis addito succensa crescit pabulo.
Sed hæc non ita dixerim, quod te hoc damnem crimine.
Tamen deposco diligens, vt nec scintilla vulneret.
Quam si forte improuidus quandoque inescaueris,
Cito flagrabit nimium augendum incendium.
Tende per mundum oculos, cerne primates sæculi,
Aut interire cupidos, aut in periclis viuere.
Corradunt, quærunt, inhiant, velut canes auidi:
Et hæc nec ipsi possident, sed nec relinquunt posteris.
Tamen non generaliter ista de cunctis dixerim:
Sed vt paucorum dedecus sit multis emanatio.† f. emulatio.
Tu autem, vir eximie, iudex multorum prouidus,
Tui repente pectoris secreta iudex perspice.
Huius si vllam senseris paruam veneni guttulam,
Dulci perfunde oleo, ne serpat in visceribus.
Nec hoc ignoras oleum, pro tua sapientia,
Quod est cunctorum pauperum mercatum eleemosynis.
His te exerce studiis, hæc cuncta bona perage,
Vt mea tibi maneant, & perseuerent gaudia:
Nam parum esse noueris, si quisquam nulla rapiat,
Et obdurato pectore sua præcludat miseris.
Non multum sibi consulit, qui sic euitat rabiem
Cupiditatis, vt simul incurrat auaritiæ.
Nam ista duo crimina, velut cognata genere,
Et geminata specie, nimis coniuncta permanent;
Hæc qui sectantur miseri, hoc vnum distat vitium,
Quod vnus horum malus est, & ille alter pessimus,
Vnde mi cara dignitas tu, quæso, fili vnice,
Sic ab alienis abstine, vt tua sanctis tribuas,
Illudque super omnia memor in corde retine,
Quod te iam sacerdotio præfiguratum teneo,
Hanc, quæso, serua gratiam, & illis cresce meritis,
Vt prælocuta populi vox cælo sacra veniat.
Sanctum, & primum omnibus, nostrumque Papam Iamlychum. Iamblichus.
Honora corde, dilige vt diligaris postmodum.
Cui quicquid tribueris, tibi in Christo reparas,
Hæc recepturus postmodum, quæ ipse seminaueris.

XXIII.

Epistola directa ad dominum Nicetium episcopum.

HVmilitati meæ Corona vestri Apostolatus veniam dare dignetur, quia tanta fuit meæ præsumptionis audacia, vt vobis Dominis auderem per paginam inferre fastidium. Sed quia pietas & beneuolētia sanctitatis vestræ apud me exercitum non aufertur, vt merito gaudeam, quia etsi terrarum separamur spatio, vel literarum sermonibus per studium coniungamur caritatis affectu. Quis non gaudeat, in vobis Angelicos vultus aspicere? quis non admiretur, fontem nobis lucidissimum potentiæ Domini ostensum esse, per quem posset scientia bonis operibus adimpleri, ad cuius amænitatem currerent multæ generationes hominum, vt ad salutem gloriæ peruenirent. Dignam ergo nobis Dominus arborem palmarum fructibus adimpleuit, vt nos de inferis reuocaret. Ostendit cuius vmbraculi protectione saluemur, ad cuius bonæ suauitatis fauum, quam mellis simul benedictionibus satiemur. Laudare non sufficit vestræ Sanctitatis imperium, quæ non ex hominibus, sed ex Dei benedictione esse compe- rimus. Gaudet ergo patria, quæ tale meruit post tenebras accipere lumen, gaudet & terra donis cælestibus iocunditate repleta. Quis non potuit sub tua defensione auxilium promereri, ibi non esse prosperatum vbi intercessio sanctitatis remedium consecuta est, quod iam videbatur in desperationem redactum? Fluuius Mosellæ congratulatur vos post tempora iterum videre, qui ante aduentum vestrum se homines ibi cōmanentes gaudii exsultatione præferre non cessant. Multa tamen fuerant, quæ de vestræ clementiæ fama prȩclarari debuerāt: sed quia in itineris labebatur, & portitorem vehementissimum festinabat, date prolixitati veniam, quod non potui omnia breuitate complecti. Saluto igitur dominum meum, si præsumptio non offendit, & Apostolicam benedictionem iugo montium erectam Hierusalem illius cælestis gloria cōsecuta es. Precor vti me seruulum vestrum orationum vestrarum assiduitate foueatis: per quam intercessionem possimus gratiam Domini & dominorum nostrorum feliciter adimplere.

Mosella fl.

XXIV.

Domino glorioso, pio, perpetuo, inclito, triumphatori, ac semper augusto, patri Mauricio Imperatori, Childebertus Rex.

CLementissimæ serenitati vestræ elegimus aduniri per fædera, & illum qui placet Domino, impendere vobis affectum, pacatæ gentis ex vinculo, quod proficiet communiter vtrisque partibus, expeditum pacis compendium. Quapropter clementissimæ tranquillitati vestræ, honore summi culminis vestri debito, salutis officia fiducialiter porrigentes, sicut Legatariis vestris prædiximus, vt nostrás dirigeremus (diuinitate propitia) implere deliberauimus. Adeo illustri viro Sennodio optimate, Griponem spatarium, Radanem cubicularium, & Eusebio notario. Quibus pro certis articulis aliqua vestro Principatui verbo commisimus intimanda, quos integre referantes ad nos prospere remeantibus illud reddatis eloquiis, quod inspirante Domino proficiat res communis.

XXV.

Domino glorioso, pio, perpetuo, inclito, triumphatori ac semper augusto Mauricio Imperatori, Brunehildis Regina.

SErenissimi principatus vestri clementia ad præcellētissimum filium nostrum Childebertum Regem directa peruenit epistola, significans nobis pacis dedisse consi- lium.

lium. Quapropter tranquillissimæ Pietatis vestræ debito tanti culminis honore salutis officia reuerentissime persoluentes, sicut Legatariis partis vestræ promisimus, præsentium latoribus ad clementiam vestram directis, quibus de certis titulis vestræ Serenitatis verbo proferenda commisimus. His igitur benignissime à Tranquillitate vestra receptis, ac feliciter remeantibus, illud vestris agnoscere mereamur eloquiis, quod prosit rebus omnibus fœderatis.

XXVI.

Domino glorioso, atque ineffabili desiderio nominando, dulcissimo nepoti, Athanagyldo Regi, Brunehildis Regina.

ACcessit mihi, Nepos carissime, votiua magnæ felicitatis occasio, per quam, cuius aspectum feruenter desidero, vel pro parte releuor, cum directis epistolis amabilibus illis oculis repræsentor, in quo mihi, quam peccata subduxerunt, dulcissima filia reuocatur, nec perdonatam † ex integro, si (præstante Domino) mihi proles edita conseruatur. (*† perditam existimo, si*) Quapropter dulcissimam celsitudinem vestram salutantes, officia deuinctissime persoluimus, & vt me Diuina clementia de tua præcipiat innocentia gratulari ac refici, instanter exoramus. Significo piissimo Imperatori per nostros legatarios, de quibusdam conditionibus aliqua verbo intimanda mandasse. Per quos, de his quæ disponenda sunt, poteritis agnoscere, si Christus propitius præceperit dignanter implere.

XXVII.

Domino gloriosissimo & vbique præcelso, dulcissimo Nepoti Athanagyldo Regi Hildebertus Rex.

PRæsentis opportunitatis releuamur compendio, per quam quod parentillæ † redhibemus ex affectu, saltem epistolarum repræsentemus eloquio. (*† parentela*) Quapropter præcelsæ gloriæ vestræ salutis officia iure propinquitatis desiderabiliter exoluentes, & confidenter optantes, vt de vestra nos lætificare incolumitate præcipiat, qui singulorum desideria & secretorum nouit arcana, significandum curauimus, ad Serenissimum principem Romanæ Reipublicæ præsentium latorem nos (Christo propitiante) pro communi vtilitate Legatarium direxisse, quibus prædicto Augusto, vel feliciter vos (gubernante domino) præsentatis, poteritis solicite requirentes agnoscere, quid pro vestris conditionibus deliberare nos certum est, & optare. Superest, vt effectum pacificatis partibus tribuat, humana consilia & rerum condita qui gubernat.

XXVIII.

Dominæ gloriosæ atque inclytæ Augustæ Anastasiæ, Brunehildis Regina.

SErenissimæ dominationi vestræ, quam (tribuente Domino) summó Principe coniuge Romanam cognouimus Rempublicam gubernare, & præcipuo culmine subiectis illis partibus dominari, summa deuotione salutis officia reuerentissime persoluentes, significamus præsentium Legatarios præcellentissimi filii nostri Hildeberti Regis ad vos, causa communis vtilitatis, (si Christus effectum tribuit) fiducialiter direxisse, quibus, (vt confidimus) dignanter receptis, & his quæ verbo mandauimus patefactis, tali Serenissimò Principi ministrate consilium, per quod dum inter vtramque gentem pacis causa connectitur, coniuncta

gratia Principum, subiectarum generent beneficia regionum. Tranquillitatis vestræ supereminentis dignitas, quæ cursu prosperitatis vos extulit, Rempublicam felicissime regere hortatur, & vos efficaciter, (si Christo dictum placuerit) amicitiarum fœdera propagare. Quapropter serenissimæ gloriæ vestræ officia reuerendissime persoluentes, præsentium latores Legatarios nostros ad piissimi Augusti, vel vestram præsentiam, fiducialiter communis vtilitatis nos studio direxisse. Quibus dignanter receptis, illud serenissimo Principi adhibete consilii, quod vtrisque gentibus pacis gratia sociatis proficiat partibus, quas pariter sincerus (præstante Christo) nectit affectus.

XXIX.

Domino sancto, & Apostolica sede colendo in Christo Patri, Johanni episcopo, Childebertus Rex.

BEatissimæ vestræ sanctitati per cuncta currens opinio, quæ prius implens Orientem tot regiones pertransiit, qui sumus ad Septentrionem, vt ad nos vsque pertingeret, & operum vestrorum laudem nobis etiam longinque positis non taceret, compellit nos ex gratia repræsentari per paginam, quos diuidunt itinera, & distantium locorum segregant interualla. Quapropter Apostolicæ coronæ ac beatæ Sanctitati vestræ, venerabiliter salutantes, officia porrigentes, & vt nos piis obsecrationibus memores iubeatis poscentes, quia tota vestræ benedictionis attentio laborat, quo fuerit pro concordia populorum, & nostris sedit animis cum Principe Romano pacis amplecti commercium, præsentium latores nostros Legatarios ad partes illas direximus, quibus pro vtilitate communi vestræ gratiæ præsentatis, si qua intimauerint, de iniunctis ita pia solicitudine pertractetis, qualiter proficiat populis, & prosit regionibus vtriusque gentis perpetualiter (præstante Domino) fœderatis.

XXX.

Childebertus Rex Francorum, viro glorioso honorato Apocrisiario.

MEritorum vestrorum clarificata præconia, quibus enituistis, actionis per gratiam ita vos inter conciues magnos extulerunt in patria, vt recte vos Honorati ipsa præferat peregrina. Quapropter sanctæ Venerationi vestræ reuerenter salutis officia persoluens, & vt nos sanctis intercessionibus commemorare dignemini, deposcentes: Nouerit Beatitudo vestra, præsentium latores Legatarios nostros (Domino prosperante) ad principem Romanæ Reipublicæ causa futuræ concordiæ, & communis vtilitatis prouidentia direxisse, qui cum vestræ Sanctitati, dum feliciter sibi demandata contulerint, ita (Christo mediante) pertractate consulte, vt inter vtramque gentem consolidata pace, (Diuinitate præsule) compendia proficiant in commune.

Honoratus.

XXXI.

Domino sancto, sanctisque virtutibus præferendo, in Christo Patri, Domitiano episcopo, Childebertus Rex.

OPinionis vestræ laus effusa præconiis admonet nos peculiariter vestræ Sanctitatis amicitiis copulare. Quod cum fuerimus votis felicibus consecuti, & nos obtineamus de oratione suffragium, vos etiam acquiritis multæ caritatis augmentum. Qua de re beato Apostolatui vestro venerabiliter salutis officia persoluimus, vt nostri sacris intercessionibus memores esse dignemini, fusa prece poscentes: & notitiæ vestræ deferimus, præsentium latores Legatarios nostros communi pro vtilitate ad tranquillissimum Romanæ Reipublicæ principem direxisse, qui placabiliter excepti, cum vestræ

vestræ Beatitudini ex nostra demandatione commissa sibi contulerint, illud administretis Augustæ potestati consilium, quod vtrisque partibus (propitiante Christo) proficiat communiter saluberrime fœderatis.

XXXII.

Childebertus Rex Francorum, viro glorioso, Theodoro Magistro.

PRælati Magisterii vestri dignitas excolenda, quæ licet per se magna sit, vt cognouimus, magis facta sit ordinatione præclara, hortatur † nos amicitiis inseri, quos agnoscimus dignis actibus prædicari. Quapropter gloriosæ Magnificentiæ vestræ salutis officia fiducialiter impendimus, & de vestræ incolumitatis stabilitate gaudemus. Et quoniam seniores parentes nostri Francorum Reges cum tranquillissimo Romanæ Reipublicæ Principe caritatis studia deliberauerunt excolere; ideo nos magis elegimus ampliare, præsentium latores Legatarios nostros studuimus ad prædictum Augustum dirigere, cum aliqua ex mandatis sibi commissis tribuitis aditum conferendi. Itaque salubri tractatu, piissimo Principi consilium ministrate, vt inter vtramque gentem copulata caritate, quod possit prodesse communiter, per coniunctæ voluntatis compendia consurgant in pace, vt fructus sit particeps, quidquid consultissime ipsis donatum fuerit in responsis.

† *nostris.*

XXXIII.

*Childebertus Rex Francorum viro glorioso, Johanni, Quæstori.**

* *i. consiliario. MS.*

GLoriosæ vestræ dignitatis insignia, quæ vos extulerunt, magis actibus illustratos faciunt; Hæc etiam à nobis prædicari placuit, per gratiam, qua vos sibi sociauerunt Principis cauta consilia; Idcirco gloriosæ Magnificentiæ vestræ salutis officia copiosissime persoluentes, significamus ad tranquillissimum Principem Romanæ Reipublicæ nos præsentium latores Legatarios nostros communis vtilitatis studio direxisse, qui si qua de negotio sibi iniuncto attulerint, deliberate serenissimo cum Augusto, quo dum inter vtramque gentem pacis semina seritis & studia propagatis immuniter, proficiat vestris nostrisque partibus felicissime quod censetis.

XXXIV.

Childebertus Rex Francorum, viro glorioso, Meganti Curatori.

CElsitudinis vestræ agnoscentes dignitatem meritis illustratam, opportunum duximus destinare vel literarum colloquia, quorum per longa interualla non adhibetur præsentia. Idcirco gloriosæ Magnitudini vestræ salutationis iura honorifice persoluentes, significamus præsentium latores Legatarios nostros, studio Catholicæ caritatis ad tranquillissimum Principem Romanæ Reipublicæ deuinctissime destinasse; quibus benigne receptis, cum sibi verbo demandata cum vestra Magnificentia fideliter contulerint, illud pro vtilitate vtrarumque gentium Augusto suggerite, vt pacificatis partibus gratulemur pariter suæ potestati vos consiliis adhærere.

XXXV.

Childebertus Rex Francorum, viro glorioſo atque præcelſo, Paulo, patri Imperatoris.

PRæcelſæ poteſtatis veſtræ generoſa præconia, quæ vos tantum extulerunt (Diuinitate propitia) vt de veſtro germine procrearetur feliciter, qui gubernaret Imperia, nobis proſpere nuntiata, prouocant, vt quos affectu colimus, miſſis etiam epiſtolis ambiamus. Quapropter præcellentiſſimæ Gloriæ veſtræ prompta caritatis ſalutiſque officia ſoluentes, & veſtris amicitiis nos ſinceriſſime committentes, ſignificare curauimus, præſentium latores Legatarios noſtros ad tranquilliſſimum principem Romanæ Reipublicæ (ſi Dei dicto complacet) cauſa communis vtilitatis ſtudioſiſſime deſtinaſſe. Qui (Chriſto propitio) cum vobis ſibi verba commiſſa detulerint, cum ſereniſſimo Auguſto ſalubriter pertractate, & inter vtramque gentem, quæ paci conueniunt, ad proſpera feliciter deliberatione perducite, quatenus qui a vobis veſtriſque ſocietatem caritatis illæſæ requirimus, recipiamus in reſponſis de fæderatis vtriſque partibus, quod optamus.

XXXVI.

Childebertus Rex Francorum, illuſtri atque magnificentiſſimæ Italicæ patriciæ.

GLorioſæ dignitatis veſtræ ad nos feliciter opinione delata, votiuum nobis extitit, quam præferri fama cognouimus, vt commeantibus literis amicabiliter inquiramus. Quapropter glorioſæ Celſitudinis veſtræ ſalutis officia prædicabiliter exſoluentes, & vt de vobis iugiter proſpera cognoſcere valeamus, optantes notitiæ veſtræ deferimus, præſentium latores Legatarios noſtros, ad ſereniſſimum principem Romanæ Reipublicæ (ſi Domini dicto complacet) vtilitatis communis ſtudio fiducialiter deſtinaſſe. Qui cum cæleſti fauore vobiſcum aliqua ſibi mandata contulerint, illud impendite ſalubri conſilio, quod pacificatis vtriſq; gentibus, proſit regionibus pariter atque regnantibus, & habeat vtraque pars viciſſitudinarium de ſe ſibi (Domino ſubminiſtrante) ſolatium.

XXXVII.

Childebertus Rex Francorum, viro glorioſo, vbique celſis laudibus præferendo, Venantio patricio.

EXigunt à nobis tam Generoſitatis veſtræ quam actionis præconia, vt alloquamur epiſtolis, amicitiis quos ambimus. Idcirco glorioſiſſimæ Eminentiæ veſtræ ſalutationis iura deuinctiſſime perſoluentes, & quæ incolumitati conueniunt, de vobis conſtanter optantes, veſtræ cognitioni deponimus, præſentium latores noſtros legatarios ad clementiam Sereniſſimi Principis deſtinaſſe Romanam Rempublicam gubernantis. Quibus (Chriſto præſule) præſentatis, cum Amplitudine veſtra, ſi qua pro communi vtilitate pacatis vtriſque gentibus videbuntur conferre, ea ratione recipite, vt Auguſtæ poteſtati a vobis impenſo conſilio, illa decernantur, quæ veſtris noſtriſque partibus vnitis, ſtudio proficiant communiter, & indiſſolubiliter in futuro.

XXXVIII.

XXXVIII.

Littera de Imperatore Romanorum directa ad Domnum Childebertum Regem.

CVm bona omnia dignis operibus conferantur, quantum tibi pro amore Orthodoxæ fidei, tantum pro ereptione † quam geris eripiendi Christiani sanguinis, (*f. intentione.*) meritis tuis iure collatum est, vt de solio, vnde alii summum decus percipiunt, vestra Gloria ipsi regno ornamenta, non solum de ineffabilibus dispositionibus vestris, sed de filiis & nepotibus ministrauit. Scientes enim quia Diuinitas Celsitudinem vestram, summis ad se colendum beneficiis prouocauit, augere nos credimus studium, per quod Regni vestri stabilitas maiora fundamenta suscipiat, vt filiorum & nepotum vita seruetur, & gloria Regni, quæ tibi duplicata videtur, per filium triplicata, regnando nepotes, muniatur Dei mandata complendo. Veniente itaque Andrea viro magnifico, illa quę nobis de Christianitate vestra opinio detulerat vera, eius relatione cognoscendo maiora, velut præsentes & videntes quæ narrabat, amplius, quam pridem, venerando cæpimus exultare. Ex hoc ergo quæ ad mercedem animæ vestræ pertinēt, posci minime expectatis, sed magis vos credimus voluntatem petentium præuenire. Exposuit ergo nobis, quam promptissimo animo, vel deuotione integra, florentissimū Francorum exercitum ad liberationem Italiæ Gloria vestra direxerat. Quæ omnia de deuotione & Christianissima voluntate vestra, vel instantia, qua desideratis Italiam liberari, clementissimo principi meo domino, & sorori vestræ serenissimæ Augustæ specialiter, sicut Andreas suprascriptus, vir magnificus nobis retulit, nunciaui. Ante vero quam fines Italiæ vestri Duces ingrederentur, Deus pro sua pietate, vestrisque orationibus, & Mutinensem ciuitatem, nos pugnando ingredi fecit, pariter & Altinonam, & Mantuanam ciuitatem pugnando, & rumpendo muros, vt Francorum videret exercitus (Deo adiutore) sumus ingressi: festinantes ne genti nefandissimæ Longobardorum se contra Francorum exercitum adunare liceret, & vno viro magnifico viginti millibus prope Veronensem ciuitatem residente, ad quem necessarium duximus sine mora dirigere, sperantes ab eo vt nos videremus in cominus, & quæ essent vtilia ad delendam gentem perfidam disponeremus communi consilio. Sed vt cognouimus, iam ad Autharit Chenus suam legationem transmiserat, & de pace aliqua cum eo fuerat iam depectus, antequam ad me Duces vestri venirent. Leufredum tamen, Olfigandum, & Raudingum viros magnificos Duces ad nos direxerunt: quos (sicut decuit) propter gratiam gloriæ vestræ, cum omni honore suscepi, quibus etiam & munifici fuimus. Et hoc habuimus in tractu, † quia Autharit se in Ticino incluserat, aliique Duces, omnesque eius exercitus per diuersa se castella recluserant, vt nos cum Romano exercitu & Dromonibus, & Cheno ab alia parte in vicino, (sicut diximus) in viginti millibus residente, ad obsidendum Autharit veniremus, eoque capto maxima pars fuerat adquæsita victoriæ: & tunc demum, si forte aliqua cum eis loquenda vel facienda essent, omnia prius ad vestrā notitiam deferretur. Quam rem & Francorum florentissimus credemus quia facere volebat exercitus. Quibus autem modis eos rogabamus & hortabamur, Epistolarum exemplaribus vestra gloriosa Christianitas poterit informari, dum nos contra inimicos Dei & communes sine Ducum vestrorum consilio aliquid loqui vel agere non pertulimus; illi (sicut diximus ab initio) cum ipsis locutionem habentes, in omnibus nobis omissis, pacem cum ipsis decem mensium facientes, habentes reuera & prædæ copiam, & salus dum comitaretur exercitum pro suo ducis arbitrium sequente iam exercitum subito discesserunt. Et hæc res, qualem vobis & laudem & mercedem abstulit, considerare vos credimus, & dolere. Quia si adhuc modicum tempus sustinere voluissent vel audire, hodie Italia à gente Longobardorum nefandissima libera habuit reperiri, & vniuersa nefandissimi Autharit Regis ad vestram Excellentiam habuerunt deferri, vestraque & si tardius fuerat completa est promissio reuera, dum neque intra muros Longobardi tutos se esse putabant, nec Fran-

Marginalia: *Mutina.* *Altinona.* *Mantua.* *Verona.* *Autharit Rex Longob.* *f. tractatu.*

cis præſumebant obſiſtere. Vnde ſalutationis officia cum honore digniſſimo perſoluentes, ſperamus, vt vel nunc, ſicut regni veſtri Chriſtianitas habet cogitare, iubeatis de ereptione Chriſtiani ſanguinis, & de Eccleſiarum reſeratione, pro eripiendis Sacerdotibus, qui de eorum immolatione euadere potuerunt, conuenienti tempore dignos Duces, qui præcepta veſtra impleant, & exercitum dirigere; vt quam patri veſtro † feciſtis, impleatur promiſſio, antequam gens ipſa nefandiſſima poſſit fruges colligere, maxime dum non ſolas, (quas ſuperius diximus) ciuitates, ſed & alias, id eſt Parma regio, atque Placentia cum ſuis ducibus atque plurimi Longobardis Deus ſanctæ Romanæ Reipublicæ reparauit, vt in tanta talique mercede, maximam partem, ſicut cæpit, Regni veſtri gloria conſequatur. Præterea, quod ex ſe gloria veſtra facere conſueuit, implenda depoſcimus, vt Romanos quos prædauit Francorum exercitus, pro mercede veſtra, & filiorum ac nepotum veſtrorum, relaxare præcipiatis. Quia & alia ſunt in pactis poſita ſacramenta, vt captiui debeant relaxari, & patris veſtri Chriſtianiſſimi principis † hæc eſt intentio, vt cottidie de animarum liberatione vobiſcum mercedem adquirat.

Mauritio Imp. vide Paul. Diac. li. 3. Longob. c. 17.

Mauricii Imp.

XXXIX.

Domino excellentiſsimo atque præcellentiſsimo, Childeberto Regi Francorum, Romanus. *

forte, Patricius, vel Exarchus.

QVantum Chriſtianitas regni veſtri exquirit cottidie, quid ad placandum Deum debeat exhiberi, tantum de Chriſtianorum liberatione cogitare & facere excellentiam veſtram confidimus, gratumque vobis eſſe, quod pro ipſorum remedio proſperitatem Diuino fauore conſtat eſſe conceſſam, vt talia tantaque (Deo auctore) promiſſa, tam manifeſta Dei miſericordia inuitet Præcellentiam veſtram, ad participandam mercedem, & laudem maximam adquirendam. Olim autem vos audiſſe credimus, de Montena, Altino, atque Mantua ciuitatibus, quia ſanctæ ſunt Reipublicæ reformatæ. Præcedētibus autem ſcriptis noſtris deſignaſſe vobis meminimus, quod dū ad obſidendum Parmam, vel Rhegium atque Placentiam ciuitates proficiſceremur, Duces Longobardorum ibidem conſtituti, in Mantuana ciuitate nobis cum omni feſtinatione ad ſubdēdum ſe ſanctæ Reipublicæ occurrerunt. Quos poſteaquam in ſeruitio ſanctæ Reipublicæ ſuſcepimus, filios eorum in obſides accipientes, Rauennam remeantes, in Hiſtriam prouinciam, contra hoſtem Graſoulfum deliberauimus ambulare. Quam prouinciam venientes, Giſoulfus vir magnificus, Dux, filius Graſoulfi, in iuuenili ætate meliorem ſe patre cupiens demonſtrare, occurrit nobis, vt cum omni deuotione ſanctæ Reipublicæ ſe cum ſuis prioribus & integro ſuo exercitu, ſicut fuit, ſubderet. Nam ſe & glorioſus Nordoulfus Patricius cum dominorum noſtrorum gratia in Italia veniens, omnes ſuos homines ad ſeruiendum Sereniſſimis noſtris dominis recollegit, diuerſaſque ciuitates, cum Oſſone viro glorioſo, & Romano ſuo exercitu, noſtro cum conſilio reparauit. Et quia Excellentiam veſtram in eandem promiſſionē & deuotionem, quam ſemel piiſſimis Patribus † veſtris dominis noſtris promiſiſtis, permanere non ambigimus, maxime dum diſplicuiſſe vobis conſtat, iuſſionibus veſtris non impletis duces fuiſſe reuerſos, eoſque in veſtra iracundia conſtitutos; præcipiat Excellentia veſtra omni cum celeritate implere ea, quæ Patribus veſtris piiſſimis noſtris dominis promiſiſtis: vt de effectu promiſſionis digna gratia augeatur, eoq; tempore dirigantur, vt fruges cunctas inimicorum foris inueniant. Nobiſq; deſignare iubete, quibus itineribus, vel quo tempore expectentur à nobis: ſperantes præ omnibus, vt dum feliciter Francorum exercitus deſcenderit, Romani, pro quibus auxilia veſtra poſcimus, in deprædationem & captiuitatem non perducantur; ſed & eos, quos tranſacto tempore abſtulerunt, relaxari & prouinciæ reſtitui iubeatis. Vt præterita emendantes, quid in futuro cuſtodire debeant, demonſtretis. Sed nec fabricas † incendi præcipite, vt agnoſcatur, quia pro defenſione Italiæ auxilium Chriſtianæ gentis habuimus.

Mutina. Altinum. Mantua. Parma. Rhegium. Placentia.

Giſoulfus Graſoulfi F.

Nordoulfus Patricius. Droctulfus eſt Paulo, li. 4. c. 18. Imperatorib. Rom.

Eccleſiarum

XL.

XL.

In nomine Domini Dei nostri Iesu Christi, Imperator Cæsar, Flauius Mauricius Tiberius, fidelis in Christo, Mansuetus, Maximus, Beneficus, Pacificus, Alamannicus, Gothicus, Anticus, Alanicus, VVandalicus, Herulicus, Gypedicus, Africus, Pius, Felix, Inclytus, Victor ac triumphator, semper Augustus, Childeberto, viro glorioso, Regi Francorum.

LItteræ vestræ Gloriæ, per Iocũdum Episcopum, & Cothronem cubiculariũ nobis directę, amicalem quidem voluntatem & paternum affectum circa nos atq; sacratissimam Rempublicã nostram conseruare vos indicant: hoc q; & per alios Legatarios multiplicib. verbis ad nostram pietatem conscriptum inuenitur. Et mirum nobis videtur, si rectam habere mentem, atq; priscam gentis Francorum & ditioni Romanæ vnitatem esse comprobatam adfirmans, nihil operis vsque adhuc amicitiæ congruum Eminentia tua ostendere visa est: dum in scriptis pollicita, atq; per Sacerdotes firmata, & terribilibus iuramentis roborata, tanto tempore excesso nullum effectum perceperunt. Et si hoc ita est, quid per tanta spatia terræ atq; maris inaniter sine responso necessario vestros Legatarios fatigatis, iuuenili sermone, qui nihil vtilitatis induxerunt, iactatis? Nos tamen Imperialem beneuolentiã sequentes, & præfatos legatarios vestros suscepimus, etiamsi cognouimus eos cum veritate a te non transmissos esse; atque his quæ nuntiata ab eis sunt, placidis auribus intendentes, competens eis dedimus respõsum, quod & per alios Legatarios vestros manifestum tuæ Gloriæ iam factum est. Et optamus vos, si amicitiam nostram appetere desideratis, valide atq; incunctanter omnia disceptare, & non solum dictionib. enarrare, sed enarrata viriliter, (quomodo Regem oportet) peragere, atq; similiter nostram piam beniuolentiam expectare. Decet igitur gloriam tuam, ea quoq; quæ scriptis inter nos placita sunt, vel etiam nunc ad effectum perducere, vt per hanc occasionem magis magisq; vestræ gentis vnitas atq; felicissimæ nostræ Reipublicæ conficiatur, & nulla inter nos controuersia oriatur. Non enim pro inimicitia memoratæ conuentiones à nobis factæ sunt, sed vt amicitia firma & illibata permaneat. Diuinitas te seruet per multos annos, parens Christianissime atque amantissime. Data Kal. Septembris Constantinopoli, Imperatore Diuo Mauricio Tiberio, perpetuo Augusto, & post Consulatum eiusdem annis....

P. Diac. 3. Longobard. c. 17. 22.

XLI.

Item dicta forma ad filium Imperatoris, de Domini nomine, per Babonem & Griponem. †

meminit eius legati P. Diac. 3. c. 32

HOrtatur fidei cælestis participata redemptio, vt apud illos quam maxime caritatis studia propagemus, pro quibus æqualiter descendere de cælo, & pati dignatus est Christus. Certe cum hoc Catholici desideranter elegimus, per quod magis Diuinitatis circa nos clementiam misericorditer inclinemus. Et quia ad serenissimum atque piissimum patrem nostrum, genitorem vestrum Mauricium Imperatorem, vtilitatis communis pro conditione præsentium portitores viros Inlustres illos Legatarios direximus, pacem quam optamus cum Principe adquirere, cupimus tenere perpetualiter cum herede; illud etiam poscentes, vt quoniam paruulum nepotem † nostrũ vestræ ditioni casus fortuitus ad vrbem Rhegium detulit, sicut suggestionem piissimo genitori vestro mandatã verbo direximus, per qui † vos non permittat miseræ sortem orphanitatis incurrere, nec sine parentibus annos pupillares transigere, sed genitore superstite illam ad iuuentutem, quam senior Princeps desiderat, sub patris blando regimine vos præstet adolescere, & ipso sustentante peruenire maturam iubeat ad ætatem; ac tam diu vobis patris non recedat tuitio, donec vos ipsi feliciter succedatis in re-

† ex sorore Ingunde, Herminigildi Hisp. R. filiũ. P. Diac li. 3. c. 21.
† per Deum.

gnum; vt quicquid nos præsentes suggerere vel agere debueramus pro orphano, per vos obtineatur apud piissimum Principem pro pupillo. Nec sentiat alterius miseræ peregrinationis naufragium, quem per interuentum vestrum parentalem redire deprecamur ad portum.

XLII.

Epistola ad Imperatricem Augustam, de nomine Domna. *

Matris Regis Childeberti.

ACcessit, Augusta serenissima, Christo protegente mihi tempus optabile, quo prædicator & amator vestri Imperii præcellentissimus filius meus Childebertus Rex illam ætatem pertingeret, quo cum piissimo Imperatore, vestro coniuge causas vtriusque gentis missis Legatariis communi pro felicitate, saluberrime pertractaret, & quod esset vtilius annis robustioribus, iuxta vota vestra per se (Deo adiuuante) firmius exerceret. Vnde sicut præsentium latores, veneratores vestri, fideles nostri, vobis verbo suggerere poterunt, Deo auxiliante à nobis optantibus aliquid est inceptum, & si donat Christus auxilium, quod prosit veris Catholicis gentibus, bonæ inchoationis accedere optamus effectum. Et quia, Augusta tranquillissima, casu faciente paruuli Nepotis mei didicit peregrinare infantia, & ipsa innocentia annis teneris cæpit esse captiua, rogo per Redemptorem omnium gentium, sic vobis non videatis subtrahi piissimum Theodosium, nec ab amplexu matris dulcis filius separetur; sic vestra lumina semper exhilaret sua præsentia, simul & matris viscera Augusto delectentur de partu: vt iubeatis agere (fauente Christo) qualiter meum recipere merear paruulum, in amplexu vt refrigerentur viscera, quæ de nepotis absentia grauissimo dolore suspirant: vt quæ amisi filiam, † vel dulce pignus ex ipsa quod mihi remansit, non perdam; & quæ de morte generi † crucior, releuer per vos cito nepote redeunte captiuo. Quatenus dum me dolentem, atque illum innocentem respicitis, & de Deo, qui est vniuersalis redemptio, mercedem gloriæ recipiatis absoluto captiuo, & inter vtramque gentem per hoc (propitiante Christo) caritas multiplicetur, & pacis terminus extendatur.

Ingundem.

Hermenegildi Regis Hisp. & martyris P. Diac. 3. c. 21.

XLIII.

Ad Patriarcham Constantinopolitanum, de Domini nomine.

GLoriosi Apostolatus vestri præcellens opinio quæ sit, loca singula percurrens impleuit, vt etiam ad nos Germaniam peragraret, ita nos compulit deuinctos vestræ fieri gratiæ, vt optemus deuoti vestram Sanctitatem pro nobis supplicibus fiducialiter exorare. Quapropter beatissimæ coronæ vestræ deuotionem nostram sincerissime commendantes, ac salutatione depensa, vt pro nobis Redemptori gentium supplicare dignemini, multipliciter obsecrantes precamur, per Deum qui vos ad multorum remedium patrem esse constituit omnium dignitatum; vt quia casu contigit nepotem nostrum paruulum duci in vrbem Rhegium, de matre deceptum, † & ibidem detineri tam peregrinum quam orfanum, apud piissimum patrem nostrum Augustum de eius absolutione (sicut est vestræ consuetudinis) dignabiliter laboretis: quatenus, dum ipse vobis obtinentibus meruerit patriæ vel parentibus reddi, peregrinationis necessitatibus absolutis, ad liberandum obnoxium facias, quod Christi vicarius: & per hoc inter nos & Romanam Rempublicam sit diuturnæ pacis & quietis fructus, non terminus.

f. desertum. à mortua, P. Diac. 3. c. 21

nc. Patriarcha C.P. Christi vicarius, à Francis dictus.

XLIV.

XLIV.

Ad Patriarcham Laurentium, de Domini nomine.

BEatæ opinionis vbiq; cursum meritis extendentes, certantes beatum Martyrem æquiparare, sicut nomine, sic mercede, vt per vos totus hic ille redeat, cuius adepti estis vocabulum, qui sacrosanctæ Ecclesiæ sic dispersit numismata, vt census effusione per pauperes augmentaret talenta, ad nos vsq; bonum tanti operis diuulgante: gratias referimus supernæ clementiæ, quæ vobis illud contulit, quod multis hic est in munere, & vobis singulariter futuræ gloriæ tempore proficiat ad mercedem. Quapropter sancto Apostolatui vestro salutationi officia dependentes, commendatione prælata, & vt nostri in sacris intercessionibus vestris memores esse dignemini, fiducialiter obsecrantes, speramus vt quia Diuina clementia ea nos ætate corroborat, vt Catholicæ parti nostræ non desint solatia † iuxta votum Romanæ Reipublicæ vel sacratissimi patris nostri Imperatoris, in Italiam direximus aduersum gentem Langobardorum religioni ac fidei iniquissimæ perfidam. Vestra sollicitudine ad virum præcelsum Smaragdū Rauenna iubete celeriter nuntiare, vt & pars Reipublicæ, † in quo per ipsum valet, solatiū armatorū inferre super hostes festinet, & quantum Dominus præceperit, quod potest fieri in præsenti, non moretur. Quod fuerit vero residuum, si Christo placuerit, aduenientе anni futuri tempore optamus exercitum in causa dirigere, quatenus manus Domini gentem exsecrabilem vobis exorantibus dignetur elidere, quæ iniuria Sanctorum, & morte suorum fidelium, sanguinis effusione crudelitatis manus armauit. Hoc etiam sperantes, vt ipsi præcelso Smaragdo de nostris Legatariis iubeatis pariter nunciare, vt tam vestra quam eius ordinatione, quam celeriter, ad locum destinatum imperialis Vrbis festinent accedere, & ad nos (Christo præsule) quæ opportuna mandata sunt, renuntiantes velociter, si qua restant, pacis studio (Diuinitate propitia) communiter explicentur.

i. auxilia. — De hoc Paul. Diac. 3. c. 18 — i. res Rom.

XLV.

Ad Imperatorem, de Domini nomine.

PIissimæ Serenitatis vestræ benignitas nos inuitat ad ea, quæ nobis opportuna credimus, vt fiducia cogente vestris auribus intimemus. Et quoniam cognouimus illum famulum vestrum, parentem nostrum, filium Scaptimundi apud vos in vrbe Regia commorari, qua valemus prece deuotissime supplicamus, per qui vestrum culmen Romanam Rempublicam longa feliciter faciat serie gubernari, & sic desideria tranquillitatis vestræ, de propria parentela vel filiorum vita dignetur implere Maiestas æterna, vt ipsum Tranquillitatis famulum ad nos relaxari præcipiatis, venturum Diuinitatis intuitu, vel retributionis futuræ prouentu. Quatenus cum hoc nobis supplicibus dignanter annueris, exalteris gloriam vestri nominis & mercedis.

Scaptimundus.

XLVI.

Gogo Grasulfo de nomine Regis.

REM necessariam, & valde partibus opportunam Celsitudo vestra per Biliulfo parenti vestro innotuit, quam oportet fixo ordine pro resecanda contumacia infestantium celeriter confirmare. Et licet piissimus Imperator reuerentibus Legatariis nostris sacris principalibus indicauit, legationem suam confestim velle ipsorum è vestigio ad nos dirigere, quam diebus singulis & venturam

credimus, & votis ambientibus excipere optamus. Sed quia oportere tractatis vt nulla moræ causa sustineat, adeo in vestro arbitrio hanc rem commisimus finiendam. Vnam eligite de duabus, si vobis munit de parte Reipublicæ certa securitas, vt possitis necessaria placita fugere & promissa exoluere, iam de præsentium certamine pecuniarum summa integra distinetur. His itaque omnibus adimpletis instituite placito, & tentemus pariter Dei iniuriam & sanguinem parentibus nostris Romanis (Christo præsule) vindicare, ita vt in perpetuæ pacis securitatem, vel de reliquis capitulis, vtriusque partibus opportunis intercurrentibus, in posterum terminetur. Cæterum si in vos vigor Pontificii non consistit, vt iam de præsenti possitis hæc omnia fiducialiter pacisci vel finire, sicut ordo rationabilis exigit, de latere piissimi Imperatoris procedant, cum quibusdam fortis causas, fixis terminibus roborentur: & quatenus hiemale tempus cursum nauium ferat, per vos facile si fuerit directa legatio, in finibus nostris transponitur, vbi in ipsorum exceptione (sicut dignum est) præparatur, vt nec inueniendo sit tarditas, & celerius inter partes figantur placita oportuna, rogamus, vt tales veniant, quibus sit potestas iuxta illa manu vel sensu, quod dominus Imperator nostris Legatariis reddidit in responsis, cuncta pacisci vel finire. Et ne dicatur, quod pars nostra aliquam dilationem exhibeat, vos nullam moram protendite, & videamus perfecta deliberatione vel securitate de partibus Reipublicæ procedere, parati sumus vobis cum contra aduersus insurgere in vindicta, & locum requirimus, & actibus cupimus ostendere, qualiter nos piissimus Imperator se dignanter admittit in numero recipiat filiorum.

XLVII.

Domno sanctißimo, atque præ optimis mihi in Christo diligendo, Salustio Præsuli Desiderius vester.

MVltiplices & ineffabiles vestræ Beatitudini pro inquisitionis studio, vel eulogiarum præcepta benedictione gratias iure persoluimus: & quamlibet indigni, Domini optamus pietatem, qui nobis citius locum tribuat vestræ gratiæ seruiendi. Illud namque quod zelo zelati estis pro nostra exiguitate, non omittitis solertiam egregii & nobilis pastoris, dum viriliter & vigilanter agere adorti estis. Vtinam etiam in nobis diuina pietas perficere dignaretur. Quia ille recte vigilat, qui aspectu veri luminis, & intimæ contemplationis semper oculos apertos gerit. Qua de re necesse est, vt mentem semper ad interiora & sublimia suspendamus; ne per torporis negligentiam ad ima trahamur. Igitur de eo, quod sollicitudo vestra sciscitare studuit, vestra Dilectio comperiat, omnes optimates & Principes, iuxta quod antea cum ipsis habebamus cõglutinatam amicitiam, (gratias Christo, qui est bonorum omnium dispensator) satis amabiliter nos receperunt; & nos eos eatenus in Dei nomine retinemus, vt charitas mutua nunquam decidat, sed aucta magis in dies florescat; & cum amico vestro Flauado firmiter & amabiliter in charitate consolidati sumus. De cætero vero satis, & cum plenissimo affectu (vt præfati sumus) pro tantę inquisitionis vestrę dilectione gratias agimus. Salutamus præterea vestram Almitatem eo affectu, quo vobis non latere non ambigo; & supplex quæso, vt pro mea extremitate pio Domino digneris exorare.

m.s. dignetis. Vale vir Dei, & memento mei.

XLVIII.

Domno Inlustri, & à nobis peculiarius suscipiendo domino, & in Christo filio, Grimoaldo Maiori Domus Desiderius peccator.

NOn ignotum vobis famulum, ac bene cupientem, cupio esse commendatum. Adest enim frater meus Lupus Abba, cuius mentem Agni cupio agminibus interesse. Iste ad vos rediuiuo Desiderio pergit, & postulat se nostris affatibus commendari, quatenus eum vestra industria gloriosi Principis domini Siggeberti Regis obtutibus repræ-

repræſentet. Age ergo virum egregie mihiq; patrone,& iſtum habe (vt ſupra petii) per omnia ſodalem; quatenus gaudeat ſe noſtris apicibus veſtræ eminentiæ commendatum. Interea ſalute vberi fuſa, precor impenſe, vt quod ipſe ſuggeſſerit,conditiones Monaſterii noſtri,quod nuper in honore ſancti Amandi ædificaui, digneris recipere per omnia commendatas. Et talem exinde curam geratis, vt æternam retributionem pro collato beneficio expectetis. Dignamini etiam expectationem noſtram de veſtra, ac Domni Regis ſalute, patrumque, vel fratrum veſtrorum, reciprocante nos pagina conſolari manu propria. Incolumem Excellentiam veſtram ſuperna pietas tueatur.

XLIX.

Domino glorioſiſsimo, triumphali palmate coronato, ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ filio, Sigeberto Regi, ſeruus veſter Deſiderius Cadurcæ vrbis Epiſcopus.

DVm & cõtigit de præcelſo domno noſtro genitore veſtro,quod nec pietati veſtrę tam c to fuerat optabile, Vos,reuerentiſſime domine, tam de nos ſeruos veſtros, quã & de cunctos fideles integram dignamini habere mercedẽ. Vt quos genitor veſter pie enutriuit, veſter rigor æquanimiter portet. Et dũ vos Deus omnipotens ſua pietate in regni ſolio ſublimauit,& tantum vobis dedit prudentiæ intellectũ; præſumimus cõmonere Celſitudinem gloriæ veſtræ, vt ſemper † protectoris veſtri memoriam intimiore corde retineatis. Semper cogitetis,quid poſt regni ſceptra futuri eſtis,&ad quaſem remunerationem pro operum qualitate venietis. Nos pro Epiſtolæ parcitate modicum quid monuimus. Vos taliter in omni opere, in omni cauſa,in omni iudicio voſmetipſos exhibete, vt quando perfidi Reges cum iniquis damnantur, vos pro bonis operibus æternam remunerationem percipiatis. Explicit.

† *f. progenitoris, vel, præceſſoris, vel, protectoris noſtri.*

L.

Domino glorioſiſsimo, atq; piiſsimo, vbiq; præcelſo ſanctæ Eccleſiæ filio, Sigeberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei, atq; per gratiam eius Cadurcæ vrbis Epiſcopus.

QVod vos pia ſollicitudine dignati eſtis litteris conſolare, inſufficiens eſt mens noſtra gratiarum iura perſoluere. Qua de re ſingulari poſtulatione credidi depoſcẽdum, vt ea me dignatione iubeatis peculiarius confouere,qua Domini Genetoris veſtri circa meam puſillulam, exiguamq; perſonam habita eſt gratia familiaritatis. Volui quidem ſic obtemperare, vt non prius ad vrbem redirem, donec, ſi potuiſſet fieri, veſtri culminis pręclaram celſitudinem vidiſſem. Sed quia hoc difficile fuit, ideo nũc latorem præſentium commendare præſumo. Per quem officia ſalutationum digno culmini veſtro honore perſoluens, quæſo, vt petitiones ipſius in effectu poſitas, me de veſtræ excellentiæ incolumitate dignetis facere certiorem.

LI.

Domino glorioſiſsimo, atq; piiſsimo, vbiq; præferendo, vndiq; præcelſo, ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ filio, Dagoberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei, & veſter fidelis.

DVm plerumque pro conditiones Eccleſiaſticas me neceſſitas compellat ad Celſitudinem culminis veſtri apices dirigere, ipſa tamen recordatio contubernii, & dulcedo auſpicatæ indolis pubertatis monet, vt frequenter, ſi fieri poſſit, me exiguum famulum ſollertiſſimis obtutibus veſtris præoptem præſentari. Qua de re, ſalutationis obſequio eo quo decet honore prælato, quæſo, vt de conditiones Cadurchæ Eccleſiæ cui (Deo auctore) ex iuſſu veſtro pręſedeo, pro quas nunc præſentium latores apicum ad Excellentiam dominationis veſtræ feſtinant, pro diuino reſpectu vel iuſtitiæ

contemplatione integra mercede ſtudeatis habere, ſollertiſſimo libramine cauſam trutinate; & qua iuſtitiam perſpicitis ponderare, illuc ſententiam declinate. Nec ſolù de hac re, ſed omni tempore, de omni conditione ſententiam Regis iuſtitia præcedat & veritas. Iudicium quoq; miſericordia comitetur, propter illud Apoſtoli: Iudicium ſine miſericordia erit ei, qui non fecerit miſericordiam. Age ergo præcellentiſſime Princeps, mi domine Dagoberte, age taliter, vt dum ſingularem inter homines regni apicem obtines, ad æterni regni ſingularem gloriam ſine confuſione attingere poſſis. Me quoque non ſuperfluum iudicetis pro pia commotione, ſed amantem mēte ames pro ſalubri exhortatione. Explicit.

Iacob. 2. 13.

LII.

Domino Inluſtri, totius aulæ, immoq; regni Rectori, Grimoaldo Maiori Domus, Deſiderius exiguus ſeruus Dei.

PAgellari officio ſuggero, vt harum portitorem apicum commendatum dignetis recipere, & quæq; ore proprio ſuggeſſerit effectui iubeatis mancipare. Et quia cupio me veſtris animis eo ordine commendare, quo parentum veſtrorum affectu ſum vnico deuinctus, precor vt illam gratiam genitoris veſtri, erga me tenere dignetis, quę me vobis faciat placabilem, & veſtram mihi præſtet ſemper optabilem. De condiciunculis etiam Eccleſiæ noſtræ, & pauperum ſuorum ſingulari mercede ſtudete habere, caſque per omnia habere commendatas. Nos quoq; in ſinu gratiæ veſtræ, non vt mereamur, ſed vt optamus atq; confidimus, paterno confouete affectu. Et ſi de hoc, quod ſuggeſſimus, ſperata conceditis, ſimul & de veſtra ac Domini Regis, vel fratrum veſtrorum incolumitate, aut quicquid nos ſcire recte cenſetis, quod in illa regione agitur, reſcripti nos ſerie dignamini certificare. Incolumem vitam veſtram ſuperna pietas tueatur.

LIII.

Domino ſemper ſuo Medoaldo Papæ, Deſiderius peccator.

SI gratiarum iura beneficiis veſtris recompenſare voluero, non ſapiam pro illa ſcilicet ſupereminentia bona, quæ anno præſenti erga nos largitas veſtra deſeminare ſtuduit. Pro impenſas videlicet ſuperfluentes, pro itinerantium multimodas neceſſitates. Nec ſolum famulantium oportuna ſubſidia non pauca miſiſtis, ſed etiam noſmet & expenſis, & muneribus ampliaſtis. Impleſti, Beate pater, largitatis officium, ſuſtinuiſti peregrinationem noſtram, compaſſus es laboribus noſtris, & longe à ſolo patrio poſitos, ita paterno affectu fouiſtis, vt nec regionis vbertatem, nec parentum dulcedinem ex inopia deſiderarem. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in cuius amore id impendiſti, tibi pro noſtra extremitate retributor exiſtat. Nūc igitur famulatus mei iura perſoluens ſupplico, vt quē tunc beneficiis cōſolaſtis, nunc orationibus beneficio iuues. Latorem præterea præſentis officii, filium communem, Claudium Abbatem recipite per omnia commendatum; & munuſcula, quæ ex nobis intulerit, grato animo habetote. Cum ſe de mundo oportunitas contulerit, de veſtra, & Domini Regis, vel fratrū ac filiorum veſtrorum, mereamur incolumitate reſcripti ſerie conſolari.

LIV.

Domno Inluſtri, & à nobis peculiarius ſuſcipiendo domino, & in Chriſto Filio, Chodulfo Deſiderius peccator.

Rom. 5. 20. IN ſancti Apoſtoli Pauli dictis ſcriptum habetur: Quod *vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia.* Iam quantum me hactenus de gratia veſtra dolui contriſtatum, ſuperabundare me de veſtra gratulor charitate. Non enim itineris illius, quo ætate ſum grauata confectus, iam quadam doloris memoria ducor, cum recolo, quanta ergá me dulcedo

dulcedo vestra est pia voluntate diffusa. Vnde gratulatione maxima præsentem paginam ad Dominationem vestram destinaui, per quam salute vberi fusa, precor Dominum, vt magis magisque suam in vobis tribuat largitatem pietatis, ac bonis faciat successibus abundare. Et quia scriptum legimus: *Generatio rectorum benedicetur.* Tu vir Excellentissime benedictiones paternas semper memoriæ viuacitate conserua, & si qua sunt, vel quod monuit, vel quod egit, quasi ante oculos præsentaneo retine memoratu. Multa enim sunt de eius gestis tuis auribus recolenda, quæ si gestis adiicias vitæ huius, & intenta meditatione conserues: ille orationibus donabit vtique nunc fauorem, quo probabiliter probe polleas, & istinc cursu feliciter auspicato, paternis muneratus præmiis adiungaris. Interea, quanquam necessarium esse non ducam, latorem præsentis officii multa deuotione commendo, & vbi quod aut iste dixerit, aut aditum cognoscitis oportunum, conditiones patroni vestri beati Stephani, cuius administrationem gerere videor, habete receptas, & per omnia commendatas, vt ipsi domini rerum, quibus vice nostri Redemptoris seruire videmur, ipsi vobis impendia æterna compensent, ac supplementum tuæ tribuant largitatis. *Psal. 111.*

L V.

Domno semper suo Abboni Papæ, Desiderius peccator.

DVm lator præsentium apicum, ad obseruando illo Monasterio iussus accedit, & quia necesse est vestro eum patrocinio commendemus; igitur famulatus mei officia persoluens supplico, vt eum sicut famulum, gratia pietatis vestræ recipiat commendatu, & de condiciunculis domni St phani, vndecunque fuerint exortas, adhibete sollicitudinem. Sicut me de vestra gratia confidere (vt credo) nullatenus ignoratis. Non enim à me docendus es, quid in nostris supplimentis, & Ecclesiæ, cui seruimus, vel pauperum eius oportunitatibus præstes, quid vigilando prospicias, quidue experientiæ actionis tribuas. Nosti omnia, omniaque non ambiges, quibus laboribus vrgemur, quibusque fatigamur ærumnis, hoc solum cupimus te velle. Nam posse daturus est ille, sub cuius nomine nos præsidio, & fauore teneri gaudemus. Rogamus ergo, vt istum famulum harum † optarem frequenter, si possibilitas arrideret sacris vestris interesse colloquiis, vt sicut nos sub seculi habitu in contubernio serenissimi Flothari Principis mutuis solebamus reuelare † tabellis, ita iam nunc illa ad plenum deposita vanitate, dulcia liceret Christi ruminare præcepta. Sed quia sicut mens anhelat, effectus sequi non præualet; hoc sufficiat dicere, quod fauore vestræ charitatis non mediocriter sum recreatus. Proinde gratissima effusa salutatione, peroro, vt quem tunc & affatibus bonis, & benigna charitate consolastis, semper in memoriam vestri interni intimum teneatis. Latorem præterea præsentis officii, qua valeo insinuatione, vobis commendo, & precor, vt in omnes cōditiones, quas exerit, benignum iubeatis præbere fauorem. & per ipsum, vel quandocunque aditus extiterit, de vestra felicitate mereamur certificari. Vale vir Dei, & memento mei.

videtur hic aliquid deesse.
releuare.
quod alibi, consolari.

L V I.

Sancto ac præferendo Apostolico patri, Dadoni Papæ, Desiderius seruus seruorum Dei.

DVm plurima tempora elabuntur, quod præsentiam vestram videre nequimus, nunc immensa se gratulatio menti obiecit, dum aliquatenus vel post diutina interualla sese opportunitas præbuit, qua vel pagellari officio me vestris conspectibus præsentarem. Igitur debito obsequio humiliter exhibito, illud peculiarius peroro, vt quem quondam in ipso flore primæuæ iuuentutis vnico mihi amore præbuisti, semper concedere digneris illum meum Dadonem. Maneat pristina inter nos atque illum tuum, imo nostrum Eligium inconuulsa charitas, indisiuncta, vt fuit quondam, fraternitas. mutuis nos inuenimus precibus, vt quemadmodum in aula terreni Principis socii fuimus; ita in illo superni Regis cœlesti palatio simul viuere mereamur.

Et licet de nostro collegio duos iam amiserim germanos, habemus pro his venerabilem Paulum, nec minus prædicabilem meritis Sulpitium. Quisquis igitur nostrum quantum plus præualet, tanto amplius profectuum gradus conscendere elaboret. Ad hæc autem prædico plus me vestris orationibus, quam meis viribus attingere posse confido. Tantum est, vt indesinenter vos orare dignetis; & pietas Domini nostri Iesu Christi (credo) præstabit, quod rogatis. Vale vir Dei, & memento mei.

LVII.

Domno semper suo Paulo Episcopo, Desiderius peccator.

IAm credo ad aures tuas perlatum, qualiter Monasterium construere cœperim, & Basilicam iam (mihi Domino cooperante) consummatam habeam. Proinde rogo, atque inuito Apostolicam dignationem vestram, vt ibidem ad Dedicationem interesse dignemini. Et cum nos ibidem in Dei nomine viderimus, aliquantis simul diebus commorantes, de illa perenni ac desiderabili vita, de qua mutuo suspirare solebamus, familiaria colloquia desidero, vt habeamus. Alios etenim plures Episcopos interesse faciemus, qui nos vel exemplo iuuent, vel hortatu roborent: quorum nos conturbernio non mediocriter opinor adiuuari. Veni igitur carissime, quantum longius, tantum velocius: vt post diutinam corporis absentationem tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit credo Dominus de se concionantibus, adstabit orantibus. nec nos deseret vnquam qui passus est pro nobis, de sede veniens paterna. Orantem te pro nobis, potentia domini nostri Iesu Christi conseruare dignetur.

LVIII.

Sancto Patriarchæ Sulpitio, Desiderius seruus seruorum Dei.

COndecet primæ sedis Antistitem, vt sollers circa eum consacerdotum exhibeatur sollicitudo; vt dum vicissim iura charitatis glutinantur, facilius Deitatis consortio interesse mereantur. Iuxta illud, quod sacratissimo eximii vatis ore pollicitus; *Ego*, inquit, *inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Nec non & Domini dictum: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, & ego in medio eorum.* Quapropter, Papa beatissime, vestra sit elaboratio, vt pertinacia, quæ plerumque inter fratres serpit, vestro libramine radicitus euellatur. Nam nostri erit studii solatia oportuna præbere. De cetero prece qua valeo supplico, vt quotiens ad exorandam Domini clementiam defixa mente adsistitis, nostri memoriam sacris precibus interseratis. Hæc nimirum facientes, vicem nobis in præsentiarum rependitis. Qui quamuis non, sicut oportet, oramus, orandi tamen instantiam non omittimus. Memento mei, Papa beatissime, & cultoris tui merita orationibus foue.

Ierem 7. Matth. 18. 20.

LIX.

Domno semper suo Cæsario Episcopo, Desiderius peccator.

DEsiderabilia nobis gaudia eueniunt, quotiens se aditus præbet, ex quo pusillitatis nostræ literas Almitati vestræ possumus dirigere. Ideoq; prælata occursionis obsequia, fraterna charitate monemus, vt causas vnde mutua fuit confabulatio, id est, de id quod ad profectum animæ pertinere noscuntur, toto conatu, omniq; adnisu elaboretis adsequere: sicut è contra illa, quę euidenter saluti animæ obsunt, tota virtute studeatis fugere. Et quia *caritas omnia suffert*, sicut nos videtis de vestra salute sollicitudinē gerere, ita vos quoq; de nostra exiguitate dignamini sollicitare; ne (quod absit) culpa quælibet nobis latens, vicinis propaletur, & nobis quandoq; in obiectionem ponatur. Præterea credo, quod nec vobis lateat, qualem egestatem de aqua, quā fons præbeat in hac Cadurcina ciuitate, habemus. Sed voluntas nobis inest, si posse permittit, vt per tubos ligneos subterraneo officio ad ipsam ciuitatem aquam ducere debeamus. Proinde quia nouimus, quod peritos ex hoc artifices haberes, precamur, vt compendium de ipsos faciatis, & vnde iubetis nos plenissime † re seruimus. Agat Apostolica dignatio vestra taliter tam de prælata monitione, quam & de vltima suggestione, sicut nos in omnibus efficaciter de parte vestra confidimus. Incolumem Pontificatum vestrum diuina pietas custodiat.

1. Cor. 13. 7.

† f. seruamus.

Deside-

LX.

Desiderius Episcopus Aspasiæ Abbatissæ salutem.

LAcrimis tuis hactenus motus, hanc tibi historiam de Euangelio egregiæ illius fœ- Luc.9.
minæ destinaui. In ipsa quippe diuinam consolationem reperies, & timorem.
consolationem quidem, quoniam qui de peccati onere resipiscet, hanc animam pia
Domini benignitas non refutat; timorem ideo, quia anima, quæ accedit ad ser-
uitutem Domini, continuo ad tentationes sustinendas se fortiter paret, dicente
Salomone: *Fili accedens ad seruitutem Domini, sta in timore, & præpara animam tuam ad* Eccles.2.
tentationem. Gaudium quidem est in tuis lacrimis, & exultatio fit in cœlis, dum ipsa Luc.15.7.
sponte damnas, quod male sponte contraxeras. Absit enim, ne sicut Eua seducta est
per serpentem, ita tu ad rediuiuas † miserias cupias reuertere. Ergo compatiatur a- † recidiuas.
nima tua dolori meo, vt ego possim vulnere sanato lætificari de bono tuo. Age pœ-
nitentiam, quantum melius potes; & omni custodia serua cor tuum. Confido ego Prou.4.23.
in Domino meo Iesu Christo, quia cito obliterabit omnem maculam tuæ confusio-
nis bona confessio. Vigila assidue, & ora, vt nullatenus retrorsum respicias. Memen-
to quid veritas dicat: *Nemo, ait, ponens manum in aratro, & respiciens retro, aptus est regno cœ-* Luc.9.62.
lorum. Respicere autem retro nihil est aliud, quam pœnitere quenquam, & abiicere
quod cœperit bonum, & rursum mundialibus negotiis implicari. Recordare etiam
vxoris Loth, quod vtique Dominus specie hactenus per Euangelium pœnitentibus Gen.19.
fuisse noscitur protestatus. Ergo in hac historia continetur & magnus pœnitentiæ
fructus, & impletum in cœlis gaudium coram Angelis sanctis. Cum illa, quæ fuerat Luc.9.
ante peccatrix, meruit suis lacrimis promereri spem salutis. Oro ergo, & per Domi-
num Iesum Christum te obtestor, vt non des amplius Diabolo locum; sed in ieiuniis,
& obsecrationibus, & vigiliis te instanter impendas: & quantum sentis te hominum
destitutum præsidio, tantum tibi diuinum adesse flagites adiumentum. Iterum ac sæ-
pius moneo, vt hæc à te Historia frequentius relegatur. Et in tantum pro te insta, vt
etiam pro me apud Dominum te credam posse aliquid obtinere.

LXI.

Domno semper suo Felici Præsuli, Desiderius peccator.

ANte dies aliquot quidam frater litteras vestras nobis exhibuit, plenas doloris &
mæstitiæ. Quarum tetra superficies nihil serenum, nihil iucundum, vel ad cha-
ritatem pertinens innuebat; siquidem à summis ad ima vsque molestiæ exitiales
querimoniæ ibi inerant. Et forsitan mea negligentia, non mea culpa ita confectæ.
Non enim reor me hactenus adeo fuisse vestra offensa pulsatum, vt huiusmodi iurgia
pontificalia viscera replerent. Et licet vestræ aures viperea infusione subpletæ ser-
pentis erumperent sibilum, nostra tamen præcordia præcepta Christi meditabantur
in arcanum. Et quamuis serpentina astutia iurgiorum propinaret venena; ego tamen
vt de vestra essem caritate depulsus, magis mœrendo dolebam. Proinde precor pro-
pensius, si in me remansit actio culpæ, vestra pia Almitas intercedat, vt sententiæ ad-
uersæ prorsus aduertat. Sin autem sueta me ambiunt accusatione vexare, contuen-
dum censeo, & à vestra censura opto fore cauendum; vt aures vestras viperina vene-
na, ac velut Sirenarum cantu letalis sibilus non infundat. Ego me vestrum non (vt o-
pinor) iniusto iudicio subdo: vos propensa ratione tractate, vt indemnem nequaquã
damnare † dicere iubeatis: quapropter salute humillima precor, effusa, vt quia dudum, † damnatũ.
me quamlibet minorem iudicio, tamen parem esse duxistis; non nos separet virosa
& pertinax audacia suadentum, quos pia hactenus & salutifera caritas nectere iussit.
Ego itaque ac si supra vires fari queat, iussioni non obsisto; dummodo à vestræ di-
gnationis gratia non auellar. Quod minus vtilis styli exarauit impressio, affatu latoris
præsentium est ore commissum. Ipsum diligenter auscultate; & tunc vere cognosce-
tis, quantum vobis honoris reseruet. Date igitur veniam, date gratiam, date piam

affatus copiam: vt qui pro Christi exemplum ante vestra vestigia caput humile subdet, nõ conculcandũ, sed potius eleuandum vestra bona pietate se putet. Certe multo melius est cum humilibus in conspectu Dei exaltari, quam cum superbis humiliari.

LXII.

Dominis sanctis, & cum summa veneratione memorandis, domnis Episcopis & Abbatibus, nec non & sublimibus atque magnificis viris, Comitibus, Tribunis, Defensoribus, Centenis, & hominibus publica vel Ecclesiastica agentibus, Desiderius seruus seruorum Dei, vrbis Cadurcæ Episcopus.

QVæsumus domni, vt pro nobis orare dignemini, & harum portitorem Vntedium Presbyterum, vna cum puero itineris sui comite, commendatum recipiatis. Quia non, vt multi † giroaci, circumuentiones prætendit, sed pro rationabili peregrinatione Hispaniarum oras petit. Agite itaque vt à nullo inquietetur, neque patiatur iniuriam. Sed magis vestro aditu in antea proficiscatur securus. Propitii recenseatis Domini semper nobis.

† gyrouagi. i. circumforanti.

LXIII.

Domno semper proprio, atque Apostolica sede colendo, Domno Desiderio Cadurcæ vrbis Pontifici, Sulpitius Bitoricæ vrbis Episcopus.

EXcitauit animum paruitatis meæ eximia dulcedo Magnitudinis tuæ, vt Pontificalem sacerdotii vestri laudem insignem, vel ex parte tenuem præsumam disserere sermonem. Sed vniuersa subito virtus defecit in verbis, quem exsuperauit tantæ materia dictionis: vt rudimenta tantorum anagnosticorum † studia animo librante pensaram, ipsius magnitudinis mole victus succubui. Vnde meo saltem voto satisfeci, etsi vestro implere suffragio non valui. Libens tamen, qui aliud nihil, Dominationi vestræ prodesse appareo. sed vos semper pietate consueta tanti habetis, inquisitionẽ nos velle frequenter visitare. Vnde inprimis incolumitatem vestram inquirentes, quod optamus potius motu corporis, quam linguæ mutuo sermone complere, dum regionum longinquitas non discrepat aspectum, nisi tantum modo fraudat interiectionis spatium, & ipsum tamen dilectio cernit intuitum, cum figurat animus recordatum. Ergo nihil perdet absentiam, quod præsentaliter laborabit præsentiam. Semper in diligendis apicibus Beatitudo vestra soluit officium, vt plus debeat reddendum agminis famulatum, quam meritis consideret debitorem. Auctorem cœli præsumimus postulare, vt vestram iubeat prætendere vitam cursibus annorum longæuam dignetur tempore longo, cuius nunc locuples seruatur nomine mundus. Et diu firmantur nutantia culmina rerum, vel dilapsa magis solidata resurgunt. Istud manu propria fecit à tuis temporibus. vestræ gratiæ seruire merear, mihi peculiaris domine.

† vtitur ea voce & Gregorius M. 7. Regist. c. 126

LXIV.

Domino Inlustri, & à nobis summa dilectione colendo, atque cum omni reuerentia nominando, domino Desiderio Thesaurario, Bertegyselus Abba.

LIcet libenter ac fraquenter nostros missos pro suscitanda incolumitate gloriosi Domini Dagoberti Regis debeamus dirigere, his tamen diebus specialiter dileximus famulum vestrum Dulcidium Diaconum ad vestram solertiam, vt per

vestram

vestram instantiam,& de sospitate Domno debeat sollicitare,& de vestra nos incolumitate possit certificare; sicq; de ambas partes (vt cupimus) votiua nobis gaudia valeat denuntiare. Et licet placitum cum Philippo patricio illuc ante ipso domno habemus, pro eo,quod ministeriales nostros post se retinere videtur; vnde petimus, vt præsens frater per vestro consilio,& efficacissimo adiutorio vos per omnia tuentes & insinuantes, ipsa causa valeat effectum producere. De pueris etiam,quos ad opera dominica† per vestra ordinatione direximus, si aliquid faciunt,quod Domno sit placitum, vestra insinuatione discamus. Annis multis Diuina potentia vestram ad ornacum vel consolationem multorum conseruare dignetur,domine semper meus peculiaris patrone. *Operas herilis, palatinas, auticas, Frohne.*

LXV.

Domino sancto,& Apostolica sede dignißimo domno & Patri, Desiderio Papa, Autulfus peccator.

VNde nobis iussistis,& nos Sanctitati vestræ innotuimus,clericum vestrum nomine Dructulfo per amicum nos de Spania recepimus, ipsum nunc præsente misso vobis direximus, culpas precamur,vt excusatæ sint, & ipse de cætero emendatus resideat. Domni pietas si ista nobis concedit,grandem nobis fiduciam de sua gratia facit. De cætero quod præsens missus vobis suggerit pro conditiones nostras Domnus obtemperare dignetur,& ad effectum perducat,vt melius nobis delectet, quousq; audiuimus,vestro semper seruitio inhærere. Salutare quidem non audeo, sed deprecor Sanctitatem vestram,vt pro me humilimum vestrum in sacris orationibus vestris memores esse dignemini.

LXVI.

Domno semper nobis proprio, & post Deum peculiari patrono, Desiderio Papa, Constantius & Dado Episcopi.

SEcundum quod per literas vestras insinuastis, & iuxta quod filius vester domnus Godenus mandauerat credimus,† quod hesterno ad illo Monasterio venisset. sed dum† dabo odie apud Cariatone & Maurino comitem videre minime possumus,Flauianus autem denunciauit,vt quinta feria apud ipsum iungamur. Et quia læsionem nobis inferre cupit, epistolam Sanctitatis vestræ ad ipsum deposcimus, vt dum nostra fiducia tutamur,vestra autoritate in omni parte muniamur. Prælata prius debita salutationis obsequia; rogamus impense vt pro nostra paruitate exorare dignetis; nosque semper in sinu gratiæ vestræ confouendos retineatis. Annis multis vobis seruire mereamur, Beatissime Papa. *locus corruptus.*

LXVII.

Domino sancto & Apostolica sede colendo, Fratri, Vero Rutena vrbis Episcopo, Sulpitius peccator.

IN quantum vobis vir Apostolicus dominus Desiderius Cadurcæ vrbis Episcopus per litteras suas innotuit, graui iniuria homines sui à Perricio † Diacono vestro in parrocia sua Arennaco pertulerunt. Et audiuimus, quod Aprilis † Kl. vobiscum exinde placitum debeat habere. Propterea salutantes Charitati vestræ rogamus, vt taliter aduersus domno Desiderio ordinetis emendari, si cognoscitis, quod superius † scripsit Diaconus exinde negligens est, qualiter vestra est prudentia, & si hoc fortasse ipse dicat, obaudire distulerit, & taliter si non emendatur, qualiter domno Desi- *m. f. Diaconus. f. Kal. April. Locus omnino corruptus.*

derio voluntas est, non aliter fiat, nisi in placito, quod vobis supra scriptus Pontifex denuntiauerit memorato Diacono † vestro per fideiussores vna cum indiculo vestro ante paruitatem nostram faciatis dirigere. Interim nos exemplar epistulæ apud nos retenemus. Petimus vestræ dulcissimæ Sanctitati, vt in sanctis orationibus vestris nos memores esse dignetis.

† i. Diaconū. neque alia est aut illius Latinitas.

LXVIII.

Domno semper suo atq; Apostolico Patri, Desiderio Papæ, Elegius seruus seruorum Dei.

QVotiens aditum scribendi gratiæ vestræ reperimus, totiens nobis cumulus gaudii videtur adcrescere. Quapropter cum salutationis officio illud propensius præ cunctis conditionibus depoico, vt quotienscunq; inter mundanas sollicitudines mens ad statum quietis prævalet attingere, memoriam paruitatis nostæ sacris precibus vestris subiungere non omittatis. Quod nequaquam credo, vt nostri obliuio vllatenus apud vos cadat; vt nec vestra apud nos vnquam senescere nouit. Sed non incongrue arbitraui rediuiua commonitione eadem ingerere: cum nimirum constet, quod nulla in præsenti sæculo causa ita mentem stimulet, quemadmodum vitæ perpetuæ, & beata iustorum patria, desiderii immensitate viscera mentemque sollicitat. Quamobrem vt vnde quisque attentius cogitat, inde frequentius & loqui studeat. Proinde mi vnanimes pia viscera Desiderii, memento semper Elegii tui, cum preces Domino fundes. Et quamuis nos terrarū interpositio longe ab alterutrum separet, nec queat nos subinde corporalis coniunctio sociare; in Christo semper simul versemur. Et ita viuere elaboremus, vt non post longum spatium anima simul & corpore sociemur, sociatique in æternum viuamus. Quod exoratus fideliter ac frequenter præstabit, credo, nobis clementissimus Dominus noster Iesus Christus, cui gloria in æterna sæcula. Amen. Saluto te supra modum sincerissimo affectu, salutat & Dado fidelis vtrorumque sodalis.

LXIX.

*Domno semper suo, atq; Apostolico Præsuli Desiderio Episcopo, * Rauracius peccator.*

* f. Ruricius.

CVm humilimo salutationis officio, commendo Apostolatui vestro seruulos vestros Nummolum † Presbyterum, & Garimundum, quos ad vrbem vestram, & ad hospitiolum vestrum Gregionaco, siue Abbates descriptionem mancipiorum inquirendo direximus. Supplicamus, vt commendatos ipsos recipere dignetis: & vbi ipsis necessitas extiterit, vestro auxilio in omnibus mereantur habere, vt quod Ecclesiæ vestræ Neruernensi ex ipso agro iustissime redhibetur, per eorum inquisitionem, vel vestro solatio perdere non debeamus. Simulque suggerimus, vt de ipsa Curtecella, † vel hominibus inibi consistentibus, sub vestra defensione tanquam propria familia dignetis habere receptos & commendatos; vt de iudicum infestatione, (sicut & immunitas nostra ex hoc continet) liceat eis viuere cum quiete. His obtentis precamur, vt redeuntibus famulis de vestræ felicitatis gaudio † literis nos iubeatis lætificari. Orate pro nobis, domine semper peculiaris atque Apostolice Papa.

† f. Mummolum.
† curticula. G. Il. courcelle.
† m f. gaudia.

LXX.

Sancto atque Apostolica sede dignißimo, honorum titulis præferendo domno, & in Christo Patri, Desiderio Papæ Sigebertus Rex.

CVlminis vestri paginam deferente venerabili viro Bettore Abbate, vna cum sanctis Eulogiis vestris me cū summo gaudio cōperite suscepisse. De id vero scripsistis, vt;

stis, vt quã prospere nos Diuina pietas degere pmittebat, vobis insinuare deberemus. Cognoscite, vestra intercedente oratione, prospere hactenus (Christo præsule) cõsistimus. Et gentes patriæ, nobis à Deo concessæ, pacifico ordine nobis obediũt: gentes etiam barbaræ pacatissime nobis cohabitant. De cõditiones vero vestras, vnde iniunxistis, taliter (Christo adiuuante) ad effectũ produximus, vt vestra fuit iniunctio. Proinde cũ salutatione deuotissima petimus, vt per nos Domini nostri Iesu Christi misericordiam, vbi iugiter sedulas funditis preces, exorare dignetis, vt sua largiente clementia, & hic pacifice viuere, & ad æternam vitam nos iubeat peruenire.

LXXI.

Domno semper suspiciendo, & cum omni honore venerabiliter nominando, domno Desiderio Papæ, Sulpitius peccator.

SIngularibus mysteriis pastorale conpetenter implestis officiũ, eo quod ad nostram paruitatem sollicitudinis destinantes affectu, dum gaudium, quod nobis ipsius Resurrectionis Dominicæ solẽnitatis principale cõtulit, pastoralis visitatio geminauit, in qua vtræq; partes & benedictio in oblationes, & affectio præfulsit in apices. Reddẽtes ergo munia sospitatis, optamus, vt multiplicatis annorũ curriculis, vestris mereamur & Elogiis recipi, & affatibus benedici. Annis innumeris vobis seruiam, & prosperis perseuerantibus polle, Beatissime Papa.

LXXII.

Domino reuerentissimo, palma triumphali decorato, ac Pontificali nomine adornato, præcellentissimo Ecclesiæ speculatori, Desiderio Papæ Paulus peccator.

MVlta sum alacritate repletus, quia adoptatũ, desiderabilemq; diem à Diuina miseratione promerui, mellifluis reciprocis vestris reperire. Quas recẽsitas immẽsas creatori nostro egi prærogatiuas, quod incolumem vos esse cognoui. De id vero quod ibi intimasti, vt de causa inlustris matrisfamiliæ Bobilanę aliquid agere deberemus, qualiter exinde fecimus, præsentis latores officii vobis ore proprio edicere possunt. Præterea multiplices dominationi vestræ agimus gratias, de Eulogiis sanctis, de Falerno nobili, vel vasculis decem, quæ nobis tanti habuistis dirigere. Superexcreuit quidem, & superabundauit benedictio largitatis vestræ, adeo, vt dum nos vnam Falerni amphoram deposcimus, vos eminentia vasa, & (vt vsitatius dicam) tunnas † decem elegantissimi Falerni tanti habuistis dirigere. Nec solum sic inopiæ nostræ credidistis sufficere, sed etiam in multis adhuc excellentioribus donariis magnificentiam erga nos vestram studuistis augmentare, dilatare, supplere, ac superexcedere. Vnde pius Dominus vobis retributor & hic & in æternum existat. Nos enim non sufficimus tantas Almitati vestræ referre nec pecunias, nec gratias. Proinde in illum, qui sufficiẽs est, supra quam petimus aut intelligimus, largiri, in ipsum causam remunerationis vestræ committimus. Nos quoque in sanctis, ac Deo placitis orationibus vestris commendamus, nostrã animam in suffragio vestrarum precum committimus. Nos sane, vt valemus, indesinenter pro † vos orationi insistimus, vt vos vndique gratiarum muneribus circumseptum, ad coronam gloriæ iubeat perducere; & nos per vestram intercessionem ad spem salutis, & portum quietis dignetur admittere, vestrique sequipedam permittat existere. Annis multis vobis, peculiaris domine, mereamur seruire.

† i. dolia, Gall. tonneaus. Germ. Tonnen.

† pour vous, Gall.

LXXIII.

Domno semper suo, Desiderio Papæ, Paulus peccator.

APices sanctæ Dominationis vestræ redeũtibus fratrib. Frodoleno & Ruccone de Mettis accepim⁹: vbi nobis p singula pietas cõsueta instruere dignauit. Vnde õni-

potenti Domino gratias agimus, quod vos iuxta noſtrum deſiderium incolumem cognouimus. De Regis conditione innoteſcimus, nuper per Viredunum Remos pergit, ibiq; natiuitatem Domini expectat. Inde autem Leuduno accedit, & inde in Maſao, ac poſt ripa Reno pergit. Cognoſcatis Chainoaldum epiſcopum ictuatum etiam fati munus impleſſe. Ceterum vt ad veſtra beneficia mẽtis oculos reflectam, nec ſi lingua clamet ferrea, (vt quidam Poeta ait) aut centena ſonent ſpiramina, nullatenus poteſt quis tanta narrare Dei magnalia, quantũ eius in viſcera veſtra diffunditur gratia. Nos præcipue nec factis poſſumus repenſare, nec verbo explicare, quanta ergo me dignatis impendere. Dominum tamen indeſinenter oramus, ipſe vobis pro noſtra paruitate æternus retributor exiſtat, & cæleſtia bona in perpetua beatitudine concedat. Oratio me veſtra ſubleuet, Beate & venerabilis Papa.

LXXIIII.

Domno ſemper proprio, Deſiderio Apoſtolico Papæ, Abbo peccator.

Litteras gratię veſtrę tam per anteriores miſſos, qui cum filio veſtro Chedeno venerunt, quã & qui poſtea, cum Babone accepi; per quas præcepiſtis, vt de veſtris conditionibus, iuxta q, Deus poſſe dabat, ſollicitudinem gererem. Deo ſoli ſufficit, non latere, quia cum integra fide & promtiſſima voluntate id adſecutus ſum, & ordinationes dominicas inde firmatas ſunt, vt de res illas, quas Leua tenebat præſentaliter, Bobila reueſtita eſſe debeat. Nam ꝑ veſtra gratia non nobis ſine labore conſtauit. Tamen dũ ſcimus, ꝙ iuſtitia eſt, credimus de Dei pietate, ꝙ ſic pro veſtro prudentiſſimo conſilio cauſa gubernetur, vt ad bonum perfectum perueniat. De villa autem Rotouollo (ſicut ſcitis) dominus Dagobertus Rex ipſam pro amplius, quam quingentos ſolidos in luminaria ad Baſilicas Metenſes delegauit. Quia ſcitis, quod pater Bobilane Agylenus hoc fratri noſtro Vero epiſcopo vendidit; & poſtea ſeruus tam ipſa portione, quam & illa alia, quæ meorum conſortes tenebant, ipſe Seuerus redemit, & domino Dagoberto vna cum alia ſua facultate deligauit. Vos vero taliter cum domna Babila agite, vt exemplaria, quæ pro filio veſtro germano meo Gedeno direxi, firmare debeat. Vos enim & in palatio Regis, vbi innutriti fuiſtis, bene cogniti eſtis. Quia melius eſt aliquid cum eo compartire, quam ſolus nihil habere. Annis multis de veſtra gratia congaudere, Domne ſemper meus.

LXXV.

Domno clementiſſimo, palmata triumphatione decorato, Pontificali officio coronato, domno ſemper meo Deſiderio Papæ, Chriſtique ſpeculatori, Chanulfus veſter.

Inprimis q. nobis præcipuum & maximum eſt, ſalutare quidẽ non præſumo, depoſco, vt nos Domne in ſanctis orationib. veſtris Domino Deo cõmẽdare dignemini. Deinde ſupplico Almitati veſtræ, vt Dominus noſter iubeat, vbi veſtrum mereamur impendere occurſum. Et quia hoc deuotio noſtra deſiderat, idemq; ordinate, vbi veſtram debeamus videre præſentiam. Orate pro nobis, Domine & ſemper deſiderabilis pater.

LXXVI.

Domno ſemper nobis proprio, Apoſtolico Patri Deſiderio Papæ, Conſtantius peccator.

Cognoſcite, Domne, nos orationib. veſtris incolumes de palatio remeaſſe, & Regẽ modo Magantiæ eſſe. Et pro quo litteras præcipue miſimus, precamur obnixe, & tanquam pedibus veſtris aduoluti quæſumus, vt ſi euenit, q. natiuitatem Domini in territorio Alugenſe celebrare deliberetis, ſic vos merear in Apoſtolatu videre, vt in ciuitatula veſtra Albige ipſa ſolennitate in Dei nomen celebrare debeatis. Non me ſpernere domne, non me deſpicere, non me renuere, quo minus in tanta ſolemnitate non

per

per te inlustretur, decoretur, ornetur Ecclesia; & ex tuo sancto ore benedictionē populus accipere mereatur. Interim quęso denunciate nobis, quam celerius vltra Tarne accedere deliberatis; aut vbi possumus (quod sæpe desideramus) vestram videre præsentiam. Propterea enim de natiuitate Domini de antea vobis suggessi, vt alii me antecedere non possint. Quia multi te desiderant, sed nemo plus, quam ego. Pater iterum iterumq; suggero, & commemorare præsumo, vt non sic faciatis de ista natiuitate Domini, sicut pridem, quando satis in domum vos habere volui, sed peccatis meis obtinere non merui. Annis multis vobis seruire merear Domne Desideri semper suspiciende pater.

LXXVII.

Domno semper suo Desiderio Papa, Verus peccator.

IVssorium vestrum accepimus, vna cum exemplari de litteris domni Sulpitii, vbi Domnus innotuit, quod istum placitum de ista Synodo frater vester domnus Sulpitius alio tempore visus est immutasse. Nos hoc gratiæ vestræ iam innotueramus per seruo vestro Becobeno Diacono, & postea per misso vestro. Sed quia Deo volente Domnus innotuit, quod mea suggestio continebat; nos gratulati sumus, quod de vestra felicitate votiua gaudia meruimus cognoscere. Interea reddimus profusum nostri famulatus officium, supplicantes, vt pro nobis Domini misericordiam exorare dignetis; & sæpius nos de vestra iubete felicitate consolare. Quia Deus nouit omnipotens, quod ea, quæ bona sunt, de vos semper audire & videre optamus. Annis multis vobis seruire merear, Apostolice Pater.

LXXVIII.

Domno sancto & Apostolico in Christo Patri Desiderio, Siggybertus Rex.

DVm fabula currente à pluribus & fidelib. nostris cognouimus, quasi vocati ab eodemq; Patre nostro Vulfoleudo episcopo Synodali cōsilio Kal. Septemb. in regno nostro: ignoramus in quo loco vna cū reliquos fratres & cōprouinciales vestros debeatis cōiungere. Licet nos statuta Canonū, & Ecclesiasticas regulas, sicut parētes nostri in Dei nomē conseruarunt, ita & nos cōseruare optamus, tamen dū ad nostram antea notitiā non fuit platum; sic nobiscū nostris proceribus cōuenit, vt sine nostra scientia Synodale consilium in Regno nostro non agatur; nec ad dictas Kal. Septembris, nulla coniunctio sacerdotū ex his qui ad nostrā ditionem ptinere noscuntur, nō fiatur. Postea vero oportuno tempore si nobis antea denuntiatur, vtrū pro statu Ecclesiastico, an ꝓ regni vtilitate, siue etiā pro qualibet rationabili conditione cōuentio esse decreuerit, nō abnuimus. Sic tamen (vt diximus) vt in nostri prius deferatur cognitionē. Proinde præsentia scripta Sanctitati vestræ destinare curauimus: per quæ petimus, vt ꝓ nos orare dignetis, & ad istam coniunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis. & vt certius credatis, hunc indiculum manu propria subter subscripsimus. Syggibertus Rex Sub.

LXXIX.

Domno suo Desiderio Episcopo, Palladius Episcopus.

PRo intuitu fidei, & vnitate sacerdotum, quam Ecclesiarum vbiq; diffusarum, spero ad pietatem vestrā, vt hospitiola, quæcunq; in Cadurco Ecclesia nostra videtur habere, † hoc est, Bagidone, Pastoriaco, Bassiaco, & Aleuernaco, vobis cum omnē rem, *l. habet, stilo suo aut.* mācipiis, vel terris, aut quidquid ad iure nostro ptinet, saluo iure Ecclesię nostrę, vobis in omnib. cōmēdamus; ita vt ab hodierno die oēs de parte nostra, qui in supradicta vrbe cōmanent, sint vobis cōmendati: & quoscunq; de nostra præsentia hic dirigimus, vestra ordinatione (secundum quod decet) in omnibus potiantur. Similiter vbi Chromatia in re Ecclesię Bagidone commanet, quia frater suus Deotherius presbyter actorem Ecclesiæ Sanctonicæ egit, & nunc ipsa Cromatia, quæ ibidem per beneficii precariæ manere videtur, si eam cum omni re sua iubeas defensare; quomodo & Deum

mercedem habeas,& nos vobis gratias supplicationis agamus. Et per diem retributionis,& aduentum Domini nostri Iesu Christi adiurans rogo,vt sicut de affectione sanctæ animæ vestræ confidimus,sic integram digneris adhibere sollicitudinē, vt omnes iuris nostri homines,qui in vrbe vestra commanēt,vna cum antefata Cromatia, piam vestri protectionem in omnib. mereantur promereri. Salutationum itaq; iura persoluens,supplico,vt pro mea exiguitate orare dignemini. Et vt certius nostra supplicatio habeat effectum,propria manu subter subscripsi, Palladius peccator hunc mandatum meum Relegi & S.

LXXX.

Domino inlustro,& à nobis peculiarius suspiciendo,pio Dei cultore, domno Desiderio Optimati, Verus peccator.

ACcedentem filium nostrum Leodoaldum Diaconum, oportunum duximus, vt dominationem vestræ caritatis inquirere deberem;cum sciamus deuotionē sanctæ animæ vestræ bona semper de parte nostra optare. Præsertim cum nos vestro præ omnibus patrocinio potiamur. Propterea salutātes Eminentiam vestram,rogamus,vt sicut dum patrocinia vestra elegimus,& hactenus nos defensio protectionis vestræ insigniter muniuit,ita nunc quoq; de conditionibus nepotum nostrorū,vnde pręfatum vobis suggerere rogamus, talem sollicitudinem atq; instantiam adponatis; vnde sicut nos vobis sumus,ita ipsos quoq; adquiratis per omnia debitores. Reduce etiam antefato,de vestræ felicitatis Eminentia rescripto reddito nostram sollicitudinem dignamini releuare. Dominus noster Iesus Christus custodiat corpus & animam vestram in diem examinis sui, Amen.

LXXXI.

Domno semper suo, & Apostolico Patri Desiderio Papæ Gallus peccator.

DVm talis nūtius de clade à Massilia venit, quod omnem pæne prouinciam depopulans vastet,Domnus ordinet custodias mittere,& nullus deCadurcino ad istas ferias in Rutenico,vel vicinas vrbes nō præsumat exire.ne (quod absit) per quamlibet occasionem tantum malum in vrbem vestram videatur inferre.nam per ista contigua illis partibus loca custodię positæ sunt,vt nullus emendi aut vendendi aditum penitus habeat;si non sollicite cogitabitis præuidere,periculum mortis instat. Præterea debita veneratione salutem mittens,quæso,vt in sanctis precibus vestris paruitatem nostram memorare dignemini, Domne, verius Pater.

LXXXII.

Domno semper præferendo,& cum omni veneratione nominando, beatissimo Patri Desiderio Papæ, Felix peccator.

PRauorum adulantium concione percepta, ante hoc ferme biennium,reor misisse epistulam,quę Serenissimā mentem vestram ac siquidem turbo pertransiens,nube obtexit,&licet non eo sensu fuerit edita,quo Domnus censuit interpretandum,me tamen pœnitet incaute,&minus inculto sensu vel impolito sermone stilum exarasse, vnde offensam sanctæ animæ vestræ potueram incurrere; nisi vestra bonitas causam admodiasset. Pœnitet(inquam)me,& ter quaterq; pœnitēs,his excessibus veniam posco. Postulo autem indulgentiam,quam tuis beneficiis,non meis meritis adipisci confido. Quam mihi gratiam ita nunc pręstare dignabitis,vt nunquam me deinceps à sinu gratiæ vestræ,vel à clementissimo pietatis amplexu excludere, vel reiicere dignetis. Inter hæc debita salutationis obsequia persoluens,illud peculiarius à Sanctitate vestra peroro, vt omnibus maculis explosis in sacrosanctis precibus vestris nostri memoriam admiscere dignemini,Domne, verius & semper suscipiende Papa. Expliciunt.

FINIS.

IN



IN CHRISTI NOMINE INCIPIT PRÆFATIO GREGORII TORONICI EPISCOPI FELICITER.

DEcedente atque imo potius pereunte ab vrbibus Gallicanis liberalium cultura literarum, cum nonnullæ res gererentur vel recte vel improbe, ac feritas gentium deſæuiret, Regum furor acueretur, Eccleſiæ impugnarentur ab Hæreticis, à Catholicis tegerentur, ferueret Chriſti fides in plurimis, tepeſceret in nonnullis; ipſæ quoque Eccleſiæ vel ditarentur à deuotis, vel nudarentur à perfidis: nec reperiri poſſet quiſquam peritus Dialectica in arte Grammaticus, qui hæc aut ſtilo proſaico, aut metrico depingeret verſu: ingemiſcebant ſæpius plerique dicentes; *Væ diebus noſtris, quia periit ſtudium literarum à nobis, nec reperitur in populis, qui geſta præſentia promulgare poßit in paginis.* Iſta etenim atque his ſimilia iugiter intuens dici, pro commemoratione præteritorum, vt noticiam attingerent venientium, etſi inculto affatu, nequiui tamen obtegere vel certamina flagitioſorum, vel vitam recte viuentium: & præſertim inlicitus ſtimulis quod à noſtris fari plerumque miratus ſum, Quia *philoſophantem Rhetorem intelligunt pauci, loquentem ruſticum multi.* Libuit etiam animo, vt pro ſupputatione annorum ab ipſo Mundi principio libri primi poneretur initium. Cuius capitula deorſum ſubieci.

Explicit præfatio Gregorii.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI SEQVENTIS OPERIS.

LIBRI II. CAPITA.

LIBRI III. CAPITA.

contemplatione integra mercede ſtudeatis habere, ſollertiſſimo libramine cauſam trutinate;& quã iuſtitiam perſpicitis ponderare,illuc ſententiam declinate. Nec ſolũ de hac re,ſed omni tempore,de omni conditione ſententiam Regis iuſtitia præcedat Iacob. 2.13. & veritas. Iudicium quoq; miſericordia comitetur,propter illud Apoſtoli: Iudicium ſine miſericordia erit ei, qui non fecerit miſericordiam. Age ergo præcellentiſſime Princeps,mi domine Dagoberte, age taliter, vt dum ſingularem inter homines regni apicem obtines, ad æterni regni ſingularem gloriam ſine confuſione attingere poſſis. Me quoque non ſuperfluum iudicetis pro pia commotione,ſed amantem mẽte ames pro ſalubri exhortatione. Explicit.

LII.

Domino Inluſtri, totius aulæ, immoq; regni Rectori, Grimoaldo Maiori Domus, Deſiderius exiguus ſeruus Dei.

PAgellari officio ſuggero,vt harum portitorem apicum commendatum digneris recipere,& quæq; ore proprio ſuggeſſerit effectui iubeatis mancipare. Et quia cupio me veſtris animis eo ordine commendare,quo parentum veſtrorum affectu ſum vnico deuinctus,precor vt illam gratiam genitoris veſtri,erga me tenere dignetis,quę me vobis faciat placabilem,& veſtram mihi præſtet ſemper optabilem. De condiciunculis etiam Eccleſiæ noſtræ,& pauperum ſuorum ſingulari mercede ſtudete habere,eaſque per omnia habete commendatas. Nos quoq; in ſinu gratiæ veſtræ, non vt meremur, ſed vt optamus atq; confidimus,paterno confouere affectu. Et ſi de hoc, quod ſuggeſſimus, ſperata conceditis, ſimul & de veſtra ac Domini Regis, vel fratrum veſtrorum incolumitate, aut quicquid nos ſcire recte cenſetis, quod in illa regione agitur, reſcripti nos ſerie dignamini certificare. Incolumem vitam veſtram ſuperna pietas tueatur.

LIII.

Domino ſemper ſuo Medoaldo Papæ, Deſiderius peccator.

SI gratiarum iura beneficiis veſtris recompenſare voluero, non ſapiam.pro illa ſcilicet ſupereminentia bona,quæ annó præſenti erga nos largitas veſtra deſeminare ſtuduit.Pro impenſas videlicet ſuperfluentes, pro itinerantium multimodas neceſſitates.Nec ſolum famulantium opportuna ſubſidia non pauca miſiſtis,ſed etiam noſmet & expenſis,& muneribus ampliaſtis.Impleſti,Beate pater,largitatis officium, ſuſtinuiſti peregrinationem noſtram, compaſſus es laboribus noſtris,& longe à ſolo patrio poſitos, ita paterno affectu fouiſtis, vt nec regionis vbertatem,nec parentum dulcedinem ex inopia deſiderarem. Dominus noſter Ieſus Chriſtus,in cuius amore id impendiſti,tibi pro noſtra extremitate retributor exiſtat. Nũc igitur famulatus mei iura perſoluens ſupplico, vt quẽ tunc beneficiis cõſolaſtis, nunc orationibus beneficio iuues. Latorem præterea præſentis officii,filium communem, Claudium Abbatem recipite per omnia commendatum; & munuſcula, quæ ex nobis intulerit, grato animo habetote. Cum ſe de mundo oportunitas contulerit,de veſtra,& Domini Regis, vel fratrũ ac filiorum veſtrorum,mereamur incolumitate reſcripti ſerie conſolari.

LIV.

Domno Inluſtri, & à nobis peculiarius ſuſcipiendo domino, & in Chriſto Filio, Chodulfo Deſiderius peccator.

Rom. 5.20. IN ſancti Apoſtoli Pauli dictis ſcriptum habetur: Quod *vbi abundauit peccatum; ſuperabundauit gratia.* Iam quantum me hactenus de gratia veſtra doluĩ contriſtatum, ſuperabundare me de veſtra gratulor charitate. Non enim itineris illius, quo ætate ſum grauata confectus, iam quadam doloris memoria ducor, cum recolo, quanta ergà me dulcedo

dulcedo vestra est pia voluntate diffusa. Vnde gratulatione maxima præsentem paginam ad Dominationem vestram destinaui, per quam salute vberi fusa, precor Dominum, vt magis magisque suam in vobis tribuat largitatem pietatis, ac bonis faciat successibus abundare. Et quia scriptum legimus: *Generatio rectorum benedicetur.* Tu vir Excellentissime benedictiones paternas semper memoriæ viuacitate conserua, & si qua sunt, vel quod monuit, vel quod egit, quasi ante oculos præsentaneo retine memoratu. Multa enim sunt de eius gestis tuis auribus recolenda, quæ si gestis adiicias vitæ huius, & intenta meditatione conserues: ille orationibus donabit vtique nunc fauorem, quo probabiliter probe polleas, & istinc cursu feliciter auspicato, paternis muneratus præmiis adiungaris. Interea, quanquam necessarium esse non ducam, latorem presentis officii multa deuotione commendo, & vbi quod aut iste dixerit; aut aditum cognoscitis oportunum, conditiones patroni vestri beati Stephani, cuius administrationem gerere videor, habete receptas, & per omnia commendatas, vt ipsi domini rerum, quibus vice nostri Redemptoris seruire videmur, ipsi vobis impendia æterna compensent, ac supplementum suæ tribuant largitatis. *Psal. 111.*

LV.

Domno semper suo Abboni Papæ, Desiderius peccator.

DVm lator præsentium apicum, ad obseruando illo Monasterio iussus accedit, & quia necesse est vestro eum patrocinio commendemus; igitur famulatus mei officia persoluens supplico, vt eum sicut famulum, gratia pietatis vestræ recipiat commendatũ, & de condiciunculis domni Stephani, vndecunque fuerint exortas, adhibere sollicitudinem. Sicut me de vestra gratia confidere (vt credo) nullatenus ignoratis. Non enim à me docendus es, quid in nostris supplimentis, & Ecclesiæ, cui seruimus, vel pauperum eius oportunitatibus præstes, quid vigilando prospicias, quidue experientiæ actionis tribuas. Nosti omnia, omniaque non ambiges, quibus laboribus vrgemur, quibusque fatigamur ærumnis, hoc solum cupimus te velle. Nam posse daturus est ille, sub cuius nomine nos præsidio, & fauore teneri gaudemus. Rogamus ergo, vt istum famulum harum † optarem frequenter, si possibilitas arrideret sacris vestris interesse colloquiis, vt sicut nos sub seculi habitu in contubernio serenissimi Flothari Principis mutuis solebamus reuelare † tabellis, ita iam nunc illa ad plenum deposita vanitate, dulcia liceret Christi ruminare præcepta. Sed quia sicut mens anhelat, effectus sequi non præualet; hoc sufficiat dicere, quod fauore vestræ charitatis non mediocriter sum recreatus. Proinde gratissima effusa salutatione, peroro, vt quem tunc & affatibus bonis, & benigna charitate consolasti, semper in memoriam vestri interni intimum teneatis. Latorem præterea præsentis officii, qua valeo insinuatione, vobis commendo, & precor, vt in omnes cõditiones, quas exerit, benignum iubeatis præbere fauorem. & per ipsum, vel quandocunque aditus extiterit, de vestra felicitate mereamur certificari. Vale vir Dei, & memento mei.

videtur hic aliquid deesse.

releuare: quod alibi, consolari.

LVI.

Sancto ac præferendo Apostolico patri, Dadoni Papæ, Desiderius seruus seruorum Dei.

DVm plurima tempora elabuntur, quod præsentiam vestram videre nequimus, nunc immensa se gratulatio menti obiecit, dum aliquatenus vel post diutina interualla sese opportunitas præbuit, qua vel pagellari officio me vestris conspectibus præsentarem. Igitur debito obsequio humiliter exhibito, illud peculiarius peroro, vt quem quondam in ipso flore primæuæ iuuentutis vnico mihi amore præbuisti, semper concedere digneris illum meum Dadonem. Maneat pristina inter nos atque illum tuum, imo nostrum Eligium inconuulsa charitas, indisiuncta, vt fuit quondam, fraternitas. mutuis nos iuuemus precibus, vt quemadmodum in aula terreni Principis socii fuimus; ita in illo superni Regis cœlesti palatio simul viuere mereamur.

Et licet de noſtro collegio duos iam amiſerim germanos, habemus pro his venerabilem Paulum, nec minus prædicabilem meritis Sulpitium. Quiſquis igitur noſtrum quantum plus præualet, tanto amplius profectuum gradus conſcendere elaboret. Ad hæc autem prædico plus me veſtris orationibus, quam meis viribus attingere poſſe confido. Tantum eſt, vt indeſinenter vos orare dignetis; & pietas Domini noſtri Ieſu Chriſti (credo) præſtabit, quod rogatis. Vale vir Dei, & memento mei.

LVII.

Domno ſemper ſuo Paulo Epiſcopo, Deſiderius peccator.

IAm credo ad aures tuas perlatum, qualiter Monaſterium conſtruere cœperim, & Baſilicam iam (mihi Domino cooperante) conſummatam habeam. Proinde rogo, atque inuito Apoſtolicam dignationem veſtram, vt ibidem ad Dedicationem intereſſe dignemini. Et cum nos ibidem in Dei nomine viderimus, aliquantis ſimul diebus commorantes, de illa perenni ac deſiderabili vita, de qua mutuo ſuſpirare ſolebamus, familiaria colloquia deſidero, vt habeamus. Alios etenim plures Epiſcopos intereſſe faciemus, qui nos vel exemplo iuuent, vel hortatu roborent: quorum nos contubernio non mediocriter opinor adiuuari. Veni igitur cariſſime, quantum longius, tantum velocius: vt poſt diutinam corporis abſentationem tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit credo Dominus de ſe concordantibus, adſtabit orantibus. nec nos deſeret vnquam qui paſſus eſt pro nobis, de ſede veniens paterna. Orantem te pro nobis, potentia domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruare dignetur.

LVIII.

Sancto Patriarchæ Sulpitio, Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei.

COndecet primæ ſedis Antiſtitem, vt ſollers circa eum conſacerdotum exhibeatur ſollicitudo; vt dum viciſſim iura charitatis glutinantur, facilius Deitatis conſortio intereſſe mereantur. Iuxta illud, quod ſacratiſſimo eximii vatis ore pollicitus; *Ego*, inquit, *inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Nec non & Domini dictum; *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, & ego in medio eorum.* Quapropter, Papa beatiſſime, veſtra ſit elaboratio, vt pertinacia, quæ plerumque inter fratres ſerpit, veſtro libramine radicitus euellatur. Nam noſtri erit ſtudii ſolatia oportuna præbere. De cetero prece qua valeo ſupplico, vt quotiens ad exorandam Domini clementiam defixa mente adſiſtitis, noſtri memoriam ſacris precibus interſeratis. Hæc nimirum facientes, vicem nobis in præſentiarum rependitis. Qui quamuis non, ſicut oportet, oramus, orandi tamen inſtantiam non omittimus. Memento mei, Papa beatiſſime, & cultoris tui merita orationibus foue.

[Margin: Ierem 7. Matth. 18. 20.]

LIX.

Domno ſemper ſuo Cæſario Epiſcopo, Deſiderius peccator.

DEſiderabilia nobis gaudia eueniunt, quotiens ſe aditus præbet, ex quo puſillitatis noſtræ literas Almitati veſtræ poſſumus dirigere. Ideoq; prælata occurſionis obſequia, fraterna charitate monemus, vt cauſas vnde mutua fuit confabulatio, id eſt, de id quod ad profectum animæ pertinere noſcuntur, toto conatu, omniq; adniſu elaboretis adſequere: ſicut è contra illa, quę euidenter ſaluti animæ obſunt, tota virtute ſtudeatis fugere. Et quia *caritas omnia ſuffert*, ſicut nos videtis de veſtra ſalute ſollicitudinē gerere, ita vos quoq; de noſtra exiguitate dignamini ſollicitare; ne (quod abſit) culpa quælibet nobis latens, vicinis propaletur, & nobis quandoq; in obiectionem ponatur. Præterea credo, quod nec vobis lateat, qualem egeſtatem de aqua, quā fons præbeat in hac Cadurcina ciuitate, habemus. Sed voluntas nobis ineſt, ſi poſſe permittit, vt per tubos ligneos ſubterraneo officio ad ipſam ciuitatem aquam ducere debeamus. Proinde quia nouimus, quod peritos ex hoc artifices haberes, precamur, vt compendium de ipſos faciatis, & vnde iubetis nos pleniſſime † reſeruimus. Agat Apoſtolica dignatio veſtra taliter tam de prælata monitione, quam & de vltima ſuggeſtione, ſicut nos in omnibus efficaciter de parte veſtra confidimus. Incolumem Pontificatum veſtrum diuina pietas cuſtodiat.

[Margin: 1. Cor. 13. 7.]

[Margin: f. ſeruamus]

Deſide-

LX.

Desiderius Episcopus Aspasiæ Abbatissæ salutem.

Lacrimis tuis hactenus motus, hanc tibi historiam de Euangelio egregiæ illius fœminæ destinaui. Luc. 9. In ipsa quippe diuinam consolationem reperies, & timorem. consolationem quidem, quoniam qui de peccati onere resipiscet, hanc animam pia Domini benignitas non refutat; timorem ideo, quia anima, quæ accedit ad seruitutem Domini, continuò ad tentationes sustinendas se fortiter paret, dicente Salomone: *Fili accedens ad seruitutem Domini, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccles. 2. Gaudium quidem est in tuis lacrimis, & exultatio fit in cœlis, dum ipsa Luc. 15. 7. sponte damnas, quod male sponte contraxeras. Absit enim, ne sicut Eua seducta est per serpentem, ita tu ad rediuiuas † miserias cupias reuertere. † f. recidiuas. Ergo compatiatur anima tua dolori meo, vt ego possim vulnere sanato lætificari de bono tuo. Age pœnitentiam, quantum melius potes; & omni custodia serua cor tuum. Prou. 4. 23. Confido ego in Domino meo Iesu Christo, quia cito obliterabit omnem maculam tuæ confusionis bona confessio. Vigila assidue, & ora, vt nullatenus retrorsum respicias. Memento quid veritas dicat: *Nemo*, ait, *ponens manum in aratro, & respiciens retro, aptus est regno cælorum.* Luc. 9. 62. Respicere autem retro nihil est aliud, quam pœnitere quenquam, & abiicere quod cœperit bonum, & rursum mundialibus negotiis implicari. Recordare etiam vxoris Loth, quod vtique Dominus specie hactenus per Euangelium pœnitentibus Gen. 19. fuisse noscitur protestatus. Ergo in hac historia continetur & magnus pœnitentiæ fructus, & impletum in cœlis gaudium coram Angelis sanctis. Cum illa, quæ fuerat Luc. 9. ante peccatrix, meruit suis lacrimis promereri spem salutis. Oro ergo, & per Dominum Iesum Christum te obtestor, vt non des amplius Diabolo locum; sed in ieiuniis, & obsecrationibus, & vigiliis te instanter impendas: & quantum sentis te hominum destitutum præsidio, tantum tibi diuinum adesse flagites adiumentum. Iterum ac sæpius moneo, vt hæc à te Historia frequentius relegatur. Et in tantum pro te insta, vt etiam pro me apud Dominum te credam posse aliquid obtinere.

LXI.

Domno semper suo Felici Præsuli, Desiderius peccator.

Ante dies aliquot quidam frater litteras vestras nobis exhibuit, plenas doloris & mæstitiæ. Quarum tetra superficies nihil serenum, nihil iucundum, vel ad charitatem pertinens innuebat; siquidem à summis ad ima vsque molestiæ exitiales querimoniæ ibi inerant: Et forsitan mea negligentia, non mea culpa ita confectæ. Non enim reor me hactenus adeo fuisse vestra offensa pulsatum, vt huiusmodi iurgia pontificalia viscera replerent. Et licet vestræ aures viperea infusione subpletæ serpentis erumperent sibilum, nostra tamen præcordia præcepta Christi meditabantur in arcanum. Et quamuis serpentina astutia iurgiorum propinaret venena; ego tamen vt de vestra essem caritate depulsus, magis mœrendo dolebam. Proinde precor propensius, si in me remansit actio culpæ, vestra pia Almitas intercedat, vt sententiæ aduersæ prorsus aduertar. Sin autem ficta me ambiunt accusatione vexare, contuendum censeo, & à vestra censura opto fore cauendum; vt aures vestras viperina venena, ac velut Sirenarum cantu letalis sibilus non infundat. Ego me vestrum non (vt opinor) iniusto iudicio subdo: vos propensa ratione tractate, vt indemnem nequaquã damnare † dicere iubeatis: † f. damnatũ, quapropter salute humillima precor, effusa, vt quia dudum, me quamlibet minorem iudicio, tamen parem esse duxistis; non nos separet virosa & pertinax audacia suadentum, quos pia hactenus & salutifera caritas nectere iussit. Ego itaque ac si supra vires fari queat, iussioni non obsisto; dummodo à vestræ dignationis gratia non auellar. Quod minus vtilis styli exarauit impressio, affatu latoris præsentium est ore commissum. Ipsum diligenter auscultate; & tunc vere cognoscetis, quantum vobis honoris reseruet. Date igitur veniam, date gratiam, date piam

affatus copiam; vt qui pro Christi exemplum ante vestra vestigia caput humile subdet, nō conculcandū, sed potius eleuandum vestra bona pietate se putet. Certe multo melius est cum humilibus in conspectu Dei exaltari, quam cum superbis humiliari.

LXII.

Dominis sanctis, & cum summa veneratione memorandis, domnis Episcopis & Abbatibus, nec non & sublimibus atque magnificis viris, Comitibus, Tribunis, Defensoribus, Centenis, & hominibus publica vel Ecclesiastica agentibus, Desiderius seruus seruorum Dei, vrbis Cadurcæ Episcopus.

QVæsumus domni, vt pro nobis orare dignemini, & harum portitorem Vntedium Presbyterum, vna cum puero itineris sui comite, commendatum recipiatis. Quia non, vt multi † giroaci, circumuentiones prætendit, sed pro rationabili peregrinatione Hispaniarum oras petit. Agite itaque vt à nullo inquietetur, neque patiatur iniuriam. Sed magis vestro aditu in antea proficiscatur securus. Propitii recenseatis Domini semper nobis.

† *gyrouagi. i. circumforanei.*

LXIII.

Domno semper proprio, atque Apostolica sede colendo, Domno Desiderio Cadurcæ vrbis Pontifici, Sulpitius Bitoricæ vrbis Episcopus.

EXcitauit animum paruitatis meæ eximia dulcedo Magnitudinis tuæ, vt Pontificalem sacerdotii vestri laudem insignem, vel ex parte tenuem præsumam disserere sermonem. Sed vniuersa subito virtus defecit in verbis, quem exsuperauit tantæ materia dictionis: vt rudimenta tantorum anagnosticorum † studia animo librante pensaram, ipsius magnitudinis mole victus succubui. Vnde meo saltem voto satisfeci, etsi vestro implere suffragio non valui. Libens tamen, qui aliud nihil, Dominationi vestræ prodesse appareo. sed vos semper pietate consueta tanti habetis, inquisitionē nos velle frequenter visitare. Vnde inprimis incolumitatem vestram inquirentes, quod optamus potius motu corporis, quam linguæ mutuo sermone complere, dum regionum longinquitas non discrepat aspectum, nisi tantum modo fraudat interiectionis spatium, & ipsum tamen dilectio cernit intuitum, cum figurat animus recordatum. Ergo nihil perdet absentiam, quod præsentaliter laborabit præsentiam. Semper in diligendis apicibus Beatitudo vestra soluit officium, vt plus debeat reddendum agminis famulatum, quam meritis consideret debitorem. Auctorem cœli præsumimus postulare, vt vestram iubeat prætendere vitam cursibus annorum longæuam dignetur tempore longo, cuius nunc locuples seruatur nomine mundus. Et diu firmantur nutantia culmina rerum, vel dilapsa magis solidata resurgunt. Istud manu propria fecit à tuis temporibus. vestræ gratiæ seruire merear, mihi peculiaris domine.

† *vtitur ea voce & Gregorius M. 7 Regist. c. 126*

LXIV.

Domino Inlustri, & à nobis summa dilectione colendo, atque cum omni reuerentia nominando, domino Desiderio Thesaurario, Bertegyselus Abba.

LIcet libenter ac fraquenter nostros missos pro suscitanda incolumitate gloriosi Domini Dagoberti Regis debeamus dirigere, his tamen diebus specialiter direximus famulum vestrum Dulcidium Diaconum ad vestram solertiam, vt per vestram

veſtram inſtantiam,& de ſoſpitate Domno debeat ſollicitare,& de veſtra nos incolumitate poſſit certificare; ſicq; de ambas partes (vt cupimus) votiua nobis gaudia valeat denuntiare. Et licet placitum cum Philippo patricio illuc ante ipſo domno habemus, pro eo,quod miniſteriales noſtros poſt ſe retinere videtur; vnde petimus, vt præſens frater per veſtro conſilio,& efficaciſſimo adiutorio vos per omnia tuentes & inſinuantes, ipſa cauſa valeat effectum producere. De pueris etiam,quos ad opera dominica † per veſtra ordinatione direximus,ſi aliquid faciunt,quod Domno ſit placitum, veſtra inſinuatione diſcamus. Annis multis Diuina potentia veſtram ad ornatum vel conſolationem multorum conſeruare dignetur,domine ſemper meus peculiaris patrone.

Operas heriles, palatinas, aulicas, Frohne.

LXV.

Domino ſancto,& Apoſtolica ſede digniſſimo domno & Patri, Deſiderio Papæ, Autulfus peccator.

VNde nobis iuſſiſtis,& nos Sanctitati veſtrę innotuimus,clericum veſtrum nomine Dructulfo per amicum nos de Spania recepimus, ipſum nunc præſente miſſo vobis direximus. culpas precamur,vt excuſatæ ſint, & ipſe de cætero emendatus reſideat. Domni pietas ſi iſta nobis concedit,grandem nobis fiduciam de ſua gratia facit. De cætero quod præſens miſſus vobis ſuggerit pro conditiones noſtras Domnus obtemperare dignetur,& ad effectum perducat,vt melius nobis delectet, quouſq; audiuimus,veſtro ſemper ſeruitio inhærere. Salutare quidem non audeo, ſed deprecor Sanctitatem veſtram,vt pro me humilimum veſtrum in ſacris orationibus veſtris memores eſſe dignemini.

LXVI.

Domno ſemper nobis proprio, & poſt Deum peculiari patrono, Deſiderio Papæ, Conſtantius & Dado Epiſcopi.

SEcundum quod per literas veſtras inſinuaſtis, & iuxta quod filius veſter domnus Godenus mandauerat credimus,† quod heſterno ad illo Monaſterio veniſſet. ſed dum† dabo odie apud Cariatone &Maurino comitem videre minime poſſumus,Flauianus autem denunciauit,vt quinta feria apud ipſum iungamur. Et quia læſionem nobis inferre cupit, epiſtolam Sanctitatis veſtræ ad ipſum depoſcimus, vt dum noſtra fiducia tutamur,veſtra autoritate in omni parte muniamur. Prælata prius debita ſalutationis obſequia; rogamus impenſe vt pro noſtra paruitate exorare dignetis; noſque ſemper in ſinu gratiæ veſtræ confouendos retineatis. Annis multis vobis ſeruire mereamur, Beatiſſime Papa.

locus corruptus.

LXVII.

Domino ſancto & Apoſtolica ſede colendo, Fratri, Vero Rutenæ vrbis Epiſcopo, Sulpitius peccator.

IN quantum vobis vir Apoſtolicus dominus Deſiderius Cadurcæ vrbis Epiſcopus per litteras ſuas innotuit, graui iniuria homines ſui à Perricio † Diacono veſtro in parrocia ſua Aronnaco pertulerunt. Et audiuimus, quod Aprilis † Kl. vobiſcum exinde placitum debeat habere. Propterea ſalutantes Charitati veſtræ rogamus, vt taliter aduerſus domno Deſiderio ordinetis emendari, ſi cognoſcitis, quod ſuperius † ſcripſit Diaconus exinde negligens eſt, qualiter veſtra eſt prudentia, & ſi hoc fortaſſe ipſe dicat, obaudire diſtulerit, & taliter ſi non emendatur, qualiter domno Deſi-

m. f. Diaconus. f. Kal. April. Locus omnino corruptus.

derio voluntas est, non aliter fiat, nisi in placito, quod vobis supra scriptus Pontifex denuntiauerit memorato Diacono † vestro per fideiussores vna cum indiculo vestro ante paruitatem nostram faciatis dirigere. Interim nos exemplar epistulæ apud nos retenemus. Petimus vestræ dulcissimæ Sanctitati, vt in sanctis orationibus vestris nos memores esse dignetis.

i. Diacono. neque alia est aut illius Latinitas.

LXVIII.

Domno semper suo atq; Apostolico Patri, Desiderio Papæ, Elegius seruus seruorum Dei.

QVotiens aditum scribendi gratiæ vestræ reperimus, totiens nobis cumulus gaudii videtur adcrescere. Quapropter cum salutationis officio illud propensius præ cunctis conditionibus deposco, vt quotienscunq; inter mundanas sollicitudines mens ad statum quietis præualet attingere, memoriam paruitatis nostæ sacris precibus vestris subiungere non omittatis. Quod nequaquam credo, vt nostri obliuio vllatenus apud vos cadat; vt nec vestra apud nos vnquam senescere nouit. Sed non incongrue arbitraui rediuiua commonitione eadem ingerere: cum nimirum constet, quod nulla in præsenti sæculo causa ita mentem stimulet, quemadmodum vitæ perpetuæ, & beata iustorum patria, desiderii immensitate viscera mentemque sollicitat. Quamobrem vt vnde quisque attentius cogitat, inde frequentius & loqui studeat. Proinde mi vnanimes pia viscera Desiderii, memento semper Elegii tui, cum preces Domino fundes. Et quamuis nos terrarũ interpositio longe ab alterutrum separet, nec queat nos subinde corporalis coniunctio sociare; in Christo semper simul versemur. Et ita viuere elaboremus, vt non post longum spatium anima simul & corpore sociemur, sociatique in æternum viuamus. Quod exoratus fideliter ac frequenter præstabit, credo, nobis clementissimus Dominus noster Iesus Christus, cui gloria in æterna sæcula. Amen. Saluto te supra modum sincerissimo affectu, salutat & Dado fidelis vtrorumque sodalis.

LXIX.

*Domno semper suo, atq; Apostolico Præsuli Desiderio Episcopo, * Rauracius peccator.*

f. Ruricius.

CVm humilimo salutationis officio, commendo Apostolatui vestro seruulos vestros Nummolum † Presbyterum, & Garimundum, quos ad vrbem vestram, & ad hospitiolum vestrum Gregionaco, siue Abbates descriptionem mancipiorum inquirendo direximus. Supplicamus, vt commendatos ipsos recipere dignetis: & vbi ipsis necessitas extiterit, vestro auxilio in omnibus mereantur habere, vt quod Ecclesiæ vestræ Neruernensi ex ipso agro iustissime redhibetur, per eorum inquisitionem, vel vestro solatio perdere non debeamus. Simulque suggerimus, vt de ipsa Curtecella, † vel hominibus inibi consistentibus, sub vestra defensione tanquam propria familia dignetis habere receptos & commendatos; vt de iudicum infestatione, (sicut & immunitas nostra ex hoc continet) liceat eis viuere cum quiete. His obtentis precamur, vt redeuntibus famulis de vestræ felicitatis gaudio † literis nos iubeatis lætificari. Orate pro nobis, domine semper peculiaris atque Apostolice Papa.

f. Mummolum.

curticula. & ll. curtecella.

m f. gaudia.

LXX.

Sancto atque Apostolica sede dignißimo, honorum titulis præferendo domno, & in Christo Patri, Desiderio Papæ Sigebertus Rex.

CVlminis vestri paginam deferente venerabili viro Bettore Abbate, vna cum sanctis Eulogiis vestris me cũ summo gaudio cõperite suscepisse. De id vero scripsistis, vt;

ftis, vt quã profpere nos Diuina pietas degere pmittebat, vobis infinuare deberemus. Cognofcite, veftra intercedente oratione profpere hactenus (Chrifto præfule) cõfiftimus. Et gentes patriæ, nobis à Deo conceffæ, pacifico ordine nobis obediũt: gentes etiam barbaræ pacatiffime nobis cohabitant. De cõditiones vero veftras, vnde iniunxiftis, taliter (Chrifto adiuuante) ad effectũ produximus, vt veftra fuit iniunctio. Proinde cũ falutatione deuotiffima petimus, vt per nos Domini noftri Iefu Chrifti mifericordiam, vbi iugiter fedulas funditis preces, exorare dignetis, vt fua largiente clementia, & hic pacifice viuere, & ad æternam vitam nos iubeat peruenire.

LXXI.

Domno femper fufpiciendo, & cum omni honore venerabiliter nominando, domno Defiderio Papæ, Sulpitius peccator.

SIngularibus myfteriis paftorale conpetenter impleftis officiũ, eo quod ad noftram paruitatem follicitudinis deftinantes affectu, dum gaudium, quod nobis ipfius Refurrectionis Dominicæ folẽnitatis principale cõtulit, paftoralis vifitatio geminauit. in qua vtræq; partes & benedictio in oblationes, & affectio præfulfit in apices. Reddẽtes ergo munia fofpitatis, optamus, vt multiplicatis annorũ curriculis, veftris mereamur & Elogiis recipi, & affatibus benedici. Annis innumeris vobis feruiam, & profperis perfeuerantibus polle, Beatiffime Papa.

LXXII.

Domino reuerentißimo, palma triumphali decorato, ac Pontificali nomine adornato, præcellentißimo Ecclefiæ fpeculatori, Defiderio Papæ Paulus peccator.

MVlta fum alacritate repletus, quia adoptatũ, defiderabilemq; diem à Diuina miferatione promerui, mellifluis reciprocis veftris reperire. Quas recẽfitas immẽfas creatori noftro egi prærogatiuas, quod incolumem vos effe cognoui. De id vero quod ibi intimafti, vt de caufa inluftris matrisfamiliæ Bobilanç aliquid agere deberemus, qualiter exinde fecimus, præfentis latores officii vobis ore proprio edicere poffunt. Prætere multiplices dominationi veftræ agimus gratias, de Eulogiis fanctis, de Falerno nobili, vel vafculis decem, quæ nobis tanti habuiftis dirigere. Superexcreuit quidem, & fuperabundauit benedictio largitatis veftræ, adeo, vt dum nos vnam Falerni amphoram depofcimus, vos eminentia vafa, & (vt vfitatius dicam) tunnas † decem elegantiffimi Falerni tanti habuiftis dirigere. Nec folum fic inopiæ noftræ credidiftis fufficere, fed etiam in multis adhuc excellentioribus donariis magnificentiam erga nos veftram ftuduiftis augmentare, dilatare, fupplere, ac fuperexcedere. Vnde pius Dominus vobis retributor & hic & in æternum exiftat. Nos enim non fufficimus tantas Almitati veftræ referre nec pecunias, nec gratias. Proinde in illum, qui fufficiẽs eft, fupra quam petimus aut intelligimus, largiri, in ipfum caufam remunerationis veftræ committimus. Nos quoque in fanctis, ac Deo placitis orationibus veftris commendamus, noftrã animam in fuffragio veftrarum precum committimus. Nos fane, vt valemus, indefinenter pro † vos orationi infiftimus, vt vos vndique gratiarum muneribus circumfeptum, ad coronam gloriæ iubeat perducere; & nos per veftram interceffionem ad fpem falutis, & portum quietis dignetur admittere, veftrique fequipedam permittat exiftere. Annis multis vobis, peculiaris domine, mereamur feruire.

† *i. dolia, Gall. tonneaux. Germ. Tonnen.*

† *pour vous. Gall.*

LXXIII.

Domno femper fuo, Defiderio Papæ, Paulus peccator.

APices fanctæ Dominationis veftræ redeũtibus fratrib. Frodoleno & Ruccone de Mettis accepim⁹: vbi nobis p fingula pietas cõfueta inftruere dignauit. Vnde õni-

potenti Domino gratias agimus, quod vos iuxta nostrum desiderium incolumem cognouimus. De Regis conditione innotescimus, nuper per Viredunum Remos pergit, ibiq; natiuitatem Domini expectat. Inde autem Leuduno accedit, & inde in Masao, ac post ripa Reno pergit. Cognoscatis Chainoaldum episcopum ictuatum etiam fati munus implesse. Ceterum vt ad vestra beneficia mẽtis oculos reflectam, nec si lingua clamet ferrea, (vt quidam Poeta ait) aut centena sonent spiramina, nullatenus potest quis tanta narrare Dei magnalia, quantũ eius in viscera vestra diffunditur gratia. Nos præcipue nec factis possumus repensare, nec verbo explicare, quanta ergo me dignatis impendere. Dominum tamen indesinenter oramus, ipse vobis pro nostra paruitate æternus retributor existat, & cælestia bona in perpetua beatitudine concedat. Oratio me vestra subleuet, Beate & venerabilis Papa.

LXXIII.

Domno semper proprio, Desiderio Apostolico Papæ, Abbo peccator.

Litteras gratię vestrę tam per anteriores missos, qui cum filio vestro Chedeno venerunt, quã & qui postea, cum Babone accepi; per quas præcepistis, vt de vestris conditionibus, iuxta q. Deus posse dabat, sollicitudinem gererem. Deo soli sufficit, non latere, quia cum integra fide & promtissima voluntate id adsecutus sum, & ordinationes dominicas inde firmatas sunt, vt de res illas, quas Leua tenebat præsentaliter, Bobila reuestita esse debeat. Nam p vestra gratia non nobis sine labore constauit. Tamen dũ scimus, q. iustitia est, credimus de Dei pietate, q. sic pro vestro prudentissimo consilio causa gubernetur, vt ad bonum perfectum perueniat. De villa autem Rotouollo (sicut scitis) dominus Dagobertus Rex ipsam pro amplius, quam quingentos solidos in luminaria ad Basilicas Metenses delegauit. Quia scitis, quod pater Bobilane Agylenus hoc fratri nostro Vero episcopo vendidit; & postea seruus tam ipsa portione, quam & illa alia, quæ meorum consortes tenebant, ipse Seuerus redemit, & domino Dagoberto vna cum alia sua facultate deligauit. Vos vero taliter cum domna Babila agite, vt exemplaria, quæ pro filio vestro germano meo Gedeno direxi, firmare debeat. Vos enim & in palatio Regis, vbi innutriti fuistis, bene cogniti estis. Quia melius est aliquid cum eo compartire, quam solus nihil habere. Annis multis de vestra gratia congaudere, Domne semper meus.

LXXV.

Domno clementissimo, palmata triumphatione decorato, Pontificali officio coronato, domno semper meo Desiderio Papæ, Christique speculatori, Chanulfus vester.

INprimis q. nobis præcipuum & maximum est, salutare quidẽ non præsumo, deposco, vt nos Domne in sanctis orationib. vestris Domino Deo cõmẽdare dignemini. Deinde supplico Almitati vestræ, vt Dominus noster iubeat, vbi vestrum mereamur impendere occursum. Et quia hoc deuotio nostra desiderat, idemq; ordinate, vbi vestram debeamus videre præsentiam. Orate pro nobis, Domine & semper desiderabilis pater.

LXXVI.

Domno semper nobis proprio, Apostolico Patri Desiderio Papæ, Constantius peccator.

COgnoscite, Domne, nos orationib. vestris incolumes de palatio remeasse, & Regẽ modo Magantiæ esse. Et pro quo litteras præcipue misimus, precamur obnixe, & tanquam pedibus vestris aduoluti quæsumus, vt si euenit, q. natiuitatem Domini in territorio Alugense celebrare deliberetis, sic vos merear in Apostolatu videre, vt in ciuitatula vestra Albige ipsa solennitate in Dei nomen celebrare debeatis. Non me spernere domne, non me despicere, non me renuere, quo minus in tanta solemnitate non

per te inlustretur, decoretur, ornetur Ecclesia; & ex tuo sancto ore benedictionē populus accipere mereatur. Interim quęso denunciate nobis, quam celerius vltra Tarne accedere deliberatis; aut vbi possumus (quod sæpe desideramus) vestram videre præsentiam. Propterea enim de natiuitate Domini de antea vobis suggessi, vt alii me antecedere non possint. Quia multi te desiderant, sed nemo plus, quam ego. Pater iterum iterumq; suggero, & commemorare præsumo, vt non sic faciatis de ista natiuitate Domini, sicut pridem, quando satis in domum vos habere volui, sed peccatis meis obtinere non merui. Annis multis vobis seruire merear Domne Desideri semper suspiciende pater.

LXXVII.

Domno semper suo Desiderio Papæ, Verus peccator.

IVssorium vestrum accepimus, vna cum exemplari de litteris domni Sulpitii, vbi Domnus innotuit, quod istum placitum de ista Synodo frater vester domnus Sulpitius alio tempore visus est immutasse. Nos hoc gratiæ vestræ iam innotueramus per seruo vestro Becobeno Diacono, & postea per misso vestro. Sed quia Deo volente Domnus innotuit, quod mea suggestio continebat; nos gratulati sumus, quod de vestra felicitate votiua gaudia meruimus cognoscere. Interea reddimus profusum nostri famulatus officium, supplicantes, vt pro nobis Domini misericordiam exorare dignetis; & sæpius nos de vestra iubete felicitate consolare. Quia Deus nouit omnipotens, quod ea, quæ bona sunt, de vos semper audire & videre optamus. Annis multis vobis seruire merear, Apostolice Pater.

LXXVIII.

Domno sancto & Apostolico in Christo Patri Desiderio, Siggybertus Rex.

DVm fabula currente à pluribus & fidelib. nostris cognouimus, quasi vocati ab eodemq; Patre nostro Vulfoleudo episcopo Synodali cōsilio Kal. Septemb. in regno nostro: ignoramus in quo loco vna cū reliquos fratres & cōprouinciales vestros debeatis cōiungere. Licet nos statuta Canonū, & Ecclesiasticas regulas, sicut parētes nostri in Dei nomē conseruarunt, ita & nos cōseruare optamus, tamen dū ad nostram antea notitiā non fuit platum; sic nobiscū nostris proceribus cōuenit, vt sine nostra scientia Synodale consilium in Regno nostro non agatur; nec ad dictas Kal. Septembris, nulla coniunctio sacerdotū ex his qui ad nostrā ditionem ptinere noscuntur, nō fiatur. Postea vero oportuno tempore si nobis antea denuntiatur, vtrū pro statu Ecclesiastico, an ꝓ regni vtilitate, siue etiā pro qualibet rationabili conditione cōuentio esse decreuerit, nō abnuimus. Sic tamen (vt diximus) vt in nostri prius deferatur cognitionē. Proinde præsentia scripta Sanctitati vestræ destinare curauimus: per quæ petimus, vt ꝓ nos orare dignetis, & ad istam coniunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis. & vt certius credatis, hunc indiculum manu propria subter subscripsimus. Syggibertus Rex Sub.

LXXIX.

Domno suo Desiderio Episcopo, Palladius Episcopus.

PRo intuitu fidei, & vnitate sacerdotum, quam Ecclesiarum vbiq; diffusarum, spero ad pietatem vestrā, vt hospitiola, quæcunq; in Cadurco Ecclesia nostra videtur habere, † hoc est, Bagidone, Pastoriaco, Bassiaco, & Aleuernaco, vobis cum omnē rem, *l. haber. filii eius aui.* mācipiis, vel terris, aut quidquid ad iure nostro ptinet, saluo iure Ecclesię nostrę, vobis in omnib. cōmēdamus; ita vt ab hodierno die oēs de parte nostra, qui in supradicta vrbe cōmanent, sint vobis cōmendati: & quoscunq; de nostra præsentia hic dirigimus, vestra ordinatione (secundum quod decet) in omnibus potiantur. Similiter vbi Chromatia in re Ecclesię Bagidone commanet, quia frater suus Deotherius presbyter actorem Ecclesiæ Sanctonicæ egit, & nunc ipsa Cromatia, quæ ibidem per beneficii precariæ manere videtur, si eam cum omni re sua iubeas defensare; quomodo & Deum

mercedem habeas,& nos vobis gratias ſupplicationis agamus. Et per diem retributionis,& aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti adiurans rogo, vt ſicut de affectione ſanctæ animæ veſtræ confidimus,ſic integram dignetis adhibere ſollicitudinẽ, vt omnes iuris noſtri homines,qui in vrbe veſtra commanẽt,vna cum anteſata Cromatia, piam veſtri protectionem in omnib. mereantur promereri. Salutationum itaq; iura perſoluens,ſupplico,vt pro mea exiguitate orare dignemini. Et vt certius noſtra ſupplicatio habeat effectum,propria manu ſubter ſubſcripſi,Palladius peccator hunc mandatum meum Relegi & S.

LXXX.

Domino inluſtro, & à nobis peculiarius ſuſpiciendo, pio Dei cultore, domno Deſiderio Optimati, Verus peccator.

ACcedentem filium noſtrum Leodoaldum Diaconum, oportunum duximus, vt dominationem veſtræ caritatis inquirere deberem; cum ſciamus deuotionẽ ſanctæ animæ veſtræ bona ſemper de parte noſtra optare. Præſertim cum nos veſtro præ omnibus patrocinio potiamur. Propterea ſalutãtes Eminentiam veſtram,rogamus, vt ſicut dum patrocinia veſtra elegimus,& hactenus nos defenſio protectionis veſtræ inſigniter muniuit,ita nunc quoq; de conditionibus nepotum noſtrorũ, vnde pręfatum vobis ſuggerere rogamus, talem ſollicitudinem atq; inſtantiam adponatis; vnde ſicut nos vobis ſumus,ita ipſos quoq; adquiratis per omnia debitores. Reduce etiam anteſato,de veſtræ felicitatis Eminentia reſcripto reddito noſtram ſollicitudinem dignamini releuare. Dominus noſter Ieſus Chriſtus cuſtodiat corpus & animam veſtram in diem examinis ſui, Amen.

LXXXI.

Domno ſemper ſuo, & Apoſtolico Patri Deſiderio Papæ Gallus peccator.

DVm talis nũtius de clade à Maſſilia venit, quod omnem pæne prouinciam depopulans vaſtet, Domnus ordinet cuſtodias mittere,& nullus de Cadurcino ad iſtas ferias in Rutenico,vel vicinas vrbes nõ præſumat exire.ne (quod abſit) per quamlibet occaſionem tantum malum in vrbem veſtram videatur inferre.nam per iſta contigua illis partibus loca cuſtodię poſitæ ſunt,vt nullus emendi aut vendendi aditum penitus habeat;ſi non ſollicite cogitabitis præuidere,periculum mortis inſtat.Præterea debita veneratione ſalutem mittens,quæſo,vt in ſanctis precibus veſtris paruitatem noſtram memorare dignemini, Domne, verius Pater.

LXXXII.

Domno ſemper præferendo, & cum omni veneratione nominando, beatiſſimo Patri Deſiderio Papæ, Felix peccator.

PRauorum adulantium concione percepta, ante hoc ferme biennium,reor miſiſſe epiſtulam,quę Sereniſſimã mentem veſtram ac ſiquidem turbo pertranſiens,nube obtexit,&licet non eo ſenſu fuerit edita,quo Domnus cenſuit interpretandum,me tamen pœnitet incaute,&minus inculto ſenſu vel impolito ſermone ſtilum exaraſſe, vnde offenſam ſanctæ animæ veſtræ potueram incurrere; niſi veſtra bonitas cauſam admodiaſſet.Pœnitet(inquam)me,& ter quaterq; pœnitẽs,his exceſſibus veniam poſco. Poſtulo autem indulgentiam,quam tuis beneficiis,non meis meritis adipiſci confido, Quam mihi gratiam ita nunc pręſtare dignabitis,vt nunquam me deinceps à ſinu gratiæ veſtræ,vel à clementiſſimo pietatis amplexu excludere, vel reiicere dignetis. Inter hæc debita ſalutationis obſequia perſoluens,illud peculiarius à Sanctitate veſtra peroro, vt omnibus maculis exploſis in ſacroſanctis precibus veſtris noſtri memoriam admiſcere dignemini,Domne, verius & ſemper ſuſcipiende Papa. Expliciunt.

FINIS.

IN



IN CHRISTI NOMINE INCIPIT PRÆFATIO GREGORII TORONICI EPISCOPI FELICITER.

DEcedente atque imo potius pereunte ab vrbibus Gallicanis liberalium cultura literarum, cum nonnullæ res gererentur vel recte vel improbe, ac feritas gentium desæuiret, Regum furor acueretur, Ecclesiæ impugnarentur ab Hæreticis, à Catholicis tegerentur, ferueret Christi fides in plurimis, tepesceret in nonnullis; ipsæ quoque Ecclesiæ vel ditarentur à deuotis, vel nudarentur à perfidis: nec reperiri posset quisquam peritus Dialectica in arte Grammaticus, qui hæc aut stilo prosaico, aut metrico depingeret versu: ingemiscebant sæpius plerique dicentes; *Væ diebus nostris, quia periit studium literarum à nobis, nec reperitur in populis, qui gesta præsentia promulgare possit in paginis.* Ista etenim atque his similia iugiter intuens dici, pro commemoratione præteritorum, vt noticiam attingerent venientium, etsi inculto affatu, nequiui tamen obtegere vel certamina flagitiosorum, vel vitam recte viuentium: & præsertim inlicitus stimulis quod à nostris fari plerumque miratus sum, Quia *philosophantem Rhetorem intelligunt pauci, loquentem rusticum multi.* Libuit etiam animo, vt pro supputatione annorum ab ipso Mundi principio libri primi poneretur initium. Cuius capitula deorsum subieci.

Explicit præfatio Gregorii.

contemplatione integra mercede ſtudeatis habere, ſollertiſſimo libramine cauſam trutinate;& qua iuſtitiam perſpicitis ponderare, illuc ſententiam declinate. Nec ſolũ de hac re, ſed omni tempore, de omni conditione ſententiam Regis iuſtitia præcedat & veritas. Iudicium quoq; miſericordia comitetur, propter illud Apoſtoli: Iudicium ſine miſericordia erit ei, qui non fecerit miſericordiam. *Iacob. 2.13.* Age ergo præcellentiſſime Princeps, mi domine Dagoberte, age taliter, vt dum ſingularem inter homines regni apicem obtines, ad æterni regni ſingularem gloriam ſine confuſione attingere poſſis. Me quoque non ſuperfluum iudicetis pro pia commotione, ſed amantem mẽte ames pro ſalubri exhortatione. Explicit.

LII.

Domino Inluſtri, totius aulæ, immoq; regni Rectori, Grimoaldo Maiori Domus, Deſiderius exiguus ſeruus Dei.

PAgellari officio ſuggero, vt harum portitorem apicum commendatum digneris recipere, & quæq; ore proprio ſuggeſſerit effectui iubeatis mancipare. Et quia cupio me veſtris animis eo ordine commendare, quo parentum veſtrorum affectu ſum vnico deuinctus, precor vt illam gratiam genitoris veſtri, erga me tenere dignetis, quę me vobis faciat placabilem, & veſtram mihi præſtet ſemper optabilem. De condiciunculis etiam Eccleſiæ noſtræ, & pauperum ſuorum ſingulari mercede ſtudete habere, caſque per omnia habete commendatas. Nos quoq; in ſinu gratiæ veſtræ, non vt mereamur, ſed vt optamus atq; confidimus, paterno confouete affectu. Et ſi de hoc, quod ſuggeſſimus, ſperata conceditis, ſimul & de veſtra ac Domini Regis, vel fratrum veſtrorum incolumitate, aut quicquid nos ſcire recte cenſetis, quod in illa regione agitur, reſcripti nos ſerie dignamini certificare. Incolumem vitam veſtram ſuperna pietas tueatur.

LIII.

Domino ſemper ſuo Medoaldo Papæ, Deſiderius peccator.

SI gratiarum iura beneficiis veſtris recompenſare voluero, non ſapiam. pro illa ſcilicet ſupereminentia bona, quæ anno præſenti erga nos largitas veſtra deſeminare ſtuduit. Pro impenſas videlicet ſuperfluentes, pro itinerantium multimodas neceſſitates. Nec ſolum famulantium oportuna ſubſidia non pauca miſiſtis, ſed etiam noſmet & expenſis, & muneribus ampliaſtis. Impleſti, Beate pater, largitatis officium, ſuſtinuiſti peregrinationem noſtram, compaſſus es laboribus noſtris, & longe à ſolo patrio poſitos, ita paterno affectu fouiſtis, vt nec regionis vbertatem, nec parentum dulcedinem ex inopia deſiderarem. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in cuius amore id impendiſti, tibi pro noſtra extremitate retributor exiſtat. Nũc igitur famulatus mei iura perſoluens ſupplico, vt quẽ tunc beneficiis cõſolaſtis, nunc orationibus beneficio iuues. Latorem præterea præſentis officii, filium communem, Claudium Abbatem recipite per omnia commendatum; & munuſcula, quæ ex nobis intulerit, grato animo habetote. Cum ſe de mundo oportunitas contulerit, de veſtra, & Domini Regis, vel fratrũ ac filiorum veſtrorum, mereamur incolumitate reſcripti ſerie conſolari.

LIV.

Domno Inluſtri, & à nobis peculiarius ſuſcipiendo domino, & in Chriſto Filio, Chodulfo Deſiderius peccator.

Rom. 5.20. IN ſancti Apoſtoli Pauli dictis ſcriptum habetur: Quod *vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia.* Iam quantum me hactenus de gratia veſtra dolui contriſtatum, ſuperabundare me de veſtra gratulor charitate. Non enim itineris illius, quo ætate ſum grauata confectus, iam quadam doloris memoria ducor; cum recolo, quanta erga me

dulcedo

dulcedo vestra est pia voluntate diffusa. Vnde gratulatione maxima præsentem paginam ad Dominationem vestram destinaui, per quam salute vberi fusa, precor Dominum, vt magis magisque suam in vobis tribuat largitatem pietatis, ac bonis faciat successibus abundare. Et quia scriptum legimus: *Generatio rectorum benedicetur.* Tu vir Excellentissime benedictiones paternas semper memoriæ viuacitate conserua, & si qua sunt, vel quod monuit, vel quod egit, quasi ante oculos præsentaneo retine memoratu. Multa enim sunt de eius gestis tuis auribus recolenda, quæ si gestis adiicias vitæ huius, & intenta meditatione conserues: ille orationibus donabit vtique nunc fauorem, quo probabiliter probe polleas, & istinc cursu feliciter auspicato, paternis muneratus præmiis adiungaris. Interea, quanquam necessarium esse non ducam, latorem præsentis officii multa deuotione commendo, & vbi quod aut iste dixerit, aut aditum cognoscitis oportunum, conditiones patroni vestri beati Stephani, cuius administrationem gerere videor, habete receptas, & per omnia commendatas, vt ipsi domini rerum, quibus vice nostri Redemptoris seruire videmur, ipsi vobis impendia æterna compensent, ac supplementum suæ tribuant largitatis. *Psal. 111.*

L V.

Domno semper suo Abboni Papæ, Desiderius peccator.

DVm lator præsentium apicum, ad obseruando illo Monasterio iussus accedit, & quia necesse est vestro eum patrocinio commendemus; igitur famulatus mei officia persoluens supplico, vt eum sicut famulum, gratia pietatis vestræ recipiat commendatũ, & de condiciunculis domni Stephani, vndecunque fuerint exortas, adhibete sollicitudinem. Sicut me de vestra gratia confidere (vt credo) nullatenus ignoratis. Non enim à me docendus es, quid in nostris supplimentis, & Ecclesiæ, cui seruimus, vel pauperum eius oportunitatibus præstes, quid vigilando prospicias, quidue experientiæ actionis tribuas. Nosti omnia, omniaque non ambiges, quibus laboribus vrgemur, quibusque fatigamur ærumnis, hoc solum cupimus te velle. Nam posse daturus est ille, sub cuius nomine nos præsidio, & fauore teneri gaudemus. Rogamus ergo, vt istum famulum harum † optarem frequenter, si possibilitas arrideret sacris vestris interesse colloquiis, vt sicut nos sub seculi habitu in contubernio serenissimi Flothari Principis mutuis solebamus reuelare † tabellis, ita iam nunc illa ad plenum deposita vanitate, dulcia liceret Christi ruminare præcepta. Sed quia sicut mens anhelat, effectus sequi non præualet; hoc sufficiat dicere, quod fauore vestræ charitatis non mediocriter sum recreatus. Proinde gratissima effusa salutatione, peroro, vt quem tunc & affatibus bonis, & benigna charitate consolastis, semper in memoriam vestri interni intimum teneatis. Latorem præterea præsentis officii, qua valeo insinuatione, vobis commendo, & precor, vt in omnes cõditiones, quas exerit, benignum iubeatis præbere fauorem. & per ipsum, vel quandocunque aditus extiterit, de vestra felicitate mereamur certificari. Vale vir Dei, & memento mei.

videtur hic aliquid deesse. *releuare. quod alibi, consolari.*

L V I.

Sancto ac præferendo Apostolico patri, Dadoni Papæ, Desiderius seruus seruorum Dei.

DVm plurima tempora elabuntur, quod præsentiam vestram videre nequimus, nunc immensa se gratulatio menti obiecit, dum aliquatenus vel post diutina interualla sese opportunitas præbuit, qua vel pagellari officio me vestris conspectibus præsentarem. Igitur debito obsequio humiliter exhibito, illud peculiarius peroro, vt quem quondam in ipso flore primæuæ iuuentutis vnico mihi amore præbuisti, semper concedere digneris illum meum Dadonem. Maneat pristina inter nos atque illum tuum, imo nostrum Eligium inconuulsa charitas, indisiuncta, vt fuit quondam, fraternitas. mutuis nos iuuemus precibus, vt quemadmodum in aula terreni Principis socii fuimus; ita in illo superni Regis cœlesti palatio simul viuere mereamur.

Et licet de nostro collegio duos iam amiserim germanos, habemus pro his venerabilem Paulum, nec minus prædicabilem meritis Sulpitium. Quisquis igitur nostrum quantum plus præualet, tanto amplius profectuum gradus conscendere elaboret. Ad hæc autem prædico plus me vestris orationibus, quam meis viribus attingere posse confido. Tantum est, vt indesinenter vos orare dignetis; & pietas Domini nostri Iesu Christi (credo) præstabit, quod rogatis. Vale vir Dei, & memento mei.

LVII.

Domno semper suo Paulo Episcopo, Desiderius peccator.

IAm credo ad aures tuas perlatum, qualiter Monasterium construere cœperim, & Basilicam iam (mihi Domino cooperante) consummatam habeam. Proinde rogo, atque inuito Apostolicam dignationem vestram, vt ibidem ad Dedicationem interesse dignemini. Et cum nos ibidem in Dei nomine viderimus, aliquantis simul diebus commorantes, de illa perenni ac desiderabili vita, de qua mutuo suspirare solebamus, familiaria colloquia desidero, vt habeamus. Alios etenim plures Episcopos interesse faciemus, qui nos vel exemplo iuuent, vel hortatu roborent: quorum nos conturbernio non mediocriter opinor adiuuari. Veni igitur carissime, quantum longius, tantum velocius: vt post diutinam corporis absentationem tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit credo Dominus de se concionantibus, adstabit orantibus. nec nos deseret vnquam qui passus est pro nobis, de sede veniens paterna. Orantem te pro nobis, potentia domini nostri Iesu Christi conseruare dignetur.

LVIII.

Sancto Patriarchæ Sulpitio, Desiderius seruus seruorum Dei.

COndecet primæ sedis Antistitem, vt sollers circa eum consacerdotum exhibeatur sollicitudo; vt dum vicissim iura charitatis glutinantur, facilius Deitatis consortio interesse mereantur. Iuxta illud, quod sacratissimo eximii vatis ore pollicitus; *Ego*, inquit, *inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Nec non & Domini dictum; *Vbi sunt duo vel tres congretati in nomine meo, & ego in medio eorum.* Quapropter, Papa beatissime, vestra sit elaboratio, vt pertinacia, quæ plerumque inter fratres serpit, vestro libramine radicitus euellatur. Nam nostri erit studii solatia oportuna præbere. De cetero prece qua valeo supplico, vt quotiens ad exorandam Domini clementiam defixa mente adsistitis, nostri memoriam sacris precibus interseratis. Hæc nimirum facientes, vicem nobis in præsentiarum rependitis. Qui quamuis non, sicut oportet, oramus, orandi tamen instantiam non omittimus. Memento mei, Papa beatissime, & cultoris tui merita orationibus foue.

Ierem 7. Matth. 18. 20.

LIX.

Domno semper suo Cæsario Episcopo, Desiderius peccator.

DEsiderabilia nobis gaudia eueniunt, quotiens se aditus præbet, ex quo pusillitatis nostræ literas Almitati vestræ possumus dirigere. Ideoq; prælata occursionis obsequia, fraterna charitate monemus, vt causas vnde mutua fuit confabulatio, id est, de id quod ad profectum animæ pertinere noscuntur, toto conatu, omniq; adnisu elaboretis adsequere: sicut è contra illa, quę euidenter saluti animæ obsunt, tota virtute studeatis fugere. Et quia *caritas omnia suffert*, sicut nos videtis de vestra salute sollicitudinē gerere, ita vos quoq; de nostra exiguitate dignamini sollicitare; ne (quod absit) culpa quælibet nobis latens, vicinis propaletur, & nobis quandoq; in obiectionem ponatur. Præterea credo, quod nec vobis lateat, qualem egestatem de aqua, quā fons præbeat in hac Cadurcina ciuitate, habemus. Sed voluntas nobis inest, si posse permittit, vt per tubos ligneos subterraneo officio ad ipsam ciuitatem aquam ducere debeamus. Proinde quia nouimus, quod peritos ex hoc artifices haberes, precamur, vt compendium de ipsos faciatis, & vnde iubetis nos plenissime † re seruimus. Agat Apostolica dignatio vestra taliter tam de prælata monitione, quam & de vltima suggestione, sicut nos in omnibus efficaciter de parte vestra confidimus. Incolumem Pontificatum vestrum diuina pietas custodiat.

1. Cor. 13. 7.

† f. seruiamus.

Deside-

LX.

Desiderius Episcopus Aspasiæ Abbatissæ salutem.

LAcrimis tuis hactenus motus, hanc tibi historiam de Euangelio egregiæ illius fœminæ destinaui. [Luc. 9.] In ipsa quippe diuinam consolationem reperies, & timorem. consolationem quidem, quoniam qui de peccati onere resipiscet, hanc animam pia Domini benignitas non refutat; timorem ideo, quia anima, quæ accedit ad seruitutem Domini, continuo ad tentationes sustinendas se fortiter paret, dicente Salomone: *Fili accedens ad seruitutem Domini, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* [Ecclesi. 2.] Gaudium quidem est in tuis lacrimis, & exultatio fit in cœlis, dum ipsa [Luc. 15.7.] sponte damnas, quod male sponte contraxeras. Absit enim, ne sicut Eua seducta est per serpentem, ita tu ad rediuiuas † miserias cupias reuertere. [f. recidiuas.] Ergo compatiatur anima tua dolori meo, vt ego possim vulnere sanato lætificari de bono tuo. Age pœnitentiam, quantum melius potes; & omni custodia serua cor tuum. [Prou. 4.23.] Confido ego in Domino meo Iesu Christo, quia cito obliterabit omnem maculam tuæ confusionis bona confessio. Vigila assidue, & ora, vt nullatenus retrorsum respicias. Memento quid veritas dicat: *Nemo*, ait, *ponens manum in aratro, & respiciens retro, aptus est regno cœlorum.* [Luc. 9.62.] Respicere autem retro nihil est aliud, quam pœnitere quenquam, & abiicere quod cœperit bonum, & rursum mundialibus negotiis implicari. Recordare etiam vxoris Loth, quod vtique Dominus specie hactenus per Euangelium pœnitentibus [Gen. 19.] fuisse noscitur protestatus. Ergo in hac historia continetur & magnus pœnitentiæ fructus, & impletum in cœlis gaudium coram Angelis sanctis. Cum illa, quæ fuerat [Luc. 9.] ante peccatrix, meruit suis lacrimis promereri spem salutis. Oro ergo, & per Dominum Iesum Christum te obtestor, vt non des amplius Diabolo locum; sed in ieiuniis, & obsecrationibus, & vigiliis te instanter impendas: & quantum sentis te hominum destitutum præsidio, tantum tibi diuinum adesse flagites adiumentum. Iterum ac sæpius moneo, vt hæc à te Historia frequentius relegatur. Et in tantum pro te insta, vt etiam pro me apud Dominum te credam posse aliquid obtinere.

LXI.

Domno semper suo Felici Præsuli, Desiderius peccator.

ANte dies aliquot quidam frater litteras vestras nobis exhibuit, plenas doloris & mæstitiæ. Quarum tetra superficies nihil serenum, nihil iucundum, vel ad charitatem pertinens innuebat; siquidem à summis ad ima vsque molestiæ exitiales querimoniæ ibi inerant. Et forsitan mea negligentia, non mea culpa ita confectæ. Non enim reor me hactenus adeo fuisse vestra offensa pulsatum, vt huiusmodi iurgia pontificalia viscera replerent. Et licet vestræ aures viperea infusione subpletæ serpentis erumperent sibilum, nostra tamen præcordia præcepta Christi meditabantur in arcanum. Et quamuis serpentina astutia iurgiorum propinaret venena; ego tamen vt de vestra essem caritate depulsus, magis mœrendo dolebam. Proinde precor propensius, si in me remansit actio culpæ, vestra pia Almitas intercedat, vt sententiæ aduersæ prorsus aduertat. Sin autem sueta me ambiunt accusatione vexare, contuendum censeo, & à vestra censura opto fore cauendum; vt aures vestras viperina venena, ac velut Sirenarum cantu letalis sibilus non infundat. Ego me vestrum non (vt opinor) iniusto iudicio subdo: vos propensa ratione tractate, vt indemnem nequaquã damnare † dicere iubeatis: quapropter salute humillima precor, effusa, vt quia dudum, [f. damnatũ.] me quamlibet minorem iudicio, tamen parem esse duxistis; non nos separet virosa & pertinax audacia suadentum, quos pia hactenus & salutifera caritas nectere iussit. Ego itaque ac si supra vires fari queat, iussioni non obsisto; dummodo à vestræ dignationis gratia non auellar. Quod minus vtilis styli exarauit impressio, affatu latoris præsentium est ore commissum. Ipsum diligenter auscultate; & tunc vere cognoscetis, quantum vobis honoris reseruet. Date igitur veniam, date gratiam, date piam

affatus copiam; vt qui pro Christi exemplum ante vestra vestigia caput humile subdet, nō conculcandū, sed potius eleuandum vestra bona pietate se putet. Certe multo melius est cum humilibus in conspectu Dei exaltari, quam cum superbis humiliari.

LXII.

Dominis sanctis, & cum summa veneratione memorandis, domnis Episcopis & Abbatibus, nec non & sublimibus atque magnificis viris, Comitibus, Tribunis, Defensoribus, Centenis, & hominibus publica vel Ecclesiastica agentibus, Desiderius seruus seruorum Dei, vrbis Cadurcæ Episcopus.

QVæsumus domni, vt pro nobis orare dignemini, & harum portitorem Vnedium Presbyterum, vna cum puero itineris sui comite, commendatum recipiatis. Quia non, vt multi † giroaci, circumuentiones prætendit, sed pro rationabili peregrinatione Hispaniarum oras petit. Agite itaque vt à nullo inquietetur, neque patiatur iniuriam. Sed magis vestro aditu in antea proficiscatur securus. Propitii recenseatis Domini semper nobis.

† gyrouagi. i. circumforanei.

LXIII.

Domno semper proprio, atque Apostolica sede colendo, Domno Desiderio Cadurcæ vrbis Pontifici, Sulpitius Bituricæ vrbis Episcopus.

EXcitauit animum paruitatis meæ eximia dulcedo Magnitudinis tuæ, vt Pontificalem sacerdotii vestri laudem insignem, vel ex parte tenuem præsumam disserere sermonem. Sed vniuersa subito virtus defecit in verbis, quem exsuperauit tantæ materia dictionis: vt rudimenta tantorum anagnosticorum † studia animo librante pensaram, ipsius magnitudinis mole victus succubui. Vnde meo saltem voto satisfeci, etsi vestro implere suffragio non valui. Libens tamen, qui aliud nihil, Dominationi vestræ prodesse appareo. sed vos semper pietate consueta tanti habetis, inquisitionē nos velle frequenter visitare. Vnde inprimis incolumitatem vestram inquirentes, quod optamus potius motu corporis, quam linguæ mutuo sermone complere, dum regionum longinquitas non discrepat aspectum, nisi tantum modo fraudat interiectionis spatium, & ipsum tamen dilectio cernit intuitum, cum figurat animus recordatum. Ergo nihil perdet absentiam, quod præsentaliter laborabit præsentiam. Semper in diligendis apicibus Beatitudo vestra soluit officium, vt plus debeat reddendum agminis famulatum, quam meritis consideret debitorem. Auctorem cœli præsumimus postulare, vt vestram iubeat prætendere vitam cursibus annorum longæuam dignetur tempore longo, cuius nunc locuples seruatur nomine mundus. Et diu firmantur nutantia culmina rerum, vel dilapsa magis solidata resurgunt. Istud manu propria fecit à tuis temporibus. vestræ gratiæ seruire merear, mihi peculiaris domine.

† vtitur ea voce & Gregorius M. 7. Regist. c. 126

LXIV.

Domino Inlustri, & à nobis summa dilectione colendo, atque cum omni reuerentia nominando, domino Desiderio Thesaurario, Bertegyselus Abba.

LIcet libenter ac fraquenter nostros missos pro suscitanda incolumitate gloriosi Domini Dagoberti Regis debeamus dirigere, his tamen diebus specialiter direximus famulum vestrum Dulcidium Diaconum ad vestram solertiam, vt per

vestram

vestram instantiam, & de sospitate Domno debeat sollicitare, & de vestra nos incolumitate possit certificare; sicq; de ambas partes (vt cupimus) votiua nobis gaudia valeat denuntiare. Et licet placitum cum Philippo patricio illuc ante ipso domno habemus, pro eo, quod ministeriales nostros post se retinere videtur; vnde petimus, vt præsens frater per vestro consilio, & efficacissimo adiutorio vos per omnia tuentes & insinuantes, ipsa causa valeat effectum producere. De pueris etiam, quos ad opera dominica † per vestra ordinatione direximus, si aliquid faciunt, quod Domno sit placitum, vestra insinuatione discamus. Annis multis Diuina potentia vestram ad ornatum vel consolationem multorum conseruare dignetur, domine semper meus peculiaris patrone.

Operas heriles, palatinas, aulicas, Frohne.

LXV.

Domino sancto, & Apostolica sede dignißimo domno & Patri, Desiderio Papa, Autulfus peccator.

VNde nobis iussistis, & nos Sanctitati vestrę innotuimus, clericum vestrum nomine Dructulfo per amicum nos de Spania recepimus, ipsum nunc præsente misso vobis direximus, culpas precamur, vt excusatæ sint, & ipse de cætero emendatus resideat. Domni pietas si ista nobis concedit, grandem nobis fiduciam de sua gratia facit. De cætero quod præsens missus vobis suggerit pro conditiones nostras Dominus obtemperare dignetur, & ad effectum perducat, vt melius nobis delectet, quousq; audiuimus, vestro semper seruitio inhærere. Salutare quidem non audeo, sed deprecor Sanctitatem vestram, vt pro me humilimum vestrum in sacris orationibus vestris memores esse dignemini.

LXVI.

Domno semper nobis proprio, & post Deum peculiari patrono, Desiderio Papa, Constantius & Dado Episcopi.

SEcundum quod per literas vestras insinuastis, & iuxta quod filius vester domnus Godenus mandauerat credimus, † quod hesterno ad illo Monasterio venisset. sed dum † dabo odie apud Cariatone & Maurino comitem videre minime possumus, Flauianus autem denunciauit, vt quinta feria apud ipsum iungamur. Et quia læsionem nobis inferre cupit, epistolam Sanctitatis vestræ ad ipsum deposcimus, vt dum nostra fiducia tutamur, vestra autoritate in omni parte muniamur. Prælata prius debita salutationis obsequia; rogamus impense vt pro nostra paruitate exorare dignetis; nosque semper in sinu gratiæ vestræ confouendos retineatis. Annis multis vobis seruire mereamur, Beatissime Papa.

locus corruptus.

LXVII.

Domino sancto & Apostolica sede colendo, Fratri, Vero Rutena vrbis Episcopo, Sulpitius peccator.

IN quantum vobis vir Apostolicus dominus Desiderius Cadurcæ vrbis Episcopus per litteras suas innotuit, graui iniuria homines sui à Perricio † Diacono vestro in parrocia sua Aronnaco pertulerunt. Et audiuimus, quod Aprilis † Kl. vobiscum exinde placitum debeat habere. Propterea salutantes Charitati vestræ rogamus, vt taliter aduersus domno Desiderio ordinetis emendari, si cognoscitis, quod superius † scripsit Diaconus exinde negligens est, qualiter vestra est prudentia, & si hoc fortasse ipse dicat, obaudire distulerit, & taliter si non emendatur, qualiter domno Desi-

m. s. Diaconus.
f. Kal. April.
Locus omnino corruptus.

derio voluntas est, non aliter fiat, nisi in placito, quod vobis supra scriptus Pontifex denuntiauerit memorato Diacono † vestro per fideiussores vna cum indiculo vestro ante paruitatem nostram faciatis dirigere. Interim nos exemplar epistulæ apud nos retenemus. Petimus vestræ dulcissimæ Sanctitati, vt in sanctis orationibus vestris nos memores esse dignetis.

† i. Diaconū. neque alia est aut illius Latinitas.

LXVIII.

Domno semper suo atq; Apostolico Patri, Desiderio Papæ, Elegius seruus seruorum Dei.

QVotiens aditum scribendi gratiæ vestræ reperimus, totiens nobis cumulus gaudii videtur adcrescere. Quapropter cum salutationis officio illud propensius præ cunctis conditionibus depoico, vt quotienscunq; inter mundanas sollicitudines mens ad statum quietis præualet attingere, memoriam paruitatis nostæ sacris precibus vestris subiungere non omittatis. Quod nequaquam credo, vt nostri obliuio vllatenus apud vos cadat; vt nec vestra apud nos vnquam senescere nouit. Sed non incongrue arbitraui rediuiua commonitione eadem ingerere: cum nimirum constet, quod nulla in præsenti sæculo causa ita mentem stimulet, quemadmodum vitæ perpetuæ, & beata iustorum patria, desiderii immensitate viscera mentemque sollicitat. Quamobrem vt vnde quisque attentius cogitat, inde frequentius & loqui studeat. Proinde mi vnanimes pia viscera Desiderii, memento semper Elegii tui, cum preces Domino fundes. Et quamuis nos terrarū interpositio longe ab alterutrum separet, nec queat nos subinde corporalis coniunctio sociare; in Christo semper simul versemur. Et ita viuere elaboremus, vt non post longum spatium anima simul & corpore sociemur, sociatique in æternum viuamus. Quod exoratus fideliter ac frequenter præstabit, credo, nobis clementissimus Dominus noster Iesus Christus, cui gloria in æterna sæcula. Amen. Saluto te supra modum sincerissimo affectu, salutat & Dado fidelis vtrorumque sodalis.

LXIX.

*Domno semper suo, atq; Apostolico Præsuli Desiderio Episcopo, * Rauracius peccator.*

** f. Ruricius.*

CVm humilimo salutationis officio, commendo Apostolatui vestro seruulos vestros Nummolum † Presbyterum, & Garimundum, quos ad vrbem vestram, & ad hospitiolum vestrum Gregionaco, siue Abbates descriptionem mancipiorum inquirendo direximus. Supplicamus, vt commendatos ipsos recipere dignetis: & vbi ipsis necessitas extiterit, vestro auxilio in omnibus mereantur habere, vt quod Ecclesiæ vestræ Neruernensi ex ipso agro iustissime redhibetur, per eorum inquisitionem, vel vestro solatio perdere non debeamus. Simulque suggerimus, vt de ipsa Curtecella, † vel hominibus inibi consistentibus, sub vestra defensione tanquam propria familia dignetis habere receptos & commendatos; vt de iudicum infestatione, (sicut & immunitas nostra ex hoc continet) liceat eis viuere cum quiete. His obtentis precamur, vt redeuntibus famulis de vestræ felicitatis gaudio † literis nos iubeatis lætificari. Orate pro nobis, domine semper peculiaris atque Apostolice Papa.

† f. Mummolum.
† curticula. & ll. courcelle.
† in f. gaudia.

LXX.

Sancto atque Apostolica sede dignißimo, honorum titulis præferendo domno, & in Christo Patri, Desiderio Papæ Sigebertus Rex.

CVlminis vestri paginam deferente venerabili viro Bettore Abbate, vna cum sanctis Eulogiis vestris me cū summo gaudio cōperite suscepisse. De id vero scripsistis, vt;

ftis, vt quã prospere nos Diuina pietas degere pmittebat, vobis insinuare deberemus. Cognoscite, vestra intercedente oratione prospere hactenus (Christo præsule) cõsistimus. Et gentes patriæ, nobis à Deo concessæ, pacifico ordine nobis obediũt: gentes etiam barbaræ pacatissime nobis cohabitant. De cõditiones vero vestras, vnde iniunxistis, taliter (Christo adiuuante) ad effectũ produximus, vt vestra fuit iniunctio. Proinde cũ salutatione deuotissima petimus, vt per nos Domini nostri Iesu Christi misericordiam, vbi iugiter sedulas funditis preces, exorare dignetis, vt sua largiente clementia, & hic pacifice viuere, & ad æternam vitam nos iubeat peruenire.

LXXI.

Domno semper suspiciendo, & cum omni honore venerabiliter nominando, domno Desiderio Papæ, Sulpitius peccator.

SIngularibus mysteriis pastorale cõpetenter implestis officiũ, eo quod ad nostram paruitatem sollicitudinis destinantes affectu, dum gaudium, quod nobis ipsius Resurrectionis Dominicæ solẽnitatis principale cõtulit, pastoralis visitatio geminauit, in qua vtræq; partes & benedictio in oblationes, & affectio præfulsit in apices. Reddẽtes ergo munia sospitatis, optamus, vt multiplicatis annorũ curriculis, vestris mereamur & Elogiis recipi, & affatibus benedici. Annis innumeris vobis seruiam, & prosperis perseuerantibus pollere, Beatissime Papa.

LXXII.

Domino reuerentißimo, palma triumphali decorato, ac Pontificali nomine adornato, præcellentißimo Ecclesiæ speculatori, Desiderio Papæ Paulus peccator.

MVlta sum alacritate repletus, quia adoptatũ, desiderabilemq; diem à Diuina miseratione promerui, mellifluis reciprocis vestris reperire. Quas recẽsitas immẽsas creatori nostro egi prærogatiuas, quod incolumem vos esse cognoui. De id vero quod ibi intimasti, vt de causa inlustris matrisfamiliæ Bobilanę aliquid agere deberemus, qualiter exinde fecimus, præsentis latores officii vobis ore proprio edicere possunt. Præterea multiplices dominationi vestræ agimus gratias, de Eulogiis sanctis, de Falerno nobili, vel vasculis decem, quæ nobis tanti habuistis dirigere. Superexcreuit quidem, & superabundauit benedictio largitatis vestræ, adeo, vt dum nos vnam Falerni amphoram deposcimus, vos eminentia vasa, & (vt vsitatius dicam) tunnas † decem elegantissimi Falerni tanti habuistis dirigere. Nec solum sic inopiæ nostræ credidistis sufficere, sed etiam in multis adhuc excellentioribus donariis magnificentiam erga nos vestram studuistis augmentare, dilatare, supplere, ac superexcedere. Vnde pius Dominus vobis retributor & hic & in æternum existat. Nos enim non sufficimus tantas Almitati vestræ referre nec pecunias, nec gratias. Proinde in illum, qui sufficiẽs est, supra quam petimus aut intelligimus, largiri, in ipsum causam remunerationis vestræ committimus. Nos quoque in sanctis, ac Deo placitis orationibus vestris commendamus, nostrã animam in suffragio vestrarum precum committimus. Nos sane, vt valemus, indesinenter pro † vos orationi insistimus, vt vos vndique gratiarum muneribus circumseptum, ad coronam gloriæ iubeat perducere; & nos per vestram intercessionem ad spem salutis, & portum quietis dignetur admittere, vestrique sequipedam permittat existere. Annis multis vobis, peculiaris domine, mereamur seruire.

† *Gallis, Gall. tonneaux. Germ. Tonnen.*

† *pour vous, Gall.*

LXXIII.

Domno semper suo, Desiderio Papæ, Paulus peccator.

APices sanctæ Dominationis vestræ redeũtibus fratrib. Frodoleno & Ruccone de Mettis accepim⁹: vbi nobis p singula pietas cõsueta instruere dignauit. Vnde õni-

potenti Domino gratias agimus, quod vos iuxta nostrum desiderium incolumem cognouimus. De Regis conditione innotescimus, nuper per Viredunum Remos pergit, ibiq; natiuitatem Domini expectat. Inde autem Leuduno accedit, & inde in Masao, ac post ripa Reno pergit. Cognoscatis Chainoaldum episcopum ictuatum etiam fati munus implesse. Ceterum vt ad vestra beneficia mētis oculos reflectam, nec si lingua clamet ferrea, (vt quidam Poeta ait) aut centena sonent spiramina, nullatenus potest quis tanta narrare Dei magnalia, quantū eius in viscera vestra diffunditur gratia. Nos præcipue nec factis possumus repensare, nec verbo explicare, quanta ergo me dignatis impendere. Dominum tamen indesinenter oramus, ipse vobis pro nostra paruitate æternus retributor existat, & cælestia bona in perpetua beatitudine concedat. Oratio me vestra subleuet, Beate & venerabilis Papa.

LXXIII.

Domno semper proprio, Desiderio Apostolico Papa, Abbo peccator.

Litteras gratię vestrę tam per anteriores missos, qui cum filio vestro Chedeno venerunt, quā & qui postea, cum Babone accepi; per quas præcepistis, vt de vestris conditionibus, iuxta q, Deus posse dabat, sollicitudinem gererem. Deo soli sufficit, non latere, quia cum integra fide & promtissima voluntate id adsecutus sum, & ordinationes dominicas inde firmatas sunt, vt de res illas, quas Leua tenebat præsentaliter, Bobila reuestita esse debeat. Nam p vestra gratia non nobis sine labore constauit. Tamen dū scimus, q, iustitia est, credimus de Dei pietate, q, sic pro vestro prudentissimo consilio causa gubernetur, vt ad bonum perfectum perueniat. De villa autem Rotouollo (sicut scitis) dominus Dagobertus Rex ipsam pro amplius, quam quingentos solidos in luminaria ad Basilicas Metenses delegauit. Quia scitis, quod pater Bobilane Agylenus hoc fratri nostro Vero episcopo vendidit; & postea seruus tam ipsa portione, quam & illa alia, quæ meorum consortes tenebant, ipse Seuerus redemit, & domino Dagoberto vna cum alia sua facultate deligauit. Vos vero taliter cum domna Babila agite, vt exemplaria, quæ pro filio vestro germano meo Gedeno direxi, firmare debeat. Vos enim & in palatio Regis, vbi innutriti fuistis, bene cogniti estis. Quia melius est aliquid cum eo compartire, quam solus nihil habere. Annis multis de vestra gratia congaudere, Domne semper meus.

LXXV.

Domno clementissimo, palmata triumphatione decorato, Pontificali officio coronato, domno semper meo Desiderio Papa, Christique speculatori, Chanulfus vester.

INprimis q, nobis præcipuum & maximum est, salutare quidē non præsumo, deposco, vt nos Domne in sanctis orationib. vestris Domino Deo cōmēdare dignemini. Deinde supplico Almitati vestræ, vt Dominus noster iubeat, vbi vestrum mereamur impendere occursum. Et quia hoc deuotio nostra desiderat, idemq; ordinate, vbi vestram debeamus videre præsentiam. Orate pro nobis, Domine & semper desiderabilis pater.

LXXVI.

Domno semper nobis proprio, Apostolico Patri Desiderio Papa, Constantius peccator.

COgnoscite, Domne, nos orationib. vestris incolumes de palatio remeasse, & Regē modo Magantiæ esse. Et pro quo litteras præcipue misimus, precamur obnixe, & tanquam pedibus vestris aduoluti quæsumus, vt si euenit, q, natiuitatem Domini in territorio Alugense celebrare deliberetis, sic vos merear in Apostolatu videre, vt in ciuitatula vestra Albige ipsa solennitate in Dei nomen celebrare debeatis. Non me spernere domne, non me despicere, non me renuere, quo minus in tanta solemnitate non

per

per te inlustretur, decoretur, ornetur Ecclesia; & ex tuo sancto ore benedictionē populus accipere mereatur. Interim quęso denunciate nobis, quam celerius vltra Tarne accedere deliberatis; aut vbi possumus (quod sæpe desideramus) vestram videre præsentiam. Propterea enim de natiuitate Domini de antea vobis suggessi, vt alii me antecedere non possint. Quia multi te desiderant, sed nemo plus, quam ego. Pater iterum iterumq; suggero, & commemorare præsumo, vt non sic faciatis de ista natiuitate Domini, sicut pridem, quando satis in domum vos habere volui, sed peccatis meis obtinere non merui. Annis multis vobis seruire merear Domne Desideri semper suspiciende pater.

LXXVII.

Domno semper suo Desiderio Papæ, Verus peccator.

IVssorium vestrum accepimus, vna cum exemplari de litteris domni Sulpitii, vbi Domnus innotuit, quod istum placitum de ista Synodo frater vester domnus Sulpicius alio tempore visus est immutasse. Nos hoc gratiæ vestræ iam innotueramus per seruo vestro Becobeno Diacono, & postea per misso vestro. Sed quia Deo volente Domnus innotuit, quod mea suggestio continebat; nos gratulati sumus, quod de vestra felicitate votiua gaudia meruimus cognoscere. Interea reddimus profusum nostri famulatus officium, supplicantes, vt pro nobis Domini misericordiam exorare dignetis; & sæpius nos de vestra iubete felicitate consolare. Quia Deus nouit omnipotens, quod ea, quæ bona sunt, de vos semper audire & videre optamus. Annis multis vobis seruire merear, Apostolice Pater.

LXXVIII.

Domno sancto & Apostolico in Christo Patri Desiderio, Siggybertus Rex.

DVm fabula currente à pluribus & fidelib. nostris cognouimus, quasi vocati ab eodemq; Patre nostro Vulfoleudo episcopo Synodali cōsilio Kal. Septemb. in regno nostro: ignoramus in quo loco vna cū reliquos fratres & cōprouinciales vestros debeatis cōiungere. Licet nos statuta Canonū, & Ecclesiasticas regulas, sicut parētes nostri in Dei nomē conseruarunt, ita & nos cōseruare optamus, tamen dū ad nostram antea notitiā non fuit platum: sic nobiscū nostris proceribus cōuenit, vt sine nostra scientia Synodale consilium in Regno nostro non agatur; nec ad dictas Kal. Septembris, nulla coniunctio sacerdotū ex his qui ad nostrā ditionem ptinere noscuntur, nō fiatur. Postea vero oportuno tempore si nobis antea denuntiatur, verū pro statu Ecclesiastico, an ꝓ regni vtilitate, siue etiā pro qualibet rationabili conditione cōuentio esse decreuerit, nō abnuimus. Sic tamen (vt diximus) vt in nostri prius deferatur cognitionē. Proinde præsentia scripta Sanctitati vestræ destinare curauimus: per quæ petimus, vt ꝓ nos orare dignetis, & ad istam coniunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis. & vt certius credatis, hunc indiculum manu propria subter subscripsimus. Syggibertus Rex Sub.

LXXIX.

Domno suo Desiderio Episcopo, Palladius Episcopus.

PRo intuitu fidei, & vnitate sacerdotum, quam Ecclesiarum vbiq; diffusarum, spero ad pietatem vestrā, vt hospitiola, quæcunq; in Cadurco Ecclesia nostra videtur habere, † hoc est, Bagidone, Pastoriaco, Bassiaco, & Aleuernaco, vobis cum omnē rem, *i. habet, filio eius aut.* mācipiis, vel terris, aut quidquid ad iure nostro ptinet, saluo iure Ecclesię nostrę, vobis in omnib. cōmēdamus; ita vt ab hodierno die oēs de parte nostra, qui in supradicta vrbe cōmanent, sint vobis cōmendati: & quoscunq; de nostra præsentia hic dirigimus, vestra ordinatione (secundum quod decet) in omnibus potiantur. Similiter vbi Chromatia in re Ecclesię Bagidone commanet, quia frater suus Deotherius presbyter actorem Ecclesiæ Santonicæ egit, & nunc ipsa Cromatia, quæ ibidem per beneficii precariæ manere videtur, si eam cum omni re sua iubeas defensare; quomodo & Deum



IN CHRISTI NOMINE INCIPIT PRÆFATIO GREGORII TORONICI EPISCOPI FELICITER.

DEcedente atque imo potius pereunte ab vrbibus Gallicanis liberalium cultura literarum, cum nonnullæ res gererentur vel recte vel improbe, ac feritas gentium deſæuiret, Regum furor acueretur, Eccleſiæ impugnarentur ab Hæreticis, à Catholicis tegerentur, ferueret Chriſti fides in plurimis, tepeſceret in nonnullis; ipſæ quoque Eccleſiæ vel ditarentur à deuotis, vel nudarentur à perfidis: nec reperiri poſſet quiſquam peritus Dialectica in arte Grammaticus, qui hæc aut ſtilo proſaico, aut metrico depingeret verſu: ingemiſcebant ſæpius plerique dicentes; *Væ diebus noſtris, quia periit ſtudium literarum à nobis, nec reperitur in populis, qui geſta præſentia promulgare poſſit in paginis.* Iſta etenim atque his ſimilia iugiter intuens dici, pro commemoratione præteritorum, vt noticiam attingerent venientium, etſi inculto affatu, nequiui tamen obtegere vel certamina flagitioſorum, vel vitam recte viuentium: & præſertim inlicitus ſtimulis quod à noſtris fari plerumque miratus ſum, Quia *philoſophantem Rhetorem intelligunt pauci, loquentem ruſticum multi.* Libuit etiam animo, vt pro ſupputatione annorum ab ipſo Mundi principio libri primi poneretur initium. Cuius capitula deorſum ſubieci.

Explicit præfatio Gregorii.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI SEQVENTIS OPERIS.

LIBRI II. CAPITA.

LIBRI III. CAPITA.

LIBRI IV. CAPITA.

XXIX. De

LIBRI V. CAPITA.

LIBRI VI. CAPITA.

LIBRI VII. CAPITA.


LIBRI VIII.

LIBRI IX. CAPITA.

LIBRI X. CAPITA.

GREGORII TVRONENSIS EPISCOPI † HISTORIARVM LIBER PRIMVS.

MS. Pal. Georgii Florentii siue Gregorii Toronici episcopi.



SCRIPTVRVS bella Regum cum gentibus aduersis, Martyrum cum paganis, Ecclesiarum cum hæreticis, prius fidem meam proferre cupio, vt qui legerit, me non dubitet esse Catholicum. Illud etiam placuit; propter eos qui appropinquante mundi fine desperant, vt collecta per chronica vel per historias anteriorum annorũ summa, explanetur aperte, quot ab exordio mundi sint anni. Sed prius veniã a legentibus precor, si aut in literis, aut in syllabis Grãmaticam artem excessero: de qua adplene non sum imbutus. Illud tantum studens, vt quod in Ecclesia credi prædicatur, sine aliquo fuco aut cordis hæsitatione retineam: quia scio peccatis obnoxium, per credulitatem puram obtinere posse veniam apud nostrum pium Dominum.

Credo ergo in Deum Patrem omnipotentem. Credo in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum Deum nostrum, natum à Patre, non factum: non post tempora, sed ante cunctum tempus semper fuisse cum patre: nec enim Pater dici potuerat, nisi haberet filium: neq; filius esset, si patrem vtiq; non haberet. Illos vero qui dicunt, *Erat quando non erat*, exsecrabiliter renuo: & ab Ecclesia segregari contestor. Credo Christum hunc verbum esse patris, per quem facta sunt omnia. Hunc Verbum carnẽ factum credo: cuius passione Mundus redemptus est: & humanitatem, non Deitatem subiacuisse passioni credo. Credo eum die tertia resurrexisse: hominem perditum liberasse: ascendisse in cœlos: sedere ad dexteram patris: venturum ac iudicaturum viuos & mortuos. Credo Sanctum Spiritum à Patre & Filio processisse, non minorem, & quasi ante non esset; sed æqualẽ, & semper cũ Patre & Filio coæternum Deum, consubstantialem natura, æqualem omnipotentia, consempiternum essentia, vt nunquam sine patre fuisse vel filio, neq; minorem patre vel filio. Credo hanc Trinitatem sanctam in distinctione subsistere personarum, & aliam quidem personam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus Sancti. In qua trinitate vnam Deitatem, vnam potentiam, vnam essentiam esse confiteor. Credo beatam Mariam, vt virginem ante partum, ita virginem & post partum. Credo animam immortalem, nec tamen partem habere Deitatis. Et omnia quæ à trecentis decem & octo Episcopis Nicææ constituta sunt, credo fideliter. De fine vero mundi ea sentio quæ a prioribus didici. Antichristus vero primum circumcisionem inducet, se asserens Christum: deinde in templo Hierosolymis statuã suam collocabit adorandam, sicut Dominum dixisse legimus: *Videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto:* Sed diem illam omnibus hominibus ignorari, ipse Dominus manifestat dicens: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius, nisi Pater solus.* Sed & hîc respondebimus hæreticis, qui nos impugnant, asserentes minorem esse filium patre, qui hanc diem ignoret. Cognoscant ergo hunc filium, Christianum populum nuncupatum, de quo a Deo prædicitur: *ego ero illis in patrem, & ipsi erunt mihi in filios.* si enim hæc de vnigenito Filio prædixisset, nunquam ei Angelos præposuisset, sic enim ait; *Neque angeli cælorum, neque filius*, ostendens, non de vnigenito, sed de adoptiuo populo hæc dixisse. Noster vero finis, ipse Christus est, qui nobis vitam æternam, si ad eum conuersi fuerimus, larga benignitate præstabit.

De supputatione vero huius Mundi euidenter Chronicæ Eusebii Cæsariensis episcopi, ac Hieronymi presbyteri proloquuntur, & rationẽ de omnium annorum serie pandunt. Nam & Orosius diligentissime hęc inquirens, omnẽ numerum annorum ab initio mundi vsq; ad suum tempus in vnũ collegit. Hoc etiam & Victorius, cũ ordinẽ

Paſchalis ſolennitatis inquireret, fecit. Ergo & nos ſcriptorum ſupra memoratorum exempla ſequentes, cupimus à primi Hominis conditione (ſi Dominus dignabitur ſuum commodare auxilium) vſque ad noſtrum tempus cunctam annorum congeriem computare. Quod facilius adimplebimus, ſi ab ipſo Adam ſumamus exordium.

De creatione Adæ & Euæ, & de Adæ typo

CAP. I.

IN principio Dominus cœlum terramq; in Chriſto ſuo, qui eſt omnium principium, id eſt in filio ſuo formauit, qui poſt creata mundi elementa, glebam aſſumens fragillimam, hominem ad ſuam imaginem ſimilitudinemq; plaſmauit, & inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viuentem: cui dormienti ablata coſta, mulier Eua creata eſt. Nec dubiũ enim eſt quod hic primus homo Adam antequã peccaret, typum domini noſtri redemptoris prætuliſſet. ipſe enim in ſopore paſſionis obdormiens, de latere ſuo dum aquam cruoremq; produxit, virginem immaculatãq; Eccleſiam ſibi exhibuit, redemptam ſanguine, latice emundatam, non habentem maculam aut rugam, id eſt lymphis ablutam propter maculam: in cruce extẽſam propter rugam. Hi ergo primi homines in amœna Paradiſo beate viuentes, anguis aſtu illecti, diuina præcepta tranſiliunt. Eiectique ab angelica ſede, mundi laboribus deputantur.

Vt Cain occidit Abel fratrem ſuum

CAP. II.

COgnita autem à conſorte mulier concepit, peperitque duos filios. Sed dum Deus vnius ſacrificium dignanter ſuſcipit, alter inuidia inflammante tumeſcit, & in fratrem ſanguinis effuſionem nouus fratricida conſurgens, fratrem opprimit, vincit, interimit.

Enoch iuſtus, quomodo à Deo translatus eſt

CAP. III.

ET hinc cunctum genus in facinus execrabile ruit: præter Enoch iuſtum, qui ambulans in viis Dei, ab ipſo domino propter iuſtitiam aſſumptus, de medio peccantis populi liberatur. ſic enim legimus: *Ambulauit Enoch cum Deo, & non comparuit, quia abſtulit eum.*

De diluuio, de Noe, de archa, de ira Dei, & ſupputatione generationum

CAPVT IV.

DOminus ergo commotus contra iniquitates populi non in ſuis ſemitis gradientis, diluuium immiſit, cunctamq; animam viuentem de ſuperficie terræ diluuio inundante deleuit. Tantumque Noe fideliſſimum ac peculiarem ſibi, ſuiq; typi ſpeciem præferentem, cum ſua & trium natorum coniugibus, poſteritatis reparandæ gratia, in archa reſeruauit. Increpant nos hic Hæretici, *Cur ſcriptura ſacra Dominum dixiſſet iratũ.* Cognoſcant ergo, quia dominus noſter, non vt homo iraſcitur: commouetur enim vt terreat: pellit vt reuocet: iraſcitur, vt emendet. Sed nec hoc ambigo, quod ſpecies illa archæ typum matris geſſerit Eccleſiæ: ipſa enim inter fluctus & ſcopulos huius ſeculi tranſiens, nos ab imminentibus malis materno geſtamine fouens, pio amplexu ac protectione defendit. Ab Adam ergo vſq; ad Noe, generationes decẽ; id eſt Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Enoch, Matuſalam, Lamech, Noe. In his ergo decẽ ge-
1142. nerationibus, inueniuntur anni mille ducenti quadraginta duo. Adam vero in terra Enachim ſepultum, quæ prius Ebron vocabatur, liber Ieſu Nauæ euidenter explanat.

De gene-

De generatione Noe & filiorum eius: præcipue de Chus filio Cham magiæ & idololatriæ inceptore

CAP. V.

HABEBAT ergo Noe post diluuium, tres filios, Sem, Cham, & Iafeth. De Iafeth egressæ sunt gentes, similiter & de Cham, & de Sem. Et sicut ait vetus historia, ab his disseminatum est genus humanum sub vniuerso cœlo. Primogenitus vero Chã, Chus. Hic fuit totius artis Magicæ imbuente diabolo, & primus idololatriæ adinuentor. Hic primus statunculam adorandam diaboli instigatione constituit: qui & stellas, & ignẽ de cœlo cadere, falsa virtute hominib. ostendebat. Hic ad Persas transiit. Hunc Persæ vocitauere Zoroastrem, id est viuentem stellam. Ab hoc etiã ignem adorare consueti, ipsum diuinitus igne consumptum vt Deum colunt.

De Turre Babylonica & linguarum confusione

CAP. VI.

CVMQVE multiplicati homines dispergerentur per vniuersas terras, egressi ab oriente, Sennaar gramineum reperiunt campum. In quo ædificãtes ciuitatem, turrem quæ cœlos attingeret nituntur struere. Quorum vanam cogitationem simul & linguam, ipsosq; confutans Deus, per mundum late patentem in vniuersa terra dispersit: vocatumq; est nomen ciuitatis BABEL hoc est confusio, eo quod ibi confudisset Deus linguas eorum. Hæc est Babylonia à Nembroth gygante ædificata filio Chus. Et sicut Orosii narrat historia, mira campi planitie in quadrum disposita est. Murus eius ex coctili latere infuso bitumine, in latum habet cubitos quinquaginta, altitudinis cubitos ducentos, in circuitu stadia quadringẽta septuaginta. Vnum stadiũ habet aripennes quinq;. Vicenæ quinæ portæ per vnũquodq; latus sitæ sunt, quę faciunt centum. harum portarũ ostia miræ magnitudinis, ex ære fusili sunt formata. Multa & alia de hac ciuitate idem Historiographus narrat, addens, *Et cũ tanta fuisset honestas ædificii, attamen victa atque subuersa est.*

De ortu, natiuitate & interpretatione Abrahæ

CAP. VII.

PRIMVS autem filius Noe, Sem: de quo generatione decima, natus est Abrahã: id est, Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Falec, Ragau, Saruch, Thare, qui genuit Abraham. In his decem generationib. hoc est, à Noe vsq; ad Abrahã, inueniuntur anni 8 4 2. DCCCCXLII. Eo tempore regnabat Ninus, qui ædificauit ciuitatem quã Niniuem vocauit: cuius in tribus mansionibus spatium amplitudinis Ionas propheta determinat. Huius quadragesimotertio regni anno, natus est Abrahã. Hic est Abraham, initium fidei nostræ: hic accepit repromissiones: huic se Christus dominus noster nasciturum, ac pro nobis passurum, in victimæ commutatione monstrauit, ipso in Euãgelio sic dicente, *Abrahã exultauit vt videret diẽ meum: & vidit, & gauisus est.* Hoc vero holocaustum in mõte Caluariæ, quo dominus crucifixus est, oblatum fuisse, Seuerus narrat in Chronica, sicut & hodieq; in ipsa Hierosolymorũ vrbe celebre fertur. In hoc monte crux sancta in qua redemptor affixus est, stetit, de qua & beatus ille cruor effluxit. Hic ergo Abraham accepit signum circumcisionis, ostendens vt quod ille gessit in corpore, nos portemus in corde, dicente propheta: *Circuncidite vos deo vestro, & circuncidite præputium cordis vestri, & nolite sequi deos alienos.* Et iterum: *Omnis incircuncisus corde, non intret in sancta mea.* Hunc Abraham deus post adiectam nomini syllabam, patrem multarum gentium nuncupauit.

De Esau & filiis eius

CAP. VIII.

IS cum centum esset annorũ genuit Isaac. Porro Isaac sexagesimo ætatis anno, nati sunt filii gemini de Rebecca. Primus Esau, qui & Edõ, id est terrenus: qui propter gulam vendidit primogenita sua. Ipse est pater Idumæorum: de cuius generatione quarta, natus est Iobab. hoc est, Esau, Raguel, Zara, Iobab, qui & Iob. Is vixit annos

CCXLIX. octogesimo nono ãno ab infirmitate liberat⁹ est. post infirmitatẽ autẽ, CLXX. annis restituta in duplum omni facultate, cũ tot quot perdiderat filiis iocũdatus est.

De Iacob & filiis eius

CAP. IX.

SECVNDVS autem filius Isaac, Iacob, dilectus Dei, sicut ait per prophetam: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hic post angelicam luctã vocatus est Israel, à quo Israelitæ. Hic genuit duodecim patriarchas, quorum hæc sunt nomina: Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Isachar, Zabulon, Dan, Neptalim, Gad, & Aser. Post hos genuit Ioseph de Rachel, cum esset nonagesimo secundo ætatis suæ anno. Hunc cæteris filiis plus dilexit. Habuit ex ea & Beniamin vltimũ omnium. Ioseph autẽ, XVI. ætatis annũ habẽs, typũ præferens redẽptoris, vidit somnia quæ fratribus retulit: Quasi manipulos legens, quos suorũ fratrũ manipuli adorarẽt. Et iterũ, Quasi sol & luna cũ vndecim stellis prociderent ante eum. quæ res magnũ ei cum fratribus odium generauit. Vnde & inflãmati inuidia, triginta eum argẽteis Ismaelitis in Ægyptum transeuntibus vẽdiderunt. Imminente autẽ fame, cum descendissent hi in Ægyptũ, cogniti sunt à Ioseph, nec tamẽ ipsi Ioseph cognouerunt. Ipse tamẽ se his post multas fatigationes, & adducto Beniamin, declarauit. de Rachel enim matre sua natus & hic fuerat. Post hæc descẽdunt cuncti Israelitæ in Ægyptũ, & per Ioseph Pharaonis gratia vtuntur. Iacob autẽ post benedictos filios suos in Ægypto moritur, & in sepulchro patris sui Isaac sepelitur in terra Chanaan. Mortuo autẽ Ioseph atq; Pharaone, subiicitur cuncta generatio seruituti, quæ per Moysen post decẽ plagas Ægypti liberatur, demerso Pharaone in mari rubro.

De Nili natura & maris rubri transitu

CAP. X.

ET quoniã de hoc maris trãsitu plures multa dixerunt, visũ est, vt de situ loci illius vel ipsius trãsitu, aliqua huic inserã lectioni. Nilus per Ægyptũ, sicut optime nostis, decurrit, & ipse eã impetu suo inrigat: vnde & Ægyptii *Nilicolæ* appellãtur. Cuius nũc litora, multi locorũ perlustratores, referta sacris Monasteriis dicũt esse. Super ripã vero eius nõ Babylonia, de qua supra meminimus, sed Babylonia ciuitas collocatur: in qua Ioseph horrea miro opere de lapidib. quadris & cemẽto ædificauit: ita vt ad fundũ capaciora, ad summũ vero cõstricta sint, vt per paruulũ foramẽ ibidẽ triticũ iaceretur. Quæ horrea vsq; hodie cernuntur. De hac ciuitate rex ad persequendũ Hebræos, cũ exercitibus curruũ, ac multa pedestri manu directus est. Ante dictus vero fluuius ab oriẽte veniẽs, ad occidentalẽ plagã versus Rubrum mare vadit: ab occidente vero stagnũ siue brachiũ de mari Rubro progreditur, & vadit cõtra orientẽ, habens in lõgo milia circiter quinquaginta: in lato autẽ decẽ & octo. In huius stagni capite Clysma ciuitas ædificata est, nõ propter fertilitatẽ loci, cum nihil sit plus sterile: sed propter portũ, quia naues ab Indis venientes, ibidẽ ob portus oportunitatem quiescũt. Vbi cõparatæ merces, per totã Ægyptũ deportãtur. Ad hoc stagnũ per desertum Hebræi tendentes, vsq; ad ipsum mare venerunt, inuentisq; dulcib. aquis castrametati sunt. In hoc ergo arcto loco, tã ab eremo quã ab ipso mari, cõsederũt, sicut scriptũ est, *Audiens Pharao, quod cõclusisset eos mare atq; desertũ, nec esset eis via qua possent pergere, ad persequẽdũ eos direxit.* Cumq; imminentib. his Moysi populus adclamasset, secundũ iussum diuinitatis proiecta virga super mare diuisũ est, illisq; per sicca gradientibus, & vt scriptura ait: *Muro aquarũ vndiq; vallatis,* in litus illud quod est contra montẽ Syna inlæsi prorsus, demersis Ægyptiis, Moyse duce trãsgrediuntur: de quo transitu multa vt dixi narrantur, sed nos quod à sapiẽtibus & certe illis hominib. qui in eodẽ loco accesserant, verum cognouimus, ea inserere studuimus paginæ. Aiunt enim sulcos quos rotæ curruũ fecerant, vsq; hodie permanere: & quãtum acies oculorũ videre potest, in profundo cerni. Quos si modicũ cõmotio maris obtexerit, illo quiescẽte rursum diuinitus renouãtur vt fuerãt. Dicũt alii, quod ad ipsam ripam, tacto modico per mare circuitu, vnde ingressi fuerãt, sint reuersi. Alii vero adserunt, vnũ cunctis ingressum: nõnulli, vnicuiq; tribui suã patuisse viam, illud testimonium Psalterii adducẽtes: *Qui diuisit mare rubrũ in diuisiones,* quas nos diuisiones spiritaliter, & non

& non secundum literam intelligere oportet. Sunt enim & in hoc seculo, quod figuraliter mare dicitur, multæ diuisiones. non enim æqualiter possunt per vnam viam ad vitam cuncti transire. Alii autem transeunt in horam primã, id est qui renati per baptismum, immaculati ab omni inquinamento carnis perdurare vsq; ad vitæ præsentis exitũ possunt. Alii ad horam tertiã, videlicet qui maiori ætate conuertuntur. Alii ad sextã, qui luxuriæ feruorẽ coercent: & per has quasq; horas, sicut Euangelista commemorat, ad operã dominicæ vineæ, secundum fidem propriã conducuntur. Hæ sunt illæ diuisiones, quibus per hoc mare transitur. Illud vero quod ad mare vsq; venientes, litus regni tenentes reuertũtur, illud est quod dominus ad Moysen dixit: *Reuertantur castra metentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalu & mare contra Beelsefon.* Nec enim dubium est, quod transitus ille maris, vel columna nubis typũ gesserint nostri baptismi, dicente beato Paulo Apostolo: *Nolo vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moysen baptizati sunt in nube & in mari.* Columna vero ignis typũ sancti Spiritus prætulit. A natiuitate ergo Abrahæ vsq; ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, vel trãsitum maris Rubri, qui fuit Moysi octogesimus annus, supputantur anni numero CCCCLXI.

De filiis Israel in Eremo: & de ingressu eorum in terrã promissionis

CAP. XI.

PER quadraginta annos Israelitæ eremo vtuntur, imbuuntur legibus, probantur, alimentis pascuntur angelicis. Deinceps enim post acceptam legem, transgressoq; cum Iesu Naue Iordane, terram Repromissionis accipiunt.

De regibus Iudæorum

CAP. XII.

POST cuius transitũ, dum præcepta diuina postponunt, sæpe in alienigenarũ seruitio subiugantur. Sed dum conuersi ingemiscunt, tribuente Domino, per virorum fortiũ brachium liberantur. Post hæc per Samuelẽ, regẽ (sicut reliquæ gentes habẽt) à domino postulantes, accipiunt primum Saul, deinde Dauid. Ab Abraham ergo vsq; ad Dauid generationes XIV. id est, Abraham, Isaac, Iacob, Iudas, Phares, Esrom, Arã, Aminadab, Naason, Salmon, Obeth, Iesse, Dauid. Dauid autẽ genuit Salomonẽ de Bersabeæ. Is per Nathã prophetam, fratrem suum, & matrẽ in regno euectus est.

De Salomone & templi ædificatione

CAP. XIII.

DEFVNCTO autem Dauid cum regnare cœpisset Salomon, apparuit ei dominus, & quod peteret, vt indulgeat pollicetur. At ille terrenas diuitias postponens, sapientiam magis expetiit: quod ratum domino fuit, ita vt ab eodem audiret, *Quia non mortem inimicorum tuorum, nec diuitias cupisti, sed postulasti sapientiam, ideo accipies eam. ante te non fuit similis tui, & post te non erit.* Quod postea iudicium illud, quod inter duas mulieres de viuo infante litigantes, intulit, comprobauit. Hic Salomon ædificauit templum domino miro opere, multum ibi auri argentiq;, æris ac ferri ingerens, ita vt diceretur a quibusdam, *Nunquam simile in mundo fuisse ædificium fabricatum.* Ab egressu ergo filiorum Israel ex Ægypto vsq; ad ædificationem templi, qui fuit annus septimus regni Salomonis, inueniuntur anni CCCCLXXX. sicut Regũ testatur historia.

Quomodo regnum Israel sit diuisum propter duritiam Roboæ: & de captiuitate Babylonica: & de Prophetis illius temporis

CAP. XIV.

POST mortem autẽ Salomonis, diuisum est per duritiã Roboæ regnũ in duas partes. Remanserunt duæ tribus ad Roboã, quod *Iuda* appellabatur: ad Hieroboam autem, decem tribus, quod *Israel* vocabatur. Post hæc igitur ad idololatriam declinantes, nec prophetarum vaticinia, nec eorum interitus, nec cladis patriæ, nec ipsorum [illegible] excidio domuerunt.

Donec iratus contra eos dominus excitauit Nabuchodonosor, qui eos in Babyloniam cum omnibus templi ornamẽtis captiuos abduxit: in qua captiuitate & Da-

niel propheta eximius, inter esurientes leones illæsus, & tres pueri in medio ignium rorulenti, abiere captiui. In hac captiuitate & Ezechiel prophetauit, & Esdras propheta natus est. A Dauid autem vsq; ad desolationem tépli, & transmigrationé in Babyloniá, generationes quatuordecim: id est, Dauid, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Iosaphat, Ioram, Ozias, Ioathan, Achaz, Ezecias, Manasses, Amon, Iosias. In his ergo quatuordecim generationibus, anni inueniũtur numero cccxl. De hac vero captiuitate per Zorobabel liberantur: qui postea & téplum & ciuitatem restituit. Sed hęc captiuitas typum illius captiuitatis (vt puto) gerit, in qua anima peccatrix abducitur. Quã nisi Zorobabel, id est Christus, liberauerit, horribiliter exsulabit. Ipse enim dominus in Euangelio dicit: *Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* Ipse oro sibi in nobis templũ, in quo dignetur habitare, constituat, in quo fides, vt aurũ, luceat: in quo eloquiu prędicationis, vt argentũ splendeat: in quo omnia visibilis tépli illius ornamenta in nostrorum sensuũ honestate clarescant. Bonæ etiã voluntati nostræ ipse salubrem effectum indulgeat. Quia nisi ipse ædificauerit domum, in vanũ laborant qui ædificant eã. Hæc vero captiuitas annis lxx. fuisse dicitur.

De reditu Iudæorum è Babylone vsque ad Christi natiuitatem

CAP. XV.

Reversi auté per Zorobabel (sicut diximus) nunc cõtra Deũ murmurantes, nunc post idola corruentes, vel abominationes quæ gentes exercent imitãtes, dũ Dei prophetas contẽnunt gentib. traduntur, subiugantur, intercidunt: donec ipse Dominus patriarcharu prophetarumq; vocibus repromissus, virginis Mariæ vtero per spiritũ sanctũ illapsus, ad redemptioné nasci, tam illius gentis, quam omnium gentium dignaretur. A transmigratione ergo vsq; ad natiuitaté Christi, generationes quatuordecim: id est, Iechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoch, Achim, Eliud, Eleazar, Mathã, Iacob, Ioseph vir Mariæ, de qua dominus noster Iesus Christus nascitur: qui Ioseph, quartusdecimus computatur.

De reliquarum gentium regibus & regnis

CAP. XVI.

Ergo ne videamur vnius tantũ Hebrææ gentis habere notitiã, reliqua regna, quę, vel qualia Israelitarũ fuerint tépore, memoramus. Tépore Abrahæ Ninus regnabat super Assyrios: Sicyonios, Europs: apud Ægyptios autem sextadecima erat potestas, quã sua lingua *Dynastian* vocabant. Tempore Moysi, apud Argiuos regnabat septimus Tropas: in Attica Cecrops primus: apud Ægyptios, Cenchris duodecimus, qui & in mari obrutus est rubro: apud Assyrios, sextusdecimus Agatadis: apud Sicyonios Maratis, Tépore vero Salomonis, quando regnabat super Israel, apud Latinos Quintus regnabat Siluius: Lacedæmoniis, Fistus: Corinthiis, secũdus Oxion: Ægyptiorũ, Thebei. cẽtesimo vicesimo sexto anno super Assyrios, Europes. Atheniẽsib. secundus Agasastus. Tépore quo Amõ regnabat super Iudæã, quãdo captiuitas in Babyloniã abiit: Macedoniis præerat Argeus: Lydorũ, Gyges: Ægyptiorũ, Vafres: apud Babyloniã, Nabuchodonosor, qui eos captiuos abduxit: Romanorum, Sextus Seruius Tullus.

De Imperatoribus Romanis

CAP. XVII.

Post hos Imperatores. primus, Iulius Cæsar fuit, qui totius imperii obtinuit monarchiam: secundus, Octauianus, Iulii Cæsaris nepos, quem Augustum vocant. à quo & mensis *Augustus* est vocitatus. Cuius nonodecimo imperii anno, Lugdunum Galliarum vrbem conditam manifestissime reperimus. quæ postea illustrata Martyrum sanguine, *Nobilissima* nuncupatur.

Lvgdvnvm nobilissima.

De natiuitate saluatoris nostri

CAP. XVIII.

Anno quadragesimo tertio imperii Augusti, Dominus noster Iesus Christus (vt diximus) ex virgine Maria in Bethlee Dauid oppido, secundum carnem natus est. cuius immẽsum sidus Magi ab oriente cernentes, cum muneribus veniunt & puerum supplices oblatis donis adorant. Herodes vero ob zelũ regni sui, dũ Deum Christũ perse-

persequi nititur, paruulos infantes interimit. Ipse quoque postmodum iudicio diuino percussus est.

De Christi prædicatione, miraculis, & paßione.

CAP. XIX.

DOMINO autem Deo nostro Iesu Christo pœnitentiam prædicante, baptismi gratiam tribuente, vel cœleste regnum cunctis gentibus promittente, atq; prodigia & signa per populos operante: hoc est dū de aquis vina profert, dū febres extinguit, dū cæcis lumē tribuit, dum sepultis vitā restituit, dū obsessos ab immundis spiritibus liberat, dum leprosos miserabili turpētes cute reformat, ac dum alia signa multa faciens, manifestissime se Deum populis esse declarat: in Iudæis ira succenditur, inuidia excitatur, ac mens de sanguine prophetarū pasta, vt iustum interimat, iniuste molitur. Ergo vt veterum vatū cōplerentur oracula, à discipulo traditur, à pontificibus condemnatur, à Iudæis illuditur, cum iniquis crucifigitur, à militibus emis[illegible] custoditur. His igitur actis, tenebræ super vniuersum mundum factæ sunt, & multi conuersi ingemiscentes, Iesum filium Dei confessi sunt.

De Joseph ab Arimathia

CAP. XX.

ADPREHENSVS autem & Ioseph, qui eum aromatibus cōditum in suo monumēto recondidit, in cellulā includitur, & ab ipsis sacerdotum principibus custoditur, maiorē in eum habentes sæuitiā (vt gesta Pilati ad Tyberium imperatorē missa referunt) quā in ipsum Dominū, vt cum ille à militibus, hic ab ipsis sacerdotibus custodiretur. Sed resurgente Domino, custodibus visione angelica territis, cum nō inueniretur in tumulo, nocte parietes de cellula in qua Ioseph tenebatur, suspenduntur in sublimi; ipse vero de custodia, absoluente angelo, liberatur, parietibus restitutis in locum suum. Cumq; pontifices custodibus exprobrarēt, & sanctum corpus ab eisdē instanter requirerent, dicunt eis milites: *Reddite vos Ioseph, & nos reddimus Christum: sed vt verum agnoscimus, neque vos benefactorem Dei, neque nos filiū Dei reddere nunc valemus.* Tunc illis confusis, milites sub hac excusatione liberantur.

De Jacobi Apostoli voto

CAP. XXI.

FERTVR Iacobus Apostolus, cum dominum iā mortuum vidisset in cruce, detestatum esse atq; iurasse nunquam se comesturum panem, nisi dominum cerneret resurgentem. tertia demum die rediens dominus, spoliato Tartaro cum triūpho, Iacobo se ostendens ait: *Surge Iacobe, comede, quia iā à mortuis resurrexi.* Hic est Iacobus Iustus, quē fratrem domini nuncupant, pro eo quod Ioseph fuerit filius, ex alia vxore progenitus.

De resurrectione dominica

CAP. XXII.

DOMINICAM vero resurrectionē, die prima factā credim⁹, nō septima, sicut multi putant. Hic est dies resurrectionis domini nostri Iesu Christi, quē nos† proprie *Christiani, barbari & Pagani, diē Solis inf. lib. III c. 15.* *Dominicū* pro sancta eius resurrectione vocamus. Hic primus lucē vidit in principio, & hic primus dominum resurgentem contemplari meruit de sepulchro. A captiuitate vero Hierusolymæ & desolatione templi, vsq; ad passionem domini nostri Iesu Christi, id est vsq; Tiberii septimo decimo anno, supputantur anni DCLXVIII.

De ascensione domini: & de Pilati & Herodis punitione

CAP. XXIII.

RESVRGENS autē Dominus, per quadraginta dies cū discipulis de regno Dei disputans, videntib. illis in nube susceptus, euectusq; in cœlos, ad patris dexterā residet. [illegible] Pilatus autē gesta ad Tyberiū Cæsarē mittit, & ei tā de virtutibus Christi, quam de passione vel resurrectione eius insinuat. Quæ gesta apud nos hodie retinētur scripta. Tyberius autē hoc ad Senatū retulit: q. Senatus cū ira respuit. pro eo *Gesta Pilati.*

niel propheta eximius, inter esurientes leones illæsus, & tres pueri in medio ignium torulenti, abiere captiui. In hac captiuitate & Ezechiel prophetauit, & Esdras propheta natus est. A Dauid autem vsq; ad desolationem tẽpli, & transmigrationẽ in Babyloniã, generationes quatuordecim: id est, Dauid, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Iosaphat, Ioram, Ozias, Ioathan, Achaz, Ezecias, Manasses, Amon, Iosias. In his ergo quatuordecim generationibus, anni inueniũtur numero CCCXL. De hac vero captiuitate per Zorobabel liberantur: qui postea & tẽplum & ciuitatem restituit. Sed hæc captiuitas typum illius captiuitatis (vt puto) gerit, in qua anima peccatrix abducitur. Quã nisi Zorobabel, id est Christus, liberauerit, horribiliter exsulabit. Ipse enim dominus in Euangelio dicit: *Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* Ipse oro sibi in nobis templũ, in quo dignetur habitare, constituat, in quo fides, vt aurũ, luceat: in quo eloquiũ prędicationis, vt argentũ splendeat: in quo omnia visibilia tẽpli illius ornamenta in nostrorum sensuũ honestate clarescant. Bonæ etiã voluntati nostræ ipse salubrem effectum indulgeat. Quia nisi ipse ædificauerit domum, in vanũ laborant qui ædificant eã. Hæc vero captiuitas annis LXX fuisse dicitur.

De reditu Iudæorum è Babylone vsque ad Christi natiuitatem
CAP. XV.

REVERSI autẽ per Zorobabel (sicut diximus) nunc cõtra Deũ murmurantes, nunc post idola corruentes, vel abominationes quæ gentes exercent imitãtes, dũ Dei prophetas contẽnunt, gentib. traduntur, subiugantur, intercidunt: donec ipse Dominus patriarcharũ prophetarumq; vocibus repromissus, virginis Mariæ vtero per spiritũ sanctũ inlapsus, ad redemptionẽ nasci, tam illius gentis, quam omnium gentium dignaretur. A transmigratione ergo vsq; ad natiuitatẽ Christi, generationes quatuordecim: id est, Iechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoch, Achim, Eliud, Eleazar, Mathã, Iacob, Ioseph vir Mariæ, de qua dominus noster Iesus Christus nascitur: qui Ioseph, quartusdecimus computatur.

De reliquarum gentium regibus & regnis
CAP. XVI.

ERGO ne videamur vnius tantũ Hebrææ gentis habere notitiã, reliqua regna, quę, vel qualia Israelitarũ fuerint tẽpore, memoramus. Tẽpore Abrahæ Ninus regnabat super Assyrios: Sicyonios, Europs: apud Ægyptios autem sextadecima erat potestas, quã sua lingua *Dynastian* vocabant. Tempore Moysi, apud Argiuos regnabat septimus Tropas: in Attica Cecrops primus: apud Ægyptios, Cenchris duodecimus, qui & in mari obrutus est rubro: apud Assyrios, sextusdecimus Agatadis. apud Sicyonios Maratus. Tẽpore vero Salomonis, quando regnabat super Israel, apud Latinos Quintus regnabat Siluius: Lacedæmoniis, Fistus: Corinthiis, secũdus Oxion: Ægyptiorũ, Thebei. cẽtesimo vicesimo sexto anno super Assyrios, Eutropes. Atheniẽsib. secundus Agalastus. Tẽpore quo Amõ regnabat super Iudæã, quãdo captiuitas in Babyloniã abiit: Macedoniis præerat Argeus: Lydorũ, Gyges: Ægyptiorũ, Vafres: apud Babyloniã, Nabuchodonosor, qui eos captiuos abduxit: Romanorum, Sextus Seruius Tullus.

De Imperatoribus Romanis
CAP. XVII.

POST hos Imperatores: primus, Iulius Cæsar fuit, qui totius imperii obtinuit monarchiam: secundus, Octauianus, Iulii Cæsaris nepos, quem Augustum vocant: à quo & mensis *Augustus* est vocitatus. Cuius nonodecimo imperii anno, Lugdunum Galliarum vrbem conditam manifestissime reperimus: quæ postea illustrata Martyrum sanguine, *Nobilissima* nuncupatur.

Lugd. nobilissima.

De natiuitate saluatoris nostri
CAP. XVIII.

ANNO quadragesimotertio imperii Augusti, Dominus noster Iesus Christus, vt diximus, ex virgine Maria in Bethleẽ Dauid oppido, secundum carnẽ natus est: cuius immensum sidus Magi ab oriente cernere, cum muneribus veniunt & puerilium preces obiatis donis adorant. Herodes vero ob zelũ regni sui, dũ Deum Christũ perse-

persequi nititur, paruulos infantes interimit. Ipse quoque postmodum iudicio diuino percussus est.

De Christi prædicatione, miraculis, & passione.

CAP. XIX.

DOMINO autem Deo nostro Iesu Christo pœnitentiam prædicante, baptismi gratiam tribuente, vel cœleste regnum cunctis gentibus promittente, atq; prodigia & signa per populos operante: hoc est dũ de aquis vina profert, dũ febres extinguit, dũ cæcis lumẽ tribuit, dum sepultis vitã restituit, dũ obsessos ab immundis spiritibus liberat, dum leprosos miserabili turpẽtes cute reformat, ac dum alia signa multa faciens, manifestissime se Deum populis esse declarat: in Iudæis ira succenditur, inuidia exagitatur, ac mens de sanguine prophetarũ pasta, vt iustum interimat, iniuste mactatur. Ergo vt veterum vatũ cõplerentur oracula, à discipulo traditur, à pontificibus condemnatur, à Iudæis illuditur, cum iniquis crucifigitur, à militibus emisso spiritu custoditur. His igitur actis, tenebræ super vniuersum mundum factæ sunt, & multi conuersi ingemiscentes, Iesum filium Dei confessi sunt.

De Ioseph ab Arimathia

CAP. XX.

ADPREHENSVS autem & Ioseph, qui eum aromatibus cõditum in suo monumẽto recondidit, in cellulã includitur, & ab ipsis sacerdotum principibus custoditur, maiorẽ in eum habentes sæuitiã (vt gesta Pilati ad Tyberium imperatorẽ missa referunt) quã in ipsum Dominũ, vt cum ille à militibus, hic ab ipsis sacerdotibus custodiretur. Sed resurgente Domino, custodibus visione angelica territis, cum nõ inueniretur in tumulo, nocte parietes de cellula in qua Ioseph tenebatur, suspenduntur in sublimi; ipse vero de custodia, absoluente angelo, liberatur, parietibus restitutis in locum suum. Cumq; pontifices custodibus exprobrarẽt, & sanctum corpus ab eisdẽ instanter requirerent, dicunt eis milites: *Reddite vos Ioseph, & nos reddimus Christum. sed vt verum agnoscimus, neque vos benefactorem Dei, neque nos filiũ Dei reddere nunc valemus.* Tunc illis confusis, milites sub hac excusatione liberantur.

De Iacobi Apostoli voto

CAP. XXI.

FERTVR Iacobus Apostolus, cum dominum iã mortuum vidisset in cruce, detestatum esse atq; iurasse nunquam se comesturum panem, nisi dominum cerneret resurgentem. tertia demum die rediens dominus, spoliato Tartaro cum triũpho, Iacobo se ostendens ait: *Surge Iacobe, comede, quia iã à mortuis resurrexi.* Hic est Iacobus Iustus, quẽ fratrem domini nuncupant, pro eo quod Ioseph fuerit filius, ex alia vxore progenitus.

De resurrectione dominica

CAP. XXII.

DOMINICAM vero resurrectionẽ, diẽ prima factã credim⁹, nõ septima, sicut multi putant. Hic est dies resurrectionis domini nostri Iesu Christi, quẽ nos† proprie Dominicum, pro sancta eius resurrectione vocamus. Hic primus lucẽ vidit in principio, & hic primus dominum resurgentem contemplari meruit de sepulchro. A captiuitate vero Hierosolymæ & desolatione templi, vsq; ad passionem domini nostri Iesu Christi, id est vsq; Tiberii septimo decimo anno, supputantur anni DCLXVIII.

Christiani barbari & Pagani, dies Solis inf. lib. III. c. 15.

De ascensione domini: & de Pilati & Herodis punitione

CAP. XXIII.

RESVRGENS autẽ Dominus, per quadraginta dies cũ discipulis de regno Dei disputans, videntibus illis in nube susceptus, euectusq; in cœlos, ad patris dexterã residet glorioso. Pilatus autẽ gesta ad Tyberiũ Cæsarẽ mittit, & ei tã de virtutibus Christi, quam de passione vel resurrectione eius insinuat. Quæ gesta apud nos hodie retinẽtur scripta. Tyberius autẽ hoc ad Senatũ recẽsuit: q. Senatus cũ ira respuit. pro eo

Gesta Pilati.

quod non ad eum primitus aduenisset. Hinc etenim cōtra Christianos prima odiorum germina pullularunt. Pilatus autem non permanens impunitus, pro suæ malitiæ scelere, hoc est pro nece quam in dominum nostrum Iesum Christum exercuit, propriis se manibus interficit: quem Manichæum fuisse multi putant, secundum illud quod in Euangelio legitur: *Venerunt quidam de Galilæis, nunciantes ei, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum.* Sic & Herodes Rex, dum in Apostolos Domini sæuit, percussus diuinitus ob tanta scelera, intumescens ac scatens vermibus, accepto cultro vt malum purgaret, propriæ se manus ictu liberauit.

De Petro qui Romam venit, & martyrium Christo perhibuit.

CAP. XXIV.

BEATVS Petrus apostolus sub imperatore Claudio quarto ab Augusto, Romam adgreditur: ibique prædicans, in multis virtutibus manifestissime Christum esse Dei filium comprobauit: ab illis enim diebus Christiani apud ciuitatem Romanam esse cœperunt. Cum autem nomen Christi per populos magis ac magis dilataretur, oritur contra hæc antiqui serpentis inuidia, & totis se Imperatoris præcordiis immittit sæua malignitas. Nam Nero ille luxuriosus, vanus atq; superbus, virorū succuba, & rursus virorum appetitor, matris, sororum, ac proximarum quarunque mulierum spurcissimus violator, ad complendam malitiæ suæ molem, primus contra Christi cultum, persecutionem excitat in credentes: habebat enim secum Simonē Magum, virum totius malitiæ & omnis magicæ artis argumento magistrum. Hoc eliso per apostolos domini Petrum, atque Paulum, cōmotus contra eos, quod Christum filium prædicarent, & idola adorare contemnerent, Petrum cruce, Paulum gladio iubet interfici. Ipse quoque excitatam super se seditionem fugere tentans, quarto ab Vrbe lapide propria se manu interfecit.

Tunc & Iacobus frater domini, & Marcus Euangelista, pro Christi nomine glorioso martyrio coronati sunt. Primus tamen omnium hanc viam Leuita Stephanus & martyr intrauit. Magna post Iacobi apostoli necem, Iudæos calamitas adsecuta est. Nam aduenіente Vespasiano, & templum incensum est, & sexcenta milia Iudæorum eo bello gladio & fame affecta sunt. Domitianus autem, secundus post Neronem, in Christianos sæuit: Ioannem Apostolum in insulam Pathmos relegat in exilium, & diuersas crudelitates in populos agitat. Post cuius mortem, beatus Ioannes apostolus & euangelista, de exilio rediit: qui senex & plenus dierum, perfectęq; in Deum vitæ viuens, se deposuit in sepulchro. Hic fertur non gustare mortem, donec iterato dominus iudicaturus adueniat, ipso in Euangeliis ita dicente; *Si eum volo manere donec veniam.*

De persecutione sub Traiano principe.

CAP. XXV.

TERTIVS post Neronem, persecutionē in Christianos Traianus mouet: sub quo beatus Clemens, tertius Romanæ Ecclesiæ episcopus, passus est, & sanctus Simeon, Hierosolymitanus episcopus, Cleophæ filius pro Christi nomine crucifixus adseritur: & Ignatius Antiochensis episcopus, Romam ductus bestiis deputatur. Hæc sub Traiani temporibus acta sunt.

De hæresum & schismatum ortu

CAP. XXVI.

POST hunc Ælius Adrianus, imperator creatus est. vnde & Hierosolyma Ælia ab Ælio Adriano vocatur, successore Domitiani, eo quod eam reparauerit. Post has vero passiones sanctorum, non fuit satis parti aduersæ, gentes incredulas cõtra Christicolas excitasse, nisi commoueret & in ipsis Christianis schismata. Concitat hæreses, & diuisa fides catholica aliter aliterq; disseritur. nam sub Antonini imperio Marcionitana & Valentiniana hæresis insana surrexit: & Iustinus philosophus post scripta catholicæ Ecclesiæ libros, martyrio pro Christi nomine coronatur. In Asia autem, orta persecutione, beatissimus Polycarpus, Ioannis apostoli & euangelistæ discipulus, octogesimo ætatis suæ anno, velut holocaustum purissimum, per ignem domino consecratur. Sed & in Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati: quorum passionum historiæ apud nos fideliter vsque hodie retinentur.

De Photino & Irenæo martyribus

CAP. XXVII.

EX quibus & ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Photinus episcopus fuit, qui plenus dierum, diuersis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Beatissimus vero Irenæus huius successor martyris, qui à beato Polycarpo ad hanc vrbem directus est, admirabili virtute enituit: qui in modici temporis spacio, prædicatione sua maxime in integrum ciuitatem reddidit Christianam. Sed veniente persecutione, talia ibidem Diabolus bella per tyrannũ exercuit, & tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem dominici nominis est iugulata, vt per plateas flumina currerent de sanguine Christiano: quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum diuersis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo domino per martyrium dedicauit. Post hunc & quadraginta octo martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vetium Epagatum.

De persecutione sub Decio

CAP. XXVIII.

SVB Decio vero imperatore multa bella aduersum nomen Christianũ exoriuntur, & tanta strages de credentibus fuit, vt nec numerari queant. Babyllas episcopus Antiochenus, cum fratribus paruulis, id est, Vrbano, Prilidano, & Epolono: & Sixtus Romanæ ecclesiæ episcopus; & Laurentius archidiaconus, & Hippolytus ob dominici nominis confessionem per martyrium consummati † sunt. Valentinianus & Nouatianus maximi tunc hæreticorum principes, contra fidem nostram inimico impellente grassantur. Huius tempore septem viri episcopi ordinati ad prędicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis sancti martyris Saturnini denarrat. Ait enim, Sub Decio & Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tholosana ciuitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt: Turonicis, Gratianus episcopus: Arelatẽsibus, Trophimus episcopus: Narbonæ, Paulus episcopus: Tholosæ, Saturninus episcopus: Parisiis, Dionysius episcopus: Aruernis, Stremonius episcopus: Lemouicinis, Martialis est destinatus episcopus. De his vero, beatus Dionysius Parisiorum episcopus, diuersis pro Christi nomine adfectus pœnis, præsentem vitam gladio imminente finiuit. Saturninus vero, iam securus de martyrio, dicit duobus presbyteris suis: *Ecce ego iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. rogo, vt vsque dũ debitum finem impleam, à vobis penitus non relinquar.* Cumque comprehensus ad Capitolium duceretur, relictus ab his solus adtrahitur. Igitur cum se ab illis cerneret derelictum, orasse fertur: *Domine Iesu Christe exaudi me de cœlo sancto tuo, vt nunquam Ecclesia de his ciuibus mereatur*

† consumpti.

habere pontificem in sempiternum. Quod vsq; nunc in ipsa ciuitate ita euenisse cognouimus. hic vero tauri furentis vestigiis alligatus, ac de Capitolio præcipitatus, vitam finiuit. Gratianus vero, Trophimus, Stremoniusq;, & Paulus, atq; Martialis, in summa sanctitate viuẽtes, post acquisitos Ecclesiæ populos, ac fidem Christi per omnia dilatatam, felici confessione migrarunt. Et sic tam isti per martyrium, quam hi per confessionem, relinquentes terras, in cælestibus pariter sunt coniuncti.

De Bituricensium conuersione

CAP. XXIX.

DE horum vero discipulis quidam Biturigas ciuitatem adgressus, salutare omnium, Christum dominum populis nunciauit. Ex his ergo pauci admodum credentes, clerici ordinati, ritum psallendi suscipiunt: & qualiter Ecclesiam construãt, vel omnipotenti Deo solennia celebrare debeant, imbuuntur. Sed illis paruam adhuc ædificandi facultatem habentibus, ciuis cuiusdam domum, de qua Ecclesiam faciant, experunt. Senatores vero vel reliqui meliores loci, fanaticis erant tunc cultibus obligati: qui vero crediderant, ex pauperibus erant, iuxta illud domini, quod Iudæis exprobrat dicens, *Quia meretrices & publicani præcedent vos in regno Dei.* Hi vero non obtenta à quo petierant domo, Leocadium quendam primum Galliarum senatorem, qui de stirpe Vetii Epagati fuit, quem Lugduno passum pro Christi nomine superius memorauimus, repererunt. Cui cum petitionem suam, & fidem pariter intimassent, ille respondit: *Si domus mea, quam apud Bituricam vrbem habeo, huic operi digna esset, præstare non abnegarem.* Illi autem audientes, pedibus eius prostrati, oblatis trecentis aureis cum disco argenteo dicunt eam huic ministerio esse congruã. Qui acceptis de his tribus aureis pro benedictione, clementer indulgens reliqua, cum adhuc esset in errorem idololatriæ implicitus, Christianus factus, domum suam fecit Ecclesiam. Hæc est nunc Ecclesia apud Biturigas vrbem prima, miro opere composita, & primi martyris Stephani reliquiis inlustrata.

De persecutione sub Valeriano & Gallieno

CAP. XXX.

VICESIMO septimo loco, Valerianus & Gallienus Romanum imperium sunt adepti, qui grauem contra Christianos persecutionem suo tempore commouerunt. Tunc Romam Cornelius, Cyprianus Carthaginẽ felici sanguine inlustrarunt. Horum tempore & Chrocus ille Alamannorum rex, commoto exercitu, Gallias peruagauit. Hic autem Chrocus multæ adrogantiæ fertur fuisse. Qui cum nonnulla iniq; gessisset, per consilium (vt aiunt) matris iniquæ, collectã (vt diximus) Alamanorũ gentẽ, vniuersas Gallias peruagatur, cunctasq; ędes, quæ antiquitus fabricatæ fuerant, à fundamentis subuertit. Veniens vero Aruernos, delubrũ illud quod Gallica lingua *Vasso* Galatæ vocant, incendit, diruit, atq; subuertit. Miro enim opere factũ fuit atq; firmatum; cuius paries duplex erat. Abintus enim de minuto lapide, à foris vero, quadris scalptis fabricatum fuit. habuit enim paries ille crassitudinẽ, pedes triginta. Intrinsecus vero marmore ac musiuo variatum erat. Pauimentum quoq; ædis marmore stratum, desuper vero plumbo tectum.

Crocus R. Alaman.

De aliis martyribus

CAP. XXXI.

IVXTA hanc vrbem Liminius, Antolianusq; martyres requiescunt. Ibi Cassius ac Victorinus in dilectione Christi fraterno affectu sociati, per effusionẽ cruoris proprii, cœlorum regna pariter sunt adepti. Nam refert antiquitas, Victorinum seruum fuisse ante dicti templi sacerdotis. Qui dum plerunq; vicum quem *Christianorum* vocant,

Vicus Christianor.

tam, ad persequendos Christianos adit, Cassium reperit Christianum: cuius prædicationibus atq; miraculis motus, credidit Christo: relictisque fanaticis sordibus, ac baptismo consecratus, magnus in virtutum operatione enituit. Nec multo post, per martyrium (vt diximus) in terris sociati, ad cœlestia pariter regna migrauerunt.

De priuato martyre & Croco tyranno

CAP. XXXII.

INGRESSIS autem Alamannis in Gallias, sanctus Priuatus Gaballitanæ vrbis episcopus, in cryptaMemmatensis montis, vbi ieiuniis orationibusq; vacabat, reperitur, populis Gredonensis castri munitione conclusus. Sed dum oues suas bonus pastor lupis tradere non consentit, dæmoniis immolare compellitur. Quod spurcum ille tam execrans quā refutans, tandiu fustibus cæditur, quoadusq; putaretur exanimis. Sed de ipsa quassatione, interpositis paucis diebus, spiritum exhalauit. Chrocus vero apud Arelatensem Galliarum vrbem comprehensus, diuersis adfectus suppliciis, gladio verberatus interiit, non immerito pœnas quas sanctis Dei intulerat, luens.

De persecutione sub Diocletiano

CAP. XXXIII.

SVB Diocletiano, qui tricesimotertio loco Romanum rexit imperium, grauis cōtra Christianos per annos IV persecutio exagitata est: ita vt quadā vice in ipso sacratissimo die Paschæ, magni Christianorū populi ob veri dei cultum interficerentur. Eo tempore, Quirinus Sistiensis ecclesiæ sacerdos, gloriosum pro Christi nomine martyriū tulit. quē ligato ad collum molari saxo, in fluminis gurgitē sæuitia impulit paganorū. Igitur cum cecidisset in gurgitē, diu super aquas diuina virtute ferebatur, nec sorbebant aquæ quē pondus criminis non premebat. Quod factum mirans multitudo populi circumstantis, despecto furore gentilium, ad liberandum propere ad sacerdotē. Hæc ille cernens, non passus est se à martyrio subtrahi, sed erectis ad cœlum oculis, ait: *Iesu domine, qui gloriosus resides ad dexteram patris, ne patiaris me ab hoc loco remoueri, sed suscipiens animam meam, coniūgere me tuis martyribus in requie sempiterna.* His dictis reddidit spiritum. Cuius corpus a Christianis susceptum, venerabiliter sepulturæ mandatum est.

De Constantino magno, B. Martino & Crucis dominicæ inuentione

CAP. XXXIV.

ROMANORVM tricesimus quartus imperium obtinuit Constantinus, annis triginta regnans feliciter. Huius imperii anno vndecimo cum post excessum Diocletiani, pax reddita fuisset Ecclesiis, beatissimus præsul Martinus, apud Sabariā Pannoniæ ciuitatem nascitur, parentibus gentilibus, non tamen infimis. Hic Constantinus anno vicesimo imperii sui, Crispum filium veneno, Faustā coniugem calente balneo interfecit, scilicet quod proditores regni eius esse voluissent. Huius tēpore venerabile Crucis dominicæ lignū per studiū Helenæ matris eius repertū est,

s. Cyriacus. prodente Iuda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus. Vsque hoc tempus historiographus in Chronicis scribit Eusebius. A vicesimo primo enim eius imperii anno Hieronymus presbyter addidit, indicans Iuuencum presbyterum, Euangelia versibus conscripsisse, rogante supradicto imperatore.

De Constantis imperio

CAP. XXXV.

SVB Constantis autem imperio, Iacobus Niebenus fuit, ad cuius preces inclinatæ aures diuinæ clementiæ, multa pericula à ciuitate eius repulerunt. Sed & Maximinus Treuerorum episcopus potens in omni sanctitate reperitur.

Nonodecimo Constantini Iunioris anno, Antonius monachus transiit, centesimo ætatis suæ anno. Beatissimus Hilarius Pictauiensis episcopus, suasu hæreticorũ exilio deputatur: ibiq; libros pro fide catholica scribens, Constantio misit, qui quarto exilii anno eum absolui iubens, ad propria redire permisit.

De beato Martino

CAP. XXXVI.

TVNC iam & lumen nostrum exoritur, nouisque lampadum radiis Gallia perlustratur, hoc est, eo tempore beatissimus Martinus in Galliis prædicare exorsus est: qui Christum Dei filium per multa miracula verum Deum in populis declarans, Gentilium incredulitatem auertit. Hic enim fana destruxit, hæresim oppressit, Ecclesias ædificauit, & cum aliis multis virtutibus refulgeret, ad consummandũ laudis suæ titulum, tres mortuos vitæ restituit. Quarto Valentiniani & Valentis anno, sanctus Hilarius apud Pictauos, plenus sanctitate & fide, multis vndique virtutibus editis, migrauit ad cœlos. Nam & ipse legitur mortuos suscitasse.

Melania vero matrona nobilis, & incola vrbis Romanæ, Hierosolyma ob deuotionem abiit, Vrbano filio Romæ relicto. Quæ ita se in cuncta bonitate ac sanctitate omnibus præbuit, vt Tecla vocaretur ab incolis.

De Valentis tyrannide

CAP. XXXVII.

POST mortem autem Valentiniani, Valens integri successor imperii, Monachos ad militiam cogi iubet: nolentes fustibus præcipit verberari. Post hæc, bellum sæuissimum in Thracas Romani ingessere: in quo tanta strages fuit, vt Romani amisso equorum præsidio, pedibus fugerent. Cumque à Gothis internecione maxima cæderentur, & Valens fugeret, sagitta sauciatus, paruum tugurium adgressus imminentibus hostibus, super se incensa casula, optata caruit sepultura. Sic vltio diuina ob sanctorum effusum sanguinem, tandem emissa processit. Hucusq; Hieronymus. ab hoc vero tempore, Orosius presbyter plus scripsit.

De Theodosio & eius imperio

CAP. XXXVIII

IGITVR cum Gratianus imperator destitutam cerneret esse rempublicam, Theodosium collegam imperii facit. Hic Theodosius omnem spem atque fiduciam in Dei misericordiam ponit. Qui multas gentes non tam gladio, quam vigiliis & oratione

tione compescuit, Rempublicam confirmauit, Constantinopolim vrbem victor ingressus est.

Maximus vero cum per tyrannidem oppressis Britannis sumsisset victoriã, à militibus imperator creatus est. In vrbe Treuerica sedem instituens, Gratianum imperatorem circunuentum dolis interfecit. Ad hunc Maximum beatus Martinus iam episcopus venit. In loco ergo Gratiani, Theodosius ille qui totã spem in Deum posuerat, totum suscipit imperium. Qui deinceps diuinis affatibus fretus, Maximum spoliatum imperio interfecit.

De Vrbico episcopo Aruerno

CAP. XXXIX.

APVD Aruernos vero post Stremonium episcopum prædicatoremq;, primus episcopus Vrbicus fuit, ex senatoribus conuersus, vxorem habens: quæ iuxta consuetudinem ecclesiasticam, remota à consortio sacerdotis religiose viuebat. vacabant enim ambo orationi, eleemosynis, atq; operibus bonis. Cumq; hæc agerent, liuor inimici, qui semper est æmulus sanctitati, commouetur in fœminam: quam in concupiscentiam viri succēdens, nouam Euam efficit. Nam succensa mulier à libidine, operta peccati tenebris, pergit ad domum Ecclesiæ per tenebras noctis. Cũq; obserata omnia reperisset, pulsare fores Ecclesiæ domus cœpit, ac voces huiusmodi dare: *Quousque sacerdos dormis? quousque ostia clausa non reseras? cur coniugem spernis? cur obduratis auribus, Pauli præcepta non audis? Scripsit enim: Reuertimini ad alterutrum, ne tentet vos Satanas. Ecce ego ad te reuertor, nec ad extraneum, sed ad proprium vas recurro.* Hæc & his similia diu declamanti, tandem sacerdotis tepescit religio. Iubet eam cubiculo intromitti, vsusque concubitu eius discedere iubet. Dehinc tardius ad se reuersus, & de perpetrato scelere condolens, acturus pœnitentiam, diœcesis suæ monasterium expetit: ibique cum gemitu ac lachrimis quæ commiserat diluens, ad vrbem propriam est reuersus. Qui impleto vitæ cursu migrauit à seculo. nata est enim ab hoc conceptu filia, quæ in religione permansit. Ipse quoque sacerdos cum coniuge & filia in crypta Cantobennensi, iuxta aggerem Publianum est sepultus. In cuius loco Legonus episcopus subrogatur.

De sancto Hillidio & eius in episcopatu successore

CAP. XL.

QVo defuncto, sanctus Hillidius successit, vir eximiæ sanctitatis ac præclaræ virtutis, qui in tanta sanctitate emicuit, vt fama eius etiam extraneos fines adiret: vnde factum est, vt ab imperatoris Treuerici filia expetitus, vt spiritu immundo curaret: quod in libro illo quem de eius vita conscripsimus, memorauimus. Fuit autem (vt fama refert) valde senex & plenus dierum, plenusque bonis operibus, qui felici consummatione, vitæ huius perfunctus tramite migrauit ad Christum: sepultusque in crypta, suburbano ciuitatis illius. Habuit autem & archidiaconum nomine & merito Iustum, qui & cursum vitæ bonis consummans operibus, magistri tumulo sociatur. Iam vero

1. Cyriacus. prodente Iuda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus. Vsque hoc tempus historiographus in Chronicis scribit Eusebius. A vicesimo primo enim eius imperii anno Hieronymus presbyter addidit, indicans Iuuencum presbyterum, Euangelia versibus conscripsisse, rogante supradicto imperatore.

De Constantis imperio

CAP. XXXV.

SVB Constantis autem imperio, Iacobus Niebenus fuit, ad cuius preces inclinatæ aures diuinæ clementiæ, multa pericula a ciuitate eius repulerunt. Sed & Maximinus Treuerorum episcopus potens in omni sanctitate reperitur.

Nonodecimo Constantini iunioris anno, Antonius monachus transiit, centesimo ætatis suæ anno. Beatissimus Hilarius Pictauiensis episcopus, suasu hæreticorũ exilio deputatur: ibiq; libros pro fide catholica scribens, Constantio misit, qui quarto exilii anno eum absolui iubens, ad propria redire permisit.

De beato Martino

CAP. XXXVI.

TVNC iam & lumen nostrum exoritur, nouisque lampadum radiis Gallia perlustratur, hoc est, eo tempore beatissimus Martinus in Galliis prædicare exorsus est: qui Christum Dei filium per multa miracula verum Deum in populis declarans, Gentilium incredulitatem auertit. Hic enim fana destruxit, hæresim oppressit, Ecclesias ædificauit, & cum aliis multis virtutibus refulgeret, ad consummandũ laudis suæ titulum, tres mortuos vitæ restituit. Quarto Valentiniani & Valentis anno, sanctus Hilarius apud Pictauos, plenus sanctitate & fide, multis vndique virtutibus editis, migrauit ad cœlos. Nam & ipse legitur mortuos suscitasse.

Melania vero matrona nobilis, & incola vrbis Romanæ, Hierosolyma ob deuotionem abiit, Vrbano filio Romæ relicto. Quæ ita se in cuncta bonitate ac sanctitate omnibus præbuit, vt Tecla vocaretur ab incolis.

De Valentis tyrannide

CAP. XXXVII.

POST mortem autem Valentiniani, Valens integri successor imperii, Monachos ad militiam cogi iubet: nolentes fustibus præcipit verberari. Post hæc, bellum sæuissimum in Thracas Romani ingessere: in quo tanta strages fuit, vt Romani amisso equorum præsidio, pedibus fugerent. Cumque à Gothis internecione maxima cæderentur, & Valens fugeret, sagitta sauciatus, paruum tugurium adgressus imminentibus hostibus, super se incensa casula, optata caruit sepultura. Sicque vltio diuina ob sanctorum effusum sanguinem, tandem emissa processit. Hucusq; Hieronymus. ab hoc vero tempore, Orosius presbyter plus scripsit.

De Theodosio & eius imperio

CAP. XXXVIII.

IGITVR cum Gratianus imperator destitutam cerneret esse rempublicam, Theodosium collegam imperii facit. Hic Theodosius omnem spem atque fiduciam in Dei misericordiam ponit. Qui multas gentes non tam gladio, quam vigiliis & oratione

tione compeſcuit, Rempublicam confirmauit, Conſtantinopolim vrbem victor ingreſſus eſt.

Maximus vero cum per tyrannidem oppreſſis Britannis ſumſiſſet victoriã, à militibus imperator creatus eſt. In vrbe Treuerica ſedem inſtituens, Gratianum imperatorem circunuentum dolis interfecit. Ad hunc Maximum beatus Martinus iam epiſcopus venit. In loco ergo Gratiani, Theodoſius ille qui totã ſpem in Deum poſuerat, totum ſuſcipit imperium. Qui deinceps diuinis affatibus fretus, Maximum ſpoliatum imperio interfecit.

De Vrbico epiſcopo Aruerno

CAP. XXXIX.

APVD Aruernos vero poſt Stremonium epiſcopum prædicatoremq;, primus epiſcopus Vrbicus fuit, ex ſenatoribus conuerſus, vxorem habens: quæ iuxta conſuetudinem eccleſiaſticam, remota à conſortio ſacerdotis religioſe viuebat. vacabant enim ambo orationi, eleemoſynis, atq; operibus bonis. Cumq; hæc agerent, liuor inimici, qui ſemper eſt æmulus ſanctitati, commouetur in fœminam: quam in concupiſcentiam viri ſuccẽdens, nouam Euam efficit. Nam ſuccenſa mulier à libidine, operta peccati tenebris, pergit ad domum Eccleſiæ per tenebras noctis. Cũq; obſerata omnia repeiiſſet, pulſare fores Eccleſiæ domus cœpit, ac voces huiuſmodi dare: *Quouſque ſacerdos dormis? quouſque oſtia clauſa non reſeras? cur coniugem ſpernis? cur obduratis auribus, Pauli præcepta non audis? Scripſit enim: Reuertimini ad alterutrum, ne tentet vos Satanas. Ecce ego ad te reuertor, nec ad extraneum, ſed ad proprium vas recurro.* Hæc & his ſimilia diu declamanti, tandem ſacerdotis tepeſcit religio. Iubet eam cubiculo intromitti, vſuſque concubitu eius diſcedere iubet. Dehinc tardius ad ſe reuerſus, & de perpetrato ſcelere condolens, acturus pœnitentiam, diœceſis ſuæ monaſterium expetit: ibique cum gemitu ac lachrimis quæ commiſerat diluens, ad vrbem propriam eſt reuerſus. Qui impleto vitæ curſu migrauit à ſeculo. nata eſt enim ab hoc conceptu filia, quæ in religione permanſit. Ipſe quoque ſacerdos cum coniuge & filia in crypta Cantobennenſi, iuxta aggerem Publianum eſt ſepultus. In cuius loco Legonus epiſcopus ſubrogatur.

De ſancto Hillidio & eius in epiſcopatu ſucceſſore

CAP. XL.

QVo defuncto, ſanctus Hillidius ſucceſſit, vir eximiæ ſanctitatis ac præclaræ virtutis, qui in tanta ſanctitate emicuit, vt fama eius etiam extraneos fines adiret: vnde factum eſt, vt ab imperatoris Treuerici filia expetitus, vt ſpiritu immundo curaret: quod in libro illo quem de eius vita conſcripſimus, memorauimus. Fuit autem (vt fama refert) valde ſenex & plenus dierum, plenusque bonis operibus, qui felici conſummatione, vitæ huius perfunctus tramite migrauit ad Chriſtum: ſepultusque in crypta, ſuburbano ciuitatis illius. Habuit autem & archidiaconum nomine & merito Iuſtum, qui & curſum vitæ bonis conſummans operibus, magiſtri tumulo ſociatur. Iam vero

poſt tranſitum beati Hillidii confeſſoris, ad glorioſum eius ſepulchrum tantæ virtutes apparent, vt nec ſcribi integre queant, nec memoria retineri. Huic ſanctus Nepotianus ſucceſſit.

De ſancto Nepotiano etiam Aruernorum Epiſcopo

CAP. XLI.

IGITVR apud Aruernos ſanctus Nepotianus quartus habebatur epiſcopus. A Treueris vero legati in Hiſpaniam mittebantur: ex quibus Artemius quidam admirabilis ſapientiæ atque puchritudinis, & prima ætate florens, vi febrium eſt correptus. Præcedentibus vero aliis, hic apud Aruernos ægrotus relinquitur. nam eo tempore apud Treueros, ſponſali erat vinculo nexus. à ſancto autem Nepotiano viſitatus, atque oleo ſancto perunctus, tribuente domino redditur ſanitati. Qui cum ab eodem ſancto verbum prædicationis accepiſſet, oblitus tam ſponſam terrenam, quam facultates proprias, ſanctæ copulatur Eccleſiæ, factuſque clericus in tanta prælatus eſt ſanctitate, vt beato Nepotiano ſucceſſor exiſteret, ad regendas gregis dominici caulas.

De duorum amantium caſtitate & ſepultura

CAP. XLII.

PER idem tempus Iniurioſus quidam de ſenatoribus Aruernis, cum magnis opibus, ſimilem ſibi in coniugio puellam expetiit, datoque arrabone, diem conſtituit nuptiarum. Erat autem vterque vnicus patri. Adueniente vero die, celebrata nuptiarum ſolennitate, in vno ſtrato ex more locantur. Sed puella grauiter contriſtata, auerſa ad parietem, amariſſime flebat. Cui ille, *Quid*, inquit, *turbaris? Indica quæſo mihi.* Illaque ſilente, adiecit, *Obſecro te per Ieſum Chriſtum filium Dei, vt mihi quid doleas ſapienter exponas.* Tunc illa conuerſa ad eum ait, *Si omnibus diebus vitæ meæ plangam, nunquid tantæ erunt lachrimæ, vt queant abluere tam immenſum pectoris mei dolorem? Statueram enim, vt corpuſculum meum immaculatum Chriſto à virili tactu ſeruarem: ſed væ mihi quæ taliter ab eo relicta ſum, vt quod optabam perficere non valerem: & quod ab initio ætatis meæ ſeruaui, in hac nouiſſima die quam videre non debueram, perdidi. Ecce enim relicta ab immortali Chriſto, qui mihi dotem promittebat paradiſum, mortalis hominis ſum ſortita cōſortium: & pro roſis immarceſcibilibus, arentium me roſarum non ornat, ſed deformat ſpolium. Et cum debui ſuper quadrifluo agni flumine, puritatis ſtolam induere: hæc mihi veſtis onus exhibuit, non honorem. Sed quid amplius verba protrahimus? Infelix ego quæ debui ſorte mereri polos, hodie demergor in abyſſos. O ſi mihi hæc futura erant, quare non dies vitæ meæ ipſe fuit finis, qui fuit initium? O ſi ante introiſſem mortis ianuam, quam lactis acciperem alimenta. O ſi mihi dulcium nutricum oſcula, in funere fuiſſent expenſa. Horrent enim mihi terrenæ ſpecies, quia pro mundi vita transfixas manus ſuſpicio Redemptoris. Nec cerno diademata gemmis inſignibus coruſcantia, cum illam ſpineam miror mente coronam. Reſpuo longe lateque diffuſa ſpatia terræ tuæ, quia amœnitatem concupiſco paradiſi. Horrent tua ſolaria, cum dominum reſidentem ſuſpicio ſuper aſtra.* Talia cum magno fletu iactanti, commotus pietate iuuenis ait: *Vnicos nos nobiliſſimi Aruernorum habuere parentes, & ad propagandam generationem coniungere voluerunt, ne recedentibus de mundo ſuccederet hæres extraneus.* Cui illa: *Nihil eſt mundus, nihil ſunt diuitiæ, nihil eſt pompa ſeculi huius. nihil eſt vita ipſa qua fruimur: ſed illa magis vita quærenda eſt, quæ morte terminante non clauditur, quæ labe vlla non ſoluitur, nec aliquo occaſu finitur, vbi homo in beatitudine æterna permanens, luce non occidente viuit. Et quod maius eſt his omnibus, ipſius domini præſentia, iugi perfruens contemplatione, in angelico translatus ſtatu, indiſſolubili lætitia gaudet.* Ad hæc ille: *Dulciſſimis* inquit, *eloquiis tuis æterna mihi vita tanquam magnum iubar inluxit: & ideo ſi vis a carnali abſtinere concupiſcentia particeps tuæ mentis efficiar.* Illa reſpondit, *Difficile eſt ſexū virilem,*

virilem, mulieribus ista praestare. Tamen si feceris, vt immaculati permaneamus in seculo, ego tibi partem tribuam dotis, quam promissam habeo à sponso domino meo Iesu Christo, cui me & famulam deuoui esse & sponsam. Tunc ille armatus crucis vexillo, ait: *Faciam quae hortaris: & datis inter se dextris, quieuerunt.* Multos postea in vno strato recumbentes annos, vixerunt cum castitate laudabili. Quod postea in eorum transitu declaratum est. nam cum impleto certamine, puella migraret ad Christum, peracto vir funeris officio, cum puellam in sepulchrum deponeret, ait: *Gratias tibi ago aeterne domine noster, quia hunc thesaurum sicut a te commendatum accepi, ita immaculatum pietati tuae restituo.* Ad haec illa subridens: *Quid*, inquit, *loqueris quod non interrogaris?* Illamque sepultam, ipse non post multum insequitur. Porro cum vtriusque sepulchrum è diuersis parietibus collocatum fuisset, miraculi nouitas quae eorum castitatem manifestaret, apparuit. nam facto mane cum ad locum populi accederent, inuenerunt sepulchra pariter, quae longe inter se distare reliquerant: scilicet vt quos tenet socios coelum, sepultorum hic corporum non separet monumentum. Hos vsque hodie, *Duos Amantes* vocitare loci incolae voluerunt. Meminimusque de his in libro Miraculorum.

De beati Martini transitu

CAP. XLIII.

ARCADII vero & Honorii secundo imperii anno, sanctus Martinus Turonorum episcopus, plenus virtutibus & sanctitate, praebens infirmis multa beneficia, octogesimo & primo aetatis suae anno, Episcopatus autem XXVI. apud Condatensem dioecesis suae vicum, excedens à seculo feliciter migrauit ad Christum. Transiit autem media nocte, quae Dominica habebatur, Attico Caesareoque consulibus. Multi enim in eius transitu psallentium voces audierunt in coelo, quod in libro virtutum eius primo plenius exposuimus. Nam cum primitus An. 395.
famulus dei apud Condatensem (vt diximus) vicum, aegrotare coepisset, Pictaui populi ad eius transitum sicut Turonici conuenerunt. Quo migrante, grandis altercatio in vtrunque surrexit populum. Dicebant enim Pictaui, *Noster est monachus, nobis Abbas extitit: nos requirimus commendatum. Sufficiat vobis, quod dum esset in mundo Episcopus, vsi estis eius colloquio, participastis conuiuio, firmati fuistis benedictionibus, insuper & virtutibus iocundati: sufficiant ergo vobis ista omnia: nobis liceat auferre vel cadauer exanimum.* Ad haec Turonici respondebant: *Si virtutum nobis facta sufficere dicitis, scitote quia vobiscum positus, amplius est quam hic operatus. Nam vt praetermittamus plurima, vobis suscitauit duos mortuos, nobis vnum: & (vt ipse dicebat) maior ei virtus ante episcopatum fuit, quam post episcopatum. Ergo necesse est, vt quod nobiscum non impleuit viuens, expleat vel defunctus. Vobis est enim ablatus, nobis a Domino datus. Verum si mos antiquitus institutus seruatur, in vrbe qua ordinatus est, habebit Deo iubente sepulchrum. Certe si pro monasterio priuilegium cupitis vindicare, scitote quia primum ei monasterium cum Mediolanensibus fuit.* His ergo litigantibus, sole ruente nox clauditur: corpusque in medio positum, firmatis seris ab vtroque populo custoditur. Futurum, vt mane facto a Pictauis per violentiam auferretur: sed Deus omnipotens noluit vrbem Turonicam proprio frustrare patrono. Denique nocte media omnis Pictaua somno phalanga comprimitur, nec vllus superfuit qui ex hac multitudine vigilaret. Igitur vbi Turonici eos conspiciunt obdormisse, adprehensam sanctissimi corporis glebam, alii per fenestram eiiciunt, alii foris suscipiunt: positumque in naui cum omni populo, per Vingennam fluuium descendunt. Ingressique Ligeris alueum, ad vrbem Turonicam cum magnis laudibus psallentioque dirigunt copioso: De quorum vocibus Pictaui exper-

gefacti, nihil de thesauro quem custodiebant habentes, cum magna confusione ad propria sunt reuersi. Quod si quis requiret, cur post transitum Gratiani episcopi, vnus tantum, id est Litorius, vsque ad sanctum Martinum fuisset Episcopus, nouerit quia obsistentibus paganis, diu ciuitas Turonica sine benedictione sacerdotali fuit. nam qui Christiani eo tempore videbantur, occulte & per latebras diuinum officium celebrabant. nam si qui à paganis reperti fuissent Christiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur. A passione ergo Domini, vsque transitum sancti Martini, anni
412. ccccxii. computantur.

Explicitus est liber primus, continens annos V.M.D.XLVI. qui computantur à principio Mundi vsque ad transitum sancti Martini episcopi.

GREGO-

GREGORII TVRONENSIS EPISCOPI HISTORIARVM LIBER SECVNDVS.

PROSEQVENTES ordinem temporum, mixte confuseque, tam virtutes sanctorum quam strages gentium memoramus. Non enim irrationabiliter accipi puto, si felicem beatorum vitam inter miserorum memoremus excidia, cum id non facilitas scriptoris, sed tẽporum series præstet. nam solicitus lector si inquirat strenue, inueniet inter illas regum Israeliticorum historias, sub Samuel iusto, Phineem interisse sacrilegum: ac sub Dauid, quem fortem manu dicunt, Goliam allophylum corruisse. Meminerit etiã sub Heliæ eximii vatis tempore, qui pluuias cum voluit abstulit, & cum libuit, arentib. terris infudit: qui viduæ paupertatem oratione locupletauit, quantæ populorum strages fuere, quantæ fames, vel quæ siccitas, miseram oppressit humum. Quæ sub Ezechiæ tempore, cui Deus ad vitam xv. annos auxit, Hierosolyma mala pertulerit. Sed & sub Eliseo propheta, qui mortuos vitæ restituit, & alia in populis miracula multa fecit, quantæ internecciones, quæ miseriæ ipsum Israeliticum populum oppresserũt. Sic & Eusebius, Seuerus, Hieronymusque in Chronicis atque Orosius, & bella regum, & virtutes martyrum pariter texuerunt. Ita & nos idcirco sic scripsimus, quo facilius seculorum ordo, vel annorum ratio, vsque ad nostra tempora tota reperiatur. Venientes ergo per ante dictorum auctorum historias, ea quæ in posterum actã sunt, domino iubente differemus.

De episcopatu Briccii
CAP. I.

IGITVR post excessum B. Martini Turonicæ ciuitatis episcopi, summi & incomparabilis viri, de cuius virtutibus magna apud nos volumina retinentur, Briccius ad episcopatũ succedit. At vero Briccius iste cum esset primæuæ ætatis iuuenis, sancto adhuc Martino viuenti in corpore multas tendebat insidias, pro eo quod ab eodem plerunq; cur faciles res sequeretur, arguebatur. Quadam autẽ die dum quidã infirmus medicinam a beato Martino expeteret, Briccium adhuc diaconum in platea conueniens, cui simpliciter ait, *Ecce ego præstolor beatum virum, & nescio vbi sit, vel quid operis agat.* Cui Briccius, *Si,* inquit, *delirũ illum quæris, prospice eminus: ecce cælum solite sicut amens respicit.* Cumq; pauper ille occursu reddito quod petierat impetrasset, Briccium diaconum vir beatus alloquitur: *En ego Bricci delirus tibi videor?* Cumq; ille confusus hæc audiens, dixisse se denegaret, ait vir sanctus: *Nonne aures meæ ad os tuum erant, cum hæc eminus loquebaris? Amen dico tibi, quia obtinui apud Deum vt post me ad pontificatus honorem accedas, sed noueris te in episcopatu multa aduersa passurũ.* Briccius hæc audiens inridebat, dicens, *Nonne verum dixi istum delira verba proferre?* Sed & presbyterii honore præditus, sæpius beatum virum conuiciis lacessiuit. Adepto ergo cõsentientibus ciuibus pontificatus officio, orationi vacabat. Quia quanquã esset superbus & vanus, castus tamen habebatur corpore. Tricesimo tertio vero ordinationis eius anno, oritur contra eum lamentabilis causa pro crimine. nam mulier ad quã cubicularii eius vestimenta deferre solebant ad abluendum, quæ sub specie religionis erat veste mutata, concepit & peperit. Qua de re surrexit omnis populus Turonorum in iram, &

totum crimen super Episcopum referunt, volentes eum vnanimiter lapidare. Dicebant enim, *Diu pietas sancti tuam celauit luxuriam: nec deus nos diutius sinit manus tuas indignas obsculando pollui.* Illo quoq; econtrario viriliter hæc negante, Adferte, inquit, infantē ad me. Cumq; oblatus fuisset infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad eū episcopus: *Adiuro te per Iesum Christū filium Dei omnipotentis, vt si ego te generaui, corā cunctis edicas.* Et ille, *Non es*, inquit, *tu pater meus.* Populis autē rogantib. vt quis esset pater, interrogaret, ait sacerdos: *Nō est hoc meū. quod ad me pertinuit, sollicitus fui. Vobis si aliquid suppetit, per vos quærite.* Tunc illis magicis hæc artibus facta asseuerantes, insurgunt contra eum in vna conspiratione: & trahentes eū dicebant: *Non diutius nobis falso pastoris nomine dominaberis.* Ille autē ad satisfaciendum adhuc populo, prunas ardentes in byrrum suum posuit: & ad se stringens, vsq; ad sepulchrū beati Martini, vna cum populorum turbis accedit. Proiectisq; ante sepulchrum prunis, vestimentum eius inustum adparuit. Illo quoq; sic prosequente, *Sicut istud vestimentū ab his ignibus videtis illæsum, ita & corpus meum à mulieris coitu est impollutū.* Illis vero non credentib. sed contradicentibus, trahitur, calumniatur, eiicitur, vt sermo sancti adimpleretur: *Noueris te in episcopatu multa aduersa passurū.* Hoc enim eiecto, Iustinianum in episcopatu constituunt. Deniq; Briccius Romanæ vrbis Papā expetiit, flens & eiulans, atque dicens: *Merito hæc patior, quia peccaui in sanctum Dei, & eum delirum & amentem sæpe vocaui: cuius videns virtutes, non credidi.* Post cuius abscessum, aiunt Turonici sacerdoti suo: *Vade post eum, & exerce negocium tuum: quia si eum prosecutus non fueris, ad nostrum omniū contemptum humiliaberis.* Iustinianus vero egressus à Turonis, Vercellas Italiæ ciuitatem adgressus, iudicio Dei percussus, obiit peregrinus. Turonici eius obitum audiētes & in sua malitia perdurantes, Armentium in eius loco constituunt. At Briccius episcopus Romam veniens, cuncta quæ pertulerat Papæ refert. Qui ad sedem apostolicam residens, plerunq; missarum solennia celebrans, inibi quicquid in sanctū Dei deliquerat, deflendo, diluit. Septimo igitur regressus anno à Roma, cum auctoritate papæ illius, Turonos redire disponit: & veniens ad vicum cuius nomē est Laudiacū, sexto ab vrbe miliario, mansionem accepit. Armentius vero febre corripitur, & media nocte spiritum exhalauit. Quod protinus Briccio episcopo per visum reuelatum est: qui ait suis: *Surgite velocius, vt ad tumulandū fratrem nostrum Turonicum pontificem occurramus.* Cumq; illi venientes portam ciuitatis ingrederentur, ecce istum per aliam portam mortuum efferebant. Quo sepulto, Briccius in cathedram suam regressus est, septem postea feliciter viuens annos. Cui post XLVII. episcopatus annum defuncto, sanctus Eustochius successit, magnificæ sanctitatis vir.

De Vvandalis & persecutione Christianorum sub ipsis
CAP. II.

POST hæc Vandali à loco suo digressi, cum Gunderico rege in Gallias ruunt. Quibus valde vastatis, Hispanias appetunt. Hos secuti Sueui, id est, Alamanni, Galliciam adprehendunt. Nec multo post, scandalum inter vtrunque oritur populum, quoniam propinqui sibi erant: cumque ad bellum armati procederent, ac iamiamque in conflictu parati essent, ait Alamannorum rex, *Quousque bellum super cunctum populum commouetur? ne pereant quæso populi vtriusque phalangæ: sed procedant duo de nostris in campum cum armis bellicis, & ipsi inter se confligant. Tunc ille cuius puer vicerit, regionem sine certamine obtinebit.* Ad hæc cunctus consensit populus, ne vniuersa multitudo in ore gladii rueret. His enim diebus Gundericus rex obierat, in cuius loco Trasimundus obtinuerat regnum. Confligentibus vero pueris, pars Vandalorum victa succubuit. interfectoque puero, placitum egrediendi Trasimundus spopondit, vt scilicet præparatis itineris necessariis, se à finibus Hispaniæ remoueret. Per idem vero tempus persecutionem in Christianos Trasimundus exercuit, ac totam Hispaniam, vt ad perfidiam Arrianæ sectæ consentiret, tormentis ac diuersis mortibus impellebat. Vnde factum est, vt puella quædam religiosa, prædiues opibus, ac secundum seculi dignitatem, nobilitate senatoria florens: & (quod his omnibus est nobilius) fide catholica pollens, Deoque omnipotenti inreprehensibiliter seruiens, ad hanc quæstionem adduceretur. Cumque Regis

iussit

fuisset oblata conspectibus, cœpit eam primum ad rebaptizandum blandis sermonibus inlicere. Quæ cum venenosum eius iaculum fidei parma propelleret, præcepit Rex facultates eius auferri, quæ iam mēte possidebat regna paradisi. deinde suppliciis adplicatam, sine spe præsentis vitæ torqueri. Quid plura? Post multas quæstiones, post ablatos terrenarū diuitiarū thesauros, cum ad hoc frangi non posset, vt beatā scinderet Trinitatem, ad rebaptizandū inuita deducitur. Cumq; in illud cœnosum lauacrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret, *Patrem cum filio, ac Spiritum sanctum vnius credo esse substantiæ essentiæque*, digno aquas vnguine cunctas infecit, id est fluxu ventris aspergit. Exhinc ad legitimam deducta quæstionem, post eculeos, post flammas & vngulas, Christo domino capitis decisione dicatur. Post hæc prosequentibus Alamannis vsque ad Traductam, transito mari Vandali per totam Africam ac Mauritaniam sunt dispersi.

De Cirola hæreticorum episcopo, & de sanctis martyribus CAP. III.

SED quoniam eorum tempore persecutio in Christianos inualuit, sicut superius mentio facta est, videtur vt aliqua ex his quæ circa Dei Ecclesias intulerunt, vel quemadmodum de regno expulsi sint, memorare. Defuncto igitur Trasimundo, post scelera quæ in sanctis Dei exercuit, Honoricus mente crudelior Africanū occupat regnum, atq; ex electione Vandalorum ipsis præponitur. Cuius sub tempore quanti Christianorum populi, pro ipso Christi sacratissimo nomine cæsi sint, ab hominibus non potest comprehendi. Testis est tamen Africa quæ misit, & Christi dextera, quæ gemmis immarcescibilibus coronauit. Legimus tamen quorundam ex ipsis martyrum passiones, ex quibus quædam replicanda sunt, vt ad ea quę spopondimus veniamus. Igitur Cirola falso vocatus episcopus, hæreticorum tunc maximus habebatur assertor. Cumq; ad persequendum Christianos rex per diuersa transmitteret, sanctum Eugeniū episcopum, virum inenarrabili sanctitate, qui tūc ferebatur magnæ prudentiæ esse, in suburbano ciuitatis suæ reperit persecutor. Quem ita violenter rapuit, vt nec ad hortandum gregem Christi, vllum abire permitteret. Ille vero cum se videret abduci, Epistolam ciuibus pro custodienda fide catholica, hoc modo transmisit: *Dilectissimis & in Christi amore dulcissimis filiis & filiabus Ecclesiæ mihi à Deo commissæ, Eugenius episcopus: Regalis emanauit auctoritas, & pro exercenda fide catholica, edicto nos à Carthagine venire præcepit. Et ideo ne abiens à vobis Ecclesiam Dei in ambiguo, hoc est, in suspenso dimitterem, aut oues Christi non verus pastor silentio relinquerem, necessarium duxi has pro me vicarias vestræ dirigere sanctitati: in quibus non sine lachrimis peto, hortor, moneo, & satis abundeque obtestor per Dei maiestatem, & per tremendum iudicii diem, atque aduentus Christi terribilem claritatem, vt fixius teneatis catholicam fidem, adserentes filium patri esse æqualem, & spiritum sanctum eandem habere cum patre & filio deitatem. Seruate itaque vnici baptismatis gratiā, custodientes chrismatis vnctionem. Nemo post aquam reuertatur ad aquam, renatus ex aqua. Nutu enim Dei sal in aqua conficitur: sed si in aquam redactum fuerit, omnis species eius confestim euacuatur. Vnde non immerito Dominus in euangelio ait, Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Et vtique hoc est infatuari, velle secundo condiri, cum semel factum sufficiat. Non audistis Christum dicentem: Qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lauandi? Ideoque fratres, & filii filiæque meæ in Domino, non vos contristet absentia mea, quin catholicæ disciplinæ adhæreatis. Ego vos nec longinquitate aliqua obliuiscor, nec morte à vobis diuellor. Scitote quia quocunque me fecerint diuidi agones, mecum est palma: si ad exilium abiero, beati Ioannis euangelistæ exemplum: si ad mortis exitium, viuere mihi Christus est & mori lucrum. Si rediero, fratres, implebit Deus desiderium vestrum. Attamen sufficit modo, quod vobis non tacui: monui, instruxi, quomodo potui: ideoque immunis sum à sanguine omnium pereuntium, & scio quia aduersus eos legētur literæ istæ ante tribunal Christi, cum venerit reddere vnicuique secundum opera sua. Si reuersus fuero, fratres videbo vos in hac vita: si non reuersus fuero, videbo vos in futura. Dico tamen vobis, valete, orate pro nobis, & ieiunate: quia ieiunium & eleemosyna semper Dominum ad misericordiam deflexerunt. Mementote esse*

ſcriptum in Euangelio, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: timete autem eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem & animam & corpus perdere & mittere in gehennam. Ductus itaque ſanctus Eugenius ad Regem cum illo Arrianorum epiſcopo, pro fide Catholica decertauit. Cumq; eum de ſanctæ Trinitatis myſterio potentiſſime deuiciſſet, & inſuper multas per eum virtutes Chriſtus oſtenderet, in maiorem inſaniam idem Epiſcopus inuidia inflammante, ſuccenditur. Erãt enim tunc temporis cum ſancto Eugenio viri prudentiſſimi atque ſanctiſſimi, Vindemialis & Longinus epiſcopi, pares gradu, & virtute nõ impares. Nam ſanctus Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum ſuſcitaſſe: Lõginus autem multis infirmis ſalutem tribuit. Eugenius quoq; non ſolum viſibilium oculorum cæcitatem, ſed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequam Arrianorum epiſcopus, vocatum ad ſe quendam hominem, ab illo quo ipſe viuebat errore, deceptum, ait, *Non patior, quod hi Epiſcopi multa in populo ſigna depromunt, illoſque cuncti me neglecto ſequuntur. Adquieſce nunc his quæ præcipio, & acceptis quinquaginta aureis, ſede in platea per quam nobis eſt tranſitus: & manum ſuper clauſos oculos ponens, me prætereunte cum reliquis exclama in magna virtute, dicens: Te beatiſſime Cirola, noſtræ religionis antiſtes, deprecor, vt reſpiciens manifeſtes gloriam ac virtutem tuam, vt oculos meos aperiens, merear lucem videre quam perdidi.* Qui iuſſa complens, reſidensque in platea, tranſeunte hæretico cum ſanctis Dei, ille qui Deum irridere cogitabat, exclamat in magna virtute dicens: *Audi me beatiſſime Cirola: audi me ſancte ſacerdos Dei: reſpice cæcitatem meam: experiar ego medicamenta quæ ſæpe cæci reliqui à te meruerunt, quæ leproſi experti ſunt, quæ ipſi etiam mortui præſenſerunt. Adiuro te per ipſam virtutem quam habes, vt mihi deſideratam reſtituas lucem, quia graui ſum cæcitate percuſſus.* Veritatem enim neſciens, verum dicebat: quia cæcauerat eum cupiditas, & virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam æſtimabat. Tunc hæreticorum Epiſcopus paululum ſe diuertit, quaſi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atque ſuperbia, poſuit manum ſuam ſuper oculos eius dicens; *Secundum fidem noſtram, qua recte Deum credimus, aperiantur oculi tui.* Et mox vt hoc nefas erupit, riſus mutatur in planctum, & dolus epiſcopi eſt patefactus in publico. nam tantus dolor oculos miſeri illius inuaſit, vt eos digitis vix comprimeret, ne creparent. Denique clamare cœpit miſer, ac dicere: *Væ mihi miſero, quia ſeductus ſum ab inimico legis diuinæ. Væ mihi, quia Deum per pecuniam irridere volui, & quinquaginta aureos accepi, vt hoc facinus perpetrarem.* Ad epiſcopum autem aiebat: *Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidi. Voſque rogo glorioſiſſimi Chriſtiani, ne deſpiciatis miſerum, ſed velociter ſuccurrite pereunti. Vere enim cognoui, quia Deus non irridetur.* Tunc ſancti Dei miſericordia moti, Si, inquiunt, credis, omnia poſſibilia ſunt credenti. At ille clamabat voce magna: *Qui non crediderit Chriſtum filium Dei & ſpiritum ſanctum æqualem habere ſubſtantiam atque deitatem cum Deo patre, hodie quæ ego perfero patiatur.* Et adiecit, *Credo Deum patrem omnipotentem, credo filiũ Dei Chriſtum Ieſum æqualem patri, credo ſpiritum ſanctum patri & filio conſubſtantialem atque coæternum.* Hæc illi audientes, & ſe inuicem honore mutuo præuenientes, oritur inter eos ſancta contentio, quis oculis eius ſignum beatæ crucis imponeret. Vindemialis vero ac Longinus Eugenium, ille autem econtra eos exorat vt manus imponerent cæco. Quod cum feciſſent, & manus ſuas ſuper caput eius tenerent, ſanctus Eugenius crucẽ ſuper oculos cæci faciens, ait: *In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti veri Dei, quẽ trinũ in vna æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui.* Et ſtatim ablato dolore, ad priſtinam rediit ſanitatem. Manifeſtiſſime autem patuit per huius cæcitatem, qualiter hæreticorum Epiſcopus, oculos cordium miſero aſſertionis ſuæ velabat amictu, ne veram lucem illi liceret fidei oculis contemplari. O miſerum, qui non ingreſſus per ianuam, id eſt per Chriſtum, qui eſt ianua vera, lupus magis gregi quam cuſtos effectus eſt: & pacem fidei quam in credentium cordibus debuerat accẽdere, prauitate cordis ſui conabatur extinguere. Sancti vero Dei alia ſigna in populis multa fecerunt, & erat vox vna populi dicentis, *Verus Deus pater, verus Deus filius, verus Deus ſpiritus ſanctus, vna fide colendus, vno timore metuendus, eodemque honore venerandus. Nam quæ Cirola adſerit, falſa eſſe cunctis eſt manifeſtum.* Videns autem Honoricus rex, aſſertiones ſuas per ſanctorum fidem glorioſam taliter denudari,

dari, nec erigi sectam erroris, sed potius destrui: fraudemque pontificis sui in hoc scelere fuisse detectam, sanctos Dei post multa tormenta, post eculeos, †post flammas, post vngulas, iussit interfici. (al. aculeos) Beatum vero Eugenium decollari iussit, sub ea specie, vt si in ea hora qua ensis super ceruicem eius incumbebat, non reuerteretur ad hæreticorum sectam, non occideretur, ne eum pro martyre excolerent Christiani, sed exilio damnaretur: quod ita factum esse manifestum est. Nam cum imminenti morte, interrogatus fuisset, si mori pro fide Catholica destinaret, respondit: *Hæc enim est sempiterna vita, pro iustitia mori.* Tunc suspenso gladio, apud Albigensem Galliarum vrbem, exilio deputatus est: vbi & finē vitæ præsentis fecit. Ad cuius nūc sepulchrum multæ virtutes creberrime ostenduntur. Sanctum vero Vindemialem, gladio percuti præcepit. quod & impletum est in hoc certamine. Octauianus vero archidiaconus & multa milia virorum ac mulierum, hanc fidem adserentium interempta atq; debilitata sunt. Sed pro amore gloriæ, nihil erant hæc supplicia confessoribus sanctis, qui in paucis vexati, in multis bene se nouerant disponendos, iuxta illud Apostoli: *Quia non sunt condignæ passiones huius tēporis, ad futuram gloriam quæ reuelatur in sanctis.* Multi tunc errantes à fide, accipientes diuitias, inseruerunt se doloribus multis. Infelix autem quidam episcopus nomine Reuocatus, eo tempore est reuocatus à fide Catholica. Tūc & sol teter apparuit obscuratus, ita vt vix ab eo pars vel tertia elucceret. Credo nanq; pro tantis sceleribus & effusione sanguinis innocētis. Honoricus vero post tantum facinus, arreptus à Dæmone qui diu de sanctorum sanguine pastus fuerat, propriis se morsibus laniabat: in quo etiam cruciatu, vitā indignam iusta morte finiuit. Huic Childericus successit, quo defuncto, Gelesimiris regnum suscipit. Ipse quoq; à Republica †superatus, vitam principatumq; finiuit, & sic regnum decidit Vandalorum. (i. à Romanis.)

De persecutione sub Athanarico agitata
CAP. IV.

MVLTÆ enim hæreses eo tempore Dei ecclesias impugnabant, de quibus plerūque vltio diuina data est. Nam & Athanaricus Gothorū rex, magnam excitauit persecutionem: qui multos Christianorum diuersis pœnis adfectos, gladio detruncabat: sed & nonnullos exilio datos, fame variisq; cruciatibus enecabat. Vnde factū est, vt exigēte iudicio Dei pro effusione sanguinis iusti, à regno depelleretur, & esset exsul à patria, qui dei Ecclesias impugnabat. nunc vero ad superiora redeamus.

De Seruatio episcopo & Chunis
CAP. V.

IGITVR rumor erat Chunos in Gallias velle prorumpere. Erat autem tunc temporis apud Tungros oppidū Seruatius eximiæ sanctitatis episcopus, qui vigiliis ac ieiuniis vacans crebro lachrimarum imbre perfusus, Domini misericordiā precabatur, ne vnquam gentem hanc incredulam, sibiq; semper indignam in Gallias venire permitteret. (S. Seruatius Tungrens.) Sed sentiens per spiritū, pro delictis populi, sibi hoc non fuisse concessum, cōsilium cepit †vt expeteret vrbem Romanā, scil. vt adiūctis sibi apostolicę virtutis patrociniis, quæ humiliter ad Dei misericordiam flagitabat, mereretur facilius obtinere. (al. cons. habuit expetendi.) Accedens ergo ad beati apostoli tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis eius, in multa abstinentia, maxima inedia se consumens, ita vt biduo triduoque sine vllo cibo potúque maneret, nec esset interuallum aliquod in quo ab oratione cessaret. Cumque ibidem multorum dierum spacia in tali afflictione moraretur, fertur hoc à beato Apostolo accepisse responsum: *Quid me vir sanctissime inquietas? ecce enim apud Domini deliberationem prorsus sancitum est; Chunos in Gallias aduenire, easque maxima tempestate debere depopulari. Nunc igitur sume consilium, accelera velociter, ordina domum tuam, sepulturam compone: require linteamina mūda. ecce enim migrabis à corpore, nec videbūt oculi tui mala quæ facturi sunt Chuni in Galliis, sicut locutus est dominus Deus noster.* Hoc à sancto Apostolo pontifex responso suscepto, iter accelerat, Galliasque velociter repetit: veniensq; ad vrbem Tungrorum, quæ erant necessaria sepulturæ secum citius leuat: valeq; dicens clericis, ac reliquis ciuibus vrbis, denunciat cū fle-

tu & lamentatione, quia non visuri essent vltra faciem illius. At illi cum eiulatu magno & lachrimis eum prosequentes, supplicabant humili prece dicentes, *Ne derelinquas nos pater sancte, ne obliuiscaris nostri pastor bone.* Sed cum eum fletibus reuocare non possent, accepta benedictione cum osculis redierunt. Hic vero ad Traiectensem vrbem accedens, modica pulsatus febre, recessit à corpore. Ablutusq; à fidelibus, iuxta ipsum aggerem publicum est sepultus. Cuius beatum corpus qualiter post multorum temporum spacia sit translatum, in libro Miraculorum scripsimus.

De Basilica S. Stephani apud Metensem vrbem
CAP. VI.

IGITVR Chuni à Pannoniis egressi (vt quidam ferunt) in ipsa sanctæ Paschæ vigilia ad Metensem vrbem, reliqua depopulando, perueniunt, tradentes vrbē incēdio, & populum in ore gladii trucidātes, ipsosq; sacerdotes Domini ante sacrosancta altaria perimentes. Nec remansit in ea locus inustus, præter oratorium beati Stephani primi martyris ac leuitæ. De quo oratorio quæ à quibusdam audiui, narrare nō distuli. Aiunt enim, priusquam hi hostes venirent, vidisse virum fidelem in visu quasi conferentem cum sanctis apostolis Petro ac Paulo, beatum leuitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem: *Oro domini mei, vt non permittatis obtentu vestro Metensem vrbem ab inimicis exuri, quia locus in ea est in quo paruitatis meæ pignora continentur: sed potius sentiant se populi aliquid me posse cum Domino. Quod si tantum facinus populi supercreuit, vt aliud fieri non possit, nisi ciuitas tradatur incendio, saltem vel hoc oratorium non cremetur.* Cui illi aiunt, *Vade in pace, dilectissime frater, oratorium tantum tuum carebit incendio. Pro vrbe vero non obtinebimus, quia dominicæ sanctionis super eam sententia iam processit: inualuit enim peccatum populi, & clamor malitiæ eorum ascendit coram Deo. ideo ciuitas hæc cremabitur incendio.* Vnde proculdubio est, quod horum obtentu vrbe vastata, oratorium permansit inlæsum.

De vxore Aetii
CAP. VII.

ATTILA vero Chunorum rex, à Metensi vrbe egrediens, cum multas Galliarum ciuitates opprimeret, Aurelianis adgreditur, eamq; maximo arietū impulsu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus, in supradicta vrbe Episcopus, vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis sanctitatis, cuius virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur. Cumq; inclusi populi suo pontifici quid agerent acclamarent, ille fisus in Deo, monet omnes in orationem prosterni, & cum lachrimis præsens semper in necessitatibus domini auxiliū implorare. Deniq; his vt præceperat deprecantibus, ait sacerdos: *Aspicite de muro ciuitatis, si Dei miseratio iam succurrat.* Suspicabatur enim per domini misericordiā, Aetium aduenire, ad quē & Arelatem abierat, prius suspectus futuri. Aspicientes autem de muro, neminem viderūt. Et ille, *Orate*, inquit, *fideliter, Dominus enim liberabit vos hodie.* Orantibus autem illis, ait, *Aspicite iterum.* Et cum aspexissent, neminem viderunt qui ferret auxilium. Ait eis tertio, *Si fideliter petitis, Dominus velociter adest.* At illi cum fletu & eiulatu magno, domini misericordiam implorabant. Exacta quoque oratione, tertio iuxta senis imperium aspicientes de muro, viderunt à longe quasi nebulā de terra consurgere. Quod renunciantes, ait sacerdos, *Domini auxiliū est.* Interea iam tremētibus ab impetu arietum muris, iamque ruituris, ecce Aetius & Theudo† Gothorum rex, ac Thorismodus filius eius, cum exercitibus suis ad ciuitatem adcurrunt, aduersumq; hostē eiiciunt, repelluntq;. Itaq; liberata obtentu beati antistitis ciuitate, Attilam fugant, qui Mauriacum campum adiens, se præcingit ad bellum. Quod hi audientes, se contra eum viriliter præparant. His diebus Romam sonus adiit, Aetiū in maximo discrimine inter phalangas hostium laborare. Quo audito vxor eius anxia atq; mœsta, assidue basilicam sanctorum Apostolorum adibat, atq; vt virum suum de hac expectatione susciperet sospitem precabatur. Quę cum die noctuq; hæc ageret, quadam nocte homo pauperculus, crapulatus à vino, in angulo basilicæ beati Petri apostoli obdormiuit. Clausis autem ex more ostiis a custodibus, non est eiectus. de nocte vero consur-

Orleans.

al. Theodo-rus.

consurgens, relucētibus per tota ædis spacia lychnis, pauore perterritus, aditum per quem foris euaderet, quærit.† Verum vbi primi atq; alterius ostii claustra pulsat, & obserata cuncta cognoscit, solo decubuit, trepidus præstolans locū, vt conuenientibus ad matutinos hymnos populis, hic liber abscederet. Interea vidit duas personas se inuicē venerabiliter salutantes, sollicitosq; de suis esse prosperitatibus. Tunc qui erat senior, ita exorsus est: *Vxoris Aetii lachrimas diutius sustinere non patior. petit enim assidue, vt virum suum de Galliis reducam incolumem, cum aliud exinde fuisset apud diuinum iudicium præfinitum sed tamen obtinui immensam pietatem pro vita illius. Et ecce nunc illuc propero, viuentem eum exinde reducturus. Veruntamen obtestor, vt qui hæc audierit, sileat, arcanumque Dei vulgare non audeat, ne pereat velociter è terra.* Ille autem hæc audiens, silere non potuit, sed mox inlucescente cœlo omnia quæ audierat, matrifamiliæ pādit, expletisq; sermonibus lumine caruit oculorum. Igitur Aetius cum Francis Gothisq; coniunctus, aduersus Attilā confligit. At ille ad internecionem vastari suum cernens exercitum, fuga dilabitur. Theudo† vero Gothorum rex huic certamini succubuit. Nā nullus ambigat, Chunorum exercitum obtentu memorati antistitis fuisse fugatū. Verūtamen Aetius patritius cū Thorismodo victoriā obtinuit, hostesque deleuit. Expletoq; bello ait Aetius Thorismodo, *Festina velociter redire in patriā, ne insistente germano, patris regno priueris.* Hæc ille audiens, cū velocitate discessit, quasi anticipaturus fratrem, & prior patris cathedram adepturus. Simili & Francorum regem dolo fugauit. Illis autem recedentibus, Aetius spoliato campo, victor in patriam cum grandi est reuersus spolio. Attila vero cum paucis reuersus est, nec multo post Aquileia a Chunis capta, incensa atq; diruta, Italia peruagata atq; subuersa est. Thorismodus de quo supra meminimus, Alamannos† bello edomuit: ipse deinceps, post multas lites & bella, à fratribus oppressus ac iugulatus interiit.

al. q. ad per fores vt euaderet.

Theodorus.

Pal. Alanis.

Quid de Aetio historiographi scripserint
CAP. VIII.

IGITVR his ita digestis ac per ordinem expletis, quid de Aetio supra memorato Renati Frigeridi† narrat historia tacere nefas putaui. Nam cum in duodecimo historiarum libro referat, post diui Honorii excessum, Valentinianum puerulum, vno tantum lustro peracto, à consobrino Theodosio imperatorem fuisse creatum, & apud vrbem Romam tyrannum Ioannem in imperium surrexisse, legatosque eius à Cæsare dicat fuisse despectos, adiecit: *Dum hæc ita gererentur, legati ad tyrannum reuersi sunt, mandata atrocia† reportantes: Quibus permotus Ioannes, Aetium id temporis curam palatii gerentem, cum ingenti auri pondere, ad Chunos transmittit, notos sibi obsidiatus sui tempore, & familiari amicitia deuinctos cum mandatis huiusmodi: Cum primum partes aduersæ Italiam ingressæ forent, ipsi à tergo adoriretur, se à fronte venturum. Et quia de hoc viro consequenter plura memoranda sunt, genus moresque ordiri placet. Gaudentius pater, Scythiæ prouinciæ primoris loci, à domesticatu exorsus militia vsque ad magisterii equitum culmen prouectus est. Mater Itala, nobilis ac locuples fœmina. Aetius filius, à puero prætorianus, tribus annis Alarici obses, dehinc Chunorum, post hæc Carpilionis gener, ex comite domesticorum, & Ioannis cura palatii: medii corporis, virilis habitudinis decenter formatus, quo neque infirmitudini esset neque oneri: animo alacer, membris vegetus, eques promptissimus, sagittarum iactu peritus, conto impiger, bellis aptissimus, pacis artibus celebris, nullius auaritiæ, minimæ cupiditatis, bonis animi præditus, nec impulsoribus quidem prauis ab instituto suo deuians, iniuriarum patientissimus, laboris appetens, impauidus periculorum, famis sitisque atque vigiliarum tolerantissimus. Cui ab ineunte ætate prædictum liquet, quantæ potentiæ fatis destinaretur, temporibus suis locisque celebrandus.* Hæc supradictus historiographus de Aetio narrat. Adultus autem Valentinianus imperator, metuens ne se per tyrannidem Aetius opprimeret, eum nullis causis extantibus interemit. Ipse postmodum Augustus, dum in campo Martio pro tribunali residens, concionaretur ad populum, Occylla bucellarius Aetii ex aduerso veniens, cum gladio perfodit. Talis vtrisque extitit finis.

al. Frigiridi.

al. atrociora port.

Aetius Rom.

Quid de Francis iidem dicant
CAP. IX.

Sulpit. Alexander.

DE Francorum vero Regibus, quis fuerit primus à multis ignoratur. Nam cum multa de eis Sulpitii Alexandri narret historia, non tamen Regem primum eorum vllatenus nominat: sed Duces eos habuisse dicit: quæ tamen de eisdem referat, memorare videtur. Nam cum dicit, Maximum intra Aquileiam, amissa omni spe imperii quasi amentem residere, adiungit: *Eo tempore Genobaldo, Marcomere, & Sunnone ducibus, Franci in Germaniam prorupere, ac pluribus mortalium limite irrupto cæsis fertiles maxime pagos depopulati, Agrippinensi etiam Coloniæ metum incussere. Quod vbi Treueros perlatũ est, Nannius & Quintinus militiæ magistri, quibus infantiam filii & defensionem Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu apud Agrippinã conuenere. Sed onusti præda hostes, prouinciarum opima depopulati, Rhenum transiere, pluribus suorum in Romano relictis solo, ad repetendam depopulationem paratis, cum quibus congressus Romanus accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonariam ferro peremptis. Cumque consultaretur de successu, an in Franciam transire deberent, Nannius abnuit, quia non imparatos & in locis suis indubie fortiores futuros sciebat. Quod cum Quintino & reliquis viris militaribus displicuisset, Nannio Mogontiacum reuerso, Quintinus cum exercitu circa Niuisium castellum Rhenum transgressus, secundus à fluuio castris, casas habitatoribus vacuas atque ingentes vicos destitutos offendit. Franci enim simulato metu, se in remotiores saltus receperant, concidibus per extrema siluarum procuratis. Itaque vniuersis domibus exustis, in quas sæuire stoliditas ignaua victoriæ consummationem reponebat, noctem sollicitam milites sub armorum onere duxerant. Ac primo diluculo, Quintino prælii duce ingressi saltus, in medium fere diem implicantes se erroribus viarum, toto peruagati sunt: tandem cum ingentibus septis omnia à solido clausa offendissent, in palustres campos qui siluis iungebantur, prorumpere molientibus hostium rari apparuere: qui coniunctis arborum truncis, vel concidibus superstantes, velut e fastigiis turrium, sagittas tormentorum ritu effudere, illitas herbarum venenis, vt summæ cuti, neque letalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes sequerentur. Dehinc maiori multitudine hostium circumfusus exercitus, in aperta camporum, quæ libera Franci reliquerant, auide effusus est: ac primi equites voraginibus immersi permixtis hominum iumentorũque corporibus, ruina inuicem suorum oppressi sunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorũ calcauerant, implicati limo, ægre explicantes gressum, rursus se qui paulo ante vix emerserant, siluis trepidantes occulebant. Perturbatis ergo ordinibus cæsæ legiones, Heraclio Iouinianorum tribuno ac pene omnibus qui militibus præerant, extinctis, paucis effugium tutum nox & latibula siluarum præstitere.* Hæc in tertio Historiæ libro narrauit. In quarto vero libro cum de interfectione Victoris filii Maximi tyranni narraret, ait: *Eo tempore Carietto & Syrus in locum Nannenii subrogati, in Germania cum exercitu opposito Francis diuersabantur.* Et post pauca, cum Franci de Germania prædas tulissent, adiecit: *Nihil Arbogastes differre volens commonet Cæsarem pœnas debitas à Francis exigendas, nisi vniuersa quæ superiori anno cæsis legionibus diripuerant, confestim restituerent, auctoresq; belli traderent, in quos violatæ pacis perfidia puniretur.* Hæc acta cum duces essent, retulit: & deinceps ait, *Post dies pauculos Marcomere & Sunnone Francorũ regalibus transacto cursim conloquio, impetratisq; ex more obsidibus, ad hiemandũ Treueros concessit.* Cum autem eos regales vocet, nescimus vtrũ reges fuerint, an vices tenuerint regum. Idem tamen scriptor, cum necessitates Valentiniani Augusti commemorat, hæc adiungit: *Dũ diuersa in oriente per Thracias geruntur, in Gallia status publicus perturbatur. Clauso apud Viennã palatii ædibus principe Valentiniano, & pene infra priuati modum redacto, militaris rei cura Frãcis satellitibus tradita, ciuilia quoq; officia transgressa in coniuratione Arbogastis. nullusq; ex omnib. sacramẽtis militiæ obstrictis reperiebatur, qui familiari principis sermoni aut iussis obsequi auderet.* Dehinc refert, quod eodem anno *Arbogastes Sunnonem & Marcomerem subregulos Francorũ gentilibus odiis insectãs, Agrippinam rigente maxime hieme petiit: ratus tuto omnes Franciæ recessus penetrandos vrendosque, cum decussis foliis nudæ atque arentes siluæ insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu, transgressus Rhenum, Bricteros ripæ proximos, pagum etiam quem Chamaui incolunt depopulatus est, nullo vnquã occursante, nisi quod pauci ex Ampsiuariis & Chattis Marcomere duce in vlterioribus collium iugis apparuere.* Iterum hic relictis tam ducibus quam regalibus aperte Francos regem habere designat. huiusq; nomen prætermittens ait: *Deinde Eugenius tyrannus suscepto expeditionali procinctu, Rheni limitem petit, vt cum Alamannorum & Francorum regibus vetustis fœderibus ex more initis, immensum ea tempestate exercitum gentibus feris ostẽtaret.* Hæc supra scriptus historiographus de Francis disseruit. Rena-

Nouesium. hod. Nussia.

Arbogastes.

Bructeri. Chamaui. Amsiuarii.

Renatus profuturus Frigeridus, cuius iam supra meminimus, cum Romam refert à Gothis captam atq; subuersam, ait: *Interea Respendial rex Alamannorum, Goare ad Romanos transgresso, de Rheno agmen suorum conuertit, Vandalis Francorum bello laborantibus. Godigiselo rege absumpto, acie viginti ferme militibus ferro peremptis, cunctis Vandalorum ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tēpore subuenisset.* Mouet nos hæc causa, quod cum aliorum gentium reges nominat, cur non nominet & Francorum. Tamen cum ait, quod Constantinus assumpta tyrannide, Constantium filium ad se de Hispaniis venire iussisset, ita disseruit: *Accito Constantinus tyrannus de Hispanis Constante filio, itemque tyranno, quo de summa rerum consultarent præsentes, factum est vt Constans instrumento aulæ & coniuge sua Cæsaraugustæ dimissis, Gerontio intra Hispanias omnibus creditis, ad patrem continuato itinere decurreret. Qui vbi in vnum venere, interiectis diebus plurimis, nullo ex Italia metu, Constantinus gulæ & ventri deditus, redire ad Hispanias filium monet. Qui præmissis agminibus, dum cum patre resideret, ab Hispania nuncii commeant, à Gerontio maximum vnum e clientibus suis imperio præditum, atque in se comitatu gentiū Barbararum accinctum parari. quo exterriti, Edobecco ad Germanas gentes præmisso, Constans, & præfectus iam Decimius Rusticus ex officiorum magistro petunt Gallias cum Francis & Alamannis, omnique militum manu, ad Constantinum iamiamque redituri.* Item cum Constantinum obsideri scribit, ita dicit: *Vix dum quartus obsidionis Constantini mensis agebatur, cum repente ex vlteriori Gallia nuncii veniunt, Iouinum adsumpsisse ornatus regios, & cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminente obsidentibus, ita acceleratis moris, reserata vrbe Constantinus deditur. Confestimque ad Italiam directus, missis à principe obuiam percussoribus, supra Mincium flumen capite trūcatus est.* Et post pauca idem refert: *Hisdem diebus præfectus tyrannorum Decimius Rusticus Agroetius ex primicerio notariorū Iouini, multique nobiles apud Aruernos capti à ducibus Honorianis, & crudeliter interempti sunt. Treuerorum ciuitas à Francis direpta incensaque est secunda inruptione.* Cum autem Asterius codicillis imperialibus patriciatum sortitus fuisset, hæc adiungit: *Eodem tempore Castinus domesticorum comes, expeditione in Francos suscepta, ad Gallias mittitur.* hæc hi de Francis dixere. Orosius autem & ipse historiographus in septimo operis sui libro, ita commemorat: *Stilico congregatis gentibus Francos proterit, Rhenum transit, Gallias perua gatur, & ad Pirenæos vsque perlabitur.* Hanc nobis notitiam de Francis memorati historici reliquere, regibus nō nominatis. Tradunt enim multi eosdē de Pannonia fuisse digressos. Et primum quidem litora Rheni amnis incoluisse: † dehinc trās- acto Rheno, Thoringiam transmeasse: ibique iuxta pagos vel ciuitates, Reges crinitos super se creauisse, de prima, & (vt ita dicam) nobiliori suorum familia. Quod postea probatum Chlodouei victoriæ tradidere, idque in sequenti digerimus. Nam & in consularibus † legimus, *Theodomerem regem Francorum, filium Richimeris quondā, & Ascilam matrem eius, gladio interfectos.* Ferunt etiam tunc † Chlogionem vtilem ac nobilissimum in gente sua regem Francorum fuisse, qui apud Dispargum castrum habitabat, quod est in termino Thoringorum. in his autem partibus, id est ad meridionalem plagam, habitabant Romani vsque Ligerim fluuium. Vltra Ligerim vero Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arrianorum sectam sequentes habitabant trans Rhodanum, qui adiacet ciuitati Lugdunensi. Chlogio autem missis exploratoribus, ad vrbem Camaracum, perlustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, ciuitatem adprehendit: in qua paucum tempus residens, vsque Suminam † fluuium occupauit. De huius stirpe quidam Merouecum regem fuisse adserunt, cuius fuit filius Childericus.

Respendial.
incubuisse.
Fastis. A.cccclviii.
CHLOGIO R.
Somme fl.
Merouecus.
Childericus R.

Quid de simulacris gentium Prophetæ domini scribant

CAP. X.

Sed hæc generatio fanaticis semper cultibus visa est obsequium præbuisse, nec prorsus agnouere Deum: sibique siluarum atque aquarum, auium, bestiarumque, & aliorum quoque elementorum finxere formas, ipsasque vt Deum colere eisq; sacrificia delibare consueti. O si eorum fibras cordium, vox illa terribilis attigisset, quæ per Moysem populo locuta est, dicens: *Non sint tibi dii alii præter me:*

non facies tibi sculptile, neque adorabis omnem similitudinem quæ in cælo sunt, & quæ in terra, & quæ versantur in aquis: non facies ea, & non coles ea. Et illud, *Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies, ac per nomen eius iurabis.* Quid si intelligere potuissent quæ pro vituli conflatilis veneratione Israeliticum populum vltio subsecuta compresserit, cum post epulum & cantica, post luxurias atq; saltationes, cum ore immundo proferrent de eodem sculptili; *Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* cecidere ex eis viginti quatuor milia hominum. Quid de his qui initiati Beelphegor cũ Moabitidibus scortis commixti, à proximis cæsi & prostrati sunt? In qua plaga Phinees sacerdos interemptis adulteris, sedauit furorem Dei, & reputatum est illi ad iustitiam. Quid si & illa eorum auribus inlata fuissent, quæ dominus per Dauid intonat, dicens: *Quia omnes dii gentiũ dæmonia, Dominus autẽ cælos fecit, & Simulachra gentiũ argentum & aurũ, opera manuũ hominum: similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* vel illud: *Confundantur omnes qui adorant sculptile, & qui gloriantur in simulachris suis.* Et iterũ quod Abacuc propheta testatur dicẽs: *Quid prodest sculptile quod sculpserunt, & finxerunt: illud conflatile fantasma, mendaciũ est, hoc autẽ productio argẽti & auri; & omnis spiritus non est in eis: Dominus autẽ in tẽplo sancto suo: sileat à facie eius vniuersa terra.* Sed & alius propheta dicit: *Dii qui cælum & terrã non fecere, pereant a terra, & de his quæ sub cælis sunt.* Itẽ illic: *Hæc dicit Dominus, creans cælos, ipse Deus formans terram, & quæ in ea sunt: ipse plastes eius, non in vanũ fundauit eã, vt habitaretur creauit eã. Ego Dominus, hoc mihi nomen est, gloriam meam alteri nõ dabo, neq; virtutẽ meam sculptilibus, quæ ab initio transiere.* & alibi: *nũquid sunt in sculptilibus gentiũ qui pluant?* Et per Isaiam iterũ dicit: *Ego primus & nouissimus, & absq; me non est Deus, & formator, quẽ ego non nouerim. Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vidẽt neq; intelligunt, & confundantur in eis: ecce omnes participes eius confundẽtur. fabri enim sunt ex hominibus. Quis formauit deum, & sculptile cõflauit ad nihil vtile? in prunis & malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ. Similiter & artifex lignarius, in circino tornauit illud, & fecit imaginẽ viri quasi speciosi hominis habitantis in domo. Succidit lignum, operatus est, fecit sculptile, & adorauit vt Deum. Clauis & malleis compaginauit, vt non dissoluatur. Portata tolluntur, quia incedere non valent: reliquum vero ligni, factum est hominibus in focum, & calefacti sunt. Ex alio vero deum fecit, & sculptile sibi: curuatur ante illud, & adorauit illud, & obsecrat dicens: Libera me, quia deus meus es tu. medietatẽ eius igni combussi, & coxi super carbones eius panes, coxi carnes, & comedi, & de reliquo eius idolum faciam. Ante truncũ ligni procidã: pars eius cinis est. Cor insipiens adorauit illud, & non liberauit animam suam: neque dicit, forte mendacium est in dextra mea.* Hæc autẽ Francorum generatio non intellexit primum, intellexerunt autem postea, sicut sequens historia narrat.

De Auito Imperatore
CAP. XI.

AVITVS enim vnus ex senatoribus, & vt valde manifestum est, ciuis Aruernus, cum Romanum ambisset imperium, luxuriose agere volens, a senatoribus eiectus, apud Placentiam vrbem episcopus ordinatur. Comperto autem, quod adhuc indignans Senatus, vita eum priuare vellet, basilicam sancti Iuliani Aruerni martyris cum multis muneribus expetiuit: sed impleto in itinere vitę cursu obiit, delatusq; ad Briuatensem vicum, ad pedes ante dicti martyris est sepultus: cui Martianus successit. In Galliis autem Egidius ex Romanis magister militum datus est.

De Childerico rege & Egidio
CAP. XII.

CHILDERICVS vero cum esset nimia in luxuria dissolutus, & regnaret super Francorum gentem, cœpit filias eorum stuprose detrahere. Illique † ob hoc indignantes, de regno eum eiiciunt. Comperto autem, quod eum etiam interficere vellent, Thoringiam petiit, relinquens ibi hominem sibi charum, † qui virorum furentium animos verbis lenibus mollire possit: dans etiam signum quando redire possit in patriam: id est, diuisere simul vnum aureum, & vnam quidem partem secum detulit Childericus, aliam vero amicus eius retinuit, dicens:

al. illi quoq;

Vvinomadus est Aimonio, l.c.7.

Quando

Quando hanc partem tibi misero, paresque coniunctæ vnam effecerint solidum, tunc tu securo animo in patriam repedabis. Abiens ergo in Thoringiam, apud regem Bisinum vxoremque eius Basinam latuit. Denique Franci hoc eiecto, Egidium sibi, quem superius magistrum militum a Republica † missum diximus, vnanimiter regem adsciscunt. Qui cum octauo anno super eos regnaret, amicus ille fidelis, pacatis occulte Francis, nuncios ad Childericum cum parte illa diuisi solidi, quam retinuerat, mittit. Ille vero certa cognoscens indicia, quod a Francis desideraretur, ipsis etiam rogantibus, à Thoringia regressus, in regnum suum est restitutus. His ergo regnantibus, simul Basina illa quam supra memorauimus, relicto viro suo, ad Childericum venit. Qui cum sollicite interrogaret, qua de causa ad eum de tanta regione venisset, respondisse fertur: *Noui*, inquit, *vtilitatem tuam, quod sis valde strenuus, ideoque veni vt habitem tecum: nam noueris, si in transmarinis partibus aliquem cognouissem vtiliorem te, expetissem vtique cohabitationem eius.* At ille gaudens, eam sibi in coniugio copulauit: quæ concipiens, peperit filium, vocauitque nomen eius Chlodoueum. Hic fuit magnus & pugnator egregius.

Ægidius Rom. † Romanus.

De episcopatu Venerandi ac Rustici Aruernis

CAP. XIII.

APud Aruernum vero post transitum sancti Artemii, Venerandus è senatoribus Episcopus ordinatur. Qualis autem fuerit hic pontifex, testatur presbyter Paulinus dicens: *Si enim hos videas dignos Domino sacerdotes, vel Exuperium Tholosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ, vel Venerandum Aruernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrogoriis, vtcunque se habent seculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei religionisque custodes.* Hic in ipsa dominici Natalis vigilia transisse refertur. Mane autem facto, processio solennitatis funeris eius obsequium fuit: post cuius obitum fœda apud ciues pro episcopatu contentio † vertebatur. Cumque partes inter se diuisæ, alium aliumque eligere vellent, magna conlisio erat populi. Residentibus tamen Episcopis, die dominico, mulier quædam velata atque deuota Deo, audenter ad eos ingreditur: quæ ait, *Audite me sacerdotes Domini: scitote enim, quod non est in his beneplacitum Deo, quos hi ad sacerdotium elegere. Ecce enim Dominus hodie ipse sibi prouidebit antistitem: itaque nolite conturbare neque conlidere populum, sed patientes estote parumper: Dominus enim nunc dirigit, qui regat Ecclesiam hanc.* His itaque mirantibus hæc verba, subito Rusticus nomine, qui erat ex ipsa vrbis Aruernæ diœcesi presbyter aduenit: ipse enim iam mulieri per visionem fuerat indicatus. Quo viso ait: *En ipsum quem elegit Dominus: ecce quem vobis Dominus pontificem destinauit: hic ordinetur episcopus.* Hæc ea loquente, omnis populus cuncta contentione postposita, clamauit, *dignum ac iustum esse.* Qui in cathedra positus, septimus in eodem loco pontificatus honorem populo gaudente, suscepit.

† MS. intentio vt & inibi sæpe.

De Episcopatu Eustochii Turonici, atque Perpetui, & de Basilica S. Martini

CAP. XIV.

APud vrbem vero Turonicam, defuncto Eustochio episcopo, septimo decimo sacerdotii sui anno, quintus post beatum Martinum, Perpetuus ordinatur. Qui cum virtutes assiduas ad sepulchrum eius fieri cerneret, cellulam quæ super eum fabricata fuerat, videns paruulam, indignam talibus miraculis iudicauit. Qua submota, magnam ibi Basilicam quæ vsque hodie permanet, fabricauit: quæ habetur a ciuitate passus D L. habet in longum pedes centum sexaginta, in latum sexaginta: habet in altum, vsque ad cameram, pedes quadragintaquinque. Fenestras inal-

tario trigintaduas in capſo, viginti columnas, quadraginta vnas in toto ædificio, feneſtras LII. columnas CXX. oſtia octo, tria in altario, quinque in capſo. Solennitas enim ipſius Baſilicæ triplici virtute pollet: id eſt dedicatione templi, translatione corporis ſancti, ordinatione eius epiſcopatus. Hanc enim quarto nonas Iulias obſeruabis: depoſitionem vero eius tertio Idus Nouembris eſſe cognoſcas. Quod ſi fideliter celebraueris, & in præſenti ſeculo, & in futuro, patrocinia beati antiſtitis promereberis. Et quoniam camera cellulæ illius prioris, eleganti opere fuerat fabricata, indignum duxit ſacerdos, vt opera eius deperirent. ſed in honore B. Apoſtolorum Petri & Pauli aliam conſtruxit Baſilicam, in qua cameram illam affixit. multas & alias Baſilicas ædificauit, quæ vſque hodie in Chriſti nomine conſtant.

De Baſilica ſancti Symphoriani

CAP. XV.

EO tempore & Baſilica beati Symphoriani Auguſtodunenſis martyris, ab Eufronio presbytero ædificata eſt. Et ipſe Eufronius, huius deinceps vrbis epiſcopatum ſortitus eſt. Hic enim marmor quod ſuper ſanctum ſepulchrum beati Martini habetur, cum grandi deuotione tranſmiſit.

De Namatio epiſcopo, & eccleſia Aruerna

CAP. XVI.

SANCTVS vero Namatius, poſt obitum Ruſtici epiſcopi, apud Aruernos in diebus illis octauus erat epiſcopus. Hic Eccleſiam quæ nunc conſtat, & veterrima intra muros ciuitatis habetur, ſuo ſtudio fabricauit, habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes ſexaginta, in altum infra capſum vſque cameram, pedes quinquaginta: in ante abſidem rotundam habens, ab vtroque latere aſcellas eleganti conſtructas opere, totumque ædificium in modum crucis habetur expoſitum. Habet feneſtras XLII. columnas LXX. oſtia octo. Terror nanque ibidem Dei, & claritas magna conſpicitur: & vere plerunque inibi odor quaſi aromatum ſuauiſſimus aduenire a religioſis ſentitur. Parietes ad altarium opere ſarſurio, ex multo marmorum genere exornatos habet. Exacto ergo in duodecimo anno beatus pontifex ædificio, Bononiam ciuitatem Italiæ ſacerdotes dirigit, vt ei reliquias ſanctorum Vitalis & Agricolæ exhibeant, quos pro nomine Chriſti Dei noſtri, manifeſtiſſime crucifixos eſſe cognouimus.

De coniuge eius & Baſilica ſancti Stephani

CAP. XVII.

CVius coniux Baſilicam ſancti Stephani ſuburbano murorum ædificauit. Quam cum fucis colorum adornare vellet, tenebat librum in ſinu ſuo, legens hiſtorias Actionis antiquas, pictoribus indicans quæ in parietibus fingere deberent. Factum eſt autem quadam die, vt ſedente illa in Baſilica ac legente, adueniret quidam pauper ad orationem: & aſpiciens eam in veſte nigra, ſenio iam prouectam, putauit eſſe vnam de egentibus, protulitque quadram panis, & poſuit in ſinu eius, & abſceſſit. Illa vero non dedignans munus pauperis, qui perſonam eius non intellexit, accepit & gratias egit, repoſuitque hanc ſuis epulis anteponens, & benedictionem ex ea ſingulis diebus ſumens, donec expenſa eſt.

Quod Childericus Aureliam, & Andegauum venit Odouacrius

CAP. XVIII.

Igitur

IGitur Childericus Aurelianis pugnas egit: Odouacrius † vero cum Saxonibus Andegauos venit. magna tunc lues populum deuastauit. mortuus est autem Egidius, & reliquit filium Syagrium nomine. Quo defuncto Odouacrius de Andegauo & aliis locis obsides accepit. Brittanni de Biturica à Gothis expulsi sunt, multis apud Dolensem vicum peremptis. Paulus vero comes cum Romanis ac Francis, Gothis bella intulit, & prædas egit. Veniente vero Odouacrio Andegauos, Childericus rex sequenti die aduenit, interemptoque Paulo Comite, ciuitatem obtinuit. Magno ea die incendio domus Ecclesiæ concremata est. *al. Adouacrius.*

Bellum inter Saxones ac Romanos

CAP. XIX.

HIs ita gestis inter Saxones atque Romanos bellum gestum est; sed Saxones terga vertentes, multos de suis, Romanis insequentibus gladio reliquere: insulæ eorum cum multo populo interempto, à Francis captæ atque subuersæ sunt. Eo anno mense nono terra tremuit. Odouacrius cum Childerico fœdus iniit, Alamannosque qui partem Italiæ peruaserant, subiugarunt.

De Victorio duce

CAP. XX.

EOricus autem Gothorum rex, Victorium ducem super septem ciuitates præposuit, anno quartodecimo regni sui. Qui protinus Aruernos adueniens ciuitatē addere voluit: vnde & cryptæ illæ vsq; hodie perstant, ad basilicam sancti Iuliani, & columnas quæ sunt in æde positæ exhiberi iussit. Basilicam sancti Laurentii & sancti Germani Licaniacensis vici iussit ædificari. Fuit autem Aruernis annis nouem. Super Eucherium vero senatorem calumnias deuoluit: quem in carcere positum, nocte extrahi iussit, ligatumque iuxta parietem antiquum, ipsum parietem super eum elidi iussit. Ipse vero dum nimium esset in amore mulierum luxuriosus, & ab Aruernis vereretur interfici, Romam aufugit: ibique similem tentans exercere luxuriam, lapidibus est obrutus. Post cuius excessum regnauit Eoricus annos quatuor. obiit autem anno XXVII. regni sui. Fuit etiam & tunc terræ motus magnus.

De Eparchio episcopo

CAP. XXI.

DEfuncto autem apud Aruernos Namatio episcopo, Eparchius successit vir sanctissimus atque religiosus. Et quia eo tempore Ecclesia paruam infra muros vrbis possessionem habebat, ipsi sacerdoti in ipso quod modo *Salutatorium* dicitur, mansio *Salutatorium.* erat, atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas ad altarium Ecclesiæ consurgebat. Factum est autem, vt nocte quadam ingrediens, plenam Ecclesiam dæmonibus reperiret, ipsumque principem in modum ornatæ mulieris in throni illius cathedram residentem. Cui ait pontifex, *O meretrix execranda, non sufficit tibi loca cuncta variis pollutionibus inficere, adhuc & cathedram à Domino consecratam fœtida sessionis tuæ accessione coinquinas? abscede à domo Dei, ne à te amplius polluatur.* Cui ait, *Et quia mihi meretricis nomen imponis, multas tibi parabo insidias ob desideria mulierum.* Et hæc dicens, sicut fumus euanuit. Veruntamen sacerdos tentatus est per commotionem corporis ad concupiscentiam: sed signo crucis sanctæ munitus, nihil ei inimicus nocere potuit. Ferunt etiam ipsum in arce Cantobennici montis monasterium collocasse, vbi nunc oratorium est, & ibi se diebus quadragesimæ sanctæ recludere: die autem cœnæ Dominicæ, cum magno psallentio comitantibus clericis, ciuibusque ad ecclesiam suam reuertebatur. Quo migrante, Sidonius ex præfecto substituitur, vir se-

cundum ſeculi dignitatem nobiliſſimus,& de primis Galliarum ſenatoribus:ita vt filiam ſibi Auiti imperatoris in matrimonio ſociaret. Huius tempore, cum adhuc apud vrbem Aruernam Victorius (cuius ſupra meminimus) moraretur, fuit in monaſterio beati Cyriaci, vrbis ipſius abbas, Abraham nomine: qui fide atque operibus Abrahæ illius prioris refulgebat,ſicut in libro vitæ eius ſcripſimus.

De Sidonio epiſcopo

CAP. XXII.

SAnctus vero Sidonius tantæ facundiæ erat, vt plerunque ex improuiſo luculentiſſime quæ voluiſſet,nulla obſiſtente mora componeret. Contigit autem quadam die, vt ad feſtiuitatem Baſilicæ monaſterii, cuius ſupra meminimus,inuitatus accederet: ablatoque ſibi nequiter libello,per quem ſacroſancta ſolennia agere conſueuerat, ita paratus a tempore cunctum feſtiuitatis opus explicuit, vt ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adſtantibus ibidem hominem locutum fuiſſe, ſed angelum. Quod in præfatione libri quem de Miſſis ab eo compoſitis, coniunximus, plenius declarauimus. Cum autem eſſet magnificæ ſanctitatis, atque (vt diximus) ex ſenatoribus primis, plerunque neſciente coniuge, vaſa argentea auferebat à domo, & pauperibos erogabat. Quod illa cum cognoſceret,ſcandalizabatur in eum: ſed tamen dato egenis precio,ſpecies domi reſtituebat.

De ſanctitate Sidonii epiſcopi, & de iniuriis eius vltione diuina moderatis

CAP. XXIII.

CVmque ad officium dominicum fuiſſet mancipatus, & ſanctam ageret in ſeculo vitam, ſurrexere contra eum duo presbyteri, & ablata ei omni poteſtate à rebus Eccleſiæ,arctum ei victum & tenuem relinquentes, ad ſummam eum contumeliam redegere. Sed non longi temporis ſpacio inultam eius iniuriam diuina voluit ſuſtinere clementia: nam vnus ex his nequiſſimis & indignis dici presbyteris, cum ante noctem minatus fuiſſet eum de Eccleſia vel extrahere, ſignum † ad matutinas audiens fuiſſe commotum, feruens felle contra ſanctum Dei ſurrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractauerat. Ingreſſus autem in ſeceſſum ſuum, dum ventrem purgare nititur, ſpiritum exhalauit. Expectabat enim puer à foris cum cereo dominum egreſſurum. Iamque aduenerat lux, & ſatelles eius,id eſt alius presbyter, mittit nuncium,dicens: *Veni,ne tardaueris, vt quæ nobis die heſterna conuenerant, pariter expleamus.* Sed cum reſponſa dare differret exanimis, eleuato puer velo oſtii, reperit dominum ſuper cellulam ſeceſſus defunctum. Vnde indubitatum eſt, non minoris criminis hunc reum eſſe,quam Arrium illum,cui ſimiliter in ſeceſſu fuere interna depoſita per partes inferiores egeſta:quia nec iſtud ſine hæreſi poteſt accipi, vt in Eccleſia non obediatur ſacerdoti Dei, cui ad paſcendum oues commiſſæ ſunt: & ille ſe ingerat poteſtati, cui neque a Deo, neque ab hominibus aliquid eſt commiſſum. Dehinc beatus ſacerdos, vno adhuc manente nihilominus inimico, ſuæ reſtituitur poteſtati. Factum eſt autem poſt hæc, vt accedente febre ægrotare cœpiſſet, qui rogat ſuos, vt eum in Eccleſiam ferrent. Cumque illuc inlatus fuiſſet, conueniebat ad eum multitudo virorum ac mulierum, ſimulque etiam & infantium plangentium atque dicentium: *Cur nos deſeris paſtor bone, vel cui nos quaſi orphanos derelinquis? Nunquid erit nobis poſt tranſitum tuum vita? nunquid erit poſtmodum qui nos ſapientiæ ſale ſic condiat? aut ad dominici nominis timorem talis prudentiæ ratione redarguat?* Hæc & his ſimilia, populis cum magno fletu dicentibus, tandem ſacerdos ſpiritu in ſe ſancto influente reſpondit: *Nolite timere ô populi, ecce frater meus Aprunculus viuit, & ipſe erit ſacerdos veſter.* Qui non intelligentes, putabant eum loqui aliquid in extaſi. Quo migrante presby-

i. campana. Gall. ſing.

presbyter ille nequam, alter ex duobus qui remanserat, protinus omnem facultatem Ecclesiæ, tanquam si iam episcopus esset, inhians cupiditate, præoccupat, dicens: *Tandem respexit in me Deus, cognoscens me iustiorem esse Sidonio, largitusque est mihi hanc potestatem.* Cumque per totam vrbem superbus ferretur, adueniente die dominico, qui imminebat post transitum sancti viri, præparato epulo, iussit cunctos ciues in domo Ecclesiæ inuitari: despectisque senioribus, primus recumbit in toro. Cui oblato pincerna poculo ait: *Domine mi, vidi somnium, quod si permittis edicam. Videbam hac nocte dominica, & ecce erat domus magna, & in domo erat thronus positus, in quo quasi iudex residebat, cunctis potestate præstantior: cui adsistebant multi sacerdotum in albis vestibus, sed & promiscuæ populorum turbæ valde innumerabiles. Verum cum hæc trepidus contemplarer, conspicio eminus inter eos beatum adstare Sidonium, & cũ presbytero illo tibi charissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migrauit adtente litigantem: quo deuicto iubet Rex vt in imis carceris angustiis retrudatur: ablatoque isto, contra te iterum suggerit, dicens: Te in eo scelere propter quod ille prior damnatus fuerat, fuisse participem. Verum vbi iudex, quem ad te transmitteret, sollicite cœpit inquirere, ego me inter reliquos occulere cœpi, & à tergo statui, tractans apud memetipsum, ne forte ego qui notus sum homini, mittar. Dum hæc mecum tacitus voluerem, amotis omnibus remansi solus in publico: vocatusque à iudice, propius accedo. Cuius virtutem atque splendorem contuens, cœpi hebes effectus, titubare præ metu. Et ille, Ne timeas puer, inquit: sed vade dic presbytero illi: Veni ad respondendam causam, quia Sidonius te accersiri deprecatus est. Tu vero ne moram facias ad eundum, quia sub grandi testificatione mihi præcepit Rex ille tibi hæc loqui, dicens, Si tacueris, morte pessima morieris.* Hæc eo loquente, exterritus presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritum. Ac de recubitu ablatus, mortuus sepulturæ mandatus est, possessurus infernum cum satellite suo. Tale iudicium super cõtumaces clericos dominus in hunc prætulit mundum, vt vnus Arrii sortiretur mortem, alius tanquam Simõ Magus, apostoli sancti oratione ab excelsa arce superbiæ præceps allideretur. Qui non ambiguntur pariter possidere tartarum, qui simul egerunt nequiter contra sanctum episcopum suum. Interea cum iam terror Francorum resonaret in his partibus, & omnes eos amore desiderabili cuperent regnare, sanctus Aprunculus Lingonicæ ciuitatis episcopus, apud Burgundiones cœpit haberi suspectus. Cumque odium de die in diem cresceret, iussum est vt clam gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuncio nocte à castro Diuionensi per murum demissus, Aruernos aduenit, ibique iuxta verbum Domini, quod posuit in ore sancti Sidonii, vndecimus datur episcopus.

De fame Burgundiæ & Ecdicio

CAP. XXIV.

SEd tempore Sidonii episcopi, magna Burgundiam fames obpressit. Cumque populi per diuersas regiones dispergerentur, nec esset vllus qui pauperibus alimoniam largiretur, Ecdicius quidam ex senatoribus huius propinquus, magnam tunc rem in Deo confisus fecisse perhibetur. Nam inualescente fame, misit pueros suos cum equis & plaustris, per vicinas sibi ciuitates, vt eos qui hac inopia vexabantur, sibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes quotquot inuenire potuerunt, adduxere ad domos eius. Ibique eos per omne tempus sterilitatis pascens, ab interitu famis exemit. Fuereque (vt multi aiunt) amplius quam quatuor milia promiscui sexus. Adueniente autem vbertate, ordinata iterum euectione, vnumquenque in locum suum restituit. Post quorum discessum, vox ad eum è cœlis lapsa peruenit, dicens: *Ecdici, Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi & semini tuo panis non deerit in sempiternum, eo quod obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum satiaueris.* Quem Ecdicium miræ velocitatis fuisse, multi commemorant. nam quadam vice multitudinem Gothorum cum decem viris fugasse perscribitur. Sed & sanctus Patiens Lugdunensis episcopus, simile huic in ipsa fame populis præstitisse perhibetur beneficium. Extat enim hodieque apud nos beati Sidonii epistola, in qua eum declamatorie conlaudauit.

De Euuarege Persecutore

CAP. XXV.

HVius tempore & Euarix rex Gothorum, excedens Hispanum limitem, grauem in Galliis super Christianos intulit persecutionem. Truncabat passim peruersitati suæ non consentientes, clericos carceribus subigebat: sacerdotes vero, alios dabat exilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipsos sacrorum templorum aditus, spinis iussérat obserari, scilicet vt raritas ingrediendi, obliuionem faceret fidei. Maxime tunc Nouem populanæ geminæque Germaniæ vrbes, ab hac tempestate depopulatæ sunt. Extat hodieque & pro hac causa ad Basilium episcopum nobilis Sidonii ipsius epistola, quæ hæc ita loquitur. Sed persecutor non post multum tempus, vltione diuina percussus interiit.

De obitu S. Perpetui, & episcopatu Volusiani ac Viri

CAP. XXVI.

POst hæc beatus Perpetuus Turonicæ ciuitatis episcopus, impletis triginta in episcopatu annis in pace quieuit: in cuius loco Volusianus vnus ex senatoribus, subrogatus est. Sed à Gothis suspectus habitus, episcopatus sui anno septimo, in Hispanias est quasi captiuus abductus, sed protinus vitam finiuit. In cuius loco Virus succedens, septimus post beatum Martinum ordinatur episcopus.

Quando Chlodoueus regnum accepit

CAP. XXVII.

An. CCCC LXXIX. Pal. Hludouuechus. Chlodoueus Rex.

HIs ita gestis, mortuo Childerico, regnauit Chlodoueus † filius eius pro eo. Anno autem quinto regni eius, Syagrius Romanorum rex, Egidii filius, ad ciuitatem Suessionas, quam quondam supra memoratus Egidius tenuerat, sedem habebat. Super quem Chlodoueus cum Ragnachario parente suo, quia & ipse regnum tenebat, veniens, campum pugnæ præparari deposcit. Sed nec iste distulit, ac resistere metuit. Itaque inter se vtrisque pugnantibus, Syagrius elisum cernens exercitum, terga vertit, & ad Alaricum regem, Tholosam cursu veloci perlabitur. Chlodoueus vero ad Alaricum mittit, vt eum redderet: alioquin nouerit, sibi bellum ob eius retentionem inferri. At ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurreret (vt Gothorum pauere mos est) vinctum legatis tradidit. Quem Chlodoueus receptum, custodiæ mancipari præcepit: regnoque eius accepto, cum gladio clam feriri mandauit. Eo tempore multæ Ecclesiæ a Chlodouei exercitu deprædatæ sunt, quia erat ille adhuc fanaticis erroribus inuolutus. Igitur de quadam Ecclesia vrceum miræ magnitudinis ac pulchritudinis hostes abstulerant, cum reliquis Ecclesiastici ministerii ornamentis. Episcopus autem Ecclesiæ illius, missos ad Regem dirigit, poscens vt si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltem vel vrceum Ecclesiæ suæ recipiat. Hæc audiens Rex, ait nuncio; *Sequere nos vsque Suessionas, quia ibi cuncta quæ acquisita sunt, diuidenda erunt. Cumque mihi vas illud sors dederit, quæ Papa poscit, adimpleam.* Dehinc adueniens Suessionas, cuncto onere prædæ in medium posito ait Rex: *Rogo vos, ô fortissimi præliatores, vt saltem mihi vas istud* (hoc enim de vrceo supra memorato dicebat) *extra partem concedere non abnuatis.* Hæc Rege dicente, illi quorum erat mens sanior, aiunt: *Omnia gloriose rex, quæ cernimus tua sunt: sed & nosipsi tuo sumus dominio subiugati. Nunc quod tibi beneplacitum videtur, facito: nullus enim potestati tuæ resistere valet.* Cum illi hæc ita dixissent, vnus leuis, inuidus ac cerebrosus, cum voce magna, eleuatam bipennem

Gothi timiores. inf. c. 27.

nem † vrceo impulit dicens, *Nihil hinc accipies, nisi quæ tibi sors vera largitur*. Ad hæc obstupefactis omnibus, Rex iniuriam suam patientiæ lenitate coercuit: acceptumque vrceum nuncio ecclesiastico reddidit, seruans abditum sub pectore vulnus. Transacto vero anno, iussit omnem cum armorum apparatu aduenire phalangam, ostensuram in campo Martio suorum armorum nitorem. Verum vbi cunctos circuire deliberat, venit ad vrcei percussorem, cui ait, *Nullus tam inculta, vt tu, detulit arma: nam neque tibi hasta, neque gladius, neque securis est vtilis*: & adprehensam securim eius in terram deiecit: at ille cum paululum inclinatus fuisset ad colligendum eam, Rex eleuatis manibus, securim suam capiti eius defixit. *Sic*, inquit, *tu apud Suessionas in vrceo illo fecisti*. Quo mortuo, reliquos abscedere iubet. Magnum sibi per hanc causam timorem statuens: multa deinde bella, victoriasque fecit. Nam decimo regni sui anno, Thoringis bellum intulit, eosdemque suis ditionibus subiugauit. franciscam.

Quod Chlodoueus Chrodigildem accepit

CAPVT XXVIII.

FVit autem & Gundeuchus rex Burgundionum, ex genere Athanarici regis persecutoris, de quo supra meminimus. Huic fuerunt quatuor filii, Gundobaldus, Godegisilus, Chilpericus, & Godomarus. Igitur Gundobaldus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, vxoremque eius ligato ad collum lapide, aquis immersit. Huius duas filias exilio condemnauit; quarum senior, mutata veste Mucuruna, † iunior Chrothildis vocabatur. Porro Chlodoueus, dum legationem in Burgundiam sæpius mittit, Chrothildis puella reperitur à legatis eius. Qui cum eam vidissent elegantem atq; sapientem, & cognouissent quod de regio esset genere, nunciauerunt hæc Chlodoueo regi. Nec moratus ille, ad Gundobaldum legationem dirigit, eam sibi in matrimonio petens. Quod ille recusare metuens, tradidit eam viris: illique accipientes puellam, Regi velocius repræsentant: qua visa, Rex valde gauisus, suo eam coniugio sociauit, habens iam de concubina filium nomine Theodoricum. al. Corona. † al. Chrona

De primo eorum filio baptizato, & in albis defuncto

CAPVT XXIX.

IGitur ex Chrothilde regina habuit filium primogenitum: quem cum mulier baptismo consecrare vellet, prædicabat assidue viro dicens; *Nihil sunt Dii quos colitis, qui neque sibi, neque aliis poterunt subuenire: sunt enim aut ex lapide, aut ex ligno, aut ex metallo aliquo sculpti: nomina vero quæ eis indidistis, homines fuere, non dii: vt Saturnus, qui filio ne à regno depelleretur, per fugam elapsus adseritur: vt ipse Iupiter, omnium stuprorum spurcissimus perpetrator, incestator virorum, propinquarum derisor, qui nec ab ipsius sororis propriæ potuit abstinere concubitu, vt ipsa ait: Iouisque & soror & coniunx. Quid Mars Mercuriusque potuere? Qui potius sunt magicis artibus prædit, quam diuini numinis potentiam habuere. Sed ille magis coli debet, qui cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, verbo ex non extantibus procreauit, qui Solem lucere fecit, & cælum stellis ornauit: qui aquas reptibilibus, terras animantibus, aera volatilibus adimpleuit: cuius nutu terræ frugibus, pomis arbores, vuis vineæ decorantur: cuius manu genus humanum creatum est: cuius largitione ipsa illa creatura omnis homini suo, quem creauit, & obsequio & beneficio famulatur.* Sed cum hæc Regina diceret, nullatenus ad credendum Regis animus mouebatur: sed diebat: *Deorum nostrorum iussione, cuncta creantur ac prodeunt: Deus vero vester nihil posse manifestatur, & quod magis est, nec de Deorum genere esse probatur.* Interea Regina fidelis filium ad baptismum exhibet: adornari Ecclesiam velis præcipit atque cortinis, quo facilius vel hoc mysterio prouocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem vocitauerunt, in ipsis sicut regeneratus fuerat albis obiit. Qua de causa com- Diigentium Ingomer.

motus felle Rex, non segniter increpabat Reginam, dicens: *Si in nomine Deorum meorum puer fuisset dicatus, vixisset vtique: nunc autem quia in nomine Dei vestri baptizatus est, viuere omnino non potuit.* Ad hæc Regina, *Deo*, inquit, *omnipotenti creatori omnium gratias ago, qui me non vsquequaque indicauit indignam, vt de vtero meo genitum regno suo dignaretur adscire. Mihi autem dolore huius causæ animus non adtingitur; quia scio in albis ab hoc mundo vocatos, Dei obtutibus nutriendos.* Post hunc vero genuit alium filium, quem baptizatum Chlodomerem vocauit: & hic cum ægrotare cæpisset, dicebat Rex: *Non potest aliud fieri, nisi & de hoc, sicut & de fratre eius, contingat, vt baptizatus in nomine Christi vestri, protinus moriatur.* sed orante matre, Domino iubente conualuit.

Fit bellum contra Alamannos

CAPVT XXX.

REGINA vero non cessabat prædicare, vt Deum verum cognosceret, & idola negligeret: sed nullo modo ad hæc credenda poterat commoueri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoueretur: in quo compulsus est confiteri necessitate, quod prius voluntate negauerat. Factum est autem, vt confligente vtroque exercitu, vehementer cæderentur: atque exercitus Chlodouei valde ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, eleuatis ad cælum oculis, compunctus corde, commotus in lachrymis ait: *Iesu Christe, quem Chlothildis prædicat esse filium Dei viui, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te sperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam deuotus efflagito: vt si mihi victoriam super hos hostes indulseris, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus probasse se prædicat, credam tibi, & in nomine tuo baptizer. Inuocaui enim Deos meos, sed vt experior, elongati sunt ab auxilio meo: vnde credo eos nullius esse potestatis præditos, qui sibi obedientibus non succurrunt. Te nunc inuoco, & tibi credere desidero, tantum, vt eruar ab aduersariis meis.* Cumque hæc diceret, Alamanni terga vertentes, in fugam labi cæperunt. Cumque Regem suum cernerent interemptum, Chlodouei se ditionibus subdunt, dicentes: *Ne amplius, quæsumus, pereat populus: iam tui sumus.* At ille prohibito bello, coarctatoque populo, cum pace regressus, narrauit Reginæ qualiter per inuocationem nominis Christi, victoriam meruit obtinere.

factum apud Tolbiacum. inf. c. 37.

De baptismo Chlodouei

CAPVT XXXI.

TVnc Regina accersiri clam sanctum Remigium, Remensis vrbis episcopum iubet, deprecans vt Regi verbum salutis insinuaret. Quem sacerdos accersitum, secretius cæpit instigare: vt Deum verum factorem cæli & terræ crederet, idola negligeret, quæ neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait: libenter te sanctissime pater audiam, sed restat vnum, quod populus qui me sequitur, non patitur relinquere Deos suos: sed vado & loquor eis iuxta verbum tuum. Conueniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter adclamauit: *Mortales Deos abigimus, pie rex, & Deum quem Remigius prædicat, immortalem sequi parati sumus.* Nunciantur hæc antistiti, qui gaudio magno repletus, iussit lauacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptisterii diuino respergitur ab odore. Talemque ibi gratiam adstantibus Deus tribuit, vt æstimarent se Paradisi odoribus conlocari. Rex ergo prior poposcit se à pontifice baptizari: procedit nouus Constantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus. Cui ingresso ad baptismum, sanctus Dei sic infit ore facundo: *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti.*

Erat

Erat enim ſanctus Remigius Epiſcopus egregiæ ſcientiæ, & Rhetoricis adprime imbutus ſtudiis: ſed & ſanctitate ita prælatus, vt Silueſtri virtutibus æquaretur. Eſt enim nunc liber vitæ eius, qui eum narrat mortuum ſuſcitaſſe. Igitur Rex omnipotentem Deum in trinitate confeſſus, baptizatus eſt *in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti*, delibutuſque ſacro chriſmate cum ſignaculo crucis Chriſti. De exercitu vero eius baptizati ſunt amplius tria millia. Baptizata eſt & ſoror eius Albofledis, quæ non poſt multum tempus migrauit ad Dominum: pro qua cum Rex contriſtaretur, ſanctus Remigius conſolatoriam miſit epiſtolam, quæ hoc modo ſumpſit exordium: *Angit me, & ſatis me angit veſtræ cauſa triſtitiæ, quod bonæ memoriæ germana veſtra tranſiit Alboſledis. Sed de hac re conſolari poſſumus, quia talis de hoc mundo migrauit, vt ſuſpici magis debeat quam lugeri.* Conuerſa eſt enim & alia ſoror eius Lanthildis nomine, quæ in hæreſin Arrianorum dilapſa fuerat, quæ confeſſa æqualem filium patri & ſpiritum ſanctum, criſmata eſt.

Fit bellum contra Gundobaldum

CAPVT XXXII.

TVnc Gundobaldus & Godegiſilus fratres, regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Maſſilienſi prouincia retinebant. Erant autem tam illi quam populi eorum, Arrianæ ſectæ ſubiecti. Cumque ſe inuicem impugnarent, audiens Godegiſilus Chlodouei regis victorias, miſit ad eum legationem occulte, dicens: *Si mihi ad perſequendum fratrem meum præbueris auxilium, vt eum bello interficere, aut de regno eiicere poßim, tributum tibi quale tu ipſe velis iniungere, annis ſingulis diſſoluam.* Quod ille libenter accipiens, auxilium ei vbicunque neceſſitas poſceret, repromiſit. Et ſtatuto tempore contra Gundobaldum exercitum commouit. Quo audito Gundobaldus ignorans dolum fratris, miſit ad eum, dicens: *Veni in adiutorium meum, quia Franci ſe commouent contra nos, & regionem noſtram adeunt vt eam capiant: ideoque ſimus vnanimes aduerſus gentem inimicam nobis: ne ſeparati inuicem, quod aliæ gentes paſſæ ſunt, perferamus.* At ille, Vadam, inquit cum exercitu meo, & tibi auxilium præbebo. Mouenteſque ſimul hi tres exercitum, id eſt Chlodoueus contra Gundobaldum, & Godegiſilus cum omni inſtrumento belli, ad caſtrum cui Diuione † nomen eſt, peruenerunt. *hod. Diuion.* Confligenteſque ſuper Oſcaram fluuium, Godegiſilus Chlodoueo coniungitur, ac vterque exercitus Gundobaldi populum atterit. At ille dolum fratris, quem non ſuſpicabatur, aduertens, terga dedit, fugamque iniit, Rhodanitideſque ripas percurrens, Auenionem vrbem ingreditur. Godegiſilus vero obtenta victoria, promiſſa Chlodoueo aliqua parte regni ſui, cum pace diſceſſit; Viennamque triumphans, tanquam ſi iam totum poſſideret regnum, ingreditur. Auctis adhuc Chlodoueus rex viribus, poſt Gundobaldum abiit, vt eum de ciuitate extractum interimeret. Quod ille audiens, pauore perterritus, metuebat ne ei mors repentina ſuccederet. Habebat tamen ſecum virum inluſtrem Aredium, ſtrenuum atque ſapientem, ad quem ad ſe accerſitum ait; *Vallant me vndique anguſtiæ, & quid faciam ignoro, quia venerunt hi Barbari ſuper nos, vt nobis interemptis regionem totam euertant.* Ad hæc Aredius ait, *Oportet te lenire feritatem hominis huius, ne pereas. nunc ergo, ſi placet in oculis tuis, ego à te fugere, & ad eum tranſire conſimulo: cumque ad eum acceſſero, ego faciam vt neque te, neque hanc euertat regionem. Tantum, vt quod tibi per meum conſilium demandauerit, implere ſtudeas, donec cauſam tuam Dominus proſperam facere ſua pietate dignetur.* Et ille, Faciam, inquit, quæcunque mandaueris. Hæc eo dicente, vale dicens, Aredius diſceſſit: & ad Chlodoueum regem abiens, ait, *Ecce ego humilis ſeruus tuus, piißime rex, ad tuam potentiam venio, relinquens illum miſerrimum Gundobaldum. Quia ſi me pietas tua recipere † dignatur, integrum* *al. reſpicere.* *tu me famulum atque fidelem, & tu & poſteri tui habebitis.* Quem ille promptiſſime colligens ſecum retinuit: erat enim iocundus in fabulis, ſtrenuus in conſiliis, iuſtus in iudiciis, & in commiſſo fidelis. Denique Chlodoueo cum omni exercitu circa muros vrbis

al. dissecas. al. illi nil nocere prae.

residente, ait Aredius; *Si dignanter, ô Rex, gloria celsitudinis tuæ paucos humilitatis meæ sermones velit accipere, consilio licet non egeatis, tamen fide integra ministrabo, idemque vel tibi congruum, vel ciuitatibus erit per quas transire deliberas.* Cur, inquit, *retines exercitum cum loco firmissimo tuus resideat inimicus? Depopularis agros, prata depascis, vineas dissipas, † oliueta succidis, omnesque regionis fructus euertis: interim & illi nocere non præuales. † Mitte potius legationem, & tributum quod tibi annis singulis dissoluat, impone, vt & regio salua sit, & tu tributa dissoluenti perpetuo domineris. quod si noluerit, tunc quod libuerit facies.* Quo consilio Rex accepto hostem patriæ redire iubet ad propria. Tunc missa legatione ad Gundobaldum, vt ei per singulos annos tributa imposita reddere debeat, iubet. At ille & de præsenti soluit, & deinceps soluturum esse se promittit.

De interitu Godegysili

CAPVT XXXIII.

al. non fuerit; al. spiraculum; al. illius; al. praemisit

POst hæc resumptis viribus, iam despiciens regi Chlodoueo tributa promissa dissoluere, contra Godegisilum fratrem suum exercitum commouit, eumque apud Viennam ciuitatem inclusum obsedit. Verum vbi minori populo alimenta deficere cœperunt, timens Godegisilus, ne ad se vsque fames extenderetur, iussit expelli minores populi ab vrbe. Quo facto expulsus est inter cæteros artifex ille ab vrbe, cui de aquæductu cura manebat. Ille vero indignans, quod fuerat † eiectus ab vrbe cum cæteris, ad Gundobaldum furibundus vadit, indicans qualiter ciuitatem inrumpens, vltionem exerceret in fratrem. Illo quoque duce exercitu per aquæductum directo, multis cum ferreis vectibus præcedentibus (erat autem spiculum † illius lapide magno conclusum) quo cum vectibus illis † per magisterium artificis repulso, ciuitatem introeunt: illisque de muro sagittantibus, hi terga premunt. † Dato autem de medio ciuitatis sono buccinæ, obsidentes portas capiunt, apertisque pariter ingrediuntur. Cumque inter duas has acies populus vrbis ab vtroque exercitu cæderetur, Godegisilus ad Ecclesiam hæreticorum confugit, ibique cum Episcopo Arriano interfectus est. Denique Franci qui apud Godegisilum erant, in vnam se turrim congregant. Gundobaldus autem iussit, ne vni quidem ex ipsis aliquid noceretur, sed adprehensos eos Tolosæ in exilium ad Alaricum regem transmisit, interfectis senatoribus Burgundionibusque qui Godegisilo consenserant. Ipse vero regionem omnem quæ nunc Burgundia dicitur, in suo dominio restaurauit. Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent.

Burgundia. la loy Gombette.

Quod Gundobaldus conuerti voluit

CAPVT XXXIV.

S. Auitus.

CVm autem cognouisset assertiones hæreticorum nihil esse, à sancto Auito Episcopo Viennensi, Christum filium Dei & spiritum sanctum æqualem patri confessus, clam vt chrismaretur expetiit. Cui ait sacerdos; *Si vere credis hoc, quod nos ipse Dominus edocuit, exequere. Ait autem; Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cælis. Sic & ipsos sanctos ac dilectos suos beatos Apostolos cum de futuræ persecutionis tentationibus doceret, insinuauit, dicens: Adtendite vobis ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ante reges & præsides stabitis propter me in testimonium illis & gentibus. Tu vero cum sis Rex, & à nullo adprehendi formides, seditionem pauescis populi, ne creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc stultitiam, & quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. Sic etenim & beatus Apostolus ait: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sic & Propheta ait: Confitebor tibi Domine in ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Et iterum: Confitebor tibi*

in

in populis Domine, psalmum dicam nomini tuo inter gentes. Metuens enim populum, ô Rex, ignoras quia satius est vt populus sequatur fidem tuam, quam tu infirmitati faueas populari? Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum proficiscaris, tu præcedis catervas hostium, & illæ quo abieris, subsequuntur. Vnde melius est, vt te præcedente cognoscant veritatem, quam te pereunte permaneant in errore. Nam Deus non irridetur: nec enim diligit illum, qui propter terrenum regnum, eum non confitetur in seculo. Ista ille ratione confusus, vsque ad exitum vitæ suæ in hac insania perdurauit, nec publice æqualitatem Trinitatis voluit confiteri. Magnæ enim facundiæ erat tunc temporis beatus Auitus. namque insurgente hęresi apud vrbem Constantinopolitanam, tam illa quam Eutychus, quam illa quam Sabellius docuit, id est nihil diuinitatis habuisse dominum nostrum Iesum Christum: rogante Gundobaldo rege, ipse contra eas scripsit. Extant exinde nunc apud nos epistolæ admirabiles, quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc Ecclesiam Dei ædificant. Scripsit enim Homiliarum librum vnum de Mundi principio, & de diuersis aliis conditionibus libros sex versu compaginatos: Epistolarum libros nouem, inter quas supradictæ continentur epistolæ: referens in † quadam homilia quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes quas ante Ascensionis dominicæ triumphum celebramus, a Mamerto ipsius Viennensis vrbis Episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum vrbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræ motu frequenter quatiebatur: sed & ceruorum atque luporum feritas, portas ingressa, per totam, (vt scripsit) vrbem, nihil metuens oberrabat. Cumque hæc per anni circulum gererentur, aduenientibus Paschalis solennitatis diebus, expectabat misericordiam Dei plebs tota deuote, vt vel hic magnæ solennitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum Missarum celebrarentur solennia, subito palatium regale intramuraneum diuino igne succenditur, pauore omnibus perterritis, & Ecclesiam egressis, credentibus, ne aut hoc incendio vrbs tota consumeretur, aut certe dirupta tellure dehisceret, sanctus sacerdos prostratus ante altare, cum gemitu & lachrymis, domini misericordiam imprecatur. Quid plura? penetrauit excelsa poli oratio pontificis inclyti, restinxitque domus incendium flumen profluentium lachrymarum. Cumque hæc agerentur, adpropinquante Ascensione, (vt iam diximus) maiestatis dominicæ, indixit populis ieiunium, instituit orandi modum, edendi † seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoque exinde terroribus, per cunctas prouincias dispersa facti fama, cunctos sacerdotes imitari commonuit quod sacerdos fecit ex fide: quæ vsque nunc in Christi nomine, per omnes Ecclesias in compunctione cordis & contritione spiritus celebratur.

Auitus episc. Vien.

al. refert enim in.

f. legendi.

Quando Chlodoueus & Alaricus se viderunt.

CAPVT XXXV.

IGitur Alaricus rex Gothorum, cum videret Chlodoueum regem gentes assidue debellare, legatos ad eum dirigit, dicens: *Si frater meus velit, insederat animo, vt nos Dei propitio pariter videremus.* Quod Chlodoueus non respuens, ad eum venit. Coniunctique in insula Ligeris, quæ erat iuxta vicum Ambaciensem territorii vrbis Turonicæ, simul locuti, comedentes pariter ac bibentes, promissa sibi amicitia pacifici discesserunt.

De Quintiano Episcopo.

CAPVT XXXVI.

MVlti iam tunc ex Galliis habere Francos dominos, summo desiderio cupiebant. Vnde factum est, vt Quintianus Rutenorum Episcopus, per hoc odium ab vrbe depelleretur, dicebant enim ei: *Quia desiderium tuum est, vt Francorum dominatio possideat terram hanc.* Post dies autem paucos, orto inter eum & ciues scandalo † Go-

f. rixa, iurgio.

thos qui in hac vrbe morabantur, suspicio attigit exprobrantibus ciuibus, quod velit se Francorum ditionibus subiugare. consilioque accepto, cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cum viro Dei nunciatum fuisset, de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis, ab vrbe Rutena egrediens, Aruernos aduenit. Ibique à sancto Eufrasio Episcopo, qui quondam Aprunculo Diuionensi successerat, benigne susceptus est, largitisque ei tam domibus quam agris & vineis, secum retinuit, dicens; *Sufficit huius facultas Ecclesiæ vt vtrunque sustineat: tantum Charitas quam beatus Apostolus prædicat, permaneat inter sacerdotes Dei.* Sed & Lugdunensis Episcopus largitus est ei aliqua possessionis Ecclesiæ suæ quam in Aruerno habebat. Reliqua vero de sancto [S. Quintian.] Quintiano tam insidiæ quas pertulit, quam illa quæ per eum Dominus operari dignatus est, scripta sunt in libro vitæ eius.

Bellum cum Alarico fit

CAPVT XXXVII.

IGitur Chlodoueus rex ait suis: *Valde moleste fero, quod hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, & superatis redigamus terram in ditionem nostram.* Cumque placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu Pictauos dirigit. ibi tunc Alaricus commorabatur. Sed quoniam pars hostium per territorium Turonicum transibat, pro reuerentia beati Martini dedit edictum, *vt nullus de regione illa aliud quam herbarum alimenta aquamque præsumeret.* Quidam autem de exercitu, inuento cuiusdam pauperis fœno, ait, *Nonne Rex herbam tantum præsumi mandauit, & nihil aliud? Et hoc*, inquit, *herba est. Non enim erimus transgressores præcepti eius, si eam præsumimus.* Cumque vim faciens pauperi, fœnum vi abstulisset, † [al. virtute tulisset.] factum peruenit ad Regem: quo dicto citius gladio perempto ait, *Et vbi erit spes victoriæ, si beatus Martinus offenditur?* satisque fuit exercitui, nihil vlterius ab hac regione præsumere. Ipse vero Rex direxit nuncios ad beatam basilicam, dicens; *Ite, & forsitan aliquod victoriæ auspicium ab æde sancta suscipietis.* Tunc datis muneribus, quæ loco sancto exhiberent, ait; *Si tu domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, semperque æmulam tibi, meis manibus tradere decreuisti, in ingressu basilicæ sancti Martini dignare propitius reuelare, vt cognoscam, quia propitius dignaberis esse famulo tuo.* Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus, iuxta imperium Regis, dum sanctam ingrederentur basilicam, hanc Antiphonam ex improuiso primicerius qui erat, incepit: † [al. imposuit.] *Præcinxisti me Domine virtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.* Quod satellites † [al. psallentium aud.] audientes, & Domino gratias agentes, & vota beato confessori promittentes, læti nuntiauerunt Regi. Porro ille cum ad fluuium Vigennam cum exercitu aduenisset, per quem locum transire deberet, penitus ignorabat. intumuerat enim ab inundatione pluuiarum. Cumque illa nocte Dominum deprecatus fuisset, vt ei vadum quo transire possit dignaretur ostendere, mane facto cerua miræ magnitudinis ante eos nutu Dei, flumen ingreditur, illaque vadante, populus quo transire possit, agnouit. Veniente autem Rege apud Pictauos, dum eminus in tentoriis commoraretur, Pharus ignea de basilica sancti Hilarii egressa, visa est ei tanquam super se aduenire, scilicet vt lumine beati confessoris adiutus Hilarii, liberius hæreticas acies, contra quas sæpe idem sacerdos pro fide conflixerat, debellaret. Contestatus est autem omni exercitui, *vt nec ibi quidem aut in via aliquid spoliarent*, † [al. quem expoliarent.] *aut res cuiusquam diriperent.* Erat in his diebus vir laudabilis sanctitatis Maxentius abbas reclausus in monasterio suo ob Dei timorem, intra terminum Pictauensem. Cuius monasterii nomen lectioni non indidimus, quia locus ille vsque hodie *Cellula sancti Maxentii* vocatur. [S. Maxentii cellula.] Cuius monachi cum hostium cuneum vnum ad monasterium cernerent propinquare, Abbatem exorant, vt de cellula sua egrederetur ad consulendum eis †. [al. consolandum eos.] Illoque demorante, hi timore percussi, † [al. perculsi.] eum aperto ostio producunt de cellula sua. At ille in occursum ostium, quasi pacem

cem rogaturus, pergit intrepidus. Vnus autem ex his euaginato gladio, vt caput eius libraret, manus ad aurem erecta diriguit, gladiusque retrorsum ruit. At ipse ad pedes beati viri veniam deposcens sternitur. Quod videntes reliqui, cum timore maximo ad exercitum redierunt, timentes ne & ipsi pariter interirent. Huius vero brachium, beatus confessor cum oleo benedicto contrectans, imposito signo crucis restituit sanum. Eiusque obtentu monasterium permansit inlæsum. Multasque & alias virtutes operatus est, quas si quis diligenter inquiret, librum Vitæ illius legens, cuncta reperiet. Interea Chlodoueus rex cum Alarico rege Gothorum in campo Vocladense, decimo ab vrbe Pictaua miliario conuenit: & confligentibus his eminus resistunt, comminus illi. Cumque secundum consuetudinem Gothi terga vertissent, ipse rex Chlodoueus victoriam, Domino adiuuante, obtinuit. Habebat autem in adiutorium suum filium Sygiberti Claudi, nomine Chlodericum. Hic Sygibertus pugnans contra Alamannos apud Tulbiacense † oppidum, percussus in geniculo claudicabat. Porro Rex cum fugatis Gothis Alaricum regem interfecisset, duo ex aduerso subito aduenientes, cum contis vtraque ei latera feriunt. Sed auxilio tam loricæ quam velocis equi, ne periret, exemptus est. Maximus ibi tunc Aruernorum populus, qui cum Apollinare venerat, & primi qui erant ex senatoribus, conruerunt. De hac pugna Amalaricus filius Alarici in Hispaniam fugit, regnumque patris sagaciter occupauit. Chlodoueus vero filium suum Theodoricum per Albigensem ac Rutenam ciuitatem ad Aruernos dirigit. Qui abiens, vrbes illas à finibus Gothorum vsque Burgundionum terminum, patris sui ditionibus subiugauit. Regnauit autem Alaricus viginti duos † annos. Chlodoueus vero apud Burdegalensem vrbem, hyemem agens, cunctos thesauros Alarici à Tholosa auferens, Engolismam † venit. Cui Dominus tantam gratiam tribuit, vt in eius contemplatione muri sponte conruerent. Tunc exclusis Gothis vrbem suo dominio subiugauit. Patrata post hæc victoria, Turonos regressus est, multa sanctæ basilicæ beati Martini munera offerens.

Sup. c.30.
hod. Zulich.
al. annis 12.
al. Ecolismā.
Tholosa.

De patriciatu Chlodouei regis

CAPVT XXXVIII.

IGitur ab Anastasio imperatore codicillos de Consulatu accepit, & in basilica beati Martini tunica blatea indutus est & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc ascenso equo, aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii & ecclesiam ciuitatis est, præsentibus populis manu propria spargens, voluntate benignissima erogauit, & ab ea die tanquam Consul & Augustus est vocitatus. Egressus autem à Turonis Parisios venit: ibique cathedram regni constituit. Ibi & Theodoricus ad eum venit.

Cos. Aug.

De Licinio Episcopo

CAPVT XXXIX.

DEnique migrante Eustochio Turonorum episcopo, octauus post sanctum Martinum Licinius Turonicis episcopus ordinatur. Huius tempore bellum superius scriptum gestum est. Et huius tempore Chlodoueus rex Turonos venit. Hic fertur in oriente fuisse, ac loca visitasse sanctorum, ipsamque adiisse Hierosolymam, & loca passionis ac resurrectionis dominicæ, quæ in Euangeliis legimus, sæpe vidisse.

Licinius Ep.

De interitu Sygiberti senioris & filii eius

CAPVT XL.

CVm autem Chlodoueus rex apud Parisios moraretur, misit clam ad filium Sygiberti † dicens; *Ecce pater tuus senuit, & pede debili claudicat. Si ille,* inquit,

Regis Saxonū
Aim. l.1.c.10.

moreretur, recte tibi cum amicitia nostra regnum illius redderetur. Quá ille cupiditate seductus, patrem molitur occidere. Cumque ille egressus de Colonia ciuitate, transacto Rheno, per Burconiam † siluam ambulare disponeret, meridie in tentorio suo obdormiens, immissis super eum filius percussoribus, eum ibidem interfecit, tanquam regnum illius possessurus. Sed iudicio Dei foueam quam patri hostiliter fodit, incidit. Misit igitur nuncios ad Chlodoueum regem, de patris obitu nunciantes atque dicentes : *Pater meus mortuus est, & ego thesauros cum regno eius penes me habeo. Dirige tuos ad me, & † ea quæ tibi de thesauris illius placent, bona voluntate transmittam.* Et ille, Gratias, inquit, tuæ voluntati ago, & rogo vt venientibus nostris patefacias, cuncta ipse deinceps possessurus. quibus venientibus iste patris thesauros pandit. Qui dum diuersa respicerent, ait ; *In hanc arcellulam solitus erat pater meus numismata auri congerere.* Immitte, inquiunt illi, manum tuum vsque ad fundum, vt cuncta reperias. Quod cum fecisset, & esset valde declinus, vnus eleuata manu bipennem cerebro eius inlisit : & sic quæ in patrem egerat indignus incurrit. Quod audiens Chlodoueus, quod scilicet interfectus esset Sygibertus, & filius eius, in eundem locum adueniens conuocat omnem populum illum, dicens : *Audite quid contigerit. dum ego*, inquit, *per Scaldem fluuium nauigarem, Chlodericus filius parentis mei, patrem suum insequebatur, verbo ferens, quod ego eum interficere velim. Cumque ille per Burconiam siluam fugeret, immissis super eum latrunculis, morti tradidit & occidit. Ipse quoque dum thesauros eius aperit, à nescio quo percussus interiit. Sed in his ego nequaquam conscius sum. Nec enim possum sanguinem parentum meorum effundere : quod fieri nefas est. Sed quia hæc euenerunt, consilium vobis præbeo, si videtur acceptum, conuertimini ad me, vt sub mea sitis defensione.* At illi ista audientes, plaudentes tam palmis † quam vocibus, eum clypeo euectum super se Regem constituunt. Regnumque Sygiberti acceptum cum thesauris, ipsos quoque suæ ditioni adsciuit. Prosternebat enim quotidie Deus hostes eius sub manu ipsius, & augebat regnum eius, eo quod ambularet recto corde coram eo, & faceret quæ placita erant in oculis eius.

f. Buchoniā. — *al. vt ea.* — *al. parmis.*

De nece Chararici & filiis eius

CAPVT XLI.

POst hæc ad Chararicum regem dirigit. Quando autem cum Syagrio pugnauit, hic Chararicus euocatus ad auxilium † Chlodouei eminus stetit, neutram adiuuans partem, sed euentum rei expectans, vt cui eueniret victoria, cum illo & hic amicitiam conligaret. Ob hanc causam contra eum indignans Chlodoueus abiit, quem circumuentum dolis cepit cum filio, vinctosque totondit, & Chararicum quidem Presbyterum, filium vero eius Diaconum ordinari iubet. Cumque Chararicus de humilitate sua conquereretur & fleret, filius eius dixisse fertur : *In viridi*, inquit, *ligno hæ frondes succisæ sunt, nec omnino arescunt, sed velociter emergent vt crescere queant : vtinam tam velociter qui hæc fecit, intereat.* Quod verbum sonuit in aures Chlodouei, quod scilicet minarentur sibi cæsariem ad crescendum laxare, † ipsumque interficere. At ille iussit eos pariter capite plecti. Quibus mortuis, regnum eorum cum thesauris & populis acquisiuit.

al. solatium. — *Gall. laisser croistre.*

De interitu Ragnacharii & fratrum eius

CAPVT XLII.

ERat autem tunc Ragnacharius rex apud Camaracum, tam effrenis in luxuria, vt vix vel propinquis quidem parentibus indulgeret. Is habebat Farronem consiliarium [illegible] simili

simili spurcitia lutulentum: de quo fertur, cum aliquid aut cibi aut muneris vel cuiuslibet rei Regi allatum fuisset, dicere solitum: *Hoc sibi suoq; Farroni sufficere:* pro qua re Franci maxima indignatione tumebant. Vnde factum est, vt datis aureis siue armillis vel baltheis Chlodoueus (sed totum adsimilatum auro: erat enim æreum † deauratum sub dolo factum) hæc dedit proditoribus † eius, vt super eum inimicarentur. Porro cũ exercitum contra eum commouisset, & ille speculatores plerunque ad cognoscendum transmitteret, reuersis nunciis interrogat, *Quam valida hæc manus foret?* Qui responderunt, *Tibi tuoque Farroni maximum est supplementum.* Veniens autem Chlodoueus, bellum contra eum instruit. At ille deuictum cernens exercitum suum, fuga labi parat, sed ab exercitu comprehẽsus, ac ligatis post tergum manibus, in conspectu Chlodouei vna cum Richario fratre suo perducitur. Cui ille, *Cur,* inquit, *humiliasti genus nostrum, vt te vinciri permitteres? Melius enim tibi fuerat mori.* & eleuatam securim capiti eius defixit. Conuersusque ad fratrem eius, ait; *Si tu auxilium † fratri tribuisses, alligatus vtique non fuisset.* similiter & hunc securi percussum interfecit. Post quorum mortem, cognoscũt proditores eorum, aurum quod à Rege acceperant esse adulterum. Quod cum regi dixissent, ille respondisse fertur, *Merito,* inquit, *tale aurum accipit, qui dominum suum ad mortem propria voluntate deducit. Hoc illis quod viuerent, debere sufficere; ne male proditionem dominorum suorum luituri, inter tormenta deficerent.* Quod illi audientes, optabant gratiam adipisci, illud sibi adserentes sufficere, si viuere mererentur. Fuerunt autem supradicti Reges propinqui huius: quorum frater Rignomeris nomine apud Cenomanniam † ciuitatem, ex iussu Chlodouei interfectus est. Quibus mortuis, omne regnum eorum & thesauros Chlodoueus accepit. Interfectisque & aliis multis regibus vel parentibus † suis primis, de quibus zelum habebat, ne ei regnum auferrent, regnum suum per totas Gallias dilatauit. Tamen congregatis suis, quadam vice dixisse fertur de parentibus quos ipse perdiderat: *Væ mihi, qui tanquam peregrinus inter extraneos remansi, & non habeo de parentibus, qui mihi si venerit aduersitas, possit aliquid adiuuare.* Sed hoc non de morte horum condolens, sed dolo dicebat, si forte potuisset adhuc aliquem reperire, vt interficeret.

al. æramen. unde Ital. Rame.

al. laudibus.

al. solatium.

al. Cenomanis.

Gall. parens. i. propinquis.

De obitu Chlodouei.

CAPVT XLIII.

HIs ita transactis, apud Parisios obiit: sepultusque in basilica sanctorum Apostolorum, quam cum Chrothilde † regina ipse construxerat. Migrauit autem post Vocladense bellum anno quinto. Fueruntque omnes dies regni eius, triginta anni. Ætas tota, quadraginta quinque anni. A transitu ergo sancti Martini, vsque ad transitum Chlodouei regis, qui fuit vndecimus annus Episcopatus Lycinii Turonici sacerdotis, supputantur anni CXII. Chrothildis autem regina, post mortem viri sui Turonos venit: ibique ad basilicam sancti Martini deseruiens, cum summa pudicitia atque benignitate in hoc loco commorata est omnibus diebus vitæ suæ, raro Parisios visitans.

An. 507.

Chrodechilde.

GREGORII TVRONENSIS EPISCOPI HISTORIARVM LIBER TERTIVS.



Velim si placet, parumper conferre quæ Christianis beatam confitentibus Trinitatem prospera successerint, & quæ hæreticis eandem scindentibus fuerint in ruinam. Omittimus autem qualiter illam Abraham veneratur ad ilicem, Iacob prædicat in benedictione, Moyses cognoscit in sente, populus sequitur in nube, eandemque pauescit in monte: vel qualiter eam Aaron portat in logio, aut Dauid vaticinatur in psalmo, orans innouari se per spiritum rectum, nec sibi auferri spiritum sanctum, atque se confirmari per spiritum principalem. magnum & ego hic cerno mysterium, quod scilicet quem Hæretici minorem adserunt, principalem vox Prophetica nunciauit. Sed his, (vt diximus) omissis, ad nostra tempora reuertamur. Arrius enim, qui huius iniquæ sectæ primus iniquusque inuentor fuit, interioribus in secessum depositis, infernalibus ignibus subditur. Hilarius vero beatus indiuiduæ Trinitatis defensor, propter hanc in exilium deditus, & patriæ paradiso restauratur. Hanc Chlodoueus rex confessus, ipsos hæreticos adiutorio eius oppressit, regnumque suum per totas Gallias dilatauit. Alaricus hanc denegans, a regno de populo, atque ab ipsa, (quod maius † est) vita multatur æterna. *al. magis.* Dominus autem se vere credentibus, etsi insidiante inimico aliqua perdant, hic centuplicata restituit: Hæretici vero, nec adquirunt, sed quod videntur habere, aufertur ab eis. Probauit hoc Godegisili, Gundobaldi, atque Godomari interitus, qui & patriam simul & animas perdiderunt. Nos vero vnum atque inuisibilem, immensum, incomprehensibilem, inclytum, perennem, atque perpetuum Dominum confitemur, vnum in Trinitate propter personarum numerum, id est Patris & Filii & Spiritus sancti: confitemur & trinum in vnitate, propter æqualitatem substantiæ, deitatis, omnipotentiæ, vel virtutis, qui est vnus summus atque omnipotens Deus in sempiterna secula regnans.

De filiis Chlodouei

CAPVT I.

Defuncto igitur Chlodoueo rege, quatuor filii eius, id est Theodoricus, Chlodomeris, Childebertus, atque Chlotharius, regnum eius accipiunt, & inter se æqua lance diuidunt. Habebat iam tunc Theodoricus filium nomine Theodobertum, elegantem atque vtilem †. *i. virtuosum* Cumque magna virtute pollerent, & eis de exercitu robur copiosum inesset, Amalaricus filius Alarici, rex Hispaniæ, sororem eorum in matrimonium postulat: quod illi clementer indulgent, & eam ipsi in regionem Hispaniæ cum magnorum ornamentorum mole transmittunt.

De episcopatu Dionysii, Apollinaris, atque Quintiani

CAPVT II.

Lycinio autem vrbis Turonicæ defuncto Episcopo, Dinifius cathedram ponti-

pontificalem aſcendit. Apud Aruernos vero poſt obitum beati Aprunculi, ſanctus Eufraſius duodecimus epiſcopus habebatur. Hic quatuor annos poſt Chlodouci obitum, vixit, viceſimo quinto epiſcopatus ſui anno tranſiens. Cumque populus ſanctum Quintianum, qui de Ruteno eiectus fuerat, elegiſſet, Alchima & † Placidina vxor, ſororque Apollinaris, ad ſanctum Quintianum venientes, dicunt: *Sufficiat domine ſancte, ſenectuti tuæ, quod es Epiſcopus ordinatus*: *permittat*, inquiunt, *pietas tua ſeruo tuo Apollinari locum huius honoris adipiſci. Ille vero cum ad hunc apicem aſcenderit, ſicut tibi placitum fuerit, obſequetur: tu quoque imperabis, & ille tuæ parebit in omnibus iuſſioni: tantum vt humili ſuggeſtioni noſtræ aurem tuæ benignitatis accommodes.* Quibus ille, *Quid ego*, inquit, *præſtabo, cuius poteſtati nihil eſt ſubditum? ſufficit enim vt orationi vacanti, quotidianum mihi victum præſtet Eccleſia.* Illæ autem hæc audientes, Apollinarem ad Regem dirigunt. Qui abiens oblatis multis muneribus, in epiſcopatu ſucceſſit, quo quatuor abutens menſibus, migrauit a ſeculo. Cum autem hæc Theodorico nunciata fuiſſent, iuſſit inibi ſanctum Quintianum conſtitui, & omnem ei poteſtatem tradi Eccleſiæ, dicens; *Hic ob noſtri amoris zelum ab vrbe ſua eiectus eſt.* Et ſtatim directi nuncii, conuocatis pontificibus & populo, eum in cathedram Aruernæ eccleſiæ locauerunt, qui quartuſdecimus illi Eccleſiæ præpoſitus eſt. Reliqua vero quæ geſſit, tam virtutes quam tempus migrationis eius, ſcripta ſunt in libro quem de eius vita compoſuimus.

al. Placidana.

Quod Dani Gallias appetierunt.

CAPVT III.

HIs ita geſtis, Dani cum rege ſuo nomine Chochilaicho, euectu nauali per mare Gallias appetunt. Egreſſique ad terras, pagum vnum † de regno Theodorici deuaſtant atque captiuant: oneratiſque nauibus tam de captiuis quam de reliquis ſpoliis, reuerti ad patriam cupiunt. Sed Rex eorum in litus reſidebat, donec naues altum mare comprehenderent, ipſe deinceps ſecuturus. Quod cum Theodorico nunciatum fuiſſet, quod ſcilicet regio eius fuerit ab extraneis deuaſtata, Theodobertum filium ſuum in illas partes cum valido exercitu ac magno armorum apparatu direxit. Qui interfecto Rege, hoſtes nauali prælio ſuperatos opprimit, omnemque rapinam terræ reſtituit.

Attuarios vocat Epitomator.

De Thoringorum Regibus

CAPVT IV.

POrro tunc apud Thoringos, tres fratres regnum gentis illius retinebant: id eſt Badericus, Herminefredus † atque Bertharius. Deniq; Herminefredus Bertharium fratrem ſuum vi opprimens, interfecit. Is moriens Radegundem filiam orphanam dereliquit: reliquit autem & alios filios, de quibus in ſequentibus ſcribemus. Herminefredi vero vxor iniqua atque crudelis, Almaberga † nomine, inter hos fratres bellum ciuile diſſeminat. Nam veniens quadam die ad conuiuium vir eius, menſam mediam opertam reperit. Cumque vxorem quid ſibi hoc velit interrogaret, reſpondit: *Qui*, inquit, *à medio regno ſpoliatur, decet eum menſæ medium habere nudatum.* Talibus & his ſimilibus ille permotus, contra fratrem inſurgit, ac per occultos nuncios Theodoricum regem ad eum perſequendum inuitat, dicens; *Si hunc interficis, regionem hanc pari ſorte diuidemus.* Ille autem gauiſus hæc audiens, cum exercitu ad eum dirigit. Coniunctique ſimul fidem ſibi inuicem dantes, egreſſi ſunt ad bellum. Confligenteſque cum Baderico, exercitum eius adterunt, ipſumque obtruncant gladio: & obtenta victoria, Theodoricus ad propria eſt reuerſus. Protinus Herminefredus oblitus fidei ſuæ, quod regi Theodorico indulgere pollicitus eſt, implere deſpexit, ortaque eſt inter eos grandis inimicitia.

al Hermenefrid.

al. Amalaberga.

Quod Sygimundus filium suum interfecit

CAPVT V.

IGitur mortuo Gundobaldo, regnūm eius Sygimundus filius eius obtinuit, monasteriumque Agaunense solerti cura cum domibus basilicisque ædificauit: qui perdita priori coniuge filia Theodorici regis Italici, de qua filium habebat nomine Sygiricum, aliam duxit vxorem: quæ valide contra filium eius (sicut nouercarum mos est) malignari ac scandalizare cæpit. Vnde factum est, vt vna solennitatum die, cum puer super eam vestimenta matris agnosceret, commotus felle diceret ad eam: *Non enim eras digna, vt hæc indumenta tua terga contingerent* † *quæ dominæ tuæ, id est matris meæ fuisse noscuntur.* At illa furore succensa, instigat verbis dolosis virum suum, dicens: *Hic iniquus regnum tuum possidere desiderat, teque interfecto, id vsque Italiam dilatare disponit, scilicet vt regnum quod auus eius Theodoricus Italiæ tenuit, & iste possideat. Scit enim quod te viuente hæc non potest adimplere, & nisi tu cadas, ille non surget.* His & huiuscemodi ille incitatus verbis, vxoris iniquæ consilio vtens, iniquus extitit parricida: nam sopitum vino dormire post meridiem filium iubet: cui dormienti, lorum † sub collo positum, ac sub mento ligatum, trahentibus ad se inuicem duobus pueris, suffocatus † est. Quo facto pater sero iam pœnitens, super cadauer exanime ruens, flere cæpit amarissime. Ad quem senex quidam sic dixisse fertur: *Te*, inquit, *plange amodo, qui per consilium nequam factus es parricida sæuissimus. nam hunc qui innocens iugulatus est, necessarium non est plangi.* Nihilominus ille ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu & ieiuniis durans, veniam precabatur, psallentium † ibi assiduum instituens. Lugduno regressus est, vltione diuina de vestigio eum prosequente. Huius filiam rex Theodoricus accepit.

al. contigerit — *al. oraculum.* — *al. sugillatus* — *i. cantum psalmorum.*

De interitu Clodomeris

CAPVT VI.

CHrothildis vero regina Chlodomerem, & reliquos filios suos alloquitur, dicens: *Non me pœniteat, charissimi, vos dulciter enutrisse: indignamini, quæso, iniuriam meam, & patris matrisque meæ mortem sagaci studio vindicate.* Hæc illi audientes, Burgundias petunt, & contra Sygimundum & fratrem eius Godomarum dirigunt: deuictoque exercitu eorum, Godomarus terga vertit. Sygimundus vero dum ad saltus Agaunos † fugere nititur, à Chlodomere captus cum vxore & filiis captiuus abducitur, atque intra † terminum Aurelianensis vrbis in custodia positus, detinetur. Discedentibusque his regibus, Godomarus resumptis viribus, Burgundiones colligit, regnumque recipit. Contra quem Chlodomeris iterum ire disponens, Sygimundum interficere destinauit: cui à beato Auito abbate Nutiacensi magno tunc temporis sacerdote, dictum est: *Si*, inquit, *respiciens Deum, emendaueris consilium tuum, vt hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum, & abiens victoriam obtinebis: si vero eos occideris, tu ipse in manus inimicorum traditus, simili sorte peribis: fietque tibi vxorique & filiis tuis, quod feceris Sygimundo & coniugi ac liberis eius.* Sed ille auscultare despiciens consilium eius, ait; *Stultum enim consilium esse puto, vt inimicis domi relictis, contra reliquos eam: eisque a tergo, hoc à fronte surgente, inter duos hostium cuneos ruam. satius enim & facilius victoria patrabitur, si vnus ab alio separetur: quo interfecto, facile & alius morti poterit destinari.* Statimque interfecto Sygimundo cum vxore & filiis, apud Columnam Aurelianensis vrbis vicum, in puteum iactari præcipiens, Burgundias petiit, vocans in suppetias † Theodoricum regem. Ille autem iniuriam soceri sui vindicare volens ire promisit. Cumque pariter apud Visorontiam † locum vrbis Viennensis coniuncti fuissent, cum Godomaro confligunt. Cumq; Godomarus cum exercitu terga vertisset, & Chlodomeris

al. sanctos Agaunenses. — *al. infra. & sic supr. unde & al. fra. pro intra.* — *al. solatium.* — *al. Vironciam*

ris insequeretur, ac de suis non modico spacio elongatus esset, adsimilantes illi signum eius, dant ad eum voces dicentes: *Huc huc conuertere, tui enim sumus.* At ille credens, abiit, inruitque in medium inimicorum suorum: cuius amputatum caput, & conto defixum, eleuant in sublime: quod Franci cernentes, atque cognoscentes, Chlodomerem interfectum, reparatis viribus Godomarum fugant, Burgundiones opprimunt, patriamque in suam redigunt potestatem. Nec moratus Chlodarius †, vxorem germani sui Guntheucam nomine, sibi in matrimonium sociauit: filios quoque eius Chrothildis † regina, exactis diebus luctus, secum recepit ac tenuit: quorum vnus Theodoualdus, alter Guntharius, tertius Chlodoualdus vocabatur. Cundomarus iterum regnum recepit.

al. Chlotacharius.
al. Chrodigildis.

De bello contra Thoringos

CAP. VII.

POST Theodoricus non immemor periurii Herminefredi regis Thoringorum, Chlodarium fratrem suum in solatium suum † euocat, & aduersum eum ire disponit, promittens regi Chlodario partem prædæ, si eis munus victoriæ diuinitus conferretur. Conuocatis igitur Francis, dicit ad eos; *Indignamini quæso, tam meam iniuriam, quam interitum parentum vestrorum, ac recolite Thoringos quondam super parentes nostros violenter aduenisse, ac multa illis intulisse mala. Qui datis obsidibus, pacem cum his inire voluerunt: sed ille obsides ipsos diuersis mortibus peremerunt: & inruentes super parentes nostros, omnem substantiam abstulerunt, pueros per neruum femoris † ad arbores appendentes, puellas amplius ducentas crudeli nece interfecerunt: ita vt ligatis brachiis super equorum ceruicibus, ipsique acerrimo moti stimulo per diuersa petentes, diuersas in partes fœminas diuiserunt. Aliis vero super orbitas viarum extensis, sudibusque in terram confixis, plaustra desuper onerata transire fecerunt, confractisque ossibus, canibus auibusque eas in cibaria dederunt. Nunc autem Herminefredus, quod mihi pollicitus est fefellit, & omnino hæc adimplere dissimulat: ecce verbum directum † habemus: Eamus cum Dei adiutorio contra eos.* Quod illi audientes, & de tanto scelere indignantes, vno animo eademque sententia, Thoringiam petiuerunt. Theodoricus autem Chlotharium fratrem suum, & Theodobertum filium in solatium adsumens, cum exercitu abiit. Thoringi vero venientibus Francis dolos præparant: in campo enim in quo certamen agi debebat, fossas effodiunt: quarum ora operta denso cespite, planum adsimulant campum. In has ergo foueas, cum pugnare cœpissent, multi Francorum equites conruerunt. Et fuit eis valde impedimentum: sed post cognitum hunc dolum obseruare cœperunt. Denique cum se Thoringi cædi vehementer viderent, fugato præ timore Herminefredo rege ipsorum, terga vertunt, & ad Onestrudem fluuium vsque perueniunt. Ibique tanta cædes ex Thoringis facta est, vt alueus fluminis congerie cadauerum repleretur: & Franci tanquam per pontem aliquem super ea in litus vlterius transirent. Patrata ergo victoria regionẽ illam capessunt, & in suam redigunt potestatem. Chlotharius vero rediens, Radegundem filiam Bertharii regis secum captiuam abduxit, sibiq; eam in matrimoniũ sociauit. Cuius fratrem postea iniuste per homines iniquos occidit. Illa quoq; ad Deum conuersa, mutata veste monasteriũ sibi intra Pictauensem vrbẽ construxit, quæ orationibus, ieiuniis atq; eleemosynis prædita in tantum emicuit, vt magna in populis haberetur. Cum autem adhuc supradicti Reges in Thoringia essent, Theodoricus Chlotharium fratrem suum occidere voluit. Et præparatis occulte cum armis viris, eum ad se vocat quasi secretius cum eo aliquid tractaturus, expansoque in parte domus illius tentorio, de vno pariete in alterum, armatos post eum stare iubet. Cumque tentorium illud esset breuius, pedes armatorum apparuere detecti. Quod cognoscens Chlotharius, cum suis armatus ingressus est domum. Theodoricus vero intelligens hunc hæc cognouisse, fabulam fingit, & alia ex aliis loquitur. Denique nesciens qualiter dolum suum deliniret, discum ei magnum argenteum pro gratia dedit. Chlotharius vero Vale dicens, & pro munere gratias agens, ad metatum regressus est. Theodoricus vero quæritur ad suos, nulla exstanti causa suum perdidisse catinum: & ad filium suum Theodobertum ait: *Vade ad patrem*

al. suo.
al. neruos femorum.
Gall. droict. i. iustum.
Onstrud fl. Thoring.

tuum, & roga vt munus quod ei dedi tibi sua voluntate concedat. Qui abiens, quod petiit impetrauit. in talibus enim dolis Theodoricus multum callidus erat.

De interitu Hermenfredi

CAP. VIII.

IDem vero regressus ad propria, Herminefredum ad se data fide securum venire præcepit, quem & honorificis ditauit muneribus. Factum est autem, dum quadam die per murum † ciuitatis Tulbiacensis † confabularentur, à nescio quo impulsus de altitudine muri ad terram conruit, ibique spiritum exhalauit. Sed quis eum inde † deiecerit, ignoramus: multi tamen adserunt Theodorici in hoc dolum manifestissime patuisse.

al. muros. hod. Zulich. al. exinde.

Quod Childebertus Aruernos abiit

CAP. IX.

CVm autem adhuc Theodoricus in Thoringia esset, Aruernis sonuit eum interfectum fuisse. Archadius quoque vnus ex senatoribus Aruernis, Childebertum inuitat, vt regionem illam deberet accipere. Ille quoque nec moratus Aruernos adiit. Tantaque in illa die condensa fuit nebula, vt nihil supra duas iugeri partes discerni posset. Dicere enim erat solitus Rex; *Velim vnquam † Aruernam Lemanem †, quæ tanta iocunditatis gratia refulgere dicitur, oculis cernere.* Sed non ei à Deo concessum est. Cumque portæ ciuitatis obseratæ essent, & vnde ingrederetur peruium patulum non haberet, incisa Archadius sera vnius portæ, eum ciuitati intromisit. Dum hæc agerentur, nunciatur Theodoricum viuum de Thoringia fuisse regressum.

al. vnicam. hod. Limagne & Auuergne.

De interitu Almarici

CAP. X.

QVod certissime Childebertus cognoscens, ab Aruerno rediit, in Hispaniam vero propter sororem suam Chrothildem dirigit. Hæc vero multas insidias ab Amalarico viro suo propter fidem catholicam patiebatur. Nam plerunque præcedente illa ad sanctam Ecclesiam, stercora & diuersos fœtores super eam proiici imperauit. Ad extremum autem tanta eam crudelitate dicitur cæcidisse, vt infectum de proprio sanguine sudarium, fratri transmitteret: vnde ille maxime commotus, Hispanias appetiit. Amalaricus vero hæc audiens, naues ad fugiendum parat. Porro imminente Childeberto, cum Amalaricus nauem deberet ascendere, ei in mentem venit, multitudinem se preciosorum lapidum in suo thesauro reliquisse. Cumque ad eosdem petendos in ciuitatem regrederetur, ab exercitu à porta exclusus est. Videns autem se non posse euadere, ad Ecclesiam Christianorum confugere cœpit. Sed priusquam limina sancta contingeret, vnus emissa manu lancea eum mortali ictu sauciauit, ibique decedens reddidit spiritum. Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam secum adducere cupiebat: quæ nescio quo casu in via mortua est, & postea Parisios adlata, iuxta patrem suum Chlodoueum sepulta est. Childebertus vero inter reliquos thesauros ministeria Ecclesiarum preciosissima detulit. Nam sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Euangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro ac gemmis preciosis ornata. sed non est passus ea confringi. Cuncta enim Ecclesiis & Basilicis Sanctorum dispensauit ac tradidit.

Quod Childebertus & Chlotharius Burgundias, Theodoricus, Aruernos abiit

CAP. XI.

Post

POst hæc Chlotharius & Childebertus Burgundias petere destinant. Conuocatusque Theodoricus in auxilium † eorum ire noluit. Franci vero qui ad eum aspiciebant, dixerunt: *Si cum fratribus tuis in Burgundiam ire despexeris, te relinquimus, & illos satius sequi præoptamus.* At ille infideles sibi existimans, ad Aruernos ait; *Me sequimini, & ego vos inducam in patriam, vbi aurum & argentum accipiatis, quantum vestra potest desiderare cupiditas: de qua pecora, de qua mancipia, de qua vestimenta in abundantiam adsumatis: tantum hos ne sequamini.* His promissionibus hi inlecti, suam voluntatem facere promittunt. Ille vero illuc transire disponit, promittens iterum atque iterum exercitui, cunctam regionis prædam cum hominibus in suas regiones transferri permittere. Chlotharius vero & Childebertus in Burgundiam dirigunt, Augustodunumque obsidentes, cunctam fugato Godomaro Burgundiam occupauerunt.

al. solatium.

De excidio regionis Aruernæ

CAP. XII.

THEODORICVS vero cum exercitu in Aruernos veniens, totam regionem deuastat ac proterit. Interea Archadius sceleris illius auctor, cuius ignauia regio deuastata est, Bituriges vrbem petiit. Erat autem tunc temporis vrbs illa in regno Childeberti regis. Placidina vero mater eius, & Alchima soror patris eius, comprehensæ apud Cadurcum vrbem, rebus ablatis exilio condemnatæ sunt. Rex igitur Theodoricus ad vrbem Aruernam vsque accedens, in vici illius suburbano castra fixit. Beatus vero Quintianus his diebus erat episcopus. Interea exercitus cunctam circumit miseram regionem illam, cuncta delet, vniuersa debellat. De quibus nonnulli ad Basilicam sancti Iuliani perueniunt, confringunt ostia, seras remouent: resque pauperum quæ ibidem fuerant adgregatæ, diripiunt, & multa in hoc loco perpetrant mala. Veruntamen auctores scelerum a spiritu immundo correpri, infestis dentibus propriis se morsibus lacerant, clamantes atque dicentes: *Cur nos Martyr sancte sic crucias?* Sicut in libro virtutum eius conscripsimus.

De Louolautro & Meroliacensi castro

CAP. XIII.

LOuolautrum autem castrum hostes expugnant, Proculumque presbyterum qui quondam sancto Quintiano iniuriam intulerat, ad altarium Ecclesiæ miserabiliter interficiunt. Et credo ob illius caussam, quod fuerit ipsum castrum in manibus traditum iniquorum: quod vsque in illa die defensatum est. Nam cum illud hostes expugnare non possent, & ad propria iam redire disponerent, audientes hæc obsessi, iam læti atque securi decipiuntur: sicut ait Apostolus: *Cum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus superueniet interitus*: denique per ipsius Proculi presbyteri seruum, iam securi populi traduntur in manus hostium. Cumque vastato Castello ducerentur captiui †, immanis pluuia quæ per triginta dies fuerat abnegata, descendit. Tunc obsessi Meroliacensis castri, ne captiui abducerentur, redemtione data liberantur: sed hæc ignauia eorum effecit: castrum enim propria natura munitum erat. Nam centenorum aut eo amplius pedum ab exciso vallatur lapide, sine † murorum structione: in medio autem ingens stagnum aquæ, liquore gratissimum: ab alia vero parte fontes vberrimi, ita vt per portam † riuus diffluat aquæ viuæ. Sed in tam grandi spacio, munitio ista distenditur, vt manentes intra murorum septa, terram excolant, frugesque in abundantia colligant. Huius munitionis tutamine elati, qui obsessi erant, egressi foras, vt arrepta aliquia præda, iterum se intra † castelli septa reconderent, ab hostibus comprehensi sunt. Erant autem quinquaginta † viri. Tunc ante ora parentum, vinctis post tergum manibus oblati, imminente iam gladio, adquieuerunt obsessi, ne interficerentur, singulos trientes dare in redemptionem suam. Theodoricus autem ab Aruerno discedens, Sygiualdum parentem suum,

al. captiui.
al. non murorum.
al. iteram.
al. infra.
al. quingenti.

in ea quasi pro custodia dereliquit. Erat autem ibi tunc tempore is quidam Lytigius ex minoribus † [al. monitoribus.], qui magnas sancto Quintiano parabat insidias: & cum se sanctus Episcopus pedibus eius prosterneret, nunquam vt se ei subderet mouebatur: ita vt & quadam vice vxori quæ sanctus fecerat, pro ridiculo indicaret. Quæ melioris intelligentiæ modo commota, ait: *Si ita es hodie pessundatus, nunquam erigeris.* Die autem tertia, aduenientes nuncii de præsentia Regis vinctum cum vxore ac liberis pariter abduxerunt. Qui abiens nunquam Aruernum regressus est.

De interitu Munderici

CAP. XIV.

Mvndericus igitur qui se parentem † [i. propinquū.] Regum adserebat, elatus superbia, ait: *Quid mihi & Theodorico regi? Sic enim mihi solium regni debetur, vt illi: egrediar & colligam populum meum, atque exigam sacramentum ab eis, vt sciat Theodoricus quia Rex sum ego, sicut & ille.* Et egressus cœpit seducere populum suum dicens: *Princeps ego sum, sequimini me, & erit vobis bene.* Sequebatur autem eum rustica multitudo, vt plerunque fragilitati humanæ conuenit, dantes sacramentum fidelitatis, & honorantes eum vt regem. Quod cum Theodoricus comperisset, mandatum mittit ad eum dicens: *Accede ad me, & si tibi aliqua de dominatione regni nostri portio debetur, accipe.* Dolose enim hæc Theodoricus dicebat, scilicet vt cum ad eum venisset, interficeretur. Ille vero noluit, dicens; *Ite, renunciate Regi vestro, quia Rex sum sicut & ille.* Tunc Rex commoueri iussit exercitum, quo oppressus vi puniretur. Quod ille cognoscens, & se non præualens defensare: Victoriaci † [hod. Vitry.] castri muros expetens, cum rebus omnibus in eo se studuit communire, his secum quos duxerat † [al. seduxerat.] adgregatis. Igitur commoto exercitu castrum vallat, ac per septem dies obsedit. Mundericus autem repugnabat cum suis, dicens: *Stemus fortes, & vsque ad mortem pariter dimicemus, & non subdamur inimicis.* Cumque exercitus à circuitu in contra iacula transmitteret, nec aliquid præualeret, nunciauerunt hæc Regi. At ille misit quendam de suis Aregisilum nomine, dixitque ei: *Vides,* inquit, *quod præualeat hic perfidus in contumacia sua, vade & redde ei sacramentum, vt securus egrediatur.* Cum autem egressus fuerit, interfice eum, & dele memoriam eius à regno nostro. Qui abiens, fecit iuxta quod ei præceptum fuerat: dederat tamen prius signum populo, dicens: *Cum ego hæc & hæc locutus fuero, statim inruentes interficite eum.* Ingressus autem Aregisilus ait Munderico: *Quousque hic resides, tanquam vnus ex insipientibus? Nunquid poteris diu Regi resistere? Ecce ablato tibi cibo, cum te fames oppresserit, vltro egredieris, & traderis in manus inimicorum, & morieris quasi vnus ex canibus. Audi potius consilium meum, & subde te Regi, vt viuere possis tu & filii tui.* Tunc ille his mollitus sermonibus ait: *Si egredior, comprehensus à Rege interficior & ego, & filii mei, & omnes amici qui mecum sunt congregati.* † [al. adgregati.] Cui Aregisilus ait; *noli timere, sed si vis egredi, accipe sacramentum de hac culpa, & sta securus coram Rege, ne timeas, sed eris cum eo sicut prius fuisti.* Ad hæc Mundericus respondit: *Vtinam securus sim, quod non interficiar.* Tunc Aregisilus positis super altare † [al. altarium.] sanctum manibus, iurauit ei vt securus egrederetur. Dato igitur sacramento, egrediebatur Mundericus de porta castelli, tenens manum Aregisili. populus autem spectabat à longe aspiciens eum. Tunc pro signo ait Aregisilus, *Quid aspicitis tam intente, ô populi? an nunquid † [al. an non.] vidistis prius Mundericum?* Et statim inruit populus in eum. At ille intelligens, ait, *Euidentissime cognosco, quod feceris per hoc verbum signum populis ad me interficiendum: veruntamen dico tibi, quia periuriis me decepisti: te viuum vltra nullus aspiciet.* Et emissa lancea in scapulas eius, perfodit eum, ceciditque & mortuus est. Euaginatoque deinceps Mundericus gladio cum suis, magnam stragem de populo illo fecit, & vsque quo spiritum exhalauit, interficere quemcunque adsequi potuisset, non destitit. Quo interfecto, res eius fisco conlatæ sunt.

De capti-

De captiuitate Attali

CAP. XV.

THEODORICVS vero & Childebertus fœdus inierunt, & dato sibi sacramento, *vt neuter conta alterum moueretur*, obsides abinuicem acceperunt, quo facilius firmarentur quæ fuerant dicta. Multi tunc filii Senatorum in hac obsidione † dati (*pro, obsidatu.*) sunt: sed orto iterum inter reges scandalo, ad seruitium publicum sunt addicti. Et quicunque eos ad custodiendum accepit, seruos sibi ex his fecit. Multi tamen ex eis per fugam elapsi, in patriam redierunt, nonnulli in seruitio sunt retenti: inter quos Attalus, nepos beati Gregorii Lingonici episcopi, ad publicum seruitium mancipatus est, custosque equorum destinatus. Erat enim intra Treuerici termini territorium, cuidam barbaro † seruiens (*i. Germano.*). Denique beatus Gregorius ad inquirendum eum misit † (*al. destinauit.*) pueros, quo inuento, obtulerunt homini munera: sed respuit ea, dicens: *Hic de tali generatione decem auri libris redimi debet.* Quibus redeuntibus, Leo quidam de coquina domini sui ait: *Vtinam me permitteres, & forsitan ego poteram eum reducere de captiuitate.* Gauiso autem domino, directus venit ad locum: voluitque puerum clam abstrahere, sed non potuit. Tunc locato secum homine quodam, ait: *Veni mecum, & venunda me in domo barbari illius, sitque tibi lucrum precium meum: tantum liberiorem aditum habeam faciendi id quod decreui.* Accepto vero sacramento, homo ille abiit, & vendito eo duodecim aureis discessit. Sciscitatus autem emptor à rudi famulo, quid operis † (*al. operæ.*) sciret? respondit, *in omnibus, quæ mandi debent in mensis dominorum, valde scitus sum operari: nec metuo quod reperiri possit similis mei in hac scientia. verum enim dico tibi, quia etiam si Regi epulum cupias præparare: fercula regia componere possum: nec quisquam me melius.* & ille, *Ecce enim dies Solis adest* (sic enim barbaries vocitare diem Dominicum † (*fontag. vide inf. lib. 10. c. 30.*) consueta est.) *In hac die vicini atque parentes mei inuitabuntur in domo mea, rogo vt facias mihi prandium quod admirentur, & dicant, quia in domo Regis melius non aspeximus.* Et ille, *Iubeat*, inquit, *dominus meus congregari pullorum gallinaceorum multitudinem, & faciam quæ præcipis.* Præparatis ergo quæ dixerat puer, inluxit Dominica dies, fecitque epulum magnum deliciisque refertum. Epulantibus autem omnibus, & laudantibus prandium, parentes illius discesserunt. Dominus enim dedit gratiam puero huic, & accepit potestatem super omnia quæ habebat dominus suus in promptu. Diligebatque eum valde, & omnibus qui cum eo erant ipse dispensabat cibaria & pulmenta. Post anni vero curriculum, cum iam securus esset dominus illius de eo, abiit in pratum quod erat domui proximum, cum Attalo puero custode equorum; & decubans in terra cum eo à longe, auersis dorsis, vt non cognosceretur quod loquerentur simul, dicit puero: *Tempus est enim, vt iam cogitare de patria debeamus. Ideoque moneo te, vt hac nocte cum equos ad claudendum adduxeris, sopore non deprimaris, sed cum primum te vocitauero, adsis, & ambulemus.* Vocauerat enim Barbarus † (*i. Germanus*) ille parentum multos suorum ad epulum, inter quos erat & gener eius, qui acceperat filiam illius. Media autem nocte à conuiuio surgentibus, & quieti datis, prosecutus est Leo generum domini sui cum potu, porrigens ei bibere. In metatu eius ait ad eum homo: *Dic tu, ô creditor soceri mei, si valeas, quando voluntatem adhibebis, vt adsumptis equis eius eas in patriam tuam?* Hoc quasi ioco delectans, dixit. Similiter & ille ioculariter veritatem respondens, ait: *Hac nocte delibero, si Dei voluntas fuerit.* Et ille, *Vtinam*, inquit, *custodiant me famuli mei, ne aliquid de rebus meis adsumas.* Et ridentes discesserunt. Dormientibus autem cunctis, vocauit Leo Attalum ex stratu suo. Interrogat, *si haberet gladium?* Respondit: *Non est mihi, nisi tantum lancea paruula.* At ille ingressus mansionem domini sui apprehendit scutum eius ac frameam. Quo interrogante, quis esset, aut quid sibi velit? respondit: *Ego sum Leo seruus tuus, & suscito Attalum, vt surgat velocius, & deducat equos ad pastum: detinetur enim sopore, quasi ebrius.* Qui ait, *fac vt libet.* Et hæc dicens obdormiuit. Ille vero egressus foras, muniuit puerum armis inuenitque ianuas atrii diuinitus reseratas, quas in initio noctis cum cuneis

malleo percussis obseraueRat pro custodia caballorum. Et gratias agens domino, sumptis reliquis equis secum, discesserunt: vnum etiam volucrum, cum vestimentis tollentes. Venientes autem ad Mosellam fluuium, cum transirent illum, & detinerentur à quibusdam, relictis equis & vestimentis, enatantes super parma † positi amnem, [ita & infra 4.c.30.] in vlteriorem egressi sunt ripam. Et inter obscura noctis ingressi siluam, latuerunt. Tertia enim nox aduenerat, quod nullum cibum gustantes iter terebant. Tunc nutu Dei reperta arbore plena pomis, quam vulgo prunum † vocant, comedunt, & parumper [al. pruna.] sustentati ingressi sunt iter Campaniæ: quibus pergentibus, audiunt pedibulum equitum currentium, dixeruntque: *Prosternamur terræ, ne appareamus hominibus venientibus.* Et ecce ex improuiso stirps rubi magnus adfuit, post quem transeuntes, proiecerunt se terræ cum gladiis euaginatis, scilicet vt si aduerterentur, confestim se quasi ab improbis framea defensarent. Veruntamen cum venissent in locum illum coram stirpe spineo restiterunt: dixitque vnus dum equi vrinam proiicerent, *Væ mihi quia fugiunt hi detestabiles, nec reperiri possunt: verum dico per salutem meam, quia si inuenirentur, vnum patibulo condemnari, & alium gladiorum ictibus in frusta discerpi iuberem.* Erat enim barbarus ille qui hæc aiebat, dominus eorum, de Remensi vrbe veniens, & hos inquirens: & reperisset vtique in via, si nox obstaculum non præbuisset. Tunc motis equis discesserunt. Hi autem nocte ipsa adtigerunt ad vrbem, ingressique inuenerunt hominem quem sciscitati sunt, Vbinam esset domus Paulelli presbyteri. Indicauitque eis. Qui dum per plateam præteriret, signum ad matutinas motum est. Erat enim dies Dominica. pulsantesque ianuam presbyteri, ingressi sunt. Exposuitque puer de domino suo. Cui ait presbyter, *Vera est enim visio mea. nam videbam duas in hac nocte columbas aduolare, & consedere in manu mea. Ex quibus vna alba, alia autem nigra erat.* Dixeruntque pueri presbytero, *Indulgeat Dominus pro die sua sancta. Nam nos rogamus, vt aliquid victus præbeas, quarta enim inlucescit dies, quod nihil panis pulmentique gustauimus.* Occultatis autem pueris, præbuit eis infusum cum vino panem, & abiit ad matutinas. Secutusque est & barbarus, iterum inquirens pueros: sed inlusus à presbytero regressus est. presbyter enim amicitiam cum beato Gregorio antiquam habebat. Tunc resumptis pueri epulo viribus, per duos dies in domo presbyteri commorantes, abscesserunt, & sic vsque ad sanctum Gregorium perlati sunt. Gauisus autem pontifex visis pueris, fleuit super collum Attali nepotis sui. Leonem autem à iugo seruitutis absoluens, cum omni generatione sua, dedit ei terram propriam, in qua cum vxore ac liberis liber vixit omnibus diebus vitæ suæ.

De Syualdo

CAP. XVI.

SYGIVALDVS autem cum in Aruerno habitaret, multa mala in ea faciebat. Nam & res diuersorum peruadebat, & serui eius non desistebant à furtis, homicidiis, ac [al. super acutis.] super numerum † diuersis sceleribus: nec vllus mutire ausus erat coram eis. Vnde factum est, vt ipse villam Bulgiatensem, quam quondam Benedictus Tetradius episcopus Basilicæ sancti Iuliani reliquerat, temerario ausu peruaderet. Sed cum ingressus in domum illam fuisset, statim amens effectus, lecto decubuit. Tunc mulier admonita per sacerdotem, eleuatum in basternam, vt in aliam villam transferret, sanum recepit. Et accedens, exposuit ei omnia quæ pertulerat. Quod ille audiens, vota beato Martyri vouens, ea quæ vi abstulerat, duplicata restituit. Meminimus & huius virtutis in libro Miraculorum sancti Iuliani.

De episcopis Turonicis

CAP. XVII.

IGitur Dionysio † episcopo apud Turonos decedente, Ommatius tribus annis præfuit. *al. Dinifio.* Hic enim ex iussu Chlodomeris regis, cuius supra meminimus, ordinatus est. Illo quoque migrante, Leo septem mensibus ministrauit. Hic fuit vir strenuus atque vtilis in fabrica operis lignarii. Quo defuncto, Theodorus & Proculus episcopi, qui de partibus Burgundiæ aduenerant, ordinante Chrothilde † regina tribus annis Turonicam rexerunt ecclesiam. *al. Chlede-gilde.* Quibus defunctis, Francilio ex senatoribus substituitur. Anno igitur tertio episcopatus sui, cum dominici Natalis nox alma populis effulsisset, idem pontifex priusquam ad vigilias descenderet, iussit sibi poculum ministrari. Adueniens autem puer, sine mora porrexit. Quo hausto, mox spiritum fudit: vnde indubitatum est veneno eum fuisse necatum. Quo decedente, Iniuriosus vnus è ciuibus quindecimus post beatum Martinum, cathedram pontificalem sortitus est.

De interitu filiorum Chlodomeris

CAP. XVIII.

DVm autem Chrothildis regina Parisiis moraretur, videns Childebertus, quod mater sua filios Chlodomeris (quos supra memorauimus) vnico affectu diligeret, inuidia ductus, ac metuens ne fauente regina admitterentur in regnum, misit clam ad fratrem suum Chlotharium regem dicens: *Mater nostra filios fratris nostri secum retinet, & vult eos regno donari †: debes velociter adesse Parisiis, & habito communi consilio* *al. dare.* *pertractare oportet, quid de his fieri debeat: Vtrum incisa cæsarie, vt reliqua plebs habeantur, an certe his interfectis regnum germani nostri inter nosmetipsos æqualitate habita diuidatur.* De quibus ille verbis valde gauisus Parisios venit: iactauerat enim Childebertus verbum in populo: ob hoc hos coniungi Reges, quasi paruulos illos eleuaturos in regno. Coniuncti autem miserunt ad Reginam, quæ tunc in ipsa vrbe morabatur, dicentes; *Dirige paruulos ad nos, vt sublimentur in regno.* At illa gauisa, nesciens dolum illorum, dato pueris esu potuque, direxit eos dicens; *Non me puto amisisse filium, si vos videam in eius regno substitui.* Qui abeuntes, adprehensi sunt statim, ac separati à pueris & nutritoribus suis, custodiebantur vtrique seorsum pueri, & seorsum hi paruuli. Tunc Childebertus atque Chlotharius miserunt Archadium, cuius supra meminimus, ad Reginam, cum forcipe atque euaginato gladio. Qui veniens ostendit Reginæ vtraque dicens: *Voluntatem tuam, ô gloriosissima regina, filii tui Domini nostri expetunt, quid de pueris agendum censeas, vtrum incisis crinibus eos viuere iubeas, an vtrumque iugulari?* At illa exterrita nuncio, & nimium felle commota, præcipue cum gladium cerneret euaginatum ac forcipem, amaritudine præuenta, ignorans in ipso dolore quid diceret, ait simpliciter: *Satius enim mihi est, si ad regnum non eriguntur, mortuos eos videre quam tonsos.* At ille parum admirans dolorem eius, nec scrutans quid deinceps plenius pertractaret, venit celeriter nuncians ac dicens; *Fauente Regina opus cœptum perficite: ipsa enim vult expleri consilium vestrum.* Nec mora, apprehensum Chlotharius puerum seniorem, brachio elisit in terram, defigensque cultrum in axillam † crudeliter interfecit. *al. ascellam.* Quo vociferante, frater eius ad pedes Childeberti prosternitur: adprehensisque eius genibus †, aiebat cum lachrymis: *al. genu.* *Succurre piissime pater, ne & ego peream sicut frater meus.* Tunc Childebertus lachrymis respersa facie ait, *Rogo dulcissime frater, vt eius mihi vitam tua largitate concedas: & quæ iusseris pro eius anima conferam, tantum ne interficiatur.* At ille furore actus, ait: *Aut eiice eum à te, aut certe pro eo morieris. Tu,* inquit, *es inceptator huius causæ, & tam velociter de fide resilis?* Hæc ille audiens, repulsum à se puerum proiecit ad eum; ipse vero

ipsum. accipiens † transfixum cultro in latere, sicut fratrem prius fecerat, iugulauit: deinde pueros cũ nutritiis peremerũt. Quibus interfectis, Chlotharius ascensis equis abscessit, paruipendens de interfectione nepotũ: sed & Childebertus in suburbana cõcessit. Regina vero compositis corpusculis feretro, cum magno psallentio, immensoq; luctu vsque ad Basilicam sancti Petri prosecuta, vtrumq; pariter tumulauit. quorum vnus decem annorum erat, alius vero septennis. Tertium vero Chlodoualdum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus est. Is post posito regno terreno, ad Dominum transiit, & sibi manu propria capillos incidens, clericus factus est: bonisq; operibus insistens, Presbyter ab hoc mundo migrauit. Hi quoque regnum Chlodomeris inter se æqua lance diuiserunt. Chrotildis vero regina, talem se tantamq; exhibuit, vt ab omnibus honoraretur: assidua in eleemosynis, pernox in vigiliis, in castitate atq; omni honestate puram se semper exhibuit: prædia Ecclesiis, monasteriis vel quibuscunque locis sanctis necessaria prouidit, larga ac prona voluntate distribuit, vt putaretur eo tempore non Regina, sed propria Dei ancilla ipsi sedulo deseruire. Quam non regnum filiorum, non ambitio seculi, nec facultas extulit ad ruinam, sed humilitas euexit ad gratiam.

De sancto Gregorio & situ Diuionensis castri

CAP. XIX.

ERat enim tunc & beatus Gregorius apud vrbem Lingonicam, magnus Dei sacerdos, signis & virtutibus clarus. Sed quia huius pontificis meminimus, gratum arbitratus sum, vt situm loci Diuionensis, in quo maxime erat assiduus, huic inseram lectioni. Est autem castrum firmissimis muris, in media planitie & satis iocunda compositum, terra valde fertilis atque fœcunda, ita vt aruis semel scissis vomere, semina iaciantur, & magna fructuum opulentia subsequatur: à meridie habet Oscarum † fluuium, piscibus valde prædiuitem. ab aquilone vero, alius fluuiolus venit, qui per portam ingrediens ac sub pontem decurrens, per aliam rursus portam egreditur, totum munitionis locum placida vnda circumfluens: ante portam autem molendina † mira velocitate diuertit. Quatuor portæ a quatuor plagis mundi sunt positæ; totumque ædificium, triginta tres turres exornant: murus vero illius, de quadris lapidibus vsque in viginti pedes, desuper à minuto lapide ædificatus habetur, habens in altum pedes triginta, in latum pedes quindecim. Quæ cur non ciuitas † dicta sit, ignoro. Habet enim in circuitu preciosos fontes: à parte autem occidentis, montes sunt vberrimi, vineisque repleti, qui tam nobile incolis Falernum porrigunt, vt respuant Scalonum †: nam veteres ferunt ab Aureliano hoc Imperatore fuisse ædificatum.

Diuio castrum. — Oscaram. — al. molinas. — ft. episcopalis ut inf. 4. c. 6 — al. scanolo. num.

Quod Theodoberdus Visigardem desponsauit

CAP. XX.

THeodoricus autem filio suo Theodoberto Wisigardem cuiusdam Regis filiam desponsauerat.

Quod Theodobertus in prouinciam abiit

CAP. XXI.

GOthi vero cum post Chlodouei mortem multa de his quæ ille acquisierat, peruasissent, Theodoricus Theodobertum, Chlotharius vero Guntharium seniorem filium suum, ad hæc requirenda transmittunt. Sed Guntharius vsque Rutenos

ac ce-

accedens, nescio qua faciente causa, regressus est: Theodobertus vero vsque ad Biterrensem ciuitatem abiens, Deas castrum obtinuit, atque hinc prædam diripuit. Deinde ad aliud castrum nomine Caprariam legatos mittit, dicens, *nisi se illi subdant, omnem locum illum incendio concremandum, eosque qui ibidem resident captiuandos.*

Quod postea Deuteriam accepit

CAP. XXII.

ERat autem ibidem tunc matrona Deuteria † nomine, vtilis valde atque sapiens, cuius vir apud Biternas † vrbem concesserat. Quæ misit nuncios ad Regem dicens; *Nullus tibi domine piissime, resistere potest. cognoscimus dominum nostrum: veni, & quod fuerit beneplacitum in oculis tuis, facito.* Theodobertus autem ad castrum veniens, cum pace ingressus est: subditumque sibi cernens populum, nihil inibi male gessit. Deuteria vero ad occursum eius venit. at ille speciosam eam cernens, amore eius capitur, suoque eam copulauit strato.

al. Deotria.
al. Biterris. hod. Beterre.

De interitu Sygiualdi & fuga Giualdi

CAP. XXIII.

IN illius diebus, Theodoricus parentem suum Sygiualdum occidit gladio, mittens occulte ad Theodobertum, vt & ille Gyualdum filium eius neci daret, quem tunc secum habebat: sed quia eum de sacro fonte exceperat, perdere noluit. Literas vero quas ei pater transmiserat, ipsi ad legendum dedit dicens: *Fuge hinc, quia patris mei præceptum accepi, vt te interficiam: si vero ille defunctus fuerit, & me regnare audieris, tunc securus ad me reuerteris.* Quod audiens, gratias agens, & vale dicens abscessit. Arelatensem enim tunc vrbem Gothi peruaserant, de qua Theodobertus obsides retinebat: ad eam Gyualdus confugit. Sed parum se ibidem cernens esse munitum, Latium petiit, ibique & latuit. Dum hæc agerentur, nunciatur Theodoberto patrem suum grauiter ægrotare, & ad quem nisi velocius properaret, vt eum inueniret viuum, à patruis suis excluderetur, & vltra illuc non rediret. At ille his auditis, cunctis postpositis illuc dirigit, Deuteria cum filia sua Aruerno relicta. Cumque abiisset, Theodoricus non post multos dies obiit, vicesimotertio regni sui anno. Consurgentes autem Childebertus & Chlotharius contra Theodobertum, regnum eius auferre voluerunt. Sed ille muneribus placatis, à Leodibus † suis defensatus est, & in regno stabilitus. Mittens postea Aruernum, Deuteriam exinde accersiuit, eamque sibi matrimonio sociauit.

Latium Varroni.
Theodebertus.
al. Leudibus.

Quod Childebertus Theodobertum munerauit

CAP. XXIV.

VIdens autem Childebertus, quod ei præualere non potuisset, legationem ad eum misit, & ad se venire præcepit, dicens: *Filios non habeo, te tanquam filium habere desidero.* Quo veniente tantis eum muneribus ditauit, vt ab omnibus miraretur. nam de rebus bonis tam de armis quam de vestibus, vel reliquis ornamentis quæ Regem habere decet, terna ei paria condonauit: similiter & de equis atque catenis. Hæc audiens Gyualdus, quod scilicet Theodobertus regnum patris obtinuisset, ad eum de Italia rediit. Cui ille congaudens ac deosculans, tertiam partem ei de muneribus quæ à patruo acceperat, est largitus: & omnia, quæ in fisco suo pater suus posuerat, de rebus Sygiualdi patris eius, ipsi reddi præcepit.

A. DXLVI.

De bonitate Theodoberti

CAP. XXV.

AT ille in regno firmatus, magnum ſe atque in omni bonitate præcipuum reddidit. Erat enim regnum cum iuſtitia regens, ſacerdotes venerans, Eccleſias munerans, pauperes eleuans †, & multa multis beneficia pia ac dulciſſima accommodans voluntate. Omne tributum quod in fiſco ſuo ab eccleſiis in Aruerno ſitis reddebatur, clementer indulſit.

al. releuans.

De interitu filiæ Deuteriæ

CAP. XXVI.

DEuteria vero cernens filiam ſuam adultam valde eſſe, timens ne eam concupiſcens Rex ſibi adſumeret, in baſterna poſitam indomitis bobus coniunctis eam de ponte præcipitauit, quæ in ipſo flumine ſpiritum reddidit. hoc apud Viridunum ciuitatem actum eſt.

Quod Theodobertus Viſigardem accepit

CAP. XXVII.

CVmque iam ſeptimus annus eſſet, quod Wiſigardem deſponſatam haberet, & eam propter Deuteriam accipere nollet, coniuncti Franci contra eum valde ſcandalizabantur, *Quare ſponſam ſuam relinqueret?* Tunc commotus, relicta Deuteria, de qua paruulum filium habebat Theoduald um † nomine, Wiſigardem duxit vxorem. Quam nec multo tempore habens, defuncta illa, aliam accepit. Veruntamen Deuteriam vltra non habuit.

al. Theodobaldum.

Quod Childebertus cum Theodoberto contra Chlotarium abiit

CAP. XXVIII.

CHildebertus autem & Theodobertus commouentes exercitum, contra Chlotharium ire diſponunt. Ille autem hæc audiens æſtimans ſe horum exercitum non ſuſtinere, in ſiluam confugit. Et concides magnas in ſiluis illis fecit, totamque ſpem ſuam in Dei pietatem transfundens. Sed & Chrothildis regina hæc audiens, beati Martini ſepulchrum adiit, ibique in oratione proſternitur, & tota nocte vigilat, orans ne inter filios ſuos bellum ciuile conſurgeret. Cumque hi venientes cum exercitibus ſuis, eum obſiderent, tractantes illum die ſequenti interficere; mane facto in loco quo erant congregati, orta tempeſtas tentoria diſſecat, res diripit, & cuncta ſubuertit, immixtaque fulgura cum tonitruis ac lapidibus ſuper eos deſcendunt. Ipſi quoque ſuper infectam grandine humum in faciem proruunt, & à lapidibus deſcendentib. grauiter verberantur. nullum enim eis tegumen remanſerat, niſi parmæ tantum, hoc maxime metuentes ne ab ignibus cœleſtibus cremarentur. Sed & equi eorum ita diſperſi ſunt, vt vix in viceſimo quoque reperirentur ſtadio, multi enim prorſus ex eis non ſunt inuenti. Tunc illi (vt diximus) à lapidibus cæſi & humo proſtrati, pœnitentiam agebant, ac precabantur veniam à Deo, quod iſta contra ſanguinem ſuum agere voluiſſent. Super Chlotharium vero neque vna quidem pluuiæ gutta decidit, aut aliquis ſonitus tonitrui eſt auditus: ſed nec anhelitum vllius venti in illo † loco ſenſere. Hi quoq; mittentes nuncios ad eum, pacem & concordiam petierunt. qua data, ad propria ſunt regreſſi. Quod nullus ambigat hanc per obtentum reginæ, beati Martini fuiſſe virtutem.

al. n. n. nullo loco.

Quæ

Quod Childebertus & Chlotarius in Hispanias abierunt

CAP. XXIX.

POST hæc Childebertus rex in Hispaniam abiit. quam ingressus, cum Chlotario, Cæsaraugustanam ciuitatem cum exercitu vallant atque obsident. At illi in tanta humilitate ad Deum conuersi sunt, vt induti ciliciis, abstinentes à cibis & poculis, cum tunica beati Vincentii martyris, muros ciuitatis psallendo circuirent: mulieres quoque amictæ nigris palliis, dissoluta cæsarie, superposito cinere, vt eas putares virorum funeribus deseruire, plangendo sequebantur. Et ita totam spem locus ille ad Domini misericordiam † retulit, vt diceretur ibidem Niniuitarum ieiunium celebrari: nec æstimaretur aliud posse fieri, nisi eorum precibus, diuina misericordia inflecteretur. *al. Dominum misericordia.* Hi autem qui obsidebant, nescientes quid obsessi agerent, cum viderent sic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficii. Tunc adprehensum vnum de ciuitate rusticum, ipsi interrogant, *Quid hoc esset quod agerent?* Qui ait: *Tunicam beati Vincentii deportant, & cum ipsa vt eis Dominus misereatur, exorant.* Quod illi timentes, se ab ea ciuitate remouerunt, tamen acquisita maxima Hispaniæ parte, cum magnis spoliis in Gallias redierunt.

De regibus Hispanorum

CAP. XXX.

POst Amalaricum vero, Theuda rex ordinatus est in Hispaniis: quo interfecto, Theudegysilum leuauerunt Regem. Is dum ad cœnam cum amicis suis epularetur, & esset valde lætus, cereis subito extinctis, in recubitu ab inimicis gladio percussus interiit. post quem Agyla regnum accepit. Sumpserant enim Gothi hanc detestabilem consuetudinem, vt si quis eis de Regibus non placuisset, gladio eum adpeterent: & qui libuisset animo, hunc sibi statuerent Regem. *Gothorum Reges.*

De filia Theodorici regis Italici

CAP. XXXI.

ET quia Theodoricus Italiæ, Chlodouei regis sororem in matrimonio habuit, mortuus paruulam filiam cum vxore reliquit. Hæc autem cum adulta facta esset, per leuitatem animi sui, relicto matris consilio, quæ ei regis filium prouidebat, seruum suum Traguillanem nomine accepit, & cum eo ad ciuitatem qua defensari possit, aufugit. Cumque mater eius contra eam valde frenderet, peteretque ab ea, *ne humiliaret diutius nobile genus, sed dimisso seruo similem sibi de genere regio, quem mater prouiderat, deberet accipere*, nullatenus voluit adquiescere. Tunc mater eius contra eam frendens, exercitum commouit. At illi venientes super eos, Traguilanem interfecerunt gladio, ipsam quoque cædentes in domum matris reduxerunt. Erant autem sub Arriana secta viuentes: & quia consuetudo eorum est, vt ad altarium venientes, de alio calice Reges communicent, & de alio populus minor, venenum in calice illo posuit, de quo mater communicatura erat. *Arrianorum mos.* Quo illa hausto, protinus mortua est. non enim dubium est, tale maleficium esse de parte Diaboli. Quid contra hæc miseri Hæretici respondebunt, vt in sancta † eorum locum habeat inimicus? *al. factam.* Nos vero Trinitatem in vna æqualitate pariter & omnipotentia confitentes, etiam si mortiferum bibamus, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, veri atque incorruptibilis Dei, nihil nos nocebit. Indignantes ergo Itali contra hanc mulierem, Theodadum regem Tusciæ inuitantes, super se Regem statuunt. Hic vero cum didicisset quæ meretrix ista com-

f 3

miſerat, qualiter propter ſeruum quem acceperat in matrem extiterat parricida, ſuccenſo vehementer balneo, eam in eodem cum vna puella includi præcepit. Quæ nec mora, inter arduos vapores ingreſſa, in pauimento corruens, mortua atque conſumpta eſt. Quod cognoſcentes hi reges Childebertus & Chlotharius conſobrini eius, necnon & Theodobertus, quod ſcilicet tã turpi fuerit interfecta ſupplicio, ad Theodadum legationem dirigunt, exprobrantes de morte eius atque dicentes; *Si hæc quæ egiſti, nobiſcum non compoſueris, regnum tuum auferemus, & ſimili pœna te damnabimus.* Tunc ille timens, quinquagena eis millia aureorum tranſmiſit. Childebertus autem, vt erat ſemper contra Chlotharium regem inuidus atque verſutus, cum Theodoberto nepote ſuo coniunctus, diuiſo inter ſe hoc auro, nihil exinde dare regi Chlothario voluerunt. At ille ſuper theſauros Chlodomeris adgreſſus, multum illis amplius quam hi fraudauerant, abſtulit.

Quod Theodobertus in Italiam abiit

CAP. XXXII.

THeodobertus vero in Italiam abiit, & exinde multum adquiſiuit. Sed quia loca illa (vt fertur) morbida ſunt, exercitus eius in diuerſis febribus corruens, vexabatur. Multi enim ex his, in illis locis mortui ſunt. Quod videns Theodobertus, ex ea reuerſus eſt, multa ſecum ſpolia ipſe vel ſui deferentes: dicitur tamen tunc temporis vſque Ticinum acceſſiſſe ciuitatem, in qua Buccellinum rurſum direxit. Qui minore illa Italia capta, atque in ditionem Regis antedicti redacta, maiorem petiit: in qua contra Belliſſarium multis vicibus pugnans, victoriam obtinuit. Cumque Imperator vidiſſet, quod Belliſſarius crebrius vinceretur, amoto eo, Narſetem in eius locum ſtatuit. Belliſſarium vero Comitem ſtabuli, quaſi pro humilitate quod prius fuerat, poſuit. Buccelinus vero contra Narſetem magna certamina geſſit, capta omni Italia, vſque in mare terminum dilatauit: Theſauros vero magnos ad Theodobertum de Italia direxit. Quod cum Narſes Imperatori poſuiſſet in notitiam, Imperator conductis precio gentibus, Narſeti ſolatium mittit, confligenſq; poſtea victus abſceſſit. Deinceps verò Buccelinus Siciliam occupauit, de qua etiam tributa exigens, Regi tranſmiſit. Magna enim ei felicitas in his conditionibus fuit.

Belliſarius.

Iuſtinianus Imp.

De Aſteriolo & Secundino.

CAP. XXXIII.

ASteriolus tunc & Secundinus magni cum Rege habebantur. Erat autem vterque ſapiens, & rhetoricis imbutus literis. Sed Secundinus plerumq; legationem Imperatori à Rege miſſus intulit. Et ob hoc iactantiam ſumpſerat, ac nonnulla contra rationem exercebat. Qua de cauſa factum eſt, vt inter illum atque Aſteriolum, lis ſæua conſurgeret: quæ vſque ad hoc profecit, vt oblitis verborum obiectionibus, propriis ſe manibus verberarent †. Cumque hæc per Regem pacificata fuiſſent, & Secundinus adhuc de ſua cæde timeret † nata eſt inter eos rurſum contentio †. Et Rex ſuſcipiens Secundini cauſam, Aſteriolum in eius poteſtatem dedidit. † Qui valde humiliatus eſt, & ab honore depoſitus, ſed per Wiſigardem reginam iterum eſt reſtitutus. Mortua autem illa, conſurgens iterum Secundinus, eum interfecit. nam hic moriens filium dereliquit. Qui cum creuiſſet, & eſſet adultus, cœpit patris ſui velle iniuriam vindicare. tunc Secundinus timore perterritus, dum de villa in villam ante eum fugeret, cum ſe iam videret eo imminente non poſſe euadere, ne in manus inimici corrueret, veneno ſe (vt dicitur) interfecit.

al lacerarent. al tumeret. al. intentio. ita & alibi. al. dedit.

De munere Theodoberti circa Viridunenſes ciues

CAP. XXXIV.

Deſi-

DEsideratus autem Viridunensis Episcopus, cui Theodoricus rex multas irrogauit iniurias, cùm post multa exitia, damna atq; ærumnas, ad libertatem propriã iam Domino iubente rediisset, & episcopatu, (vt diximus) apud Vidurunensem vrbem potiretur, videns habitatores eius valde pauperes atque destitutos, dolebat super eis: & cum ipse per Theodoricum de rebus suis remansisset extraneus; nec haberet de proprio qualiter eos consolaretur, bonitatem & clementiam circa omnes Theodoberti regis cernens, misit ad eum legationem dicens: *Fama bonitatis tuæ in vniuersam terram vulgatur, cum tanta sit tua largitas, vt etiam non petentibus opem præstes: rogo si pietas tua habet aliquid de pecunia, nobis commodes, qua ciues nostros releuare valeamus: cumque hi negocium exercentes, sponsionem † in ciuitate nostra sicut reliquæ habent, præstiterint, pecuniam tuam cum vsuris legitimis reddemus.* Tunc ille pietate commotus, septem ei milia aureorum præstitit.† Quæ ille accipiens, per ciues suos erogauit. At illi negocia exercentes, diuites per hoc effecti sunt, & vsque hodie magni habentur. Cumque antedictus Episcopus debitam pecuniam obtulisset Regi, respondit Rex: *Non habeo necessarium hoc recipere: illud mihi sufficit, si dispensatione tua pauperes qui opprimebantur inopia, per tuam suggestionem, vel per meam largitatem sunt releuati.* Et nihil exigens, antedictos ciues diuites fecit.

al. responsum.

i. mutuo dedit. Gall. presté.

De interitu Sygiualdi
CAPVT XXXV.

DEfuncto autem apud vrbem supradictam memorato antistite, Agyricus quidam è ciuibus, in cathedram eius subrogatur. Syagrius autem filius eius reminiscens iniurias patris, qualiter à Syriuuldo † ad regem Theodoricum incusatus, non solũ spoliatus, verum etiam suppliciis affectus fuisset, oppressum cum armata manu Syriuuldũ taliter interfecit. Tunc mane facto, cum nebula esset condẽsa, & vix adhuc dirumpẽtibus tenebris aliquid quis posset discernere, venit ad villam eius in Diuionensi territorio, cui nomen est Floriacum: egressoq; domum vno amicorum, putantes ipsum Syriuuldũ esse, interfecerunt eum: & reuertentibus quasi victoriam obtinuissent de inimico, indicat eis vnus ex familia, non eos dominum interfecisse, sed subditum.† At illi regressi, requirentes eum, cellulam in qua dormire solitus erat, repertam adgrediũtur. Ad cuius ostium diutissime pugnantes, nihil ei poterant præualere. Dehinc eruto ab vno latere pariete ingredientes, gladio eum interimunt. Post mortem enim Theodorici hic interfectus est.

al. Syriualdo

al. Suidium

De obitu Theodoberti & de interitu Parthenii
CAPVT XXXVI.

HIs deniq; gestis, Theodobertus rex ęgrotare cœpit. Ad quem medici multa studia impenderunt: sed nihil valuit, quia eum iam Dominus vocari iubebat. Ergo cum diutissime ægrotasset, ab ipsa infirmitate deficiens, reddidit spiritum. Franci vero cum Parthenium in odio magno haberẽt, pro eo quod eis tributa antedicti Regis tempore inflixisset, eum persequi cęperunt. Ille vero in periculo positum se cernens, confugiũ ab vrbe facit, & a duobus Episcopis suppliciter exorat, vt eum ad vrbem Trenericã deducentes, populi seuientis seditionem sua prædicatione cõprimerent. Quibus euntib. nocte dum in stratu suo decumberet, subito per somnium vocem magnã emittit dicens: *Heu heu, succurrite qui adestis, & auxilium ferte pereunti.* A quo clamore expergefacti qui aderant, interrogant, *Quid hoc esset?* Respondit ille, *Ausanius amicus meus cum Papianilla coniuge, quos olim interfeci, ad iudicium me arcessebant, dicentes; Veni ad respondẽdum, quia causaturus es nobiscum coram Domino.* Zelo enim ductus ante annos aliquot coniugem innocentẽ amicumq; peremerat. Igitur accedentib. Episcopis ad antedictam vrbẽ cum strepentis populi seditionẽ ferre non possent, eũ in Ecclesia abdere voluerunt, scil. ponentes eũ in arca, & desup sternentes vestimenta quæ erant ad vsum Ecclesiæ. Populus aũt ingressus, perscrutatusq; vniuersos angulos Ecclesię, cũ nihil reperisset, frendens egrediebatur. Tũc vnus ex suspicione locutus ait: *En arca, in qua nõ est inquisitus aduersarius noster.* Dicentibus vero custodibus, nihil in ea aliud nisi ornamẽta Ecclesiæ contineri, illi clauem postulant aientes; *Nisi reserauerisis velocius, ipsi eam sponte confringimus.* Denique reserata arca, amotis linteaminibus, inuentum extrahunt, plaudentes atque dicentes:

al. manib. nostris. al. perurgen.

Tradidit Deus inimicum nostrum in manus nostras †. Tunc cædentes eum pugnis, sputisque perungentes †, vinctis post tergum manibus ad columnam lapidibus obruunt. Fuit autem in cibis valde vorax: sed quæ sumebat, quo celerius ad manducandum commoueretur, sumpto aloe velociter digerebat, sed & strepitus ventris absque vlla auditorum reuerentia in publico emittebat. Hoc ergo exitu consummatus interiit.

De hyeme graui

CAPVT XXXVII.

al. grauem hyemem fecit. idiotismo Gall.

GRrauis eo anno & solito asperior hyems † fuit, ita vt torrentes concatenati gelu, peruium populis iter tanquam reliqua humus præberent. Aues quoque rigore affectæ vel fame, absque vllo hominum dolo, cum magnæ essent niues, manu capiebantur. A transitu igitur Chlodouei vsque in transitum Theodoberti, computantur anni triginta septem. Mortuo ergo Theodoberto, quarto decimo regni sui anno, regnauit Theodoualdus filius eius pro eo.

GREGO-

GREGORII TVRONENSIS EPISCOPI HISTORIARVM LIBER QVARTVS.

De obitu Chrotildis reginæ

CAPVT I.

IGitur Chrothildis regina plena dierum bonisque operibus prædita, apud vrbem Turonicam obiit, tempore Iniuriosi Episcopi: quæ Parisios cum magno psallentium præconio † deportata, in sacrario basilicæ sancti Petri, ad latus Chlodouei regis sepulta est, à filiis suis Childeberto atque Chlothario regibus. nam basilicam illam ipsa construxerat; in qua & Genouefa beatissima est sepulta.

al. c. m. psallentio dep.

Quod Chlotharius rex tertiam partem fructuum Ecclesiarum auferre voluit

CAPVT II.

DEnique Chlotharius rex, indixerat, *vt omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissoluerent*. Quod licet inuiti, cum omnes Episcopi consensissent atque subscripsissent, viriliter hoc beatus Iniuriosus respuens subscribere dedignatus est, dicens: *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum est vt pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur*. Et iratus contra Regem, nec vale dicens, abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati Martini, misit post eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, simulque rogans, vt pro se virtutem beati Martini antistitis exoraret.

De vxoribus & filiis eius

CAPVT III.

CHlotharius denique ipse Rex de diuersis mulieribus septem filios habuit, id est de Ingunde, Guntharium, Childericum, Charibertum, Guntchramnum, Sygilbertum, & Chlotsindam filiam. De Aregunde vero sorore Ingundis, Chilpericum. De Chunsena habuit Chramnum. Quæ autem causa fuerit, vt vxoris suæ sororem acciperet, dicam. Cum iam Ingundem in coniugio accepisset; & eam vnico amore diligeret, suggestionem ab ea accepit dicente: *Fecit Dominus meus de ancilla sua quod libuit, & suo me strato † adsciuit: nunc ad complendam mercedem, quid famula tua suggerit, audiat Dominus meus Rex: Precor vt sorori meæ seruæ vestræ vtilem atque habentem † virum ordinare dignemini, vnde non humilier, sed potius exaltata seruire fideliùs possim.* Quod ille audiens, cum esset nimium luxuriosus, in amorem Aregundis incenditur, & ad villam in qua ipsa residebat dirigit, eamque sibi in matrimonio sociauit. Qua accepta, ad Ingundem rediens ait: *Tractaui mercedem illam implere, quam me tua dulcedo expetiit. Et requirens virum diuitem atque sapientem, quem tuæ sorori deberem*

al. strato. al. habilem.

adiungere, nihil melius quam meipſum inueni. Itaque noueris, quia eam coniugem accepi, quod tibi diſplicere non credo. At illa: *Quod bonum*, inquit, *videtur in oculis domini mei, faciat; tantum ancilla tua cum gratia regis viuat.* Guntharius vero Chramnus atque Childericus, viuente patre mortui ſunt. Exitum vero Chramni in poſterum ſcribemus. Alboinus quoque rex Longobardorum, Chlotſindam filiam Regis accepit. Obiit autem Iniurioſus Epiſcopus vrbis Turonicæ, decimo & ſeptimo Epiſcopatus ſui anno. Cui Baudinus ex domeſtico Chlotharii regis ſucceſſit, ſextus decimus poſt exitum beati Martini.

De Brittannorum Comitibus

CAPVT IV.

CHanao quoque Britannorum comes tres fratres ſuos interfecit. Volens autem adhuc Macliauum interficere, comprehenſum atquè catenis oneratum in carcere retinebat: qui per Felicem Namneticum Epiſcopum à morte liberatus eſt. Poſt hæc iurauit fratri ſuo, *vt ei fidelis eſſet*: ſed neſcio quo caſu ſacramentum inrumpere voluit. Quod Chanao ſentiens, iterum eum perſequebatur. At ille, cum ſe euadere non poſſe videret, poſt alium comitem regionis illius fugit, nomine Chonomorem. Is cum ſentiret perſecutores eius adpropinquare, ſub terra eum in loculo abſcondit, componens deſuper ex more tumulum, paruumque ei ſpiraculum reſeruans, vnde halitum reſumere poſſet. Aduenientibus autem perſecutoribus eius, dixerunt: *Ecce hic Macliauus mortuus atque ſepultus iacet.* Quod illi audientes, atque gaudentes, & ſuper tumulum illum bibentes, renunciauerunt fratri, eum mortuum eſſe. Quod ille audiens, regnum eius integrum accepit. nam ſemper Britanni ſub Francorum poteſtate poſt obitum regis Chlodouei fuerunt, & Comites, non Reges appellati ſunt. Macliauus autem de ſub terra † conſurgens, Veneticam vrbem expetiit, ibique tonſuratus & Epiſcopus ordinatus eſt. Mortuo autem Chanaone, hic apoſtatauit, & demiſſis capillis, vxorem quam poſt clericatum reliquerat, cum regno fratris ſimul accepit. Sed ab Epiſcopis excommunicatus eſt: cui qualis fuerit interitus, ſequenter ſcribemus. Obiit autem Baudinus Epiſcopus anno VI. Epiſcopatus ſui: in cuius locum Guntharius abbas ſubrogatur XVII. poſt tranſitum ſancti Martini.

Britanni ſub Francis. Inf. lib. 11. c. 78. Gall. de deſſoubs la terre.

De ſancto Gallo Epiſcopo

CAPVT V.

S. Gallus.

DEnique cum beatus Quintianus, (ſicut ſupra diximus) ab hoc mundo migraſſet, ſanctus Gallus in eius cathedram Rege opitulante, ſubſtitutus eſt. Huius tempore, cum lues illa quam Inguinariam vocant, per diuerſas regiones deſæuiret, & maxime tunc Arelatenſem prouinciam depopularetur, ſanctus Gallus non tantum pro ſe, quantum pro populo ſuo trepidus erat. Cumque die noctuque Dominum deprecaretur, vt viuens plebem ſuam vaſtari non cerneret, per viſum noctis apparuit ei angelus Domini, qui tam cæſariem quam veſtem in ſimilitudine niuis candidam efferebat: & ait ad eum: *Bene enim facis, ô ſacerdos, quod ſic Dominum pro populo tuo ſupplicas, exaudita eſt enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nulluſque te viuente in regione iſta ab hac ſtrage deperiet. nunc autem ne timeas: poſt octo vero annos time.* Vnde manifeſtum fuit, tranſactis his annis, eum à ſeculo diſceſſurum. Expergefactus autem, & Deo gratias pro hac conſolatione agens, quod eum per cæleſtem nuncium confortare dignatus eſt, Rogationes illas inſtituit, vt media Quadrageſima pſallendo, ad baſilicam beati Iuliani martyris itinere pedeſtri venirent. Sunt autem in hoc itinere, quaſi ſtadia CCCLX. Tunc etiam in ſubita contemplatione, parietes vel domorum vel Eccleſiarum ſignari videbantur. Vnde à ruſticis hæc ſcriptio *Thau* vocaba-

Thau.

cabatur. Cum autem regiones alias (vt diximus) lues illa consumeret, ad ciuitatem Aruernam, sancti Galli intercedente oratione, non attigit. Vnde hæc non paruam censeo gratiam, qui hoc meruit, vt pastor positus oues suas deuorari defendente Domino non videret. Cum autem ab hoc mundo migrasset, & ablutus in Ecclesiam deportatus fuisset, Cato presbyter continuo à clericis de episcopatu laudes accepit: & omnem rem Ecclesiæ tanquam si iam esset Episcopus, in suam redegit potestatem: ordinatores remouet, ministros respuit, cuncta per se ordinat.

De Catone presbytero

CAPVT VI.

EPiscopi tamen qui aduenerant sanctum Gallum sepeliendum, postquam eum sepelierant, dixerunt Catoni presbytero: *Videmus quia te elegit pars maxima populorum: veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad episcopatum. Rex vero paruulus est, & si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum proceribus & primis regni Theodoualdi regis agemus, ne tibi vlla excitetur iniuria: nos quoque (tantum fideliter crede, vt spondeamus pro te) omnia etiam si damni aliquid supruenerit, de nostris propriis facultatibus id reddituros.* At ille cothurno vanæ conflatus gloriæ ait: *Nostis enim fama currente, me ab initio ætatis meæ semper religiose vixisse, vacasse ieiuniis, eleemosynis delectatum fuisse, continuatas sæpius exercuisse vigilias, psallentio vero iugi crebra perstitisse statione nocturna. Nec me dominus Deus meus patitur hac ordinatione priuari, cui tantum famulatum exhibui. nam & ipsos clericatus gradus canonica sum semper institutione sortitus: Lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis ministraui, Diaconatui vero quindecim annis mancipatus fui, Presbyterii autem iam honore viginti annis potior. Quid enim mihi nunc restat, nisi vt Episcopatum quem fidelis seruitus promeretur, accipiam? Vos igitur reuertimini ad ciuitates vestras, & si quid vtilitati vestræ competit, exercete. nam ego canonice adsumpturus sum hunc honorem.* Hæc audientes Episcopi, & in eum vanam gloriam execrantes, discesserunt.

De Episcopatu Cautini

CAPVT VII.

IGitur cum consensu clericorum ad episcopatum electus, cum adhuc non ordinatus cunctis ipse præesset, Cautino archidiacono diuersas minas intendere cœpit, dicens: *Ego te remouebo, ego te humiliabo, ego tibi multas neces impendi præcipiam.* Cui ille, *Gratiam*, inquit, *tuam domine piissime habere desidero: quam si mereor, vnum tibi beneficium præstabo: sine vllo enim labore tuo, & absque vllo dolo, ego ad Regem pergam, & episcopatum tibi obtinebo, nihil petens nisi vt promerear gratiam tuam.* At ille suspicans eum sibi velle inludere, hæc valde despexit. Hic vero cum se cerneret humiliari, atque calumniæ subiici, languore simulato & per noctem ciuitatem egrediens, Theodoualdum Regem petiit, adnuncians transitum sancti Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, conuocatis sacerdotibus apud Metensem ciuitatem, Cautinus archidiaconus, Episcopus ordinatur. Cum autem venissent nuncii Catonis presbyteri, hic iam Episcopus erat. Tunc ex iussu Regis traditis ei clericis, & omnibus quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque qui cum eo pergerent Episcopis, & camerariis, Aruernos eum direxerunt. Qui a clericis & ciuibus libenter exceptus, Episcopus Aruernis est datus. Grandes postea inter ipsum & Catonem presbyterum inimicitiæ ortæ sunt: quia nullus vnquam potuit flectere Catonem, vt Episcopo suo subditus esset. Nam & diuisio clericorum facta est, & alii Cautino Episcopo erant subditi, alii Catoni presbytero: quod eis fuit maximum detrimentum. Cautinus autem Episcopus videns eum nulla ratione posse flecti, vt sibi esset subditus, tam ei quam amicis eius vel quicunque ei consentiebant, omnes res Ecclesiæ abstulit, reliquitque eos inanes ac vacuos.

Quicunque tamen ex ipsis ad eum conuertebantur, iterum quod perdiderant recipiebant.

De Hispanorum Regibus

CAPVT VIII.

REgnante vero Agilane apud Hispaniam, cum populum grauissimo dominationis suæ iugo adtereret, exercitus imperatoris Hispanias est ingressus, & ciuitates aliquas peruasit. Interfecto autem Agilane, Athanageldus regnum accepit. Qui multa bella contra ipsum exercitum postea egit, & eos plerunque deuicit, ciuitatesque quas male peruaserant, ex parte auferens de potestate eorum.

De obitu Theodoualdi

CAPVT IX.

al. Valdetradam.

THeodoualdus vero cum iam adultus esset, Vuldotradam † duxit vxorem. Hunc Theodoualdum ferunt mali fuisse ingenii, ita vt iratus cuidam quem suspectum de rebus suis habebat, fabulam fingeret, dicens: *Serpens ampullam vino plenam reperit, per cuius os ingressus, quod intus habebatur auidus hausit. A quo inflatus vino, exire per aditum quo ingressus fuerat, non valebat. Veniens vero vini dominus, cum ille exire niteretur, nec posset, ait ad serpentem; Euome prius quod inglutisti, & tunc poteris abscedere liber.* Quæ fabula magnum ei timorem atque odium præparauit. Sub eo enim & Bucellinus, cum totam Italiam in Francorum regnum redegisset, à Narsete interfectus est: Italia ad partem Imperatoris capta, nec fuit qui eam vltra reciperet. Sub huius tempore vuas in arbore quam sambucum vocamus, absque vitis coniunctione natas vidimus: & flores ipsarum arborum, quæ nigra, (vt nostis) grana proferre solitæ sunt, racemorum grana dederunt. Tunc & in circulum Lunæ quintæ, stellam ex aduerso veniens introisse visa est. Credo hæc signa mortem ipsius Regis adnunciasse. Ipse vero valde infirmatus, à cinctura deorsum se volutare non poterat. Qui paulatim decidens, septimo regni sui anno mortuus est, regnumque eius Chlotarius rex accepit, copulans Vuldotradam vxorem eius strato suo. Sed increpitus à sacerdotibus, reliquit eam, dans ei Gariualdum ducem, dirigensque Aruernos Chramnum filium suum.

Fabella.

An. 553.

De rebellione Saxonum

CAPVT X.

EO anno rebellantibus Saxonibus, Chlotharius rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem deleuit, peruagans totam Thoringiam ac deuastans, pro eo quod Saxonibus suppetias præstitissent. †

al. solarium prebuiss.

Quod Catonem ex iussu regis ad Episcopatum Turonici petierint

CAPVT XI.

DEcedente vero apud vrbem Turonicam Gunthario Episcopo, per emissionem, (vt ferunt) Cautini Episcopi, Cato presbyter ad gubernandam Turonici vrbis Ecclesiam petebatur. Vnde factum est, vt coniuncti clerici, cum Leubaste martyrario & abbate, cum magno apparatu Aruernum properarent. Cumque Catoni Regis voluntatem patefecissent, suspendit eos a responso paucis diebus. Hi vero

ro regredi cupientes, dicunt; *Pande nobis voluntatem tuam, vt sciamus quid debeamus sequi: alioquin reuertimur ad propria. Non enim nostra te voluntate expetiuimus, sed Regis praeceptione.* At ille, vt erat vanæ gloriæ cupidus, adunata pauperum caterua, clamorem dari præcepit his verbis: *Cur nos deseris bone pater filios, quos nunc vsque educasti? Quis nos cibo potuque reficiet, si tu abieris? rogamus ne nos relinquas, quos alere consuesti.* Tunc ille conuersus ad clerum Turonicum ait: *Videtis nunc, fratres charissimi, qualiter hæc multitudo pauperum me diligit. non possum eos relinquere, & ire vobiscum.* Istud hi responsum accipientes, regressi sunt Turonos. Cato autem amicitias cum Chramno nexuerat, promissionẽ ab eo accipiens, vt si contigerit in articulo temporis illius regem mori Chlotharium, statim eiecto Cautino ab episcopatu iste præponeretur Ecclesiæ. Sed qui cathedram beati Martini contemptui habuit, quam voluit non accepit: impletumque est in eo quod Dauid cecinit dicens: *Noluit benedictionem, & prolongabitur ab eo.* erat enim vanitatis cothurno elatus, nullum sibi putans in sanctitate haberi præstantiorem. nam quadam vice conducta pecunia mulierem clamare fecit in Ecclesia, quasi per energiam, & se *Sanctum magnum, Deoque charum* confiteri. Cautinum autem Episcopum omnibus sceleribus criminosum, indignumque qui sacerdotium debuisset adipisci.

De Anastasio presbytero

CAPVT XII.

Denique Cautinus adsumpto episcopatu, talem se reddidit, vt ab omnibus execraretur, vino vltra modum deditus. nam plerunque in tantum infundebatur potu, vt de conuiuio vix à quatuor portaretur. Vnde factum est vt epilepticus fieret in sequenti; quod sæpius populis manifestatum fuit. erat enim & auaritiæ in tantum incumbens, vt cuiuscunque possessionis fines eius termino adhæsissent, interitum sibi putaret si ab eisdem aliquid non minuisset: & a maioribus quidem cum rixa & scandalo auferebat, à minoribus autem violenter diripiebat. Quibus & à quibus, (vt Sollius noster ait) nec dabat precia contemnens, nec accipiebat instrumenta desperans. Erat enim tunc temporis Anastasius presbyter, ingenuus genere, qui per chartas gloriosæ memoriæ Chrothildis reginæ, proprietatem aliquam possidebat: quem plerunque conuentum Episcopus rogabat humiliter ac suppliciter, vt ei chartas supradictæ reginæ daret, sibique possessionem hanc subderet: sed ille cum voluntatem sacerdotis sui implere differret, eumque Episcopus nunc blanditiis prouocaret, nunc minis terreret, ad vltimum inuitum vrbi exhiberi præcepit, ibique impudenter teneri: & nisi instrumenta daret, iniuriis adfici, & fame necari iussit. Sed ille virili repugnans spiritu, nunquam præbuit instrumenta, dicens: *Satius sibi esse ad tempus inedia tabescere, quam sobolem in posterum miseram derelinqui.* Tunc ex iussu Episcopi traditur custodibus, vt nisi has chartulas proderet, fame necaretur. Erat enim ad basilicam sancti Cassii martyris crypta antiquissima abditissimaque, vbi erat sepulchrum magnum ex marmore Pario, in quo grandæui cuiusdam hominis corpus positum videbatur. In hoc sepulchro super sepultum viuens presbyter sepelitur, operiturque lapide quo prius sarcophagum fuit obtectum, datis ante ostium custodibus. Sed custodes fidi, quod lapide premeretur cum esset hyems, accenso igne, vino sopiti calido obdormiunt. At presbyter tanquam nouus Ionas velut de ventre inferi, ita de conclusione tumuli Domini misericordiam flagitabat. Et quia spaciosum erat (vt diximus) sarcophagum, etsi se integrum vertere non poterat, manus tamen in parte qua voluisset libere extendebat. Manabat enim ex ossibus mortuis (vt ipse referre erat solitus) fœtor letalis, qui non solum externa, verum etiam interna viscerum quatiebat. Cumque pallio aditus narium obseraret, quamdiu flatum continere poterat, nihil pessimum sentiebat: vbi autem se quasi suffocari putabat, remoto paululum ab ore pallio, non modo per os, aut per nares, verum etiam per ipsas (vt ita dicam) aures, odorem pestiferum hauriebat. Quid plura? Quando diuinitati (vt credo) condoluit, manum dexteram ad spondam sarcophagi tendit, reperitque vectem, qui decedente oper-

Sidon. Apollinar. [illegible]

torio, inter ipsum ac labium sepulchri remanserat. Quem paulatim commouens, sensit cooperanti Dei adiutorio, lapidem amoueri. Verum vbi ita remotus fuit, vt presbyter caput foras educeret, maiorem quo totus egrederetur aditum liberius patefecit. interea operientibus nocturnis tenebris diem, nec adhuc vsquequaque diffusis, aliud cryptæ ostium petit. erat enim seris fortissimis clauisque firmissimis obseratum. verùntamen non erat ita læuigatum, vt inter tabulas aspicere homo non posset. Ad hos aditus presbyter caput reclinat aduertitque hominem viam prætereuntem. Hunc licet voce tenui, vocat. Exaudit ille, nec mora, securem manu tenens, sudes ligneas quibus seræ continebantur, incidit: aditumque presbytero patefecit. At ille de nocte consurgens, ad domum pergit, satis virum obsecrans, ne de eo cuiquam aliquid enarraret. Domum igitur suam ingressus, inquisitis chartis quas ei memorata regina tradiderat, ad Chlotharium regem defert, indicans qualiter ab Episcopo suo viuens sepulturæ fuerat mancipatus. Stupescentibus autem omnibus, & dicentibus, nunquam vel Neronem vel Herodem tale facinus perpetrasse, vt homo viuens sepulchro conderetur, aduenit ad Chlotharium regem Cautinus Episcopus. Sed accusante presbytero, victus confususque discessit. Presbyter autem acceptis à Rege præceptionibus, res suas vt libuit defensauit, posseditque ac suis posteris dereliquit. In Cautino autem nihil sancti, nihil pensi fuit. de omnibus enim scripturis tam ecclesiasticis quam secularibus, adplene immunis fuit: Iudæis valde charus ac subditus erat, non pro salute, vt pastoris cura debet esse sollicita, sed pro comparandis speciebus, quas cum hic blandiretur, & illi se adulatores manifestissime declararent, maiori quam constabant precio vænundabat.

De lenitate & malitia Chramni & de Cautino ac Firmino

CAPVT XIII.

al. ob hoc accelerato.

CHramnus vero his diebus apud Aruernum residebat. multæ enim causæ tunc per eum inrationabiliter gerebantur, & ob hoc celerius ablatus † est de mundo. multum enim maledicebatur à populo; nullum autem hominem diligebat, a quo consilium bonum vtileque posset accipere: nisi collectas viles personas ætate iuuenili fluctuantes fouebat & diligebat, eorumque consilium audiens: ita vt filias Senatorum dans prædonibus †, eisdem vi detrahi iuberet. Firminum à comitatu vrbis grauiter iniuriatum abegit, & Salustium Euodii filium subrogauit. Sed Firminus cum socru sua, Ecclesiam petiit. Erant autem Quadragesimæ dies: & Cautinus Episcopus, Briuatensem diœcesin psallendo adire disposuerat, iuxta institutionem sancti Galli, sicut supra scripsimus. Egressus est igitur Episcopus ab vrbe cum magno fletu, metuens ne aliquid in itinere aduersi perferret: intendebat enim & ipse rex Chramnus minas. Qui dum iter ageret, misit Rex Imnacharium & Scaptarium primos de latere suo, dicens: *Ite & vi abstrahite Firminum, Cæsariamque socrum eius de Ecclesia.* Descendente vero episcopo cum psallentio, (sicut supra memorauimus) hi qui missi fuerant à Chramno, ingrediuntur Ecclesiam, ac Firminum Cæsariamque variis conlocutionum dolis mulcere tentant. Verum vbi diutissime, alia ex aliis deambulantes per Ecclesiam colloquuntur, & in hoc qui confugerant, intenderent ex animo quæ dicebantur, ad regias ædis sacræ quæ tunc reseratæ fuerant, adpropinquant. Tunc Imnacharius Firminum, Scaptarius Cæsariam adprehensos inter brachia, ab Ecclesia eiiciunt, paratis pueris qui susciperent: quos statim in exilium direxerunt. Sed de altera depressis somno custodibus, ipsi se liberos sentientes, ad beati Iuliani basilicam confugiunt, & sic ab exilio liberantur: res tamen eorum fisco conlatæ sunt. Cautinus autem Episcopus cum suspectus esset, quod & ipse iniuriaretur, ac memoratum iter terens equum haberet stratum, vidit post tergum homines venientes cum caballis, qui ad occursum eius veniebant & ait: *Væ mihi, quia hi sunt quos Chramnus direxit ad me comprehendendum.* Et ascenso equo, relicto psallentio, solus vsque in porticum basilicæ sancti Iuliani,

al. præceptionib. i. rescriptis. vt Cod. lib. 5. tit. 8.

liani, ambobus vrgens calcaneis cornipedem, pene exanimis percurrit. Sed nos hæc narrantes, Salustii sententiam, quam in detractores historiographorum protulit, memoramus, ait enim: *Arduum videtur res gestas scribere primum, quod facta dictis exæquanda sunt: deinde quia plerique delicta quæ reprehenderis, maleuolentia & inuidia dicta putant.* Sed cœpta sequamur.

Quod Chlotarius contra Saxones abiit iterata vice

CAPVT XIV.

IGitur Chlotharius post mortem Theodoualdi, cum regnum Franciæ suscepisset, atque illud circumiret, audiuit à suis iterata insania efferuescere Saxones, sibique esse rebelles, & quod tributa quæ annis singulis consueuerant ministrare, contemnerent reddere. His incitatus verbis, ad eos dirigit. Cumque iam prope terminum illorum esset, Saxones legatos ad eum mittunt, dicentes: *Non enim sumus contemptores tui, & ea quæ fratribus ac nepotibus tuis reddere consueuimus, non negamus, & maiora adhuc si quæsieris reddemus: vnum tantum exposcimus, vt sit pax, ne tuus exercitus & noster populus conlidatur.* Hæc audiens Chlotharius rex, ait suis: *Bene loquuntur hi homines, non incedamus super eos, ne forte peccemus in Deum.* at illi dixerunt: *Scimus enim, eos esse mendaces, nec omnino quod promiserint impleturos: eamus super eos.* Rursum Saxones obtulerunt medietatem facultatis suæ, pacem petentes. Et Chlotharius rex ait suis: *Desistite quæso ab his hominibus, ne super nos Dei ira concitetur.* Quod illi non adquieuerunt. Rursum Saxones obtulerunt vestimenta, pecora, vel omne corpus facultatis suæ, dicentes: *Hæc omnia tollite cum medietate terræ nostræ: tantum vxores & paruulos nostros relinquite liberos, & bellum inter nos non committatur.* Franci autem nec hoc adquiescere voluerunt. Quibus ait Chlotharius rex, *Desistite quæso, desistite ab hac intentione. verbum enim directum † non habemus. nolite ad bellum ire in quo disperdamini. Tamen si eo ire † volueritis spontanea voluntate, ego non sequar.* Tunc illi ira commoti contra Chlotharium regem, super eum inruunt & scindentes tentorium eius, ipsum quoque conuiciis exasperantes, ac vi detrahentes, interficere voluerunt, si cum illis abire differret. Hæc videns Chlotharius, inuitus fuit † cum eis. At illi inito certamine, maxima ab aduersariis internecione cæduntur: tantaque ab vtroque exercitu multitudo cecidit, vt nec æstimari nec numerari penitus possit. Tunc Chlotharius valde confusus pacem petiit, dicens, *se non sua voluntate super eos venisse.* Qua obtenta, ad propria redit.

An. 555.

al. indiget.
al. si abire.
al. abiit.

De episcopatu sancti Eufronii

CAPVT XV.

TVronici autem audientes regressum fuisse regem de cæde Saxonum, facto consensu in Eufronium presbyterum, ad eum pergunt, dataque suggestione, respondit Rex: *Præceperam enim vt Cato presbyter illic ordinaretur, & cur est spreta iussio nostra?* Responderunt ei: *Petiuimus enim eum, sed noluit venire.* Hæc illis dicentibus, aduenit subito Cato presbyter, deprecans Regem, vt eiecto Cautino, ipsum Aruerno iuberet institui. Quod Rege inridente, petiit iterum vt Turonis ordinaretur, quod ante despexerat. Cui Rex ait: *Ego primum præcepi, vt Turonis te ad episcopatum consecrarent: sed quantum audio, despectui habuisti Ecclesiam illam, ideoque elongaberis à dominatione eius.* & sic confusus abscessit. De sancto vero Eufronio interrogans, dixerunt, eum nepotem esse beati Gregorii, cuius supra meminimus. Respondit Rex; *Prima hæc est & magna generatio. Fiat voluntas Dei & beati Martini electio compleatur:* & data præceptione, XVIII. post beatum Martinum sanctus Eufronius ordinatur Episcopus.

De Chramno & satellitibus eius & malis quæ gessit, vel qualiter Diuionem aduenit

CAPVT XVI.

CHramnus autem apud Aruernos, diuersa (vt diximus) exercebat mala, semper aduersus Cautinum Episcopum inuidiam tenens. Eo tempore grauiter ægrotauit, ita vt capilli eius à nimia febre deciderent. Habebat autem tunc secum virum magnificum, & in omni bonitate perspicuum, ciuem Aruernum, Anscouindum † nomine, qui eum vi ab hac malitia quærebat auertere, sed non poterat. Habebat enim & Leonem Pictauensem, ad omnia mala perpetranda grauem stimulum, qui nominis sui tanquam leo erat, in omni cupiditate sæuissimus. Hic fertur quadam vice dixisse, *quod Martinus & Martialis confessores Domini, nihil fisci viribus vtile reliquissent*. Sed statim percussus à virtute confessorum, surdus & mutus effectus, amens est mortuus. Venit enim miser ad Basilicam sancti Martini Turonos, celebrauitque vigilias, dedit munera: sed non eum respexit virtus consueta. cum ipsa enim qua venerat infirmitate, regressus est. Chramnus autem ab Aruerno regressus ad Pictauorum ciuitatem venit. Vbi cum in magna potentia resideret, seductus per malorum consilium, ad Childebertum patruum suum transire cupit, patri insidias parare disponens. Ille vero dolose quidem, sed suscipere illum promittit, quem monere spiritaliter debuerat, ne patri existeret inimicus. Tunc per occultos nuncios inter se coniurati, contra Chlotharium vnanimiter conspirarunt. Sed nec memor fuit Childebertus, quod quotiescunque aduersus fratrem suum egit, semper confusus abscessit. Chramnus vero hoc fœdere inito, Lemouicinum rediit, & illud per quod prius ambulauerat in regno patris sui, in sua dominatione redegit. Tunc Aruernus populus intra † muros tenebatur inclusus, & diuersis infirmitatibus oppressus grauiter interibat. Porro Chlotharius rex duos filios suos, id est Charibertum & Guntgramnum ad eum dirigit. Qui per Aruernum venientes, audientesque quod in Lemouicino esset, vsque ad montem quem Nigrum nomine dicunt, accedunt, eumque reperiunt. Figentesque tentoria, contra se resederunt, mittentes legationem, *vt res paternas quas male peruaserat, reddere deberet: sin autem aliud, campum præpararet ad bellum*. Cumque ille patri subditum se esse confingeret, diceretque: *Omne quod circumiui, laxare non potero: sed sub mea hoc potestate cum gratia patris mei cupio retinere*. illi vt prælium hoc inter ipsos diiudicaret, postulant. Cumque moto vtrique exercitu cum magno armorum apparatu ad bellum conuenissent, subito exorta tempestas cum graui coruscatione atque tonitruo, eos ne pugnarent, inhibuit. Redeuntes autem ad castra, Chramnus dolose per extraneam personam, patris mortem fratribus pronunciat. Eo enim tempore bellum contra Saxones, quod supra diximus, gerebatur. At illi timentes, cum summa velocitate Burgundiam redierunt. Chramnus vero cum exercitu post eos dirigens, vsq; ciuitatem Cauillonensem venit, eamque obsidens adquisiuit. Exinde vsque Diuionense castrum pertendit, ibique cum die dominico aduenisset, quid gestum fuerit dicam. Erat ibi tunc sanctus Tetricus Episcopus, cuius in superiori libello memoriam fecimus, positis clerici tribus libris super altarium, id est Prophetiæ, Apostoli, atque Euangeliorum, orauerunt ad Dominum, vt Chramno quid eueniret ostenderet: aut si ei felicitas succederet, aut certe si regnare posset, diuina potentia declararet. Simulque vnam habentes conuenientiam, vt vnusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret. Aperto ergo primum omnium, prophetarum libro, reperiunt: *Auferam maceriam eius, & erit in desolationem: pro eo quod debuit facere vuam, fecit autem labruscam*. Reseratoque Apostoli libro inueniunt: *Ipsi enim diligenter scitis fratres, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* cum dixerint, *Pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus: sicut dolores parturientis, & non effugient*. Dominus autem per Euangelium ait: *Qui non audit verba mea, adsimilabitur viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: descendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt*

in

† al. Asconindum.

† al. infra.

in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna. Chramnus vero ad Basilicas ab antedicto sacerdote susceptus est, ibique comedens panem ad Childebertum pertendit. Intra tamen muros Diuionenses non est permissus intrare. Fortiter tunc Rex Chlotharius contra Saxones decertabat. Saxones enim (vt adserunt †) per Childebertum commoti atque indignantes, contra Francos superiori anno, exeuntesque de regione sua in Franciam venerunt, & vsque ad Nutiam † ciuitatem prædas egerunt, nimiumque grande scelus perpetrati sunt.

† al. vt audierunt.

† al. vsq. Diuitiam, hod. Deutz, è regione Colon. Agripp.

Quod Chramnus ad Childebertum transiit

CAPVT XVII.

TVnc Chramnus iam accepta Vuiliacharii filia, Parisios accedens, secum Childebertum regem constringit in fide atque charitate, iurans se patri esse certissimum inimicum. Childebertus autem rex, dum Chlotharius contra Saxones decertaret, in Campaniam Remensem accedit, & vsque Remos ciuitatem properans, cuncta prædis atque incendio deuastauit. Audierat enim fratrem suum à Saxonibus fuisse peremptum, & regno suo cuncta subiici æstimans, quæ adire potuit, vniuersa peruasit. An. 1056.

De Austrapio Duce

CAPVT XVIII.

TVnc & Austrapius dux Chramnum metuens, in basilicam sancti Martini confugit: cui tali in tribulatione posito, non defuit diuinum auxilium. nam cum Chramnus ita eum constringi iussisset, vt nullus illi alimenta præbere præsumeret: & ita arctius custodiretur, vt nec aquam quidem ei haurire liceret, quo facilius compulsus inedia, ipse sponte sua de Basilica sancta periturus exiret, accedens quidam vasculum illi cum aqua semiuiuo detulit ad potandum. Quo accepto, velociter iudex loci aduolauit, ereptumque de manu eius, terræ diffudit. Quod velox Dei vltio, & beati antistitis virtus est subsecuta. ea namque die iudex qui ista gesserat, correptus à febre, nocte media expirauit. Nec peruenit in crastinum, ad illam horam qua in basilica sancti poculum de manu excusserat fugitiui. Post istud miraculum, omnes ei opulentissime quæ erant necessaria, detulerunt. Redeunte autem in regnum suum rege Chlothario, magnus cum eo est habitus. Tempore vero eius, ad clericatum accedens apud Sellense castrum, quod in Pictaua habetur diœcesi Episcopus ordinatur futurum, vt decedente Pientio antistite, qui tunc Pictauam regebat Ecclesiam, ipse succederet. Sed rex Charibertus in aliud vertit sententiam. Denique cum Pientius Episcopus ab hac luce migrasset, apud Parisios ciuitatem Pascentius, qui tunc abbas erat basilicæ sancti Hilarii, ei succedit, ex iussu regis Chariberti, clamante Austrapio, *sibi hunc redhiberi locum*: sed parum ei iactati profuere sermones. Ipse quoque regressus ad castrum suum, mota super se Theifalorum seditione, quos sæpe grauauerat, lancea sauciatus crudeliter vitam finiuit. Diœceses vero suas Ecclesia Pictaua recepit. Thaifall, apud Antan.

De obitu sancti Medardi Episcopi

CAPVT XIX.

TEmpore quoque Chlotharii regis, sanctus Dei Medardus Episcopus, consummato boni operis cursu, & plenus dierum, sanctitate præcipuus, diem obiit. Quem Chlotharius rex cum summo honore apud Suessionas ciuitatem sepeliuit, & basilicam super eum fabricare cœpit: quam postea Sygibertus filius eius expleuit atq; S. Medardus.

compoſuit. Ad cuius beatum ſepulchrum, vidimus vinctorum compedes atque catenas diſruptas confractaſque iacere: quæ vſque hodie in teſtimonium virtutis eius, ad ipſum beati ſepulchrum reſeruantur, ſed ad ſuperiora redeamus.

De obitu Childeberti & interitu Chramni

CAPVT XX.

An. 557. CHildebertus igitur rex ægrotare cœpit, & cum diutiſſime apud Pariſios lectulo decubaſſet, obiit: & ad baſilicam beati Vincentii, quam ipſe conſtruxerat, eſt ſepultus. Cuius regnum & theſauros Chlotharius rex accepit: Vultrogotham vero & filias eius duas, in exilium poſuit. Chramnus autem patri repræſentatur, ſed poſtea infidelis extitit. Cumque ſe cerneret euadere non poſſe, Britannias petiit: ibique cum Conoobro Britannorum comite, ipſa & vxor eius ac filię, latuerunt. Vuiliacharius autem ſocer eius †, ad baſilicam ſancti Martini confugit. Tunc ſancta baſilica à peccatis populi ac ludibriis quæ in ea fiebant, per Vuiliacharium coniugemq; eius ſuccenſa eſt, quod non ſine graui ſuſpirio memoramus. Sed & ciuitas Turonica ante annum iam igni conſumpta fuerat, & totæ † Eccleſiæ in eadem conſtructæ, deſertæ relictæ ſunt. Protinus B. Martini baſilica ordinante Chlothario rege, ſtanno cooperta eſt, & in illa qua prius fuerat elegantia, reparata. Tunc duę acies locuſtarum apparuerunt, quæ per Aruernum atq; Lemouicinum tranſeuntes (vt ferunt) Romaniacum campum venerunt, in quo prælio magno inter ſe acto maximæ ſunt conliſæ. Chlotharius autem rex, contra Chramnum frendens, cum exercitu aduerſus eum in Britanniam dirigit. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Cumque in vno campo conglobatus vterq; reſideret exercitus, & Chramnus cum Britannis cōtra patrem aciem inſtruxiſſet, incumbente nocte a bello ceſſatum eſt. ea quoq; nocte Conoober comes Britannorum dicit ad Chramnum: *Iniuſtum cenſeo, te contra patrem tuum debere egredi. Permitte me hac nocte, vt inruam ſuper eum, ipſumq; cum toto exercitu proſternam.* Quod Chramnus (vt credo) virtute Dei præuentus, fieri non permiſit: mane autem facto vterq; commoto exercitu ad bellum contra ſe properant. Ibatq; Chlotharius rex tanquam nouus Dauid contra Abſalonem filium pugnaturus, plangens atq; dicens: *Reſpice Domine de cælo, & iudica cauſam meam, quia iniuſte à filio iniurias patior. reſpice & iudica iuſte. illudque impone iudiciū, quod quondam inter Abſalonem & patrem eius Dauid poſuiſti.* Confligentibus igitur pariter, Britannorum comes terga vertit, ibiq; & cecidit: deniq; Chramnus fugam iniit, naues in mari paratas habens. ſed dum vxorem & filias ſuas liberare voluit, ab exercitu patris oppreſſus, captus atq; ligatus eſt. Quod cum Chlothario Regi nunciatum fuiſſet, iuſſit eum cum vxore & filiabus igni conſumi: incluſiſq; in tugurio cuiuſdam pauperculæ, Chramnus ſuper ſcamnum extenſus orario ſuggillatus eſt, & ſic poſtea ſuper eos incenſa caſula, cum vxore & filiabus interiit.

al. VVilicharium a sacerdot.

l. omnes.

De obitu Chlotharii regis

CAPVT XXI.

An. 5[1]8. REx vero Chlotharius anno quiquageſimo primo regni ſui, cum multis muneribus limina B. Martini expetiit, & adueniens Turonos ad ſepulchrum ante dicti antiſtitis, cunctas actiones quas fortaſſe negligenter egerat replicans, & orans cum grandi gemitu, vt pro ſuis culpis beatus confeſſor Domini miſericordiam exoraret, & ea quæ irrationabiliter commiſerat, ſuo obtētu dilueret. Exin regreſſus, quinquageſimo primo regni ſui anno, dum in Cotia † ſilua venationem exerceret, a febre corripitur, & exinde Compendium † villam rediit: in qua cum grauiter vexaretur à febre, aiebat; *Vua, quid putatis? qualis eſt ille Rex cæleſtis, qui ſic tam magnos Reges interficit.* in hoc enim tædio poſitus, ſpiritum exhalauit. Quem quatuor filii ſui cum magno honore Sueſſionas deferentes, in baſilica beati Medardi ſepelierunt. Obiit autem poſt vnum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus.

al. Cottia. sed Compigne.

Diuiſio

Diuisio regni inter filios eius

CAP. XXII.

CHilpericus vero post patris funera, thesauros qui in villa Brannaco † erant congregati, accepit, & ad Francos vtiliores petiit, ipsosque muneribus mollitos sibi subdidit. Et mox Parisios ingreditur, sedemque Childeberti regis occupat, sed non diu hoc ei licuit possidere. nam coniuncti fratres eius, eum exinde repulere, & sic inter se hi quatuor, id est Charibertus, Gunchramnus, Chilpericus, atque Sygibertus, diuisionem legitimam faciunt: deditque sors Chariberto regnum Childeberti, sedemque habere Parisios: Guntheramno vero regnum Chlodomeris, ac tenere sedem Aurelianensem: Chilperico vero, regnum Chlotharii patris eius, cathedramque Suessionas habere: Sygiberto quoque, regnum Theodorici, sedemque habere Remensem. *An. DLX.* *al. Brinnaco.*

Quod Sygibertus contra Chunos abiit, & Chilpericus ciuitates eius peruasit

CAP. XXIII.

NAm post mortem Chlotharii regis Chuni Gallias adpetunt, contra quos Sygibertus exercitum dirigit, & gesto contra eos bello, vicit atque fugauit: sed postea Rex eorum amicitias cum eodem per legatos meruit. Dum autem cum eis turbatus esset Sygibertus, Chilpericus frater eius Remos peruadit, & alias ciuitates quæ ad eum pertinebant, abstulit. Ex hoc enim inter eos (quod peius est) bellum ciuile surrexit. Rediens autem Sygibertus victor à Chunis Suessionas ciuitatem occupat, ibique inuentum Theodobertum Chilperici regis filium, adprehendit, & in exilium transmittit. Accedens autem contra Chilpericum, bellum commouit: quo victo atque fugato, ciuitates suas in suam dominationem restituit. Theodobertum vero filium illius, apud Ponticonem villam custodiri iussit per annum integrum, quem postea, vt erat clemens, muneribus ditatum patri reddidit sanum; dato tamen sibi sacramento, *ne vnquam contra eum agere deberet*, quod postea peccatis facientibus est inruptum. *Hunni.*

De patriciatu Celsi

CAP. XXIV.

CVm autem Guntchramnus rex regni partem, sicut fratres sui obtinuisset, amoto Abroecula patricio, Celsum patritiatus honore donauit, virum procerum statu, † in scapulis validum, lacerto robustum, in verbis tumidum, in responsis oportunum, iuris lectione peritum: cui tanta deinceps habendi cupiditas extitit, vt sæpius Ecclesiarum res auferens, suis ditionibus subiugarit. Nam cum audisset quadam vice Esaiæ prophetæ lectionem in Ecclesia legi, in qua ait; *Væ his qui iungunt domum ad domum, & agrum ad agrum copulant vsque ad terminum loci, exclamasse fertur: Incongrue hoc Væ mihi & filiis meis.* Sed reliquit filium, qui absque liberis functus, maximam partem facultatis Ecclesiis quas pater expoliauerat, dereliquit. *i. statura ita & alibi.*

De vxoribus Gunthramni

CAP. XXV.

GVntchramnus autem rex bonus, primo Venerandam cuiusdam suorum ancillam, pro concubina thoro subiunxit, de qua Gundobaldum filium suscepit. Postea vero Marcatrudem filiam Magnarii in matrimonium accepit. Gundobaldum

vero filium suum Aurelianis transmisit. Æmula autem Marcatrudis post habitum filium, in huius mortem grassatur: & transmissum (vt aiunt) venenum in potum ei dari curauit. Quo mortuo, ipsa iudicio Dei filium suum quem habebat perdidit, & odium Regis incurrit, dimissaque ab eodem, non multo post tempore mortua est. Post quam rex Austrigildem cognomento Bobilam † accepit, de qua iterum duos filios habuit, quorum senior Chlotharius, iunior Chlodomeris dicebatur.

[al. Bobillam.]

De vxoribus Chariberti

CAP. XXVI.

PORRO Haribertus rex Ingobergam accepit vxorem: de qua filiam habuit, quæ postea Inguantia, virũ accipiens est deducta. Habebat tunc temporis Ingoberga in seruitium suum duas puellas pauperis cuiusdam filias, quarum prima vocabatur Marcouefa, religiosam vestem habens, alia vero Merofledis, in quarum amore rex valde detinebatur: erant enim (vt diximus) artificis lanarii filiæ. Æmula ex hoc Ingoberga, quod à Rege diligerentur, patrem earum secretius operari fecit, futurum vt dum hæc Rex cerneret, odio filias eius haberet, quo operãte vocauit Regem. Ille autem sperans aliquid noui videre, aspicit hunc eminus lascias † regias componentem: quod videns commotus in ira, reliquit Ingobergam, & Merofledem accepit. Habuit & aliam puellam opilionis † filiam nomine Theodogildem, de qua & fertur filium habuisse, qui vt processit ex aluo, protinus delatus est ad sepulchrum. Huius Regis tempore apud vrbem Sanctonicam Leontius congregatis prouinciæ suæ Episcopis, Emerium ab episcopatu depulit, adserens non canonice eum fuisse hoc honore donatum. Decretum enim regis Chlotharii habuerat, *vt absque Metropolitani consilio benediceretur*, qui non erat præsens: quo eiecto consensum fecere in Heraclium tunc Burdegalensis vrbis presbyterum, quod regi Hariberto subscriptum propriis manibus per nuncupatum presbyterum transmiserunt: qui veniens Turonos rem gestam beato Eufronio pandit, deprecans vt hoc consensum subscribere dignaretur, quod vir Dei manifeste respuit. Igitur postquam presbyter Parisiacæ vrbis portas ingressus Regis præsentiam adiit, hæc effatus est: *Salue rex gloriose: sedes enim Apostolica eminentiæ tuæ salutem mittit vberrimam.* Cui ille, nunquid, ait, Turonicam adisti vrbem, vt Papæ illius nobis salutem deferas? *pater* (inquit presbyter) *tuus Leontius cum prouincialibus suis salutem tibi mittit, indicans Æmulum* (sic enim vocitare consueuerant Emerium in infantia sua) *eiectũ ab episcopatu, pro eo quod prætermissa canonum sanctione vrbis Sanctonicæ Episcopatum ambiuit: ideoque consensum ad te direxerunt, vt alius in loco eius substituatur: quo fiat, vt dum transgressores canonum regulariter arguuntur, regni vestri potentia æuis prolixioribus propagetur.* Hæc eo dicente, frendens Rex eum à suis conspectibus extrahi iussit, & plaustro spinis suppleto † imponi desuper, & in exilium protrudi præcepit, dicens: *putas ne quod non est super quisquam de filiis Chlotharii regis, qui patris facta custodiat, quod hi Episcopum, quem eius voluntas elegit, absque nostro iudicio proiecerunt?* & statim directis viris religiosis, Episcopum in loco restituit, dirigens etiam quosdam de camerariis suis, qui exactis à Leontio episcopo mille aureis, reliquos iuxta possibilitatem condemnarent Episcopos, & sic patris † est vltus iniuriam. Post hæc Marcouei Famerofletis scilicet sororem, coniugio copulauit. Pro qua causa à sancto Germano episcopo excommunicatus vterque est. Sed cum eam Rex relinquere nollet, percussa † iudicio Dei obiit. Nec multo post & ipse Rex post eam decessit Charibertus: cuius post obitum Theodogildis vna reginarum, eius nuncios ad Guntheramnum regem dirigit, se vltro offerens matrimonio eius. Quibus Rex hoc reddidit in responsis: *Accedere ad me ei non pigeat cum thesauris suis: ego enim accipiam eam, faciamque magnam in populis, vt scilicet maiore mecum honore quam cum germano meo, qui nuper defunctus est, potiatur.* At illa gauisa, collectis omnibus, ad eum profecta est. Quod cernens Rex ait: *Rectius est enim, vt hi thesauri penes me habeantur, quam apud † hanc, quæ indigne germani mei thorum adiuit.* Tunc ablatis multis, paucis relictis, Arelatensi eam monasterio destinauit. Hæc vero ægre adquiescens, ieiuniis ac vigiliis

[Margin notes: al. lanas. f. fascias. MS. i. pastoris ouium. — Papa Turon. Apostolicus. — Emerius. Æmulus. — al. oppleto. — al. principis. — al. per causam. — al. post hanc.]

vigiliis adfici, per occultos nuncios Gothum quendam adiuit, promittens si se in Hispanias deductam coniugio copularet, quod cum thesauris suis de monasterio egrediens, libenti eum animo sequeretur. Quod ille nihil dubitans, repromisit. Cumque hæc collectis rebus factisque volucris, à cœnobio pararet egredi, anticipauit voluntatem eius industria Abbatissæ: deprehensaque fraude, eam grauiter cæsam custodiæ mancipare præcepit, in qua vsque ad exitum vitæ præsentis, non mediocribus adtrita passionibus, perdurauit.

Quod Sygibertus Brunichildem accepit

CAP. XXVII.

PORRO Sygibertus rex, cum videret, quod fratres eius indignas sibimet vxores acciperent, & per vilitatem suam etiam ancillas in matrimonium sociarent, legationem in Hispaniam mittit, & cum multis muneribus Brunichildem Aranagildi regis filiam petiit. Erat enim puella elegans opere, venusta aspectu, honesta moribus atque decora, prudens consilio, & blanda conloquio. Quam pater eius non denegans, cum magnis thesauris ante dicto regi transmisit. Ille vero congregatis senioribus secum, præparatis epulis, cum immensa lætitia atque iocunditate eam accepit vxorem. Et quia Arrianæ legi subiecta erat, per prædicationem sacerdotum atque ipsius Regis commotionem † conuersa, beatam in vnitate confessa Trinitatem credidit, atque chrismata est, quæ in nomine Christi catholica perseuerauit.

al. commonitionem.

De vxoribus Chilperici

CAP. XXVIII.

QVod videns Chilpericus rex, cum iam plures haberet vxores, sororem eius Galsuintham † expetiit, promittens per legatos, se alias relicturum: tantum condignam sibi, regisque prolem mereretur accipere. Pater vero eius has promissiones accipiens, filiam suam sicut anteriorem, similiter ipsi cum magnis opibus destinauit. Nam Galsuintha ætate senior † quam Brunichildis erat. Quæ cum ad Chilpericum regem venisset, cum grandi honore suscepta, eiusque est sociata coniugio. A quo etiam magno amore diligebatur. detulerat enim secum magnos thesauros: sed per amorem Fredegundis, quam prius habuerat, ortum est inter eos grande scandalum. Iam enim in lege catholica conuersa fuerat, & chrismata. Cumque se Regi quereretur assidue iniurias perferre, diceretque nullam se dignitatem cum eodem habere, petiit vt relictis thesauris quos secum detulerat, liberam redire permitteret ad patriam. Quod ille per ingenia dissimulans, verbis eam lenibus demulsit. Ad extremum eam suggillari iussit à puero, mortuámque reperit in strato. Post cuius obitum, Deus virtutē magnam ostendit. Lychnus enim ille qui fune suspensus coram sepulchro eius ardebat, nullo tangente, fune disrupto in pauimentum conruit: & fugiente ante eum duritia pauimenti, tanquam in aliquod molle elementum descendit, atque medius est suffusus, nec omnino contritus: quod non sine magno † miraculo videntibus fuit. Rex autem cum eam mortuam defleffet, post paucos dies Fredegundem recepit in matrimonio. Post quod factum reputantes eius fratres, quod sua emissione antedicta regina fuerit interfecta, eum à regno deiiciunt. Habebat autem tunc Chilpericus tres filios de Audouera priore regina sua: id est Theodobertum, cuius supra meminimus, Merouecum atque Chlodoueum. Sed ad cœpta redeamus.

al. Galsuendam.

al. seniore à Brunichilde.

al. grandi.

De secundo Sygiberti in Hunos bello

CAP. XXIX.

CHuni vero iterum in Gallias venire conabantur, aduersus quos Sygibertus cum exercitu dirigit, habens secum magnam multitudinem virorum fortium. Cumque confligere deberent, isti magicis artibus instructi, diuersas eis fantasias ostendunt, & eos valde superant. Fugiente autem exercitu Sygiberti, ipse inclusus à Chunis retinebatur, nisi postea (vt erat elegans & versutus) quos non potuit superare virtute prælii, superauit arte donandi. Nam datis muneribus fœdus cum Rege iniit, vt omnibus diebus vitæ suæ, nulla inter se prælia commouerent: idque ei magis ad laudem, quam ad aliquod pertinere obprobrium iusta ratione pensatur. Sed & rex Chunorum multa munera regi Sygiberto dedit. vocabatur autem Gaganus. omnes enim Reges gentis illius hoc appellantur nomine. *Chagani Hunnorum.*

Quod Aruerni ad capiendam Arelatensem vrbem iussu Sygiberti abierunt

CAP. XXX.

SYgibertus vero rex Arelatensem vrbem capere cupiēs, Aruernos commoueri præcepit. Erat enim tunc Firminus comes vrbis illius, qui cum ipsis in capite † abiit. sed & de alia parte Adouarius † cum exercitu aduenit, ingressique vrbem Arelatensem, sacramenta pro parte Sygiberti regis exegerunt. Quod cum Gunthcramnus rex comperisset, Celsum patritium cum exercitu illuc dirigit: qui abiens Auennicam vrbem abstulit. Accedens autem Arelatem, & vallans eam, impugnare exercitum Sygiberti qui intra muros continebatur, cœpit: tunc Sabaudus episcopus dixit ad eos: *Egredimini foras, & inite certamē, quia non poteritis sub murorū conclusione degentes, neq; nos, neq; vrbis istius subiecta defendere. Quod si vos Deo propitio illos deuinceritis, nos fidem quam promisimus custodiemus: si vero illi contra vos inualuerint, ecce reseratas reperietis portas. Ingredimini ne pereatis.* Hoc illi dolo delusi, egressi foras bellum parant. sed superati ab exercitu Celsi, fugam ineunt, venientesque ad vrbem, portas reperiunt obseratas. Cumque exercitus à tergo iaculis foderetur, operireturque lapidibus ab vrbanis, ad amnem Rhodanum dirigunt, ibique parmis superpositis †, vlteriorem ripam expetunt. Sed multos ex his violentia amnis direptos enecauit, fecitque Rhodanus tunc Aruernis, quod fecisse quondam Simois legitur de Troianis,

Gall. ancheſ. al. Andouarius. *ita sup. 3. c. 15. Alciat. Em. lem.*

-- correpta sub vndis
Scuta virum galeasque & fortia corpora voluit.
Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Qui vix nandi (vt diximus) impulsu, parmarumque adiuti adminiculo, litoris alterius plana contingere potuerunt. Qui nudati à rebus, ab equis destituti, non sine grandi contumelia patriæ restituti sunt. Firmino tamen & Adouario discedendi via indulta est. Multi ibi tunc viri ex Aruernis, non solum torrentis impetu rapti, verum etiam gladiorum ictibus sunt prostrati. Ac sic Guntheramnus rex recepta vrbe illa, iuxta consuetudinem bonitatis suæ, Auennicam ditionibus patris † sui restituit. *al. fratris.*

De Tauridano castro & aliis signis

CAPVT XXXI.

IGitur in Galliis magnum prodigium de Taureduno castro apparuit. super Rhodanum enim fluuium in monte collocatum erat. Qui cum per dies amplius sexaginta nescio quem mugitum daret, tandem scissus atque separatus mons ille ab alio monte sibi proquinquo, cum hominibus ecclesiis opibusque ac domibus in fluuium ruit, exclusoque amnis illius litore, aqua retrorsum petiit. Locus etenim ille ab vtraque parte à montibus conclusus erat, inter quorum angustias torrens defluit. Inundās ergo superiorem partem, quæ ripæ insidebant, operuit atque deleuit. adcumulata enim aqua erumpēs deorsum inopinatos reperiens homines, vt desuper fecerat, ipsos

enecauit, domos euertit, iumenta deleuit, & quæ cuncta litoribus illis insidebant, vsque ad Ianobam † ciuitatem, violentia atque subita inundatione diripuit vel subuertit. [al. Ienubam.] Traditur à multis tantam congeriem inibi aquæ fuisse, vt in ante dictam ciuitatem [f. Genauam, hod. Geneua.] super muros ingrederetur. Quod dubium non est, quia (vt diximus) Rhodanus in locis illis inter angustias montium defluit, nec habuit in latere cum fuit exclusus, quo se diuerteret: commotumque montem qui descenderat ad semel erupit, & sic cuncta deleuit. Quod cum factum fuisset, triginta Monachi, vnde castrum ruerat, aduenerunt: & terram illam quæ monte diruente remanserat, fodientes, æs siue ferrum reperiunt. Quod dum agerent, mugitum montis, vt prius fuerat, audierunt. Sed dum à sæua cupiditate retinentur, pars illa quæ nondum ruerat, super eos cecidit, quos operuit atque interfecit, nec vltra inuenti sunt. Similiter & ante cladem Aruernam, magnam regionem illam prodigia terruerunt. nam plerunque tres aut quatuor splendores magni circa Solem apparuerunt, quos rustici Soles vocabant, dicentes: *Ecce tres vel quatuor soles in cælo.* [Parelia.] Quadam tamen vice in calendis Octobribus, ita Sol obscuratus apparuit, vt nec quarta quidem pars in eodem lucens remaneret, sed teter atq; decolor apparens quasi saccus videbatur. nam & stellam quam quidam Cometem vocant, radium tanquam gladium habens super regionem illam, per annum integrum apparuit, [Xiphias.] & cælum ardere visum est, & multa alia signa apparuere. In ecclesia vero Aruerna, dum matutinæ celebrarentur vigiliæ in quadam festiuitate, auis corydalus (quam alaudam vocamus) ingressa, omnia luminaria quæ lucebant, alis superpositis in tanta velocitate extinxit, vt putares ea in vnius hominis manu posita, aqua fuisse submersa: in sacrarium autem sub velo transiens, cicindilem † extinguere voluit, sed ab ostiariis prohibita atque occisa est. [i. cereum candelam.] Simile & in Basilica beati Andreæ de lychnis lucentibus, auis alia fecit. Iam vero adueniente ipsa clade, tanta strages de populo illo facta est per totam regionem illam, vt nec numerari possit quantæ ibidem ciciderint legiones. nam cum iam sarcofagi aut tabulæ defecissent, decem aut eo amplius in vna humi fossa sepeliebantur. Numerata sunt autem quadam Dominica in vna beati Petri Basilica, trecenta defunctorum corpora. erat enim & ipsa mors subita. Nam nascente in inguine aut in ascella vulnere in modum serpentis, ita interficiebatur † homo ille à veneno, vt die altera aut tertia spiritum exhalaret. [inficiebatur.] Sed & sensum vis illa veneni auferebat ab homine. Tunc & Cato presbyter mortuus est. nam cum de hac lue † multi fugissent, ille tamen populum sepeliens, & Missas dicens viritim † nunquam ab eo loco discessit. [al. clade.] [al. viriliter, ita & alibi.] Hic autem presbyter multæ humanitatis, & satis dilector pauperum fuit: & credo hæc causa ei, si quid superbiæ habuit, medicamentum fuit. Cautinus autem episcopus, cum diuersa loca hanc cladem timens, circumisset, ad ciuitatem regressus est, & hanc incurrens, parasceue Passionis dominicæ obiit. Nam ipsa hora & Tetradius consobrinus eius mortuus est. Tunc & Lugdunum, Biturix, Cauallonum atque Diuionum oppida ab hac infirmitate valde depopulata sunt.

De Regibus Hispanorum

CAP. XXXII.

EO autem tempore † mortuo apud Hispaniam Athanoldo rege, Leuuan cum Leuuieldo fratre regnum accepit. [al. Ergo vt ad historiam redeamus, mortuo-] Defuncto igitur Leuuane, Leuuieldus frater eius totum regnum occupauit. Qui vxore mortua, Gunsuintham reginæ Brunichildis matrem accepit, duos filios de primo vxore habens, quorum vnus Sygiberti, alius Chilperici filiam desponsauit. Ille quoque inter eos regnum æqualiter diuisit, interficiens omnes illos qui Reges interimere consueuerant, non relinquens ex eis mingentem ad parietem.

De imperio Iustini

CAP. XXXIII.

Iustinus Imp. DEfuncto igitur apud vrbem Constantinopolitanam Iustiniano imperatore, Iustinus ambiuit imperium, vir nimiæ auaritiæ deditus, contemptor pauperum, senatorum spoliator: cui tanta fuit cupiditas, vt arcas iuberet fieri ferreas, in quas numismatis aurei talenta congereret: quem etiam ferunt in hæresin Pelagianam dilapsum. Nam non post multum tempus, demens effectus, Tyberium Cæsarem sibi adsciuit ad defensandas prouincias suas, hominem iustum, eleemosynarium, æquum, discernentem, obtinentemque victorias: quod omnibus supereminet bonis, etiam verissimum Christianum. Denique Sygibertus rex, legatos ad Iustinianum imperatorem misit, pacem petens, id est Warniarium Francum, & Firminum Aruernum, qui euntes euectu nauali, Constantinopolitanam sunt vrbem ingressi, locutique cum Imperatore, quæ petierant obtinuerunt. Ad sequentem tamen annum in Galliam sunt regressi. Post hæc autem Antiochia Ægypti, & Apamia Syriæ maximæ ciuitates, à Persis captæ sunt, & populus captiuus abductus. Basilica tunc sancti Iuliani Antiochensis martyris graui incendio concremata est. Ad Iustinianum autem imperatorem cum magni auri pondere venerunt, petentes amicitias eius, atq; narrantes, se imperatori Persarum esse infensos. Venerat enim ad eos, dicens: *Sollicitudo imperialis scitatur, si fœdus initum cum eo custodiatis intactum.* Respondentibus illis, omnia ab his pollicita inlibata seruari. dixerunt legati, *In hoc apparebit vos eius amicitias custodire: si ignem vt ille veneratur, & vos veneremini.* Respondente populo, nequaquam se hæc facturum, ait Episcopus; *Quæ est in igne deitas, vt venerari queat? quem Deus ad vsus hominum procreauit, qui somentis accenditur, aqua restinguitur: at vbi erit neglectus, tepescit.* hæc & his similia episcopo prosequente, legati furore succensi, actum conuitiis, fustibus cædunt. Cernens autem populus sacerdotem suum sanguine cruentum, super legatos inruunt, manus iniiciunt interimuntque, & (sicut diximus) huius Imperatoris amicitias petierunt.

De interitu Palladii Aruerni

CAP. XXXIV.

al. Britanni. al. Gaballitana. PAlladius autem Britiam † quondam comitis ac Cæsariæ filius comitatum in vrbe Gallicana † Sygiberto rege impertiente promeruit, sed orta contentio inter ipsum & Parthenium Episcopum, valde populum collidebat. Nam plerunque conuitiis ac diuersis opprobriis ac criminibus obruebat Episcopum, peruadens res Ecclesiæ, spoliansque homines eius. vnde factum est, vt hac contentione crescente, cum ad præsentiam iam dicti principis properassent, & diuersa ibi inuicem obiectarent, mollem Episcopum, effœminatum Palladius vocitaret; *vbi sunt mariti tui, cum quibus stuprose ac turpiter viuis?* sed hæc in sacerdotem verba prolata, diuina confestim vltio subsequens aboleuit. Nam anno sequenti remotus à comitatu Palladius Aruernum regressus est: Romanus vero comitatum ambiuit. Factum est autem, vt quadam die, in vrbe Aruerna vterque coniungeretur, & altercantibus inter se pro hac actione comitatus, audiuit Palladius se à Sygiberto rege debere interfici, sed falsa hæc & maxime à Romano emissa deprehensa sunt. Tunc ille timore perterritus ita in angustiam grauem redactus est, vt minaretur se propria dextra perimere. Cumque à matre vel à cognato suo Firmino intente adtenderetur, ne perficeret quod mente amara conceperat, per interualla horarum elapsus à matris aspectu, ingressus cubiculum accepto spatio solitudinis, euaginato gladio, cornuaque ensis pedibus calcans, acumen ad pectus erexit, impressusq; desuper gladius ab vna ingressus mamilla in spatulam dorsi egressus est: erectus iterum similiter altera mamilla perfossus cecidit, & mortuus est, quod non sine Diaboli opere perfectum scelus mirati sumus. Nam prima eum plaga interficere potuit, si non Diabolus sustentaculum præbuisset, quod hæc nefanda perageret. currit mater exanimis & supra filii corpusculum orbata collabitur; atque omnis familia voces planctus emittit. Verum tamen ad monasterium Dironensium delatus sepulturæ mandatur, sed non iuxta Christianorum cadauera positus, sed nec missarum solemnia meruit, quod non ob aliam causam, nisi ob iniuriam Episcopi hæc ei euenisse probantur.

Quod

Quod Alboinus cum Longobardis Italiam occupauit

CAPVT XXXV.

ALbuinus vero Longobardorum rex, qui Chlothosindam regis Chlotharii filiam habebat, relicta regione sua, Italiam cum quatuor milium † Longobardorum gente petiit. Nam commoto exercitu, cum vxoribus & liberis abiere, illic manere † deliberantes. Quam regionem ingressi, maxime per septem annos peruagantes, spoliatis ecclesiis, sacerdotibus interfectis, in suam redigunt potestatem. Mortua autem Chlothosinda vxore Alboini, aliam duxit coniugem : cuius patrem ante paucum tempus interfecerat. Qua de causa mulier in odio rem per virum habens, locum opperiebatur, in quo posset iniurias patris vlcisci : vnde factum est, vt vnum ex famulis concupiscens, virum veneno necaret : quo defuncto, cum famulo abiit : sed adprehensi, pariter interfecti sunt. Longobardi deinceps alium super se regem statuunt.

al. cum omnibus L. — al. habitare illic regnum ... nere.

De Eunii cognomento Mummolus, origine

CAPVT XXXVI.

EVnius quoque cognomento Mummolus, à rege Gunthcramno patritiatum promeruit. De cuius militiæ origine, altius quædam repetenda putaui. Hic etenim Pœnio † patre ortus, Altisiodorensis vrbis incola fuit. Pœnius vero huius mûicipii comitatum regebat. Cumque ad renouandam actionem, munera regi per filium transmisit, ille datis rebus paternis, comitatum patris ambiuit, supplantauitque genitorem quem subleuare debuerat. Ex hoc vero gradatim proficiens, ad maius culmen euectus est. Igitur prorumpentibus Longobardis in Gallias, † armatur Pericius qui nuper Celsi successor. Concurruntque ibi, tantamque tunc stragem Longobardi feruntur fecisse de Burgundionibus, vt non possit colligi numerus occisorum: oneratiq; prædis ascenderunt iterum in Italiam: quibus ascendentibus † Eunius qui & Mummolus, arcessitus à rege, patritiatus culmen meruit. Inruentibus iterum Longobardis in Gallias, & vsque Muscias † Calmes accedentibus, quod adiacet ciuitati Ebredonensi, Mummolus exercitum mouet, & cum Burgundionibus illuc proficiscitur. Circundatisque Longobardis cum exercitu, actisque † concidibus, per diuortia † siluarum inruit super eos: multos interfecit, nonnullos cepit, & Regi direxit. Quos ille per loca dispersos custodire præcepit, paucis quodammodo per fugam elapsis, qui patriæ nunciarent.

al. Peonio. — al. amatus P. q. n. C. s. contra eos nô... cum ... que bello terga vertit; ceciditque ... tantamq. ... — al. discedentibus. — al. Mustias. — al. factis iter... — al. deuid.

De bellis Mummoli cum Longobardis

CAPVT XXXVII.

FVeruntque in hoc prælio Saluinus † & Sagittarius fratres atque Episcopi, qui non cruce cœlesti muniti, sed galea aut lorica seculari armati, multos manibus propriis (quod peius est) interfecisse referuntur. Hæc prima Mummoli certaminis † victoria fuit. Post hæc Saxones, qui cum Longobardis in Italiam venerant, & iterum proruperant † in Gallias, & infra territorium Regense, id est apud Stablonem villam, castra ponunt, discurrentes per villas vrbium vicinarum, diripientes prædas, captiuos abducentes, vel etiam cuncta vastantes. Quod cum Mummolus compeperisset, exercitum mouet, inruensque super eos multa ex his millia interfecit, & vsque ad vesperam cædere non destitit, donec nox quietem † faceret, ignaros enim repererat homines, & nihil de his quæ accesserunt autumantes. Mane autem facto statuunt Saxones exercitum, præparantes se ad bellum, sed intercurrentibus nunciis pacem fecerunt. Datisque muneribus Mummolo, relicta vniuersa regionis præ-

al. Saluinius. — al. in certamine. — al. prorum-punt. — al. finem.

da, cum captiuis discesserunt, iurantes prius, *quod ad subiectionem regnumque* † *Francorum redire deberent in Gallias.* Igitur regressi Saxones in Italiam, adsumptis secum vxoribus & paruulis, vel omni supellectile facultatis, redire in Gallias destinantes, scilicet vt à Sygiberto rege collecti, in loco vnde egressi fuerant, stabilirentur. Fecerunt que ex se duos (vt aiunt) cuneos: & vnus quidem per Niceam vrbem, alius vero per Ebredunensem venit, illam reuera tenentes viam, quam anno superiore tenuerant: coniunctique sunt in Aruernico † territorio. Erat enim tunc tempus messium, & locus ille maxime fructus terræ sub dio habebat, nec quicquam ex his domi incolæ recondiderant: denique accedentes in areas, segetes inter se diuidunt. Colligentesque ac triturantes, frumenta dabant †, nihil ex his eis qui laborauerãt relinquentes. Verũ postquam expensis fructibus ad litus Rhodani amnis accesserunt, vt transacto torrente, regno se regis Sygiberti conferrent, occurrit eis Mummolus, dicens: *Non transibitis torrentem hunc: ecce res* † *domini mei Regis depopulastis, collegistis regis pecora, deuastastis, trucidastis, domos incendistis, oliueta ac vineta succidistis. non ascendetis, nisi satisfaciatis prius his quos exiguos reliquistis, alioquin non effugietis manus meas, nisi ponam gladium super vos, & vxores & paruulos vestros, & vlciscar iniuriam domini mei Guntchramni regis.* Tunc illi timentes valde, dantes multa numismatis aurei milia pro redemptione sua, transire permissi sunt: & sic Aruernum peruenerunt. Erat tunc vernum tempus, proferebant ibi regulas æris incisas pro auro: quas quisque videns, non dubitabat aliud, nisi quod aurum probatum atque examinatum esset. Sic enim coloratum ingenio nescio quo fuit: vnde nonnulli hoc dolo seducti, aurum dantes & æs accipientes, pauperes facti sunt. Hi vero ad Sygibertum regem transeuntes, in loco vnde prius egressi fuerant, stabiliti sunt.

[Margin: *sub. regum solatiumque Fr.* — *al. Aueniaco* — *f. Auenionsico.* — *al. comedebant.* — *regionem.*]

De archidiacono Massiliense

CAPVT XXXVIII.

IN regno autem Sygiberti regis, remoto ab honore Iouino rectore prouinciæ, Albinus in loco eius subrogatur. Magnam inter eos inimicitiam hæc causa gessit. Igitur aduenientibus transmarinis, Vigilii archidiaconi homines, septuaginta vasa, quæ vulgo Orcas vocant, olei liquaminisque furati sunt, nesciente domino. Negociator autem cum cognouisset sibi rem furto ablatam fuisse, inquirere diligenter cœpit, quo furtum fuisset conditum. Hæc quærens, audiit a quodam, quod homines Vigilii archidiaconi perpetrassent. perueniunt hæc ad Archidiaconum: qui inquirens & inueniens, nequaquam publicare, sed excusare suos cœpit, dicens: *Nunquam de domo mea egressus est, qui tale auderet admittere.* Taliter, inquam, excusante Archidiacono, negociator ad Albinum pergit: causam exerit, & Archidiaconum in crimine fraudis huius mixtum accusat. Die autem sancto Natalitii Episcopo in ecclesia aduenïente, Archidiaconus indutus alba adest, Episcopum, vt mos est, inuitans ad altare debere procedere, ac solennitatem diei sancti opportuno debere tempore celebrare. Nec mora, Albinus de sede exiliens, adprehensum Archidiaconum coarctat. Pro quo nunquam obtinere potuerunt, nec Episcopus, nec ciues, nec vllus maior natu, nec ipsa vox totius populi adclamantis, vt datis fideiussoribus, diem sanctum Archidiacono liceat cum reliquis celebrare, atque accusatio eius in posterum debere audiri: sed nec ob ipsa sacrosancta solemnia metum habuit, vt ministrum dominici altaris tali in die non auderet adripere. Quid plura? Quatuor milibus solidorum Archidiaconum condemnauit: quod in præsentia regis Sygiberti veniens, quadrupla satisfactione, subsequente Iouino, composuit.

[Margin: *Orca, Festo.*]

De Longobardis & Mummulo

CAPVT XXXIX

Post

POst hæc tres Longobardorum duces, id eſt Amo, Zaban, ac Rhodanus Gallias inrupere. Et Amo quidem Ebredunenſem carpens viam, vſque Machao villam † Auennici territorii, quam Mummolus munere meruerat regio, acceſſit, ibique fixit tentoria. Zaban vero per Deinſem † deſcendens vrbem, vſque Valentiam venit: ibique caſtra poſuit. Rhodanus autem Gratianopolitanam vrbem adgreſſus eſt, ibique papiliones extendit. Et Amo quoque Arelatenſem debellauit prouinciam, cum vrbibus quæ circumſitæ ſunt. Et vſque ipſum Lapideum campum, qui adiacet vrbi Maſſilienſi accedens †, tam de pecoribus, quam de hominibus denudauit: Aquenſibus autem obſidionem parauit, de quibus viginti duabus libris argenti acceptis abſceſſit. Sicque & Rhodanus ac Zaban in locis quibus acceſſerant, fecerunt. Quæ cum Mummolo perlata fuiſſent, exercitum mouit, & Rhodano qui Gratianopolitanam vrbem debellabat, occurrit. Sed cum Eſeram † fluuium exercitus laborioſe tranſiret, nutu Dei animal amnem ingreditur, vadum oſtendit: & ſic populus liber in vlteriorem ripam egreditur. Quod videntes Longobardi, nec morati, euaginatis gladiis hos adpetunt. Commiſſoque bello, intantum cæſi ſunt, vt Rhodanus ſauciatus lancea, ad montium excelſa confugeret. Exinde cum quingentis viris qui ei remanſerant, per deuia ſiluarum prorumpens, ad Zabanem peruenit, qui tunc vrbem Valentiam obſidebat: narrauitque ei omnia quæ acta fuerant. Tunc datis pariter cunctis in prædam, ad Ebredunenſem vrbem regreſſi ſunt: ibique eis cum innumero exercitu Mummolus in faciem venit. Commiſſoque prælio, Longobardorum phalangæ vſque ad internecionem cæſæ: cum paucis duces in Italiam ſunt regreſſi. Cumque vſque Siguſium † vrbem perlati fuiſſent, & eos incolæ loci dure ſuſciperent, præſertim cum Siſinnius magiſter militum à parte imperatoris in hac vrbe reſideret, ſimulatus Mummoli puer in conſpectu Zabanis, Siſinnio literas protulit, ſalutemque ex nomine Mummoli dedit dicens, *En ipſum in proximo.* Quod audiens Zaban, curſu veloci ab vrbe ipſa digreſſus, præteriit. His auditis Amo collecta omni præda, in itinere proficiſcitur: ſed reſiſtentibus niuibus, relicta præda, vix cum paucis erumpere potuit. Exterriti enim erant virtute Mummoli.

al. Machauillam. *MS. Verdunenſem.* *al. accipiens.* *al. Iſaram.* *Segusium. inf. lib. 11. c. 45.*

Quod Mummolus Turonos venit

CAPVT XL.

MVlta enim Mummolus bella geſſit, in quibus victor extitit. Nam poſt mortem Chariberti, cum Chilpericus Turonos ac Pictauos peruaſiſſet, quæ Sygiberto regi per pactum in partẽ venerant, coniunctus rex ipſe cum Gunthcramno fratre ſuo, Mummolum eligunt, qui has vrbes ad verum † dominum reuocare deberet. Qui Turonos veniens, fugato exinde Chlodoueo Chilperici filio, exactis à populo ad partem regis Sygiberti ſacramentis, Pictauos acceſſit. Sed Baſilius ac Sygarius † Pictaui ciues, collecta multitudine, reſiſtere voluerunt: quos de diuerſis partibus circundatos oppreſſit, obruit, interemit, & ſic Pictauos accedens, ſacramenta exegit. Hæc interim de Mummolo dicta ſufficiant: reliqua in poſterum ſunt digerenda.

al. aurum. *al. Syagrius.*

De interitu Andarci.

CAPVT XLI

DE Andarchii vero interitu locuturus, prius genus ordiri placet & patriam. Hic igitur (vt adſerunt) Facilis † ſenatoris ſeruus fuit, qui ad obſequium domini deputatus, ad ſtudia literarum cum eo poſitus, bene inſtitutus emicuit. Nam de operibus Vigilii † legis Theodoſianæ libris, arteque calculi adplene eruditus eſt. Hac igitur ſcientia tumens, deſpicere dominos cœpit: & ſe patrocinio Lupi ducis, cum ad vrbem Maſſilienſem ex iuſſu regis Sygiberti accederet, commendauit. De qua regreſſus, hunc ſecum abire † præcepit, inſinuauitque eum diligenter Sygiberto regi, atque ad ſeruiendum tradidit. Quem ille per loca diuerſa dirigens, locum præbuit

al. Felicis. *f. Virgilii.* *al. habere.*

militandi. Ex hoc quaſi honoratus habitus, Aruernum venit: ibique cum Vrſo ciue vrbis eius amicitias inligat. Interim vt erat acris ingenii, filiam eius deſponſare deſiderans, loricam (vt ferunt) in libellari quo carthæ abdi ſolitæ ſunt, recondit, dicens mulieri coniugique Vrſi, quia multitudinem aureorum meorum amplius quam ſexdecim milia in hoc libellari reconditam tibi commendo, quod tuum eſſe poterit, ſi mihi filiam tuam præſtiteris deſponſari.

Sed quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames?

Promiſit mulier hæc ſimpliciter credens, abſente viro, huic deſponſari puellam. At ille regreſſus ad Regem, præceptionem ad iudicem loci exhibuit, vt puellam hanc ſuo matrimonio ſociaret, dicens; *Quia dedi arram in deſponſatione eius.* Negauit autem vir ille dicens: *Quia neque te noui vnde ſis, neque aliquid de rebus tuis habeo.* Qua intentione pullulante ac vehementius increſcente, Andarchius expetiit Vrſum regis præſentia arceſſiri. Cumque veniſſet apud villam Brennacum, requirit hominem alium Vrſum nomine. quem ad altare † clam adductum, iurare fecit ac dicere: *Per hunc locum ſanctum, & reliquias martyrum beatorum, quia ſi filiam meam tibi in matrimonio non tradidero, ſexdecim milia ſolidorum tibi ſatisfacere non morabor.* Stabant enim teſtes in ſacrario, auſcultantes occulte verba loquentis, ſed perſonam quæ loqueretur, penitus non videntes. Tunc Andarchius demulſit verbis lenibus Vrſum, fecitque eum ſine Regis præſentia reuerti ad patriam. Factoque ex hoc iuramento, breue ſacramentorum, Regi illi protulit, dicens: *Hæc & hæc mihi Vrſus ſcripſit: & ideo gloriæ veſtræ præceptionem depoſco, vt filiam ſuam mihi tradat in matrimonio. Alioquin mihi liceat res eius poſſidere, donec ſexdecim milibus ſolidorum acceptis, me ab hac cauſa remoueam.* Tunc adeptis præceptionibus, Aruernum rediit: oſtendit iudici iuſſionem regis. Vrſus autem ſe in Villauum † territorium contulit. Cumque res eius huic conſignarentur, & hic in Villauum acceſſit. Ingreſſuſque vnam Vrſi domum, cœnam ſibi præcepit præparari, atque aquas quibus ablueretur, calefieri iubet. Sed cum ſerui domus minime rudi domino parerent † alios fuſtibus, alios virgis cædit, nonnullis capita percutiens ſanguinem elicuit. Turbata ergo familia, præparatur cœna, abluitur hic aquis calidis, inebriatur vino, & ſe collocat ſuper ſtratum. Erant autem cum eo ſeptem pueri tantum. Cumque non minus ſomno quam vino ſepulti altius obdormiſſent, congregata familia, oſtia domus quæ erat ex ligneis fabricata tabulis, claudit. Acceptiſque clauibus, metas annonæ, quæ aderant elidit: ac circa domum & ſupra domum adgregatis aceruis annonæ quæ tunc in manipulis erat, ita vt operta ex his domus cerneretur omnino, tunc immiſſo per partes diuerſas igne, cum iam ſuper hos infelices materia ædificii exuſta dirueret, excitantur, emittunt voces: ſed non fuit qui exaudiret, donec tota domo aduſta ipſos pariter ignis adſorberet. Vrſus vero metuens, baſilicam ſancti Iuliani expetiit: datiſque Regi muneribus, res ſuas in ſolidum † recepit.

al. altarium

al. Vellauii.

al. apparerent

al. ſoliditate.

Quod Theodobertus ciuitates peruaſit

CAPVT XLII.

CHlodoueus vero Chilperici filius de Turonico eiectus, Burdegalam abiit. Denique cum apud Burdegalenſem ciuitatem nullo prorſus inquietante reſideret, Sigulfus quidam a parte Sygiberti, ſe ſuper eum obiecit. quem fugientem cum tubis & buccinis quaſi labentem ceruum fugans, inſequebatur. qui vix ad patrem regredi liberum habuit aditum. Tamen per Andegauos regreſſus, ad eum rediit. Cum autem contentio inter Guntheramnum & Sygibertum reges verteretur, Guntheramnus rex apud Pariſios omnes Epiſcopos regni ſui congregat, vt diceret vtroſque quid veritas haberet, edicerent. Sed vt bellum ciuile in maiore pernicie creſceret, eos audire peccatis facientibus diſtulerunt. Chilpericus autem rex in ira commotus, per Theodobertum filium ſuum ſeniorē, qui a Sygiberto quondam † adprehenſus ſacramen-

al. aliquando

cramentum dederat vt ei fidelis esset, ciuitates eius peruadit, id est Turonos & Pictauos, & reliquas citra Ligerim sitas. Qui Pictauos veniens contra Gundobaldum ducem pugnauit. Terga autem vertente exercitu partis Gundobaldi, magnam ibi stragem de populo illo fecit. Sed & de Turonica regione maximam partē incendit, & nisi ad tempus manus dedissent, totam continuo debellasset. Commoto autē exercitu Lemouicinum, Cadurcinum, vel reliquas illorum prouincias peruadit, vastat, euertit, ecclesias incendit, ministeria detrahit, clericos interficit, monasteria virorum deiicit, puellas† deludit, & cuncta deuastat. Fuitque illo in tempore peior in ecclesiis gemitus, quam tempore persecutoris Diocletiani. *al. puellam.*

De Latta monasterio

CAP. XLIII.

ET adhuc obstupescimus & admiramur, cur tantæ super eos plagæ inruerant: sed recurramus ad illud quod parentes eorū egerunt, & isti perpetrant. illi post prædicationem sacerdotum, de fanis ad ecclesias sunt conuersi: isti quotidie de ecclesiis prædas detrahunt. illi sacerdotes Domini ex toto corde venerati sunt, & audierūt: isti non solum non audiunt, sed etiam persequuntur: illi monasteria & ecclesias ditauerunt: isti eas diruunt ac subuertunt. Quid de Latta monasterio referā, in quo beati Martini habentur reliquiæ? cum ad eum vnus cuneus hostium aduentaret, & fluuium qui propinquus est, transire disponeret, vt monasterium expoliaret, clamauerunt Monachi dicentes: *Nolite ô barbari, nolite huc transire. Beati enim Martini istud est monasterium.* Hæc audientes eorum multi compuncti à Dei timore regressi sunt. Viginti tamen ex ipsis, qui non metuebant Deum, neque beatum confessorem honorabant, ascendentes nauem illuc transgrediuntur, & inimico stimulante, monachos cædunt, monasterium euertunt, resque diripiunt, de quibus facientes sarcinas, naui imponunt. Ingressique fluuium, protinus vibrante carina huc illucque feruntur. Cumque amisso auxilio remorum, hastilibus lancearum in fundum aluei defixis remeare conarentur, nauis sub pedibus eorum dehiscit, & vniuscuiusque ferrum quod contra se tenebat, pectori defigitur, transuerberatique cuncti à propriis iaculis interimuntur. Vnus tantum ex ipsis qui eos increpabat, ne ista committerent, remansit inlæsus. Quod si hoc quis fortuitu euenisse iudicat, cernat vnum insontem plurimis euasisse de noxiis. Quibus interfectis, Monachi ipsos & res suas ex alueo detrahentes, illos sepelientes, res domi restituunt.

Quod Sygibertus Parisios venit

CAP. XLIV.

DVM hæc agerentur, Sygibertus rex gentes illas quæ vltra Rhenum habentur, commouet, & bellum ciuile ordiens, contra fratrem suum Chilpericum ire destinat. Quod audiens Chilpericus, ad fratrem suum Guntheramnum legatos mittit. Qui coniuncti pariter fœdus ineunt, *Vt nullus fratrem suum perire sineret.* Sed cum Sygibertus gentes illas adducens venisset, & Chilpericus de alia parte cum suo exercitu resideret, nec haberet rex Sygibertus super fratrem iturus, vbi Sequanā fluuiū transmearet, fratri suo Guntherāno mandat† dicens: *Nisi me permiseris per tuā sortem hunc fluuium transire, cū omni exercitu meo super te pergam.* Quod ille timens, fœdus cum eodem iniit, eumq; transire permisit. Denique sentiens Chilpericus quod Guntheramnus, scil. relicto eo ad Sygibertum transisset, castra mouit, & vsq; Aualocium Carnotensem vicum abiit. Quē Sygibertus insecutus, campum sibi præparari petiit. Ille vero timens, ne conliso vtroq; exercitu, etiam regnum eorum conrueret, pacem petiit, ciuitatesque eius quas Theodobertus male peruaserat, reddidit, deprecans vt nullo casu culparentur earum habitatores, quos ille iniuste igni ferroque *al. mandatum mittit.*

opprimens adquisierat. Vicos quoq; qui circa Parisios erant, maxime tunc flamma consumpsit, & tam domus quam res reliquæ ab hoste direptæ sunt, vt etiam & captiui ducerentur. Obtestabatur enim Rex, ne hæc fierent: sed furorem gentium quæ de vlteriore Rheni amnis parte venerant, superare non poterat: sed omnia patienter ferebat, donec redire posset ad patriam. Tunc ex gentilibus † illis contra eũ quidam murmurauerunt, cur se a certamine subtraxisset. Sed ille, vt erat intrepidus, ascenso equo: ad eos dirigit, eosq; verbis lenibus demulsit, multos ex eis postea lapidibus obrui præcipiẽs. Sed nec hoc sine beati Martini fuisse virtute ambigitur, vt hi sine bello pacificarentur. Nam in ipsa die qua hi pacem fecerunt, tres paralytici ad beati basilicam sunt directi, quod in sequentibus libris Domino iuuãte disseremus.

Australium feritas.

al. gentibus.

Quod Chilpericus cum Gunthramno fœdus iniit, & de obitu Theoberti filii eius

CAP. XLV.

DOLOREM enim ingerit animo, ista ciuilia bella referre. Nam post annum iterũ Chilpericus ad Guntheramnum fatrem suum legatos mittit dicens: *Veniat frater mecum, & videamus nos, & pacificati persequamur Sygibertum inimicum nostrũ.* Quod cum fuisset factum, seque vidissent, ac muneribus honorassent, commoto Chilpericus exercitu vsque Rhemos accessit, cuncta incendens atq; debellans. Quod audiens Sygibertus, iterum conuocatis gentibus illis quarum supra memoriam fecimus, Parisios venit, & contra fratrem suum ire disponit, mittens nuncios Dunensibus & Turonicis, vt contra Theodobertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, rex Godegisilum & Guntheramnum duces in capite dirigit. Qui commouentes exercitum aduersus eum, pergunt. At ille derelictus à suis, cum paucis remansit: sed tamen ad bellum exire non dubitat. Ineũtes autem prælium, Theodobertus euictus, in cãpo prosternitur, & ab hostibus exanime corpus (quod dici dolor est) spoliatur. Tunc ab Arnulfo quodam collectus, ablutusque ac dignis vestibus est indutus, & ad Engolismensem † ciuitatẽ sepultus. Chilpericus vero cognoscẽs, quod iterum se Guntheramnus cum Sygiberto pacificasset, se infra Tornacenses muros cum vxore & filiis suis communiuit.

al. Colosinensem.

De obitu Sygiberti regis

CAP. XLVI.

IN eo anno fulgur per cœlum discurrisse visum est, sicut quondã ante mortẽ Chlotharii factum vidimus. Sygibertus vero obtentis ciuitatibus illis, quæ citra Parisios sunt positæ, vsque Rothomagensem vrbem accessit, volens easdem vrbes hostibus cedere. Quod ne faceret, a suis prohibitus est. regressus inde, Parisios est ingressus: ibiq; ad eum Brunichildis cum filiis venit. Tunc Franci, qui quondam ad Childebertum aspexerant seniorem, ad Sygibertum legationem mittunt, vt ad eos veniens, derelicto Chilperico, super seipsum regem stabilirent. Ille vero hæc audiens, misit qui fratrem suum in supra memorata ciuitate obsiderent, ipse illuc properare deliberans. Cui sanctus Germanus episcopus dixit; *Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, viuus & victor redibis: sin autem aliud cogitaueris, morieris. sic enim dominus per Salomonem dixit: Foueam quam fratri tuo parabis, in eam conrues.* Quod ille peccatis facientibus, audire neglexit. Veniente autem illo ad villã, cui nomen est Victoriacũ, collectus est ad eum omnis exercitus, impositoq; super clypeo sibi Regem statuũt. Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgo *Scramasaxos* vocant, infectis veneno, maleficati a Fredegunde regina, cum aliam causam se gerere simularent, vtraq; ei latera feriunt. At ille vociferans, atq; conruens, non post multo spacio emisit spiritum. ibique & Charegisilus cubicularius eius conruit: ibi & Sygila, qui quondam ex Go-

Schramsax. i. vulnifici cultelli. al. suggerere.

ex Gothia venerat, multum laceratus est: & postea ab Chilperico rege comprehensus, incensis cum cauteriis candentibus omnibus iuncturis, ac membratim separatus, crudeliter vitam finiuit. Fuit autem Charegisilus ille tam leuis opere, quam grauis cupiditate: de minimis consurgens, magnus per adulationes cum rege effectus est: competitor rerum alienarum, testamentorumque effractor: cui talis fuit vitæ exitus, vt non mereretur voluntatem propriam morte imminente complere, qui aliorum voluntates sæpe destruxerat. Chilpericus autem in ancipiti casu defixus, in dubium habebat, an euaderet, an periret, donec ad eum missi veniunt de fratris obitu nunciantes. Tunc egressus à Tornaco cum vxore & filiis, eum vestitum apud Lambros vicum sepeliuit. Vnde postea Suessionas in basilica sancti Medardi, quam ipse ædificauerat, translatus, secus Chlotharium patrem suum sepultus est. Obiit autem quartodecimo regni sui anno, ætate quadragenaria. A transitu ergo Theodeberti senioris vsque ad exitum Sygiberti, supputantur anni xxix. Inter exitum vero eius & nepotis sui Theodeberti, fuere dies xviii. Mortuo autem Sygiberto, regnauit Childebertus filius eius pro eo. A principio vsque ad diluuiū, anni bis mille ducenti quadraginta duo. A diluuio autem vsque ad Abraham, anni nongenti quadraginta duo. Ab Abraham vero vsque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, anni CCCCLXII. Ab egressu filiorum Israel ex Ægypto vsque ad ædificationem templi Salomonis, anni cccclxxx. Ab ædificatione ergo templi vsq; ad desolationē eius, & transmigrationē in Babyloniam, anni ccclx. A transmigratione igitur vsque ad passionem Domini, anni sexcenti lxviii. A passione Domini vsq; ad transitū sancti Martini, anni ccccxii. A transitu sancti Martini vsque ad transitum Chlodouei regis, anni cxii. A transitu Chlodouei regis vsq; ad transitum Theodoberti, anni xxxvii. A transitu Theodoberti vsque ad exitum Sygiberti, anni xxix. Qui sunt simul anni, quinquies mille septingenti quadraginta quatuor.

GREGORII TVRONENSIS EPISCOPI HISTORIARVM LIBER QVINTVS.

TÆDET me bellorum ciuilium diuersitates, quæ Francorum gentem & regnum valde proterunt, memorare: in quo (quod peius est) tempus illud quod Dominus de dolorum prædixit initio, iam videmus: Consurgit pater in filium, filius in patrem: frater in fratrem, proximus in propinquum. Debebant enim eos exempla anteriorum Regum terrere, qui vt diuisi, statim ab inimicis sunt interempti. Quotiens & ipsa Vrbs vrbium, & totius mundi caput, iniens bella ciuilia, ruit: quo cessante, rursum quasi ab humo surrexit. Vtinam & vos, o Reges, in his præliis in quibus parentes vestri desudauerunt, exerceremini, vt gentes vestra pace conterritæ, vestris viribus premerentur. Recordamini quid caput victoriarũ vestrarum Chlodoueus fecerit, qui aduersos reges interfecit, noxias gentes elisit, patrias gentes subiugauit: quarum regnũ vobis integrũ inlæsumque reliquit. Et cum hoc faceret, neque aurum, neq; argentum, sicut nunc est, in thesauris vestris habebatur. Quid agitis? quid quæritis? quid non abundatis? In domibus delicię supercrescunt: in promptuariis, vinum, triticum, oleumque redundat: in thesauris aurum atque argentum coaceruatur. Vnum vobis deest, quod pacem non habentes, Dei gratia indigetis. Cur vnus tollit alteri suum? cum alter concupiscit alienum? Cauete illud quæso Apostoli: *Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Scrutamini diligenter veterum scripta, & videbitis quid ciuilia bella parturiant. Requirite quid de Carthaginensibus scribat Orosius: qui cũ post septingentos annos subuersam dicat ciuitatem & regionem eorum, addidit: *Quæ res eam tandiu seruauit? concordia. Quæ res eam post tanta destruxit tempora? discordia.* Cauete discordiam, cauete bella ciuilia, quæ vos populumque vestrum expugnant. Quid aliud sperandum erit, nisi cum exercitus vester ceciderit, vos sine solatio relicti, atque à gentibus aduersis oppressi protinus conruatis? Si te o Rex, bellum ciuile delectat, illud quod Apostolus in hominem agi meminit, exerce, vt spiritus concupiscat aduersus carnem, & vitia virtutibus cedant, & tu liber capiti tuo, id est Christo seruias, qui quondam radici malorum seruieras compeditus.

De Childerici iunioris regno & matre eius
CAP. I.

hod. Vitry. IGITVR interempto Sygiberto rege apud Victoriacum † villam, Brunichildis regina cum filiis Parisiis residebat. Quod factum cum ad eam perlatum fuisset, & conturbata dolore ac luctu, quid ageret, ignoraret, Gundobaldus dux adprehensum Childebertum filium eius paruulum furtim abstulit: ereptumq; ab imminenti morte, collectisque gentibus, super quas pater eius regnum tenuerat, Regem instituit, vix lustro ætatis vno iam peracto. qui die Dominici natalis regnare cœpit. Anno igitur primo regni eius, Chilpericus rex Parisios venit, adprehensamque Brunichildem, apud Rothomagensem ciuitatem in exilium trusit, thesaurosque eius quos Parisios detulerat, abstulit. Filias vero eius Meledis vrbe teneri præcepit. Tunc Rucculenus cum Cœnomannicis Turonos venit, & prædas egit, & multa scelera fecit: quod in sequenti, qualiter à virtute beati Martini pro tantis malis quæ gessit, percussius interiit, memoramus.

Quod

Quod Meroueus Brunichildem accipit vxorem

CAP. II.

CHilpericus vero filium suum Meroueum cum exercitu Pictauos dirigit. At ille relicta ordinatione patris, Turonos venit, ibique & dies sanctos Paschæ tenuit: multum enim regionem illam exercitus eius vastauit. Ipse vero simulans ad matrem suam ire velle, Rothomagum petiit, & ibi Brunichildi reginæ coniungitur: eamque sibi in matrimonio sociauit. Hæc audiens Chilpericus, quod scilicet contra fas legemque canonicam vxorem patrui accepisset, valde amarus, dicto citius ad supra memoratum oppidum dirigit. At illi cum hæc cognouissent, quod eosdem separare decerneret, ad Basilicam sancti Martini, quæ super muros ciuitatis ligneis tabulis fabricata est, confugium faciunt. Rex vero adueniens, cum in multis ingeniis eos exinde auferre niteretur, & illi dolose eum putantes facere non crederent, iurauit eis dicens: *Si*, inquit, *voluntas Dei foret, ipse hos separare non conaretur.* Hæc illi sacramenta accipientes, de Basilica egressi sunt, exosculatisque & dignanter acceptis epulauit cum eis. Post dies vero paucos adsumpto secum Rex Merouco, Suessionas rediit.

Bellum contra Chilpericum & de malitia Rauingi

CAP. III.

CVm autem ibidem commorarentur, collecti aliqui de Campania, Suessionas † vrbem adgrediuntur, fugataque ex ea Fredegunde regina, atque Chlodoueo filio Chilperici, volebant sibi subdere ciuitatem. Quod vt Chilpericus Rex comperit, cum exercitu illuc dirigit, mittens nuncios, ne sibi iniuriam facerent, & excidium de vtroque eueniret exercitu. Illi autem hæc negligentes, præparantur ad bellum: commissoque prælio inualuit pars Chilperici, atque fugauit partem sibi aduersam, multos ex ea strenuos atque vtiles viros prosternens, fugatisque reliquis Suessionas ingreditur. Quæ postquam acta sunt, Rex propter coniugationem Brunichildis, suspectum habere cœpit Meroueum filium suum, dicens, *hoc prælium eius nequitia surrexisse*: spoliatumque armis, datis custodibus libere custodiri præcepit, tractans quid de eo in posterum ordinaret. Godinus autem, qui à sorte Sygiberti se ad Chilpericum transtulerat, & multis ab eo muneribus locupletatus est, caput belli istius fuit: sed in campo victus, primus fuga dilabitur: villas vero quas ei Rex à fisco in territorio Suessionico indulserat, abstulit, & Basilicæ contulit beati Medardi. Ipse quoque Godinus non post multum tempus repentina morte præuentus, interiit. Cuius coniugem Rauchingus accepit, vir omni vanitate repletus, superbia tumidus, elatione proteruus: qui se ita cum subiectis agebat, vt non cognosceret in se aliquid humanitatis habere, sed vltra modū humanæ malitiæ atq; stultitiæ in suos desæuiens, nefanda mala gerebat. Nam si ante eum (vt adsolet) conuiuio vtentem puer cereum tenuisset, nudari eius tibias faciebat, atque tamdiu in his cereum comprimi donec lumine priuaretur: iterum cum inluminatus fuisset, similiter faciebat, vsque dum to[illegible]æ famuli tenentis exurerentur. Quod si vocem emittere, aut se de loco illo alia in parte mouere conatus fuisset, nudus ilico gladius imminebat: fiebatq; vt hoc flente, ille magna lætitia exultaret. Aiebant enim quidam, eo tempore duo de famulis eius (vt sæpe contingit) mutuo se amore dilexisse, virum scilicet & puellam. Cumque hæc dilectio per duorum annorum aut eo amplius spacia traheretur, coniuncti pariter Ecclesiam petierunt. Quod cum Rauchingus comperisset, accedit ad sacerdotem loci: rogat se illi protinus reddi suos famulos excusatos. Tunc sacerdos ait ad eum: *Nosti enim quæ veneratio debeat impendi ecclesiis Dei: non enim poteris eos accipere, nisi vt fidem facias de permanente eorum coniunctione; similiter & vt de omni pœna corporali liberi maneant, repromittas.* At ille, cum diu ambiguus cogitatione siluisset, tandem conuersus ad Sacer-

† hod. Soissons

dotem, poſuit manus ſuas ſuper altare cum iuramento, dicens: *Quia nunquam erunt à me ſeparandi, ſed potius ego faciam, vt in hac coniunctione permaneant: quia quanquam mihi moleſtum fuerit, quod abſque mei conſilii conniuentia talia ſint geſta, illud tamen libens amplector, quod nec hic ancillam alterius, neque hæc extranei ſeruum acceperit.* Credidit Sacerdos ille ſimpliciter promiſſioni hominis callidi, reddiditque homines excuſatos. Quibus ille acceptis, & gratias agens, abſceſſit ad domum ſuam: & ſtatim iuſſit elidi arborem, truncatamque columnam eius per capita cuneo ſciſſam præcepit excauari: effoſſaque in altitudine trium aut quatuor pedum, humo deponi vas iubet in foueam. Ibique puellam vt mortuam componens, puerum deſuper iactari præcepit: poſitoque opertorio, foſſam humo repleuit, ſepeliuitque eos viuentes, dicens: *Quia non fruſtraui iuramentum meum, vt non ſepararentur hi in ſempiternum.* Quæ cum ſacerdoti nunciata fuiſſent, cucurrit velociter: & increpans hominem vix obtinuit vt detegerentur. Veruntamen puerum viuum extraxit, puellam vero reperit ſuffocatam. In talibus enim operibus valde nequiſſimus erat, nullam aliam habens potius vtilitatẽ, niſi in cachinnis † ac dolis, omnibuſq; peruerſis rebus. Vnde non immerito taliter exceſſit à vita qui talia geſſit, cum frueretur hac vita, quod in poſterum digeſturi ſumus. Syggo quoq; referendarius qui annulum regis Sygiberti tenuerat, & ab Chilperico rege ita prouocatus erat, vt ſeruitium quod tempore fratris ſui habuerat, obtineret, ad Childebertum regem Sygiberti filium relicto Chilperico tranſiuit: reſque eius quas in Sueſſionico habuerat, Anſoualdus obtinuit. Multi autem & alii de his, qui ſe de regno Sygiberti ad Chilpericum tradiderant, receſſerunt. Vxor quoque Syggonis non poſt multo tempore ſpacio obiit: ſed ille aliam rurſus accepit.

al. ingannis. vnde ital. inganno, ar.

Quod Rucculenus Turonos venit

CAP. IV.

HIs diebus Rucculenus ab Chilperico miſſus, Turonos aduenit cum magna iactantia, & vltra Ligerim caſtra ponens, nuncios ad nos direxit, vt ſcilicet Gunthcramnum, qui tunc de morte Theodoberti impetebatur, à Baſilica ſancta deberemus extrahere. Quod ſi non faceremus, & ciuitatem, & omnia ſuburbana eius iuberet incendio concremari. Quo audito mittimus ad eum legationem, dicentes: *Hæc ab antiquo facta non fuiſſe, quæ hic fieri depoſcebat: ſed nec modo permitti poſſe, vt Baſilica ſancta violaretur. Quod ſi fieret, nec ſibi fore proſperum, nec Regi qui hæc iuſſa mandaſſet: metueretque magis ſanctitatem Antiſtitis, cuius virtus heſterna die paralyticam direxiſſet.* Nihil ex his ille formidans, cum in domo eccleſiæ vltra Ligerim reſideret, domum ipſam quæ clauis adfixa erat, diſſecat. Ipſos quoque clauos Cœnomannici qui tunc cum eodem aduenerant, impletis follibus portant, annonas euertunt, & cuncta deuaſtant. Sed dum hæc Rucculenus agit, à Deo percutitur, morboque regio croceus effectus, mandata aſpera remittit, dicens: *Niſi hodie proieceritis Gunthcramnum ducem de Baſilica, ita cuncta virentia quæ ſunt circa vrbem adteram, vt dignus fiat aratro locus ille.* Interim aduenit dies ſanctus Epiphaniæ: & hic magis ac magis torqueri cœpit. Tunc accepto à ſuis conſilio, amne tranſacto, ad ciuitatem accedit. Denique cum pſallentes de eccleſia egreſſi ad ſanctam Baſilicam properarent: hic poſt crucem præcedentibus ſignis, equo ſuperpoſitus ferebatur. Verum vbi Baſilicam ſanctam introiit, mox furor minantis intepuit: regreſſuſque ab Eccleſia, nihil cibi ea die accipere potuit. Exinde cum valde anhelus eſſet, Pictauum abiit. Erant enim dies ſanctæ Quadrageſimæ, in qua fœtus cuniculorum ſæpe comedit. Diſpoſitis vero actionibus, quibus in Calendis Martiis ciues Pictauos vel adfligeret, vel damnaret, pridie animam reddidit: & ſic ſuperbia, tumorque quieuit.

De Epiſco-

De Episcopis Lingonicis, & Namnetico

CAP. V.

EO tempore Felix Namneticæ vrbis Episcopus, literas mihi scripsit, plenas obprobriis, scribens etiam fratrem meum ob hoc interfectum, eo quod ipse cupidus episcopatus, Episcopum interfecisset. Sed vt hæc scriberet, villam Ecclesiæ concupiuit. Quam cum dare nollem, euomuit in me (vt dixi) plenus furore, obprobria mille. Cui aliquando ego respondi; *Memento dicti Prophetici: Væ his qui iungunt domum ad domum, & agrum ad agrū copulant, nunquid soli inhabitabunt terram? O si te habuisset Massilia sacerdotē, nunquam naues oleum, aut reliquas species detulissent, nisi tantū chartam quo maiorem opportunitatem scribendi ad bonos infamandos haberes.* Sed paupertas chartæ, finem imponit verbositati. immensæ enim erat cupiditatis atq; iactantiæ. Sed ego ista postponens, ne illi similis appaream, illud explicabo, qualiter germanus meus ab hac luce migrauerit, & quam velocem in percussorem eius dominus præstiterit vltionem. Consenescente beato Tetrico Ecclesiæ Lingonicæ sacerdote, cum Lampadium diaconum (quē creditorem † habuit) deiecisset, & frater meus dum pauperibus quos ille male spoliauerat, opitulari cupiens consensisset in eius humiliationem, odium ex hoc incurrit. Interea beatus Tetricus a sanguine sauciatur: cui cum nulla medicorum fomenta valerent, conturbati clerici, & à pastore vtpote destituti, Mondericū expetunt: qui à Rege indultus ac tonsuratus, Episcopus ordinatur, sub ea specie, vt dū beatus Tetricus viueret, hic Ternodorense castrum, vt Archipresbyter regeret, atq; in eo cōmoraretur: migrante vero decessore, iste succederet. In quo castro dum habitaret, iram Regis incurrit: adserebatur enim contra eum, quod ipse Sygiberto regi aduersus fratrē suum Guntheramnū venienti, alimenta & munera præbuisset. Igitur extractus à castro, in exiliū super ripā Rhodani in turri quadam arcta atq; detecta retruditur: in qua per duos fere annos cum grandi cruciatu cōmoratur. Obtinente beato Nicetio Episcopo, Lugdunū regreditur: habitauitq; cum eo per duos menses. Sed cum obtinere non posset à Rege, vt in locū vnde deiectus fuerat, restitueretur, nocte per fugā lapsus ad Sygiberti regnum trāsiit, & apud Arisitensem vicum Episcopus instituitur, habens sub se plus minus diœceses quindecim, quas primum Gothi quidam tenuerant, nunc vero Dalmatius Ruthenensis episcopus vendicabat. Quo abeunte iterum Lingonici Siluestrum propinquum, vel nostrum, vel beati Tetrici episcopum expetunt. Sed vt eum peterent, fratris mei hoc instinctu fecerunt. Interea transeunte beato Tetrico, hic tonso capite, presbyter ordinatur, accepta omni potestate de rebus Ecclesiæ: qui vero vt benedictionem episcopalem Lugduni accipiat, iter parat. Quæ dum aguntur, ipse quia iam diu epilepticus erat, ab hoc morbo correptus, asperius extra sensum factus, & per dies duos assidue dans mugitum, tertia die spiritum exhalauit. Quibus peractis, Lampadius (vt superius diximus) ab honore & facultate priuatus in odio Petri diaconi, cum filio Siluestri coniungitur, machinans atque confirmans patrem suum ab ipso fuisse maleficiis interfectum. At ille ætate iuuenis, sensu leuis, contra eum commouetur, ipsum impetens publice parricidam. Porro ille hæc audiens, facto placito in præsentia sancti Nicetii episcopi auunculi matris meæ, Lugdunum dirigitur: & ibi Syagrio episcopo coram adstante, & aliis sacerdotibus multis cum secularium principibus, se sacramento exuit: *nunquam se in mortem Siluestri mixtum fuisse.* Post duos vero annos instigatus iterum à Lampadio filius Siluestri, adsequutus in via Petrum diaconum, lancea sauciatum interfecit. Quod cum factum fuisset, de eo loco eleuatus, & ad Diuionense delatus castrum, secus sanctum Gregorium proauum nostrum sepelitur. Iste vero fugam iniens, ad Chilpericum regē transiit, facultatibus suis fisco regis Guntheramni dimissis. Cumq; per diuersa vagaretur pro commisso scelere, nec ei esset locus firmus ad cōmorandum: tandē (vt credo) contra eum sanguine insonte ad diuinā potentiam proclamante, in quodam loco dum iter ageret, innocentem hominem euaginato gladio interemit. Cuius parentes condolentes propinqui exitum, commota seditione, extractis gladiis, eum in frusta cōciduht, membratimq; dispergunt. Talem iuxta iudicium

† *i. cui multū credebat. ita sup. 3. c. 15. & creditor socii mei & inf. 7. c. 20. vt ab ea credi posset.*

Dei exitum miser accepit, vt qui propinquum innocentem interemerat, ipse nocens diutius non maneret: nam tertio hæc ei euenerunt anno. Denique Siluestri post transitum, Lingonici iterum episcopum flagitantes, Pappolum qui quondam archidiaconus Augustodunensis fuerat, accipiunt: qui multa (vt adserunt) egit iniqua, quæ à nobis prætermittuntur, ne detractores fratrum esse videamur: tamen qualem habuerit exitum, nō omittam. Anno octauo episcopatus sui, dum dioeceses ac villas ecclesiæ circumiret, quadam nocte dormienti apparuit illi B. Tetricus vultu minaci. Cui ita; *Quid tu*, inquit, *hic Pappole? vt quid sedem meam polluis? vt quid ecclesiam peruadis? vt quid oues mihi creditas sic dispergis? cede loco, relinque sedem, abscede longius à regione.* Et hæc dicens, virgam quam habebat in manu, pectori eius cum ictu valido impulit. In quo ille euigilās, dum cogitat quid hoc esset, ficta in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur. Abhorret cibum potumque, & mortem iam sibi proximam præstolatur. Quid plura? Tertia die cum sanguinem ore proiiceret, expirauit. Exinde elatus Lingonas, est sepultus. In cuius locum Mummolus Abbas, quem Bonum cognomento vocant, Episcopus substituitur; quem multi magnis laudibus prosequuntur, esse eum castum, sobrium, moderatum, ac in omni bonitate promptissimum, amantem iustitiam, charitatem, omni intentione diligentem. Qui accepto episcopatu, cognoscens quod Lampadius multum de rebus fraudasset Ecclesię, ac de spoliis pauperum, agros, vineasque, vel mancipia congregasset, cum ab omni renudatum a præsentia sua iussit abigi. Qui nunc in maxima paupertate degens, manibus propriis victum quærit. Hæc de his sufficiant.

Mum. Bonus.

De Leuuaste Archidiacono Biturigo.

CAP. VI.

ANno vero quo supra, id est quo mortuo Sygiberto Childebertus filius eius regnare cœpit, multæ virtutes ad sepulchrum beati Martini apparuerunt, quas in illis libellis scripsi, quos de ipsis miraculis componere tentaui. Et licet sermone rustico, tamen celare passus non sum, quæ aut ipse vidi, aut a fidelibus relata cognoui. hic tantum quid negligentibus euenerit, qui post virtutem cœlestem terrena medicamenta quæsierunt, exsoluam, quia sicut per gratiam sanitatum, ita & per castigationem stultorum virtus eius ostenditur. Leonastes Biturigis Archidiaconus decidentibus cataractis, † lumine caruit oculorum. Qui cū per multos medicos ambulans, nihil omnino visionis recipere posset, accessit ad Basilicam beati Martini: vbi per duos aut tres menses consistens, & ieiunans assidue, lumen vt reciperet flagitabat. Adueniente autem festiuitate, clarificatis oculis cernere cœpit: regressus quoq; domum, vocato quodam Iudæo, ventosas † quorum beneficio oculis lumen augeret, humeris superponit. Decedente quoque sanguine, rursus in recidiuam cæcitatem redigitur. Quod cum factum fuisset, rursum ad templum sanctum regressus est. Ibique iterum longo spacio commoratus, lumen recipere non meruit. Quod ei ob peccatum non præstitum reor, iuxta illud dominicum oraculum; *Qui habet, dabitur ei, & abundabit: & qui non habet, ipsum quod habet auferetur ab eo*, & illud; *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne quid tibi deterius eueniat.* Nam perstitisset hic in sanitate, si Iudæum non induxisset super diuinam virtutē. Tales enim admonet & arguit Apostolus, dicens; *Nolite enim iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis cum tenebris? Quæ autem communicatio Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos estis enim templum Dei viui: propterea exite de medio eorum, & separamini ab his, ait Dominus.* Ideo doceat vnumquenque Christianum hæc causa, vt quando cœlestem accipere meruerit medicinam, terrena non requirat studia.

cataracthis.

i. cucurbitas. scrufas gunas. Gall. ventouses.

De Se-

De Senoch reclauso

CAP. VII.

SEd & illud commemorare libet, qui vel quales viri hoc anno à Domino sunt conuocati. Vnde magnum eum & Deo acceptabilem ego censeo, qui tales de nostra terra suo paradiso collocauit. Nam benedictus Senoch presbyter, qui apud Turonos morabatur sic migrauit à seculo. Fuit autem genere Theifalus † & in Turonico clericus factus, in cellulam quam ipse inter parietes antiquos cõposuerat, se remouit: collectisque monachis, oratorium quod multo tempore dirutum fuerat, reparauit. Idem super infirmos multas virtutes fecit, quas in libro vitæ eius scripsimus. *al. Taifalus.*

De sancto Germano Parisiorum Episcopo

CAP. VIII.

EO anno & beatus Germanus Parisiorum Episcopus transiit: in cuius exequiis, multis virtutibus quas in corpore gesserat, hoc miraculum confirmationem fecit. Nam carcerariis adclamantibus, corpus in platea adgrauatum est. Solutisq; eisdem, rursum sine labore leuatur: ipsi quoque qui soluti fuerant, in obsequium funeris vsq; ad Basilicam in qua sepultus est, liberi peruenerunt. Ad sepulchrum autem eius multas virtutes Domino tribuente, credentes experiuntur: ita vt quisq; si iusta petierit, velociter exoptatã reportet. Si quis tamen strenuus virtutes illius quas in corpore fecit, sollicite vult inquirere, librum vitæ illius qui à Fortunato presbytero compositus est, legens cuncta reperiet. *Fortunat. de vita S. Germani, non extat.*

De Callupane reclauso

CAP. IX.

EOdem quoq; anno & Caluppa reclausus obiit. Hic autem ab infantia sua semper religiosus fuit, & apud monasterium Melitense termini Aruerni conuersus, in magna se humilitate fratribus præbuit, sicut in libro vitæ eius scripsimus.

De Patroclo reclauso

CAP. X.

FVit autẽ in Biturico termino reclausus nomine Patroclus, presbyterii honore præditus, miræ sanctitatis ac religionis, vir magnæ abstinentiæ: qui plerumq; ab inedia, diuersis incommodis vexabatur. Vinum, siceram, vel omne quod inebriare potest, nõ bibebat, præter aquã parumper melle linitam: sed nec pulmento aliquo vtebatur. Cuius victus erat panis in aquam infusus atq; sale respersus. huius oculi nunquam caligauerunt. Erat autem in oratione assiduus: quam si parumper prætermisisset, aut legebat aliquid, aut scribebat. Frigoriticis † pustulis laborantibus, vel reliquis morbis, sæpe per orationem remedia conferebat. Sed & alia signa multa fecit. quæ per ordinem longum est enarrare. Cilicium semper nuro adhibebat corpori. Qui octogenaria ætate abscedens à seculo, migrauit ad Christum. Scripsimus & de huius vita libellum. *i. febrientib.*

De Iudæis conuersis per Auitum Episcopum

CAP. XI.

ET quia semper Deus noster Sacerdotes suos glorificare dignatur, quid Aruerno de Iudæis hoc anno contigerit, pandam. Cum eosdẽ plerumq; beatus Auitus Episcopus commoneret, vt relicto velamine legis Mosaicæ, spiritaliter lecta intelligerent, & Christum filium viuentis Dei Prophetica & legali auctoritate promissum, corde purissimo in sacris literis contemplarentur, manebat in pectoribus eorum, iam non dicam velamen illud quo facies Moysi obumbrabatur, sed paries. sacerdote quoq; orante vt conuersi ad Dominum velamen ab eis literæ rumperetur, quidam ex his ad san-

ctum Pascha, vt baptizaretur expetiit, renatusque Deo per Baptismi sacramentũ, cum albatis reliquis in albis & ipse procedit. Ingredientibus autem populis portam ciuitatis, vnus Iudæorum super caput conuersi Iudæi oleum fœtidum Diabolo instigante diffudit. Quod cum cunctus abhorrens populus voluisset eum vrgere lapidibus, pontifex vt fieret non permisit. Die autem beato quo Dominus ad cœlos post redemptũ hominem ascendit gloriosus: cum sacerdos de ecclesia ad Basilicam psallendo procederet, inruit super synagogam Iudæorum multitudo tota sequentium, destruensque à fundamentis, campi planitiei locus adsimilatur. Alia autem die sacerdos eis legatos mittit, dicens: *Vi ego vos confiteri Dei filiũ non impello, sed tamen prædico, & salẽ scientiæ vestris pectoribus trado. Pastor sum enim dominicis ouib. superpositus, & de vobis ille verus pastor qui pro nobis passus est, dixit habere se alias oues, quæ non sunt ex ouili suo, quas eum oporteat adducere, vt fiat vnus grex & vnus pastor. Ideoque si vultis credere, vt ego, estote vnus grex, custode me posito: sin vero aliud, abscedite à loco.* Illi autem diu æstuantes atque dubitantes, tertia die (vt credo) obtentu pontificis coniuncti in vnum, ad eum mandata remittunt dicentes: *Credimus Iesum filium Dei viui nobis Prophetarum vocibus repromissum, & ideo petimus vt abluamur baptismo, ne in hoc delicto permaneamus.* Gauisus autem nuncio pontifex, nocte sancta Pentecostes vigiliis celebratis, ad baptisterium foras muraneum egressus est: ibique omnis multitudo coram eo prostrata, baptismum flagitauit. At ille præ gaudio lachrymans, cunctos aqua abluens, chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregauit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota ciuitas de grege candido, nec minus fuit vrbi gaudium, quam quondam Spiritu sancto descendente super Apostolos, Hierusalem videre promeruit. Fuerunt autem qui baptizati sunt, amplius quingenti. Hi vero qui baptismum percipere noluerunt, discedentes ab illa vrbe, Massiliæ redditi sunt.

De Brachione Abbate

CAP. XII.

TRansiit post hæc & Brachio Abbas cellulæ Manatensis Fuit autem genere Thoringus, in seruitium Sygiualdi quondam ducis venationem exercens, sicut alibi scripsimus.

Quod Mummolus Lemouicas vastauit

CAP. XIII.

ERgo vt ad propositum reuertamur, Chilpericus Rex Chlodoueum filium suum Turonos transmisit, qui congregato exercitu inter terminum Turonicum, & Andegauum vsque Sanctonas transiit, eamq; peruasit. Mummolus vero patritius Gunthcramni regis, cum magno exercitu vsq; Lemouicinum transiit: & contra Desiderium ducem Chilperici regis bellum gessit. In quo prælio cecidere de exercitu eius quinq; millia. de Desiderii vero viginti quatuor millia. Ipse quoque Desiderius fugiens vix euasit. Mummolus vero patritius per Aruernum rediit, eamque per loca exercitus eius deuastauit, & sic in Burgundiam peraccessit.

Quod Meroueus tonsuratus ad Basilicam sancti Martini fugit

CAP. XIV.

POst hæc Meroueus cum in custodia à patre retineretur, tonsuratus est, mutataque veste qua clericis vti mos est, Presbyter ordinatur, & ad monasterium Cœnomannicum quod vocatur Aninsula, dirigitur, vt ibi sacerdotali erudiretur regula. Hæc audiens Guntheramnus Boso, qui tunc in Basilica sancti Martini (vt diximus) residebat, misit Riculfum subdiaconum, vt ei consilium occulte præberet expetendi Basilicam

Aninsula.

cam sancti Martini. Qui cum abiisset ab alia parte, Gailenus puer eius aduenit. Cumque paruum solatium qui eum ducebant haberent, ab ipso Gaileno in itinere excussus est, opertoque capite, indutusque veste seculari, beati Martini templum expetiit. Nobis autem Missas celebrantibus, in sanctam Basilicam, aperta reperiens ostia, ingressus est. Post Missas autē petiit, vt ei eulogias dare deberemus. Erat autem tunc nobiscum Ragnemodus Parisiacæ sedis Episcopus, qui sancto Germano successerat. Quod cum refutaremus, ipse clamare cœpit & dicere, *Quod nō rectè eum à communione sine fratrum conniuentia suspenderemus.* Illo autem hæc dicente, cum consensu fratris qui præsens erat, contestata causa canonica, eulogias à nobis accepit. Veritus autem sum, ne dum vnum à communione suspendebam, in multos existerem homicida. Minabatur enim aliquos de populo nostro interficere, si communionem nostram non meruisset. Multas tamen pro hac causa Turonica regio sustinuit clades. His diebus Nicetius vir neptis meæ, propriam habens causam, ad Chilpericū regem abiit cum Diacono nostro, qui Regi fugam Merouei narraret. Quibus visis Fredegundis regina ait: *Exploratores sunt, & ad sciscitandum quid agat Rex aduenerunt, vt sciant quid Merouæo renuncient.* Et statim spoliatos in exilium retrudi pręcepit, de quo mense septimo relaxati sunt. Igitur Chilpericus nuncios ad nos direxit dicens: *Eiicite apostatam illum de Basilica: sin autem aliud, totam regionem illam igni succendam.* Cumque nos rescripsissemus, Impossibile esse quod temporibus Hæreticorum non fuerat, Christianorum nunc temporibus fieri, ipse exercitum commouet, & illuc dirigit. Anno autem secundo Childeberti regis, cum videret Meroueus patrem suum in hac deliberatione intentum, adsumpto secum Gunthcramno duce ad Brunichildem pergere cogitat, dicens: *Absit vt propter meam personam Basilica Domini Martini violentiam perferat, aut regio eius per me captiuitati subdatur.* Et ingressus Basilicam, dum vigilias ageret, res quas secum habebat, ad sepulchrum beati Martini exhibuit, orans vt sibi sanctus succurreret, atque ei concederet gratiam suam, vt regnum accipere posset. Leudastes tunc comes, cum multas ei in amore Fredegundis insidias tenderet, ad extremum pueros eius qui in pago egressi fuerant, circumuentos dolis gladio trucidauit, ipsumq; interimere cupiens, si reperire loco opportuno potuisset. Sed ille consilio vsus Gunthcramni, & se vlcisci desiderans, redeunte Marileifo archiatro de præsentia regis, comprehendi præcipit: cæsumq; grauissime, ablato auro argentoq; eius, & reliquis rebus quas secum exhibebat, nudum reliquit. Et interfecisset vtiq;, si non inter manus cædentium elapsus, ecclesiam expetisset; quem nos postea indutum vestimentis, obtenta vita Pictauum remisimus. Meroueus vero de patre atq; nouerca, multa crimina loquebatur: quæ cum ex parte vera essent, credo acceptum non fuisse Deo, vt hæc per filium vulgarentur, sicut in sequentibus cognoui. Quadam enim die ad conuiuium eius adcitus, dum pariter sederemus, suppliciter petiit aliqua ad instructionem animæ legi. Ego vero reserato Salomonis libro, versiculum qui primus occurrit arripui, qui hæc continebat: *Oculum qui aduersus aspexerit patrem, effodiant eum corui de conuallibus.* Illo quoque non intelligente, consideraui hunc versiculum à Domino præparatum. Tunc direxit Gunthcramnum puerum ad mulierem quandam sibi iam cognitam à tempore Chariberti regis, habentem spiritum Phytonis, vt ei quæ erant euentura narraret. Adserebat præterea ipsam *Pythonissa.* sibi ante hoc tempus, non solum annum, sed & diē & horam, in qua rex Charibertus obiret, denunciasse. Quæ hæc ei per pueros mandata remisit: *Futurum est enim vt Rex Chilpericus hoc anno deficiat, & Meroueus inclusis fratribus omne capiat regnum. Tu vero ducatum totius regni eius annis quinque tenebis. Sexto vero anno in vna ciuitatum quæ super Ligeris alueum sita est, in dextra eius parte fauente populo episcopatus gratiam adipisceris, ac senex & plenus dierum ab hoc mundo migrabis.* Cumque hæc pueri redeuntes omnino nunciassent, statim ille vanitate elatus, tanquam si iam in cathedra Turonicæ ecclesiæ resideret, ad me hæc detulit verba. Cuius ego inridens stultitiam, dixi: *A Deo hæc poscenda sunt. nam credi non debent quæ Diabolus repromittit. ille autem ab initio mendax est, & in veritate nunquam stetit.* Illo quoque cum confusione discedente, valde inridebam hominem, qui talia credi putabat. Denique quadam nocte vigiliis in Basilica sancti antistitis celebratis, dum lectulo decubans obdormissem, vidi Angelum per aera volantem, cumq; super sanctam Basilicam præteriret, voce magna ait: *Heu heu, percussit Deus*

Chilpericum, & omnes filios eius: nec ſuperabit de his qui proceſſerunt ex lumbis eius, qui regat regnum illius in æternum. Erant ei eodem tempore de diuerſis vxoribus filii quatuor, exceptis filiabus. Cum autem hæc in poſterum impleta fuiſſent, tunc ad liquidum cognoui, falſa eſſe quæ promiſerant arioli. Igitur commorantibus his apud Baſilicam ſancti Martini, miſit ad Guntheramnum Boſonem Fredegundis regina, quæ ei iam pro morte Theodoberti patrocinabatur, occulte, dicens: *Si Merouenm eiicere potueris de Baſilica vt interficiatur, magnum de me munus accipies.* At ille præſto putans eſſe interfectores, ait ad Meroueum: *Vt quid hic quaſi ſegnes & timidi reſidemus, & vt hebetes circa Baſilicam occulimur? Veniant enim equi noſtri, & acceptis accipitribus, cum canibus exerceamur venatione, ſpectaculiſque patulis iocundemur.* hoc enim aiebat callide, vt eum à ſancta Baſilica ſepararet. Guntheramnus vero alias ſane bonus (nam ad periuria nimium præparatus erat, veruntamen nulli amicorum ſacramentum dedit, quod non protinus omiſiſſet) egreſſi itaque (vt diximus) de Baſilica, ad Iocundiacenſem domum ciuitati proximam progreſſi ſunt: ſed a nemine Meroueus noſcitus eſt. Et quia impetebatur tunc Guntheramnus de interitu, vt diximus (Theodoberti) miſit Chilpericus Rex epiſtolam ſcriptam ad ſepulchrum ſancti Martini, quæ habebat inſertum, vt ei beatus Martinus reſcriberet, vtrum liceret extrahi Guntheramnum de Baſilica eius an non. Sed Baudinus Diaconus qui hanc epiſtolam exhibuit, chartam puram cum eadem quam detulerat ad ſanctum tumulũ miſit. Cumq; per triduum expectaſſet, & nihil reſcripti reciperet, rediuit ad Chilpericum. Ille vero miſit alios qui à Guntheramno ſacramenta exigerent, vt ſine eius ſcientia Baſilicam non relinqueret. Qui ambienter iurãs pallam altaris fideiuſſorem dedit, *nunquam ſe exinde ſine iuſsione regia egreſſurum.* Meroueus vero non credens Phytoniſſæ, tres libros ſuper ſancti ſepulchrum poſuit, id eſt Pſalterii, Regum, Euangeliorum: & vigilans tota nocte, petiit vt ſibi beatus confeſſor, quid eueniret oſtenderet, & vtrum poſſit regnum capere, an non, vt Domino indicante cognoſceret. Poſt hæc continuato triduo in ieiuniis, vigiliis, atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, reuoluit librum qui erat Regum. Verſus autem primus paginæ quam reſerauit, hic erat: *Pro eo quod dereliquiſtis Dominum Deum veſtrum, & ambulaſtis poſt Deos alienos, nec feciſtis rectum ante conſpectum eius, ideo tradidit vos Dominus Deus veſter in manibus inimicorum veſtrorum.* Pſalterii autem verſus hic eſt inuentus: *Veruntamen propter doloſitatem poſuiſti eis mala: deieciſti eos, dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitates ſuas.* In Euangeliis autem hoc eſt repertum: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* In his reſponſionibus ille confuſus, flens diutiſſime ad ſepulchrum beati antiſtitis, adſumpto ſecum Guntheramno duce cum quingentis aut eo amplius viris diſceſſit. Egreſſus autem Baſilicam ſanctam, cum iter ageret per Altiſiodorenſe territorium, ab Erpone duce Guntheramni regis comprehenſus eſt. Cumque ab eo detineretur, casu neſcio quo, dilapſus, Baſilicam ſancti Germani ingreſſus eſt. Audiens hæc Guntheramnus rex in ira commotus Erponem ſeptingentis aureis damnat, & ab honore remouet, dicens: *Retinuiſti (vt ait frater meus) inimicum ſuum. Quod ſi hoc facere cogitabas, ad me eum debuiſti prius adducere: ſin autem aliud, nec tangere debueras quẽ tenere diſsimulabas.* Exercitus autem Chilperici regis vſque Turonos accedens, regionem illam in prædas mittit, ſuccendit, atq; deuaſtat: nec rebus ſancti Martini pepercit, ſed quod manu tetigit, ſine vllo Dei intuitu, aut timore, diripuit. Meroueus prope duos menſes, ad ante dictam Baſilicam reſidens, fugam iniit, & ad Brunichildem reginam vſq; peruenit, ſed ab Auſtraſiis non eſt collectus. Pater vero eius exercitum contra Campanenſes commouit, putans eum ibidem occultari: ſed nihil nocuit, nec eum potuit reperire.

Ita & infr. lib. 5. c. 48.

Bellum inter Saxones & Suenos

CAP. XV.

Suaui. Saxones.

ET quia tempore illo quo Alboinus in Italiam ingreſſus eſt, Chlotharius & Sygibertus Suauos, & alias gentes in loco illo poſuerunt, hi qui tempore Sygiberti regreſſi ſunt, id eſt qui cum Alboino fuerant, contra hos conſurgunt, volentes eos a regione

illa

illa extrudere ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem terræ, dicentes, *Simul viuere sine conlisione possumus.* Sed illi contra eos irati, eo quod ipsi hoc antea tenuissent, nullatenus pacificare voluerunt. Dehinc obtulerunt eis iterum isti medietatem: post hæc duas partes, sibi tertiam relinquentes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra omnia pecora, tantum vt à bello cessarent. Sed nec hoc illi adquiescentes, certamen expetunt. Et inter se ante certamen, qualiter vxores Suauorum diuiderent, & qui quam post eorum exitum acciperet, tractant, putantes eos iam quasi interfectos habere. Sed Domini miseratio quæ iustitiam facit, in aliã partẽ voluntatẽ eorum retorsit. Nam confligentibus illis: erant autem viginti sex milia Saxonum, ex quibus viginti milia ceciderunt: Suauorum quoque sex milia, ex quibus quadringenti & octoginta tantum prostrati sunt: reliqui vero victoriam obtinuerunt. Illi quoque qui ex Saxonibus remanserant, detestati sunt; *nullum se eorum barbam, neque capillos incisurum, nisi prius se de aduersariis vlcisceretur.* Quibus iterum decertantibus: in maiore excidio conruerunt: & sic à bello cessatum est.

De interitu Macliaui

CAP. XVI.

IN Britanniis hæc acta sunt. Macliauus quondam & Bodiccus Britannorum comites, sacramentum inter se dederant, *vt qui ex eis superuiueret, filios partis alterius tanquam proprios defensaret.* Mortuus autem Bodiccus reliquit filium Theodoricum nomine. Quo Macliauus oblitus sacramenti, expulso a patria, regnum patris eius accepit. Hic vero multo tempore profugus vagusque fuit. Qui tandem miserante Deo, collectis secum à Britannia viris, se super Macliauum obiecit, eumque cum filio eius Iacob gladio interemit, partemque regni quam quondam pater eius tenuerat, in sua potestate restituit: partem vero aliam Vuarochus Macliaui filius vindicauit.

De indubietate Pascha

CAP. XVII.

GVnthcramnus vero duos Magnacharii quondam filios gladio interemit, pro eo quod in Austrigildem reginam, eiusque sobolem multa detestabilia atque exsecranda proferrent: facultatesque eorum fisco suo redegit. Ipse quoque duos filios suos subito morbo obpressos perdidit. de quorum funere valde contristatus est, eo quod orbatus absque liberis remansisset. Eo anno dubietas Paschæ fuit. In Galliis vero nos cum multis ciuitatibus, quartodecimo Calendas Maias sanctum Pascha celebrauimus. Alii vero cum Hispanis, duodecimo Calendas Aprilis, solennitatem hanc tenuerunt: tamen (vt ferunt) fontes illi qui in Hispaniis nutu Dei complentur, in nostro Pascha repleti sunt.

Vide infr. cap. 20.

De Paschatis die dubitatum.

De ecclesia Cainonensi, & quod Guntchramnus Rex filios Magnacharii interfecit suosque perdidit, cum Childeberto coniunctus est

CAP. XVIII.

CAinone vero Turonico vico, dum ipso glorioso Resurrectionis dominicæ die Missæ celebrarentur, ecclesia contremuit, populusq; conterritus à pauore, vnam vocem dedit dicens, quod ecclesia caderet: cuncti que ab ea etiam effractis ostiis per fugam lapsi sunt. magna post hæc lues populum deuastauit. Post hæc Guntheramnus Rex ad Childebertum nepotem suum legatos mittit, pacem petens, ac deprecans eum videre. Tunc ille cum proceribus suis ad eũ venit: qui ad pontem quem Petreum vo-

Al. Petrum

cant, coniuncti sunt, consalutantes atque inuicem osculantes se. Guntheramnus rex ait, *Euenit impulsu peccatorum meorum, vt absque liberis remanerem; & ideo peto, vt hic nepos meus mihi sit filius.* Et imponens eum super cathedram suam, cunctum ei regnum tradidit dicens, *Vna nos parma protegat, vnaque hasta defendat. Quod si filios habuero, te nihilominus tanquam vnum ex his reputabo, vt illa cum meis, tecumque permaneat charitas, quam tibi hodie ego polliceor teste Deo.* proceres vero Childeberti similiter pro eodem polliciti sunt. Et manducantes simul atque bibentes, dignisque se muneribus honorantes, pacifici discesserunt, ad Chilpericum regem legationem mittentes, vt redderet quod de eorum regno minuerat. Quod si differret, campum præpararet ad bellum. Quod ille despiciens, apud Suessionas atque Parisios, circos ædificare præcepit, eos populis spectaculum præbens.

De Prætextato Episcopo & interitu Merouei

CAP. XIX.

HIs ita gestis, audiens Chilpericus, quod Prætextatus Rothomagensis Episcopus, contra vtilitatem suam populis munera daret, eum ad se arcessiri præcepit. Quo discusso, reperit cum eodem res Brunichildis reginæ commendatas: ipsisque ablatis, eum in exilio vsque ad sacerdotalem audientiam retineri præcepit. Coniuncto autem concilio, exhibitus est. erant autem Episcopi qui aduenerant, apud Parisios, in Basilica sancti Petri Apostoli. Cui rex ait, *Quid tibi visum est, ô episcope, vt inimicum meum Merouеum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est patrui sui vxore, coniungeres? An ignarus eras, quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent? Etiam non hic solum excessisse probaris, sed etiam cum illo egisti, datis muneribus, vt ego interficerer. Hostem autem filium patri fecisti, seduxisti pecunia plebem, vt nullus mecum fidem habitam custodiret: voluistique regnum meum in manum alterius tradere.* Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque ostia Basilicæ rumpere, quasi vt extractum sacerdotem lapidibus vrgeret: sed Rex prohibuit fieri. Cumque Prætextatus episcopus ea quæ Rex dixerat, facta negaret, aduenerunt falsi testes, qui ostendebant species aliquas, dicentes; *Hæc & hæc nobis dedisti, vt Merouеo fidem promittere deberemus.* Ad hæc ille dicebat; *verum enim dicitis, vos à me sæpius muneratos, sed non hæc causa extitit, vt Rex eiiceretur à regno. Nam & cum vos mihi & equos optimos, & res alias præberetis; nunquid poteram aliud facere, nisi & ego vos simili sorte remunerarem?* Recedente vero Rege ad metatum suum, nos collecti in vnum sedebamus in secretario Basilicæ beati Petri. Confabulantibusque nobis, subito aduenit Aetius Archidiaconus Parisiacæ Ecclesiæ: salutatisque nobis, ait; *Audite me ô sacerdotes Domini, qui in vnum collecti estis: aut enim hoc tempore exaltabitis nomen vestrum, & bonæ famæ gratia refulgebitis: aut certe nullus vos amodo pro Dei sacerdotibus est habiturus, si personas vestras sagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis.* Hæc eo dicente, nullus sacerdotum ei quicquam respondit: timebant enim Reginæ furorem, cuius instinctu hæc agebantur. Quibus intentis & ora digito comprimentibus, ego aio; *Adtenti estote quæso sermonibus meis, ô sanctissimi sacerdotes Dei, & præsertim vos qui familiariores esse Regi videmini: adhibete ei consilium sanctum atque sacerdotale, ne exardescens in ministrum Dei, pereat ab ira eius, & regnum perdat, & gloriam.* Hæc me dicente, silebant omnes. Illis vero silentibus, adieci; *Mementote Domini mei Sacerdotes, verbi Prophetici quod ait, Si viderit speculator iniquitatem hominis, & non dixerit, reus erit animæ pereuntis. Ergo nolite silere, sed prædicate, & ponite ante oculos Regis peccata eius, ne forte ei aliquid mali contingat, & vos rei sitis pro anima eius. An ignoratis quid nouo † gestum fuerit tempore? quomodo adprehensum Sygimundum Chlodomeris retrusit in carcerem? dixitque ei Auitus Dei Sacerdos: Ne inicias manum in eum? & cum Burgundiam petieris, victoriam obtinebis. Ille vero abnuens quæ ei a sacerdote dicta fuerant, abiit, ipsumque cum vxore & filiis interemit: petiitque Burgundiam: ibique oppressus ab exercitu, interemptus est. Quid Maximus Imperator? nonne cum beatum Martinum compulisset communicare cuidam homicidæ Episcopo: & ille quo facilius addictos morti liberaret, Regi impio consensisset, prosequente Regis æterni iudicio, ab imperio depulsus Maximus, morte pessima condemnatus est?* Hæc me dicente, non respondit vllus quicquam, sed erant omnes

Amita, impropriè patrui uxor.

† f. nostro.

intenti

intenti & stupentes. Duo tamen adulatores ex ipsis (quod de Episcopis dici dolendum est) nuntiauerunt Regi dicentes, quia nullum maiorem inimicum in suis causis, quam me haberet. Illico vnus ex aulicis, cursu rapido ad me repræsentandum dirigitur. Cumque venissem, stabat Rex iuxta tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram eius Berthcramnus episcopus, ad læuam vero Ragnemodus stabat: & erat ante eos scamnum † pane desuper plenum cum diuersis ferculis. Visoque me Rex ait: *O episcope, iustitiam cunctis largiri debes: & ecce ego iustitiam à te non accipio: sed (vt video) consentis iniquitati, & impletur in te prouerbium illud, quod Coruus oculum corui non eruet.* Ad hæc ego; Si quis *de nobis, ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest: si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciauit esse iustitiam?* Ad hæc ille, vt erat ab adulatoribus contra me accensus, ait: *Cum omnibus enim inueni iustitiam, & tecum inuenire non possum. sed scio quid faciam, vt noteris in populis, & iniustum te esse omnibus perpatescat. Conuocabo enim populum Turonicum, & dicam eis, Vociferamini contra Gregorium quod sit iniustus, & nulli hominum iustitiam præstet. Illis quoque hæc clamantibus, respondebo, Ego qui Rex sum, iustitiam cum eodem inuenire non possum: & vos qui minores estis, inuenietis?* Ad hæc ego; *Quod sim iniustus, tu nescis. scit enim ille conscientiam meam, cui occulta cordis sunt manifesta. Quod vero falso clamore populus te insultante vociferatur, nihil est, quia sciunt omnes à te hæc emissa. Ideoque non ego, sed potius tu in adclamatione notaberis. Sed quid plura? Habes legem & canones: hæc te diligenter rimari oportet: & tunc quæ præceperint, si non obseruaueris, noueris tibi Dei iudicium imminere.* At ille, quasi me demulcens, (quod dolose faciens, putabat me non intelligere) conuersus ad iuscellum † quod coram erat positum, ait; *Propter te hæc iuscella paraui: in quibus nihil aliud præter volatilia, & parumper ciceris continetur.* Ad hæc ego, cognoscens adulationes eius, dixi: *Noster cibus esse debet, facere voluntatem Dei, & non his deliciis delectari: vt ea quæ præcipit nullo casu prætermittamus. Tu vero qui alios de iustitia culpas, pollicere prius quod legem & canones non omittas: & tunc credimus quod iustitiam prosequaris.* Ille vero porrecta dextera, iurauit per omnipotentem Deum, quod ea quæ lex & canones edocebant, nullo prætermitteret pacto. Post hæc accepto pane, hausto etiam vino discessi. Ea vero nocte, decantatis nocturnalibus hymnis, ostium mansionis nostræ grauibus audio cogi verberibus. Missoque puero, nuncios Fredegundis reginæ adstare cognosco. Quibus introductis, salutationem Reginæ suscipio. Deinde precantur pueri, vt in eius causis contrarius non existam, simulque ducentas argenti promittunt libras, si Prætextatus me impugnante obprimeretur. dicebant enim: *Iam omnium Episcoporum promissionem habemus, tantum tu aduersus non incedas.* Quibus ego; *Si mihi mille libras auri argentique donetis, nunquid aliud facere possum, nisi quod Dominus agi præcipit? vnum tantum polliceor, quod ea quæ cæteri secundum canonum statuta consenserint, sequar.* At illi non intelligentes quæ dicebam, gratias agentes discesserunt. Mane autem facto, aliqui de Episcopis ad me venerunt, simile mandatum ferentes: quibus ego similia respondi. Conuenientibus autem nobis in basilica sancti Petri, mane Rex adfuit, dixitque; *Episcopus enim in furtis deprehensus ab episcopali officio, vt auellatur, canonum auctoritas sanxit.* Nobis quoque respondentibus; *Quis ille sacerdos esset, cui furti crimen inrogaretur:* respondit Rex; *Vidistis enim species quas nobis furto abstulit.* Ostenderat enim nobis ante diem tertiam Rex duo volucra †, speciebus & diuersis ornamentis referta: quæ pretiabantur amplius quam tria milia solidorum. Sed & sacculum cum numismatis auri pondere tenentem quasi milia duo: hæc enim dicebat Rex, sibi ab Episcopo fuisse furata. Qui respondit; *Recolere vos credo, discedente à Rothomagensi vrbe Brunichilde regina, quod venerim ad vos, dixique vobis, quia res eius, id est quinque sarcinas commendatas haberem: & frequentius aduenire pueros eius ad me, vt ea redderem, & nolui sine consilio vestro. tu autem dixisti mihi, ô rex; Eiice hæc à te, & reuertantur ad mulierem res suæ: ne inimicitia inter me & Childebertum nepotem meum pro his rebus debeat pullulare. Reuersus ergo ego ad vrbem, vnum volucrũ tradidi pueris: non enim valebant amplius ferre. Reuersi iterum requirebant alia: iterum consului magnificentiam vestram: tu autem præcepisti dicens, Eiice eiice hæc à te ô sacerdos, ne faciat scandalum hæc causa.* Iterum *tradidi eis duo ex his: duo autem alia remanserunt mecum. Tu autem, quid nunc calumniaris, & me furti arguis, cum hæc causa non ad furtum, sed ad custodiam debeat deputari?* Ad hæc Rex; *Si hoc depositum penes*

[illegible]

i. mensa humilis. vnde Banquet.

Prouerbium

i. iuscellum

inuolucra

te habebatur ad custodiendum, cur soluisti vnum ex his, & limbum aureis contextum filis, in partes dissecasti, & dedisti per viros qui me à regno deiicerent? Prætextatus episcopus respondit: *Iam dixi tibi superius, quia munera eorum acceperam, ideoque cum non haberem de præsenti quod darem, hinc præsumpsi, & eis vicissitudinem munerum tribui, proprium mihi esse videbatur quod filio meo Merouco erat, quem de lauacro regenerationis excepi.* Videns autem rex Chilpericus, quod eum his calumniis superare nequiret, adtonitus valde ac conscientia confusus, discessit à nobis: vocauitque quosdam de adulatoribus suis, & ait; *Victum me verbis Episcopi fateor, & vera esse quæ dicit scio: quid nunc faciam, vt Reginæ de eo voluntas adimpleatur?* Et ait, Ite, & accedentes ad eum dicite, quasi consilium ex vobismetipsis dantes: *Nosti quod sit rex Chilpericus pius atque compunctus, & cito flectatur ad misericordiam: humiliare sub eo, & dicito, ab eo obiecta à te perpetrata fuisse: tunc nos prostrati omnes coram pedibus eius, dari tibi veniam impetramus.* His seductus Prætextatus episcopus, pollicitus est se ita facturũ. Mane autem facto, conuenimus ad consuetum locum: adueniensque & rex, ait ad episcopum; *Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur sacramenta postulasti, vt fidem Merouco seruarent?* Respondit episcopus, *Petii fateor amicitias eorum haberi cum eo: & non solum hominem, sed si fas fuisset, Angelum de cœlo euocassem, qui esset adiutor eius: filius enim mihi erat (vt sæpe dixi) spiritalis ex lauacro.* Cumque hæc altercatio altius tolleretur, Prætextatus episcopus prostratus solo, ait; *Peccaui in cœlum & coram te, ô Rex misericordissime: ego sum homicida nefandus: ego te interficere volui, & filium tuum in solio tuo erigere.* Hæc eo dicente, prosternitur Rex coram pedibus sacerdotum, dicens: *Audite, ô piissimi sacerdotes, reum crimen exsecrabile confitentem.* Cumque nos flentes Regem eleuassemus à solo, iussit eum basilicam egredi. Ipse vero ad metatum discessit, transmittens librum

Canones Apostolici. Canonum, in quo erat quaternio nouus adnexus, habẽs canones quasi Apostolicos, continentes hæc: *Episcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehensus, à sacerdotio diuellatur.* His ita lectis, cum Prætextatus staret, stupens Berthcramnus episcopus ait; *Audi, ô frater & coepiscope, quia Regis gratiam non habes, ideoque nec nostra charitate vti poteris, priusquam regis indulgentiam merearis.* His ita gestis, petiit Rex, vt aut tunica eius scinderetur,

Psal. 108. aut centesimus octauus psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput eius recitaretur: aut certe iudicium cõtra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego restiti, iuxta promissum Regis, vt nihil extra canones gereretur. Tunc Prætextatus à nostris raptus oculis, in custodiam positus est. De qua fugere tentans, nocte grauissime cæsus, in insulam maris quod adiacet ciuitati

non Constantinop. sed Arelati. ita & inf. 8. c. 31. Constantinæ,† in exilium est detrusus. Post hæc sonuit, quod Meroueus iterum basilicam sancti Martini conaretur expetere. Chilpericus vero custodiri basilicam iubet, & omnes claudi aditus. Custodes autem vnum ostium per quod pauci clerici ad officium ingrederentur, relinquentes, reliqua ostia clausa tenebant. Quod non sine tædio populis fuit. Cum autem apud Parisios moraremur, signa in cœlo apparuerunt, id est viginti radii à parte Aquilonis, qui ab oriente surgentes, ad occidentem properabant. Ex quibus vnus prolixior & aliis supereminens, vt est in sublime elatus, mox defecit: & sic reliqui qui secuti fuerant, euanuerunt. Credo interitum Merouei pronunciasse. Meroueus vero dum in Remensi Campania latitaret, nec palam se Austrasiis

Tarouana: Morinum natus. crederet, à Tarabannensibus circumuentus est, dicentibus, *quod relicto patre eius Chilperico, ei se subiugarent, si ad eos accederet.* Qui velociter adsumptis secum viris fortissimis, ad eos venit. Hi præparatos detegentes dolos, in villam eum quandam concludunt, & circumseptum cum armatis, nuncios patri dirigunt. Quod ille audiens, illuc properare destinat. Sed hic cum in hospitiolo quodã retineretur, timens ne ad vindictam inimicorum multas lueret pœnas, vocato ad se Gaileno familiari suo, ait: *Vna nobis vsque nunc & anima & consilium fuit: rogo ne patiaris me manibus inimicorum tradi: sed accepto gladio irruas in me.* quod ille nec dubitans, cum cultro confodit. Adueniente autem Rege, mortuus est repertus. Extiterunt tunc qui adsererent verba Merouei, quæ superius diximus, à Regina fuisse conficta: Meroueum vero eius fuisse iussu clam interemptum. Gailenum vero adprehensum, abscissis manibus & pedibus, auribus, & narium summitatibus, & aliis multis cruciatibus adfectum, infeliciter necauerunt. Grindionem quoque intextum rotæ, in sublime sustulerunt: Gucilionem, qui quondam comes palatii Sygiberti regis fuerat, abscisso capite interfecerunt. Sed & alios multos qui

cum

cum eodem venerant, crudeli nece diuersis mortibus adfecerunt. Loquebantur etiam tunc homines, in hac circunuentione Egidium episcopum & Guntheramnum Bosonem fuisse maximum caput, eo quod Guntheramnus Fredegundis reginæ occultis amicitiis potiretur pro interfectione Theodoberti: Egidius vero, quod ei iam longo tempore esset charus.

De eleemosynis Tyberii

CAPVT XX.

CVm autem Iustinus Imperator amisso sensu amens effectus esset, & per solam Sophiam Augustam eius imperium regeretur, populi (vt in superiore libro iam diximus) Tyberium Cæsarem elegerunt, vtilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopumque optimum defensorem. Qui cum multa de thesauris quos Iustinus adgregauit, pauperibus erogaret, & Augusta illa cũ frequentius increparet, quod rempublicam redegisset in paupertatem: diceretque; *Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodige dispergis*, aiebat ille; *Non deerit fisco nostro: tãtum pauperes eleemosynam accipiant, aut captiui redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino; Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, vt Dominus nobis augere dignetur in seculo.* Et quia (vt diximus) magnus & verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis ac magis ei Dominus subministrat. nam deambulans per palatium, vidit in pauimẽto domus tabulam marmoream, in qua crux dominica erat scalpta, & ait; *Cruce tua Domine frontem nostram munimus & pectora, & ecce crucem sub pedibus conculcamus.* Et dicto citius, iussit eam auferri, defossaque tabula atque erecta, inueniunt subter & aliam hoc signum habentem. Nunciantesque iussit & illam auferre. Qua amota, reperiunt & tertiam: iussuque eius & hæc aufertur. Qua ablata, inueniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius vt consueuerat, subministrat: nec ei Dominus aliquid deficere permittebat pro bona voluntate sua. Quid ei in posterum Dominus transmiserit, nõ omittam. Narses ille dux Italiæ, cum in quadam ciuitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis thesauris egressus, ad supra memoratam vrbem aduenit: ibique in domo sua occulte cisternam magnam fodit, in qua multa milia cẽtenariorum auri argentique reposuit: ibique interfectis consciis, vni tantummodo seni per iuramentum condita commẽdauit. Defunctoq; Narsete, hæc sub terra latebãt. Cumq; supradictus senex, huius eleemosynas assidue cerneret, pergit ad eum dicẽs; *Si*, inquit, *mihi aliquid prodest, magnam rem tibi Cæsar edicam.* Cui ille, Dic, ait, quod volueris. Proderit enim tibi, si quiddam nobis profuturum esse narraueris. *Thesaurum*, inquit, *Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus celare non possum.* Tunc Cæsar Tyberius gauisus, mittit vsq; ad locum pueros suos. Præcedente vero sene, hi sequuntur attoniti. Peruenientesq; ad cisternam, deopertamq; ingrediuntur. in qua tantum aurum argentumq; reperiunt, vt per multos dies vix euacuaretur à deportantibus. Ex hoc ille amplius hilari erogatione dispensauit egenis.

Tyberius Imp.

† signum.

De Salonio & Sagittario episcopis

CAPVT XXI.

IGitur contra Salonium Sagittariumq; episcopos, tumultus exoritur. hi enim à sancto Nicetio Lugdunensi episcopo educati, diaconatus officium sunt sortiti: huiusq; tempore Salonius Ebredunensis vrbis, Sagittariusque Vapigensis ecclesiæ, sacerdotes statuuntur. Sed adsumpto episcopatu in proprium relati arbitrium, cœperunt in persuasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diuersisque in sceleribus, insano furore grassari: ita vt quodam tempore celebrante Victore Tricassinorum episcopo solennitatem natalitii sui; emissa cohorte, cum gladiis & sagittis inruerent super eum. Venientesque, sciderunt vestimenta eius, ministros ceciderunt, vasa & o-

mnem adparatum prandii auferentes, relinquentes episcopum in grandi contumelia. Quod cum rex Guntheramnus comperisset, congregari synodum apud vrbem Lugdunensem iussit. Coniunctiq; episcopi cum patriarcha Nicetio beato, discussis causis, inuenerunt eos de his sceleribus quibus accusabantur, valde conuictos: præceperuntque vt qui talia commiserant, episcopatus honore priuarentur. At illi cum adhuc propitium sibi Regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se iniuste remotos: *Ioh.Rom.P.P.* sibique tribui licentiam, vt ad Papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Ioanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille vero epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui iubet. Quod Rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, impleuit. Sed nulla (quod peius est) fuit emendatio subsecuta: tamen Victoris episcopi pacem petierunt, traditis hominibus quos in seditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti dominici, *non debere reddi inimicis mala pro bonis*, nihil his mali faciens, liberos abire permisit. Vnde in posterum à communione suspensus est, pro eo quod publice accusans, clam inimicis pepercisset absque consilio, quibus accusauerat, fratrum. Sed per fauorem Regis iterum in communionem reuocatus est. Hi vero in maioribus sceleribus quotidie miscebantur: & in *Sup.lib.4.c.37.* præliis illis (sicut iam supra meminimus) quæ Mummolus cum Longobardis gessit, tanquam vnus ex laicis, accincti arma, plurimos propriis manibus interfecerunt. In ciues vero suos nonnullos commoti felle, verberantes fustibus vsque ad effusionem sanguinis, sæuiebant. Vnde factum est, vt clamor populi ad Regem denuo procederet. Eosdemque rex arcessiri præcepit. Quibus aduenientibus, noluit suis obtutibus præsentari, scilicet vt prius habita audientia, si idonei inuenirentur, sic Regis præsentiam mererentur. Sed Sagittarius felle commotus, hanc rationem dure suscipiens, vt erat leuis ac vanus, & in sermonibus inrationabilibus profluus, declamare plurima de Rege cœpit, ac dicere; *Quod filii eius regnum capere non possent, eo quod mater eorum ex familia Magnacharii quondam adscita, Regis thorum adiisset*: ignorans quod prætermissis nunc *Liberi regii.* generibus fœminarum, Regis vocitantur liberi qui de Regibus fuerint procreati. His auditis, Rex commotus valde, tam equos quam pueros vel quæcunque habere potuerant, abstulit, ipsosque in monasteriis à se longiori accessu dimotis, in quibus pœnitentiam agerent, includi præcepit, non amplius quam singulos eis clericos relinquēs, iudices locorum terribiliter commonens, vt ipsos cum armatis custodire debeant, ne cui ad eos visitandos vllus pateat aditus. Superstites enim erant his diebus filii Regis, ex quibus senior ægrotare cœpit. Accedentes autem ad regem familiares eius, dixerunt: *Si propitius audire dignaretur Rex verba seruorum suorum, loquerentur in auribus tuis.* Qui ait, Loquimini quæ libet. dixeruntque; *Ne forte innocentes hi Episcopi exilio condemnati fuissent, & peccatum Regis augeatur in aliquo: & ideo filius domini nostri pereat.* Qui ait: *Ite quātocyus, & laxate eos, deprecantes vt orent pro paruulis nostris.* Quibus abeūtibus, dimissi sunt. Egressi igitur de monasteriis, coniuncti sunt pariter, & se osculantes, eo quod olim à se visi non fuerant, ad ciuitates suas regressi sunt: & intantum compuncti sunt, vt viderentur nunquam à psallentio cessare, celebrare ieiunia, eleemosynas exercere, librum Dauidici carminis explere per diem, noctesque in hymnis à lectionibus meditando deducere. Sed non diu hæc sanctitas inlibata permansit: conuersique sunt iterum retrorsum: & ita plerunque noctes epulando atque bibendo ducebant, vt clericis matutinas in ecclesia celebrantibus, hi pocula poscerent, & vina libarent. Nulla prorsus de Deo erat mentio, nullus omnino cursus memoriæ habebatur. Renidente aurora surgentes à cœna, mollibus se indumentis operientes, somno vinoque sepulti, vsque ad horam diei tertiam dormiebant. Sed nec mulieres deerant cum quibus polluerentur. Exurgentes igitur abluti balneis, ad conuiuium discumbebant: de quo vespere surgentes, cœnæ inhiabant vsque ad illud lucis tempus quod superius diximus.

Sic faciebant singulis diebus, donec ira Dei diruit super eos, quod in posterum memoraturi sumus.

De

De Vinnocho Brittone

CAPVT XXII.

TVnc Vinnochus Britto in summa abstinentia à Britanniis venit Turonos, Hierosolyma accedere cupiens, nullum aliud vestimentum nisi de pellibus ouium lana priuatis habens: quem nos quo facilius teneremus, quia nobis religiosus valde videbatur, presbyterii gratia honorauimus. Ingetrudis autem religiosa consuetudinem habebat, aquam de sepulcro sancti Martini colligere: qua aqua deficiente, rogat vas cum vino ad beati tumulum deportari. Transacta autem nocte, id exinde, hoc presbytero præsente, adsumi mandauit: & ad se delato, ait presbytero; *Aufer hinc vinum, & vnam tantum guttam de aqua benedicta, vnde parum superest, funde.* Quod cum fecisset, mirum dictu, vasculum quod semiplenum erat, ad vnius guttæ descensum impletum est. Idem bis est impletum: quod non ambigitur & in hoc beati Martini fuisse virturem.

De obitu Samsonis filii Chilperici

CAPVT XXIII.

HIs ita gestis, Samson filius Chilperici regis iunior, à dysenteria & febre comprehensus, è rebus humanis excessit. Hic vero cum Chilpericus rex Tornaci à fratre obsideretur, natus est: quem mater ob metum mortis, à se abiecit, & perdere voluit. Sed cum non potuisset obiurgata à Rege, eum baptizari præcepit. Qui baptizatus, & ab ipso Episcopo susceptus, lustro vno nec perfecto, defunctus est. nam & mater eius Fredegundis, in his diebus grauiter ægrotauit, sed conualuit.

De prodigiis ostensis

CAPVT XXIV.

POst hæc in nocte quæ erat tertio Idus Nouembris, apparuit nobis beati Martini vigilias celebrantibus magnum prodigium. nam in medio Lunæ stella fulgens visa est elucere: & super ac subter Lunam aliæ stellæ propinquæ apparuerunt. Sed & circulus ille qui pluuiam plerunque significat, circa eam apparuit. Sed quæ hæc figurauerint, ignoramus. nam & Lunam hoc anno sæpe in nigredinem versam vidimus, & ante natalem Domini grauia fuere tonitrua. Sed & splendores illi circa solem, sicut iam ante cladem Aruernam fuisse commemorauimus, quos rustici *Soles* vocant, adparuerunt: & mare vltra modum egressum adserunt, & multa alia signa apparuerunt. *Sup. lib. 4 c. 31. Pardia.*

Quod Guntchramnus Boso filias suas de Basilica S. Hilarii abstulit, & Chilpericus Pictauos inuasit

CAPVT XXV.

GVntheramnus Boso Turonos cum paucis armatis veniens, filias suas quas in Basilica sancta reliquerat, vi abstulit, & eas Pictauos ciuitatem, quia erat Childeberti regis, perduxit. Chilpericus quoque rex Pictauum peruasit, atque nepotis sui homines ab eius sunt hominibus effugati. Ennodium ex comitatu ad Regis præsentiam perduxerunt. Quo exilio damnato, facultates eius fisco subdiderunt. Sed post annum, & patriæ & facultatibus redditus est. Guntheramnus Boso relictis filiabus suis in Basilica beati Hilarii, ad Childebertum regem transiit.

De interitu Dacconis & Dracolini

CAPVT XXVI.

ANno quoque tertio Childeberti regis, qui erat Chilperici & Gunhtcramni ſeptimus decimus annus, cum Dacco Dagarici quondam filius, relicto rege Chilperico, huc illucque vagaretur, à Dracoleno duce qui dicebatur Induſtrius, fraudulenter adprehenſus eſt: quem vinctum ad Chilpericum regem, Brannacum deduxit, dato ei ſacramento, *quod vitam illius cum Rege obtineret.* Sed oblitus ſacramenti, egit cum principe, nefarias res aſſerens, vt moreretur. Ille quoque cum vinctus detineretur, & cerneret ſe penitus non euaſurum, à presbytero Rege neſciente pœnitentiam petiit. Qua accepta, interfectus eſt. Cum autem idem Draccolenus velociter reuerteretur in patriam, his diebus Guntheramnus Boſo filias ſuas à Pictauo auferre conabatur. Quod audiens Draccolenus, ſe ſuper eum obiecit. Sed illi ſicut erant parati reſiſtentes, ſe defenſare nitebantur. Guntheramnus vero miſit vnum de amicis ſuis ad eum dicens, Vade & dic ei, *Scis enim quod fœdus inter nos initum habemus: rogo vt te de meis remoueas inſidiis. Quantum vis, de rebus tollere non prohibeo: tantum mihi, etſi nudo, liceat cum filiabus meis accedere quo voluero.* At ille, vt erat vanus ac leuis: *Ecce,* inquit, *funiculum in quo alii culpabiles ligati, ad Regem me ducente directi ſunt: in quo & hic hodie ligandus, illuc deducitur vinctus.* Et hæc cum dixiſſet, calcaneorum ictibus vrgens equum, ad illum veloci curſu dirigit: & caſſo eum verberans ictu, haſtili diuiſo enſis ad terram ruit. Guntheramnus vero cum ſuper ſe mortem cerneret imminere, inuocato nomine Domini, & virtute magna beati Martini, eleuatoque conto, Draccolenum arctat in faucibus. Suſpenſumque de equo ſurſum, vnus de amicis ſuis eum lancea latere verberatum finiuit. Fugatiſque ſociis, ipſoque ſpoliato, Guntheramnus cum filiabus liber abſceſſit. Poſt hæc Seuerus ſocer eius à filiis apud Regem grauiter accuſatur. Hæc ille audiens, cum magnis muneribus ad Regem petit. Qui in via adprehenſus & ſpoliatus, atque in exilium deductus morte peſſima vitam finiuit. Sed & dum filii eius Burſolenus & Dodo ob crimen maieſtatis læſæ iudicio mortis ſuſcepto, ab exercitu vi oppreſſus eſt: alius in fuga adprehenſus, truncatis manibus & pedibus interiit: reſque omnes tam eorum quam patris, fiſco conlatæ ſunt. Erant enim eis magni theſauri.

Quod exercitus in Britannias abiit

CAPVT XXVII.

DEhinc Turonici, Pictaui, Baiocaſſini, Cœnomannici, Andegaui, cum aliis multis in Britanniam ex iuſſu Chilperici regis abierunt: & contra Varochum filium quondam Macliaui ad Vicinoniam fluuium reſident. Sed ille doloſe per noctem ſuper Saxones, † Baiocaſſinos ruens, maximam exinde partem interfecit. Poſt die autem tertia, cum ducibus regis Chilperici pacem faciens, & filium ſuum in obſidatum donans, ſacramento ſe conſtrinxit, *quod fidelis regi Chilperico eſſe deberet.* Venetos quoque ciuitatem refudit, ſub ea conditione, vt ſe mereretur eam per iuſſionem Regis regere tributa vel omnia quæ exinde debebantur, annis ſingulis nullo admonente diſſolueret. Quod cum factum fuiſſet, exercitus ab eo loco remotus eſt. Poſt hæc Chilpericus rex de pauperibus & iunioribus eccleſiæ vel Baſilicæ bannos iuſſit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulaſſent. non enim erat conſuetudo, vt hi vllam exſoluerent publicam functionem. Poſt hæc Varochus obliuiſcens promiſſionis ſuæ, volens inrumpere quod fecerat, Eunium epiſcopum Veneticæ vrbis, ad Chilpericum regem dirigit. At ille ira commotus, obiurgatum eum exilio damnari præcepit.

Gall. Seiſnes. (margin note beside "per Saxones")

Heribanni. (margin note beside "rex de pauperibus")

De

De eiectione Salonii & Sagittarii

CAPVT XXVIII.

ANno quoq; quarto Childeberti, qui fuit decimus octauus Gunthcramni & Chilperici regum, apud Cauillonum ciuitatem synodus acta est, ex iussu principis Gunthcramni: discussisque diuersis causis contra Salonium & Sagittarium episcopos, iteratur illa antiqua calamitas: obiiciuntur eis crimina: & non solum de adulteriis, verumetiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum, *quod essent rei maiestatis, & patriæ proditores.* Qua de causa ab episcopatu discincti, in Basilicam B. Marcelli sub custodia detruduntur. Ex qua per fugam lapsi, discesserunt per diuersa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alii subrogati sunt.

De descriptionibus Chilperici

CAPVT XXIX.

CHilpericus vero rex, descriptiones nouas & graues in omni regno suo fieri iussit. Qua de causa multi relinquẽtes ciuitates illas, vel possessiones proprias, alia regna petierunt, satius ducentes alibi peregrinari, quam tali periculo subiacere. statutum n. fuerat, *Vt possessor de propria terra, vnam amphoram vini per aripenne† redderet.* Sed & aliæ functiones infligebantur multę, tam de reliquis terris, quã de mancipiis: quod impleri non poterat. Lemouicinus quoq; populus cum se cerneret tali fasce grauari, cõgregatus in Calendis Martiis, Marcum referendariũ, qui hæc agere iussus fuerat, interficere voluit: & fecisset vtique, nisi eũ episcopus Ferreolus ab imminenti discrimine liberasset. Arreptis quoq; libris descriptionum, incendio multitudo coniuncta cremauit: vnde multum molestus Rex, dirigens de latere suo personas, immensis damnis populum adflixit, suppliciisque conterruit, morte mulctauit. Ferunt etiam tunc Abbates atque presbyteros, ad stipites extensos diuersis subiacuisse tormentis. Calumniantibus regalibus missis, quod in seditione populi ad incendendos libros satellites† adfuissent, acerbiora quoque deinceps infligentes tributa.

† Gall. arpent de terre.

† i adiutores. ita inf. 7. c. 34.

De vastatione Britannorum

CAPVT XXX.

BRitanni quoque grauiter regionem Redonicam vastauerunt, incendio, præda, captiuitate: qui vsq; Cornutium vicũ debellando progressi sunt. Ennius vero episcopus de exilio reductus, Andegauo ad pascẽdum delegatur, nec ad ciuitatem suam Veneticam redire permittitur. Byppolenus vero dux contra Britannos dirigitur, & loca aliqua Britanniæ ferro incendioque obprimit: quæ res maiorem insaniam excitauit.

De Imperio Tyberii

CAPVT XXXI.

DVm hæc gererentur in Galliis, Iustinus impleto imperii octauo decimo anno, amentiã quã incurrerat, cum vita finiuit. Quo sepulto Tyberius Cæsar arripuit iã olim adgressum imperiũ. Sed cum eum secundum consuetudinẽ loci ad spectaculum circi præstolaretur populus processurum, parare ei cogitans pro parte Iustiniani insidias, qui tunc nepos Iustini habebatur, ille per loca sancta processit. Completaq; oratione, vocato ad se Vrbis Papa, cum Consulibus ac Præfectis, palatium est ingressus. dehinc indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impositus, cum immensis laudibus imperium confirmauit. Factionarii quoque operientes ad circum, cum cognouissent quę acta fuerant, pudore confusi sine effectu egressi sunt, nihil homini qui in Deo spem posuerat, aduersari valentes. Transactis igitur paucis diebus, ad-

ueniens Iuſtinianus, pedibus ſe proiecit Imperatoris, quindecim ei centenaria auri deferens ob meritum gratiæ. Quem ille ſecundum patientiæ ſuæ ritum colligens, in palatium iuſſit adſiſtere. Sophia vero Auguſta, immemor promiſſionis, quam quondam in Tyberium habuerat, inſidias ei tentauit intêdere. Procedente autem eo ad villam, vt iuxta ritum imperialem, xxx. diebus ad vindemiam iocũdaretur, vocato clam Iuſtiniano, Sophia voluit eum erigere in imperium. Quo comperto, Tyberius curſu veloci ad Conſtantinopolitanam ciuitatem regreditur. Adprehẽſamq; Auguſtam, ab omnibus theſauris ſpoliauit, ſolum ei victus quotidiani alimentum relinquẽs. Segregatiſq; pueris eius ab ea, alios poſuit de fidelibus ſuis, mandans prorſus vt nullus de anterioribus ad eam haberet acceſſum. Iuſtinianum vero obiurgatum tãto in poſterum amore dilexit, vt filio eius filiam ſuam promitteret: rurſumq; filio ſuo filiam eius expeteret: ſed non eſt res ſortita effectum. Exercitus eius Perſas debellauit, victorq; regreſſus, tantam molem prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ poſſe ſufficere. Viginti elephanti capti ad Imperatorem deducti ſunt.

De inſidiis Britannorum

CAPVT XXXII.

BRritanni eo anno valde infeſti circa vrbem fuere Namneticam atq; Redonicam, qui immenſam auferentes prædam, agros peruadunt, vineas à fructibus vacuant, & captiuos abducunt. Ad quos cum Felix epiſcopus legationem miſiſſet, emendare promittentes, nihil de promiſſis implere voluerunt.

De Baſilica ſancti Dionyſii iniuriata per mulierem

CAPVT XXXIII.

APud Pariſios aũt mulier quædam ruit in crimen, adſerentibus multis, quaſi quod relicto viro cum alio miſceretur. Igitur parẽtes illius acceſſerunt ad patrem dicẽtes; *Aut idoneam redde* † *filiam tuam, aut certe moriatur, ne ſtuprum hoc generi noſtro notam infligat.* Noui, inquit pater, ego filiam meã bene idoneam, nec eſt verũ verbum hoc, q̃ mali homines proloquuntur. Tamen ne crimen conſurgat vlterius, innocentem eam faciã ſacramento. Et illi; *Si*, inquiunt, *eſt innoxia, ſuper tumulum hoc B. Dionyſii martyris ſacramentis adſirma.* Faciam, inquit pater. Tunc inito placito ad Baſilicam Martyris ſancti cõueniunt, eleuatiſq; pater manibus ſuper altarium, iurauit, *filiam nõ eſſe culpabilem.* Econtrario vero periuraſſe eum alii à parte viri pronunciant. His ergo altercãtibus euaginatis gladiis in ſe inuicem proruunt, atq; ante ipſum altarium ſe trucidant: erant autem maiores natu & primi apud Chilpericum regem. Sauciantur multi gladiis, reſpergitur ſancta humano cruore Baſilica, oſtia iaculis fodiuntur & enſibus, atq; vſque ad ipſum ſepulcrum tela iniqua deſæuiunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec iſta omnia ad Regis notitiam peruenirent. Hi vero properantes ad præſentiã principis, non recipiũtur in gratiam: ſed ad Epiſcopum loci illius remitti eos iuſſum eſt: vt ſi de hoc facinore culpabiles non inuenirentur, ſociarentur communioni. Tunc ab epiſcopo Regnamodo qui Pariſiacæ eccleſiæ præerat, componentes quæ male geſſerant, in communionem eccleſiaſticam ſunt recepti. Mulier vero non poſt multis diebus cum ad iudicium vocaretur, laqueo vitam finiuit.

† Gall. exoniet

De prodigiis

CAPVT XXXIV.

ANno quinto Childeberti regis, Aruernorum regionem diluuia magna preſſerũt, ita vt per dies duodecim nõ ceſſaret à pluuia: tantaq; inũdatione Limane † eſt infuſum, vt multos ne ſementem iacerẽt prohiberet. Flumina quoq; Liger Flauariſque, quem

† ita dicitur & ſup. lib. 3. c. 9.

quem Elacrem vocitant, vel reliqui torrentes decurrentes in eum, ita intumuerunt, vt terminos quos nunquam excesserant, præterirent. Quæ grande de pecoribus excidium, de culturis detrimentum, de ædificiis fecere naufragium. Pari modo Rodanus cum Arari coniunctus, ripas excedens, graue damnum populis intulit, muros Lugdunensis ciuitatis aliqua ex parte subuertit. Quiescentibus vero pluuiis, arbores denuo floruerunt. erat enim mensis September. In Turonico vero eo anno mane priusquam dies inlucesceret, fulgor per cœlum cucurrisse visus est, & ad orientis plagam cecidisse. Sed & sonitus tanquam diruentis arboris, per totam terram illam auditus est: quod ideo non est de arbore æstimandum, quia in quinquaginta aut amplius miliariis est auditum. Ipso anno grauiter vrbs Burdegalensis a terræmotu concussa est, mœniaque ciuitatis in discrimine euersionis extiterunt: atque ita omnis populus metu mortis exterritus est, vt si non fugeret, putaret se cum vrbe dehiscere. Vnde & multi ad ciuitates alias transierunt. Qui tremor ad vicinas ciuitates porrectus est, & vsque Hispaniam attigit, sed non tam valide. Tamen Pyrenæis montibus inmensi lapides sunt commoti, qui pecora hominesque prostrauerunt. Nam & vicos Burdegalenses incendium diuinitus ortum exussit, ita vt subito comprehensæ igni tam domus quam areæ cum annonis, incendio cremarentur: nullum penitus incitamentum habens ignis alieni, nisi forsitan iussione diuina. nam & Aurelianensis ciuitas, graui incendio conflagrauit, intantum vt ditioribus nihil penitus remaneret: & si aliquis ab igne quicquam eripuit, ab insistentibus furibus est direptum. Apud terminum Carnotenum, verus de fracto pane sanguis effluxit. Grauiter tunc & Biturica ciuitas à grandine verberata est.

De dysenteriæ morbo & filiis Chilperici mortuis

CAPVT XXXV.

SEd hæc prodigia grauissima lues est subsecuta. nam discordantibus Regibus, & iterum bellum ciuile parantibus, dysentericus morbus pene Gallias totas præoccupauit. Erat enim his qui patiebantur, valida cum vomitu febris, renumque nimius dolor, caput graue vel ceruix. Ea vero quæ ex ore proiiciebantur, colore croceo, aut certe viridia erant: à multis autem adserebatur venenum occultum esse. Rusticiores vero, *corales* hoc *pusulas*, nominabant. quod non est incredibile, quia missæ in scapulis siue cruribus ventosæ, procedentibus erumpentibusque vesicis, decursa sanie multi liberabantur: sed & herbæ quæ venenis medentur, potui sumptæ, plerisq; præsidia contulerunt. Et quidem primum hæc infirmitas à mense Augusto initiata, paruulos adolescentes arripuit, letoque subegit. Perdidimus dulces & charos nobis infantulos, quos aut gremiis fouimus, aut vlnis baiulauimus, aut propria manu ministratis cibis ipsos studio sagaciore nutriuimus: sed absterſis lachrimis cum beato Iob diximus: *Dominus dedit, Dominus abstulit: quomodo Domino placuit, ita factum est. sit nomen eius benedictum in secula.* Igitur in his diebus Chilpericus rex grauiter ægrotauit: quo conualescente filius eius iunior, necdum ex aqua & Spiritu sancto renatus, ægrotare cœpit. quem in extremis videntes, baptismo abluerunt. Quo parumper melius agente, frater eius senior nomine Chlodobertus, ab hoc morbo corripitur. ipsumq; in discrimine mortis Fredegundis mater cernens, sero pœnitens ait ad Regem: *Diu nos male agentes pietas diuina sustentat. nam sæpe nos febribus & aliis malis corripuit, & emendatio non successit. Ecce iam perdimus filios: ecce iam eos lachrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt. nec spes remanet cui aliquid congregemus: thesaurizamus, nescientes cui congregemus ea. ecce thesauri remanent a possessore vacui, rapinis ac maledictionib. pleni. Nunquid non exundabant promptuaria vino? nunquid non horrea replebantur frumento? nunquid non erant thesauri referti auro, argento, lapidibus pretiosis, monilibus, vel reliquis imperialibus ornamentis? ecce quod pulchrius habebamus, perdimus. Nunc si placet venite, incendamus omnes descriptiones iniquas: sufficiatq; fisco nostro, quod sufficit patri regique Chlothario.* Hæc effata Regina, pugnis verberans pectus, iussit libros exhiberi qui de ciuitatibus suis per Marcum venerant: proiectisq; in ignem, iterum ad Regem conuersa, *Quid tu*, inquit, *moraris? Fac quod vides a me fieri, vt*

Pusulæ corales, i. cordiales.

& si dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc Rex compunctus corde tradidit omnes libros descriptionum igni, cõflagratisq; illis misit qui futuras prohiberent descriptiones. Post hæc infantulus iunior dũ nimio labore tabescit, extinguitur. quem cum maximo mœrore deducentes à villa Brennaco Parisios, ad Basilicam S. Dionysii sepelire mandauerunt. Chlodobertum vero componẽtes in feretro, Suessionas ad Basilicam S. Medardi duxerunt, proiicientesq; eum ad sanctum sepulcrum, vouerunt vota pro eo, sed media nocte anhelus iam & tenuis spiritum exhalauit: quem in Basilica sanctorum Crispini atq; Crispiniani martyrum sepelierunt. magnus vsq; hoc planctus omni populo fuit. nam viri lugentes, mulieresq; lugubribus vestimentis indutæ, vt solet in coniugum exequiis fieri, ita hoc funus sunt prosecutæ. Multa postea Chilpericus rex, ecclesiis siue Basilicis vel pauperibus est largitus.

De Austregilde regina

CAPVT XXXVI.

HIs diebus Austrigildis Guntchramni principis regina, ab hoc morbo cõsumpta est: sed priusquam nequam spiritum exhalaret, cernens quod euadere nõ posset, alta trahens suspiria, voluit leti sui habere participes, agens vt in exequiis eius aliorum funera plangerentur. Fertur enim Herodiano more Regem petiisse dicens: *Adhuc spes viuendi fuerat, si non inter iniquorum medicorum manus interissem. nam potiones ab illis acceptæ, mihi vi abstulerunt vitam, & fecerunt me hanc lucem velociter perdere: & ideo ne inulta mors mea prætereat, quæso & cum sacramenti interpositione coniuro, vt cum ab hac luce discessero, statim ipsi gladio trucidentur: vt sicut ego amplius viuere non queo, ita nec illi post meum obitum glorientur, sed sit vnus dolor nostris pariter ac eorum amicis.* Hæc effata, infelicem animam tradidit. Rex vero peracto ex more iustitio, obpressus iniquæ coniugis iuramento, impleuit præceptum iniquitatis. nam duos medicos qui ei studium adhibuerant, gladio feriri præcepit: quod non sine peccato factum fuisse, multorum censet prudentia.

De Heraclio episcopo & Nantino comite

CAPVT XXXVII.

HAc itaque ægritudine & Nantinus Engolismensis comes exinanitus interiit, sed quæ contra sacerdotes vel ecclesias Dei egerit, altius repetenda sunt. Deniq; Maracharius auunculus eius, diu in ipsa vrbe vsus est comitatu. quo officio expleto, ecclesiæ sociatur, clericusq; factus ordinatur Episcopus. Qui multum vigilanter vel ecclesias, vel ecclesiæ domos, & erigens, & componens, septimo sacerdotii anno iniecto ab inimicis in caput piscis veneno, simpliciter accipiens crudeliter enecatur. Sed non diu inultam eius mortem pertulit diuina clementia. nam Frontonius, cuius consilio hoc scelus est perpetratum, adsumpto confestim episcopatu, vno in eo degens anno, præcurrente iudicio Dei interiit. Cuius post obitum Heraclius Burdegalensis presbyter, qui quondam legatus Childeberti senioris fuerat, Episcopus ordinatur. Nantinus vero ob requirendam auunculi sui mortem, comitatum in ipsa vrbe expetiit. Quo accepto, multas Episcopo iniurias irrogauit. aiebat enim; *Homicidas illos qui auunculum meum interfecerunt, tecum retines: sed & presbyteros huic noxæ admixtos, ad conuiuium recipis.* Deinde inimicitia increscente paulatim cœpit villas ecclesiæ, quas Maracharius testamento scripto reliquerat, violenter inuadere, adserens *non debere Ecclesiam eius facultatem adipisci, à cuius clericis testator fuerat interfectus.* Post ista vero iam aliquibus ex laicis interfectis, addidit vt adprehensũ presbyterũ adligaret, ac cõto perfoderet. Cui adhuc viuenti retortis post tergũ manibus, adpenso ad stipitẽ elicere quærebant, si in hac causa fuisset admixtus. Quod cum ille negaret, profluente cruore de vulnere, reddidit spiritum. Qua de causa cõmotus Episcopus, iussit eum ab ecclesiæ foribus prohiberi. Conuenientibus autem apud ciuitatem Santonas sacerdotibus, deprecabatur Nantinus, vt pacem Episcopi mereretur, promittens se omnes Ecclesiæ res quas sine ratione abstule-

abſtulerat, redditurum, atque humilem exhibere ſe ſacerdoti. At ille fratrum iuſſioni obaudire procurans, cuncta quę petebantur indulſit: cauſam tamen presbyteri omnipotenti Deo commendans, comitem in charitate recepit. Qui poſt iſta regreſſus vrbem, domos illas quas male peruaſerat, ſpoliat, elidit, ac deiicit dicens; *Et ſi hoc ab Eccleſia recipitur, vel deſertum inueniatur.* Qua de cauſa iterum motus Epiſcopus, eum à communione ſuſpendit. Quæ dum aguntur, impleto beatus pontifex vitæ curſu, migrauit ad Dominum. Nantinus quoq; ab aliquibus Epiſcopis, intercedentibus præmiis atq; adulationibus, communicatur. Poſt paucos vero menſes à ſupradicto morbo corripitur. qui nimia exuſtus febre, clamauit dicens: *Heu heu, ab Heraclio antiſtite exuror, ab illo crucior, ab illo ad iudicium vocor. cognoſco facinus, reminiſcor me iniuſte iniurias intuliſſe pontifici: mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento.* Hæc cum maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens veſtigia, hoc ei ad vltionem beati antiſtitis eueniſſe. nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, vt putares eum prunis ſuperpoſitum fuiſſe combuſtum. Ergo omnes hæc obſtupeſcāt, admirentur, & metuant, ne inferant iniurias ſacerdotibus, quia vltor eſt Dominus ſeruorum ſuorum ſperantium in ſe.

De Martino Gallicienſi epiſcopo

CAPVT XXXVIII.

HOc tempore & beatus Martinus Gallicienſis epiſcopus obiit, magnum populo illi faciente planctū. nam hic Pannoniæ ortus fuit, & exinde ad viſitanda loca ſancta in orientem properans, intantum ſe literis imbuit, vt nulli ſecundus ſuis temporib. haberetur. Exinde Galliciam venit, vbi cum beati Martini reliquiæ portarentur, Epiſcopus ordinatur: in quo ſacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutibus migrauit ad Dominum. Verſiculos qui ſuper oſtium ſunt à parte meridiana in Baſilica ſancti Martini, ipſe compoſuit.

De perſecutione Chriſtianorum in Hiſpaniis

CAPVT XXXIX.

MAgna eo anno in Hiſpaniis Chriſtianis perſecutio fuit: multique exiliis dati, facultatibus priuati, fame decocti, carcere mancipati, verberibus adfecti, ac diuerſis ſuppliciis trucidati ſunt. Caput quoque huius ſceleris Goiſuintha fuit, quā poſt Athanachildi regis connubium, rex Leuuichildus acceperat. ſed quæ Dei ſeruis notam humilitatis inflixerat, proſequente vltione diuina, ipſa quoq; eſt omnibus populis facta notabilis. nam vnum oculū nubes alba contegens, lumē quod mens non habebat, pepulit à palpebris. Erant autem Leuuichildo regi ex alia vxore duo filii, quorum ſenior Sygiberti, iunior Chilperici regis filiam deſponſauerat. Sed Ingundis Sygiberti regis filia cum magno apparatu in Hiſpanias directa, ab auia Goiſuintha cum gaudio magno ſuſcipitur: quam nec paſſa eſt in religione Catholica diu commorari, ſed vt rebaptizaretur in Arriana hæreſi, blandis cœpit ſermonibus inlicere: ſed illa viriliter reluctans, cœpit dicere: *Sufficit ſatis me ab originali peccato baptiſmo ſalutari ſemel ablutam fuiſſe, & ſanctam Trinitatem in vna æqualitate eſſe confeſſam: hæc me credere ex toto corde confiteor, nec vnquam ab hac fide ibo retrorſum.* Hæc illa audiens, iracundiæ furore ſuccenſa, adprehenſam per comam capitis puellam in terram conlidit, & diu calcibus verberatam, ac ſanguine cruentatam, iuſſit ſpoliari & piſcinæ immergi: ſed (vt adſerunt multi) nunquam animum ſuum a fide noſtra reflexit. Leuuichildus autem dedit eis vnam de ciuitatibus, in qua reſidentes regnarent. Ad quam cum abiiſſent, cœpit Ingundis prædicare viro ſuo, vt relicta hæreſis fallacia, catholicæ legis veritatem agnoſceret. Quod ille diu refutans, tandem commotus ad eius prædicationem conuerſus eſt ad legem Catholicam: ac dum chriſmaretur, Ioannes eſt vocitatus. Quod cum Leuui-

childus audisset, cœpit causas quærere, qualiter eum perderet. Ille vero hæc intelligens, ad partem se Imperatoris iungit, ligans cum præfecto eius amicitias, qui tunc Hispaniam impugnabat. Leuuichildus autem direxit ad eum nuncios, dicens; *Veni ad me, quia extant causæ quas conferamus simul*. Et ille, *Non ibo, quia infensus es mihi, pro eo quod sim Catholicus*. At ille datis præfecto Imperatoris triginta milibus solidorum, vt se ab eius solatio reuocaret, commoto exercitu contra eum venit. Herminichildus vero vocatis Græcis, contra patrem egreditur, relicta in vrbe coniuge sua. Cumque Leuuichildus ex aduerso veniret, relictus à solatio, cum videret nihil se præualere posse, Ecclesiam quæ erat propinqua, expetiit dicens; *Non veniat super me pater meus: nefas est enim aut patrem à filio, aut filium à patre interfici*. Hæc audiens Leuuichildus, misit ad eum fratrem eius qui dato sacramento, ne humiliaretur, ait; *Tu ipse accede, & prosternere pedibus patris nostri, & omnia indulget tibi*. At ille poposcit vocari patrem suum. Quo ingrediente, prostrauit se ad pedes illius: ille vero adprehensum osculatus est eum, & blandis sermonibus delinitum duxit ad castra: oblitusque sacramenti, innuit suis, & adprehensum spoliauit eum indumentis suis induitque illum veste vili. regressusque ad vrbem Toletum, ablatis pueris eius, misit eum in exilium cum vno tantum puerulo.

Aliter P. Diac. 3. Longobard c.21. Gregor. M. Dialog 3. c. 31.

De interitu Chlodouei

CAPVT XL.

IGitur post mortem filiorum Chilperici, Rex Mense Octobri in Cotia silua plenus luctu cum coniuge residebat. Tunc Chlodoueum filium suum, Brennacum, faciente regina transmisit, vt scilicet & ipse ab hoc interitu deperiret: Grauiter ibi his diebus morbus ille qui fratres interfecerat, sæuiebat, sed nihil ibidem incommodi pertulit: ipse enim Rex Calam Parisiacæ ciuitatis villam aduenit. Post paucos vero dies Chlodoueum ad se venire præcepit. Cui qualis interitus fuerit, dicere non pigebit. Igitur cum in supradicta villa apud patrem habitaret, cœpit immature iactare vel dicere, *Ecce mortuis fratribus meis ad me restituit omne regnum: vniuersæ Galliæ subiicientur, imperiumque vniuersum mihi fata largita sunt. Ecce inimicis in manu positis, inferam quæcunque placuerit.* Sed & de nouerca sua Fredegunde regina non condecibilia detrectabat. Quæ illa audiens, pauore nimio terrebatur. Post dies vero aliquot, adueniens quidam Reginæ, *vt orbata filiis sedeas, dolus id Chlodouei est operatus. nam ipse concupiscens vnius ancillarum tuarum filiam, maleficiis tuos per matrem eius filios interfecit: ideoque moneo ne speres de te melius, cum tibi spes per quam regnare debueras sit ablata.* Tunc Regina timore perterrita, & furore succensa, noua orbitate compuncta, adprehēsa puella in quam oculos iniecerat Chlodoueus, & grauiter verberata, incidi comam capitis eius iussit: ac scissa, sudi impositam defigi ante metatum præcepit Chlodouei. matre quoque puellæ religata, & tormentis diu cruciata, elicuit ab ea professionem quæ hos sermones veros esse firmaret. Regi exinde hæc & alia huiuscemodi insinuans, vindictam de Chlodoueo poposcit. Tunc Rex in venationem directus, eum præcepit arcessiri secretius. Quo adueniente, ex iussu Regis adprehensus in manicis a Desiderio atque Bobone ducibus, nudatur armis & vestibus, ac vili indumento contectus, Reginæ vinctus adducitur. At illa in custodia eum retineri præcepit, elicere ab eo cupiens, si hæc ita vt audierat se haberent, vel cuius consilio vsus fuerit, aut cuius hæc instinctu fecisset, vel cum quib. maxime amicitias conligasset. At ille reliqua denegans, amicitias multorum detexit. Denique post triduum, Regina vinctum iussit eum transire Matronam fluuium, & in villa cui Noceto nomen est, custodiri. In qua custodia cultro percussus, interiit: ipsoque in loco sepultus est. Interea aduenerunt nuncii ad Regem qui dicerent, quod ipse se ictu proprio perfodisset: & adhuc ipsum cultrū de quo se perculit, in loco stare vulneris adfirmabant. Quibus verbis rex Chilpericus inlusus, nec fleuit, quem ipse (vt ita dicam) morti tradiderat, instigante Regina. Seruientes quoq; illius per diuersa dispersi sunt. Mater autē eius crudeli morte necata: soror illius in monasterium reclusa, a pueris Reginæ transmittitur: in quo nunc veste mutata consistit: opesque eorum omnes

Regi-

Reginæ delatæ ſunt. Mulier quæ ſuper Chlodoueum locuta fuerat, diiudicatur incendio concremari. Quæ cum duceretur, reclamare cœpit miſera, *ſe mendacia protuliſſe*: ſed nihil proficientibus verbis, ligata ad ſtipitem, viuens exuritur flammis. Theſaurarius Chlodouei a Cuppane ſtabuli comite de Biturico retractus, vinctus Reginæ tranſmiſſus eſt, diuerſis cruciatibus exponendus: ſed eum Regina & a ſuppliciis, & vinculis iuſſit abſolui, liberumq; nobis obtinentibus abire permiſit.

De Eulaſio & Eunio Epiſcopis

CAP. XLI.

POſt hæc Elaſius Catalaunenſis Epiſcopus propter cauſas Brunichildis Reginæ in Hiſpanias in legationem directus, correptus a febre nimia, ſpiritum exhalauit: & exinde delatus mortuus, ad ciuitatem ſuam ſepultus eſt. Eonius quoq; Epiſcopus, quē legatum Britannorum ſupra meminimus, ad ciuitatem ſuam regredi non permiſſus, vt Andegauis paſceretur de publico, à Rege præceptum eſt. Qui Pariſios adueniens, dum die Dominica ſacroſancta ſolennia celebraret, emiſſa cum hinnitu voce terræ conruit. Erumpente vero ab ore eius & naribus ſanguine, inter manus deportatus eſt: ſed conualuit: nimium enim vino deditus erat, & plerumque ita deformiter inebriabatur, vt greſſum facere non valeret.

De legatis Gallicienſibus ac prodigiis

CAP. XLII.

MIrus Rex Gallicienſis legatos ad Guntheramnum regem direxit. Cumque per Pictauum terminum præterirent, quem tunc Chilpericus Rex tenebat, nunciata ſunt ei. At ille ſub cuſtodia ſibi eos exhiberi præcipit, & Pariſiis cuſtodiri. Eo tempore apud Pictauenſem ciuitatem lupus ex ſiluis veniens, per portam ingreſſus eſt: clauſiſq; portis intra muros ipſius vrbis oppreſſus, occiſus eſt. Adſerebant enim quidam & cœlum ardēs ſe vidiſſe. Liger fluuius maior ab anno ſuperiore fuit, poſtquam ei Caris torrens ſe adiunxit. Ventus Auſter nimium violēter cucurrit, ita vt ſiluas proſterneret, domos erueret, ſepes efferret, ipſosq; homines ad internecionem vſq; volutaret. Erat enim ſpatium eius in latitudinem quaſi iugera ſeptem. Longitudo autem non potuit æſtimari. nam & galli plauſum cantus in initio noctis ſæpe dederunt. Luna contenebricata eſt, & Cometes ſtella apparuit. Grauis autem lues in populo ſubſecuta eſt. Legati autem Sueuorum † poſt annum dimiſſi, ad propria redierunt. *Gallicienſes de quibus paulo ante.*

De Maurilione Cadurcorum Epiſcopo

CAP. XLIII.

MAurilio Cadurcenſis vrbis Epiſcopus grauiter ægrotabat ab humore podagrico, ſed ſuper hos dolores quos ipſe humor commouit, magnos ſibi cruciatus addebat. nam ſæpe candens ferrum tibiis ac pedibus defigebat, quo facilius cruciatum ſibi amplius adderet. Sed cum epiſcopatum eius multi expeterent, ipſe Vrſicinum qui quondam referendarius Vltrogotho reginæ fuerat, elegit. Quem dum adhuc viueret, benedici deprecans, migrauit a ſeculo: fuit autem valde eleemoſynarius, in ſcripturis eccleſiaſticis valde inſtructus, ita vt ſeriem diuerſarum generationum, quæ in libris veteris Teſtamenti deſcribitur, quod à multis difficile retinetur, hîc plerunq; memoria recenſeret. Fuit etiam & in iudiciis iuſtus, ac defendens pauperes eccleſiæ ſuæ de manu malorum iudicum, iuxta illud Iob: *Conſeruaui egenum de manu potentis, & inopi cui non erat adiutor, auxiliatus ſum: os viduæ benedixit me, cum eſſem oculus cæcorum, pes claudorum & inualidorum pater.*

De altercatione cum hæretico

CAP. XLIV.

Arrianorum vox.

LEuuieldus vero Rex Agilanem legatum ad Chilpericum mittit, virum nullius ingenii aut diſpoſitionis ratione peritum, ſed tãtum voluntate in catholica lege peruerſum: quem cum via Turonos detuliſſet, laceſſire nos de fide, & impugnare eccleſiaſtica dogmata cœpit. *Iniqua enim*, inquit, *fuit Antiquorum epiſcoporum lata ſententia, quæ æqualem adſeruit filium patri. nã qualiter*, inquit, *poterit eſſe patri æqualis in poteſtate qui ait, Pater maior me eſt? Non eſt ergo æquũ, vt ei ſimilis æſtimetur quo ſe minorem dicit, cui triſtitiam mortis ingemit, cui poſtremo moriens, ſpiritũ quaſi nulla præditus poteſtate commendat. Vnde patet eum & ætate & poteſtate paterna minorẽ.* Ad hæc ego interrogo, ſi crederet Ieſum Chriſtum filiũ Dei eſſe, ſi eundemq; eſſe Dei ſapientiam, ſi lumen, ſi veritatem, ſi vitã, ſi iuſtitiã faterentur? Qui ait, *Credo hæc omnia eſſe filium Dei.* Et ego, Dic ergo mihi, quando pater ſine ſapientia? quãdo ſine lumine? quando ſine vita? quando ſine veritate? quando ſine iuſtitia fuerit? ſicut enim pater ſine iſtis eſſe nõ potuit, ita & ſine filio eſſe nõ potuit, quæ maxime & domin ci nominis myſterium coaptantur: ſed nec pater eſſet vtiq;, ſi filium non haberet. Quod autem eum dixiſſe ais; *Pater maior me eſt*, ſcias eum hoc ex adſumptæ carnis humilitate dixiſſe, vt cognoſcas non poteſtate, ſed humilitate te fuiſſe redemptum. nam tu qui dicis; *Pater maior me eſt*, oportet te meminiſſe quod alibi ait: *Ego & pater vnum ſumus.* nãm & mortis timor & commendatio ſpiritus ad infirmitatem corporis eſt referenda, vt ſicut verus Deus, ita & verus homo credatur. Et ille: *Cuius quis implet voluntatem, eo & minor eſt. ſemper filius minor eſt patre, quia ille facit voluntatem patris, nec pater illius voluntatem facere comprobatur.* Ad hæc ego, intellige quia pater in filio, & filius in patre, in vna ſemper deitate ſubſiſtit. nã vt cognoſcas patrem filii facere voluntatem, ſi in te fides Euangelica manet, audi quid ipſe Ieſus Deus noſter cum ad reſuſcitandum venit Lazarum ait; *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me: & ego ſciebam quia ſemper me audis: ſed propter turbam quæ circumſtat, dixi, vt credant quia tu me miſiſti.* Sed & cum ad paſſionem venit, ait; *Pater clarifica me claritate quam habui apud temetipſum, priuſquam mundus fieret.* Cui pater de cœlo reſpondit; *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Æqualis eſt ergo filius in deitate, non minor: ſed neque aliquid minus habens. nam ſi Deum confiteris, neceſſe eſt integrum fatearis, & nihil egentem: ſi vero integrum eſſe negas, Deum eſſe non credis. Et ille: *Ex adſumpto homine cœpit Dei filius vocitari. nam erat quando non erat.* Et ego, Audi Dauid dicentem ex perſona patris: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Et Ioannes Euangeliſta ait: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc ergo verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: per quẽ facta ſunt omnia.* nam vos cæcati veneno perſuaſionis, nihil dignum de Deo ſentitis. Et ille: *Nunquid & Spiritum ſanctum Deum dicitis, aut æqualem patri filioque decernitis?* Cui ego, Vna in tribus eſt voluntas, poteſtas, operatio: vnus Deus in trinitate, & trinus in vnitate. Tres perſonæ, ſed vnum regnum, vna maieſtas, vna potentia omnipotentiaque. Et ille: *Spiritus ſanctus*, inquit, *quem æqualem patri profertis ac filio, vtriſque minor accipitur: quia & à filio promiſſus, & à patre legitur miſſus. nemo enim promittit, niſi quod ſuæ dominationi ſubſiſtit: & nemo mittit, niſi inferiorem ſe, ſicut ipſe ait in Euangelio: Niſi ego abiero, paracletus ille non veniet: ſi autem abiero, mittam illum ad vos.* Ad hæc ego reſpondi; Bene filius ante paſſionem ait, quia niſi ille ad patrem victor remeauerit, ac proprio ſanguine redempto mundo dignum Deo ex homine præparet habitaculum, non poteſt ſanctus Spiritus idem Deus in pectore fanatico, & originalis criminis labe infecto deſcendere. Spiritus enim ſanctus ait Salomon, fugiet fictum. Tu autem ſi ſpem aliquã reſurrectionis habes, noli loqui aduerſus Spiritum ſanctum; quia iuxta ſententiam Domini, Spiritum ſanctum blaſphemanti non remittetur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Et ille: *Deus eſt qui mittit, non eſt Deus qui mittitur.* Ad hæc ego interrogo, ſi crederet doctrinam Petri Pauli que Apoſtolorum? Reſpondente autem eo, *Credo.* adieci, Cum argueret Petrus Apoſtolus Ananiam pro fraude fundi, vide quid dicat;

Quid

Quid tibi visum est mentiri Spiritui sancto? non es enim mentitus hominibus, sed Deo. Et Paulus, cum gratiarum spiritualium distingueret gradus, *Hæc omnia*, inquit, *operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique prout vult.* Qui enim quod voluerit facit, in nullius redigitur potestatem. nam vos (vt superius dixi) nihil recte de Trinitate sancta sentitis, & quam iniqua sit hujus sectæ peruersitas, ipsius auctoris vestri, id est Arrii expressit interitus. Ad hæc ille respondit: *Legem quam non colis, blasphemare † noli. Nos vero quæ creditis, etsi non credimus, non tamen blasphemamus: quia non deputatur crimini, si & illa & illa colantur: sic enim vulgato sermone dicimus, Non esse noxium si inter gentilium aras, & Dei Ecclesiam quis transiens vtraque veneretur.* Cuius ego stultitiam cernens, aio; Vt video, & gentilium defensorem, & hæreticorum adsertorem te esse manifestas, cum & ecclesiastica dogmata maculas, & paganorum spurcitias prædicas adorari. Satius, inquio, faceres, si ea te armaret fides, quam Abraham ad ilicem, Isaac in ariete, Iacob in lapide, Moyses vidit in sente: quam Aaron portauit in logio, Dauid exultauit in tympano, Salomon prędicauit in intellectu: quã omnes Patriarchæ, Prophetæ siue lex ipsa, vel oraculis cecinit, vel sacrificiis figurauit: quam & nunc pręsens suffragator Martinus noster, vel possedit in pectore, vel ostendit in opere: vt & tu conuersus crederes inseparabilem Trinitatem, & accepta a nobis benedictione, purgatoque à malæ credulitatis veneno pectore deleantur iniquitates tuæ. At ille furore commotus, & nescio quid quasi insanus frendens ait: *Ante anima ab huius corporis vinculis emigret, quam ab vllo religionis vestræ sacerdote, benedictionem accipiam.* Et ego, Nec nostram Dominus religionem siue fidem ita tepescere faciat, vt distribuamus sanctum eius canibus, ac preciosarum margaritarum sacra porcis squalentibus exponamus. Ad hęc ille relicta altercatione surrexit, & abiit. Sed post hęc cum in Hispanias reuersus fuisset, infirmitate debilitatus, ad nostram religionem necessitate cogente conuersus est.

Gall. blasfemer.

De iis quæ Chilpericus scripsit

CAP. XLV.

PEr idem tempus Chilpericus Rex scripsit indiculum, *vt sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tantum Deus nominaretur*: adserens indignum esse, vt Deus persona, sicut homo carneus nominetur. Adfirmans etiam ipsum esse patrem qui est filius, idemque ipsum esse Spiritum sanctum, qui pater & filius. *sic*, inquit, *Prophetis ac Patribus apparuit*, sic eum ipsa lex nunciauit. Cumque hæc mihi recitari iussisset, ait, *Sic*, inquit, *volo vt tu & reliqui doctores ecclesiarum credatis.* Cui ego respondi, Hac credulitate relicta, pie Rex, hoc te oportet sequi, quod nobis post Apostolos alii doctores Ecclesiæ reliquerunt: quod Hilarius Eusebiusque docuerunt, quod & in baptismo es confessus. Tunc iratus Rex ait, *Manifestum est mihi in hac causa Hilarium Eusebiumque valde inimicos haberi.* Cui ego respondi, Obseruare te conuenit, neq; Deum, neq; Sanctos eius habere offensos. Nam scias, quia in persona aliter Pater, aliter Filius, aliter Spiritus sanctus. Non Pater adsumpsit carnem, neq; Spiritus sanctus, sed Filius. vt qui erat Dei Filius, ipse ad redemptionem hominis, Filius haberetur & virginis. Non Pater passus neq; Spiritus sanctus, sed Filius: vt qui carnem adsumpserat in mundo, ipse offerretur pro mundo. De personis vero quod ais, non corporaliter, sed spiritaliter sentendum est. In his ergo tribus personis, vna gloria, vna æternitas, vna potestas. At ille commotus, ait, *Sapientioribus te hæc pandam, qui mihi consentiant.* & ego, Nunquam erit sapiens, sed stultus, qui hæc quæ proponis sequi voluerit. Ad hæc ille frendens, siluit. Non post multos vero dies adueniente Saluio Albigensi Episcopo, hæc ei præcepit recenseri, deprecans vt sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens, ita respuit, vt si chartam in qua hæc scripta tenebantur, potuisset adtingere, in frusta discerperet. Et sic Rex ab hac intentione quieuit. Scripsit alios libros idem Rex versibus, quasi Sedulium secutus: sed versiculi illi nulli penitus metricæ conueniunt rationi. Addidit autem & litteras litteris nostris, id est ω sicut Græci habent, *ae, the, vui*: quarum characteres subscripsimus. hi sunt ω ψ. z. n. Et misit epistolas in vniuer-

i. rasi & leuigati. sas ciuitates regni sui, vt sic pueri docerentur, ac libri antiquitus scripti, planati † pumice rescriberentur.

De obitu Agræculæ Episcopi

CAP. XLVI.

AGræcula autem Cabillonensis Episcopus, hoc obiit tempore: fuitque homo valde elegans ac prudens, genere senatorio. multa in ciuitate illa ædificia fecit, domos composuit, ecclesiam fabricauit, quam columnis fulciuit, variauit marmore, musiuo depinxit. Magnæ autem abstinentiæ fuit. nam nunquam prandio vsus est, nisi tantum cœna: ad quam sic temporiue† residebat, vt Sole stante consurgeret. Humanitatis exiguæ, facundiæ vero magnæ erat. Obiit autem, Episcopatus anno quadragesimo octauo, æui autem octogesimotertio: cui Flauius referendarius Gunthcramni regis successit.

f. tempestiue.

De obitu Dalmatii Episcopi

CAP. XLVII.

EO tempore & Dalmatius Ruthenæ ciuitatis episcopus, migrauit à seculo, vir in omni sanctitate præcelsus, abstinens vel à cibis, vel à concupiscentiis carnis: valde eleemosynarius, & cunctis humanus, in oratione & vigiliis satis stabilis: ecclesiam cōstruxit. Sed dum eam ad emendationem sæpius destruit, incompositam dereliquit. Post cuius obitum, multi (vt fit) episcopatum petebant. Transobadus vero presbyter, qui quondam Archidiaconus eius fuerat, maxime in hoc intendebat, fidus quod filium suum cum Gogone, qui tunc regis erat nutritius, commendauerat. Condiderat autem Episcopus testamentum, in quo regi Sexenium, qui post eius obitum acciperet, indicabat, adiurans terribilibus sacramentis, vt in ecclesia illa non ordinaretur extraneus, non cupidus, non coniugali vinculo nexus, sed ab his omnibus expeditus, qui in solis tantum dominicis laudibus degebat, substitueretur. Transobatus autem presbyter epulum in ipsa vrbe clericis præparat. Residentibus autem illis, vnus presbyterorum cœpit antistitem memoratum impudicis blasphemare † sermonibus, & vsq; ad hoc erupit, vt eum delirum & fatuum nominaret. Hæc eo dicente, pincerna populum oblaturus aduenit. At ille acceptum dum ori proximat, tremere cœpit. laxatoque de manu calice, super alium qui sibi erat proximus caput reclinans, reddidit spiritum. Ablatusque ab epulo, ad sepulchrum humo contectus est. Post hæc relecto testamento antistitis, in præsentia Childeberti regis ac procerum eius, Theodosius qui tūc archidiaconatu vrbis illius potiebatur, Episcopus ordinatus est.

Gall. blasmer.

De malitiis Leudastis

CAP. XLVIII.

AVdiens autem Chilpericus omnia mala quæ faciebat Leudastes ecclesiis Turonicis & omni populo, Ansoualdum illuc dirigit: qui veniens ad festiuitatem sancti Martini, data nobis & populo optione, Eunomius in comitatum erigitur. Deniq; Leudastes cernens se remotum, ad Chilpericum dirigit dicens; *Vsq; nunc, ô piissime Rex, custodiui ciuitatem Turonicam: nunc autem me ab actione remoto, vide qualiter custodiatur. Nam noueris quia Gregorius Episcopus eam ad filium Sygiberti tradere destinat.* Quod audiens Rex, ait, Nequaquā, sed quia remotus es, ideo hæc adponis. & ille, *Maiora*, inquit, *de te aut Episcopus: dicit enim reginam tuam in adulterio cum Episcopo Bertheramno misceri.* Tunc iratus Rex; cæsum pugnis & calcibus, oneratum ferro, recludi præcepit in carcere.

Sed

Sed quia liber finem postulat, narrare aliqua de eius actionibus libet: sed prius videtur, genus ac patriam moresque ordiri. Cracina Pictauensis insula vocitatur, in qua a Fiscalis vinitoris seruo Leocadio nomine, nascitur. Exinde ad seruitium arcessitus, culinæ regiæ deputatur. Sed quia lippis erat in adolescentia oculis, quibus fumi acerbitas non congruebat, amotus à pistillo promouetur ad cophinum. Sed dum inter fermentatas massas se delectari consimulat, seruitium fugam iniens dereliquit. Cumque bis aut tertio reductus à fugæ lapsu teneri non posset, auris vnius incisione multatur. Dehinc cum notam inflictam corpori occulere nulla auctoritate valeret, ad Marcoueifam reginam, quam Charibertus Rex nimium diligens, in loco sororis thoro adsciuerat, fugit. Quæ libenter eum colligens, prouocat, equorumque meliorum deputat esse custodem. Hinc iam obsessus vanitate, ac superbiæ deditus, comitatum ambit stabulorum: quo accepto, cunctos despicit ac postponit: inflatur vanitate, luxuria dissoluitur, cupiditate succenditur, & in causis patronæ alumnus proprius huc illucque defertur. Cuius post obitum refertus prædis, locum ipsum cum rege Chariberto oblatis muneribus tenere cœpit. Post hæc, peccatis populi ingruentibus, comes Turonus destinatur: ibique se amplius honoris gloriosi supercilio iactat: ibique se exhibet rapacem prædis, turgidum rixis, adulteriis lutulentum: vbi seminando discordias, & inferendo calumnias, non modicos thesauros adgregauit. Post obitum vero Chariberti, cum in Sygiberti sortem ciuitas illa venisset, transeunte eo ad Chilpericum, omnia quæ inique adgregauerat, à fidelibus nominati Regis direpta sunt. Peruadente igitur Chilperico rege per Theodobertum filium vrbem Turonicam, cum iam ego Turonos aduenissem, mihi à Theodoberto strenue commendatur, vt scilicet comitatu quem prius habuerat potiretur. Multum se nobis humilem subditumque reddebat, iurans sæpius super sepulchrum sancti antistitis; *nunquam se contra rationis ordinem esse venturum: seq. mihi tam in causis proprius, quam in ecclesiæ necessitatibus in omnibus esse fidelem.* Timebat enim quod postea euenit, ne vrbem illam iterum Rex Sygibertus in suum dominium reuocaret. Quo defuncto, succedente iterum Chilperico in regnum, iste in comitatum accedit. Adueniente autem Turonos Merouoo, omnes res eius vsquequaque diripuit. Sed dum Sygibertus duos annos Turonos tenuit, hic in Britanniis latuit: qui adsumpto (vt diximus) comitatu, in tali leuitate elatus est, vt in domo Ecclesiæ cum thoracibus atque loricis, præcinctus pharetra, & contum manu gerens, capite galeato ingrederetur: de nullo securus, quia omnibus erat aduersus. Iam si in iudicio cum senioribus vel laicis, vel clericis resedisset, & vidisset hominem iustitiam prosequentem, protinus agebatur in furias, ructabat conuicia in ciues: presbyteros manicis iubebat extrahi, milites fustibus verberari: tantaque vtebatur crudelitate, vt vix referri possit. Discedente autem Merouoo qui res eius diripuerat, nobis calumniator existit, adserens fallaciter Merouuem nostro vsum consilio, vt res eius auferret. Sed post inlata damna, iterat iterum sacramenta, pallamque sepulchri beati Martini fideiussorem donat †, se nobis *ita & supra c.14.* nunquam aduersaturum.

De insidiis quas nobis fecit, & qualiter ipse humiliatus est

CAP. XLIX.

SEd quoniam longum est per ordinem prosequi periuria vel reliqua mala eius, veniamus ad illud, qualiter me voluit iniquis ac nefariis calumniis subplantare, vel qualiter in eum vltio diuina descendit, vt illud adimpleretur: *Omnis subplantans subplantabitur*: & iterum, *Qui fodit foueam, incidet in eam.* Igitur post multa mala quæ in me meosque intulit, post multas direptiones rerum ecclesiasticarum, adiuncto sibi Riculfo presbytero, simili malitia peruerso, ad hoc erupit vt diceret, me crimen in Fredegundem reginam dixisse, adserens si archidiaconus meus Plato, aut Gallienus amicus noster, subderentur pœnæ, conuincerent me vtiq; hæc locutum. Tunc Rex iratus (vt

ſupra diximus) iuſſit eum pugnis calcibusq; cæſum, oneratum catenis, recludi in carcerem. Nam Riculfum clericum ſe habere dicebat, per quem hæc loquutus fuiſſet. Hic vero Riculfus ſubdiaconus, ſimili leuitate perfacilis, ante hunc annum conſilio cum Leudaſte de hac cauſa habito, cauſas offenſionis requirit, quibus ſcilicet me offenſo, ad Leudaſtem tranſiret: nactusq; tandem, ipſum adiuit, ac per menſes quatuor dolis omnibus ac muſcipulis præparatis, ad me cum ipſo Leudaſte reuertitur, deprecans vt eum debeam recipere excuſatum. Feci, fateor, & occultum hoſtem publice in domum ſuſcepi. Diſcedente vero Leudaſte, ipſe ſe pedibus meis ſternit, dicens, *Niſi ſuccurras velociter, periturus ſum. Ecce inſtigante Leudaſte, locutus ſum quod loqui non debui: nunc vero aliis me regnis emitte: quod niſi feceris, à regalibus comprehenſus, mortales pœnas ſum luiturus.* Cui ego aio, Si quid incongruũ rationi effatus es, ſermo tuus in caput tuum erit. nam ego alteri te regno non mittam, ne ſuſpectus habear coram Rege. Poſt iſta Leudaſtes extitit accuſator eius, dicens ſe ſermones iam dictos à Riculfo audiſſe ſubdiacono. At ille iterum vinctus, relaxato Leudaſte, cuſtodiæ deputatur, dicens, Gallienum eadem die & Platonem archidiaconos fuiſſe præſentes, cum hæc eſt Epiſcopus eloquutus. Sed Riculfus presbyter, qui iam promiſſionem de epiſcopatu à Leudaſte habebat, intantum elatus fuerat, vt magi Simonis ſuperbiæ æquaretur. Qui tertio aut eo amplius mihi ſacramentum ſuper ſepulchrum ſancti Martini dederat. in die ſexta Paſchæ intantum me conuiciis & ſputis egit, vt vix manibus temperaret, fidus ſcilicet doli quem præparauerat. In craſtina autem die, id eſt ſabbati, in ipſo Paſcha, venit Leudaſtes in vrbem Turonicam, adſimulansque aliud negocium agere, adprehenſos Platonem archidiaconum, & Gallienum in vincla connectit: catenatoſque ac exutos veſte iubet eos ad Reginam deduci. Hæc ego audiens, dum in domo eccleſiæ reſiderem, mœſtus turbatusq;, ingreſſus oratorium, Dauidici carminis ſumo librum, vt ſcilicet apertus aliquem conſolationis verſiculum daret. In quo ita repertum eſt; *Eduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.* Interea ingreſſi in fluuium ſuper pontem qui duabus lintribus tenebatur, nauis illa quæ Leudaſtem vehebat, demergitur: & niſi nandi fuiſſet adminiculo liberatus, cum ſociis forſitan interiſſet. Nauis vero alia quæ huic innexa erat, quæ & vinctos vehebat, ſuper aquas, Dei auxilio, eleuatur. Igitur deducti ad Regem qui vincti fuerant, incuſantur inſtanter, vt capitali ſententia finirentur. Sed Rex recogitans, abſolutos à vinculo, libera cuſtodia reſeruat inlæſos. Ad ciuitatem vero Turonicam Berulfus dux cum Eunomio comite fabulam fingit, quod Gunthcramnus rex capere vellet Turonicam ciuitatem: & idcirco ne aliqua negligentia accederet, oportere ait vrbem cuſtodia conſignari. Ponunt portis doloſe cuſtodes, qui ciuitatem tueri adſimulantes, me vtiq; cuſtodirent. Mittunt etiam qui mihi conſilium miniſtrarent, vt occulte adſumptis melioribus rebus eccleſiæ, Aruernum fuga ſecederem: ſed non adquieui. Igitur Rex arceſſitis regni ſui Epiſcopis, cauſam diligenter iuſſit exquiri. Cumq; Riculfus clericus ſæpius diſcuteretur occulte, & contra me vel meos multas fallacias promulgaret, Modeſtus quidam faber lignarius ait ad eum; *O infelix, qui contra epiſcopum tuum tam contumaciter iſta meditaris. Satius tibi erat ſilere: & petita venia Epiſcopi gratiam impetrares.* Ad hæc ille clamare cœpit voce magna ac dicere: *En ipſum qui mihi ſilentium indicit, ne proſequar veritatem: en Reginæ inimicum, qui cauſam criminis eius non ſinit inquiri.* Nunciantur protinus hæc Reginæ. Adprehenditur Modeſtus, torquetur, flagellatur: & in vincula compactus, cuſtodiæ deputatur. Cumq; inter duos cuſtodes catenis & cippo teneretur vinctus, media nocte dormientibus cuſtodibus, orationẽ fudit ad Dominum, vt dignaretur eius potentia miſerum viſitare: & qui innocens conligatus fuerat, viſitatione Martini præſulis ac Medardi abſolueretur. Mox diſruptis vinculis, confracto cippo, reſerato oſtio, ſancti Medardi Baſilicam nocte nobis vigilantibus introiuit. Congregati igitur apud Brennacum villam Epiſcopi, in vnam domum reſidere iuſſi ſunt. Dehinc adueniente Rege, data omnib. ſalutatione, ac benedictione accepta, reſedit. Tunc Berthcramnus Burdegalenſis ciuitatis Epiſcopus, cui hoc cum Regina crimen impactum fuerat, cauſam proponit, meq; interpellat, dicens, à me ſibi ac reginæ crimen obiectum: negaui ego in veritate me hæc locutum: & audiſſe quidem hęc alios: nam nõ excogitaſſe. Nam extra domũ rumor in populo magnus erat dicentiũ, *Cur hæc ſuper ſacerdotem Dei obiiciuntur?*

tur? cur alia Rex proſequitur? nunquid potuit Epiſcopus talia dicere vel de ſeruo? Heu, heu Domine Deus largire auxilium ſeruo tuo. Rex autem dicebat: *Crimen vxoris meæ, meum habetur obprobrium. ſi ergo cenſetis vt ſuper Epiſcopum teſtes adhibeantur, ecce adſunt. Certe ſi videtur vt hæc non fiant, & in fidem Epiſcopi committantur, dicite: libenter audiam quæ iubetis.* Mirati ſunt omnes Regis prudentiam vel patientiam ſimul. Tunc cunctis dicentibus; *Non poteſt perſona inferior ſuper ſacerdotem credi,* reſtitit ad hoc cauſa, vt dictis Miſſis, in tribus altaribus me de his verbis exuerem ſacramento. Et licet canonibus eſſent contraria, pro cauſa tamen Regis impleta ſunt. Sed nec hoc ſileo, quod Rigunthis regina condolens doloribus meis, ieiunium cum omni domo ſua celebrauit, quouſque puer nunciaret, me omnia ſic impleſſe, vt fuerant inſtituta. Igitur regreſſi ſacerdotes ad Regē, aiunt; *Impleta ſunt omnia ab Epiſcopo, quæ imperata ſunt, ô Rex: quid nunc ad te, niſi vt cum Berthchramno accuſatore fratris, communione priueris?* & ille, Non inquit, ego niſi audita narraui. Quærentibus illis, *Quis hæc dixerit?* reſpondit, Se hæc à Leudaſte audiſſe: ille autem ſecundum infirmitatem vel conſilii, vel propoſitionis ſuæ, iam fugam inierat. Tunc placuit omnibus ſacerdotibus, vt ſator ſcandali, inficiator Reginæ, accuſator Epiſcopi, ab omnibus arceretur Eccleſiis, eo quod ſe ab audientia ſubtraxiſſet. Vnde & epiſtolam ſubſcriptam, aliis Epiſcopis qui non adfuerant tranſmiſerunt. Et ſic vnuſquiſq; in locum ſuum regreſſus eſt. Leudaſtes vero hæc audiens, Baſilicam ſancti Petri Pariſiis expetiit. Sed cum audiſſet edictum Regis, vt in ſuo regno à nullo colligeretur: & præſertim quod filius eius quem domi reliquerat, obiiſſet, Turonos occulte veniens, quæ optima habuit in Biturico, tranſpoſuit. Proſequentibus vero regalibus pueris, ipſe per fugam labitur. Capta quoq; vxor eius, in pagum Tornacenſem exilio retruditur. At Riculfus clericus ad interficiendum deputatur: pro cuius vita vix obtinui: tamen de tormentis excuſare non potui. Nam nulla res, nullum metallum, tanta verbera potuit ſuſtinere, ſicut hic miſerrimus. Ab hora tertia diei, reuinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem dependebat, ad horam vero nonam depoſitus, extenſus ad trocleas, cædebatur fuſtibus, virgis, ac loris duplicibus, & non ab vno vel duobus, ſed quot accedere circa miſeros potuiſſent artus, tot cæſores erant. Cum autem iam in diſcrimine eſſet, tunc aperuit veritatem, & arcana doli publice patefecit. dicebat enim ob hoc Reginæ crimen obiectū, vt eiecta de regno interfectis fratribus & patre, Chlodoueus regnum acciperet, Leudaſtes ducatum: Riculfus verò presbyter qui iam à tēpore beati Eufronii Epiſcopi amicus erat Chlodouei, epiſcopatum Turonicum ambiret, huic Riculfo clerico archidiaconatu promiſſo. Nos vero cum Dei gratia Turonos reuerſi, inuenimus eccleſiam conturbatam per Riculfum presbyterum. nam hic ſub Eufronio Epiſcopo de pauperibus prouocatus, Archidiaconus ordinatus eſt. Exinde ad presbyterium admotus, receſſit ad propria, ſemper elatus, inflatus, præſumptuoſus: nam me adhuc commorante cum Rege, hic quaſi iam eſſet Epiſcopus, in domum eccleſiæ ingreditur impudenter, argentum deſcribit eccleſiæ, reliquaſq; res ſub ſuam redigit poteſtatē. Maiores clericos muneribus ditat, largitur vineas, prata diſtribuit: minores verò fuſtibus plagiſq; multis, etiam manu propria adfecit, dicens; *Recognoſcite dominum veſtrum, qui victoriam de inimicis obtinuit, cuius ingenium Turonicam vrbem ab Aruernis populis emundauit:* ignorans miſer, quod pręter quinq; Epiſcopos, reliqui omnes qui ſacerdotium Turonicum ſuſceperunt, parentum noſtrorum proſapiæ ſunt coniuncti. illud ſæpe ſuis familiaribus dicere erat ſolitus, Quod *hominem prudentem non aliter niſi in periuriis quis decipere poſſit.* Sed cum me reuerſum adhuc deſpiceret, nec ad ſalutationem meam ſicut reliqui ciues fecerant, aduehiret, ſed magis me interficere minitaretur, cū conſilio comprouincialium cum in monaſterium remoueri præcipio. Cumq; ibidem arctius diſtringeretur, intercedentibus Felicis Epiſcopi miſſis, qui memoratæ cauſæ fautor extiterat, circumuento periuriis Abbate, fuga elabitur, & vſq; ad Felicem accedit Epiſcopum: cumq; ille ambienter collig[illegible] quem exectari debuerat. Leudaſtes vero in Bituricum pergens, omnes theſauros quos de ſpoliis pauperum detraxerat, ſecum tulit. Nec multo poſt irruentibus Bituricis, cum iudice loci ſuper eum, omne aurum argentumq; vel quod ſecum detulerat, abſtulerunt, nihilq; ei niſi quod ſuper ſe habuit relinquentes: ipſamq; abſtuliſſent vitam, niſi fuga fuiſſet elapſus. Reſumptis dehinc viribus cum aliquibus Turonicis iterum irruit ſuper prędones ſuos: interfectoq; vno,

aliqua de rebus ipsis recepit,& in Turonicum reuertitur. Audiens hæc Berulfus dux misit pueros suos cum armorum adparatu, ad comprehendendum eum. Ille vero cernens se iam iamque capi, relictis rebus, Basilicam sancti Hilarii Pictauensis expetiit. Berulfus vero dux res captas Regi transmisit. Leudastes enim egrediebatur de Basilica, & inruens in d[illegible]s diuersorum, prædas publicas exercebat. Sed & in adulteriis sæpe intra ipsam sanctam porticum deprehensus est. Commota autem Regina, quod scilicet locus Deo sacratus taliter pollueretur, iussit eum a Basilica sancti eiici. Qui eiectus, ad hospites suos iterum in Bituricum expetit, deprecans se occuli ab eis.

Quæ B. Saluius de Chilperico prædixit

CAP. L.

ET licet de beati Saluii Episcopi conlocutione superius memorare debueram, sed quia mentem excessit, esse sacrilegum non arbitror, si in posterum scribatur. Igitur cum Vale post synodum memoratam Regi iam dicto, ad propria redire vellemus, non ante discedere placuit, nisi hunc virum libatis osculis linqueremus. Quem quæsitum in atrio Brinnacensis domus reperi. Cui dixi, quia iam eram ad propria rediturus: tunc remoti paululum, dum hinc inde sermocinaremur, ait mihi, *Vidésne super hoc tectum quæ ego suspicio?* cui ego, Video enim super tegulum quod nuper Rex poni præcepit. & ille, *Aliud*, inquit, *non aspicis?* cui ego, Nihil aliud, inquam, video. suspicabar enim quod aliquid ilocaliter loqueretur: & adieci, Si tu aliquid magis cernis, enarra. at ille alta trahens suspiria ait, *Video ego euaginatum iræ diuinæ gladium super domum hanc dependentem.* veruntamen non fefellit dictio sacerdotem. nam post dies viginti, duo filii Regis quos superius mortuos scripsimus, obierunt.

Explicitus est liber quintus, finitus in anno quinto Childeberti regis.

Incipit liber sextus, inchoatus ab anno sexto eiusdem Childeberti.

GREGO-

GREGORII TVRONICI

HISTORIARVM

LIBER SEXTVS.

Quod Childebertus ad Chilpericum transiit, & de fuga Mummoli

CAP. I.



ANNO igitur sexto regni sui Childebertus Rex, reiecta pace Guntheramni regis cum Chilperico coniunctus est. Non post multum tempus Gogo moritur, in cuius locum Vuandelinus subrogatur. Mummolus a regno Guntheramni fuga dilabitur, & se intra murorum Auennicorum municionem concludit. Apud Lugdunum synodus Episcoporum coniungitur, diuersarum causarum altercationes incidens, negligentioresque iudicio damnans. synodus ad regem reuertitur, multa de fuga Mummoli ducis, nonnulla de discordiis tractans.

De legatis Chilperici ab Oriente reuersis

CAP. II.

INterea legati Chilperici regis, qui ante triennium ad Tyberium imperatorem abierant, regressi sunt, non sine graui damno atque labore. Nam cum Massiliensem portum propter regum discordias adire ausi non essent, Agathen vrbem quæ in Gothorum regno sita est, aduenerunt. Sed priusquam litus adtingerent, nauis acta vento, impulsa terris in frusta minuitur. Legati vero cum pueris se in periculo cernentes, arreptis tabulis vix ripę relati sunt, multis puerorum amissis: sed plurimi euaserũt: res autem quas vndæ litori inuexerant, incolæ rapuerunt. ex quibus quod melius fuit recipientes, ad Chilpericum regem retulerunt. multa tamen ex his Agathenses secum retinuerunt. Tunc ego Nouigentum villam, ad occursum Regis abieram: ibique nobis Rex missorium magnum, quod ex auro gemmisque fabricauerat in quinquaginta librarum pondere, ostendit, dicens, *Ego hæc ad exornandam atq; nobilitandam Francorum gentem feci. Sed & plurima adhuc, si vita comes fuerit, faciam.* Aureos etiam singularum librarum pondere, quos Imperator misit, ostendit, habentes ab vna parte iconem imperatoris pictam, & scriptum in circulo, TYBERII CONSTANINI PERPETVI AVGVSTI: ab alia vero parte habentes quadrigam & ascensorem, continentesque scriptum, GLORIA ROMANORVM. multa autem & alia ornamenta quæ à legatis sunt exhibita, ostendit.

Missorium. Gr. [illegible] vid. Gloss.

De legatis Childeberti ad Chilpericum

CAP. III.

DEnique cum apud eandem villam commoraretur, Egidius Rhemensis episcopus cum primis Childeberti proceribus, in legationem ad Chilpericum regem venit, ibique conlocutione facta, vt ablato Guntheramni regis regno, hi se coniunge-

re debeant in pace, ait Chilpericus Rex; *Filii mihi peccatis increscentibus non remanserunt, nec mihi nunc alius superest hæres, nisi fratris mei Sygiberti filius, id est Childebertus Rex. Ideoque in omnibus quæ laborare* † *potuero, hic hæres existat. tantum dum advixero, liceat mihi sine scrupulo aut disceptatione cuncta tenere.* At illi gratias agentes, pactionibus subscriptis ea quæ locuti fuerant, firmauerunt, & ad Childebertum cum magnis muneribus sunt regressi. Quibus discedentibus, Chilpericus Rex Leudoualdum Episcopum cum primis regni sui direxit. Qui dato susceptoque de pace sacramento, pactionibusque firmatis, munerati regressi sunt.

i. adquirere.

Qualiter Lupus à regno Childeberti fugatus est

CAP. IV.

LVpus vero dux Campanensis, cum iam diu à diversis fatigaretur & spoliaretur assidue, & præsertim ab Vrsione & Bertefredo, ad extremum conuentione facta vt occideretur, commouerunt exercitum contra eum. Quod cernens Brunichildis regina, condolens fidelis sui insecutiones iniustas, præcingens se viriliter, irrupit medios hostium cuneos, dicens, *Nolite ô viri, nolite malum hoc facere, nolite persequi innocentem; nolite pro vno homine committere prælium, quo solatium regionis intereat.* Hæc illa loquente, respondit Vrsio: *Recede à nobis ô mulier, sufficiat tibi sub viro tenuisse regnum. Nunc autem filius tuus regnat, regnumque eius non tua, sed nostra tuitione saluatur. Tu vero recede à nobis, ne te vngulæ equorum nostrorum cum terra confodiant.* Hæc & alia cum diutissime inter se protulissent, obtinuit Reginæ industria ne pugnarent. Tamen ab illo loco discedentes, irruerunt in domos Lupi. Et direpto omni præsidio, fingentes se illud in thesauro regis recondere, suis eum domibus intulerunt, intendentes Lupo minas † atque dicentes: *Viuus virtutem nostram non euadet.* At ille cernens se in discrimine, tutata intra vrbis Lugduni clauati muros coniuge sua, ad Guntheramnum regem confugit. A quo benigne susceptus cum eo latuit, expectans vt Childebertus ad legitimam perueniret ætatem.

i. insidias.

Altercatio cum Iudæo

CAP. V.

IGitur Chilpericus Rex, cum adhuc apud supradictam villam moraretur, impedimenta moueri præcipiens, Parisios venire disponit. Ad quem cum iam Vale dicturus accederem, Iudæus quidam Priscus nomine, qui ei ad species coemendas familiaris erat, aduenit. Cuius cæsarie Rex blande adprehensa manu, ait ad me dicens, *Veni Sacerdos Dei, & impone manum super eum.* Illo autem renitente, ait Rex; *O mens dura, & generatio semper incredula, quæ non intelligit Dei filium sibi Prophetarum vocibus repromissum: non intelligit ecclesiastica mysteria in suis sacrificiis figurata.* Hæc eo dicente, Iudæus ait; *Deus non eget coniugio, neque prole ditatur, neque vllum consortium regni habere patitur, qui per Moysen ait, Videte, videte quia ego sum Dominus, & absque me non est Deus. Ego occidam, & viuere faciam: percutiam, & ego sanabo.* Ad hæc Rex ait, Deus ab spiritali vtero filium genuit sempiternum, non ætate iuniorem, non potestate minorem, de quo ipse ait, *Ex vtero ante luciferum genui te.* Hunc ergo ante secula natum, in nouissimis seculis mundo misit sanatorem, sicut ait Propheta tuus; *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Quod autem ais, quia ipse non generet, audi Prophetam tuum dicentem ex voce dominica: *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam?* hæc enim de populo qui in eum per fidem renascitur, ait. Ad hæc Iudæus respondit, *Nunquid Deus homo fieri potuit, aut de muliere nasci? verberibus subdi? morte damnari?* Ad hæc rege tacente, in medium me ingerens dixi, Vt Deus Dei filius homo fieret, non suæ, sed nostræ necessitatis extitit causa. Nam captiuum peccato hominem, & Diaboli seruituti subiectum redimere non poterat, nisi hominem adsumpsisset. Ego vero nō de Euangeliis

& Apo-

& Apostolo quæ non credis, sed de tuis libris testimonia præbens, proprio te mucrone confodiam, sicut quondam Dauid Goliam legitur trucidasse. Igitur quod Deus homo futurus esset, audi Prophetam tuum: *Et Deus, inquit, & homo, & quis cognouit eum?* Et alibi: *Hic Deus noster, & non reputabitur alius præter eum, qui inuenit omnem viam scientiæ, & dedit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo.* post hæc in terris visus est & cum hominibus conuersatus est. Quod autem de virgine nascitur, audi similiter Prophetam tuum dicentem; *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Quod verberibus subdi, quod clauis adfigi deberet, & aliis iniuriis vel subiacere, vel adfici, alius Propheta ait: *Foderunt manus meas & pedes meos: diuiserunt sibi vestimenta mea*, &c & iterum, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Et quod per ipsum crucis patibulum labentem mundum & Diaboli ditioni subiectum restitueret in regno suo, idem Dauid ait; *Dominus regnauit à ligno.* Non quod antea non regnauerit apud patrem, sed super populum quē à diaboli seruitute liberauerat, rude regnum accepit. Iudæus ad hæc respondit: *Quæ Deo fuit necessitas, vt ista pateretur?* Cui ego, Iam dixi tibi. Deus hominem creauit innoxium, sed astu serpentis circumscriptus, præuaricator præcepti factus est: & ideo à sede Paradisi eiectus, mundanis laboribus deputatus est. qui per mortem vnigeniti Dei Christi, Deo reconciliatus est patri. Iudæus dixit, *Non poterat Deus mittere Prophetas aut Apostolos, qui eum ad viam reuocarent salutis nisi ipse humiliatus fuisset in carne?* Ad hæc ego, A principio genus semper deliquit humanum: quem nunquam terruit nec submersio diluuii, nec incendium Sodomæ, nec plagæ Ægypti, nec miraculum maris Iordanisque diuisi. qui semper legi Dei restitit, Prophetis non credidit: & non solum non credidit, verum etiam ipsos prædicatores pœnitentiæ interemit. Ideo nisi ipse ad eum descendisset, redimere, hęc explete non poterat alter. Cuius nos natiuitate renati, baptismo abluti, vulnere curati, resurrectione erecti, ascensione glorificati sumus. Quod autem morbis nostris mederi venturus erat, Propheta tuus ait: *Liuore eius sanati sumus:* & alibi, *Ipse peccata nostra portabit, & orabit pro transgressoribus:* & iterum, *Sicut ouis ad occisionem ductus est: & quasi agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humiliatione iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? Dominus exercituum nomen eius.* De hoc & Iacob ille, de cuius te iactas venisse generatione, in illa filii sui Iudæ benedictione, quasi ad ipsum Christum filium Dei loquens, ait; *Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda: de germine fili mi ascendisti, recubans dormisti quasi leo, quasi catulus leonis. quis suscitabit eum? Pulchriores oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.* Quis inquit suscitabit eum? Et licet ipse dixerit, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*, tamen Paulus Apostolus ait: *Qui non crediderit, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus esse non poterit.* Hæc & alia nobis dicentibus, nunquam compunctus est miser ad credendum. Tunc Rex silente illo, cum videret eum his sermonibus non compungi; ad me conuersus, postulat vt accepta benedictione discederet. ait enim, Dicam, inquit, tibi, ô Sacerdos, quod Iacob dixit ad Angelum qui ei loquebatur; *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Et hæc dicens, aquam manibus porrigi iubet. quibus ablutis, facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipsi accepimus, & Regi porreximus, haustoque mero, Vale dicentes, discessimus. Rex vero ascenso equo Parisios est regressus, cum coniuge & filia, & omni familia sua.

De sancto Hospitio reclauso & abstinentia vel mirabilibus eius

CAP. VI.

FVit autem apud vrbem Nicensem eo tempore, Hospitius reclausus magnæ abstinentiæ, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto desuper cilicio, nihil aliud quam purum panem cum paucis dactylis comedebat. In diebus autem Quadragesimæ, de radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus eremitæ vtuntur, exhibenti-

bus sibi negociatoribus alebatur. Et primum quidem ius in quo coxerant, hauriens ipsas sumebat in posterum. Magnas enim per eum Dominus virtutes dignatus est operari. Nam quodam tempore reuelante sibi Spiritu sancto aduentum Longobardorũ in Gallias, hoc modo predixit: *Venient*, inquit, *Longobardi in Gallias, & deuastabunt ciuitates septẽ, eo quod increuerit malitia eorum in conspectu Domini, quia nullus est intelligens, nullus est qui faciat bonum, quo ira Dei placetur. Est enim omnis populus infidelis, periuriis deditus, furtis obnoxius: in homicidiis promptus, à quibus nullus iustitiæ fructus vllatenus gliscit: non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non peregrinus hospitio recipitur, aut cibo sufficienti satiatur: ideo hæc plaga superuenit. Nunc autem dico vobis, congerite omnem substantiam vestram intra murorum septa, ne à Longobardis diripiatur: & vosipsos in locis firmissimis communite.* Hæc eo loquente, omnes obstupefacti, & Vale dicentes, cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit; *Abscedite & vos à loco, auferentes vobiscum quæ habetis. ecce enim appropinquat gens quam prædixi.* Dicentibus autem illis, Non relinquimus te sanctissime pater, ait, *Nolite timere pro me: futurum est enim, vt inferant mihi iniurias, sed non nocebunt vsque ad mortem.* Discedentibus autem monachis, venit gens illa: & dum cuncta quæ reperit vastat, peruenit ad locum vbi sanctus Dei reclausus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis. Illi vero circumeuntes turrem, aditum per quem ingrederentur ad eum, inuenire non poterant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, & videntes eum cinctum catenis, indutumq; cilicio dicunt; *Hic malefactor est, & homicidiũ fecit; ideo in his ligaminibus vinctus tenetur:* vocatoq; interprete, sciscitatur ab eo, Quid mali fecerit, vt tali supplicio arctaretur. At ille fatetur, se homicidam esse, omnisq; criminis reum. Tunc vnus extracto gladio, vt in caput eius libraret, dextera in ipso ictu suspensa diriguit, nec eam ad se potuit reuocare. Tunc gladium laxans, terræ deiecit. Hæc videntes socii eius, clamorem in cœlum dederunt, flagitantes à sancto, vt quid agi oporteret, clementer insinuaret. Ipse vero imposito salutis signo, brachium sanitati restituit. Ille autem in eodem loco conuersus tonsurato capite fidelissimus monachus nunc habetur. Duo vero duces qui eum audierunt, incolumes patriæ redditi sunt: qui vero cõtempserunt præceptũ eius, miserabiliter in ipsa prouincia sunt defuncti. Multi autẽ ex ipsis à dæmoniis correpti, clamabant; *Cur nos sancte & beatissime sic crucias & incendis?* sed imposita eis manu, mundabat eos. Post hæc homo erat Andegauensis incola, qui per nimiam febrem eloquiũ pariter auditumq; perdiderat. Et cum de febre cõualuisset, surdus permanebat ac mutus. Igitur Diaconus ex prouincia illa Romam directus est, vt beatorum Apostolorum pignora, vel reliquorum Sanctorum qui vrbẽ illam muniunt, exhiberet. Qui cum ad parentes infirmi illius peruenisset, rogant vt eũ sibi comitẽ itineris sumere dignaretur, confisi quod si beatissimorũ Apostolorũ adiret sepulchra, protinus posset adsequi medicinã. Euntibus autẽ illis, venerunt ad locũ vbi beatus Hospitius habitabat. Quo salutato ac deosculato, causas itineris Diaconus pandit, ac proficisci se Romam indicat, seseq; his qui sancto viro de naucleris amici essent cõmendari deposcit. Cumq; ibi adhuc moraretur, sensit vir beatus per Spiritum Domini adesse virtutem. Et ait Diacono; *Infirmum qui comes tui nunc est itineris, rogo vt meis conspectibus repræsentes.* At ille nihil moratus, velociter ad metatum vadit, inuenitque infirmum febre plenum, qui per nutum aures suas dare tinnitum indicabat: adprehensumque ducit ad sanctum Dei. At ille adprehensa manu cæsarie, adtraxit caput illius in fenestram, assumptoq; oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam eius, ori verticiq; capitis infudit, dicens; *In nomine Domini mei Iesu Christi aperiantur aures tuæ, reseretque os tuum virtus illa quæ quondam ab homine surdo & muto noxium eiecit dæmonium.* Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille vero clara voce ait, Sic dicor. Cum hæc vidisset Diaconus, ait; *Gratias tibi immensas refero Christe, qui talia per seruum tuum dignaris ostendere. Quærebã Petrum, quærebam Paulum, Laurentiumque, vel reliquos qui Romam proprio cruore inlustrant: hic omnes reperi, hic cunctos inueni.* Hæc eo cum maximo fletu & admiratione dicente, vir Dei omni intentione vanam vitans gloriam, ait; *Sile sile, dilectissime frater, non hæc ego facio, sed ille qui mundum ex nihilo condidit, qui pro nobis hominem suscipiens, cæcis visum, surdis auditum, mutis præstat eloquium, qui leprosis cutem pristinam, mortuis vitam, & omnibus infirmis adfluentem medicinam indulget.* Tunc Diaconus gaudens, & Vale dicens, abscessit cum

Longobardi.

comi-

comitibus suis. Quibus discedentibus, homo quidam Dominicus (sic enim erat viro nomen) à natiuitate cæcus, aduenit ad illius miraculi virtutem probandam. Qui dum in monasterio duobus aut tribus mensibus resideret, orationi ac ieiuniis vacans, tandẽ vocat eum ad se vir Dei, & ait, *Vis recipere visum?* Cui ille ait, *Voluntas*, inquit, *mea erat, ignota cognoscere. Nam quæ sit lux ignoro. Vnum tantum scio, quod ab omnibus conlaudatur. ego autem ab initio ætatis meæ vsque nunc videre non merui.* Tunc cum oleo benedicto super oculos eius crucem sanctam faciens, ait; *In nomine Iesu Christi redemptoris nostri, aperiantur oculi tui.* Et statim aperti sunt oculi eius: & erat admirans, cernensq; magnalia Dei quæ in hoc mundo videbat. Dehinc mulier quædam, quæ vt ipsa reclamabat, tria habens dæmonia, ad eum adducta est: quam cum tactu sacro benedixisset, atque ex oleo sancto crucem fronti eius imposuisset, eiectis dæmonibus purgata discessit. Sed & aliam puellam ab spiritu immũdo vexatam, benedictione sanauit. Cum autem iam dies obitus eius adpropinquaret, vocauit ad se præpositum monasterii, dicens: *Exhibe ferramentum, & inrumpe parietem, & mitte nuncios ad Episcopum ciuitatis, vt veniat ad me sepeliendum. Die enim tertia ab hoc egredior mundo, & vado in requiem destinatam, quam mihi Dominus repromisit.* Hæc eo dicente, misit præpositus ad episcopum ciuitatis Nicensis, qui ei hæc nunciarent. Post hæc Crescens quidam venit ad fenestram, & videns eum catenis vinctum vermibus plenum ait, *O domine mi, qualiter tam valida tormenta tolerare tam fortiter potes?* cui ille ait, *Confortat me ille pro cuius nomine hæc patior. Dico autem tibi, quia iam absoluor ab his vinculis, & vado in requiem meam.* Adueniente autem die tertia, deposuit catenas quibus vinctus erat, prostrauit se in orationem: & cum diutissime cũ lachrimis orasset, conlocans se super scamnum, extensis pedibus, eleuatisq; ad cœlum manibus, gratias agens Deo, tradidit spiritum. Et statim omnes vermes illi qui sanctos artus perforabant, euanuerunt. Adueniens autem Austadius episcopus, beatum corpus studiosissime sepulturæ mandauit. Hæc omnia ab ipsius ore cognoui, quem superius mutum & surdum ab eo sanatum exposui: qui multa mihi & alia de eius virtutibus narrauit, sed prohibuit me res illa loqui, quia audiui vitam ipsius à multis fuisse conscriptam.

De transitu Ferreoli Vcecensis episcopi

CAPVT VII.

EO tempore Ferreolus Vcecensis episcopus, magnæ vir sanctitatis, obiit, plenus sapientia & intellectu: qui libros aliquos epistolarum, quasi Sidonium secutus, composuit. Post cuius obitum, Albinus ex præfecto per Dynamium rectorem prouinciæ extra Regis consilium suscepit episcopatum: quo non amplius quam tribus vtens mẽsibus, cum ad hoc causa restitisset, vt remoueretur defunctus est. Iouinus iterum qui quondam prouinciæ rector fuerat, regium de episcopatu præceptum accipit. Sed præuenit eum Marcellus diaconus, Felicis senatoris filius. Qui conuocatis conprouincialibus, per consilium Dynamii episcopus ordinatus est. Sed & ipse vi pulsatus, deinceps a Iouino, vt remoueretur, conclusus in ciuitate, virtute se defensare nitebatur, sed cum non valeret, muneribus vicit.

De Eparchio reclauso Engolismensis vrbis

CAPVT VIII.

OBiit & Eparchius reclausus Engolismensis, vir magnificæ sanctitatis, per quem Deus multa miracula ostẽdit: de quibus relictis plurimis, pauca perstringam. Petrogoricæ vrbis incola fuit, sed post cõuersionem clericus factus, Engolismam veniẽs, cellulam sibi ædificauit. In qua collectis paucis monachis, in oratione morabatur assidue, & si ei aliquid auri argentique offerebatur, aut in necessitatibus pauperum, aut in redemptione captiuorum distribuebat. Panis in cellula illa eo viuente coctus nunquam fuit, sed a deuotis cum necessitas exegisset, inferebatur. Magnam enim

caterüam populorum de oblationibus deuotorum redemit: puſularum malarum venenum crucis ſigno ſæpe compreſſit: dæmonas de obſeſſis corporibus oratione abegit: & iudicibus plerunque vt culpabilibus ignoſcerent, dulcedine profuſa imperauit potius quam rogauit. nam ita erat dulcis adloquio, vt ei negare non poſſent, cum fuiſſet indulgentiam deprecatus. Quodam vero tempore dum pro furto quis ad pendendum deduceretur, qui & in aliis multis ſceleribus tam in furtis, quam in homicidiis accuſabatur ab incolis criminoſius, & hæc ei nunciata fuiſſent, miſit monachum ſuũ ad deprecandum iudicem, vt ſcilicet culpabilis ille vitæ concederetur. Sed inſultante vulgo atque vociferante, *quod ſi hic dimitteretur, neque regioni, neque iudici poſſit eſſe conſultum*, dimitti non potuit. In terra extenditur, ad trocleas virgis ac fuſtibus cæditur, & patibulo condemnatur. Cumque Mœſtus monachus abbati renunciaſſet, *Vade*, inquit, *adtende à longe, quia ſcito quod quem homo reddere noluit, Dominus ſuo munere donabit. Tu vero cum eum cadere videris, protinus adprehenſum adducito in monaſterium.* Monacho vero iuſſa complente, ille proſternitur in oratione: & tam diu in lachrimis ad Dominum fudit preces, quoadusque diſrupto obice cum catenis terræ reſtitueretur adpenſus. Tunc monachus adprehenſum eum, Abbatis conſpectibus incolumem repræſentat. At ille gratias Deo agens, comitem † arceſſiri iubet, dicens: *Semper me benigno animo ſolitus eras audire, fili dilectiſſime*, Et *cur hodie induratus, hominem pro cuius vita rogaueram, non laxaſti?* At ille, *Libenter te*, inquit, *audio ſancte ſacerdos: ſed inſurgente vulgo, aliud facere non potui, timens ſuper me ſeditionem moueri.* Et ille, *Tu*, inquit, *me non audiſti: Deus autem audire dignatus eſt: & quem tu tradidiſti morti, ille vitæ reſtituit. En*, inquit, *coram te adſtat ſanus.* Hæc eo dicente, proſternitur ad pedes comitis ſtupentis, quod videbat viuere quem in mortis interitu reliquiſſet. Hæc ego ab ipſius comitis ore cognoui: ſed & alia multa fecit, quæ inſequi longum putaui. Poſt quadraginta quatuor vero annos recluſionis ſuæ parumper febre pulſatus, tradidit ſpiritum. Protractuſque à cellula, ſepulturæ mandatus eſt. Magnus autem conuentus (vt diximus) de redemptis, in eius proceſſit exequiis.

† i. iudicem, paulo ante

De Domnolo Cenomannorum epiſcopo

CAPVT IX.

DOmnolus vero Cœnomannorum epiſcopus ægrotare cœpit: tempore enim Chlotharii regis apud Pariſios ad Baſilicam ſancti Laurentii gregi monaſteriali præfuerat, ſed quoniam Childeberto ſeniore viuente ſemper Chlothario regi fideiis extitit, & nuncios illius ad ſpeculandum miſſos, crebrius occulebat, præſtolabatur Rex locum in quo pontificatus honorem acciperet. Migrante autem Auennienſis ciuitatis pontifice, iſtum illuc dare deliberauerat. Sed beatus Domnolus hæc audiens, ad Baſilicam ſancti Martini antiſtitis, quo tunc Chlotharius rex ad orationem venerat, acceſſit, & nocte tota in vigiliis excubans, per priores qui aderant, Regi ſuggeſtionem intulit, vt non quaſi captiuus ab eius elongaretur aſpectu: nec permitteret ſimplicitatem illius inter ſenatores ſophiſticos ac iudices philoſophicos fatigari, adſerens hunc locum humilitatis ſibi eſſe potius, quam honoris. Ad hæc Rex annuens, migrante Innocentio Cœnomannorum epiſcopo, ipſum eccleſiæ illi antiſtitem deſtinauit. Iam adſumpto epiſcopatu, talem ſe tantumque præbuit, vt in ſummæ ſanctitatis culmen euectus, debili vſum greſſuum, cæco reſtitueret viſum. Qui poſt viginti duos epiſcopatus annos, dum ſe cerneret morbo regio calculoq; grauiſſime fatigari, Theodulfum abbatem in locum ſuum prælegit: cuius adſenſui Rex præbuit voluntatem: ſed non multum poſt tempus mutata ſententia, in Badechiſilum domus regiæ maiorem transfertur electio. Qui tonſuratus gradus quos clerici ſortiuntur, aſcendens, poſt quadraginta dies migrante ſacerdote ſucceſſit.

De

De Basilica sancti Martini effracta

CAPVT X.

HIs diebus Basilica sancti Martini à furibus effracta fuit. Qui ponẽtes ad fenestram absidæ cancellum, qui super tumulum cuiusdam defuncti erat, ascendentes per eum, effracta vitrea sunt ingressi: auferentesq; multum auri argentique, & palliorum holosericorum, abierunt, non metuentes super sanctum sepulchrum pedem ponere, vbi vix vel os adplicare præsumimus. Sed virtus Sancti voluit hanc temeritatem etiam cum iudicio manifestare terribili. nam hi perpetrato scelere ad Burdegalensem ciuitatem venientes, orto scandalo, † vnus alterum interemit: sicque patefacto opere, furtum repertum est: ac de hospitali † eorum argentum communitum, & pallia sunt extracta. Quod cum regi Chilperico nunciatum fuisset, iussit eos alligari vinculis, & suo conspectui præsentari. Tunc ego metuens, ne ob illius causam homines morerentur, qui viuens in corpore pro perditorum vita sæpius deprecatus est, epistolam Regi precationis transmisi, ne nobis non accusantibus ad quos prosecutio pertinebat, hi interficerentur. Quod ille benigne suscipiens, vitæ restituit. Species vero quæ dissipatæ fuerant, studiosissime componens, loco sancto reddi præcepit.

i. rixa. *Gall. hostel.*

De Theodoro episcopo & Dynamio

CAPVT XI.

APud Massiliensem vero vrbem Dynamius rector prouinciæ, grauiter insidiari Theodoro episcopo cœpit. at ille ad Regem properare disponens, comprehensus ab eo, in medio ciuitatis tenetur: & grauiter iniuriatus, tandem laxatus est. Clerici autem Massilienses dolum cum Dynamio moliebantur, vt ab episcopatu eiiceretur. Sed dum ad regem Childebertum ambularet, cum Iouino ex præfecto à Gunthcramno rege detineri iubetur. Quod audientes Massilienses clerici, gaudio magno repleti, quod iam teneretur, iam deputaretur exilio, quod iam in hoc res perstitisset, vt nunquam Massiliam reuerteretur, domos ecclesiæ adprehendunt, ministeria † describunt, regestoria reserant, promptuaria expoliant, omnesque res ecclesiæ tanquam si iam mortuus esset Episcopus, peruadunt, diuersa crimina de pontifice proloquentes, quæ falsa, Christo auspice, deprehendit. Childebertus vero postquam cum Chilperico pacificatus est, legatos ad Guntheramnum regem mittit, vt medietatem Massiliæ, quam ei post obitum patris sui dederat, reddere deberet. Quod si nollet, nouerit se multa perditurum pro partis istius retentione. Sed ille cum hæc reddere nollet, vias claudi præcepit, vt nulli per regnum eius transeundi aditus panderetur. Hæc cernens Childebertus, Gundulfum ex domestico duce facto de genere senatorio, Massiliam dirigit. Qui cum non auderet ambulare iam per Guntheramni regnum, Turonos venit. Quem benigne susceptum, recognosco matris meæ auunculum esse; retentumque mecum quinque diebus, impositisque necessariis, abire permisi. Ille vero progressus, Massiliam ingredi, obsistente Dynamio non valebat. Sed nec Episcopus qui iam tunc cum Gundulfo venerat, in ecclesia sua recipiebatur. Dynamius autem vna cum clericis, portas obserat vrbis, insultans pariter ac vtrumque despiciens, Episcopum scilicet & Gundulfum. Tandem ad colloquium ducis adscitus, in Basilicam beati Stephani quæ vrbi est proxima, venit. Ostiarii enim custodiebant ædis ingressum, vt introeunte Dynamio, valuæ protinus clauderentur. Quo facto, exclusæ armatorum turbæ post Dynamium ingredi nequiuerunt. Quo non intelligente, dum diuersa inter se super altarium conferunt, recedentes ab altario, salutatorium ingrediuntur. Introeuntem cum his Dynamium, nudatumque iam à suorum solatio terribiliter increpant. Fugatisq; satellitibus, qui cum armis eo adducto, circumstrepebãt, seniores ciuiũ ad se dux vna cum Episcopo collegit, vt ciuitatem ingrederetur. Tunc Dynamius hęc omnia cernens, veniã petens, datis duci multis munerib. ied-

i. vasa, &c.

dito etiam sacramento, *se fidelem Episcopo deinceps Regique futurum*, suis induitur indumẽtis. Tunc reseratis tam portarum quam sacrarum ædium valuis, ingrediuntur vtrique ciuitatem, Dux scilicet & Episcopus, cum signis & laudibus diuersisque honorum vexillis. Clerici autem qui sceleri huic mixti fuerant, quorum caput Anastasius abbas, & Proculus presbyter erant, intra Dynamii tecta confugiunt, petentes ab eo opem refugii à quo fuerant incitati. Multi tamen eorum per idoneos fideiussores dimissi, ad Regem iussi sunt ambulare. Interea Gundulfus subiugata ciuitate in Childeberti regis ditionem, restitutoque in locum suum antistite, ad regem Childebertum regressus est. Sed Dynamius immemor fidei quam Childeberto regi promiserat, ad Guntheramnum regem nuncios dirigit dicens, *quod partem sibi debitam ciuitatis per Episcopum perderet: nec vnquam Massiliensem vrbem suo potiretur dominio, nisi hic euellatur ab ea.* At ille ira commotus, iubet contra fas religionis, vt pontifex summi Dei, arctatus vinculis sibi exhiberetur, dicens: *Trudatur exilio inimicus regni nostri, ne nobis nocere amplius valeat.* Sed cum Episcopus de his suspectus esset, nec facile posset ab vrbe erui, aduenit festiuitas dedicationis Oratorii ruris suburbani. Cumque ad hæc festa egressus ciuitatem properaret, subito armati cum magno fremitu ab occultis insidiis scatentes, sanctum vallant antistitem: deiectumque ab equo, fugant omnes comites eius, seruientes alligant, clericos cædunt, ipsumque super miserabilem imponentes caballum, nullum de suis sequi permittentes, ad Regis deducunt præsentiam. Cumque per Aquensem præterirent vrbem, Piencus episcopus loci, condolens fratri, datis clericis ad solatium, impositisque necessariis, abire permisit. Dum hæc agerentur, clerici iterum Massilienses domos ecclesiæ reserant, arcana rimantur, & alia describunt, alia suis domibus inferunt. Episcopus vero ad Regem deductus, nec culpabilis inuentus, ad ciuitatem suam redire permissus, cum grãdi est à ciuitatibus lande susceptus. Ex hoc autem grauis inimicitia inter Guntheramnum regem, & Childebertum nepotem suum exoritur, disruptoque fœdere sibi inuicem insidiabantur.

De exercitu contra Bituriges commoto

CAPVT XII.

IGitur Chilpericus rex, cernens has discordias inter fratrem ac nepotem suum pullulare, Desiderium ducem euocat, iubetque vt aliquid nequitiæ inferat fratri. At ille, commoto exercitu, Ragnoualdo duce fugato, Petrogoricum peruadit. Exactoque sacramento, Aginnum pergit. hæc audiens vxor Ragnoualdi, quod scilicet fugato viro suo, hæ ciuitates in potestatem regis Chilperici redigerentur, Basilicam sancti martyris Caprasii expetiit. Sed extracta exinde, & spoliata facultate ac solatio famulorum, datis fideiussoribus Tholosam dirigitur: ibique iterum in Basilica sancti Saturnini ingressa residebat. Desiderius vero cunctas ciuitates quæ in parte illa ad regem Guntheramnum aspiciebant, abstulit, & ditionibus regis Chilperici subegit. Berulfus vero dux, cum Biturigas mussitare, quod Turonicum terminum ingrederentur, audisset, exercitum commouet, & se in ipsos fines statuit. Grauiter tunc pagi Isiodorensis ac Berrauensis vrbis Turonicæ deuastati sunt. Sed & postea crudeliter qui in hac obsidione adesse non poterant, sunt damnati. Blandastes vero dux in Vasconiam abiit, maximamque partem exercitus sui amisit.

De Lupo & Ambrosio Turonicis ciuibus interfectis

CAPVT XIII.

LVpus vero vrbis Turonicæ ciuis, cum vxore perdita ac liberis, clericatum expeteret, à fratre Ambrosio prohibitus est, timens ne hæredem institueret Dei ecclesiã, si ei coniungeretur: rursumque illi vxorem prouidit, & diem in quo ad sponsalia donanda coniungerent, male suasus frater indicit. Dehinc ad Cainonense castrum, vbi hospitium habebant, pariter aduenerunt. Sed vxor Ambrosii cum esset adultera, & alium

alium amore lupanario exoso marito diligeret, insidias viro tetendit. Cumq; hi germani pariter epularentur, & nocte vsque ad ebrietatem vino maduissent, in vno strato pariter quieuerunt. Tunc mœchus vxoris Ambrosii, nocte veniens, quiescentibus cunctis, & vino depressis, accensis igne paleis, vt videret quid ageret, extracto gladio, Ambrosium in capite librat, ita vt descendens per oculos gladius, ceruical capitis amputaret: in quo ictu expergefactus Lupus, & se in sanguinem volutari decernens, exclamat voce magna dicens; *Heu heu succurrite, frater meus interfectus est.* Mœchus vero qui iam perpetrato scelere discedebat, hæc audiens, regressus ad lectum, Lupum adit. Quo repugnante, multis plagis laceratum obpressit, & mortali ictu sauciatum, semiuiuum reliquit. Sed nullus de familia sensit. Mane autem facto, stupebant omnes de tanto scelere. Lupus tamen adhuc viuens inuentus, sicut actum fuerat referens, spiritum exhalauit. Sed nec longum meretrix lugendi sumpsit spatium: sed paucis diebus interpositis, coniuncta mœcho discessit.

Auo nomine, inf. lib. 7. c. 3.

De portentis quæ apparuerunt

CAPVT XIV.

ANno igitur septimo Childeberti regis, qui erat Chilperici & Gunthcramni vicesimus & primus, mense Ianuario, pluuiæ, coruscationes, atque tonitrua grauia fuerunt: flores in arboribus ostensi sunt: stella quam cometen superius nominaui, adparuit, ita vt in circuitu eius magna nigredo esset. Et illa tanquam in foramine aliquo posita, ita inter tenebras relucebat, scintillans spargensq; comas. Prodibat autem ex ea radius miræ magnitudinis, qui tanquam fumus magnus incendii adparebat à longe. Visa est autem ad partem occidentis in hora noctis prima. In die autem sancto Paschæ apud Suessionas ciuitatem cœlum ardere visum est, ita vt duo apparerent incendia: & vnum erat maius, aliud vero minus. Post duarum vero horarum spacium coniuncta sunt simul: factaque pharo magna, euanuerunt. In Parisiaco vero termino, verus sanguis ex nube defluxit, & super vestimenta multorum hominum cecidit, & ita tabe maculauit, vt ipsi propria indumenta horrentes abnuerent. Tribus enim locis in termino ciuitatis illius hoc prodigium adparuit. In Siluanectensi vero territorio hominis cuiusdam domus, cum ille mane surgeret, sanguine respersa abintus adparuit. Magna igitur eo anno lues in populo fuit, valitudines variæ, milinæ † cum pusulis & vesicis, quæ multum populum adfecerunt morte. Multi tamen adhibentes studium, euaserunt. Audiuimus enim eo anno in Narbonensem vrbem inguinarium morbum grauiter desæuire, ita vt nullum esset spacium, cum homo correptus fuisset ab eo.

Cometes.

Hunc locum citat Fulbert. Carnoti epist. 79.

al. maligna.

De obitu Felicis episcopi

CAPVT XV.

FElix vero episcopus Namneticæ ciuitatis, in hanc valetudinem conruens, grauiter ægrotare cœpit. Tunc vocatis ad se Episcopis qui propinqui erant, supplicat vt consensum quem in Burgundionem nepotem suum fecerat, suis subscriptionibus roborarent. Quod cum factum fuisset, eum ad me dirigunt. Erat tunc temporis Burgundio quasi annorum vigintiquinque. Qui veniens, rogat vt accederem vsque Namnetas, episcopum eum in locum auunculi qui adhuc superstes erat, tonsuratum consecrare deberem. Quod ego abnui, quia Canonibus non conuenire cognoui. consilium tamen præbui, dicens: *Habemus scriptum in Canonibus, fili, Non posse quenquam ad episcopatum accedere, nisi prius ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur. Tu ergo, dilectissime, reuertere illuc, & pete vt ipse te qui elegit debeat tonsurare. Cumque presbyterii honorem acceperis, ad ecclesiam assiduus esto: & cum eum Deus migrare voluerit, tunc facile episcopalem gradum ascendes.* At ille regressus, consilium acceptum adimplere dissimulauit, eo

quod Felix epiſcopus ab incommodo leuius agere videretur. Sed poſtquam febris diſceſſit, tibiæ eius ab humore puſulas emiſerunt. Tunc cantharedarum cataplaſmam nimium validam ponens, computreſcentibus tibiis, anno epiſcopatus ſui triceſimo tertio, ætate ſeptuagenaria, vitam finiuit. Cui Nonnichius conſobrinus, rege ordinante, ſucceſſit.

Quod Papolenus vxorem ſuam recepit

CAPVT XVI.

AVdiens autem Pappolenus eius obitum, neptem illius de qua ſeparatus fuerat, recepit. Ante hoc autem tempus deſponſatam eam habuerat: ſed diſſimulante de nuptiis Felice epiſcopo, hic cum magna cohorte veniens, ab oratorio puellam abſtraxit, & in Baſilicam beati Albini confugit. Tunc Felix epiſcopus ira commotus, circunuentam puellam dolis, à marito ſeparauit. Mutataque veſte apud Vaſatenſem vrbem in monaſterio poſuit: ſed illa occultos puero nuncios dirigit, vt ſcilicet eam ereptam a loco in quo poſita erat, acciperet. Quod ille non abnuens, adſumptam de monaſterio puellam ſuo coniugio copulauit, regalibuſque munitus præceptionibus, timere parentum diſtulit minas.

De Iudæis per Chilpericum regem conuerſis

CAPVT XVII.

REx vero Chilpericus multos Iudæorum eo anno baptizari præcepit, ex quibus plures excepit è ſancto lauacro. Nonnulli tamen eorum corpore tantum, nō corde abluti, ad ipſam quam prius perfidiam habuerant, Deum mentiti regreſſi ſunt, ita vt & Sabbatum obſeruare, & diem Dominicum honorare viderentur. Priſcus vero ad cognoſcendam veritatem nulla penitus potuit ratione deflecti. Tunc iratus Rex, iuſſit eum cuſtodiæ mancipari, ſcilicet vt quem credere voluntarie non poterat, ſaltem credere faceret vel inuitum. Sed ille datis quibuſdam muneribus, ſpatium poſtulat, donec filius eius Maſſilienſem Hebræam accipiat: pollicetur doloſe ſe deinceps quæ Rex iuſſerat impleturum. Interea oritur intentio inter illum & Pathitem ex Iudæo conuerſum, qui iam Regis filius erat ex lauacro. Cumq; die ſabbati Priſcus præcinctus orario, nullum in manus ferens ferramentum, Moſaicas leges quaſi impleturus ſecretiora competeret, ſubito Pathir adueniens, ipſum gladio cum ſociis qui aderant iugulauit. Quibus interfectis, ad Baſilicam ſancti Iuliani cum pueris ſuis, qui ad propinquam plateam erant, confugit. Cumq; ibidem reſiderent, audiunt, quod Rex domino vitæ cæſo, famulos tanquam malefactores à Baſilica tractos, iuberet interfici. Tūc vnus ex his euaginato gladio, domino iam fugato, ſocios ſuos interficit, ipſe poſtmodum cum gladio de Baſilica egreſſus: ſed inruente ſuper ſe populo, crudeliter interfectus eſt. Pathir autem accepta licentia, ad regnum Guntheramni, vnde venerat, eſt regreſſus: ſed non poſt multos dies à parentibus Priſci interfectus eſt.

De legatis Chilperici ab Hiſpan. reuerſis

CAPVT XVIII.

IGitur legati Chilperici regis, id eſt Anſoualdus & Domichiſilus, qui ad conſpiciendam dotem in Hiſpanias fuerant miſſi, regreſſi ſunt. His diebus Leuuichildus rex in exercitu contra Hermenichildum filium ſuum reſidebat: cui & Emeritam ciuitatem abſtulit. Nam hic qualiter cum ducibus imperatoris Tyberii fuerit coniunctus, iam ſuperius expoſuimus. Nam & legatis hæc cauſa nexuit moras, vt tardius regrederentur. Quibus viſis, ego ſollicitus eram qualiter in ipſis Chriſtianis qui pauci in eo loco remanſerant, fides Chriſti ferueret. Cui hæc Anſoualdus reſpondit. Chriſtiani qui

nunc

nunc apud Hiſpanias commorantur, catholicam fidem integre ſeruant. Sed Rex nouo nunc ingenio eam nititur exturbare, dum doloſe & ad ſepulchra Martyrum, & in Eccleſiis religionis noſtræ orare confingit. Dicit enim; *Manifeſte cognoui eſſe Chriſtum filium Dei æqualem patri, ſed Spiritum ſanctum, Deum penitus eſſe non credo, eo quod in nullis legatur codicibus Deus eſſe.* Heu heu quam iniquam ſententiam, quam venenoſum ſenſum, quam prauam mentem. Et vbi eſt illud quod dominus ait, *Spiritus Deus eſt:* & illud Petri, quod ad Ananiam ait, *Quid tibi viſum eſt tentare Spiritum ſanctum? Non es hominibus mentitus, ſed Deo.* Vbi eſt & illud quod Paulus myſtica dona commemorans, ait; *Hæc enim operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens vnicuique prout vult.* Qui enim operatur quod vult, nulli cognoſcitur eſſe ſubiectus. Accedente autem Antoualdo ad Chilpericum regem, legatio Hiſpanorum eſt ſubſecuta. Quæ de Chilperico ad Childebertum accedens, in Hiſpanias eſt regreſſa.

De hominibus Chilperici apud Vrbiam fluuium

CAPVT XIX.

APud Pontem vero Vrbienſem ciuitatis Pariſiacæ, Chilpericus rex cuſtodes poſuerat, vt inſidiatores de regno fratris ſui ne nocerent aliquid, arcerentur. Quo Aſclepius ex duce præcognito, nocte inruens, interfecit omnes, pagumq; ponti proximum grauiter depopulatus eſt. Cumque hæc regi Chilperico nũciata fuiſſent, mittit nuncios comitibus, ducibuſque, & reliquis agentibus, vt collecto exercitu in regnũ germani ſui inruerent. Sed prohibitus eſt conſilio bonorum, ne faceret, dicentium ſibi; *Illi peruerſe egerunt, tu vero ſapienter age. Mitte fratri nuncios, & ſi iniuriam tuam emendare voluerit, nihil mali quæras: ſi vero noluerit, tractabis deinceps quid ſequaris.* Et ſic ratione accepta, prohibito exercitu legationem fratri dirigit. Sed ille cuncta emendans, fratris quæſiuit integre charitatem.

De obitu Chrodini ducis

CAPVT XX.

EO anno Chrodinus obiit, vir magnificæ bonitatis & pietatis, eleemoſynarius valde, pauperumq; refector, profluus ditator eccleſiarum, clericorumq; nutritor. nã ſæpe à nouo fundans villas, ponens vineas, ædificans domos, culturas erigens, vocatis Epiſcopis quorum erat parua facultas, dato epulo ipſas domos cum cultoribus & culturis, cum argento, periſtromatibus, vtenſilibus, miniſtris & famulis ben gne diſtribuebat, dicens: *Sint hæc Eccleſiæ data, vt dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum.* Multa autem & alia bona de hoc viro audiuimus, quæ inſequi longum eſt. Tranſiit autem ætate ſeptuagenaria.

De ſignis oſtenſis

CAPVT XXI.

HÆc in hoc anno iterato ſigna adparuerunt: Luna eclipſin paſſa eſt. intra Turonicum territorium, verus de effracto pane ſanguis effluxit: muri vrbis Sueſſionicæ corruerunt: apud Andegauam vrbem terra tremuit: intra muros vero Burdegalenſis oppidi ingreſſi lupi canes deuorauerunt, nequaquam hominem metuentes: per cœlum ignis diſcurrere viſus eſt. Sed & Vaſatenſis ciuitas incendio concremata eſt, ita vt eccleſiæ domus eccleſiaſticæ vaſtarentur. Miniſterium tamen omne ereptum fuiſſe cognouimus.

De Cartherio episcopo

CAPVT XXII.

l. iudices.

REx igitur peruasis Chilpericus ciuitatibus fratris sui, nouos comites † ordinat, & cuncta iubet sibi vrbium tributa deferri. Quod ita impletum fuisse cognouimus. His diebus adprehensi sunt duo homines à Nonnichio Lemouicinæ vrbis comite, deferẽtes ex nomine Charterii Petrogoricæ vrbis episcopi, literas, quæ multa improperia loquebantur in Regem: in quibus inter reliqua erat insertum, quasi quereretur sacerdos, *se à paradiso ad inferos descendisse*. Scilicet quod à regno Guntheramni in Chilperici fuerit ditiones commutatus. has literas cum his hominibus iam dictis comes sub ardua custodia regi direxit. Rex vero patienter propter † Episcopum mittit, quo eum suo conspectui præsentarent, discussurus vtique si vera essent quæ ei opponebãtur, an non. Adueniente vero Episcopo, Rex homines illos cum literis repræsentat: interrogat sacerdotem, si ab eo directæ fuerint? Negat ille à se directas. Interrogantur vero homines, à quo eas acceperint. Frontonium diaconum proferunt. Interrogatur de diacono, sacerdos respondit, sibi eum esse præcipuum inimicum, nec dubitari debere ipsius esse nequitias, qui contra eum sæpius causas commouisset iniquas. Adducitur Diaconus sine mora: interrogatur à Rege, confitetur super episcopum dicens: *Ego hanc epistolam Episcopo iubente dictaui.* Proclamante vero Episcopo & dicente, quod sæpius hic ingenia quæreret, qualiter eum ab episcopatu deiiceret, Rex misericordia motus, commendans Deo causam suam, cessit vtrisque, deprecans clementer Episcopum pro Diacono, & supplicãs vt pro se sacerdos oraret: & sic cum honore vrbi remissus est. Post duos vero menses Nonnichius comes qui hoc scandalum seminauerat, sanguine percussus interiit, resque eius, quia absque liberis erat, diuersis à rege concessæ sunt.

Gall. pour.

Quod Chilperico regi filius natus est

CAPVT XXIII.

DEhinc Chilperico regi post multa funera filiorum, filius nascitur. ex hoc iubet Rex omnes custodias relaxari, vinctos absolui, compositionesq; negligentũ fisco debitas præcepit omnino non exigi. Sed magnum deinceps dolum hic intulit infans.

De insidiis Theodori Episcopi, & de Gundobaldo

CAPVT XXIV.

Vide inf. lib. 8. c. 10.

Colonia Agripp.

NOua iterum contra Theodorum episcopum bella consurgunt. nam Gundobaldus, qui se filium Chlotharii regis esse dicebat, de Constantinopoli veniens, Massiliam est aduectus: de cuius origine quædam strictim libuit memorare. Hic cum natus esset in Galliis, & diligenti cura nutritus (vt regum istorum mos est) crinium flagellis per terga demissis, literis eruditus, Childeberto regi à matre repræsentatur, dicente ea; *Ecce*, inquit, *nepotem tuum Chlotharii regis filium. Et quia inuisus habetur patri, suscipe eum, quia caro tua est.* Quem ille, eo quod ei filii non essent, accipiens, retinebat secum. Nunciantur hæc regi Chlothario: misitque fratri nuncios dicens: *Dimitte puerum, vt veniat ad me.* Nec moratus ille, iuuenem fratri direxit. Quo viso, Chlotharius iussit tonderi comam capitis eius, dicens; *Hunc ego non generaui.* Igitur post Chlotharii regis obitum, a Chariberto rege susceptus est: quem Sygibertus arcessitum iterum amputauit comam capitis eius, & misit eum in Agrippinensem ciuitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Ille quoque ab eo loco delapsus, dimissis iterum capillis, ad Nartetem abiit, qui tunc Italiæ præerat: ibi accepta vxore, filios procreauit, & ad Constantinopolin accessit. Inde (vt ferunt) post multa tempora, à quodam inuitatus vt veniret in Gallias, Massiliam adpulsus, à Theodoro episcopo susceptus est. Et ab eodem etiam

acce-

acceptis equis, Mummolo duci coniunctus est. Erat autem tunc Mummolus in ciuitate Auennica, sicut supra iam diximus. Guntheramnus vero dux adprehensum Theodorum episcopum, in custodiam pro hac causa detrusit, reputans cur hominem extraneum intromisisset in Gallias, voluissetque Francorum regnum imperialibus per hæc subdere ditionibus. At ille epistolam (vt aiunt) manu maiorum Childeberti regis sub[illegible]criptam, protulit dicens; *Nihil per me feci, nisi quæ mihi à dominis nostris & senioribus imperata sunt*. Custodiebatur igitur sacerdos in cellula, nec permittebatur ecclesiæ propinquare. Quadam vero nocte, dum attentius oraret ad Dominum, refulsit cellula nimio splendore, ita vt comes qui erat custos eius, ingenti pauore terreretur: visusque est super eum lucis immensæ globus per duarum horarum spacium. Mane autem facto, narrabat hæc comes ille cæteris qui cum eo erant. Post hæc autem ductus est ad Guntheramnum regem cum Epiphanio episcopo: qui tunc Longobardos fugiens, Massiliæ morabatur, scilicet quod & ipse conscius huius causæ fuisset. Discussi igitur à Rege, in nullo inuenti sunt crimine. Rex tamen iussit eos sub custodia degere, in qua post multa supplicia, Epiphanius episcopus obiit. Gundobaldus vero in insulam maris secessit, expectans euentum rei. Guntheramnus vero dux cum duce Guntheramni regis res Gundobaldi diuisit, & secum in Aruernum detulit immensum (vt ferunt) argenti pondus, & auri, & reliquarum rerum.

De signis

CAPVT XXV.

ANno octauo Childeberti regis, pridie Calendas Februarias, cum die Dominico ad vrbem Turonicam ad matutinas signum † commotum fuiss[illegible], & populus surgens, ad Ecclesiam conueniret, cœlo nubilo cum pluuia globus magnus ignis de cœlo dilapsus in spacio multo cucurrit in aera. Qui tantam lucem dedit, vt tanquam media die omnia cernerentur. Quo iterum in nubem suscepto, nox successit. Aquæ vero extra solitum inualuerunt. nam tantam inundationem Sequana, Matronaque circa Parisios intulerunt, vt inter ciuitatem & Basilicam sancti Laurentii naufragia sæpe contingerent. *† campana.*

De Guntchramno & Mummulo

CAPVT XXVI.

GVntheramnus quoque dux Aruernum cum supradictis thesauris reuersus ad Childebertum regem abiit. Cumque exinde regrederetur cum vxore & filiis, à Guntheramno rege comprehensus retinebatur, dicente sibi Rege: *Tua inuitatio Gundob[illegible]ldum [illegible]dduxit in Gallias, & ob hoc ante hos annos abisti Constantinopolin.* Cui ille, *Mummol[illegible]*, inq[illegible]it, *dux tuus ipse suscepit eum, & in Auenione secum retinuit. Nunc autem permitte me[illegible], & adducam ipsum tibi, & tunc immunis ero ab his quæ reputantur mihi.* Cui Rex ait; *Non permittam te abire, nisi dign[illegible]s luas pœnas pro his quæ commisisti.* At ille cernens se morti propinquum, ait; *Ecce fi[illegible]ium meum, suscipe illum, & sit obses pro his quæ promitto domino meo regi. Et nisi Mummolum adducam tibi, perdam paruulum meum.* Tunc Rex permisit eum abire, retento secum eius infantulo. At ille adsumptis secum Aruernis atque Vellauis, Auenionem abiit. Sed astu Mummoli, naues in Rhodano infirmæ paratæ sunt. Ascendentesq; simpliciter, vt in medio amnis venerunt, impletis nauibus mergebātur. Tunc in periculo positi, alii nando euaserunt, nonnulli vero arreptis ipsarum nauium tabulis attigerunt litus. Plerique autem quorum minor fuit astutia, in amne demersi sunt. Guntheramnus vero dux aduenit Auenionem. prouiderat enim Mummolus, postquam intra muros vrbis illius est ingressus, vt quia pars parua residebat, quæ non vallabatur à Rhodano, educta ex eo parte, locus ille totus hoc alluuio muniretur: in quo loco fossas magnæ profunditudinis fodit, præparatosque dolos aqua decurrens operuit. Tunc adueniente Guntheramno, ait ex muro Mummolus: *Si*

fides est integra, veniat ille ab vna parte ripæ, ego ex alia, & quod voluerit eloquatur. Quo cum conuenissent, ait Guntheramnus econtra, (hoc enim brachium fluminis inter vtrunque erat positum) *Si licet*, inquit, *vadam: quia sunt aliqua quæ inter nos secretius conferantur.* Cui ille; *Veni*, ait, *ne timeas*. Ingressus cum vno amicorum suorum, vt erat loricæ pondere adgrauatus: illico amicus ille, vt foueam amnis attigit, sub aquis demersus, nusquam comparuit. Guntheramnus vero cum demergeretur atque portaretur ab vnda veloci, vnus de astantibus porrecta manui eius hasta, eum litori reddidit. Et tunc inlatis sibi conuiciis ipse & Mummolus discesserunt: obsidente quoque Gunthramno ipsam vrbem cum exercitu Gunthcramni, regi nunciata sunt hæc Childeberto. At ille ira commotus, cur hæc non iussus ageret, Gundulfum superius dictum illuc direxit. Qui amota obsidione, Mummolum Aruernos adduxit. sed post paucos dies Auenionem regressus est.

Quod Chilpericus rex Parisios est ingressus

CAPVT XXVII.

CHilpericus rex pridie quam Pascha celebraretur, Parisios abiit. Et vt maledicto quod in pactione sua & fratrum suorum conscriptum erat, *Vt nullus eorum Parisios sine alterius voluntate ingrederetur*, carere posset, reliquiis Sanctorum multorum præcedentibus, vrbem ingressus est: diesq; Paschæ cum multa iocunditate tenuit, filiumque suum baptismo tradidit, quem Ragnemodus ipsius vrbis sacerdos, de lauacro sancto suscepit, ipsumque Theodoricum vocitari præcepit.

De Marco referendario

CAPVT XXVIII.

MArcus quoque referendarius, cuius supra meminimus, post congregatos de iniquis descriptionibus thesauros, subito lateris dolore detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens, spiritum exhalauit, resque eius fisco conlatæ sunt (nam magni ibidem thesauri ex auro argentoque, & multarum specierum reperti sunt) nihil exinde secum aliud portans, nisi animæ detrimentum.

De puellis monasterii Pictauensis

CAPVT XXIX.

An. 583. LEgati de Hispaniis reuersi nihil certi renunciauerunt, eo quod Leuuichildus contra filium suum seniorem in exercitu resideret. In monasterio autem beatæ Radegundis, puella quædam nomine Disciola, quæ beati Saluii Albigensis episcopi neptis erat, obiit hoc modo: Cum ægrotare cœpisset, & ei assidue sorores aliæ deseruirent, venit dies ille quo migraret à corpore: & circa horam nonam ait sororibus: *Ecce iam leuiorem me sentio: ecce nihil doleo: nunc autem non est necesse sollicitudini vestræ, vt mihi curæ aliquid impendatis, sed potius discedite à me, quo facilius sopori relaxer.* Hæc audientes sorores eius, recesserunt parumper à cellula. Et post paululum aduenerunt: denique stantibus illis coram ea, expectabant quid ab illa elocutionis audirent. Ipsa autem expansis manibus, benedictionem à nescio quo efflagitans, ait: *Benedic*, inquit, *mihi, sancte ac famule Dei excelsi. ecce enim iam tertio fatigaris hodie mei causa. Et cur Sancte pro infirma muliercula crebras iniurias sustines?* Interrogantibus vero illis, ad quem hæc verba proferret, penitus non est effata. Tunc facto modico interuallo, emisit vocem magnam cum risu: & sic tradidit spiritum. Et ecce quidam energumenus, qui tunc ad beatæ crucis gloriam mundandus aduenerat, arrepta manibus cæsarie, conlisit se in terram, dicens; *Heu heu heu nobis, qui tale damnium perpessi sumus: vel licuisset prius causas inquirere, & sic de potestate nostra fuisset ablata hæc anima.* Inquirentibus vero his qui aderant,

erant,

erant, quod esset hoc verbum quod loquebatur, respondit; *Ecce animam puellæ Michael angelus suscepit, & ipse eam ad cælos euehit. Princeps vero noster, quem vos Diabolum nominatis, nihil in ea participatur.* Post hæc corpus aquis ablutum, ita candore niueo refulgebat, vt nullum linteum reperire Abbatissa potuisset in promptu, quod corpore candidius cerneretur: induta tamen linteis mundis, sepulturæ mandata est. nam & alia puella huius monasterii visum vidit, quod sororibus retulit. Putabat, inquit, se iter aliquod conficere, & erat ei votum vt ad fontem viuum gradiens perueniret. Cumque viam nesciret, vir quidam se obuiam obtulit, dicens: *Si*, inquit, *vis ad fontem viuum accedere, ego ero præuius itineris tui.* At illa gratias agens, sequebatur præcedentem. Quibus ambulantib. peruenerunt ad fontem magnum, cuius aquæ tanquam aurum splendebant, herbæ vero in modum diuersarum gemmarum vernante luce radiabant. Et ait vir ad eam; *Ecce fontem viuum quem multo labore quæsisti. Satiare nunc ab eius fluentis, vt fiat tibi fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam.* Cumq; illa auide ex his aquis hauriret, ecce ab alia parte veniebat Abbatissa: & denudatam puellam induit veste regia, quæ tāta luce, auroque, & monilibus refulgebat, vt vix posset intendi, dicente sibi Abbatissa: *Sponsus enim tuus mittit tibi hæc munera.* Hæc cum puella vidisset, compuncta est corde, & post dies paucos rogauit Abbatissam, vt sibi in qua includeretur cellulam præpararet. At illa velociter perfecta ait, *Ecce*, inquit, *cellulam, quid nunc desideras?* Puella vero petiit, vt recludi permitteretur. Quod cum ei præstitum fuisset, congregatis virginibus cū magno psallentio accensis lampadibus, tenente sibi beata Radegunde manu, ad locum vsq; perducitur. Et sic Vale faciens omnibus, & osculans singulas quasque, reclusa est. Obstructoque aditu per quem ingressa fuerat, ibi nunc orationi ac lectioni vacat.

De obitu Tyberii Imperatoris

CAPVT XXX.

HOc anno Tyberius Imperator migrauit à seculo, magnum luctum relinquens populis de obitu suo. erat enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in iudiciis iustus, in iudicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens, ipse quoque diligebatur ab omnibus. Hic cum ęgrotare cœpisset, & se iam viuere desperaret, vocauit Sophiam Augustam dicens: *Ecce iam impletum sentio tempus vitæ meæ, nunc cum consilio tuo eligam, qui reipublicæ præesse debeat.* At illa Mauricium quendam elegit, dicens; *Valde strenuus & sagax est vir iste: nam & sæpius contra inimicos reipublicæ dimicans, victorias obtinuit.* Hæc enim dicebat, vt isto transeunte, huius coniugio necteretur. Sed Tyberius postquam consensum cognouit Augustæ de huius electione, iussit exornari filiam suam ornamentis imperialibus, & vocato Mauricio ait; *Ecce eum consensu Sophiæ Augustæ ad imperium elegeris: in quo vt firmior sis, filiam meā tradam tibi.* Et accedente puella, tradidit eam pater Mauricio dicens; *Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum. Vtere eo felix, memor semper vt æquitate & iustitia delecteris.* At ille accepta puella, duxit eam ad domum suam, & transacta solennitate nuptiarum, Tyberius obiit. Igitur celebrato iustitio, Mauricius indutus diademate & purpura, ad circum processit: acclamatisque sibi laudibus, largitis populo muneribus, in imperio confirmatur. *Mauricius Imp.*

De multis malis quæ Chilpericus rex in ciuitatibus fratris sui fieri iußit, vel ipse fecit

CAPVT XXXI.

DEnique Chilpericus rex legatos nepotis sui Childeberti suscepit, inter quos primus erat Egidius Rhemensis episcopus: quibus intromissis ad Regem, data suggestione dixerunt; *Pacem quam cum domino nostro nepote tuo fecisti, petit à te omnimodis conseruari: cum fratre vero tuo pacem habere non potest, quia partem Massiliæ et post mortem abstu-*

lit patris, fugaceſque ſuos retinet, nec eos vult ei remittere. Ideo Childebertus nepos tuus charitatem quam nunc tecum retinet, integere vult ſeruare. Et ille, *In multis*, inquit, *frater meus acceſſit culpabilis. nam ſi ordinem rationis filius meus Childebertus inquirat, cognoſcet protinus, quod huius conludio pater eius eſt interfectus.* Hæc eo dicente, Egidius epiſcopus ait, *Si cum nepote tuo coniungeris, & ipſe coniungitur tibi; commoto exercitu, vltio quæ debetur ſuper eum velocius infertur.* Quod cum iuramento firmaſſent, obſideſque inter ſe dediſſent, diſceſſerunt. Igitur fidens in promiſſis eorum Chilpericus, commoto regni ſui exercitu, Pariſios venit: vbi cum reſediſſet, magnum diſpendium rerum incolis intulit. Berulfus vero dux cum Turonicis, Pictauis, Andegauiſque, atque Namneticis, ad terminum Biturigum venit. Deſiderius vero & Bladaſtes cum omni exercitu prouinciæ ſibi commiſſæ, ab alia parte Bituricum vallant, multum vaſtantes per quas venerunt regiones. Chilpericus vero iuſſit exercitum, qui ad eum acceſſit, per Pariſios tranſire. Quo tranſeunte & ipſe tranſiit, atque ad Mecledonenſe caſtrum abiit, cuncta incendio tradens atque deuaſtans. Et licet exercitus nepotis ſui ad eum non veniſſet, tamen duces & legati eius cum ipſo erant. Tunc miſit nuncios ad ſupradictos duces, dicens; *Ingredimini Bituricum, & accedentes vſque ad ciuitatem, ſacramenta fidelitatis exigite de nomine noſtro.* Biturici vero cum quindecim milibus ad Mecledonenſe caſtrum confluunt: ibique contra Deſiderium ducem confligunt: factaque eſt ibi ſtrages magna, ita vt de vtroque exercitu amplius quam ſeptem milia cecidiſſent: duces quoque cum reliqua parte populi, ad ciuitatem peruenerunt, cuncta diripientes vel deuaſtantes. taliſque depopulatio inibi acta eſt, qualis nec antiquitus eſt audita fuiſſe, vt nec domus remaneret, nec vinea, nec arbores, ſed cuncta ſuccIderent, incenderent, debellarent. nam & ab eccleſiis auferentes ſacra miniſteria, ipſas incendio concremabant. Gunthcramnus vero rex cum exercitu contra fratrem ſuum aduenit, totam ſpem in Dei iudicio collocans. Qui die vna iam veſpere, miſſo exercitu maximam partem de germani ſui exercitu interfecit. Mane autem concurrentibus legatis, pacem fecerunt, pollicentes alter alterutro, *vt quicquid Sacerdotes vel ſeniores populi iudicarent, pars parti componeret quæ terminum legis exceſſerat*: & ſic pacifici diſceſſerunt. Chilpericus vero rex cum exercitum ſuum a prædis arcere non poſſet, Rhotongenſem comitem gladio trucidauit: & ſic Pariſios rediit, omnem relinquens prædam, captiuoſque relaxans. At iſti qui Biturigas obſidebant, accepto mandato vt reuerterentur ad propria, tantas prædas ſecum ſuſtulerunt, vt omnis regio illa vnde egreſſi ſunt, valde putaretur euacuata, & de hominibus, & pecoribus. Ingreſſus quoque exercitus Deſiderii atque Bladaſtis per Turonicum, incendia, prædas & homicidia tanta fecerunt, ſicut ſolet contra inimicos fieri. nam & captiuos abduxerunt, de quibus ſpoliatos plurimos poſtea dimiſerunt. Subſecutus eſt morbus pecorum hanc cladem, ita vt vix vnicum remaneret: nouumque eſſet, ſi aliquis aut iumentum videret, aut cerneret buculam. Sed dum hæc agerentur, Childebertus rex cum exercitu ſuo vno in loco reſidebat. Nocte autem quadam commoto exercitu, magnum murmur contra Egidium epiſcopum, & duces Regis minor populus eleuauit, ac vociferari cœpit, & publice proclamare; *Tollantur à facie regis, qui regnum eius venundant, ciuitates illius dominationis alteri ſubdunt, populum ipſius principis alterius ditionibus tradunt.* dum hæc & his ſimilia vociferando proferrent, facto mane adprehenſo armorum adparatu, ad tentorium Regis properant, ſcilicet vt adprehenſis Epiſcopo & ſenioribus, vi obprimerent, verberibus adficerent, gladiis lacerarent. Quo comperto, ſacerdos fugam iniit, aſcenſoque equo ad vrbem propriam tendit. At populus ille cum clamore ſequebatur, proiiciens poſt eum lapides, euomenſque conuicia. Fuit tunc ei hæc cauſa præſidium, quod hi paratos equos non habebant. Attamen laſſatis ſociorum equis, ſolus pertendit Epiſcopus, tanto timore perterritus, vt vnam caligam de pede elapſam colligere non curaret: & ſic vſque ciuitatem veniens, ſe intra murorum Rhemenſium ſepta conclufit.

De

De interitu Leudastis

CAP. XXXII.

ANte paucos autem menses Leudastes in Turonicum cum præcepto Regis aduenit, vt vxorem reciperet, ibique commoraretur. Sed & nobis epistolam sacerdotum manu subscriptam detulit, vt in communionem reciperetur. Sed quoniam literas Reginæ non vidimus, cuius causa maxime à cõmunione remotus fuerat, ipsum recipere distuli, dicens; *Cum Reginæ mandatum suscepero, tunc eum recipere non morabor.* Interea ad eam dirigo, quæ mihi scripta remisit dicens: *Compressa à multis, aliud facere non potui, nisi vt eum abire permitterem: nunc autem rogo, vt pacem tuam non mereatur, neque eulogias de manu tua suscipiat, donec à nobis quid agi debeat, plenius pertractetur.* At ego hæc scripta relegens, timui ne interficeretur: accersitoque socero eius hæc innotui, obsecrans vt se cautum redderet, donec Reginæ animus leniretur. Sed ille consilium meum quod pro Dei intuitu simpliciter insinuaui, dolose suscipiens, cum adhuc nobis esset inimicus, noluit agere quæ mandaui: impletumque est autem illud prouerbium quod quendam senem narrantem audiui: *Amico inimicoque bonum semper præbe consilium, quia amicus accipit, inimicus spernit.* Spreto ergo hoc consilio, ad Regem dirigit, qui tunc cum exercitu in pago Megledunensi degebat: deprecatusque est populum, vt Regi preces funderet, vt eius præsentiam mereretur. Deprecante igitur omni populo, Rex se videndum ei præbuit. Prostratusque pedibus eius, veniam flagitauit: cui Rex, *Cautum*, inquit, *te redde paulisper, donec visa Regina conueniat, qualiter ad eius gratiam reuertaris, cui multum inueniris esse culpabilis.* At ille, vt erat incautus ac leuis, in hoc fidens, quod Regis præsentiam meruisset, Rege Parisios reuertente, die Dominico in ecclesia sancta, Reginæ pedibus prouoluitur, veniam deprecans. At illa frendens & execrans aspectum eius, à se repulit, fusisque lachrimis ait: *Et quia non extat de filiis qui criminis mei causas inquirat, tibi eas, Iesu Domine, inquirendas committo.* Prostrataque pedibus Regis, adiecit; *Væ mihi quæ video inimicum meum, & nihil ei praualeo.* Tunc repulso eo a loco sancto, Missarum solennia celebrata sunt. Igitur egresso Rege cum Regina de ecclesia sancta, Leudastes vsque ad plateam est prosecutus, inopinans quid ei accideret: domosque negociantum circumiens, species rimatur, argentum pensat, atque diuersa ornamenta prospicit, dicens: *Hæc & hæc comparabo, quia multum mihi aurum argentumque resedit.* Ista illo dicente, subito aduenientes Reginæ pueri, voluerunt eum vincire catenis. Ille vero euaginato gladio, vnum verberat: reliqui exinde succensi felle, adprehensis parmis & gladiis super eum ruunt. Ex quibus vnus librans ictum, maximam partem capitis eius à capillis & cute detexit. Cumque per pontem vrbis fugeret, elapso inter duos axes, qui pontem faciunt, pede, effracta obpressus est tibia: ligatisque post tergum manibus, custodiæ mancipatur: iussitque Rex vt studeretur † a mēdicis, quoadusque ab his ictibus sanatus, diuturno supplicio cruciaretur. (i. carnificum) Sed cum ad villam fiscalem ductus fuisset, & computrescentibus plagis, extremam ageret vitam, iussu Reginæ in terram proiicitur resupinus, positoq; ad ceruicem eius vecte immenso, ab alio ei gulam verberant, sicque semper perfidam agens vitam, iusta morte finiuit.

De locustis, morbis, prodigiisque

CAP. XXXIII.

ANno nono Childeberti regis partem Massiliæ Gunthcramnus rex ipsi nepoti suo refudit. Legati principis Chilperici de Hispaniis regressi, nunciauerunt prouinciam Carpitaniam grauiter à locustis fuisse vastatam, ita vt non arbor, non vinea, non silua, non fructus aliquis, aut quicquam viride remaneret, quod non à locustis euerteretur. Aiebant enim, inimicitias illas quæ inter Leuuichildum & filium suum pullu-

lauerant, vehementer augeri. per loca enim eius lues vastabat. Sed maxime apud vrbem Narbonensem validius desæuiebat, etiam tertio anno, quod ibidem adprehenderat & requieuerat, populique reuertentes à fuga, iterum morbo consumpti sunt. Nam & Albigensis ciuitas maxime ab hoc incommodo laborabat. His diebus adparuerunt à parte Aquilonis nocte media radii multi, fulgore nimio relucentes, qui ad se venientes, iterum separabantur, vsquequo euanuerunt. Sed & cœlum ab ipsa septentrionali plaga ita resplenduit, vt putaretur aurora producere.

De obitu filii Chilperici, quem Theodoricum vocauit

CAP. XXXIV.

f. conuenientiam.

LEgati iterum ab Hispania venerunt, deferentes munera, & placitum accipientes cum Chilperico rege, vt filiam suam secundum conniuentiam † anteriorem, filio regis Leuuichildi tradere deberet in matrimonium: deniq; dato placito, & omnibus pertractatis, legatus ille reuersus est. Sed Chilperico regi egresso de Parisiis, vt in pagum Suessionicum accederet, nouus luctus aduenit: filius enim eius quem anno superiore sacro baptismate abluerat, a dysenteria correptus, spiritum exhalauit. hoc enim fulgor ille quem superius ex nube dilapsum memorauimus, figurauit. Tunc cum immenso fletu regressi Parisios, sepelierunt puerum, mittentes post legatum, vt reuerteretur, scilicet, vt placitum quod posuerat, prolongaret, dicente Rege; *Ecce planctum in domo sustineo, & qualiter nuptias filiæ celebrabo?* Voluit enim tunc aliam filiam illuc dirigere, quam de Audouera habebat, & eam in monasterio Pictauensi posuerat. Sed illa distulit, resistente præcipue beata Radegunde, & dicente; *Non est enim dignum, vt puella Christo dicata, iterum ad seculi voluptates reuertatur.*

De interitu Mummoli presbyteri & mulieribus interfectis

CAP. XXXV.

DVm autem hæc agerentur, nunciatur Reginæ puerum qui mortuus fuerat, maleficiis & incantationibus fuisse subductum, ibiq; Mummolum præfectum, quem iam diu Regina inuisum habebat, conscium esse. Vnde factum est, vt epulante eo in domo sua, quidam de aulicis regis puerum dilectum sibi, qui à dysenteria correptus fuerat, lamentaretur. Cui præfectus respondit: *Habetur mihi herba in promptu, de qua si dysentericus hauriat, quamlibet desperatus sit, mox sanatur.* Nunciatis his Reginæ, maiore furore succenditur. Interea adprehensas mulieres vrbis Parisiacæ tormentis applicat, ac verberibus cogit fateri quæ nouerant. At illæ confitentur se maleficas esse, & multos occumbere leto se fecisse testatæ sunt: addentes illud, quod nulla ratione credi patior: *Filiũ*, aiunt, *tuũ o Regina pro Mummoli præfecti vita donauimus.* Tunc Regina tormentis grauioribus mulierib. adfectis alias enecat, alias incendio tradit, alias rotis ossib. cõfractis innectit. & sic Compendium villam vna cũ Rege secessit: ibiq; vniuersa Regi quæ de præfecto audierat reuelauit. Rex vero missis pueris, iussit eum arcessiri, discussumque catenis onerant, & suppliciis subdunt. Trabi post tergum reuinctis manibus adpenditur, & ibi quid maleficii nouerit, interrogatur. Sed nihil de his quæ superius memorauimus, confitetur. Hoc tamen protulit, sæpius se inunctiones & potiones quæ eis Regis Reginæque gratiam præberent, ab his mulieribus suscepisse. Depositus igitur de pœna, vocat ad se lictorem dicens; *Nuncia Domino meo Regi, quia nihil mali sentio de his quæ inlata sunt.* His auditis Rex, *Verum ne est*, inquit, *hunc esse maleficum, si de his nihil est læsus pœnis?* Tunc extensum ad trocleas, tandiu loris triplicibus cæsus est, quo adusque ipsi lassarentur tortores: post hęc sudes † vngulis manuum pedumque defigunt.

i. aculeos.

Cumque

Cumque in hoc cauſa ageretur, vt ad decidendam ceruicem eius, gladius immineret, à Regina vitam obtinuit, ſed non fuit minor morte humilitas ſubſecuta. Nam impoſitus plauſtro, ad Burdegalenſem vrbem in qua ortus fuerat, ablata omni facultate, tranſmittitur: in via vero ictuatus ſanguine, vix accedere quo iuſſus eſt valuit. Sed non poſt multum tempus, ſpiritum exhalauit. Poſt hæc Regina adprehenſo puerulí theſauro, tam veſtimenta quam reliquas ſpecies, vel ex ſerico, aut quocunque vellere inuenire potuit, igne conſumpſit: quod ferunt quatuor plauſtra leuaſſe: aurum vero & argentum fornace conflatum † repoſuit, ne aliquid integrum remaneret, quod ei planctum filii in memoriam reuocaret.

f. conflandū.

De Ætherio Epiſcopo

CAP. XXXVI.

ÆTherius vero Lyxoenſis Epiſcopus, cuius ſupra meminimus, hoc ordine à ciuitate ſua vel expulſus eſt, vel receptus. Clericus quidam extitit ex Cœnomannica vrbe, luxurioſus nimis, amatorq; mulierum, & gulæ ac fornicationis omniq; immunditiæ valde deditus. Hic mulieris cuiuſdam ſæpius ſcorto commixtus, comam capitis totondit, mutatoq; virili habitu, ſecum in aliam ciuitatem deduxit, vt ſuſpicio adulterii auferretur, cum inter incognitos deueniſſet. Erat enim mulier ingenua genere, & de bonis orta parentibus. Comperto autem poſt dies multos propinqui eius quæ acta fuerant, ad vlciſcendam humilitatem generis ſui velocius properant, repertumq; clericum vinctum cuſtodiæ mancipant: mulierem vero igni conſumunt. Et ſicut cogit auri ſacra fames, clericum ſub precio venundari procurant: ea videlicet ratione, vt aut eſſet qui redimeret, aut certe morti addiceretur obnoxius. Cumque hæc Ætherio Epiſcopo delata fuiſſent, miſericordia motus, datis viginti aureis, eum ab imminenti exemit interitu. Igitur poſtquam vitæ donatus eſt, profert ſe literarum eſſe doctorem, promittens ſacerdoti, quod ſi ei pueros delegaret, perfectos eos in literis redderet. Gauiſus auditu Sacerdos, pueros ciuitatis collegit, ipſique delegat ad docendum. Denique cum iam honoraretur à ciuibus, & pontifex ei aliquid terræ vinearumque largitus fuiſſet, ac per domos parentum eorum quos erudiebat, inuitaretur, reuerſus ad vomitum, vnius puerulí matrem, immemor anterioris iniuriæ, concupiſcit. Quod cum pudica viro mulier declaraſſet, cōiuncti parentes eius grauiſſimis clericum tormentis ſubdentes, interimere voluerunt. Quem ſacerdos iterum miſericordia motus, caſtigatum verbis lenibus liberauit, honoriq; reſtituit. Sed mens læua nunquam ad bonitatem potuit inclinari, ſed potius factus eſt eius inimicus à quo ſæpius fuerat de morte redemptus. Coniunctus eſt enim Archidiacono ciuitatis: & ſe epiſcopatu dignum proferens, Epiſcopum molitur occidere: locatoque clerico qui eum bipenne percuteret, ipſi vbique diſcurrunt, muſſitant, amicitias clam inligant, proferunt præmia, vt ſi Sacerdos obiret, ipſe ſuccederet. Sed miſericordia Domini anticipauit eorum perfidiam, crudelitatemque iniquorum hominum veloci pietate repreſſit. Die vero quo Sacerdos operarios in agro adgregauerat ad ſulcandum, clericus ante dictus eum ſecuri proſequitur Sacerdotem nihil de his penitus ſcientem. Tandem igitur hæc aduertens: *Quid tu*, inquit, *me attentius cum hac bipenne proſequeris?* At ille timore perterritus, ad genua viri prouoluitur, dicens *Fortis eſto Sacerdos Dei. Nam ſcias me emiſſum ab Archidiacono ac præceptore, vt te ſecuri percuterem. Quod cum ſæpius facere voluiſſem, & ictum dextra ſuſpenſa librarem, tegebantur tenebris oculi mei, & aures obſerabantur, totumque corpus tremore quatiebatur: ſed & manus abſque virtute erant, & quæ optabam implere non poteram. cum vero manus depoſuiſſem, nihil mali ſentiebam omnino: cognoui enim quoniam tecum eſt Dominus, eo quod non potui aliquid tibi nocere.* Hæc eo dicente, fleuit Sacerdos, imponens ſilentiū clerico: reuerſusq; domū cœnæ diſcubuit. Qua exacta, in ſtrato ſuo quieuit, habens circa lectum ſuum multos lectulos clericorum. Deniq; diffiſi hi de clerico, per ſe nefas perficere cogitantes, noua argumenta machinātur, ꝑ quæ aut eū vi extinguerēt, aut certe crimen quo à ſacerdotio diuelleretur, imponerēt. Interea quieſcentib. cunctis, media fere nocte cubiculū Sacerdotis irrūpunt,

exclamantes voce magna atque dicentes; *Vidiſſe ſe mulierem à cubiculo egredi, ipſamque ob hoc dimiſiſſe, dum ad Epiſcopum feſtinaſſent.* Et ſane pars hæc & conſilium Diaboli fuit, vt in tali ætate crimen imponerent ſacerdoti, qui erat fere LXX. annorum. Nec mora, coniuncto ſecum iterum antedicto clerico, adligatur Sacerdos catenis ab eius manibus, de cuius collo ſæpius vincla diſcuſſerat, & arduæ custodiæ mancipatur ab eo, quē de cœnoſis carceribus plerunq; liberauerat. At ille cognoſcens inimicos ſibi vehemēter inualuiſſe, Domini miſericordiam cum lachrimis in vincula compactus exorat. Mox opprimuntur ſomno cuſtodes, ſolutiſque diuinitus vinclis, de cuſtodia procedit innoxius, noxiorum frequentiſſimus liberator: deinde dilapſus ad regnum Gunthcramni regis, tranſiit. Quo diſcedente, liberius iam coniuncti ſatellites ad regem Chilpericum properant pro epiſcopatu petendo, multa crimina de Epiſcopo proloquētes, addentes iſta; *In hoc cognoſce rex glorioſiſſime, vera eſſe hæc quæ dicimus, quia mortē pro ſceleribus timens ad fratris tui tranſiit regnum.* Quod ille non credens, hos ad ciuitatem redire iubet. Dum hæc agerentur, mœſti ciues de paſtoris abſentia, cognoſcentes omnia quæ de eo acta fuerant, per inuidiā & auaritiam perpetrata, adprehenſo cū ſatellite Archidiacono, iniuriæ ſubdentes, ad Regem petierunt, vt reciperent ſacerdotem ſuum. At Rex legatos fratri ſuo dirigit, adſerens nihil ſe criminis in Epiſcopo reperiſſe. Tunc Gunthcramnus Rex, vt erat benignus & profluus ad miſerandum, multa ei munera contulit, dans etiam epiſtolas per omnes Epiſcopos regni ſui, vt peregrinum aliquo pro Dei intuitu conſolarentur. Tunc circumiens ciuitates, tanta ei à ſacerdotibus Dei collata ſunt, tam in veſtibus quam in auro, vt vix ciuitati quæ meruerat poſſet inferri: impletumq; eſt illud quod ait Apoſtolus: *Quia diligentibus Deum omnia concurrunt in bonum.* Nā huic peregrinatio diuitias attulit, & exilium opes multas inuexit: poſt hæc regrediens, à ciuibus cum tali honore ſuſceptus eſt, vt pro gaudio flerent, & benedicerent Deum, qui tandem eccleſiæ tantum reſtituit ſacerdotem.

De nece Lupentii Abbatis Gaballitani

CAP. XXXVII.

LVpentius vero Abbas Baſilicæ ſancti Priuati martyris vrbis Gabalitanæ, à Brunichilde regina arceſſitus, aduenit. Incuſatus enim (vt ferunt) fuerat ab Innocentio ſupradictæ vrbis comite, quod prophanū aliquid effatus de regina fuiſſet. Sed diſcuſſis cauſis, cum nihil de crimine maieſtatis conſcius eſſet inuentus, diſcedere iuſſus eſt. Verum vbi viam carpere cœpit, iterum ab antedicto comite captus, & ad Ponticonem villam deductus, multis ſuppliciis eſt adfectus: dimiſſuſq; iterum vt rediret, cum ſuper Axonam fluuium tentorium tetendiſſet, iterum inruit ſuper eum inimicus eius. Cuius vi oppreſſi amputatum caput in culeum oneratum lapidibus poſuit, & flumini dedit: reliquum vero corpus vinctum cum ſaxo immerſit gurgiti. Poſt vero paucis adparuit quibuſdam paſtoribus, & ſic extractum à flumine ſepulturæ mandatum eſt. Sed dum neceſſitates funeris pararentur, & ignoraretur quis eſſet è populo, præſertim cum caput truncati non inueniretur, ſubito aduenients aquila leuauit culeum à fundo fluminis, & ripæ depoſuit: admirantesque qui aderant, adprehenſo culeo dum ſolicite quid contineret inquirunt, caput truncati reperiunt: & ſic cum reliquis artubus eſt ſepultum. Nam ferunt nunc & lumen ibi diuinitus adparere: & ſi infirmus ad hunc tumulum fideliter deprecatus fuerit, accepta ſoſpitate recedit.

De obitu Theodoſii Epiſcopi, & ſucceſſore eius

CAP. XXXVIII.

THeodoſius Rutenorum Epiſcopus, qui ſancto Dalmatio ſucceſſerat, diem obiit: in qua eccleſia intantum pro epiſcopatu intentiones & ſcandala orta conualuerunt,

runt, vt pene sacris ministeriorum vasis & omni facultate meliori nudaretur: verumtamen Transobadus presbyter reiicitur, & Innocentius Gabalitanorum comes eligitur ad episcopatum, opitulante Brunichilde Regina. Sed adsumpto episcopatu confestim Vrsicinum Cadurcinæ vrbis Episcopum, lacessere cœpit, dicens, quia diœceses Rutenæ ecclesiæ debitas retineret. Vnde factum est, vt diuturna intentione gliscente, post aliquot annos coniunctus metropolitanis cum suis prouincialibus apud vrbem Aruernam residens, iudicium emanaret, scilicet vt parochias quas nunquam Rutena ecclesia tenuisse recolebatur, reciperet. quod ita factum est.

De obitu Remigii Biturigum Episcopi, & de incendio vrbis & successione Sulpitii

CAP. XXXIX.

Remigius Biturigum Episcopus obiit: cuius post transitum graui incendio pars maxima ciuitatis cremata est: ibique illa quæ hostilitati resederant, perierunt. Post hæc Sulpitius in ipsa vrbe ad sacerdotium Gunthcramno rege fauente, præeligitur. Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex episcopatum quærentibus respondisse fertur: *Non est principatus nostri consuetudo, sacerdotium venundare sub precio: sed nec vestrum cum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini. Sed iuxta Dei præscientiam Sulpitius vobis erit Episcopus.* Et sic ad clericatum deductus, episcopatum ecclesiæ supradictæ suscepit. Est enim vir valde nobilis, & de primis senatoribus Galliarum, in literis bene eruditus rhetoricis, in metricis vero artibus nulli secundus. Hic synodum illam, cuius supra meminimus, pro parochiis Cadurcinis fieri commonuit.

De altercatione nostra cum hæretico

CAP. XL.

Legatus vero Oppila nomine, de Hispaniis aduenit, multa munera Chilperico regi deferens. Timebat enim Rex Hispanorum, ne Childebertus exercitum ad vlciscendam sororis suæ iniuriam commoueret, quia Leuuichildus adprehensum filium suum Herminichildum, qui sororem Childeberti Regis acceperat, retruserat in custodiam, ipsa muliere cum Græcis relicta. Igitur cum die sancto Paschæ hic legatus Turonos aduenisset, sciscitati sumus, vtrum nostræ religionis esset. Respondit, *se hoc credere, quod Catholici credunt.* exinde procedens nobiscum ad ecclesiam, Missarum solennia tenuit, sed neque pacem cum nostris fecit, neque de sacrificiis communicauit. Cognitumque est, mendacium esse quod dixerat, *se esse Catholicum*: nihilominus ad conuiuium inuitatus adfuit. Cumque ego sollicitus requirerem, quid crederet, respondit; *Credo Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius esse virtutis.* Cui ego respondi, Si hæc, vt adseris, credis, quæ obstitit causa vt de sacrificiis quæ Deo offerimus, communicare differres? & ille; *Quia*, inquit, *Gloriam non recte respondetis. nam iuxta Paulum Apostolum nos dicimus; Gloria Deo Patri per Filium: vos autem dicitis, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: cum doctores ecclesiarum doceant, Patrem per Filium nunciatum fuisse in mundo. sicut ipse Paulus ait; Regi autem sæculorum immortali inuisibili soli Deo, honor & gloria in secula seculorum, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et ego respondi, Patrem per Filium adnunciatum nulli Catholico esse incognitum reor: sed sic prædicauit Patrem in seculo, vt & se virtutibus ostenderet Deum. Deo autem Patri hæc necessitas fuit, Filium mittendi ad terras, vt ostenderet Deum: vt quia mundus Patriarchis, & Prophetis, atq; ipsi latori legis non crediderat, saltem vel Filio crederet. Ideoq; necesse est, vt sub significatione personarum gloria detur Deo. Dicimus ergo, *Gloria Deo Patri qui misit filium: gloria Deo Filio, qui sanguine suo redemit mundum: gloria Deo Spiritui sancto, qui sanctificat hominem iam redemptum.* Nam tu qui dicis,

Gloria Patri per Filium, adimis gloriam Filio, quasi ipse non sit gloriosus cum Patre: propterea quod eum adnunciauit in mundo: nunciauit (vt diximus) filius patrem in mundo, sed multi non crediderunt, dicente Ioanne Euangelista; *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Nam tu qui Paulo Apostolo derogas, & sensum eius non intelligis, percipe quam caute loquitur, & iuxta vt recipere quis potest, aduerte, qualiter prædicat inter gentes incredulas, vt nulli onus graue videatur imponere, sicut quibusdam dicit: *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis: perfectorum est enim solidus cibus.* Sed & aliis dicit: *Nihil vobis prædicaui, nisi Christum, & hunc crucifixum.* Nunc autem quid vis ô tu hæretice, quia Paulus Christum tantum crucifixum prædicauit, resurrexisse tu dubitas? aduerte potius cautelam eius, & vide astutiam, quid aliis dicit quos robustiores videbat in fide: *Et si*, inquit, *nouimus Iesum Christum crucifixum, nunc autem iam non nouimus.* Nega ergo tu accusator Pauli, si tanta mentem dementia cepit, quia nec crucifixus est: sed quæso relinque ista, & audi consilium melius: adhibe collyria oculis lippis, & lucem prædicationis Apostolicæ percipe. Secundum homines enim loquebatur Paulus humilius, vt eos ad celsioris fidei fastigia subleuaret, sicut alibi ait; *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem.* Nunquid homo mortalis non est daturus gloriam Filio, quem ipse Pater non semel, sed bis & tertio glorificauit è cœlo? Ausculta quid de cœlis loquitur, cum idem Filius descendente Spiritu sancto sub Ioannis manu baptizaretur: *Hic est*, ait, *Filius meus dilectus, in quo bene complacui:* certe si obpilatas habes aures vt ista non audias, crede Apostolis quid in monte audierint, cum transfiguratus Iesus in gloria loqueretur cũ Moyse & Helia: nempe de nube splendida Pater ait: *Hic est Filius meus charissimus, ipsum audite.* Ad hæc hæreticus respondit; Nihil in his testimoniis Pater de gloria loquitur Filii, nisi tantum ipsum Filium monstrat. Et ego: Si enim ista sic recipis, proferã tibi aliud testimonium, in quo Pater reddidit Filium gloriosum. Veniente autem Domino ad passionem, cum ille diceret; *Pater glorifica Filium tuum, vt Filius tuus glorificet te*, quid ei Pater respondit de cœlo? Nonne ait, *Et glorificaui, & iterum glorificabo*? Ecce enim Pater glorificat eum propria voce, & tu ei gloriam conaris adimere? Voluntatem quidem ostendis, sed potestas nulla suppetit. Nam qui Pauli Apostoli accusator existis, audi ipsum, imo Christum in ipso loquentem: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Quod si nunc communis est cum Patre gloria, & in ipsa qua nunc Pater est gloria commoratur, qualiter eum tu quasi inglorium exhonoras? aut cur non erit ei reddenda gloria inter homines, qui pari gloria cum Patre regnat in cœlis? Confitemur ergo Christum Filium Dei Deum verum. Ideoq; quia deitas vna, vna erit & gloria. Post hæc dato silentio, ab altercatione cessatum est. Ille quoq; ad Chilpericum regem accedens, oblatis muneribus quæ rex Hispanorum miserat, in Hispaniam est regressus.

Quod Chilpericus Rex cum thesauris suis in Camaracenses abiit

CAP. XLI.

COmperto autem Chilpericus Rex, quod Gunthcramnus frater eius cum Childeberto nepote suo pacem fecerat, & ciuitates quas violenter inuaserat ei, simul vellent auferre; cum omnibus thesauris suis in Cameracensem vrbem discessit, & omnia quæ melius habere potuerat, secum tulit. Misitq; ad duces & comites ciuitatum nuncios, vt muros componerent vrbium, resq; suas cum vxoribus & filiis intra murorum munimenta concluderent, atq; ipsi, si necessitas exigeret, repugnarent viriliter, ne his pars aduersa noceret, illud addens: *Et si aliquid perdideritis, cum de inimicis vlciscemur, maiora conquiretis*, nesciens patrationem victoriarum in manu Dei consistere. Deinde sæpius exercitum commouet, & iterum intra terminum requiescere iubet. His diebus ei filius natus est, quem in villa Victoriacensi nutrire præcepit, dicens: *Ne forte dum publice videtur, aliquid mali incurrat & moriatur.*

Quod

Quod Childebertus in Italiam abiit

CAP. XLII.

CHildebertus vero Rex in Italiam abiit. Quod cum audiſſent Longobardi, timentes ne ab eius exercitu cæderentur, ſubdiderunt ſe ditioni eius, multa ei dantes munera, ac promittentes ſe parti eius eſſe fideles atque ſubiectos: patratisque cum his omnibus quæ voluit Rex, in Gallias eſt regreſſus, atq; exercitum commoueri præcepit, quem in Hiſpaniam dirigi iuſſit, ſed quieuit. Ab imperatore autem Mauricio ante hos annos quinquaginta milia ſolidorum acceperat, vt Longobardos de Italia extruderet. Audito autem Imperator, quod cum his in pace coniunctus eſt, pecuniam repetebat: ſed hic fidus à ſolatiis, ne reſponſum quidem pro hac re voluit reddere.

De Gallienſibus regibus

CAP. XLIII.

IN Gallicia quoque nouæ res actæ ſunt, quæ deſuperius † memorabuntur. Igitur cum Herminichildus (ſicut ſupra diximus) patri infenſus eſſet, & in ciuitate quadam Hiſpaniæ cum coniuge reſideret, ſolatio fretus Imperatoris atque Mironis Gallicienſis regis, patrem ad ſe cum exercitu venire cognouit, conſiliumque iniit qualiter venientem aut repelleret, aut necaret: neſciens miſer iudicium ſibi imminere diuinum, qui contra genitorem quamlibet hæreticum talia cogitaret. Habito ergo tractatu de multis virorum milibus, trecentos viros elegit armatos, & intra castrum Oſſer, in cuius eccleſia fontes diuinitus complentur, includit: vt ſcilicet primo impetu ab his pater territus ac laſſatus, facilius ab inferiori manu quæ erat pl[illegible]ima vinceretur. Denique his dolis Leuuichildus Rex cognitis, cogitatione maxima fatigatur. *Si*, inquit, *illuc cum omni exercitu abiero, conglobatus in vnum exercitus aduerſorum iaculis crudeliſſime ſauciatur. Si vero cum paucis vadam, virorum fortium manum nequeo ſuperare: tamen cum omnibus ibo.* Et accedens ad locum viros protriuit, caſtrumque combuſſit, ſicut iam ſuperius memoratum eſt. Patrata quoque victoria, cognouit Mironem regem contra ſe cum exercitu reſidere. Quo circundato, ſacramenta exigit, ſibi in poſterum fore fidelem. Et ſic datis ſibi inuicem muneribus, vnuſquiſque ad propria eſt regreſſus. Sed Miro poſtquam in patriam rediit, non multos poſt dies conuerſus ad lectulum, obiit: infirmatus enim ab aquis Hiſpaniæ fuerat malis, aeribusque incommodis. Quo defuncto, filius eius Euricus Leuuichildi regis amicitias expetit. Datoque vt pater fecerat ſacramento regnum Gallicienſe ſuſcepit. Hoc vero anno cognatus eius Auduca, qui ſororem illius deſponſatam habebat, cum exercitu venit. Adprehenſumque clericum facit, ac diaconatus ſiue presbyterii ei imponi honorem iubet: ipſe vero accepta ſoceri ſui vxore, Gallicienſe regnum obtinuit. Leuuichildus vero filium ſuum Herminichildum cepit, & ſecum vſque Toletum adduxit, condemnans eum exilio: vxorem tamen eius à Græcis eripere non potuit.

Gall. deſ- ſoubs.

De diuerſis ſignis

CAP. XLIV.

LOcuſtæ quoque de Carpitania prouincia, quam per quinque vaſtauerant annos, hoc anno progreſſæ, aggeremque publicum tenentes, ad aliam ſe prouinciam quę huic vicina erat prouincię, contulerunt. Quarum ſpacio in centum quinquaginta extenditur milia longitudo: latitudo vero in centum milibus terminatur. Hoc anno multa prodigia adparuerunt in Galliis, vaſtationesq; multæ fuerunt in populo. Nam menſe Ianuario roſæ viſæ ſunt; circa Solem quoque circulus magnus adparuit diuerſis coloribus mixtus, vt ſolet in illo cœleſtis Iris ambitu pluuia diſcedente monſtrari

Pruina grauiter vineas exuſſit: tempeſtas etiam ſubſecuta vineas ſegetesque per plurima loca vaſtauit, reſiduum quoq; grandinis ſiccitas immenſa conſumpſit. Exiguusq; fructus in aliquibus vineis viſus, in aliis vero nullus, ita vt irati contra Deum homines patefactis aditibus vinearũ, pecora vel iumenta intromitterent, noxias ſibi immiſcẽtes miſeri preces, atque dicentes: *Nunquam in his vineis palmes naſcatur in ſempiternum.* Arbores vero quæ menſe Iulio poma protulerant, menſe Septembri fructus alios ediderunt. Morbus pecorum iteratus inualuit, ita vt vix quicquam remaneret.

De nuptiis Riguntha filiæ Chilperici

CAP. XLV.

INterim aduenientibus Calendis Septembribus, Gothorum magna legatio ad regem Chilpericum accedit. Ipſe vero iam regreſſus Pariſios, familias multas de domibus fiſcalibus auferri præcipit, & in plauſtris componi. Multos quoq; flentes & nolentes abire, in cuſtodiam retrudi iuſſit, vt eos facilius cum filia tranſmittere poſſet. Nam ferunt multos ſibi ob hanc amaritudinem vitam laqueo extorſiſſe, dum de parentibus propriis auferri metuebant. Separabatur autem filius à patre, mater à filia, & cum graui gemitu ac maledictionibus diſcedebant. Tantusq; planctus in vrbe Pariſiaca erat, vt planctui compararetur Ægyptio. Multi vero meliores natu, qui vi compellebantur abire, teſtamenta condiderunt, resque ſuas Eccleſiis deputantes, atq; petentes vt cum in Hiſpanias puella introiſſet, ſtatim teſtamenta illa tanquam ſi iam eſſent ſepulti, reſerarentur. Interea legati regis Childeberti Pariſios aduenerunt, conteſtantes Chilperico regi, vt nihil de ciuitatibus quas de regno patris ſui tenebat, auferret, aut de theſauris eius in aliquo filiam muneraret, ac non mancipia, non equos, non iuga boum, neque aliquid huiuſcemodi de his auderet attingere. De quibus legatis vnum ferunt clam interemptum: ſed neſcitur à quo: ſuſpicio tamen vertebatur ad Regem. Promittens vero Chilpericus rex, nihil de his contingere, cõuocatis melioribus Francis reliquisq; fidelibus, nuptias celebrauit filiæ ſuæ. Traditaq; legatis Gothorum, magnos ei theſauros dedit: ſed & mater eius immenſum pondus auri argentiq; ſiue veſtimentorum protulit, ita vt videns hæc Rex, nihil ſibi remanſiſſe putaret. Quem cernens Regina commotum, conuerſa ad Francos, ita ait: *Ne putetis, ô viri, quicquam hic de theſauris anteriorum regum haberi: omnia enim quæ cernitis de mea proprietate oblata ſunt, quia mihi glorioſiſsimus rex multa largitus eſt. Et ego nonnulla de proprio congregaui labore: & de domibus mihi conceſsis, tam de fructibus quam de tributis, plurima reparaui. Sed & vos plerunq; me muneribus veſtris ditaſtis, de quibus ſunt iſta quæ nunc coram videtis. nam hic de theſauris publicis nihil habetur.* Et ſic animus Regis deluſus eſt. nam tanta fuit multitudo rerum, vt aurum argentumq;, & reliqua ornamenta, quinquaginta plauſtra leuarent. Franci vero multa munera obtulerunt: alii aurum, alii argentum, nonnulli equos, pleriq; veſtimenta: & vnuſquiſq; vt potuit, donatiuum dedit. Iam vero Vale faciens puella, poſt lachrimas & oſcula cum de porta egrederetur, vno carrucæ effracto axe, omnes *Mala hora* dixerunt. Quod à quibuſdam pro auſpicio ſuſceptum eſt. Deniq; hæc de Pariſiis progreſſa, octauo ab vrbe miliario tentoria figi præcepit. ſurgentes enim quinquaginta viri de nocte, adprehenſis centũ equis optimis, totidemq; frenis aureis, ac duabus catenis magnis, ad Childebertum regem fuga dilapſi abierunt. Sed & per totũ iter cum labi quis potuiſſet, effugiebat, ferens ſecum quę arripere potuiſſet. Adparatus quoq; magnus expenſæ de diuerſis ciuitatibus in itinere cõgregatus eſt: in quo nihil de fiſco ſuo Rex dari præcepit, niſi omnia de pauperũ coniecturis. Sed quoniam ſuſcipio erat Regi, ne frater aut nepos aliquas inſidias puellæ in via pararent, vallatam ab exercitu pergere iuſſit. Erant autẽ cũ ea viri magnifici, Bobo dux filius Mummoleni cũ vxore quaſi paranymphus, Domigiſilus, & Anſoualdus; maior domus Vuaddo, qui olim Sanctonicum rexerat comitatum: reliquum vero vulgus, ſuper quatuor milia erat. Ceteri autem duces & camerarii, qui cum ea properauerant, de Pictauo regreſſi ſunt: iſti vero iter conficientes, pergebant vt poterant. Per quam viam tanta ſpolia tantæque prædæ factæ ſunt, vt vix

Mal' hora.

vix valeant enarrari: Nam hoſpitiola pauperum ſpoliabant: vineas deuaſtabant: ita vt inciſis caudicibus cum vuis auferrent, leuantes pecora, vel quicquid inuenire potuiſſent: nihilq; per viam qua gradiebantur relinquentes: impletumq; eſt quod dictum eſt per Iohel Prophetam; *reſiduum locuſtæ comedit eruca, & reſiduum erucæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.* Ita & hoc actum eſt tempore, vt reſiduum pruinæ protereret tempeſtas, & reſiduum tempeſtatis exureret ſiccitas, & reſiduum ſiccitatis auferret hoſtilitas.

De interitu Chilperici Regis

CAP. XLVI.

His itaq; cum hac præda pergentibus, Chilpericus, Nero noſtri temporis & Herodes, ad villam Calenſem quæ diſtat ab vrbe Pariſiaca quaſi centum ſtadiis, accedit, ibique venationes exercet. Quadam vero die regreſſus de venatione, iam ſubobſcura nocte, dum de equo ſuſciperetur, & vnam manum ſuper ſcapulam pueri retineret, adueniens quidam, eum cultro percutit ſub aſcellam, iteratoq; ictu ventrem eius perforat. Statimq; profluente copia ſanguinis, tam per os quam per aditum vulneris, iniquum fudit ſpiritum. Quam vero malitiam geſſerit, ſuperior lectio docet. nam regiones plurimas ſæpius deuaſtauit atq; ſuccendit. De quibus nihil doloris, ſed lætitiã magis habebat, ſicut quondam Nero cum inter incendia palatii tragœdias decantaret. Perſæpe homines pro facultatibus eorum iniuſte puniuit: in cuius tempore pauci quodammodo epiſcopatum clerici meruerunt. erat enim gulæ deditus, cuius Deus venter fuit: nullumq; ſe aſſerebat eſſe prudentiorem. confecitq; duos libros, quaſi Sedulium meditatus, quorum verſiculi debiles nullis pedibus ſubſiſtere poſſunt: in quibus dum non intelligebat, pro longis ſyllabas breues poſuit, & pro breuibus longas ſtatuebat: & alia opuſcula vel hymnos ſiue miſſas, q̃ nulla ratione recipi poſſunt. Cauſas pauperum exoſas habebat: ſacerdotes Domini aſſidue blaſphemabat: nec aliunde magis dum ſecretus eſſet, exercebat ridicula vel iocos, quam de Eccleſiarum Epiſcopis: illum ferebat leuem, alium ſuperbum: illum abundantem, iſtum luxurioſum: illum aſſerebat elatum, hunc tumidum, nullam rem plus odio habens quam eccleſias. aiebat enim plerunq;; *Ecce pauper remanſit fiſcus noſter, ecce diuitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt translatæ. Nulli penitus, niſi ſoli Epiſcopi regnant: periit honor noſter, & translatus eſt ad Epiſcopos ciuitatum.* Hæc agens aſſidue, teſtamenta quæ in Eccleſiis conſcripta erant, plerunque diſrupit, ipſaſq; patris ſui præceptiones, putans quod non remaneret qui voluntatem eius ſeruaret, ſæpe calcauit. Iam de libidine atq; luxuria nõ poteſt reperiri in cogitatione, quod non perpetraſſet in opere. Nouaq; ſemper ad lædendum populum ingenia perquirebat. nã ſi quos hoc tempore culpabiles repeririſſet, oculos eis iubebat erui, & in præceptionibus quas ad iudices pro ſuis vtilitatibus dirigebat, hæc addebat: *Si quis præcepta noſtra contempſerit, oculorum euulſione mulctetur.* Nullum vnquam pure dilexit, à nullo dilectus eſt: ideoq; cum ſpiritum exhalaſſet, omnes eum reliquerunt ſui. Mallulfus autem Siluanectenſis Epiſcopus, qui iam tertia die in tentorio reſidebat, & ipſum videre non poterat, vt eum interemptum audiuit, aduenit: ablutumq; veſtimentis melioribus induit. noctem in hymnis deductam, in nauim leuauit, & in Baſilica ſancti Vincentii, quæ eſt Pariſiis, ſepeliuit, Fredegunde Regina in eccleſia derelicta.

An. DCX.

Sup. V. c. 44. Aimon. III. c. 17.

GREGORII TVRONICI HISTORIARVM

LIBER SEPTIMVS.

De obitu sancti Saluii Episcopi

CAP. I.

LICET sit studium, historiam prosequi, quam priorum librorum ordo reliquit, tamen prius aliqua de beati Saluii Episcopi obitu poscit loqui deuotio, qui hoc anno obiisse probatur. Hic enim (vt ipse referre erat solitus) diu in habitu seculari commoratus, cum iudicibus seculi mundiales causas est executus: nunquam tamen se in his concupiscentiis obligans, quibus adolescentum animus solitus est implicari. Iam cum diuini spiramenti odor interna viscerum adtigisset, relicta seculari militia monasterium expetiuit, intellexitq; vir iam tunc diuinitati deditus, melius esse vti paupertate cum Dei timore, quam seculi pereuntis lucra sectari: in quo monasterio diu sub regula à patribus instituta versatus est. Iam vero cum in robore maiori tam intellectus quam ætatis euectus esset, defuncto Abbate qui huic monasterio præerat, alendi gregis suscipit officium. Et qui se magis fratribus publicum pro correctione reddere debuerat, fit adsumpto honore remotior: ilico sibi secretiorem cellulam quærit. Nam in priore (vt ipse adferebat) amplius quam nouem vicibus nimia exesus abstinentia, pellem corporis demutauit. denique accepto honore, cum in hac contentius parsimonia orationi & lectioni vacaret, illud plerunque reuoluebat, melius sibi fieri si esset inter monachos occultus, quam nomen acceperit Abbatis in populos. Quid plura? Includitur, Vale dicens fratribus, sibique ipsis Vale dicentibus: in qua inclusione in omni abstinentia magis quam prius egerat, commoratur: studens pro charitatis obsequio, vt cum quisque venisset extraneus, & orationem tribueret, & eulogias gratia plenissima ministraret, quæ multis infirmis plerunque salutem integram detulerunt. Quodam autem tempore, febre nimia exhaustus, anhelus iacebat in lectulo. Et ecce subito, magno lumine cellula clarificata contremuit. At ille extensis ad cœlum manibus, cum gratiarum actione spiritum exhalauit. Mixto quoque vlulatu Monachi cum ipsius genitrice corpus defuncti extrahunt, aqua diluunt, vestimentis induunt, & feretro superponunt, atque in psallentio fletuque labentem exigunt noctem. Mane autem facto, funeris officio præparato, corpus moueri cœpit in feretro. Et ecce malis rubescentibus, vir quasi de graui somno suscitatus, excutitur, apertisque oculis & manibus eleuatis, ait; *O Domine misericors,*

quid

quid fecisti mihi, vt me in hunc tenebrosum mundanæ habitationis locum redire permitteres, cum mihi melior esset in cælo tua misericordia quam istius mundi vita nequissima? Stupentibus autem suis, & interrogantibus, quid fuerit tale prodigium, nihil interrogantibus ille respondit. Surgens autem de feretro, nihil mali sentiens de incommodo quo laborauerat, triduo absque cibi ac poculi perstitit alimento. Die autem tertio, conuocatis monachis & matre ait: *Audite ô dilectissimi & intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo: sed sunt iuxta id quod Salomon Propheta cecinit, Omnia vanitas: felix est enim qui ea agere potest in seculo, vt gloriam Dei cernere mereatur in cælo.* Et cum hæc diceret, dubitare cœpit, vtrum loqueretur amplius an sileret. Quo tacente implicitus fratrum precibus, vt quid vidisset exponeret, ait; Cum me ante hos quatuor dies contremiscente cellula exanimem vidistis, adprehensus à duobus Angelis in cœlorum excelsa sublatus sum, ita vt non solum hoc squalidum seculum, verumetiam solem ac lunam, nubes & sidera sub pedibus habere putarem: deinde per portam luce ista clariorem introductus sum in illud habitaculum, in quo omne pauimentum erat quasi aurum argentumque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis: quam ita multitudo promiscui sexus obtexerat, vt longitudo ac latitudo cateruæ prorsus peruideri non possit. Cumque nobis via inter comprimentes ab his qui præcedebant angelis pararetur, peruenimus ad locum quem iam de longinquo contemplabamur: in quo superpendebat nubes omni luce lucidior, in quo non sol, non luna, non astrum cerni poterat, sed super his omnibus naturali luce splendidius effulgebat. Et vox procedebat de nube, tanquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter salutabant viri in veste sacerdotali ac seculari, quos mihi qui præcedebant enarrauerunt esse Martyres ac confessores, quos hîc summo excolimus famulatu. Stans igitur in loco, in quo iussus sum, operuit me odor nimiæ suauitatis, ita vt ab hac suauitate refectus, nullum adhuc cibum potumque desiderem. Et audiui vocem dicentem, *Reuertatur hic in seculum, quoniam necessarius est Ecclesiis nostris.* Vox enim audiebatur. nam qui loqueretur, penitus cerni non poterat. Et ego prostratus super pauimentum, cum fletu dicebam; *Heu, heu Domine, cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram? Ecce hodie eiicis me à facie tua, vt reuertar ad seculum fragile, & huc vltra redire non valeam. Ne quæso Domine auferas misericordiam tuam à me, sed deprecor vt permittas me hîc habitare, ne illuc decidens peream.* Et ait vox quæ loquebatur mihi; *Vade in pace: ego enim sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum.* Tunc relictus à comitibus meis, descendens cum fletu, per portam qua ingressus fueram huc sum regressus. Hæc eo loquente, stupentibus cunctis qui aderant, cœpit iterum sanctus Dei cum lachrimis dicere; *Væ mihi, quia tale mysterium ausus sum reuelare. Ecce enim odor suauitatis quem de loco sancto hauseram, & in quo per hoc triduum sine vllo cibo potuque sustentatus sum, recessit à me. Sed & lingua mea grauibus est operta vulneribus, & ita tumefacta, vt omne os meum videatur implere. Et scio quia non fuit beneplacitum Domino Deo meo, vt hæc arcana vulgarentur. Sed tu nosti Domine, quia in simplicitate cordis hæc feci, non in iactantia mentis. Sed quæso indulgeas, & non me derelinquas iuxta pollicitationem tuam.* Et hæc dicens siluit, & accepit cibum potumque. Ego vero hæc scribens, vereor ne alicui legenti sit incredibile, iuxta id quod Salustius historiam scribens ait, vbi de virtute atque gloria bonorum memor est: *Quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: supra ea veluti ficta pro falsis ducit.* Nam testor Deum omnipotentem, quia ab ipsius ore omnia quæ retuli, audita cognoui. Post multum vero tempus ipse vir beatus cellula sua extractus, ad episcopatum electus, inuitus est ordinatus: in quo (vt opinor) decimum annum cum ageret, inualescente apud Albigensem vrbem inguinario morbo, & maxima iam parte de populo illo defuncta, cũ iam pauci de ciuibus remanerẽt, vir beatus tanquam bonus pastor, nunquam ab illo loco recedere voluit, sed semper hortabatur eos qui relicti erant, orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere: & bona semper tam in operibus quam in cogitatione versare dicens; *Hæc agite, vt si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in iudicium, sed in requiem introire possitis.* Cum autem (vt credo) iam reuelante Domino, tempus suæ vocationis agnosceret, ipse sibi sarcofagum composuit, corpus abluit, vestem induit: & sic intentum semper cœlo beatum spiritum exhalauit. Fuit autem magnę sanctitatis minimæq; cupiditatis, aurum nunquam habere volens.

nam ſi coactus accepiſſet, protinus pauperibus erogabat. Cuius tempore cum Mummolus patritius multos captiuos ab ea vrbe duxiſſet, proſecutus ille omnes redemit. Tantamque ei Dominus gratiam cum populo illo tribuit, vt ipſi etiam qui captiuos duxerant, & de precio ei concederent, & in reliquo munerarent: & ſic patriæ ſuæ captiuos libertati priſtinæ reſtaurauit. Multaque de hoc viro bona audiui: ſed dum ad hiſtoriæ cœptum reuerti cupio, plurima prætermitto.

De conſilio Carnotenorum & Aurelianenſium

CAP. II.

DEfuncto igitur Chilperico, inuentaque quam diu quæſierat morte, Aurelianenſes cum Bleſenſibus iuncti ſuper Dunenſes inruunt, eosque inopinantes proterunt, domos annonaſque, vel quæ mouere facile non poterant, incendio tradunt, pecora diripiunt, atque res quas leuare poterant, ſuſtulerunt. quibus diſcedentibus coniuncti Dunenſes cum reliquis Carnotenis, de veſtigio ſubſequuntur, ſimili ſorte eos adficientes qua ipſi adfecti fuerant, nihil in domibus, vel extra domos, vel de domibus relinquentes. Cumque adhuc inter ſe iurgia commouentes deſæuirent, & Aurelianenſes contra hos arma concuterent, intercedentibus comitibus pax vſque in audientiam data eſt, ſcilicet vt in die quo iudicium erat futurum, pars quæ contra partem iniuſte exarſerat, iuſtitia mediante componeret, & ſic à bello ceſſatum eſt.

De interitu Vedaſti cognomento Aui

CAP. III.

Sup.VI.c.13. VEdaſtes cognomento Auo, qui ante hos annos Lupum Ambroſiumq; pro amore vxoris Ambroſii interfecerat, & ipſam ſibi (quæ conſobrina ſua eſſe diceba tur) in matrimonium acceperat, dum multa ſcelera infra Pictauum terminum perpetraret, quodam loco cum Childerico Saxone coniunctus, dum ſe inuicem conuiciis laceſſirent, vnus ex pueris Childerici Auonem haſta transfixit. Qui ad terram ruens, pleriſque adhuc ictibus ſauciatus, iniquam animam ſanguine defluente refudit: fuitque vltrix diuina maieſtas ſanguinis innocentis, quem propria effuderat manu. Multa enim furta, homicidia, adulteriaque miſerrimus ſæpe commiſerat, quę ſilere melius puto. Compoſuit tamen filiis Saxo ille mortem eius.

Quod Fredegundis in Eccleſiam confugit, & de theſauris ad Childebertum ductis

CAP. IV.

INterea Fredegundis regina iam viduata Pariſios aduenit, & cum theſauris quos intra murorum ſepta concluſerat, ad Eccleſiam confugit, atque à Ragnemodo fouetur Epiſcopo: reliquos vero theſauros, qui apud villam Calam remanſerant, in Sup.VI.c.2. quibus erat miſſorium illud aureum, quod nuper fecerat, heſaurarii leuauerunt, & ad Childebertum regem, qui tunc apud Meldenſem commorabatur vrbem, velociter tranſierunt.

Quod

Quod Guntchramnus rex Parisios venit
CAPVT V.

FRedegundis igitur regina accepto consilio, legatos ad Guntheramnum regem mittit, dicens: *Veniat dominus meus, & suscipiat regnum fratris sui. Est*, inquit, *mihi infans paruulus, quem in eius vlnis ponere desiderans, meipsam eius humilio ditioni.* Comperto autem Guntheramnus rex de fratris excessu, amarissime fleuit. Moderato quoque planctu, commoto exercitu Parisios dirigit. Cumque ille intra muros susceptus fuisset, Childebertus rex nepos eius, ab alia aduenit parte.

Quod idem rex ea quæ de regno Chariberti erant, sibi subegit
CAPVT VI.

SEd cum eum Parisiaci recipere nollent, legatos ad Guntheramnum regem dirigit, dicens: *Scio, piissime pater, non latere pietatem tuam, qualiter vtrunque vsque præsens tempus pars obpresserit inimica, vt nullus de rebus sibi debitis possit inuenire iustitiam: idcirco supplex nunc deprecor, vt placita quæ inter nos post patris mei obitum sunt innexa, custodiantur.* Tunc Guntheramnus rex legatis illius ait: *O miseri & semper perfidi, nihil in vobis verum habentes, neque in promissis permanentes. ecce omnibus quæ mihi polliciti estis relictis, cum Chilperico rege nouam pactionem scripsistis, vt me à regno depulso, ciuitates meas inter se diuiderent. Ecce pactiones ipsas, ecce manus vestræ subscriptiones, quibus hanc conniuentiam confirmastis: & qua nunc fronte quæritis, vt nepotem meum Childebertum suscipere debeam, quem mihi vestra peruersitate voluistis facere inimicum?* Cui legati dixerunt; *Si tantum mentem iracundia cœpit, vt nihil nepoti tuo de his quæ pollicitus es indulgeas; vel illa quæ de regno Chariberti debentur, auferre desiste.* Quibus ille ait: *Ecce pactiones quæ inter nos factæ sunt, vt quisquis sine fratris volũtate Parisios vrbem ingrederetur, amitteret partem suam, essetq; Polioctus martyr cum Hilario atq; Martino confessorib. iudex ac retributor eius. Post hæc ingressus est in eam germanus meus Sygibertus, qui iudicio Dei interiens, amisit partem suam. Similiter & Chilpericus gessit. per has ergo trangressiones, amiserunt partes suas: ideoq; quia illi iuxta Dei iudicium & maledictiones pactionum defecerunt, omne regnum Chariberti cum thesauris eius, meis ditionibus lege opitulante, subiiciam: nec exinde alicui quicquam nisi spontanea voluntate indulgeam. Absistite igitur vos semper mendaces ac perfidi, & hæc Regi vestro referte.*

Quod legati Childeberti Fredegundem requirunt
CAPVT VII.

QVibus discedentibus, legati iterum Childeberti ad antedictum Regem veniunt, Fredegundem reginã requirentes, atq; dicentes: *Redde homicidam, quæ amitã meam suggillauit, quæ patrem interfecit, & patruum: quæ ipsos quoq; consobrinos meos gladio interemit.* At ille, *In placito*, inquit, *quod habemus, cuncta decernimus, tractantes quid oporteat fieri.* Nam Fredegundem patrocinio suo fouebat, ipsamq; sępius ad conuiuium euocans, promittens se ei fieri maximũ defensorem. Quadam vero die dum pariter ad mensam epularẽtur, regina consurgens, & Vale dicens, à Rege detinebatur dicente sibi, *Adhuc aliquid cibi sume.* Cui illa, *Indulge*, inquit, *deprecor domine mi, quia iuxta consuetudinem mulierum contigit mihi, vt pro conceptu consurgam.* Hæc ille audiens, obstupuit, sciens quartum esse mẽsem, ex quo alium ediderat filium: tamen permisit eam consurgere. Priores quoq; de regno Chilperici, vt erat Ansoualdus & reliqui, ad filiũ eius qui erat (vt superius diximus) quatuor mensiũ, se collegerunt, quem Chlotharium vocitauerunt, exigentes sacramenta per ciuitates quæ ad Chilpericum prius aspexerãt, vt scil. fideles esse debeant Guntheramno regi, ac nepoti suo Chlothario. Guntheramnus vero rex omnia quæ fideles regis Chilperici, non recte diuersis abstulerant, iustitia intercedente restituit. Multa & ipse Ecclesiis conferens, testamenta quoque defunctorum qui ecclesias hæredes instituerant, & ab Chilperico compressa fuerant, restaurauit: multisque se benignum exhibens, ac multa pauperibus tribuens. *idem inf. lib. 11. cap. 1.*

n 4

Quod rex populum petiit, ne vt fratres eius interimatur

CAPVT VIII.

SEd quia non erat fidus ab omnibus inter quos venerat, armis se muniuit, ne vnquã ad ecclesiam aut reliqua loca, qua ire delectabat, sine grandi pergebat custodia. Vnde factum est, vt quadam die Dominica, postquam Diaconus silentium populis, vt Missæ auscultarentur, indixit: Rex conuersus ad populum diceret; *Adiuro vos, ô viri cum mulieribus qui adestis, vt mihi fidem inuiolatam seruare dignemini, nec me (vt fratres meos nuper fecistis) interimatis: liceatque mihi vel tribus annis nepotes meos, qui mihi adoptiui facti sunt filii enutrire, ne forte contingat quod Diuinitas æterna non patiatur, vt cũ illis paruulis me defuncto, simul pereatis, cum de genere nostro robustus non fuerit qui defenset.* Hæc eo dicente, omnis populus orationem pro Rege fudit ad dominum.

Quod Rigundis à Desiderio ablatis thesauris retenta est

CAPVT IX.

DVm hæc agerentur, Riguntlis Chilperici regis filia, cum thesauris supra scriptis, vsque Tholosam accessit: & cernens se iam ad terminum Gothorum esse propinquam, moras innectere cœpit, dicẽtibus sibi tum præterea suis, oportere eam ibidem commorari, cum ipsi fatigati de itinere, vestimenta haberent inculta, calciamenta scissa, ipsosque equorum atque carrucarum adparatus adhuc sicut plaustris euecti erant, seorsum esse disiunctos. Oportere potius omnia hæc prius diligenter stabiliri, & sic itinere proficisci, ac suscipi cum omni elegantia ab sponso: ne forte si inculti inter Gothos adparerent, inriderentur ab ipsis. Dum ergo his retardarentur ex causis, mors Chilperici regis in aures Desiderii ducis inlabitur. Ipse quoque collectis secum viris fortissimis, Tholosam vrbem ingreditur, repertosque thesauros abstulit de potestate reginæ, & in domum quandam sub sigillorum munitione ac virorum fortium custodia mancipat, deputans reginæ victum arctum, donec ad vrbem regrederetur.

Quod Gundobaldus in regem eleuatur, & de Rigunde filia regis Chilperici

CAPVT X.

IPse vero ad Mummolum, cum quo fœdus ante duos annos inierat, properauit. Morabatur tunc Mummolus intra muros Auennicæ vrbis cum Gundobaldo, cuius in libro superiore meminimus. Qui coniunctus cum supradictis ducibus Lemouicinum accedens, Briuam Curretiam vicum, in quo sanctus Martinus nostri (vt aiunt) Martini discipulus, requiescit, aduenit: ibique parmæ superpositus, Rex est leuatus. Sed cum tertio cum eodem gyrarent, cecidisse fertur, ita vt vix manibus circunstantium sustẽtari potuisset. Deinde ibat per ciuitates in circuitu positas. Riguntlis vero in Basilica sanctæ Mariæ Tholosæ, in quam Ragnoualdi vxor (cuius supra meminimus) Chilpericum metuens confugerat, residebat. Ragnoualdus vero de Hispaniis rediens, vxori facultatique restituitur. Legationis enim causa, Hispaniam petierat à rege Gunthcramno directus. Magno ea tempestate incendio Basilica ante dicti Martini beati apud Briuam vicum ab imminenti hoste cremata est, ita vt tam altarium quam columnæ quæ de diuersis marmorum generibus aptatæ erant, ab igne dissoluerentur. Sed ita hæc ædes in posterum à Ferreolo episcopo reparata est, tanquam si nihil mali pertulerit: vehementer enim admirantur venerantur que hunc Sanctum incolæ, eo quod plerunque virtutes eius experiantur.

S. Martinus iunior.

De

De signis quæ apparuerunt

CAPVT XI.

ERat enim cum hæc agebantur, mensis decimus. Tunc adparuerunt in caudicibus vinearum, palmites noui cum vuis deformatis: in arboribus flores, pharus magna per cœlum discurrens, quæ priusquam lux in die fieret, late mundum illuminauit. Adparuerunt etiam in cœlo & radii: à parte septentrionali, columna ignea quasi de cœlo pendens per duarum horarum spacium visa est, cui stella magna superposita erat. In Andegauo autem terra tremuit: & multa alia signa adparuerunt, quæ (vt opinor) ipsius Gundobaldi interitum nunciauerunt.

De incendio regionis Turonicæ, & virtute S. Martini

CAPVT XII.

IGitur Gunthramnus rex, comites suos ad comprehendendas ciuitates, quas quondam Sygibertus de regno Chariberti fratris sui acceperat, direxit, vt exigentes sacramenta, suis eas ditionibus subiugarent. Turonici vero atque Pictaui ad Childebertum Sygiberti filium, transire voluerunt. Sed commoti Biturici contra eos venire disponunt, atque intra terminum Turonicum incendia facere cœperunt. Tunc Maroialensem ecclesiam termini Turonici, in qua sancti Martini reliquiæ habebantur, incendio concremarunt: sed virtus beati adfuit, vt in tam valido incendio *pallula* quæ super altarium fuerant positæ, non consumerentur ab igne. Et non solum ipsæ, sed etiam herbulæ olim collectæ, altarioque locatæ, nequaquam exustæ sunt. Quæ incendia videntes Turonici, legationem mittunt, dicentes; *Melius sibi esse ad tempus Guntheramno regi subdi, quam cuncta incendio aut ferro vastari.*

De incendio & prædis Pictauæ vrbis

CAPVT XIII.

COnfestim autem post mortem Chilperici, Gararicus dux Lemouicas accesserat, & sacramenta de nomine Childeberti susceperat. Exinde Pictauos veniens, ab ipsis receptus est, & ibi morabatur. Audiens autem quæ Turonici patiebantur, mittit legationem, obtestans ne nos ad partem Guntheramni regis tradere deberemus, si nobis vellemus esse consultum: sed meminerimus potius Sygiberti, qui quondam genitor Childeberti fuit. Nos vero hæc rursum Episcopo & ciuibus mandata remisimus, quod nisi se ad tempus Guntheramno regi subderent, similia paterentur, adserentes hunc esse nunc patrem super duos filios, Sygiberti scil. & Chilperici, qui ei fuerant adoptati: & sic tenere regni principatum, vt quondam Chlotharius rex fecerat pater eius. His quoq; non acquiescentibus, Gararicus de ciuitate egreditur, quasi exercitum adducturus, in vrbe vero Eberonem cubicularium Childeberti regis relinquens. Sicharius vero cum Vuillachario Aurelianensi comite, qui tunc Turonos acceperat, exercitum contra Pictauos commouit, vt scilicet ab vna parte Turonici, ab alia Biturici commoti cuncta vastarent. Qui cum ad terminum propinquassent, ac domos cremare cœpissent, miserunt ad eos Pictaui legatos, dicentes; *Petimus, vt vsque in placito quod inter se Guntheramnus & Childebertus reges habent, sustineatis. Quod si conuenit, vt pagos hos rex Guntheramnus accipiat, non resistimus: sin aliud, dominum nostrum recognoscimus, cui seruire plenius debeamus.* Ad hæc illi responderunt; *Nihil ad nos de hac causa pertinet, nisi tantum iussa principis adimplere. Nam si nolueritis, cuncta vt cœpimus, deuastamus.* Cumque in hoc res ageretur, vt vniuersa incendio, prædæ, atque captiuitati traderentur: eiectis de ciuitate hominibus Childeberti, sacramenta Guntheramno regi dederunt, non longo tempore ea custodientes.

De legatis Childeberti regis ad Guntchramnum regem miſſis

CAPVT XIV.

IGitur adueniēte placito, directi ſunt à Childeberto rege Egidius epiſcopus, Gunthcramnus Boſo, Sygiualdus, & alii multi, ad Guntheramnum regem: ingreſſiſque ad eum, ait epiſcopus: *Gratias agimus Deo omnipotenti, ô piiſſime rex, quod te poſt multos labores regionibus tuis regnoque reſtituit.* Cui Rex ait, *Illi enim dignæ ſunt gratiæ referendæ, qui eſt Rex regum, & Dominus dominorum: qui hæc ſua miſeratione operari dignatus eſt. Nam non tibi, cuius conſilio doloſo ac periuriis regiones meæ anno ſuperiore incenſæ ſunt, qui nunquam fidem integram cum vllo homine habuiſti: cuius doloſitas vbique diſpergitur: qui non ſacerdotem, ſed inimicum regni noſtri te eſſe declaras.* Ad hæc verba Epiſcopus iracundia commotus ſiluit. Vnus autem ex legatis dixit; *Supplicat nepos tuus Childebertus, vt ciuitates quas pater eius tenuit, reddi iubeas.* Ad hæc ille reſpondit: *Iam dixi vobis prius, quia pactiones noſtræ mihi hæc conferunt: ideoque eas reddere nolo.* Alius quoque legatorum ait: *Rogat nepos tuus vt Fredegundem maleficam, per quam multi Reges interfecti ſunt, reddi iubeas ad vlciſcendam mortem patris, patrui & conſobrinorum ſuorum.* Ait ille: *Tradi ei*, inquit, *in poteſtatem non poterit, quia filium regem habet. Sed & ea quæ contra illam adſeritis, vera eſſe non credo.* Poſt hos Guntheramnus Boſo, quaſi aliquid ſuggeſturus, ad Regem accedit. Et quia ſonuerat Gundobaldum manifeſte regem leuatum, anticipans Rex verba eius ait: *O inimici regionis regnique noſtri, qui propterea ante hos annos orientem adgreſſus es, vt Ballomerem quendam* (ſic enim vocabat rex Gundobaldum) *ſuper regnum noſtrum adduceres, ſemper perfide, & nunquam cuſtodiens quæ promittis.* Cui ille: *Tu*, inquit, *dominus & Rex regali in ſolio reſides, & nullus tibi ad ea quæ loqueris, auſus eſt reſpondere. Inſontem enim me de hac cauſa profiteor. At ſi aliquis eſt ſimilis mihi, qui hoc crimen impingat occulte, veniat nunc palam, & loquatur. Tu, ô Rex piiſſime, ponens hoc in Dei iudicio, vt ille diſcernat cum nos in vnius campi planitie viderit dimicare.* Ad hæc cunctis ſilentibus, addidit Rex: *Omnibus autem hæc cauſa animos accendere debet, vt repellatur à finibus noſtris aduena, cuius pater molendina gubernauit: & (vt vere dicam) pater eius pectinibus inſedit, lanaſque compoſuit.* Et quanquam poſſit fieri, vt vnus homo vtriuſque artificii magiſterio ſubderetur, ad increpationem tamen Regis quidam ex ipſis reſpondit: *Ergo duos, vt adſeris, patres hic homo habuit, lanarium ſimul molendinariumque. Abſit à te, ô Rex, vt tam inculte loquaris. Non enim auditum eſt, vnum hominem præter ſpiritalem cauſam, duos habere poſſe pariter genitores.* dehinc cum multi ſoluerentur in riſu, reſpondit alius legatorum dicens; *Vale dicimus tibi ô Rex. nam quia reddere noluiſti ciuitates nepotis tui, ſcimus ſaluam eſſe ſecurim, quæ fratrum tuorum capitibus eſt defixa: celerius tuum librabit defixa cerebrum.* Et ſic cum ſcandalo diſceſſerunt. Tunc Rex his verbis ſuccenſus, iuſſit ſuper capita euntium proiici equorum ſtercora, putrefactas baſtulas, paleas, ac fœnum putredine diſſolutum, ipſumque fœtidum vrbis lutum. Quibus de rebus maculati grauiter, non ſine immenſa iniuria atque contumelia abierunt.

Ballomer i. falſus dominus, pſeudoprinceps. Vide Notas.

Duellum.

ita inf. c. 25.

De malitia Fredegundis

CAPVT XV.

REſidente vero Fredegunde regina in eccleſia Pariſiaca, Leonardus ex domeſtico qui tunc ab vrbe Tholoſa aduenerat, ingreſſus ad eam, cauſas contumeliæ iniuriaſque filiæ eius narrare cœpit, dicens: *Quia iuxta imperium tuum acceſſi cum regina Rigunthe, ac vidi humilitatem eius, & qualiter expoliata eſt à theſauris & omnibus rebus: ego vero per fugam dilapſus, veni nunciare dominæ meæ quæ geſta ſunt.* Hæc illa audiens, furore commota, iuſſit eum in ipſa eccleſia ſpoliari, nudatumque veſtimentis ac baltheo, quod ex munere Chilperici regis habebat, diſcedere à ſua iubet præſentia. Cocos quoque ſiue piſtores, vel quoſcunque de hoc itinere regreſſos eſſe cognouit, cæſos, ſpoliatoſque, ac demancatos reliquit. Nectarium autem Baudegiſili epiſcopi fratrem nefandis accuſationibus cum Rege † tentauit obruere, adſerens eum de theſauro regis mortui multa

i. apud Regē.

multa portasse. Sed & de promptuariis tam tergora quã vina multa eum abstulisse dicebat, petens vt vinctus carceralibus tenebris truderetur. Sed patientia Regis, fratrisq; auxilium fieri non permisit. Multa quidem ibi vana exercens, non metuebat Deum, in cuius ecclesia petebat auxilium. Habebat tũc temporis secum Andonem iudicem, qui ei tempore Regis in multis consenserat malis. Ipse enim cũ Mummolo præfecto, multos de Francis qui tempore Childeberti regis senioris ingenui fuerant, publico tributo subegit. Qui post mortem Regis ab ipsis spoliatus ac denudatus est, vt nihil ei præter quod super se auferre potuit, remaneret: domos enim eius incendio subdiderunt: abstulissent vtique & ipsam vitam, ni cum Regina ecclesiam expetisset.

De regressu Prætextati episcopi

CAPVT XVI.

PRætextatum vero episcopum ægre suscipit, quem ciues Rothomagenses post excessum Regis, de exilio expetentes cum grandi lætitia & laude ciuitati suæ restituerunt. Post reditum vero suum, ad vrbem Parisiacam aduenit, ac se Gũtheramno regi repræsentauit, exorans vt causam suam diligenter exquireret. Adserebat enim Regina, eum nõ debere recipi, qui fuisset per iudicium quadraginta quinq; Episcoporum à sacerdotali officio segregatus. Cumq; Rex pro hac causa synodũ excitare vellet, Ragnemodus huius vrbis episcopus, pro omnibus responsum reddidit, dicens: *Scitote ei pœnitentiam indictam à sacerdotibus, non tamen eum prorsus ab episcopatu remotum.* Et sic à Rege susceptus, atque conuiuio eius adscitus, ad vrbem suam regressus est.

De Promoto episcopo

CAPVT XVII.

PRomotus vero qui in Dunensi castro, ordinante Sygiberto rege, Episcopus fuerat institutus, & post mortem Regis amotus fuerat, eo quod castrum illud esset diœcesis Carnotenæ, contra quem ita iudicium latum fuerat, vt presbyterii tantum officio fungeretur, accessit ad Regem, deprecans vt ordinationem episcopatus in antedicto castro reciperet. Sed obsistente Pappolo Carnotenæ vrbis episcopo, ac dicente, *quia diœcesis mea est*, ostendente præsertim iudicio Episcoporum, nihil aliud potuit obtinere cum Rege, nisi ea quæ sub ipsius castri termino propria habere reciperet, in qua cum genitrice adhuc superstite moraretur.

De eo quod regi dictum est, vt se cautum redderet ne occideretur

CAPVT XVIII.

COmmorante vero Rege apud vrbem Parisiacam venit quidam pauper, dicens; *Audi Rex verba oris mei. Noueris enim quia Faraulfus cubicularius quondam fratris tui, quærit te interficere. Audiui enim consilium eius, vt eunte te matutina oratione ad ecclesiam, aut cultro adpeteret, aut hasta transfoderet.* Obstupefactus autem Rex, misit vocari eum. Quo negante de his, Rex metuens, armis se valde muniuit. Nec penitus ad loca sancta, vel alio, nisi vallatus armatis atque custodibus procedebat. Faraulfus autem non post multum tempus mortuus est.

Quod regina in villam abire iussa est

CAPVT XIX.

CVm autem clamor fieret magnus aduersus eos qui potentes cum Rege fuerant Chilperico, scil. quod abstulisset vel villas, vel res reliquas de rebus alienis; omnia

quæ iniuste ablata fuerant, Rex reddi præcepit, sicut iam superius indicatum est. Fredegundem quoque reginam ad villam Rhotoialensem, quæ in Rothomagensi termino sita est, abire præcepit. Secutique sunt eam omnes meliores natu regni Chilperici regis: ibique relinquentes eam cum Melanio episcopo, qui de Rothomago submotus fuerat, ad filium eius se transtulerunt, promittentes quod ab eis studiosissime nutriretur.

Quod idem emisit qui Brunichildem necaret

CAPVT XX.

POstquam autem Fredegundis regina ad supradictam villam abiit, cum esset valde mœsta, quod ei potestas ex parte fuisset ablata, meliorem se existimans Brunichilde, misit occulte clericum sibi familiarem, qui eam circunuentam dolis interimere posset, videlicet vt cum se subtiliter in eius subderet famulatum, ab ea credi† posset: & sic clam percelleretur. Veniens igitur clericus cum diuersis ingeniis se eidem commendauit, dicens; *A facie Fredegundis reginæ fugio, deposcens auxilium tuum.* Cœpit se etiam omnibus reddere humilem, charum, obedientem, ac Reginæ priuatum†. Sed non longo tempore interposito, intellexerunt eum dolose transmissum: vinctusque ac cæsus, cum rem patefecisset occultam: redire permissus est ad patronam: referansque quæ acta fuerant, effatus quod iussa patrare non potuisset, manuum ac pedum abscissione mulctatur.

fidem mereri — *i. familiarē. Gall. priué.*

De fuga & custodia Eberulfi

CAPVT XXI.

HIs ita gestis cum rex Gunthcramnus Cabillonum regressus, mortem fratris conaretur inquirere, & regina crimen super Eberulfum cubicularium imposuisset (rogatus enim fuerat ab ea, vt post mortem Regis cum ipsa resideret: sed obtinere non potuit) hæc ergo inimicitia pullulante adseruit Regina ab eodem principe interfectũ, ipsumque multa de thesauris abstulisse, & sic in Turonicum abscessisse: ideoq; si Rex mortem fratris desideraret vlcisci, nouerit huius causæ hunc esse signiferum. Tunc Rex iurauit omnibus optimatibus, *Quod non modo ipsum, verum etiam progeniem eius in nonam generationem deleret, vt per horum necem consuetudo auferretur iniqua, ne Reges amplius interficerentur.* Quod cum Eberulfus comperisset, Basilicam sancti Martini, cuius res sæpe peruaserat, expetiuit. Tunc data occasione vt custodiretur, Aurelianenses atque Blesenses vicissim ad has excubias veniebant: impletisque quindecim diebus, cum multa præda reuertebantur, adducentes iumenta, pecora, vel quodcunque diripere potuissent. Illi vero qui beati Martini iumenta abduxerant, commota altercatione, se inuicem lanceis transfixerunt: duo qui mulas diripiebant, in domum vicini cuiusdam accedentes, potum rogare cœperunt. Cumque ille se habere negaret, eleuatis lanceis vt eum transfoderent, hic extracto gladio vtrunque perfodit: cecideruntque ambo & mortui sunt: iumenta tamen sancti Martini reddita sunt. tantaque ibi tunc mala per hos Aurelianenses gesta sunt, vt nequeant explicari.

Regicidiorum nefas.

De malitia eius

CAPVT XXII.

DVm autem hæc agerentur, res ipsius Eberulfi diuersis conceduntur, aurum argentumque, vel alias meliores species quas secũ retinebat, in medio exposuit. Quod vero commendatum† habuit, publicatum est: greges etiam equorum, porcorum, iumentorumque diripiuntur. Domus vero intramuranea, quam de dominatione eccle-

i. apud alios depositum.

ecclesiæ abstulerat, referta annonis, vino, atq; tergoribus rebusq; aliis multis adplene spoliata est. nec ibi aliud quam parietes vacui remanserunt. Ex hoc nos maxime suspectos habebat, qui in causis eius fideliter currebamus, promittens plerunque, quod si vnquam ad Regis gratiam perueniret, in nobis hæc quæ perferebat vlcisceretur. Deus enim nouit, cui arcana pectoris reuelantur, quia de puro corde inquantum potuimus solatium ministrauimus: & quanquam multas nobis insidias prius de rebus S. Martini fecisset, extabat tamen causa vt easdem obliuiscerer, eo quod filium eius de sacro lauacro suscepissem. Sed credo infelici ea res maximum fuit impedimẽtum, quod nullam reuerentiam Sancto præstabat antistiti. Nam sæpe cædes intra ipsum atrium quod ad pedes Beati erat, exegit, exercens assidue ebrietates ac vanitates. Presbyterum quoque vnũ pro eo quod ei vinum dare differret, cum iam crapulatus aspiceret, elisum sup scamnũ pugnis ac diuersis ictibus verberauit, vt pene animã reddere videretur: & fecisset forsitan si ei medicorũ ventosæ† non subuenissent. Habebat enim pro timore Regis in *i. scarificationes.* ipso salutatorio B. Basilicæ mansionem. Cum autem presbyter qui claues ostii retinebat, clausis reliquis recessisset, per illud salutatorii ostium introeuntes puellæ, cum reliquis pueris eius suspiciebãt picturas parietum, rimabanturq; ornamenta Beati sepulchri, quod valde facinorosum religiosis erat. Quod cum presbyter cognouisset, defixis clauis super ostium, intrinsecus seras aptauit. Hæc ille cum post cœnam vino madidus aduertisset, & nos in Basilica in initio noctis orationis gratia psalleremus, furibundus ingreditur, meq; conuiciis ac maledictionibus vrgere cœpit, illud inter iurgia exprobrans, quod ego eum velim à sancti antistitis fimbriis separare. Sed ego stupens quę virum cepisset insania, blandis eum sermonibus mulcere conatus sum. Sed cum eius furias verbis lenibus superare non possem, silere decreui. Ille vero me tacitum intẽdens, ad Presbyterum conuertitur, euomitque in eum multa conuicia. nam & illum verbis procacibus, & me diuersis obprobriis impugnabat. Nos vero cum vidissemus eum (vt ita dicam) agi à Dæmone, egressi à Basilica sancta scandalum vigiliasq; finiuimus, illud maxime indignum ferentes, quod ad hoc iurgium absq; reuerentia Sancti, ante ipsum sepulchrum antistitis excitauerat. His diebus vidi somnium, quod ipsi in sancta Basilica retuli dicens; Putabam me quasi in hac Basilica sacrosancta Missarum solennia celebrare: cumq; iam altarium cum oblationibus pallio serico opertum esset, subito ingredientem Guntchramnum regem conspicio, qui voce magna clamabat: *Extrahite inimicum generationis nostræ, euellite homicidam à sacro Dei altario.* At ego cum hęc audirem, ad te conuersus dixi: *Adprehende pallium altaris, infelix, quo sacra munera conteguntur, ne hinc abiiciaris.* Cumque adprehenderes, laxabas eum manu, & non viriliter detinebas. Ego vero expansis manibus contra pectus Regis, meum pectus aptabam dicens: *noli eiicere hunc hominem de Basilica sancta, ne vitæ periculum patiaris, ne te sanctus antistes sua virtute confodiat. Noli te proprio iaculo interimere: quia hoc si feceris, præsenti vita æternaq; carebis.* Sed cum Rex mihi resisteret, tu laxabas pallium, & post me veniebas. Ego vero valde tibi molestus eram. Cumque reuerteres ad altarium, adprehendebas pallium, sed rursum relinquebas. dum hoc tu tepide retineres, & ego viriliter Regi resisterem, euigilaui pauore conterritus, ignarus quid somnium indicaret. Igitur cum ei ista narrassem, ait; *Verum est somnium quod vidisti, quod valde cogitationi meæ concordat.* Cui ego, Ecquid prouidit cogitatio tua? Et ille, *Deliberatum,* inquit, *habui, vt si me Rex ab hoc loco iuberet extrahi, ab vna manu pallas altaris tenerem: ab alia vero euaginato gladio te prius interfecto, quantoscunque deinceps clericos reperissem, in mortem prosternerem. Nec mihi post hæc erat iniuria, leto succumbere, si de huius Sancti clericis acciperem vltionem.* Hæc ego audiens & stupens, admirabar quod erat, quia per os eius Diabolus loquebatur: nunquam enim in Deum vllum timorem habuit. nam dum esset in libertate, equi eius ad pecora per segetes pauperum vineasq; dimittebantur. Quod si expellebantur ab his quorum euertebant labores, statim a suis percellebantur. nam in hac angustia qua erat, sæpe commemorabat, quod res Beati antistitis abstulisset iniuste. Denique anno superiore commotum quendam leuem è ciuibus ecclesiæ, actores fecit interpellare. Tunc postposita iustitia, res quas olim Ecclesia possidebat, sub specie emptionis abstraxit, data ipsi homini parte aurea balthei sui. sed & talia multa peruerse egit vsque ad finem vitæ suæ, quæ in posterum explanabimus.

De Iudæo interfecto cum suis

CAPVT XXIII.

PRæsenti quoque anno Armentarius Iudæus cum vno sectæ suæ satellite, & duobus Christianis ad exigẽdas cautiones quas ei propter tributa publica Iniuriosus ex vicario, ex comite vero Eunomius deposuerant, Turonos aduenit: interpellatisque viris promissionem accepit de reddendo pecuniæ fœnore cum vsuris, dicentibus sibi præterea ipsis; *Si ad domum nostram veneris, & quæ debentur exsoluimus, & aliis te muneribus sicut dignum est, honoramus.* Eo quoque eunte ab Iniurioso suscipitur, & conuiuio conlocatur: expletoq; epulo, adpropinquante nocte commoti ab eodem loco ad alium transeunt. Tunc (vt ferunt) Iudæi cum duobus Christianis ab Iniuriosi hominibus interfecti, in puteum qui propinquus erat domui eius, proiecti sunt. Auditis his parentes eorum quæ gesta fuerant, Turonos aduenerunt, datoq; quibusdam hominibus indicio puteum reperiunt, virosque extrahunt, multum negante Iniurioso, quod in hac causa non fuerat inquinatus. Post hæc in iudicium venit: sed cum fortiter (vt diximus) denegaret, & hi non haberent qualiter eum conuincere possent, iudicatum est, vt se insontem redderet sacramento. Sed nec hoc his adquiescentibus, placitum in regis Childeberti præsentia posuerunt. Veruntamen neq; pecunia, neq; cautiones Iudæi defuncti repertæ sunt. Loquebantur tunc multi hominum Medardum tribunum in hoc scelere mixtum fuisse, eo quod & ipse à Iudæo pecuniam mutuasset. Iniuriosus tamẽ ad placitum † in conspectu regis Childeberti aduenit, & per triduum vsque occasum Solis obseruauit. Sed cum hi non venissent, neque de causa hac ab vllo interpellatus fuisset, ad propria rediit.

Gall plaid.

De præda vrbis Pictauæ

CAPVT XXIV.

ANno igitur decimo Childeberti regis rex Guntheramnus commotis gentibus regni sui magnum iunxit exercitum. Sed pars maior cum Aurilianensibus atq; Bituricis Pictauum petiit. excesserant enim de fide quam Regi promiserant. Miseruntq; prius legationem, vt scirẽt vtrum suscipecentur ab his, an non. Sed Episcopus loci Maroueus dure suscepit hos nuncios. At illi intra terminum ingressi, prædas, incendia, atque homicidia faciebant. Hi vero qui cum præda reuertebantur, per Turonicum trãseuntes, similiter illi qui iam sacramenta dederant, faciebant. Ita vt ipsę quoq; Ecclesiæ incenderentur: & quæcunq; inuenire potuissent, diriperentur: quod sæpius actum est, dum illi ad Regem ægre conuerterẽtur. Sed cum exercitus propius ad vrbem accederet, etiam pars maxima regionis deuastata cerneretur, tunc miserunt nuncios, *fideles se reg[illegible]thcramno* fatentes. At illi intra muros vrbis recepti, super Episcopum inruerũt, dicentes eum infidelem esse. Ille vero cum se ab his cerneret coarctatum, effracto vno de sacris ministeriis calice aureo, & in numismata redacto, se populumque redemit.

De spoliis Marileifi

CAPVT XXV.

MArileifum vero qui primus medicorum in domo Chilperici regis habitus fuerat, ardentissime vallant. Et qui iam à Gararico duce valde spoliatus fuerat, ab his iterum denudatur, ita vt nulla ei substantia remaneret. Equos quoque eius, aurum argentumq; siue species quas meliores habebat, pariter auferentes, ipsum ditioni ecclesiasticæ subdiderunt. Seruitium enim patris eius tale fuerat, vt molendina ecclesiastica studeret, fratresque ac consobrini, vel reliqui parentes culinis dominicis atque pistrino subiecti erant.

Quod

Quod Gundobaldus ciuitates circumijt

CAPVT XXVI.

GVndobaldus vero Pictauum accedere voluit, sed timuit. Audierat enim iam contra se exercitum commoueri. In ciuitatibus enim quæ Sygiberti regis fuerant, ex nomine regis Childeberti sacramenta suscipiebat. In reliquis vero quæ aut Guntheramni aut Chilperici fuerant, nomine suo, quod fidem seruarent iurabant. Post hæc Engolisinam accessit, susceptisq; sacramentis, muneratisq; prioribus, Petrogoricum adgreditur, grauiter Episcopum tunc iniuriatum reliquit, pro eo quod susceptus ab eodem non fuisset.

De iniuria Magnulphi episcopi

CAPVT XXVII.

EXinde Tholosam digressus, emisit nuncios ad Magnulfum episcopum ciuitatis, vt ab eo susciperetur. Sed ille non immemor prioris iniuriæ, quam per Sigulfum quondam (qui se in regnum eleuare voluit) pertulerat, dixit ciuibus suis: *Scimus enim regem esse Guntheramnum ac nepotem eius, hunc autem nescimus vnde sit. Estote ergo parati: & si voluerit Desiderius dux hanc calamitatem inducere super nos, simili vt Sigulfus sorte depereat: sitq; omnibus exemplum, ne quis extraneorum, Francorum regnum audeat violare.* His ita resistentib. & bellum parantibus, adueniente Gundobaldo cum magno exercitu, cum vidissent quod sustinere non possent, susceperunt eum. Post hæc cum ad cõuiuium in domo ecclesiæ Episcopus vna cum Gundobaldo resideret, ait: *Filium te Chlotharii regis adseris. sed vtrum sit verum an non, ignoramus. Et si possis vindicare cœpta, incredibile habetur apud animos nostros.* At ille ait; *Ego regis Chlotharii sum filius, & partem regni de præsenti sum percepturus, & vsq; Parisios velociter accedam, & ibi sedem regni statuam.* Cui Episcopus ait; *Verum ne est ergo, quod nullus de stirpe Francorum remãsit, si tu quæ dicis impleueris?* Inter has altercationes, cum hæc Mummolus exaudisset, eleuata manu alapis cecidit Episcopum, dicens; *Non pudet, vt tam degener & stultus ita magno Regi respondeas?* Verum vbi & Desiderius de consilio Episcopi comperit quæ fuerant dicta, ira commotus, manus in eum iniecit: cæsumque communiter hastis, pugnis, & calcibus, ac fune reuinctum, exilio damnauerunt, res eius tam proprias quam ecclesiæ integre auferentes. Vuaddo autem qui erat maior domus reginæ Rigunthis, se eisdem copulauit. Reliqui vero qui cum eo abierant, per fugam dilapsi sunt.

Quod exercitus inante accesßit

CAPVT XXVIII.

POst hæc exercitus ab vrbe Pictaua remotus inantea †, post Gundobaldum proficiscitur. Secutiq; sunt eum de Turonicis multi lucri causa. sed Pictauis super eum inruentibus, nonnulli interempti, plurimi vero spoliati redierunt. Hi autem qui de his ad exercitum prius iunxerant, pariter abierunt. Itaq; exercitus ad Dorononiam fluuiũ accedens, præstolari cœpit, quid de Gundobaldo cognosceret. Cui iam (vt supradictũ est) adhæserant dux Desiderius & Bladastes, cum Vuaddone maiore domus Riguntbis reginæ. Erant enim primi cum eo Sagittarius episcopus & Mummolus. Sagittarius enim iam promissionem de episcopatu Tholosano acceperat.

Ital. inanzi. *Gall.* en auãt

De interitu Eberulphi

CAPVT XXIX.

DVm autem hæc agerentur, misit rex Guntheramnus Claudium quendam dicens; *Si abieris,* inquit, *& eiectum de Basilica Eberulfum aut gladio interemeris, aut catenis vinxe-*

ris, magnis te muneribus locupletabo. Veruntamen ne sanctæ Basilicæ iniuriam inferas omnino, commoneo. Ille vero vt erat vanitati atq; auaritiæ deditus, velociter Parisios aduolauit. Vxor enim ei ex Meldensi territorio erat. Voluere animo cœpit, vtrum Fredegundem reginam videret dicens; *Si eam videro, elicere ab ea aliquid muneris possum. scio enim eam esse homini ad quem directus sum, inimicam.* Tunc accedens ad eam, de præsenti munera magna capiens, promissiones multas elicuit, vt aut extractum a Basilica Eberulfum occideret, aut circumuentum dolis, catenis vinciret, aut certe in ipso eum atrio trucidaret. Regressus autem ad Dunense castrum, comitem commonet, vt ei trecentos viros quasi ad custodiendas Turonicæ vrbis portas, adiungeret: scilicet vt cum venisset, per eorum solatium Eberulfum posset opprimere. Cumque comes loci viros istos commoneret, Claudius Turonos accessit. Et cum iter ageret (vt consuetudo est barbarorum †, auspicia intendere cœpit, ac dicere sibi esse contraria: simulque interrogare multos, *si virtus beati Martini de præsenti manifestaretur in perfidis? Aut certe si aliquis iniuriam in eum sperantibus intulisset, si protinus vltio sequeretur?* Igitur postpositis (vt diximus) viris qui ad solatium eius venire debuerant, ipse ad Basilicam sanctam accessit. Statimque infelici Eberulfo cōiunctus, sacramenta dare cœpit, ac iurare per omnia sacrosancta, vel virtutem præsentis antistitis, nullum in causis eius fore fideliorem, qui ita cum Rege causas eius possit exserere. Hoc enim apud se cōsilium habuerat miserrimus, Nisi eum peierando decepero, non vincam. Verum vbi vidit Eberulfus, quod ei talia cum sacramento in ipsa Basilica ac per porticus, & singula loca atrii veneranda promitteret, credidit miser homini peieranti. Die autem altero cum nos in villa quasi milia xxx. ab vrbe commoraremur, ad conuiuium Basilicæ sanctæ cum eodem & reliquis ciuibus est adscitus: ibique eum Claudius gladio ferire voluit, si pueri eius longius adstitissent. Veruntamen nunquam hæc Eberulfus, vt erat vanus, aduertit. Postquam autem conuiuium est finitum, ipse simul ac Claudius per atrium domus Basilicæ deambulare cœperunt, sibi inuicem fidem ac charitatem sacramentis intercurrentibus promittentes. His ita loquentibus ait Claudius Eberulfo; *Delectat animum ad metatum tuum haurire potum, si vina odoramentis essent immixta, aut certe potentioris vini libationem strenuitas tua requireret.* Hæc eo dicente, gauisus Eberulfus, respondit habere se, dicens; *Et omnia quæ volueris, ad metatum meum reperies: tantum vt dignetur dominus meus tugurium ingredi mansionis meæ.* Misitq; pueros, vnum post alium ad requirēda potentiora vina, Laticina videl. atq; Gatizina. Cumque illum a pueris relictum solum Claudius conspexisset, eleuata contra Basilicam manu, ait: *Martine beatissime, fac me vxorem cum parentibus cito videre.* Infelix enim in discrimine positus, & hunc interficere in atrio cogitabat, & virtutem sancti Antistitis metuebat. Tunc vnus è pueris Claudii qui erat robustior, adprehensum Eberulfum à tergo, validioribus lacertis adstringit, resupinatumque pectus eius ad iugulandum parat. At Claudius extracto à baltheo gladio, ad eum dirigit. Sed & ille prolatum à cingulo ferrum se ad percutiendum dum teneretur, adaptat. Cumque Claudius eleuata dextera, cultrum eius pectori iniecisset, & ille non segniter sub ascella illius pugionem defixisset, retractoque ad se, librato ictu, pollicem Claudii intercidit. Ex hoc conuenientes pueri eius cum gladiis, Eberulfum diuersis ictibus sauciant. Quorum de manu dilapsus, dum fugere iam exanimis niteretur, extracto gladio caput eius grauissime verberāt, effusoq; cerebro cecidit, & mortuus est: nec promeruit ab eo saluari, quē fideliter nunquā intellexit exposcere. Igitur Claudius timore perterritus, cellulam Abbatis expetiit, ab eo tutari se cupiens, in cuius patronum reuerētiam habere non sapuit. Illo quoq; residente, ait; *Perpetratum est scelus immensum, & nisi tu subueneris, peribimus.* Hæc eo loquente, inruerunt pueri Eberulfi cum gladiis ac lanceis. Obseratumque reperientes ostium, effractis cellulæ vitreis hastas per parietis fenestras iniiciunt, Claudiumque iam semiuiuum ictu transfigunt. Satellites autem eius post ostia & sub lectis abduntur. Abbas adprehensus à duobus clericis, inter gladiorū acies, vix viuus eripitur. Reseratisq; ostiis turba gladiatorum ingreditur. Nonnulli etiā matriculariorum & reliquorum pauperum, pro scelere commisso tectum cellulæ conantur euertere. Sed & energumeni † ac diuersi egeni cum petris & fustibus ad vlciscendam Basilicæ violentiam proficiscuntur, indigne ferentes, cur talia quæ nunquam facta fuerant, essent ibidem perpetrata. Quid plura? Extrahuntur fugaces ex abdi-

† i. Austrasiorum, Germanorum.

† i. spiritibus obsessi.

abditis, & crudeliter trucidantur, pauimentum cellulæ tabo maculatur. Postquam vero interempti sunt, extrahuntur foras, & nudi super humum frigidam relinquuntur. Percussores veró nocte sequenti adprehensis spoliis fuga dilabuntur. Adfuit autem Dei vltio de præsenti super eos qui beatum atrium humano sanguine polluerunt. Sed nec eius facinus paruum esse censetur, quem talia beatus antistes perferre permisit. Magnam ex hoc Rex iracundiam habuit, sed cognita ratione quieuit. Res tamen ipsius infelicis, tam mobiles quam immobiles, quod a prioribus † relictum fuerat, suis fidelibus condonauit. Qui vxorem eius valde spoliatam, in sancta Basilica reliquerunt. Corpus vero Claudii & reliquorum, parentes proximi auferentes in suam regionem sepelierunt.

al. proprio rebus rel.

De legatis Gundobaldi

CAPVT XXX.

IGitur Gundobaldus duos ad amicos suos legatos direxit, clericos vtique: ex quibus vnus abbas Cadurcinæ vrbis, literas quas acceperat, cauata codicis tabula sub cera recondidit. Sed adprehensus ab hominibus regis Guntchramni, repertis literis, in Regis præsentiam est deductus: qui cæsus grauissime, in custodiam est retrusus.

De reliquiis sancti Sergii martyris

CAPVT XXXI.

ERat tunc temporis Gundobaldus in vrbe Burdegalensi à Berthcramno episcopo valde dilectus: inquirens autem quæ ei causæ solatium præbere possent, narrauit quidam, quod aliquis in partibus orientis Rex, ablato sancti Sergii martyris pollice, in dextro brachio corporis sui seruisset †. Cumq; ei necessitas ad depellendum inimicos obuenisset, in hoc cõfisus auxilio, vbi dextri lacerti erexisset vlnam, protinus multitudo hostium quasi martyris obpressa virtute, labebatur in fugam. Hæc audiẽs Gundobaldus, inquirere diligẽtius cœpit, quisnam esset in eo loco qui reliquias sancti Sergii martyris meruisset accipere. Interea proditus ab episcopo Berthcramno Eufron negociator per inimicitiam, quia inuitum aliquando eum totonderat, inhians facultati eius. Quod ille dispiciens, ad aliam vrbem transiens, cæsarie crescente regreditur. Ait ergo episcopus: *Est hic quidam Syrus Eufron nomine, qui de domo sua Ecclesiam faciens, huius sancti reliquias collocauit: & plurima ex his signa virtute Martyris opitulante conspexit. Nam cum tempore quodam Burdegalensis ciuitas maximo flagraret incendio, hæc domus circundata flammis, nullatenus est adusta.* Ista eo dicente, statim Mummolus cursu rapido cum episcopo Berthcramno ad domum Syri accedit: vallatoque homine, pignera sibi sancta præcepit ostendi. Negat ille: tamen cogitans, quod pro malitia aliqua ei hæ pararentur insidiæ, ait; *Noli fatigare senem, nec sancto inferre iniuriam: sed acceptis à me centum aureis abscede.* Illo quoque insistente, vt sanctas videret reliquias, ducentos aureos obtulit: & nec sic obtinuit eum recedere, nisi ipsa pignera viderentur. Tunc Mummolus eleuari ad parietem scalam iubet. erant enim in sublimi parietis contra altarium in capsula reconditæ. Diaconum suum scandere præcepit. Qui per gradus scandens scalæ, adprehendens capsam, ita tremore concussus est, vt nec viuens putaretur ad terram reuerti. Attamen accepta (vt diximus) capsula quæ de pariete pendebat, detulit. Qua perscrutata Mummolus, os de sancti digito reperit, quod cultro ferire non metuit. Posito enim desuper cultro, & sic de alio percutiebat. Cumq; post multos ictus vix frangi potuisset, diuisum in tres partes officulum diuersas in partes dilabitur. Credo nõ erat acceptum Martyri, vt hæc ille contingeret. Tunc flente vehementius Eufronio, prosternuntur omnes in orationem, deprecantes vt Deus dignaretur ostendere quæ ab oculis fuerant humanis ablata. Post orationem autem repertæ sunt particulæ, ex quibus vna Mummolus adsumpta, abscessit: sed non (vt credo) cum gratia martyris, sicut in sequenti declaratum est. Dum autem in hac vrbe morarentur, Faustianum presbyte-

inseruisset.

O 3

Aquis Sextiis. Vico-Iulio.

rum Aquensi vrbi † episcopum ordinari præcipiunt. Nuper enim in Aquensi vrbe episcopus obierat, & Nicetius comes loci illius, germanus Rustici, vici Iuliensis episcopi, præceptionem ab Chilperico elicuerat, vt tonsuratus ciuitati illi sacerdos daretur. Sed Gundobaldus destruere nitens eius decreta, conuocatis episcopis iussit eum benedici. Berthcramnus autem episcopus, qui erat metropolis, cauens futura, Palladium Sanctonicum iniungit qui eum benediceret. Nam & oculi ei eo tempore à lippitudine grauabantur. Fuit autem ad hanc ordinationem & Orestes Vasatensis episcopus: sed negauit hoc coram Rege.

De aliis Gundobaldi legatis

CAPVT XXXII.

POst hæc misit iterum Gundobaldus duos legatos ad regem cum virgis consecratis, iuxta ritum Francorum, vt scilicet non contingerentur ab vllo, sed exposita legatione cum responso reuerterentur. Sed hi incauti, priusquam Regis præsentiam cernerent, multis quæ petebant explanauerunt. Extemplo sermo cucurrit ad Regem: itaque vincti catenis in Regis præsentiam deducūtur. Tunc illi quid quærerent, ad quem directi, vel à quo fuerint missi negare non ausi, aiunt; *Gundobaldus qui nuper ab oriente veniens, dicit se filium esse patris vestri regis Chlotharii, misit nos vt debitam portionem regni sui recipiat: sin autem à vobis non redditur, noueritis eum in has partes cum exercitu esse venturum. omnes enim viri fortissimi regionis illius quæ vltra Dorononiam sita ad Gallias pertinet, ei coniuncti sunt.* *Ita sup. c.14.* *& ita infit; Iudicabit tunc Deus, cum in vnius campi planitie iunxerimus, vtrum sim Chlotharii filius, an non.* Tunc rex furore succensus iussit eos ad trocleas extendi, & fortissime cædi, vt si vera essent quæ dicerent, euidentius adprobarent: & si aliquid doli adhuc intra pectorum arcana retinerent, vis tormentorum extorqueret inuitis. Deinde increscentibus suppliciis, aiunt; neptem illius, id est regis Chilperici filiam, cum Magnulfo Tholosanorum episcopo exilio deputatā, thesauros omnes ab ipso Gundobaldo sublatos reddidisse: ipsum quoque Regem ab omnibus maioribus natu Childeberti regis expetitum esse: sed præsertim cum Guntheramnus Boso ante hos annos Constantinopolin abisset, ipsum in Gallias inuitasse.

Quod Childebertus ad Chuntchramnum patruum suum venit

CAPVT XXXIII.

QVibus cæsis & in carcerem retrusis, Rex arcessiri nepotem suum Childebertum iubet, vt scilicet coniuncti pariter homines istos audire deberent. Denique cum simul coniuncti, viros interrogarent, iterauerunt ea Regib. simul astantibus, quæ prius solus rex Guntheramnus audiuit. Adserebant etiam cōstanter hanc causam (sicut iam supra diximus) omnibus senioribus in regno Childeberti regis esse cognitam. Et ob hoc nonnulli de prioribus regis Childeberti, in hoc placitum abire timuerunt, qui in hac causa putabantur esse participes. Post hæc rex Guntheramnus data in manu regis *Traditio regni per hastā* Childeberti hasta, ait; *Hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi. Ex hoc nunc vade, & omnes ciuitates meas tanquam tuas proprias, sub tui iuris dominationem subiice. Nihil enim facientibus peccatis, de stirpe mea remansit, nisi tu tantum qui mei fratris es filius. Tu enim hæres in omni regno meo succede, cæteris exhæredibus factis.* Tūc relictis omnibus adsumpto seorsum puero clam locutus est, prius obtestās diligentissime, ne secreta conlocutio vlli hominum panderetur. Tunc indicauit ei, quos in consilio haberet, aut sperneret à cōloquio: quibus se crederet, quos vitaret, quos honoraret muneribus, quos ab honore depelleret. Interea interdicens vt Egidium episcopum, qui ei semper inimicus extiterat, nullo modo aut crederet, aut haberet, quia & ipsi patri suo sæpius peierasset. Deinde cum ad conuiuium conuenissent, cohortabatur Guntheramnus rex omnem exercitum, dicens; *Videte, ò viri, quia filius meus Childebertus iam vir magnus effectus est. Videte, & caue-*

cauete, ne eum pro paruulo habeatis. Relinquite nunc peruersitates, atque præsumptiones quas exercetis, quia Rex est cui vos nunc deseruire debetis. Hæc & his similia locutus, per triduum epulantes atque iocundantes, multisque muneribus locupletantes, cum pace discesserunt. Tunc ei reddidit rex Guntheramnus omnia quæ pater eius Sygibertus habuerat, obtestans ne ad matrem accederet, ne forte aliquis daretur aditus, qualiter ad Gundobaldum scriberet, aut ab eo scripta susciperet.

Quod Gundobaldus Conuenas abiit,

CAP. XXXIV.

IGitur Gundobaldus cum audisset sibi exercitum propinquare, relictus à Desiderio duce Garonnam cum Sagittario Episcopo, Mummolo, & Bladaste ducibus atque Vuaddone transiuit, Conuenas petentes. Est enim vrbs in cacumine montis sita, nullique monti contigua. Fons magnus ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutissima: ad quem per cuniculum descendentes ex vrbe, latenter latices hauriunt. Hanc enim ingressus vrbem, in initio Quadragesimæ, locutus est ciuibus dicens: *Noueritis me cum omnibus qui in regno Childeberti habentur, electum esse Regem, atq; haberi mecum non modicum solatium. Sed quoniam frater meus Guntheramnus rex, immensum aduersus me mouet exercitum, oportet vos alimenta atque cunctam supellectilem intra murorum munitionem concludere, vt scilicet dum nobis illa pietas diuina auget solatium, non pereatis inopia.* Hæc illis credentibus, quæcunque habere potuerunt, conlocantes in vrbe, præparabant se ad resistendum. Eo tempore Guntheramnus rex misit literas ad Gundobaldum ex nomine Brunichildis reginæ, in quibus erat scriptum, vt relicto exercitu & in loca sua abire iusso, ipse remotior apud Burdegalensem vrbem hiberna deduceret. Scripserat enim hæc dolose, vt de eo plenius quid ageret, posset agnoscere. Igitur commorante eo apud vrbem Conuenas, locutus est incolis dicens: *Ecce iam exercitus adpropinquat, egredimini ad resistendum.* Quibus egredientibus, hi occupantes portas atque claudentes, excluso foris populo, cum Episcopo loci cuncta quæ in vrbe inuenire potuerant, suis ditionibus subdiderunt. Tantaque ibi multitudo annonæ atque vini reperta est, vt si viriliter stetissent, per multorum annorum spacia victus alimentis non egerent.

Conuenæ.

De Basilica sancti Vincentii martyris Agennensis vastata

CAP. XXXV.

AVdierant enim eo tempore duces Guntheramni regis, Gundobaldum vltra Garonnam in litore residere cum ingenti hostium multitudine: ipsosque thesauros quos Rigunthis tulerat secum retinere. Tunc impetu facto cum equis Garonnam nando transiere, nonnullis de exercitu in amne demersis. Reliqui in litus egressi, requirentes Gundobaldum, inuenerunt camelos cum ingenti pondere auri atque argenti, siue equos quos fessos per vias reliquerat. Audientes deinceps eos infra muros vrbis Conueniceæ commorari, relictis plaustris ac diuersis impedimentis cum populo minore, robustiores viri ipsum sicut iam Garonnam transierant, insequi destinant. Quibus properantibus, venerunt ad Basilicam sancti Vincentii, quæ est iuxta terminum Agennensis vrbis, vbi ipse martyr pro Christi nomine agonem dicitur consummasse: inueneruntque eam refertam diuersis thesauris incolarum. Erat enim spes incolis, non esse a Christianis tanti martyris Basilicam violandam: cuius ostia summo studio obserata erant. Nec mora, adpropinquans exercitus cum reserare templi valuas non valeret, ignem accendit: consumptisq; ostiis, omnem substantiam, cunctamque supellectilem quam in ea inuenire potuerunt, cum sacris ministeriis abstulerunt. Sed multos ibi vltio diuina conterruit. Nam plerisq; manus diuinitus vrebantur, emitten-

An. 584.

tes fumum magnum ſicut ex incendio ſurgere ſolet. Nonnulli arrepti à Dæmone, per energiam debacchantes Martyrem declamabant. Plurimi vero ſemoti à ſeditione propriis ſe iaculis ſauciabant. Reliquum vero vulgus inante non ſine grandi metu progreſſum eſt. Quid plura? Conuenitur ad Conuenas: ſic enim diximus nomen vrbis. *i. planicie.* Omniſque phalanga in ſuburbana vrbis campania † caſtra metata eſt: ibique extenſis tentoriis reſidebat. Vaſtabatur in circuitu tota regio: nonnulli autem ab exercitu, quos fortior auaritiæ aculeus terebrabat, longius euagantes perimebantur ab incolis.

De collocutione Gundobaldi cum exercitu

CAP. XXXVI.

ABſcondebant enim ſe multi per collem, & cum Gundobaldo ſæpius loquebantur, inferẽtes ei conuitia ac dicentes: *Tu ne es pictor ille, qui tempore Chlotharii regis per* *i. figurabas, conſcribillabas.* *oratoria parietes atque cameras caraxabas †? Tune es ille quem Ballomerem nomine ſæpius Galliarum incolæ vocitabant? Tu ne es ille, qui plerunque à regibus Francorum propter has præſumptiones quas profers, tonſuratus, & exilio datus es? Vel quis te infeliciſſime hominum in hæc loca adduxit, edicito. Quis tibi tantam audaciam præſtitit, vt dominorum ac regum noſtrorum fines auderes adtingere? Certe ſi à quoquam es euocatus, clare voce teſtare. En tibi ante oculos mortem expoſi-* *i. adiutores.* *tam: en ipſam quam diu quæſiſti exitii foueam in quam præceps deiiciaris. Dic ſatellites † viritim* *ſ. inueris.* *vel à quibus inuiteris † enuncia.* At ille cum hæc audiret, propius ſuper portam adſtans dicebat: *Quod me Chlotharius pater meus exoſum habuerit, habetur incognitum nulli: quod autem ab eo vel deinceps à fratribus ſim tonſuratus, manifeſtum eſt omnibus. Et hæc me cauſa Narſeti præfecto Italiæ iunxit: ibique vxorem accipiens, duos filios generaui. Qua mortua, adſumptis mecum liberis Conſtantinopolin abii. Ab Imperatoribus vero ſuſceptus benigniſſime, vſque ad hoc tempus vixi. Ante hos enim annos cum Gunthcramnus Boſo Conſtantinopolin abiiſſet, & ego ſollicitus cauſa fratrum meorum diligenter rimarer, cognoui generationem noſtram valde attenuatam, nec ſupereſſe de ſtirpe noſtra niſi Childebertum & Gunthcramnum, fratrem ſcilicet, & fratris mei filium. Filii enim Chilperici regis cum ipſo interierant, vno tantum paruulo derelicto. Gunthcramnus frater meus filios non habebat. Childebertus nepos noſter, minime fortis erat. Tunc Gunthcramnus Boſo his mihi diligenter expoſitis, inuitauit me, dicens; Veni quia ab omnibus regni regis Childeberti principibus inuitaris, nec quiſquam contra te mutire auſus eſt. Scimus enim omnes te filium eſſe Chlotharii: nec remanſit in Galliis, qui regnum illud regere poſſit, niſi tu aduenias. At ego datis ei multis muneribus per duodecim loca, ſancta ab eo ſuſcipio ſacramenta, vt ſecurus in hoc regnum accederem. Veni enim Maſſiliam, ibique me Epiſcopus ſumma benignitate ſuſcepit: habebat enim ſcripta ſeniorum regni nepotis mei. Ex hoc enim Aiiiionem acceſſi, iuxta placita patritii Mummoli. Gunthcramnus vero immemor ſacramenti ac promiſſionis ſuæ, theſauros meos abſtulit, & in ſuam ditionem ſubegit. Nunc autem recognoſcite, quia ego ſum Rex, ſicut & frater meus Gunthcramnus. Tamen ſi tanto odio noſtrô mens veſtra graſſatur, vel ad regem veſtrum deducar, & ſi me cognoſcit fratrem, quod voluerit faciat. Certe ſi nec hoc volueritis, vel liceat mihi regredi, vnde prius egreſſus ſum. abibo enim, & nulli quicquam iniuriæ inferam. Tamen vt ſciatis vera eſſe quæ dico, Radegundem Pictauam, & Ingetrudem Turonicam interrogate: ipſæ enim vobis adſirmabunt certa eſſe quæ loquor.* Hæc eo dicente, multi cum conuiciis & improperiis hæc verba proſequebantur.

De bello contra vrbem

CAP. XXXVII.

QVintus & decimus in hac obſidione effulſerat dies, & Leudegiſilus nouas ad deſtruendam vrbem machinas præparabat: plauſtra enim cum arietibus, clitellis & axibus texta, ſub quibus exercitus properaret ad deſtruendos muros. Sed cũ adpropinquaſſent, ita lapidibus obruebantur, vt omnes adpropinquantes muro corruerent. Cuppas cum pice & adipe accenſas ſupra eos proiicientes, alias vero lapidibus plenas

ſuper

ſuper eos deiiciebant. Sed cum nox certamina prohiberet, hoſtes ad caſtra regreſſi ſunt. Erat autem cum Gundobaldo & Curiulfus valde diues ac præpotens, cuius apothecis ac promptuariis vrbs valde referta erat: de cuius ſubſtantia hi maxime alebantur. Bladaſtes autem hæc cernens quæ gerebantur, metuens ne Leudegiſilus obtenta victoria eos morti traderet, impoſito igne in Eccleſiæ domo, concurrentibus ad incẽdium mitigandum incluſis, ille fuga dilapſus abſceſſit. Mane autem facto, exercitus iterum ad bella conſurgit, ac ex virgis faſces faciunt, quaſi ad complendam vallem profundam, quę à parte orientis ſita erat: ſed nocere hæc machina nihil potuit. Sagittarius vero Epiſcopus frequentius muros cum armis circumibat, & ſæpius lapides contra hoſtem manu propria iecit è muro.

De interitu Gundobaldi

CAP. XXXVIII.

DEnique ii qui vrbem impugnabant, cum viderent quod nihil proficere poſſent, nuncios occultos ad Mummolum dirigunt, dicentes; *Recognoſce dominum tuum, & à peruerſitate iſta tandem aliquando deſiſte. Quæ enim te amentia vallat, vt ignoto homini ſubiungaris? Vxor enim tua iam cum filiis captiuata eſt: filii tui vtpote iam interfecti ſunt. Quo ruis? quidve præſtolaris, niſi vt corruas?* Hæc ille mandata accipiens, dixit; *Iam vt video regnum noſtrum finem accipit, & potentia cadit. Vnum ſupereſt, ſi ſecuritatem vitæ me habere cognoſcerem, de multo vos labore poteram remouere.* Diſcedentibus nunciis, Sagittarius Epiſcopus cum Mummolo, Cariulfo atq; Vuaddone, ad Eccleſiã pergit: ibiq; ſibi ſacramẽta dederunt, vt ſi de vitę promiſſione certiores fierent, relicta amicitia Gundobaldi, ipſum hoſtibus traderent. Reuerſi iterum nuncii, promiſerunt eis vitæ ſecuritatem. Mummolus vero dixit, *Hoc tantum fiat, ego hunc in manu veſtra tradam: & ego recognoſcens dominum meum Regem, ad eius præſentiam properabo.* Tunc illi promittunt, quod ſi hæc impleret, ipſum in charitate ſuſciperent. Et ſi eum Regi excuſare non poſſent, in Eccleſiam ponerent, ne vitæ amiſſione mulctaretur. Hæc cum ſacramenti interpoſitione polliciti, diſceſſerunt. Mummolus vero, cum Sagittario Epiſcopo, & Vuaddone ad Gundobaldum pergentes dixerunt, *Sacramenta fidelitatis qualia tibi dedimus, ipſe qui præſens es noſti. Nunc autem accipe ſalubre conſilium: diſcede ab hac vrbe, & repræſentare fratri tuo, ſicut ſæpe quæſiſti. Iam enim cum his hominibus conlocuti ſumus, & ipſi dixerunt, quia non vult Rex perdere ſolatiũ tuũ, eo quod parũ de generatione veſtra remanſerit.* At ille intelligens dolum eorũ, lachrimis perfuſus ait: *Inuitatione veſtra in has Gallias ſum delatus. Theſaurorum vero meorum, in quibus immenſum pondus argenti continetur & auri, ac diuerſarum ſpecierũ, aliquid in Auennica vrbe retinetur, aliquid Guntherãnus Boſo diripuit. Ego vero iuxta Dei auxiliũ ſpe omni in vobis poſita, vobis conſilium meũ credidi: per vos regnare ſemper optaui. Nunc cum Deo vobis ſit actio, ſi quid mihi mendacii dixeritis: ipſe enim iudicet cauſam meã.* Hæc eo dicente, reſpondit Mummolus: *Nihil tibi fallaciter loquimur: ſed ecce viros fortiſſimos ſtantes ad portã, tuũ opperientes aduentũ. Nunc autẽ depone baltheum meum aureũ quo cingeris, ne videaris in iactantia procedere: & tuum accinge gladium, meumq; reſtitue.* Et ille: *Non ſimpliciter,* inquit, *hæc verba ſuſcipio, vt ea quæ de tuis vſq; nunc in charitate vſus ſum, à me auferantur.* Mummolus vero adſerebat cũ iuramento, nihil ei moleſte fieri. Egreſſi igitur portam, ab Ollone Biturigũ comite, & Boſone ſuſceptus eſt. Mummolus autem cum ſatellitibus in vrbẽ regreſſus, portam firmiſſime obſerauit. Hic autem cum ſe in manibus inimicorum cerneret traditum, eleuatis ad cœlum manibus & oculis, ait: *Iudex æterne, & vltio vera innocentium, Deus a quo omnis iuſtitia procedit, cui mendacium non placet, in quo nullus dolus neq; verſutia malitiæ continetur, tibi commendo cauſam meam, deprecans vt ſis velociter vltor ſuper eos qui me inſontem manibus tradiderunt inimicorum.* Hæc cum dixiſſet, conſignans ſe cruce dominica, abire cœpit cum hominibus ſupradictis. Cumque à porta ſe elongaſſent, ſicut eſt circa vrbem vallis tota in præcipitium, impulſus ab Ollone cecidit, illo quoque clamante: *En vobis Ballomerem veſtrum, qui ſe Regis & fratrem dicit, & filium.* Et immiſſa lancea, voluit eum transfigere, ſed repulſa a circulis loricæ nihil nocuit. Denique cum eleuatus ad montem regredi niteretur, Boſo emiſſo lapide caput eius librauit, qui cecidit, &

Ballomer ſup. c. 14. Adde infr. lib. 11. c. 2

mortuus est. Venitque omne vulgus, & defixis in eum lanceis, pedes eius fune ligantes, per omnia exercituum castra traxerunt: euellentesque cæsariem ac barbam eius, insepultum ipso in loco quo interfectus fuerat, reliquerunt. Nocte vero sequenti, ii qui primi erant, omnes thesauros quos in vrbe reperire potuerunt, cum ministeriis ecclesiæ clam abstulerunt. Mane vero reseratis portarum valuis, immisso exercitu, omne vulgus inclusum in ore gladii tradiderunt, sacerdotes quoque Domini cum ministris ad ipsa ecclesiarum altaria trucidantes. Postquam autem cunctos interfecerunt, vt non remaneret mingens ad parietem, omnem vrbem cum ecclesiis reliquisque ædificiis succenderunt, nihil ibi præter humum vacuam relinquentes.

De interitu Sagittarii Episcopi & Mummoli

CAP. XXXIX.

IGitur Leudegisilus rediens ad castra cum Mummolo & Sagittario, Cariulfo, & Vuaddone, nuncios occulte ad Regem dirigit, quid de his fieri velit. At ille capitali eos iussit finire sententia. Vuaddo tunc cum Cariulfo, relictis filiis obsidibus, discesserunt ab eis. Delato quoque nuncio de horum interitu, cum hoc Mummolus aduertisset, ac cinctus armis tugurium Leudegisili petit. At ille videns eum, ait, *Quid sic*, inquit, *quasi fugiens venis?* cui ille, *nihil vt video, de fide promissa seruatur. nam cerno me in mortis exitio positum.* Cui ille, *Ego egrediar foras, & omnia mitigabo.* Quo egrediente, confestim ex iussu eius vallata est domus, vt hic interficeretur. Sed & ille cum diutissime contra bellantes restitisset, venit ad ostium. Cumque egrederetur, duo cum lanceis vtraque ei latera feriunt, sicque cecidit, & mortuus est. Quo viso Episcopus, dum timore consternatus paueret, ait ad eum quidam de astantibus, *Inspice propriis oculis Episcope, quæ geruntur: & tecto capite, ne agnoscaris, siluam pete, vt abscondaris paululum, atque ira labente possis euadere.* At ille accepto consilio, dum obtecto capite fugere niteretur, extracto quidam gladio caput eius cum cucullo decidit. Deinde vnusquisque ad propria rediens, magnas per viam prædas & homicidia fecit. Fredegundis autem his diebus Cuppanem in Tholosanum direxit, vt scilicet filiam suam exinde quocunque modo posset, erueret. Ferebant enim plerique ob hoc eum transmissum, vt si Gundobaldum reperisset viuum, multis inlectum promissionibus ad eam transduceret. Sed cum hoc facere nequiuisset, acceptam Riguntem à loco illo reduxit, non sine grandi humilitate atque contumelia.

De thesauris Mummoli

CAP. XL.

IGitur Leudegisilus dux cum thesauris omnibus quos superius nominauimus, ad Regem venit: quos postea rex pauperibus & ecclesiis erogauit. Adprehensa vero vxore Mummoli, inquirere rex cœpit, quid thesauri quos ii congregauerant, deuenissent? Sed illa cognoscens virum suum interfectum fuisse, & omnem iactantiam corũ prorsus in terram conruisse, omnia pandit, dixitque, Multum adhuc apud vrbem Auinionensem auri atque argenti esse, quæ ad Regis notitiam non venissent. Statimque misit Rex viros qui hæc deferre deberent cum vno puero, quem valde creditum Mummolus habens, hæc ei commendauerat. Abeuntes autem acceperunt omnia quæ in vrbe relicta fuerant. Ferunt autem ducenta & quinquaginta talenta argenti fuisse: auri vero amplius quam triginta. Sed hæc (vt ferunt) de reperto antiquo thesauro abstulit. Quod Rex diuisum cum Childeberto rege nepote suo, partem suam maxime pauperibus est largitus: mulieri autem nihil amplius quam ea quæ de parentibus habuerat, relinquens.

De

De Gigante

CAP. XLI.

TVnc & homo ille immensi corporis ad Regem de Mummoli familiaribus adductus est, ita magno corpore elatus, vt duos aut tres pedes super longissimos homines putaretur magnus, lignarius faber, qui non multo post obiit.

De virtute sancti Martini

CAP. XLII.

POst hæc edictum à iudicibus datum est, vt qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur. Biturigum quoque comes misit pueros suos, vt in domo beati Martini, quæ in hoc termino sita est, huiusmodi homines spoliare deberent. Sed agens domus illius resistere fortiter cœpit, dicens: *Sancti Martini homines ii sunt: nihil eis quicquam inferatis iniuriæ, quia non habuerunt consuetudinem in talibus causis abire.* At illi dixerunt: *Nihil nobis & Martino tuo, quem semper in causis inaniter profers: sed & tu, & ipsi precia dissoluetis pro eo, quod Regis imperium neglexistis.* Et hæc dicens ingressus est atrium domus. Protinus dolore percussus cecidit, & grauiter agere cœpit. Conuersusque ad agentem, voce flebili ait, *Rogo vt facias super me crucem Domini, & inuoces nomen B. Martini. Nunc autem cognoui, quod magna est virtus eius. nam ingrediente me atrium domus, vidi virum senem exhibentem arborem in manu sua, quæ mox extensis ramis omne atrium texit. ex ea enim vnus me attigit ramus, de cuius ictu turbatus corrui:* & innuens suis rogabat, vt eiiceretur de atrio. Egressus autem, inuocare nomen beati Martini attentius cœpit. Ex hoc enim commodius agens, sanatus est.

De Desiderio & de Vuaddone

CAP. XLIII.

DEsiderius vero infra castrorum munitionem se resque suas tutauit. Vuaddo maior domus Rigunthis ad Brunichildem reginam transiit. Et ab ea susceptus, cum muneribus & gratia est dimissus. Cariulfus Basilicam sancti Martini expetiit.

De Muliere Phitonissa

CAP. XLIV.

FVit tunc temporis mulier, quæ spiritum Phitonis habens, multum præstabat dominis diuinando quæstum. Pythonissa. Eoque in gratia profecit, vt ab his libera facta, suis voluntatibus laxaretur. Si quis enim aut furtum, aut aliquid mali præferret, statim hæc quo fur abiit, cui tradidit, vel quid ex hoc fecerit, edicebat. Congregabat quotidie aurum argentumque, procedens in ornamentis, ita vt putaretur aliquid esse diuinum in populis. Sed cum Agerico Viridunensi Episcopo hæc nunciata fuissent, misit ad comprehendẽdum eam. Qua adprehensa & ad se adducta, iuxta id quod in Actibus legimus Apostolicis, cognouit in ea immundum spiritum esse Phitonis. Denique cum exorcismum super eam diceret, ac frontem oleo sancto perungeret, exclamauit Dæmonium, & quid esset prodidit sacerdoti. Sed cum per eum à puella non extruderetur, abire permissa est. Cernens vero puella, quod in loco illo habitare non posset, ad Fredegundum reginam abiit: ibique & latuit.

De fame anni præſentis

CAP. XLV.

MAgna hoc anno fames pene Gallias totas oppreſſit. nam plurimi vuarum ſemina, flores auellanarum, nonnulli radices herbæ filicis arefactas redactaſque in puluerem, admiſcentes parum farinæ, panem conficiebant. multi etiam herbam ſegetum decidentes, ſimiliter faciebant. Fuerunt etiam multi quibus non erat aliquid farinæ, qui diuerſas colligentes herbas, & comedentes tumefacti deficiebant. Plurimi enim tunc ex inedia tabeſcentes, mortui ſunt. grauiter tunc negociatores populum ſpoliauerunt, ita vt vix, vel modium annonæ, aut ſemimodium vini vno triente venundarent. Subdebant ſe pauperes ſeruitio, vt quantuluncunq; de alimento porrigerent.

De interitu Chriſtophori

CAP. XLVI.

HIs diebus Chriſtophorus negociator ad Aurelianenſem vrbem abiit. Audierat enim, quod eo multum vini delatum fuiſſet. Abiens ergo comparato vino, & lintribus inuecto, accepta à ſocero pecunia multa, cum duobus pueris Saxonibus viam equitando terebat. Pueri vero diu dominum exoſum habebant, & plerunq; fugerant illum, eo quod crebrius grauiſſime verberarentur. Cum veniſſent in quandam ſiluam, præcedente domino, puer vnus iaculata valide lancea, dominum ſuum trãsfixit. Quo ruente, alius cum framea caput eius dilacerauit, & ſic ab vtroq; in fruſta deciſus, exanimis eſt relictus. Hi vero accipientes pecuniam fuga dilapſi ſunt. Frater vero Chriſtophori ſepulto corpuſculo, homines ſuos poſt pueros dirigit: qui iuniorem comprehenſum ligant, ſeniore cum pecunia fugiente. Quibus redeuntibus, cum vinctum laxius reliquiſſent, accepta lancea vnum ex his à quibus adducebatur, interemit. Sed deductus ab aliis vſq; Turonos diuerſis ſuppliciis adfectus detruncatuſque, patibulo valde exanimis eſt adpenſus.

De bello ciuili inter ciues Turonicos

CAP. XLVII.

GRauia tunc inter Turonicos ciues bella ciuilia ſurrexerunt. Nam Sicharius Ioannis quondam filius, dum natalis Dominici ſolennia apud Montalomagenſem vicum, cum Auſtregiſilo reliquiſq; pagenſibus celebraret, presbyter loci miſit puerum ad aliquorum hominum inuitationem, vt ad domum eius bibendi gratia venire deberent. Veniente vero puero, vnus ex his qui inuitabantur, extracto gladio eum ferire non metuit: qui ſtatim cecidit & mortuus eſt. Quod cum Sicharius audiſſet, qui amicitias cum presbytero retinebat, quod ſcilicet puer eius fuerit interfectus, arreptis armis eccleſiam petiit, Auſtregiſilum operiens. Ille autem hæc audiens, adprehenſo armorum adparatum, contra eum dirigit: mixtiſq; omnibus cum ſe pars vtraque confideret, Sicharius inter clericos ereptus, ad villam ſuam effugit, relictis in domo presbyteri cum argento & veſtimentis quatuor pueris ſauciatis. Quo fugiente Auſtregiſilus iterum inruens, interfectis pueris, aurum argentumque cum reliquis rebus abſtulit. Dehinc cum in iudicio ciuium conueniſſent, & præceptum eſſet vt Auſtregiſilus qui homicida erat, & interfectis pueris res ſine audientia diripuerat, cenſura legali condemnaretur, inito placito paucis infra diebus Sicharius audiens, quod res quas Auſtregiſilus diripuerat, cum Aunone & filio atque eius fratre Eberulfo retinerentur, poſtpoſito placito, coniunctus Audino, mota ſeditione cum armatis viris inruit ſuper eos nocte. Eliſoque hoſpitio in quo dormiebant, patrem cum fratre & filio interemit:

mit: resque eorum cum pecoribus interfectisque seruis abduxit. Quod nos audientes, vehementer ex hoc molesti, adiuncto iudice, mittimus ad eos legationem, vt in nostri præsentiā venientes accepta ratione cum pace discederent; ne iurgium in amplius pullularet. Quibus venientibus coniunctisque ciuibus ego aio; *Nolite ô viri, in sceleribus proficere, ne malum longius extendatur. perdidimus enim ecclesiæ filios: metuimus nunc, ne & aliis in hac intentione careamus. Estote quæso pacifici, & qui malum gessit, stante charitate componat, vt sitis filii pacifici, qui digni sitis, regnum Dei ipso Domino tribuente percipere. Sic enim ipse ait; Beati pacifici, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ecce enim & si illi qui noxæ subditur, minor est facultas, argento ecclesiæ redimetur: interim anima viri non pereat.* Et hæc dicens, obtuli argentum ecclesiæ: sed pars Chramnisindi, quæ mortem patris fratrisque & patrui requirebat, accipere noluit. His descendentibus Sicharius, ita vt ad Regem ambularet præparat, & ob hoc Pictauum ad vxorem cernendam proficiscitur. Cumque seruum, vt exerceret operam, commoneret, eleuataque virga ictibus verberaret, ille extracto balthei gladio, dominum sauciare non metuit. Quo in terram ruente, currentes amici, adprehensum seruum crudeliter cæsum truncatis manibus & pedibus, patibulo damnauerunt. Interim sonus in Turonicum exiit, Sicharium fuisse defunctum. Cum autem hæc Chramnisindus audisset, commonitis parentibus & amicis, ad domum eius properat. Quibus spoliatis, interemptis nonnullis seruorum, domus omnes tam Sicharii quam reliquorum qui participes huius villæ erant, incendio concremauit, abducens secum pecora, & quæcunque mouere potuit. Tunc partes à iudice ad ciuitatem deductæ, causas proprias proloquuntur: inuentumque est à iudicibus, *Vt qui nolens accipere prius compositionem, domos incendiis tradidit, medietatem precii quod ei fuerat iudicatum, amitteret.* Et hoc contra leges actum, vt tantum pacifici redderentur, aliam vero medietatem compositionis Sicharius redderet. Tunc dato ab Ecclesia argento, quæ iudicauerant, accepta securitate componunt, datis sibi partes inuicem sacramentis, vt nullo vnquam tempore contra alteram pars altera mussitaret: & sic altercatio terminum fecit.

GREGORII TVRONICI HISTORIARVM LIBER OCTAVVS.

De eo quod Rex ad Aurelianos venit

CAP. I.

GITVR Guntheramnus Rex anno XXIV. regni sui de Cabillono progressus, Niuernensem vrbem adgreditur. Inuitatus enim Parisios veniebat, vt Chilperici filium, quem iam Chlotharium vocitabat, à sacro regenerationis fonte deberet excipere. Digressus vero à Niuerno ad Aurelianensem vrbem venit, magnum se tunc ciuibus suis præbens. nam per domos eorum inuitatus adibat, & prandia data libabat. Multum ab his muneratus, muneraque ipsis proflua benignitate largitus est. Sed cum ad vrbem Aurelianensem venisset, erat ea die solennitas beati Martini, id est IV. nonas mensis quinti. Processitque in obuiam eius immensa populi turba, cum signis atque vexillis, canentes laudes. Et hinc lingua Syrorum, hinc Latinorum, hinc etiam ipsorum Iudæorum in diuersis laudibus varie concrepabat, dicens; *Viuat Rex, regnumque eius in populis annis innumeris dilatetur.* Iudæi vero qui in his laudibus videbantur esse participes, dicebant: *Omnes gentes te adorent, tibique genu flectant, atque tibi sint subditæ.* Vnde factum est, vt celebratis Missis, cum Rex ad conuiuium resideret, diceret, *Væ genti Iudaicæ malæ & perfidæ, ac subdolo semper sensu viuenti. Ob hoc enim mihi, inquit, hodie laudes adulatorias acclamabat, vt me cunctæ gentis quasi dominum adorarent, vt synagogam eorum quæ dudum à Christianis diruta est, iuberem ope publica subleuari: quod inhibente Domino nunquam ero facturus.* O Regem admirabili prudentia clarum. Sic intellexit dolositatem hæreticorum, vt ei penitus non valerent subripere quæ erant postmodum suggesturi. Iam enim mediante epulo Rex locutus est sacerdotibus qui aderant, dicens: *Rogo vt in domo mea crastina die vestram promerear benedictionem, fiatque mihi salus in ingressu vestro, vt ex hoc saluus fiam cum super me humilem vestrarum benedictionum verba defluxerint.* Hæc eo dicente, omnes gratias agentes epulo expleto surreximus.

S. Martini dies.

Qualiter ei Episcopi præsentati sunt: & qualiter ipse conuiuium præparauit

CAP. II.

MAne autem facto, dum Rex loca sanctorum orationis gratia visitaret, ad metatum † nostrum aduenit. erat enim ibi Basilica sancti Auiti abbatis, cuius in libro miraculorũ meminimus. Surrexi gauisus fateor, ad occursum eius, & data oratione deprecor, vt in mansione mea eulogias B. Martini dignaretur accipere. Quod ille non respuens benigno animo ingressus, hausto poculo, admonitis nobis, ad conuiuiũ lætus abscessit. Tunc Bertheramnus Burdegalensis Episcopus cũ Palladio Sanctonico valde Regi infensus erat, ꝓ susceptione Gũdobaldi, cuius supra meminimus: sed & Palladius episco-

† Mansionem, paulo post.

episcopus ob hoc maxime Regis iram incurrerat, quod ei sæpius fallacias intulisset. Discussi enim ante paululum fuerant ab reliquis Episcopis & optimatibus regis, cur Gundobaldum suscepissent, cur Faustianum Aquis Episcopum ad præceptionem eius leuissimã ordinassent. Sed hanc causam ordinationis Palladius Episcopus a Berthcramno metropolitano suo auferens super se deuoluit, dicens, *Oculi metropolitani mei valde doloribus artabantur, & ego spoliatus & contemptus, inuitus in eo loco adductus sum. Non potui aliud facere, nisi quæ ille qui omnem principatum Galliarum se testabatur accipere, imperabat.* Cum hæc Regi nunciata fuissent, valde commotus est, ita vt vix obtineri posset, vt eos ad conuiuium conuocaret, quos antea non viderat. Visoque Berthcramno, interrogat Rex: *Quis*, ait, *est iste?* diu enim erat quod ab eo visus non fuerat. dixeruntq;, Hic est Berthcramnus Burdegalensis vrbis Episcopus. Cui ille, *Gratias*, inquit, *agimus, quod sic custodisti fidem generationi tuæ. Scire enim te oportuerat, dilectissime pater, quod parens† eras nobis ex matre nostra, & super gentem tuam non debueras inducere pestem extraneam.†* Cumque talia & his similia Berthcramnus audisset, conuersus ad Palladium Rex ait: *Nec tibi, ô Palladi Episcope, nimium sunt gratiæ referendæ. Tertio enim mihi (quod de Episcopo dici iniquum est) peierasti, mittens indiculos dolositate plenos: à me excusabaris per epistolas, & germanum meum cum scriptis aliis inuitabas. Iudicauit enim Deus causam meam, cum ego prouocare vos semper tanquam ecclesiæ patres studui, & vos circa me semper egistis dolose.* Nicatio autem & Antidio Episcopis dixit; *Quid vos, ô sanctissimi patres, pro regionis vtilitate, vel regni nostri sospitate tractastis, edicite.* Illis quoque tacentibus, ablutis Rex manibus, accepta à sacerdotibus benedictione, ad mensam recedit læto vultu & hilari facie, quasi nihil de contemptu suo fuisset effatus.

Gall. parent, i. propinquus.

Ballomerem, de quo sup. 6. c. 24.

De Cantoribus & argento Mummoli

CAP. III.

INtereà iam medio prandii peracto, iubet Rex vt Diaconum nostrum qui ante diem ad Missas psalmum responsorium dixerat, canere iuberem. Quo canente, iubet iterum mihi, vt omnes sacerdotes qui aderant, per meam commonitionem datis ex officio suo singulis clericis, coram Rege iuberentur cantare. Per me enim secundum Regis imperium admoniti, quisque vt potuit in Regis præsentia psalmum responsorium decantauit. Cum autem fercula proferrentur, dixit rex: *Argentum omne quod cernitis, Mummoli illius periuri fuit. Sed nunc gratia Domini tribuente in nostram dominationem translatum est. nam quindecim ex eo catinos, vt istum maiorem cernitis, iam concidi, & non exinde amplius quam hunc & alium de centum septuaginta libris reseruaui. Et quid amplius quam ad opus quotidianum necesse est me retinere? Non ego (quod peius est) alium filium præter Childebertum habeo, cui satis sit de thesauris quos ei pater reliquit: & quæ iam de huius miserrimi rebus, quæ Auinione inuentæ sunt, transmittere curaui. Reliqua vero pauperum & ecclesiarum erunt necessitatibus tribuenda.*

Laus Childeberti regis

CAP. IV.

VNum vos tantummodo, Sacerdotes Domini, deprecor, vt pro filio meo Childeberto Domini misericordiam exoretis. Est enim vir sapiens atque vtilis, † vt de multorum annorum æuo vix ita cautus homo reperiri possit ac strenuus. Quia si hunc Deus his Galliis concedere dignabitur, fortassis spes erit de eodem gentem nostram, quæ valde exinanita est, posse consurgere. Quod fieri iuxta eius misericordiam non diffido, eo quod tale fuerit pueri natiuitatis præsagium. Nam in die sancto Paschæ stante fratre meo Sygiberto in ecclesia procedente Diacono cum sancto Euangeliorum libro, nuncius Regi aduenit, vnaque vox fuit pronunciantis lectionem euangelicam, ac nuncii dicentis, Filius natus est tibi: vnde factum est vt omnis populus in vtraque annunciatione proclamaret pariter: Gloria Deo omnipotenti. Sed & baptismum in die sancto Pentecostes accepit;

i. fortis.

& Rex nihilominus in die sancto dominicæ Natiuitatis est eleuatus. Vnde si oratio vestra prosequitur, poterit hic Domino annuente regnare. Hæc Rege dicente, omnes orationem fuderunt ad Dominum, vt vtrunque Regem eius misericordia conseruaret. Adiecitque Rex, *Verum quia mater eius Brunichildis me minatur interimere: sed nihil mihi ex hoc formidinis est. Dominus enim qui me eripuit de manibus inimicorum meorum, & de huius insidiis liberabit me.*

De visionibus quas Rex vel nos de Chilperico vidimus

CAP. V.

MVlta tunc & in Theodorum aduersa locutus est, protestans, quod si ad synodum veniret, iterum exilio truderetur, dicens: *Scio enim, quod horum causa germanum meum Chilpericum interfici fecit. Denique nec nos pro viris haberi debemur, si eius necem vlcisci non valemus hoc anno.* Cui ego respondi: *Et quis Chilpericum interemit, nisi malitia sua, tuaque oratio? multas enim tibi contra iustitiam tetendit insidias, quæ ei mortis exitium intulerunt. Quod vt dicam, valde hoc per visionem somnii inspexi, cum viderem eum à tetonsurato capite quasi Episcopum ordinari, deinde super cathedram puram sola fuligine † tectam impositum ferri, prælucentibus coram eo lychnis ac cereis.* Me hæc narrante, Rex ait; *Vidi & ego aliam visionem, quæ huius interitum nunciauit. Adducebatur enim in conspectu meo à tribus Episcopis vinctus catenis, quorum vnus Tetricus, alius Agricola, tertius vero Nicetius Lugdunensis erat: è quibus dicebant duo; Soluite quæsumus eum, & castigatum abire permittite. Quibus econtrario cum amaritudine Tetricus Episcopus respondebat, Non fiet ita, sed igni concremabitur pro sceleribus suis. Et eum diu multumque quasi altercantes hæc inter se verba proferrent, conspicio eminus æneum super ignem positum feruere vehementer. Tunc me flente, adprehensum infelicem Chilpericum confractis membris proiiciunt in æneum. Nec mora, inter vndarum vapores ita dissolutus ac liquefactus est, vt nullum ex eo penitus indicium remaneret.* Hæc Rege dicente, admirantibus nobis epulo expleto surreximus.

† nudis palleis.

De iis quos præsentauimus

CAP. VI.

REx igitur in crastinum in venationem progressus est: quo redeunte, Garacharius comes Burdegalensis, atque Bladastes à nobis repræsentati sunt: qui (vt superius diximus) in Basilica sancti Martini confugium fecerant, pro eo quod Gundobaldo coniuncti fuissent. Nam cum prius pro his deprecatus, nihil obtinere potuissem, hæc insequenti locutus sum: *Audiat ô Rex potestas tua: ecce à Domino meo in legatione ad te directus sum, sed quid renunciabo ei qui me misit, cum nihil mihi responsi reddere velis?* At ille obstupefactus ait: *Et quis est Dominus tuus, qui te misit?* Cui ego subridens; *Beatus Martinus*, inquio, *misit me.* Tunc ille iussit sibi repræsentari viros. Sed cum in eius conspectu venissent, multas eis perfidias ac periuria exprobrauit, vocans eos sæpius Vulpes ingeniosas: sed restituit eos gratiæ suæ, reddens quæ illis ablata fuerant.

De Palladio Episcopo qualiter missas dixit

CAP. VII.

ADueniente quoque die Dominico, Rex ecclesiam ad spectanda Missarum solennia petit: fratres vero consacerdotesque qui aderant, locum Palladio Episcopo ad agenda festa præbuerunt. Quo incipiente prophetiam, Rex interrogat, *quis esset?* Cumque Palladium Episcopum initiasse pronunciassent, statim commotus Rex ait, *qui mihi semper infidelis & perfidus fuit, ille nunc sacrata verba prædicabit? egrediatur prorsus ab hac ecclesia, ne inimicum meum audiam prædicantem.* Et hæc dicens, egredi cœpit ecclesiam.

ecclesiam. Tunc conturbati sacerdotes de fratris humilitate, dixerunt Regi; *Vidimus enim eum conuiuio tuo adesse, ac de eius manu te benedictionem accipere: & cur eum nunc Rex aspernatur? si enim scissemus tibi exosum, declinassemus vtique ad alium qui hæc agere debuisset. Nunc si permittis, celebret quæ cœpit: in posterum autem si aliquid opposueris, canonicæ sanctionis censura finiatur: iam enim Palladius Episcopus in sacrarium cum grandi humilitate discesserat.* Sup. c. 2. Tunc Rex iussit eum reuocari, & sic quæ agere cœperat, expediuit. Nam cum iterato ad conuiuium regis Palladius atque Berthcramnus adsciti fuissent, commoti inuicem multa sibi de adulteriis ac fornicatione exprobrarunt, nonnulla etiam de periuriis. Quibus de rebus multi ridebant, nonnulli vero qui alacrioris erant scientiæ, lamentabantur, cur inter sacerdotes Domini taliter zizania Diaboli pullularent. discedentes itaque a Regis præsentia, cautiones & fideiussores dederunt, vt decimo Calendas mensis noni ad synodum conuenirent.

De signis ostensis

CAP. VIII.

TVnc adparuerunt signa, id est radii à parte Aquilonis, sicut sæpius adparere solent, fulgor per cœlum occurrisse visus est, floresque in arboribus ostensi sunt. erat enim mensis quintus.

De Sacramento pro filio Chilperici dato

CAP. IX.

POst hæc rex Parisios venit, & coram omnibus loqui cœpit dicens; *Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquisse: cuius nutritores matre deprecante petierunt, vt eum de sancto lauacro in dominici Natalis solennitate deberem excipere: & non venerunt. Rogauerunt deinceps, vt ad sanctum Pascha baptizaretur: sed nec tunc allatus est infans. Deprecati sunt autem tertio, vt ad festiuitatem sancti Ioannis exhiberetur: sed nec tunc venit. Mouerunt itaque me per tempus sterile de loco vbi habitabam: veni igitur, & ecce absconditur, nec ostenditur mihi puer: vnde (quantum intelligo) nihil est quod promittitur, sed (vt credo) alicuius ex leudibus † nostris sit filius. nam si de stirpe nostra fuisset, ad me vtique fuisset deportatus.* i. subditis. *Ideoque noueritis, quia à me non suscipitur, nisi certa de eo cognoscam indicia.* Hæc audiens Fredegundis regina, coniunctis prioribus regni sui, id est tribus Episcopis & trecentis viris optimis, Sacramenta dederunt hunc à Chilperico rege generatum fuisse: & sic suspicio ab animis Regis ablata est.

De corporibus Merouei & Chlodouei

CAP. X.

DEnique cum interitum Merouei atq; Chlodouei sæpius lamentaretur, nesciretque vbi eos postquam interfecerant, proiecissent, venit ad Regem homo qui diceret: *Si mihi contrarium in posterum non habetur, indicabo in quo loco Chlodouei cadauer sit positum:* iurauit Rex, nihil ei molestum fieri, sed potius muneribus ampliari. Tunc ille, *Veritatem,* inquit, *me loqui, ô Rex, ipsa ratio quæ acta est comprobabit. Nam quando Chlodoueus interfectus est, ac sub stillicidio oratorii cuiusdam sepultus, metuens Regina ne aliquando inuentus cum honore sepeliretur, iussit eum in alueum Matronæ fluminis proiici. Tunc intra capsum, quod opere meo ad capiendorum piscium necessitatem præparaueram, reperi. Sed cum ignorarem quisnam esset, à cæsarie prolixa cognoui Chlodoueum esse: adprehensumq; in humeris ad litus detuli, ibique eum cespite superposito tumulaui. Ecce saluatis artubus quod volueris effice.* Quod cum Rex comperisset, confingens se ad venationem procedere, detectoque tumulo, reperit corpusculum integrum & inlæsum, vna tantum pars capillorum quæ subter fuerat iam

Ita sup. 6. cap. 24.

defluxerat: alia vero cum ipsis crinium flagellis intacta durabat. Cognitumque est, hunc esse quem Rex intento animo requirebat. Conuocato igitur Episcopo ciuitatis, cum clero & populo ac cereorum innumerabiliũ ornatu, ad Basilicam sancti Vincentii detulit tumulandum, non minus plangens nepotes mortuos, quam cum vidit filios proprios iam sepultos. Post hæc misit Pappolum Carnotenæ vrbis Episcopum, qui Merouei cadauer requirens, iuxta Chlodouei tumulum sepeliuit.

De ostiariis & interitu Boanti

CAP. XI.

OStiarius vero quidam de alio ostiario dixit: *Domine Rex: hic accepto præmio consensit vt tu interficiaris:* adprehensusque ostiarius de quo dixerat, cæsus suppliciisque multis adfectus, nihil de causa qua interrogabatur aperuit. Loquebantur enim tunc multi hoc insidiis & inuidia factum, quod ostiarius ille cui hoc crimen impactum fuerat, plurimum à Rege diligeretur. Ansoualdus autem nescio qua suspicione tactus, nec Vale dicens, à Rege discessit. Rex vero Cabillonnum regressus iussit Boantum qui sibi semper fuerat infidelis, gladio percuti. Qui vallatus in domo sua, ab hominibus Regis peremptus interiit, resq; suæ fisci ditionibus subiugatæ sunt.

De Theodoro Episcopo, & plaga super Ratharium

CAP. XII.

DEnique cum Rex maxima intentione Theodorum Episcopum iterum persequi conaretur, & Massilia iam in Childeberti regis dominationem reuocata fuisset, ad discutiendas causas Ratharius illuc quasi dux à parte regis Childeberti dirigitur. Sed postposita actione quæ ei à Rege iniuncta fuerat, Episcopum vallat, fideiussores requirit, & ad præsentiam regis Guntheramni direxit, vt scilicet ad synodum quæ Matiscone futura erat, quasi ab Episcopis damnandus adesset. Nec defuit vltio diuina, quæ seruos suos ab ore canum rabidorum defensare consueuit. Nam egrediente Episcopo à ciuitate, statim res ecclesiæ diripit: & alia quidem sibi vindicat, alia sub sigillorum munitione concludit. Cumq; hoc fecisset, protinus famulos eius sæuissimus inuadit morbus, exhaustosq; febre peremit: filius eius ab hoc incommodo defecit, quem in suburbano Massiliæ ipsius cum graui gemitu sepeliuit: fuitq; talis domui eius plaga, vt cum ab vrbe illa est digressus, vix ad patriam suam regredi putaretur. Theodorus vero Episcopus a Guntheramno rege detentus est. Sed nihil ei Rex nocuit. est enim vir egregiæ sanctitatis, & in oratione assiduus, de quo mihi Magnericus Treuerensis Episcopus hæc retulit: Ante hos annos cum ad præsentiam Childeberti regis, ita sub ardua custodia duceretur, vt quandocunq; ad vrbem aliquam venisset, neq; Episcopum, neq; quenquam de ciuibus videre permitteretur, adueniente Treueros nunciatum est Episcopo, hunc iam in naui positum clam abduci: surrexitq; Sacerdos tristis, ac velociter prosecutus, reperit eum ad litus, causatusq; † cum custodibus, *Cur tanta esset impietas, vt non liceret fratri fratrem aspicere?* visoq; tandem, osculatus eum indulgens aliquid vestimenti, discessit. veniens itaq; ad Basilicam sancti Maximini prosternitur sepulcro, illud Apostoli Iacobi retinens, *Orate pro inuicem, vt saluemini*: fusaq; diu oratione cum lachrimis, vt fratrem dignaretur Dominus adiuuare, egressus est foras. Et ecce mulier quam spiritus erroris agitabat, clamare sacerdoti cœpit ac dicere: *O scelestæ & inueterate dierum, qui pro inimico nostro Theodoro orationem fundis ad Dominum. Ecce nos quotidie quærimus, qualiter ab his Galliis extrudatur, qui nos quotidianis incendiis conflat: & tu pro eo rogare non desinis? Satius enim tibi erat res Ecclesiæ tuæ diligenter inquirere, ne pauperibus aliquid deperiret, quam pro hoc tam intente deposcere.* Et aiebat: *Væ nobis, qui eum non possumus expugnare.* Et licet dæmoniis credi non debeat, tamen qualis esset Sacerdos, de quo hæc Dæmon condolens declamabat, adparuit. Sed ad cœpta redeamus.

† Gall. causant, i. altercatus.

De

De legatione Guntelchramni ad Childebertum directa

CAPVT XIII.

IGitur legatos ad nepotem suum Childebertum Rex dirigit, qui morabatur tunc ad castrum Confluentis, quod ob hoc nomen accepit, pro eo quod Mosella Rhenusq; amnes pariter confluentes in eodem loco iungantur. Et quia placitum fuerat, vt Trecas Campaniæ vrbem de vtroque regno coniungerent, sacerdotibusque de regno Childeberti congruum non fuit, Felix legatus salutatione præmissa ostensis literis ait: *Patruus tuus, ô Rex, diligenter interrogat, quis te ab hac promissione retraxit, vt sacerdotes regni vestri ad concilium quod simul decreueratis, venire differrent: an forsitan mali homines aliquam inter vos discordiæ radicem faciant pullulare?* Tunc ego Rege tacente respondi: *Nil mirum, si zizania seratur inter populos. nam inter hos quo radicem obliget, protinus non potest reperire. Nullum enim latet, quod Childebertus rex alium patrem nisi patruum non habet. Neque ille alium filium nisi hunc habere disponit, iuxta id quod eum anno præsenti audiuimus loqui. Absit ergo, vt inter eos radix discordiæ germinet, cum se pariter & tueri debeant & amare.* Tunc vocato secretius Felice legato, Childebertus rex rogauit dicens: *Deprecor dominum & patrem meum, vt Theodoro episcopo nihil iniuriæ inferat: quod si fecerit, confestim inter nos scandalum germinabit, eritmusque discordia impediente disiuncti, qui debemus amorem tuendo esse pacifici.* Acceptoque & de aliis causis responso, legatus discessit.

Couelentz vulgo.

De periculo in flumine

CAPVT XIV.

NObis itaque in antedicto castro cum Rege commorantibus, dum ad conuiuium principis vsque obscura nocte retineremur, epulo expleto surreximus: venientesque ad fluuium, offendimus nauem in litore quæ nobis fuerat præparata: ascendentibusque nobis inruit turba hominum diuersorum, impletaque est nauis tam hominibus quam aquis, sed virtus Domini adfuit, non sine grandi miraculo, vt cum vsque labium impleta fuisset, mergi non posset: habebamus enim nobiscum beati Martini reliquias, cum aliorum Sanctorum, quorum virtute nos credimus fuisse saluatos. At vero naue ad litus vnde egressi fuimus redeunte, euacuata ab hominibus & à lymphis, repulsis extraneis sine impedimento transiuimus. in crastino autem Vale regi dicentes, abscessimus.

De conuersione Vulfilaici diaconi

CAPVT XV.

PRofecti igitur in itinere, ad Eposium castrum accessimus, ibique à Vulfilaico diacono nacti, & ad monasterium eius deducti, benignissime suscepti sumus. Est enim hoc monasterium quasi milibus octo ab antedicto castro, in montis cacumine locatũ: in quo monte magnam Basilicam ædificauit, quam B. Martini vel reliquorum sanctorum reliquiis inlustrauit. Commorantes autem ibi, petere ab eo cœpimus, vt nobis aliqua de conuersionis suæ bono narraret, vel qualiter ad clericatus officium aduenisset, quia erat genere Longobardus. Sed nequibat exponere, vanam tota intentione cupiens gloriam euitare. Quem ego terribilibus sacramentis coniurans, pollicitus primo vt nulli quæ referebat expenderem, rogare cœpi, vt nihil mihi de his quæ interrogabam occuleret. Cumque diutissime reluctatus fuisset, victus tandem tam precibus quam obsecrationibus meis, hæc effatus est. Dum essem, inquit, puer paruulus, audito beati Martini nomine, nesciens adhuc vtrum Martyr an Confessor esset, vel quid boni in mundo gessisset, vel quæ regio beatos artus tumulo meruisset accipere, iam in eius honorem vigilias celebrabam, ac si aliquid inter manus numismatis aduenisset,

eleemosynas faciebam: iamque in maiori ætate proficiens, literas discere studui. Ex quibus prius scribere potui, quam ordinem scriptarum literarum scirem. Deinde Aredio abbati coniunctus, ab eoque edoctus, beati Martini Basilicam adii. Reuertensque cum eo, ille parumper pulueris beati sepulchri pro benedictione sustulit. Quem in capsula positum, ad collum meum dependit, deuectique ad monasterium eius Lemouicino in termino accepta capsula, vt eam in oratorio suo locaret, in tantum puluis adcreuit, vt non solum totam capsam repleret, verumetiam foris inter iuncturas vbi aditum reperire potuit scateret. Ex hoc mihi miraculi lumine animus magis accendit totam spem meam in eius virtute defigere: deinde territorium Treuericæ vrbis expetii, & in quo nunc estis monte, habitaculum quod cernitis, proprio labore construxi: reperi tamen hic Dianæ simulacrum, quod populus hic incredulus quasi Deum adorabat. Columnam etiam statui, in qua cum grandi cruciatu sine vllo pedum stabam tegmine. Itaque cum hiemis tempus solitæ aduenisset, ita rigore glaciali vrebar, vt vngues pedum meorum sæpius vis rigoris excuteret, & in barbis meis aqua gelu connexa candelarum more dependeret. Magnam enim hiemem regio illa persæpe dicitur sustinere. Sed cum nos sollicite interrogaremus, Quis ei cibus aut potus esset, vel qualiter simulacra montis illius subuertisset, ait, Potus cibusque meus erat, parum panis & oleris, ac modicum aquæ. Verum vbi ad me multitudo vicinarum villarum confluere cœpit, prædicabam iugiter, *nihil esse Dianam, nihil simulacra, nihilque quæ eis videbatur exerceri cultura: indigna etiam esse ipsa, quæ inter pocula luxuriasque profluas cantica proferebant: sed potius Deo omnipotenti, qui cælum fecit ac terram, dignum sit sacrificium laudis impendere.* Orabam etiam sæpius, vt simulacro Dominus diruto dignaretur populum ab hoc errore discutere. Flexit Domini misericordia mentem rusticam, vt inclinaret aurem suam in verba oris mei, vt scilicet relictis idolis Dominum sequeretur. Tunc conuocatis quibusdam ex eis, simulacrum hoc immensum quod elidere propria virtute non poteram, cum eorum adiutorio possem eruere: iam enim reliqua sigillorum quæ faciliora fuerant, ipse confregeram. Conuenientibus autem multis ad hanc Dianæ statuam, missis funibus trahere cœperunt: sed nihil labor eorum proficere poterat. Tunc ego ad Basilicam propero, prostratusque solo, diuinam misericordiam cum lachrimis flagitabam, vt quia id humana industria euertere non valebat, virtus illud diuina destrueret. Egressusque post orationem, ad operarios veni, adprehensumque funem vt primo ictu trahere cœpimus, protinus simulacrum ruit in terram, confractumque cum malleis ferreis in puluerem redegi. ipsa quoque hora, cum ad cibum capiendum venissem, ita omne corpus meum à vertice vsque ad plantam pedis pusulis malis repletum est, vt locus quem vnus digitus tegeret, vacuus inueniri non posset: ingressusque Basilicam, solus denudaui me coram sancto altario. Habebam enim ibi ampullam cum oleo plenam, quam de sancti Martini Basilica detuleram: ex qua propriis manibus omnes artus perunxi, moxque sopori locatus sum: expergefactus vero circa medium noctis, cum ad cursum reddendum surgerem, ita corpus totum incolume reperi, ac si nullum super me vlcus apparuisset. Quæ vulnera nō aliter nisi per inuidiam inimici emissa cognoui: & quia semper ipse inuidus, Deum quærentibus nocere conatur, aduenientibus Episcopis, qui me magis ad hoc cohortari debuerant, vt cœptum opus sagaciter explicare deberem, dixerunt mihi; *Non est æqua hæc via quam sequeris, nec tu ignobilis Simeoni Antiocheno, qui columnæ insedit, poteris comparari. Sed nec cruciatum hunc te sustinere patitur loci positio. descende potius, & cum fratribus quos adgregasti, tecum inhabita.*

Simeon Stylites.

Ad quorum verba, quia sacerdotes non obaudire, adscribitur crimini, descendebam fateor, & ambulabam cum eisdem, ac cibum pariter capiebam. Quadam vero die prouocans me Episcopus, longius ad villam emisit operarios cum scutis & malleis ac securibus, & eliserunt columnam in qua stare solitus eram: in crastino autem veniens, inueni omnia dissipata, fleuique vehementer: sed erigere nequiui quæ destruxerant, ne dicerer contrarius iussionibus sacerdotum: & ex hoc sicut nunc habito cum fratribus, habitare contentus sum.

Quæ

Quæ de virtutibus sancti Martini retulit

CAPVT XVI.

CVi cum de virtutibus beati Martini quas in eo loco operatus est, aliqua vt declararet exposcerem, hæc retulit: Franci cuiusdam & nobilissimi in gente sua viri filius mutus surdusque erat: adductusq; à parentibus ad hanc Basilicam, iussi eum cum diacono meo & alio ministro, intra ipsum templum sanctum in lectulo requiescere, & per diem quidē orationi vacabat: nocte autem in ipsa (vt diximus) ęde dormiebat, quādoque miserante Deo apparuit mihi in visione B. Martinus, dicens; *Eiice agnum de Basilica, quia iam sanus factus est.* Mane autem facto, cogitante me quod esset hoc somnium, venit ad me puer, & emittens vocem, gratias agere Deo cœpit, conuersusque ad me ait, *Gratias ago Deo omnipotenti, qui mihi & eloquium reddidit, & auditum.* Ex hoc sanus redditus, ad domum rediit. Alius vero qui plerunque in furtis diuersisque sceleribus commixtus, peierare consueuerat, cum aliquando à quibusdam pro furto argueretur, ait; *Ibo ad Basilicam beati Martini, & sacramentis † me exuens, innocens reddar.* Quo ingrediente, elapsa securi de manu eius ad ostium ruit, graui cordis dolore perculsus: confessusque est miser verbis propriis, quæ venerat excusare periuriis. Alius simili modo cum de incendiis domus vicini sui argueretur, ait; *Vadam ad templum sancti Martini, & fide data insons rediturus ero ab hoc crimine:* manifestum erat enim hunc domum illam incendio concremasse. abiens autem ad sacramenta danda, conuersus ad eum, dixi ei: *Quantum vicinorum tuorum dictat adsertio, non eris innocens ab hoc scelere: sed tamen Deus vbique est, & virtus eius ipsa est forinsecus. Tamen si ita te vana fiducia cepit, quod Deus vel Sancti eius in periuriis non vlciscantur, ecce templum sanctum, econtra iura vt libet: nam calcare limen sacrum non permitteris.* At ille eleuatis manibus ait, *Per omnipotentem Deum, & virtutem beati Martini antistitis eius, quia hoc incendium non admisi:* datis itaque sacramentis, dum recederet, visum est ei quasi ab igne circundari. Et statim ruens in terram, clamare cœpit se à beato antistite vehementer exuri: aiebat enim miser; *Testor Deum, quia ego vidi ignem de cælo cadere, qui me circundans validis vaporib. conflat.* Et dum hæc diceret, spiritum exhalauit. Multis hæc causa documentū fuit, ne in hoc loco auderent vlterius peierare. Plurima quidem de his virtutibus hic diaconus retulit, quæ sequi longum putaui.

† Gall. ferments.

De signis quæ apparuerunt

CAPVT XVII.

DVm autem in loco illo commoraremur, vidimus per duas noctes signa in cœlo, id est radios à parte Aquilonis tam clare splendidos, vt prius sic adparuisse non fuerint visi: & ab vtraq; quidem parte, id est ab Euro, & Zephyro, nubes sanguineæ: tertia vero nocte quasi hora secunda, adparuerūt hi radii. Et ecce dum hos miraremur attoniti, surrexerunt à quatuor plagis mundi alii horum similes, vidimusq; totum cœlum ab his operiri: & erat nubes in medio cœli splendida, ad quam se hi radii colligebant in modum tentorii, quod ab imo ex amplioribus inceptum fascis angustatis in altum, in vnum cuculli caput sæpe colligitur. Erantque in medio radiorum & aliæ nubes ceu coruscum valide fulgurantes. Quod signum magnum nobis ingessit metum. Operiebamur enim super nos aliquam plagam de cœlo transmitti.

Quod Childebertus in Italiam direxit exercitum, & qui duces vel comites aut instituti sunt, aut remoti

CAPVT XVIII.

CHildebertus vero rex compellentibus missis imperialibus, qui aurum quod anno superiore datum fuerat, requirebat, exercitum in Italiam dirigit. Sonus enim

erat, ſororem ſuam Ingundem iam Conſtantinopolin fuiſſe tranſlatam. Sed cum Duces inter ſe altercarentur, regreſſi ſunt ſine vllius lucri conquiſitione. nam Vuintrio dux à pagenſibus † ſuis depulſus, ducatu caruit: finiſſetque vitam, niſi fuga auxilium præbuiſſet, ſed poſtea pacato populo, ducatum recepit. Itaque Nicetius per emiſſionem Eulalii à comitatu Aruerno ſubmotus, ducatum à Rege expetiit, datis pro eo immenſis muneribus. Et ſic in vrbe Aruerna, Ruthena, atq; Vcetica Dux ordinatus eſt, vir valde ætate iuuenis, ſed acutus in ſenſu: fecitque pacem in regione Aruerna, & in reliquis ordinationis ſuæ locis. Childericus vero Saxo in offenſam regis Guntheramni incidens, pro cauſa ob quam ſuperius diximus alios confugiſſe, beati Martini Baſilicam expetiit, vxorem in regno Regis antedicti relinquens. Cui obteſtatus fuerat Rex, ne virum videre præſumeret, niſi prius ille regali gratiæ reconciliaretur: ad quem cū pro eo ſæpius legationē miſiſſemus, tandē obtinuimus, vt vxorem reciperet, & citra Ligerim fluuium commoraretur. non tamen ad regem Childebertum tranſire præſumeret. Sed ille accepta libertate recipiendæ vxoris, clam ad eum tranſiit. Adeptaq; ordinatione ducatus in ciuitatibus vltra Garonnam, quæ in poteſtate ſupradicti Regis habebantur, acceſſit. Guntheramnus vero rex volens regnum nepotis ſui Chlotharii, filii ſcilicet Chilperici, regere, Theodulphum Andegauis Comitem eſſe decreuit: introductuſque in vrbem à ciuibus & præſertim à Domigiſilo, cum humilitate repulſus eſt. Recurrenſque ad Regem, iterum præceptum accipiens, à Sigulfo duce intromiſſus, comitatum vrbis illius rexit: Gundobaldus autem comitatum Meldenſem ſuper Guerpinum. ingreſſuſque vrbem, cauſarum actionem agere cœpit. Exinde dum pagum † vrbis in hoc officio circuiret, in quadam villa ab Guerpino interficitur. Cuius parentes congregati, ſuper hunc inruunt, incluſumque in penſilem domum interimunt: ſicque vterque à comitatu morte imminente diſceſſit.

† Gall. paiſans

† i. territorii. Gall. le pays

De interitu Daulphi abbatis

CAPVT XIX.

CVm autem ſæpius Dagulfus abbas pro ſceleribus ſuis argueretur, quia furta & homicidia plerunque faciebat, ſed & in adulteriis nimium diſſolutus erat. quodam tempore cum vxorem vicini ſui concupiſcens, miſceretur cum ea, requirens occaſiones diuerſas, qualiter virum adulteræ intra monaſterii huius ſepta deberet obprimere, ad extremum conteſtatus eſt ei dicens, quod ſi ad vxorem ſuam accederet, puniretur. Illo quoque diſcedente ab hoſpitiolo ſuo, hic Dagulfus nocte cum vno clerico veniēs, domum meretricis ingreditur. Poſtquam autem diutiſſime bibentes inebriati ſunt, in vno ſtrato locantur. Quibus dormientibus adueniens vir ille accenſo ſtramine, eleuata bipenne vtrunque peremit. Ideoque documentum ſit hæc cauſa clericis, ne contra canonum ſtatuta extranearum mulierum conſortio potiantur: cum hoc & ipſa lex canonica & omnes ſcripturæ ſanctæ prohibeant: præter has fœminas de quibus crimen non poteſt æſtimari.

Quæ in ſynodo Matiſcenſi acta ſunt

CAPVT XX.

INterim dies placiti aduenit, & Epiſcopi ex iuſſu regis Guntheramni apud Mateſcēſem vrbem collecti ſunt. Fauſtinianus autem qui ex iuſſu Gundobaldi, Aquenſis vrbis epiſcopus ordinatus fuerat, ea conditione remouetur, vt eum Bertheramnus Oreſteſque ſiue Palladius, qui eum benedixerant, vicibus paſcerent, centenoſque ei aureos annis ſingulis miniſtrarent. Nicetius tamen ex laico, qui prius ab Chilperico rege præceptum elicuerat, in ipſa vrbe epiſcopatum adeptus eſt. Vrſicinus Cadurcenſis epiſcopus excommunicatur, pro eo quod Gundobaldum excepiſſe publice eſt confeſſus: accepto huiuſmodi placito, vt pœnitentiam tribus annis agens, neq; capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abſtineret, miſſas celebrare, clericos ordinare,

nare, ecclesiasque & chrisma benedicere, eulogias dare penitus non auderet: vtilitas tamen ecclesiæ per eius ordinationem, sicut solita erat, omnino exerceretur. extitit enim in hac synodo quidam ex Episcopis, qui dicebat; *Mulierem, hominem non posse vocitari.* Sed tamen ab Episcopis ratione accepta quieuit: eo quod sacer Veteris Testamenti liber edoceat, quod in principio Deo hominem creante ait, *Masculum & fœminam creauit eos: vocauitque nomen eorum, Adam, quod est homo terrenus:* sic vtique vocans mulierem, ceu virum: vtrunque enim hominem dixit. Sed & dominus Iesus Christus ob hoc vocitatur *filius hominis*, quod sit filius virginis, id est mulieris. Ad quam cum aquas in vina transferre pararet, ait, *Quid mihi & tibi est mulier?* & reliqua. Multisque & aliis testimoniis hæc causa conuicta quieuit. Prætextatus vero Rothomagensis episcopus, orationes quas in exilio positus scalpsit, coram Episcopis recitauit. Quæ quibusdam quidem placuerant, à quibusdam vero, quia artem secutus minime fuerat, reprehendebantur. Stilus tamen per loca ecclesiasticus & rationabilis erat. Cædes autem magna tunc inter famulos Prisci episcopi & Leudegisili ducis fuit. Priscus tamen episcopus ad coemendam pacem multum pecuniæ obtulit. His etiam diebus Guntheramnus rex grauiter ægrotauit, ita vt putaretur à quibusdam non posse prorsus euadere: quod credo prouidentia Dei fuisset. Cogitabat enim multos Episcoporum exilio detrudere. Theodorus itaque episcopus, ad vrbem suam regressus, fauente omni populo cum laude susceptus est.

Mulier an homo?

De placito in Belsonanco, & de sepulchro violato

CAPVT XXI.

Itaque cum hæc synodus ageretur, Childebertus rex apud Belsonancum villam, quæ in medio Ardoennensis siluæ sita est, cum suis coniungitur. Ibique Brunichildis regina pro Ingunde filia, quæ adhuc in Africa tenebatur, omnibus prioribus questa est: sed parum consolationis emeruit. Tunc cōtra Bosonem Guntheramnum causa exoritur. Ante paucos autem dies mortua propinqua vxoris eius sine filiis, in Basilica vrbis Metensis sepulta est cum grandibus ornamentis & multo auro. Factum est autem, vt post dies paucos adesset festiuitas beati Remigii, quæ in initio mensis Octobris celebratur. descendentibus autem multis è ciuitate cum Episcopo, & præsertim senioribus vrbis cum duce, venerūt pueri † Bosonis Guntheramni ad Basilicam, in qua mulier erat sepulta. Ingressi, conclusis super eos ostiis, detexerunt sepulchrum, tollētes, & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti, quæ reperire potuerunt. Sentientes autem hæc Monachi Basilicæ illius, venerunt ad ostium, sed ingredi nō sunt permissi. Quod videntes, nunciauerūt hæc Episcopo suo ac Duci. Interea pueri acceptis rebus, ascensisq; equis, fugere cœperunt: sed timentes ne adprehensi in via diuersis subigerētur pœnis, regressi sunt ad Basilicam. Posueruntq; quidem res super altarium, sed foras egredi non sunt ausi, clamantes atque dicentes; *Quia à Guntheramno Bosone transmissi sumus.* Sed cum ad placitum in villam, quam diximus, Childebertus cum proceribus suis conuenisset, & Guntheramnus de his interpellatus, nullum responsum dedisset, clam aufugit: ablatæque sunt ei deinceps omnes res quæ in Aruerno de fisci munere promeruerat. Sed & diuersorum res quas male peruaserat, cum confusione reliquit.

Belsonancum

† famuli.

De obitu episcoporum & Vuandelini

CAPVT XXII.

Laban Helosensis episcopus, hoc anno obiit. Cui Desiderius ex laico successit. Cum iureiurando enim Rex pollicitus fuerat, *Se nunquam ex laicis Episcopum ordinaturū.* Sed quid pectora humana nō cogat auri sacra fames? Bertheramnus vero regressus ex synodo, à febre corripitur. Arcessitoque Vualdone diacono, qui & ipse in baptismo Bertheramnus vocitatus est, summam ei sacerdotii deputat: omnesque conditio-

nes tam testamenti, quam benemeritorum suorum ipsi committit. Quo discedente, hic spiritum exhalauit. Regressus Diaconus cum muneribus & consensu ciuium ad Regem properat, sed nihil obtinuit. Tunc Rex data praeceptione, iussit Gundegisilum Sanctonicum comitem cognomento Dodonem, episcopum ordinari: gestumque est ita. Et quia multi clericorum Sanctonicorum ante synodum consentientes Berthcramno episcopo, in Palladium sacerdotem suum aliqua aduersa conscripserant, quae ei humilitatem ingererent, post eius obitum adprehensi à sacerdote, grauiter caesi, atq; expoliati sunt. Hoc tempore & Vuandelinus nutritor Childeberti regis, obiit: sed in locum eius nullus est subrogatus, eo quod regina mater curam velit propriam habere de filio. Quaecunque de fisco meruit, fisci iuribus sunt relata. Obiit his diebus Bodegisilus Dux plenus dierum, sed nihil de facultate eius filiis minutum est. In locum Fausti Auscensis episcopi, Fabius episcopus est subrogatus. Post obitum sancti Saluii hoc anno, Desideratus Albigensibus episcopus datus est.

De diluuiis

CAPVT XXIII.

MAgnae hoc anno pluuiae fuerunt, amnesque intantum conualuerunt, vt plerunque naufragia euenirent. Ipsique litora excedentes, propinquas segetes ac prata operientes, grauiter eliserunt: fueruntque vernales aestiuique menses tam inrigui, vt hiems magis putaretur esse quam aestas.

De insulis maris

CAPVT XXIV.

DVae hoc anno insulae in mari diuinitus incendio concrematae sunt: quae per dies septem cum hominibus pecoribusque consumptae subuertebantur. Nam qui in mare confugerant, & se in profundum praecipitarant, aqua consumebantur, grauiorique supplicio qui non confestim emittebant spiritum, vrebantur. Redactisque omnibus in fauillam, cuncta mare operuit. Ferebant etiam multi, signa quae superius nos vidisse octauo mense narrauimus, quasi arderet coelum, ex huius incendii splendore fuisse.

pp.c.8. & 17.

De insula in qua sanguis apparuit

CAPVT XXV.

IN alia vero insula quae est proxima ciuitati Veneticae, erat stagnum validum, piscibusque refertum, quod in vnius vlnae altitudinem conuersum est in cruorem: ita per dies multos congregata canum atque auium inaestimabilis multitudo, sanguinem hunc lambens, satiata redibat in vesperum.

De Eberulfo qui dux fuit

CAPVT XXVI.

TVronicis vero atque Pictauis Ennodius dux datus est. Berulfus autem qui his ciuitatibus ante praefuerat, pro thesauris Sygiberti regis quos clam abstulerat, cum Arnegisilo socio suspectus habebatur. Qui cum hunc ducatum in supradictis vrbibus expeteret, à Rochingo duce facto instrumento cum satellite † alligatur. Nec mora, missi ad domos eorum pueri expilant omnia, multa ibi de proprio, nonnulla de antedictis thesauris sunt reperta: quae omnia ad Childebertum regem delata sunt. Cumq; in hoc res ageretur, vt gladius ceruicem decideret, interuentu Episcoporum obtenta vita laxati sunt, nihil tamen de his quae eis ablata fuerant, recipientes.

† i. consilii hominibus.

Quod

Quod Desiderius ad regem abiit

CAPVT XXVII.

DEsiderius vero dux cum aliquibus Episcopis, & Aredio abbate, & Antestio ad regem Guntheramnum properauit. Sed cum eum Rex ægre vellet accipere, victus precibus sacerdotum in gratiam suam recepit. Tunc ibi Eulalius adfuit, quasi pro coniuge quæ eum spreuerat, & ad Desiderium transierat, causaturus: sed in ridiculum & humilitatem redactus, siluit. Desiderius vero remuneratus à Rege, cum gratia est reuersus.

De Hirmenegildo & de Ingunde, vel de legatis Hispanorum clam ad Fredegundem missis

CAPVT XXVIII.

IGitur (vt superius diximus) Ingundis à viro cum Imperatoris exercitu derelicta, dum ad ipsum principem cum filio paruulo duceretur, in Africa defuncta est, & sepulta. Leuuichildus vero Herminichildum † filium suum, quem antedicta mulier habuit, morti tradidit. Quibus de causis commotus Guntheramnus rex, exercitum in Hispanias destinat, scilicet, vt prius Septimaniam, quæ adhuc intra Galliarum terminum habetur, eius dominationi subderent: & sic inantea proficisceretur. Dum autem hic exercitus moueretur, indiculum à nescio quibusdam hominibus rusticis est repertum. Quod & Guntheramno regi legendum miserunt hoc modo, quasi Leuuichildus ad Fredegundem scriberet, vt quocunque ingenio exercitum illuc prohiberet ire, dicens; *Inimicos nostros*, id est, Childebertum & matrem eius, *velociter interimite, & cum rege Guntheramno pacem inite, quam præmiis multis coemite. Et si vobis minus est fortaßis pecunia, nos clam mittimus: tantum, vt quod petimus impleatis. Cum autem de inimicis nostris vlti fuerimus, tunc Amelio episcopo, ac Leubæ matronæ bona tribuite: per quos missis nostris ad vos accedendi aditus reseratur.* Leuba enim est socrus Bladastis ducis.

† *de quo sup. 5. c. 38. & 43. Greg. M. 3. Dial. c. 31. P. Diac. lib. 3. c. 21.*

Quod Fredegundis misit qui Childebertum interficeret

CAPVT XXIX.

ET licet hæc ad Guntheramnum regem perlata, & nepoti eius Childeberto in notitiam data fuissent, tamen Fredegundis duos cultros ferreos fieri præcepit: quos etiam caraxari † profundius, & veneno infici iusserat, scilicet si mortalis adsultus vitales non dissolueret fibras, vel ipsa veneni infectio vitam posset velocius extorquere. Quos cultros duobus clericis cum his mandatis tradidit, dicens; *Accipite hos gladios, & quantocyus pergite ad Childebertum regem, adsimulantes vos esse mendicos: cumque pedibus eius fueritis strati, quasi stipem postulantes, latera eius vtraque perfodite, vt tandem Brunichildis, quæ ab illo adrogantiam sumit, eo cadente conruat, mihique subdatur. Quod si tanta est custodia circa puerum, vt accedere nequeatis, vel ipsam interimite inimicam. Merces quoque operis vestri hæc erit, vt si mortui in hoc opere fueritis, parentibus vestris bona tribuam, ipsosque muneribus ditans, primos in regno meo constituam: interim vos timorem omnem omittite, nec sit trepidatio mortis in pectore. Noueritis enim, quod cunctos homines hæc causa continet. Armate virilitate animos, & considerate sæpius fortes viros in bello conruere: vnde nunc parentes eorum nobiles effecti, opibus immensis cunctis supereminent, cunctosque præcellunt.* Cumque hæc mulier loqueretur, clerici tremere cœperunt, difficile putantes hæc iussa posse complere. At illa dubios cernens, medificatos † potione direxit, quo ire præcepit: statimque robur animorum adcreuit: promiseruntque se omnia quæ præceperat impleturos. Nihilominus vasculum hac potione repletum, ipsos leuare iubet, dicens; *In die illa cum hæc quæ præcipio facitis, mane priusquam opus incipiatur, hinc potum sumite.*

† *i. incidi.*

† *i. maleficiator. ais sup. 4. c. 50.*

Erit vobis magna constantia ad hæc peragenda. His ita instructis dimisit eos: qui pergentes & ad vrbem Suessionas accedentes, à Rauchindo duce capti, discussique omnia referunt, & sic in carcerem religati sunt. Post dies vero paucos Fredegundis, certa iam quod fuissent impleta quæ fuerant imperata, misit puerum inquirere, quid aut rumor populi ferret, aut si aliquem inueniret indicantem, qui diceret, *Childebertum iam interemptum fuisse.* Egressus igitur puer ab ea, Suessionas vrbem venit. audiens denique hos in carcerem retineri, ad ostium adpropinquat. Sed cum loqui satellitibus cœpisset, & ipse captus, custodiæ mancipatur. Tunc omnes simul ad Childebertum regem directi sunt: discussique veritatem aperiunt, indicantes se a Fredegunde missos ad eum interimendum, dicentes: *Iussa Reginæ suscepimus, vt nos egenos adsimularemus, cumque pedibus tuis prouoluti aliquid stipendii quæreremus, ab his te gladiis transfodere voluimus. Quod si adsultu segniore gladius desixus esset, ipsum venenum quo ferrum erat infectum, animam velociter penetraret.* Hæc his dicentibus, diuersis suppliciis adfecti, truncatis manibus auribusque & naribus, variis sunt mortibus interempti.

Quod exercitus in Septimaniam abiit

CAPVT XXX.

Goth. conterminí Francorum Septimania.

IGitur Guntheramnus rex commoueri exercitum in Hispanias præcepit, dicens; *Prius Septimaniam prouinciam ditioni nostræ subdite: quæ Galliis est propinqua. Indignum est, vt horrendorum Gothorum terminus vsque in Gallias sit extensus.* Tunc commoto omni exercitu regni sui, illuc dirigit. Gentes vero quæ vltra Ararim Rhodanumque & Sequanam commanebant, cum Burgundionibus iunctæ, Araraca Rhodaniticaque litora, tam de fructibus, quam de pecoribus valde depopulati sunt. Multa homicidia, incendia, prædasque in regione propria facientes, sed & Ecclesias denudantes, clericos ipsos cum sacerdotibus ac reliquo populo ad ipsas sacratas Deo aras interimentes, vsque ad vrbem Nemausum processerunt. Similiter & Biturici, Sanctonici cum Petragoricis, Engolismensibus, & reliquarum vrbium populo, qui tunc ad ante dicti Regis imperium pertinebant, vsque ad Carcasonam vrbem deuecti, similia mala gesserunt. Sed cum ad vrbem accessissent, reseratis sponte ab habitatoribus portis, nullo resistente ingressi, nescio quo cum Carcasonensibus scandalo commoti, vrbem egressi sunt. Tunc Terentiolus comes quondam vrbis Lemouicinæ, lapide de muro proiecto percussus, occubuit. Cuius caput truncatum est ad vindictam aduersariorum, & vrbi delatum est. Ex hoc omnis populus timore perterritus, ad propria regredi destinans, vniuersa reliquit, quæ vel per viam ceperat, vel quæ secum adduxerat. Sed & Gothi per occultas insidias multos de his spoliatis interemerunt: exinde in Tholosanorum manus incidentes, quibus dum pergerent, multa intulerant mala, spoliati ac cæsi vix propria contingere potuerunt. Hi vero qui Nemausum adgressi fuerant, deuastantes vniuersa regionis, succensis domibus, incensis segetibus, discissis oliuetis, vinetisque succisis, nihil inclusis nocere potentes ad alias vrbes progressi sunt. Erant enim valde munitæ, & de cibis ac reliquis necessariis adplene refertæ, & horum vrbana depopulantes, vrbes minus inrumpere valuerunt. Tunc & Nicetius dux cum Aruernis in hac expeditione commotus, cum reliquis vrbes adtedit†. Sed cum minus valeret, ad castrum quoddam peruenit: dataque fide, sponte inclusi reserantes portas, eos creduli tanquam pacificos susceperunt. Illi vero ingressi, postposito sacramento præsidia cuncta diripiunt, animas in captiuitatem subdentes. Tunc accepto consilio vnusquisque ad propria est regressus. Tantaque per viam scelera, homicidia, prædas, direptiones per regionem propriam gesserunt, vt ea vsquequaque memorari perlongum sit. Veruntamen quia segetes prouinciæ igni ab hisdem succensas dicimus, fame atque media percuntes, per viam relinquebantur exanimes, nonnulli in fluminibus demersi, plerique in seditionibus interempti sunt. Ferebant enim amplius quam quinque milia in his stragibus fuisse peremptos. Sed non eos qui remanserant, coercebat aliorum interitus. Tunc & Aruernæ regionis Ecclesiæ quæ viæ publicæ propinquæ erant, a ministeriis denudatæ sunt. Nec fuit terminus male

Gall. assiegé.

faciendi

faciendi, nisi cum ad propria singuli peruenerunt. Quibus reuersis, magna Gunthcramnum regem amaritudo cordis obsedit. Duces vero supradicti exercitus ad Basilicam sancti Symphoriani martyris expetierunt. Veniente itaque Rege ad eius solennitatem, repræsentati sunt sub conditione audientiæ in postmodum futuræ. Postea vero quatuor conuocatis Episcopis, necnon & maioribus natu laicorum, duces discutere cœpit, dicens; *Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere possumus, qui ea quæ patres nostri consecuti sunt, non custodimus: illi vero Ecclesias ædificantes, in Deum spem omnem ponentes, Martyres honorantes, sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt, gentesque aduersas diuino opitulante adiutorio, in ense & parma sæpius subdiderunt. Nos vero non solum Deum non metuimus, verumetiam sacra eius vastamus, ministros interficimus, ipsa quoque Sanctorum pignera in ridiculo discerpimus, ac vastamus. Non enim potest obtineri victoria, vbi talia perpetrantur. Ideo manus nostræ sunt inualidæ, ensis tepescit, nec clypeus nos (vt erat solitus) defendit ac protegit. Ergo si hoc meæ culpæ adscribitur, iam id Deus capiti meo restituat. Certe si vos regalia iussa contemnitis, & ea quæ præcipio implere differtis, iam debet securis capiti vestro submergi. Erit enim documentum omni exercitui, cum vnus de prioribus fuerit interfectus: veruntamen iam experiri debemus, quid agi oporteat. Si quis iustitiam sequi destinat, iam sequatur. Si quis contemnit, iam vltio publica ceruici eius immineat. Satius est enim vt pauci contumaces pereant, quam ira Dei super omnem regionem dependat innoxiam.* Hæc Rege dicente, responderunt Duces; *Bonitatis tuæ magnanimitas, Rex optime, enarrari facile non potest: qui timor tibi in Deum sit, qui amor in Ecclesias, quæ reuerentia in sacerdotes, quæ pietas in pauperes, quæue dispensatio in egenos: sed quia omnia quæ gloria vestra profert, recta veraque esse censentur, quid faciemus quod populus omnis in vitium est dilapsus? Omnemque hominem agere quæ sunt iniqua delectat, nullus Regem metuit, nullus Ducem, nullus Comitem reueretur: & si fortassis alicui ista displicent, & ea pro longæuitate vitæ vestræ emendare conatur, statim seditio in populo, statim tumultus exoritur, & in tantum vnusquisque contra seniorem sæua intentione grassatur, vt vix se credat euadere, si tandem silere nequiuerit.* Ad hæc Rex ait; *Si quis sequitur iustitiam, viuat: si quis legem mandatumque nostrum respuit, iam pereat, ne nos diutius hoc blasphemium † prosequatur.* Hæc eo dicente, aduenit nuncius dicens, Richaredus filius Leuuieldi de Hispaniis egressus, Caput arietis castra obtinuit, & ex pago Tholosano maximam partem depopulatus est, homineśque captiuos abduxit: Vgernum, Arelatense † castrum irrupit, resque cunctas cum hominibus abstulit, & sic se intra muros Nemausensis vrbis inclusit. Hæc audiens Rex, Leudegisilum in locum Calumniosi cognomento Ægilanis, Ducem deligens, omnem ei prouinciam Arelatensem commisit, custodesque per terminos super quatuor virorum milia conlocauit. Sed & Nicetius Aruernorum dux similiter cum custodibus perrexit, & fines regionis ambiuit.

Gall. blasme

bel. Arles.

De interfectione Prætextati episcopi

CAPVT XXXI.

DVm hæc agerentur, & Fredegundis apud Rothomagensem vrbem commoraretur, verba amaritudinis cum Prætextato pontifice habuit, dicens, Venturum esse tempus quando exilia in quibus detentus fuerat, reuiseret. Et ille, *Ego semper & in exilio, & extra exilium Episcopus fui, sum, & ero. nam tu non semper regali potentia perfrueris. Nos ab exilio prouehimur tribuente Deo in regnum: tu vero ab hoc regno demergeris in abyssum. Rectius enim erat tibi, vt relicta stultitia atque malitia, iam te ad meliora conuerteres, & ab hac iactantia, qua semper ferues, abstraheris, vt & tu vitam adipiscereris æternam, & paruulum quem genuisti, adducere ad legitimam posses ætatem.* Hæc effatus, cum verba illius mulier grauiter acciperet, se à conspectu eius felle feruens abstraxit. Adueniente autem dominicæ Resurrectionis die, cum sacerdos ad implenda ecclesiastica officia, ad ecclesiam maturius properasset, Antiphonas iuxta cōsuetudinem incipere per ordinem cœpit. Cumque inter psallendum formulæ decumberet, crudelis adfuit homicida qui Episcopum super formulam quiescentem, extracto baltei cultro, sub ascella percutit. Ille vero vocem emittens, vt clerici qui aderant adiuuarent, nullius auxilio de tantis adstantibus

eſt adiutus. At ille plenas ſanguine manus ſuper altarium extendens, orationem fundens, & Deo gratias agens, in cubiculum ſuum inter manus fidelium deportatus, & in ſuum lectulum collocatus eſt. Statimque Fredegundis cum Beppoleno duce & Anſoualdo adfuit, dicens; *Non oportuerat hæc nobis ac reliquæ plebi tuæ, ô ſancte ſacerdos, vt iſta tuo cultui euenirent. Sed vtinam indicaretur, qui talia auſus eſt perpetrare, vt digna pro hoc ſcelere ſupplicia ſuſtineret.* Sciens autẽ eam Sacerdos hæc doloſe proferre, ait; *Et quis hæc fecit? niſi is qui Reges interemit, qui ſæpius ſanguinem innocentem effudit, qui diuerſa in hoc regno mala commiſit*: Reſpondit mulier; *Sunt apud nos peritiſſimi medici, qui huic vulneri mederi poſſunt. Permitte, vt accedant ad te.* Et ille, *Iam*, inquit, *me Deus præcipit de hoc mundo vocari. nam tu quæ his ſceleribus princeps inuenta es, eris maledicta in ſeculo, & erit Deus vltor ſanguinis mei de capite tuo.* Cumque illa diſcederet, Pontifex ordinata domo ſua, ſpiritum exhalauit. Ad quem ſepeliendum Romacharius Conſtantinæ vrbis epiſcopus aduenit. Magnus tunc omnes Rothomagenſes ciues, & præſertim ſeniores loci illius Francos, mœror obſedit. Ex quibus vnus ſenior ad Fredegundem veniens, ait; *Multa enim mala in hoc ſeculo perpetraſti, ſed adhuc peius non feceras, quam vt ſacerdotem Dei iuberes interfici. Sit Deus vltor ſanguinis innocentis velociter. nam & omnes erimus inquiſitores mali huius, vt tibi diutius non liceat tam crudelia exercere.* Cum autem hæc dicens, diſcederet à conſpectu Reginæ, miſit illa qui eum ad conuiuium prouocaret. Quo renuente, rogat, vt ſi conuiuio eius vti non velit, ſaltem vel poculum hauriat, ne ieiunus à regali domo diſcedat. Quo expectante, accepto poculo, bibit abſinthium cum vino & melle mixtum, vt mos barbarorum † habet: ſed hic potus veneno imbutus erat. Statim autem vt bibit, ſenſit pectori ſuo dolorem validum imminere: & quaſi ſi incideretur intrinſecus, exclamat ſuis dicens, *Fugite ô miſeri, fugite malum hoc, ne mecum pariter perimamini.* Illis quoque non bibentibus, ſed feſtinantibus abire, ille protinus excæcatus, aſcenſoque equo in tertio ab hoc loco ſtadio cecidit, & mortuus eſt. Poſthæc Leudoualdus epiſcopus epiſtolas per omnes ſacerdotes direxit, & accepto conſilio eccleſias Rothomagenſes clauſit, vt in his populus ſolennia diuina non ſpectaret, donec indagatione communi reperiretur huius auctor ſceleris. Sed & aliquos adprehendit, quibus ſupplicio ſubditis, veritatem extorſit, qualiter per conſilium Fredegundis hæc acta fuerant: ſed ea defenſante, vlciſci non potuit: ferebant etiam ad ipſum percuſſores veniſſe, pro eo quod hæc inquirere ſagaciter deſtinaret: ſed cuſtodia vallato ſuorum, nihil ei nocere potuerunt. Itaque cum hæc ad Guntheramnum regem perlata fuiſſent, & crimen ſuper mulierem iaceretur, miſit tres Epiſcopos ad filium qui eſſe dicitur Chilperici, quem ſuperius Clotharium ſcripſimus vocitatum, id eſt Arthemium, Senonicum, Veranum Cabillonenſem, & Agrecium Tricaſſinum, vt ſcilicet cum his qui paruulum nutriebant, perquirerent huius ſceleris perſonam, & in conſpectu eius exhiberent. Quod cum ſacerdotes locuti fuiſſent, reſponderunt ſeniores, *Nobis prorſus hæc facta diſplicent, & magis ac magis ea cupimus vlciſci. nam non poteſt fieri, vt ſi quis inter nos culpabilis inuenitur, in conſpectum Regis veſtri deducatur, cum nos poſſimus noſtrorum facinora regali ſanctione comprimere.* Tunc ſacerdotes dixerunt: *Noueritis enim, quia ſi perſona quæ hæc perpetrauit, in medio poſita non fuerit, Rex noſter cum exercitu huc veniens, omnem hanc regionem gladio incendioque vaſtabit: quia manifeſtum eſt hanc interfeciſſe gladio Epiſcopum, qui maleficiis Francum iuſſit interfici*: & his dictis diſceſſerunt, nullum rationabile reſponſum accipientes, obteſtantes omnino vt nunquam in eccleſia illa Melantius qui prius in loco Prætextati ſubrogatus fuerat, ſacerdotis fungeretur officio.

i. Fellitorum (margin, beside "cum vino & melle mixtum")

ſup. lib. 6. c. 23. & 8. c. 5. (margin, beside "miſit tres Epiſcopos")

De interitu Damnolæ vxoris Nectarii

CAPVT XXXII.

MVlta enim hoc tempore mala geſta ſunt. nam Domnola relicta quondam Burgolini, quæ fuit filia Victorii Redonenſis epiſcopi, quam Nectarius matrimonio copulauerat, intentionem de vineis cũ Boboleno referendario Fredegundis habebat. Audiens eam in has vineas aduenisse, miſit nuncios obteſtantes, ne ingredi penitus

in

in hanc possessionem præsumeret. Quod illa despiciens, & res patris sui fuisse proclamans, ingressa est. Tunc ille commota seditione, super eam cum armatis viris inruit. Qua interfecta, vineas vindemiauit, resque diripuit: & tam viros quam mulieres qui cum ea erant, interfecit gladio, nec remansit ex his nisi qui fuga labi potuit.

De incendio urbis Parisiacæ

CAPVT XXXIII.

EXtitit autem in his diebus apud vrbem Parisiacam mulier quæ diceret incolis; *Fugite ab vrbe, & scitote eam incendio concremandam.* Quæ cum a multis irrideretur, quod hæc aut sortium præsagio diceret, aut vana aliqua somniasset, aut certe dæmonii meridiani hæc instinctu proferret, respondit, *Nequaquam est ita, vt dicitis. nam in veritate loquor, quia vidi per somnium à Basilica sancti Vincentii venientem virum inluminatum, tenentem manu cereum, & domos negociantum ex ordine succendentem.* Denique post tertiam noctem, quod hæc mulier est effata, inchoante crepusculo, quidam è ciuibus accenso lumine, in promptuarium est ingressus: adsumptoque eo ac cæteris quæ necessaria erant, abscessit, lumine secus cupellam olei derelicto. Erat enim domus hæc prima secus portam quæ ad medium diem pandit egressum. Ex quo lumine adprehensa domus incendio concrematur, de qua & aliæ adprehendi cœperunt. Tunc diruente igne super vinctos carceris, adparuit eis beatus Germanus, & comminuens trabem atque catenas, quibus vincti tenebantur, reserato carceris ostio, vinctos abire permisit incolumes. Illi vero egressi, se ad Basilicam sancti Vincentii, in qua sepulchrum habetur beati antistitis contulerunt. Igitur cum per totam ciuitatem huc atque illuc flante vento flamma ferretur, totisque viribus regnaret incendium, adpropinquare ad aliam portam cœpit, in qua beati Martini oratorium habebatur: quod ob hoc aliquãdo factum fuerat, eo quod isti lepram maculosi hominis osculo depulisset. Vir autem qui eum intextis virgultis in sublime construxerat, confisus in Domino, nec de beati Martini virtute diffisus, se resque suas intra eius parietes ambiuit, dicens, *Credo enim, & fides mea est, quod repellat ab hoc loco incendium, qui sæpius incendiis imperauit: & in hoc loco leprosi hominis cutem osculo medente purgauit.* Adpropinquante enim illuc incendio, ferebantur validi globi flammarum qui percutientes parietem oratorii, protinus tepescebant. Clamabat autem populus viro ac mulieri; *Fugite ò miseri, vt euadere possitis: ecce iam ignium pondus super vos diruit: ecce fauillæ incendii cum carbonibus, tanquam validus imber ad vos vsque distenditur: egredimini ab oratorio, ne cum eodem incendio concrememini.* At illi orationem fundentes, nunquam ab his vocibus mouebantur. Sed nec mulier se vnquam à fenestra per quam interdum flammæ ingrediebantur, amouit, quæ erat spe firmissima de virtute beati antistitis præmunita. Tantaque fuit virtus beati Pontificis, vt non solum hoc oratorium cum alumni proprii domo saluaret, verumetiam nec aliis domibus quæ in circuitu erant, nocere flammis dominantibus permisisset: ibique cecidit incendium, quod ab vna parte pontis cœperat desæuire. Ab alia vero parte tam valide cuncta conflagrauit, vt amnis finem imponeret. veruntamen Ecclesiæ domibus suis non sunt adustæ. aiebant enim hanc vrbem quasi consecratam fuisse antiquitus, vt non ibi incendium præualeret, non serpens, non glis adparuisset. Nuper autem cum cuniculus pontis emundaretur, & cœnum de quo repletum fuerat, auferretur, serpentem, gliremque æreum repererunt. Quibus ablatis, & glires ibi deinceps extra numerum, & serpentes adparuerunt, & postea incendia perferre cœpit.

Lutetia consecrata.

De reclausis tentatis

CAPVT XXXIV.

ET quia princeps tenebrarum mille habet artes nocendi, quid de reclausis ac Deo deuotis nuper gestum fuerit, pandam. Vennocus Britto presbyterii honore prædi-

tus (cuius in alio libro meminimus) tantæ se abstinentiæ dedicauit, vt indumento de pellibus tantum vteretur, cibum de herbis agrestibus incoctis sumeret: vini vero tantum vas ad os poneret, quod magis putaretur libare osculo† quã haurire. Sed cum eidẽ deuotorum largitas frequenter exhiberet vasa hoc plena liquore, didicit (quod peius est) extra modum haurire, & intantum dissolui potione, vt plerunque ebrius cerneretur: vnde factum est, vt inualescente temulẽtia, tempore procedente a dæmonio correptus, per energiam vexaretur, intantum vt accepto cultro, vel quodcunque genus teli, vel lapidem, aut fustem potuisset adripere, post homines insano furore discurreret: vnde necessitas exegit, vt catenis vinctus, custodiretur in cellula. in hac quoque damnatione per duorum annorum spacia debacchans, spiritum exhalauit. Alius quoque Anatolius Burdegalensis, puer (vt ferunt) annorum duodecim, cum esset famulus cuiusdam negociatoris, petiit sibi ad reclusionem licentiam tribui. Sed resistente diu domino; putans eum in hoc tepescere, atq; implere non posse in hac ætate quod nitebatur appetere, tandem victus precib. famuli facultatem tribuit, vt id quod flagitabat impleret. Erat aũt ibi crypta ab antiquis transuoluto eleganti q; opere exposita, in cuius angulo erat cellula parua de quadratis lapidibus clausa, in quam vix vnus stans homo recipi posset. In hanc cellulam puer ingreditur: in hac per octo aut eo amplius annos commoratus, tenui cibo potuque contentus, vigiliis orationibusque vacabat. Post hęc pauorem validum perpessus clamare cœpit, *intrinsecus se torqueri*. Vnde factum est, vt adiuuante eum (vt credo) Diabolicæ partis militia, amotis quadris quibus conclusus tenebatur, eliderct parietem in terram, conlidens palmas, & clamans, *se à Sanctis Dei peruri*. Cumque diutissime in hac insania teneretur, & sancti Martini crebrius confiteretur nomen, ac diceret se potius ab eo quam a Sanctis aliis cruciari, Turonos adducitur. Sed malus spiritus, credo, ob virtutem atque magnitudinem sancti compressus, nequaquam hominem mutilauit. Nam in loco ipso per anni curriculum degens, cum nihil mali pateretur, regressus est: sed rursus quibus caruerat, incurrit.

Gall baiser le ferre.

De Legatis Hispanorum

CAPVT XXXV.

Legati de Hispaniis ad regem Guntheramnum venerunt cum multis muneribus pacem petentes, sed nihil certi accipiunt in responsis. nam anno præterito cum exercitus Septimaniam debellasset, naues quæ de Galliis in Galliciam abierant, ex iussu Leuuieldi regis vastatæ sunt, res ablatæ, homines cæsi atque interfecti, nonnulli captiui abducti sunt. Ex quibus pauci quodammodo scaphis erepti, patriæ quæ acta fuerant nunciauerunt.

De interitu Magnoualdi

CAPVT XXXVI.

Igitur apud Childebertum regem Magnoualdus causis occultis ex iussu regis interficitur hoc modo. Stante intra Metensis vrbis Palatium rege, & ludum spectante, qualiter animal caterua canum circundatum fatigabatur, Magnoualdus arcessitur. Qui veniens, & nesciens quæ agenda erant, cum reliquis dissolutus risu, prospicere pecudem cœpit. At is cui iussum fuerat, cum videret eum spectaculo intentum, librata securi, caput eius inlisit. Qui cecidit & mortuus est, ac per fenestram domus proiectus, à suis sepultus est: resque eius protinus direptæ, & ærario publico quantum repertum est, sunt inlatæ. Autumabant tamen quidam, eo quod post mortem fratris diuersis plagis coniugem adfectam interfecisset, & vxorem fratris adscisset toro, extitisse causam qua interimeretur.

Quod

Quod Childeberto filius natus est

CAP. XXXVII.

POst hæc Childeberto regi filius natus est, qui à Magnerico Treuerorum Episcopo de sacro fonte susceptus, Theodobertus est vocitatus: de quo tantum gaudium Gunthcramnus Rex habuit, vt statim legatos dirigens multa ei munera tranſmitteret, dicens, *Per hunc enim Deus erigere Francorum regnum propria maiestatis suæ pietate dignabitur, si huic pater, aut ipse vixerit patri.* *Ita inf. 9. c. 8.*

Quod Hispani in Gallias proruperunt

CAP. XXXVIII.

ANno denique vndecimo regni Childeberti regis, legati iterum de Hispaniis venerunt, pacem petentes: sed nihil certi obtinentes, regressi sunt. Richaredus autem filius Leuuieldi vsque Narbonam venit, & intra terminum Galliarum prædas egit, & clam regressus est.

De obitu Episcoporum

CAP. XXXIX.

EO anno multi Episcoporum obierunt. Badegisilus vero Cœnomannorum Episcopus, vir valde sæuus in populo, auferens siue diripiens iniuste res diuersorum: ad cuius animum acerbum atque immitem coniunx accesserat sæuior, quæ illum in committendis sceleribus, nequissimis consilii stimulis perurgebat. Nec præteribat dies aut momentum vllum, in quo non aut in spoliis ciuium, aut in diuersis altercationibus grassaretur. Quotidie autem cum iudicibus causas discutere, militias seculares exercere, sæuire in alios, alios cædibus agere non cessabat, manibus etiam propriis verberare progrediebatur multos, ac dicere, *Num ideo quia clericus factus sum, vltor iniuriarum mearum non ero?* Sed quid dicam de cæteris, cum nec ipsis quoque germanis parceret, sed ipsos magis expoliaret. Cum quo nunquam iustitiam de rebus paternis maternisve adsequi potuerunt. Quinto autem anno Episcopatus sui expleto, cum iam sextum ingrediens, epulum ciuibus cum immensa lætitia præparasset, à febre correptus annum quem cœperat, protinus morte imminente finiuit. In cuius locum Berthcramnus Parisiacus archidiaconus subrogatus est. Qui multas altercationes cum relicta illius defuncti habuisse probatur, eo quod res quæ tempore Badegisili Episcopi Ecclesiæ datæ fuerant, tanquam proprias retinebat, dicens, *Militia † hæc fuit viri mei*: & licet inuita, tamen cuncta restituit. Erat enim in ineffabili malitia. nam sæpius viris omnia pudenda cum ipsis ventris pellibus incidit: fœminis secretiora corporis loca laminis candentibus perussit: sed & multa alia inique gessit, quæ tacere melius putaui. Obiit & Saubaudus Arelatensis Episcopus, in cuius locum Licerius regis Gunthcramni referendarius est adscitus. Grauis tunc prouinciam ipsam lues depopulata est. Obiit & Euantius Viennensis Episcopus, in cuius sedem Virus presbyter de senatoribus Rege eligente substituitur. *Episcopus coniugatus.* *i. stipendium peculium.*

Multique eo anno Sacerdotum ex hoc mundo migrauerunt: quod præterire volui, eo quod vnusquisque in vrbe sua sui reliquerit monimenta.

De Pelagio Turonico

CAP. XL.

FVit autem & in vrbe Turonica Pelagius quidam, in omni malitia exercitatus, nullum iudicem metuens, pro eo quod iumentorum fiscalium custodes sub eius potestate consisterent. Ob hoc furta, superuenta †, peruasiones, cædes, diuersaque scelera tam in fluminibus quam in terris agere non cessabat. nam plerumque arcessitum & minacibus lenibusque verbis, vt ab hac malitia desisteret, prohibere volui, sed magis odia quam aliquem fructum iustitiæ ab eo recepi, iuxta illud Salomoniacæ sapientiæ prouerbium, *Argue stultum, adiiciet odire te.* Nam tantum in me odium miser habebat, vt sæpius spoliatis cæsisque hominibus sanctæ Ecclesiæ, exanimes reliquerit, causas qualiter Ecclesiæ vel Basilicę sancti Martini damna intenderet, inquirens. Vnde factum est, vt quadam vice venientes homines nostros, atque echinum in vasis deferentes, cæderet, protereret, ipsaque vasa caperet. Quod factum cum comperissem, eum à communione suspendi, non quasi vltor iniuriæ meæ, sed vt facilius eum ab hac insania redderem emendatum. At ille electis duodecim viris, vt hoc scelus peieraret, aduenit. Sed cum ego nullum vellem sacramentum suscipere, compulsus ab eo, vel à ciuibus nostris, amotis reliquis ipsius tantum iuramentum suscepi, iussiq; eum recipi in communionem. Erat autem eo tempore mensis primus. Adueniente autem mense quinto, quo prata secari solent, pratum sanctimonialium, quod termino prati sui adhærebat, peruadit. In quo statim vt falcem misit, febre correptus, die tertia spiritum exhalauit. Deposuerat enim sibi sepulcrum in Basilica sancti Martini vici Condatensis, quod detectum sui & effractum in frusta reperiunt. Sic postea in porticu ipsius Basilicæ est sepultus: vasa quoque echini, quæ peierauerat, post obitum illius ab eius promptuario sunt delata. Manifestata est autem virtus beatæ Mariæ, in cuius Basilica miser sacramentum protulit mendax.

† i. inuasiones, rapina.

Mensis V.

De iis qui Prætextatum Episcopum interfecerunt

CAP. XLI.

CVm autem per totam terram sonus ille percurreret, Prætextatum Episcopum à Fredegunde fuisse interfectum, illa quoque quo facilius detergeretur a crimine, adprehensum puerum cædi iussit vehementer, dicens; *Tu hoc blasphemium super me intulisti, vt Prætextatum vrbis Rothomagensis Episcopum gladio adpeteres:* & tradidit eum nepoti ipsius sacerdotis. Qui cum eum in supplicio posuisset, omnem rem euidenter aperuit, dixitque; *A regina enim Fredegunde centum solidos accepi, vt hoc facerem: à Melantio vero Episcopo, quinquaginta: & ab Archidiacono ciuitatis, alios quinquaginta: insuper & promissum habui, vt ingenuus fierem, sicut & vxor mea.* In hac voce illius, euaginato homo ille gladio, prædictum reum in frusta concidit. Fredegundis vero Melantium quem prius Episcopum posuerat ecclesiæ, instituit.

Quod Bippolenus Dux datus est

CAP. XLII.

DVm à Fredegunde Beppolenus Dux valde fatigaretur, nec iuxta personam suam ei honor debitus impenderetur, cernens se despici, ad Guntheramnum regem abiit. A quo accepta potestate ducatus super ciuitates illas, quæ ad Chlotharium Chilperici regis filium pertinebant, cum magna potentia pergit. sed à Redonicis non est receptus. Andegauos vero veniens, multa mala ibidem gessit, ita vt annonas, fœnum, vinum, & quicquid reperire potuisset in domibus ciuium ad quas accesserat, nec expectatis clauibus, disruptis ostiis deuastaret: multosque de habitatoribus loci cædi-

bus adfecit protriuitque. Domigisilo quoque metum intulit, sed pacificatus est cum eo. Accedens autem ad vrbem, dum epularetur cum diuersis in tristega †, subito effracto pulpito domus, vix semiuiuus euasit, multis debilitatis, in eisdem tamen malis perdurans quæ prius gesserat. Multa tunc & Fredegundis in regno filii sui de rebus eius euertit. Ipse quoq; ad Redonicos redigens, & eos regi Guntheramno subdere cupiens, filium suum in hoc loco reliquit. Qui non multo intercedente tempore, inruentibus Redonicis interemptus est, cum multis honoratis viris. Hoc anno multa signa adparuerunt. nam mense septimo arbores visæ sunt floruisse: sed & multæ quæ prius poma habuerant, noua dederunt: quæ vsq; ad Natalis dominici tempora in ipsis arboribus habitæ sunt. Fulgor per cœlum serpentis more cucurrisse visus est.

Gl.m/ Tristega, Camere.

Quod Nicetius rector prouinciæ ordinatur: & de iis quæ Antestius gessit

CAP. XLIII.

ANno quoque duodecimo Childeberti regis, Nicetius Aruernus rector Massiliensis prouinciæ, & reliquarum vrbium quæ in illis partibus ad regnũ Regis ipsius pertinebant, est ordinatus. Antestius vero in Andegauos à rege Guntheramno dirigitur, multis ibidem damnis adfligens eos qui in morte Domnolæ vxoris Nectarii mixti fuerunt: resque Beppoleni eo quod fuerit huius caput sceleris, in fiscum redigens, Nannetas accessit: ac lacessere Nonnichium episcopum cœpit, dicens; *Quia filius tuus in hoc facinore est admixtus, vt dignas pro commissis suis pœnas luat, meritum exigit.* Sed puer conscientia accusante territus, ad Chlotharium filium Chilperici aufugit. Antestius vero acceptis fideiussoribus ab Episcopo, vt in præsentia Regis adesset, Sanctonas venit. Sonus autem his diebus exierat, quod Fredegundis occultos in Hispanias nuncios dirigeret, eosdemq; à Palladio Sanctonicæ vrbis episcopo clam susceptos, & inantea transmissos fuisse. Erant autem eo tempore dies Quadragesimæ sanctæ, & Episcopus in insulam maris, orationis causa secesserat. Secundum consuetudinem autẽ dum ad Dominicæ cœnæ festa ad Ecclesiam suam populo expectante rediret, ab Antestio in via vallatur. Qui nec discussa rei veritate dicebat, *Non ingredieris vrbem, sed exilio condemnaberis, quia suscepisti nuncios inimicæ domini nostri Regis.* At ille, *Nescio*, ait, *quid loquaris: tamen quia dies Sancti imminent, accedamus ad vrbem, decursisque solennitatum sanctarum festis, postea quæcunque volueris obpone, rationem à me accipies: quia quod reputas nihil est.* At ille, *Nequaquam*, inquit, *sed non adtinges limina Ecclesiæ tuæ, quia infidelis adparuisti domino nostro Regi.* Quid plura? tenetur in via Episcopus, domus ecclesiæ describitur, resque diripiuntur: ciues cum homine obtinere non queunt, vt saltem vel celebrata solennitate Paschali discutiatur. Hisq; supplicantibus, & illo renitente, tandem patefacit vulnus quod latebat in pectore. *Si*, inquit, *domum quam intra territorii Bituricì terminum habere dignoscitur, meæ ditioni facta venditione subdiderit, quæ flagitat is facio: alioquin non effugiet manus meas, nisi trudatur in exilium.* Metuit negare Episcopus, scripsit, subscripsitque, ac tradidit agrum: & sic datis fideiussoribus de præsentia sua ante Regem, in ciuitatem ingredi permissus est. Transactis igitur diebus sanctis, ad Regem pergit: adfuit & Antestius, sed nihil de his quæ opponebat Episcopo, potuit adprobare. Episcopus autem ad vrbem redire iubetur, & vsque ad synodum futuram dilatatur, si forte aliqua de his quæ opponebantur, euidentius possint agnosci. Adfuit & Nonnichius Episcopus, qui datis multis muneribus abscessit.

De eo qui regem Guntheramnum interficere voluit

CAP. XLIV.

FREDEGVNDIS vero quasi ex nomine filii sui, legatos ad Guntheramnum regem dirigit, qui reserata petitione, accepto respõso, Valedicentes abscedunt: sed

hospitium. nescio quibus causis paululum apud metatum † suum remorati sunt. Mane autem facto, procedente Rege ad matutinas, ac praeeunte cereo, visus est homo quasi ebrius in angulo oratorii dormitare, accinctus gladio, cuius hasta pariete sustentabatur: hoc viso Rex exclamauit, dicens, *Non esse simpliciter, hominem sub hoc horrore noctis tali in loco quiescere.* Obpressus autem, & loris reuinctus, interrogabatur quid sibi haec vellent quae ageret. Nec mora, supplicio subditus, dicit se a legatis qui aduenerant, emissum fuisse, vt Rex deberet interfici. Denique adprehensi legati Fredegundis, nihil de his quae interrogati sunt confitentur, dicentes, *Nos nihil ad aliud missos, nisi vt legationem quam suggessimus deferremus.* Tunc hominem illum diuersis plagis adfectum, & carceri mancipatum, legatos per diuersa loca exilio condemnari praecipit. Manifestissime enim patuit sub hoc dolo à Fredegunde fuisse directos, vt Regem interficere deberent (quod misericordia Domini non permisit) inter quos Baddo senior habebatur.

De interitu Desiderii ducis

CAP. XLV.

CVm autem legati de Hispaniis crebro ad regem Guntheramnum venirent, & nullius pacis gratiam obtinere potuissent, sed magis inimicitia pullularet, Rex Guntheramnus Albigensem vrbem nepoti suo Childeberto reddidit. Quod cernens Desiderius dux, qui maxime in eiusdem vrbis territorio meliora facultatis suae condiderat, timens ne vltio expeteretur ab eo, propter antiquam inimicitiam, quod aliquando in eadem ciuitate exercitum gloriosae memoriae Sygiberti regis grauiter adfecisset, cum Tetradia vxore sua, quã Eulalio tunc Aruerno comiti abstulerat, in termino Tholosano cum rebus omnibus transiens exercitum commouet, & contra Gothos abire disponit, diuisis prius (vt ferunt) rebus inter filios & coniugem: adsumptoque secum Austroualdo comite, Carcasonam petiit. Praeparauerant enim se hoc audito vrbis illius ciues, quasi resistere volentes. audierant autem de his prius. Denique inito bello fugere Gothi coeperunt, & Desiderius cum Austroualdo à tergo caedere hostem. Illis quoque fugientibus, hic cum paucis ad vrbem accessit: lassati enim fuerant equi sociorum. Tunc ad portam vrbis accedens, vallatus à ciuibus qui intra muros erant, interfectus est, cum his omnibus qui eum fuerant prosecuti: ita vt vix pauci exinde quodammodo euaderent, qui rem, vt gesta fuerat, nunciarent. Austrouualdus vero audiens Desiderium mortuum, de via regressus, ad Regem perrexit, qui mox in eius locum dux statuitur.

De obitu Leuuieldi regis

CAP. XLVI.


POst haec Leuuieldus Rex Hispanorum aegrotare coepit, sed (vt quidam adserunt) poenitentiam pro errore haeretico agens, & obtestans ne huic haeresi quisquam reperiretur consentaneus, in legem Catholicam transiit: ac per septem dies in fletu perdurans, pro his quae contra Deum inique molitus est, spiritum exhalauit: regnauitque Richaredus filius eius pro eo.

GREGO-

GREGORII TVRONICI HISTORIARVM LIBER NONVS.

De Richaredo & Legatis eius

CAP. I.



IGITVR post mortem Leuuieldi Hispanorum regis, Richaredus filius eius fœdus iniit cum Goisintha relicta patris sui, eamque vt matrem suscepit. Hæc enim erat mater Brunichildis reginæ, matris Childeberti iunioris. Richaredus vero de alia vxore erat filius Leuuieldi: deniq; cũ nouerca habito consilio, legatos ad Gunthramnum regem, atque Childebertum dirigit, dicens; *Pacem habete nobiscum, & ineamus fœdus, vt adiuti præsidio vestro, cum necessitas poposcerit, simili nos conditione intercedente charitate muniamus.* Venientes vero legati qui ad Gunthramnum regem directi erant, apud Matascense oppidum iussi sunt residere: ibiq; transmissis viris Rex causas cognouit, sed recipere noluit verba eorum: vnde talis postmodum inter eos inimicitia pullulauit, vt ad ciuitates Septimaniæ nullum de regno eius transire permitterent. Hi vero qui ad Childebertum regem venerunt, cum charitate recepti sunt, datisque muneribus accepta pace cum muneribus sunt regressi.

De obitu beatæ Radegundis

CAP. II.

EO anno beatissima Radegundis ab hoc mundo migrauit. Quæ magnum planctum in monasterio quod constituerat dereliquit. fuiq; & ego præsens ad eam sepeliendam. Obiit autem mense sexto, tertiadecima die mensis, sepulta post triduum. Quæ autem ibi ipsa die virtutes adparuerunt, & qualiter fuerit funerata, in libro miraculorum plenius scribere studui. [S. Radegundis.]

De eo qui cum cultro ad Gunthcramnum regem venit

CAP. III.

INterea aduenit festiuitas sancti Marcelli, quæ apud vrbem Cabillonensem mense septimo celebratur, & Gunthcramnus rex adfuit: verum vbi peractis solennibus ad sacrosanctum altarium communicandi gratia accessisset, venit quidam quasi aliquid suggesturus †. Qui dum properat contra Regem, culter ei de manu delabitur. [ita sup. 4. cap. 31.] Adprehensoq; repente alium cultrum euaginatum in manu eius reperiunt. Nec mora, eductus a Basilica sancta, vinctus & tormentis addictus, confitetur se emissum ad interficiendum Regem, dicens: *Sic enim tractauit, qui me misit. Quia cognouit Rex multorum in se odia adgregata, & suspectus ne percutiatur, omnino se a suis vallari præcipit, nec reperitur aditus qualiter ad eum cum gladius possit accedere, nisi in Ecclesia, in qua securus & nihil metuens stare dignoscitur, transuerberetur.* Sed & his de quibus locutus

fuit adprehensis, multis interemptis, hunc verberatum plagis dimisit viuum, quia nefas putauit, si is qui ab Ecclesia eductus fuerat, truncaretur.

Quod Childeberto alius natus est filius

CAP. IV.

EO anno Childeberto regi alius filius natus est, quem Veratus Cabillonensis Episcopus suscipiens à lauacro, Theodorici nomen posuit. Erat enim eo tempore ipse pontifex magnis virtutibus præditus, ita vt plerunque infirmis signum crucis imponens, statim sanitati, tribuente Domino restauraret.

De prodigiis

CAP. V.

PRodigia quoque multa dehinc adparuerunt. Nam vasa per domos diuersorum, signis nescio quibus caraxata sunt, quę res nullo vnquam modo, aut eradi potuit, aut deleri. Inceptum est autem hoc prodigium ab vrbis Carnotenæ territorio: & veniens per Aurelianensem vsq; Burdegalensem terminum peraccessit, nō prętermittens vllam vrbem quæ fuit in medio. In vineis vero mense octauo transacta vindemia, palmites nouos cum vuis deformatis aspeximus. In aliis arboribus frondes nouæ, & noua visa sunt poma. Radii à parte aquilonis adparuerunt. Adserebant nonnulli vidisse se serpentes ex nube delapsos. Alii adfirmabant villam cum casis & hominibus subitanea internecione euanuisse: & multa alia signa adparuerunt, quæ aut regis obitum adnunciare solent, aut regionis excidium. Vindemia eo anno tenuis, aquæ validæ, pluuiæ immensæ, flumina quoq; granditer adaucta fuerunt.

De seductoribus & ariolis

CAP. VI.

Planus insignis.

FVit eo anno in vrbe Turonica Desiderius nomine, qui se magnum quendam esse dicebat, adserens se multa posse facere signa. Nam & nuncios inter se atque Petrum Paulumque Apostolos discurrere iactitabat: ad quem quia præsens non eram, rusticitas populi multa confluxerat, deferentes secum cæcos & debiles, quos non sanctitate sanare, sed errore necromantici ingenii quærebat inludere. nam hos qui erant paralytici, aut alia impediti debilitate, iubebat valide extendi, vt quos virtutis diuinæ largitione dirigere non poterat, quasi per industriam restauraret. Denique adprehendebant pueri eius manus hominum, alii vero pedes, tractosque diuersas in partes ita vt nerui putarentur abrumpi, cum non sanarentur, dimittebantur exanimes. Vnde factum est, vt in hoc supplicio † multi spiritum exhalarent: tantumque miser elatus erat, vt *minorem se Beatum Martinum* esse diceret, se vero Apostolis coæquaret. Nec mirum, si hic similem se dicat Apostolis, cum ille auctor nequitiæ à quo ista procedunt, Christum se in fine seculi fassurus sit nam de hoc animaduersum est (vt superius diximus) errore necromanticæ artis fuisse imbutum. Quia (vt adserunt qui eum viderunt) cum quisque de eo procul & abdite quicquam locutus fuisset mali, coram populo adstante improperabat, dicens; *Quiâ hoc & illud de me effatus est, quæ sanctitate mea erant indigna: & quo alio nisi nunciantibus Dæmoniis id cognoscebat?* Habebat autem cucullum ac tunicam de pilis caprarum: & in præsenti quidem abstinens erat à cibis & potu: clam autem cum in diuersorium venisset, ita infarcibat in ore, vt minister non occurreret tantum poscenti porrigere. Sed detecta dolositate eius, & à nostris deprehensa, eiectus est extra vrbis terminum. Nec cognouimus deinceps quo abisset: dicebat tamen ciuem se esse Burdegalensem. nam & ante

† i. tormento: ita & alibi.

hos

hos ſeptem annos fuit & alius magnus valde ſeductor, qui multos decepit doloſitate ſua. Hic enim colobio indutus erat, amictus deſuper ſyndone, crucem ferens, de qua dependebant ampullulæ, quas dicebat oleum ſanctum habere. Aiebat enim ſe de Hiſpaniis aduentare, ac reliquias beatiſſimorum martyrum Vincentii leuitæ, Feliciſque martyris exhibere. Sed cum iam veſpere ad Baſilicam ſancti Martini Turonos aduenisſet, & nos conuiuio reſideremus, mandatum miſit, dicens; *Occurrant reliquiis ſanctis.* Cui nos, quia hora iam præterierat, diximus; *Requieſcant beatæ reliquiæ ſuper altarium, donec mane procedamus ad occurſum earum*: ſed hic primo diluculo conſurgens, nec expectatis nobis, aduenit cum cruce ſua, & in cellula noſtra adfuit. Stupefactus ego & admirans leuitatem, interrogo quid hæc ſibi velint? Reſpondit quaſi ſuperbus & inflata voce, *Meliorem*, inquit, *occurſum nobis exhibere debueras. Sed hæc ego in aures Chilperici regis ingeram: ille autem vlciſcetur deſpectionem meam.* Et ingreſſus in oratorium me poſtpoſito, ipſe capitellum vnum atque alterum ac tertium dicit: ipſe orationem profert, & ipſe conſummat, eleuataque iterum cruce abiit. Erat enim ei & ſermo ruſticus †, & ipſius linguæ latitudo turpis atque obſcœna: ſed nec de eo ſermo rationabilis procedebat: qui vſque Pariſios acceſſit. His enim diebus rogationes publicæ celebrabantur, quæ ante ſanctum dominicæ Aſcenſionis diem agi ſolent. Factum eſt autem vt procedente Ragnemodo pontifice cum populo ſuo, & loca ſancta circumeunte, vt & hic cum cruce ſua adueniens, inuſitatum populis exhibens indumentum, adiunctiſque publicanis ac ruſticis mulieribus & iſte chorum ſuum facere, & quaſi cum ſua multitudine loca ſancta circumire tentat. Hæc cernens Epiſcopus, miſit Archidiaconum ſuum dicens, *Si reliquias Sanctorum exhibes, pone eas paululum in Baſilica, & nobiſcum celebra dies ſanctos. decurſa autem ſolennitate, proficiſceris in viam tuam.* At ille paruipendens quæ ab Archidiacono dicebantur, cœpit Epiſcopum conuiciis ac maledictionibus proſequi. Sacerdos vero intelligens eum ſeductorem, iuſſit eum recludi in cellulam. Perſcrutatiſque cunctis quæ habebat, inuenit cum eo ſacculum magnum plenum de radicibus diuerſarum herbarum: ibique & dentes talpæ, & oſſa murium, & vngues atque adipes vrſinos: videnſque hæc maleficia eſſe, cuncta iuſſit in flumen proiici. Ablataque ei cruce, iuſſit eum a termino Pariſiacæ vrbis excludi. Sed hic iterum facta altera cruce, cœpit quæ geſſerat exercere. Captuſque ab Archidiacono, & catenis vinctus, iuſſus eſt cuſtodiri. His diebus Pariſios adueneram, & ad Baſilicam Beati Iuliani martyris metatum habebam. Nocte igitur inſequenti erumpens miſer iſte de cuſtodia, cum ipſis quibus erat nexus catenis ad ante dictam Baſilicam ſancti Iuliani properat: atque in pauimento in loco quo ego ſtare eram ſolitus, ruit, ac ſopore vinoque obpreſſus obdormiuit. Nos vero ignari facti, media ſurgentes nocte ad reddendas Domino gratias, inuenimus eum dormientem: de quo tantus pædor egrediebatur, vt omnium cloacarum atq; ſeceſſuum fœtores fœtor ille deuicerit. ſed nec nos præ hoc fœtore in Baſilicam ingredi potueramus. Accedens vero vnus clericorum, clauſis naribus eum excitare nititur, nec potuit, ita enim erat miſer madefactus vino. Tunc quatuor accedentes clerici, leuantes eum inter manus, in vnum angulum Baſilicæ proiecerunt: & exhibentes aquas abluto pauimento, reſperſo etiam herbulis odoratis, ſic ingreſſi ſumus explere curſum: nunquam tamen nobis pſallentibus potuit excitari, donec dato terris die altius ſolis lampas aſcenderet: dehinc excuſatum reddidi ſacerdoti. Conuenientibus autem Epiſcopis apud vrbem Pariſiacam, dum hæc in conuiuio narraremus, ipſum pro caſtigationis gratia adeſſe præcipimus. Quo aſtante, eleuatis Amelius Beorretanæ vrbis Epiſcopus oculis, cognoſcit eum ſuum eſſe famulum, ſibique per fugam dilapſum: & ſic excuſatum receptum reduxit in patriam. Multi enim ſunt qui has ſeductiones exercentes populum ruſticum in errorem ponere non deſiſtunt: de quibus (vt opinor) & Dominus in Euangelio ait, *Conſurgere in nouiſſimis temporibus pſeudochriſtos, & pſeudoprophetas, qui dantes ſigna & prodigia etiam electos in errorem inducant.* De his iſta ſufficiant. nos potius ad propoſitum redeamus.

† *l. vulgaris, non Latinus.*

De remotione Ennodii ducis, & de Vuasconibus

CAP. VII.

Bod. Bearn.

ENnodius cum ducatum vrbium Turonicæ atq; Pictauæ ministraret, adhuc & vici Iuliensis atque Benarnæ † vrbium principatum accipit. Sed euntibus Comitibus Turonicæ atque Pictauæ vrbis ad regem Childebertum, obtinuerunt, eum à se remoueri. Ille vero vbi se remotum de his sensit, ad ciuitates superius memoratas properat: sed dum in illis commoraretur, mandatum accepit vt se ab eisdem remoueret: & sic accepto ocio, ad domum suam reuersus, priuati operis curam gerit. Vascones vero de montibus prorumpentes, in plana descendunt, vineas, agrosque depopulantes, domos tradentes incendio, nonnullos abducentes captiuos cum pecoribus. contra quos sæpius Austrouualdus dux processit, sed paruam vltionem exercuit ab eis. Gothi vero propter superioris anni deuastationem quam in Septimania regis Guntchramni exercitus fecit, in Arelatensem prouinciam proruperunt, egeruntque prædas, & captiuos abduxerunt vsq; ad decimum ab vrbe miliarium: vnum etiam castrum Vgernũ nomine cum rebus atq; habitatoribus desolantes, nullo resistente regressi sunt.

Vgernum.

De præsentia Chuntchramni Bosonis

CAP. VIII.

GVnthcramnus vero Boso cum exosus Reginæ haberetur, cœpit per episcopos ac proceres discurrere, & veniam misero precari quam ante despexerat. Nam cum rex Childebertus esset iunior, Brunichildem reginam sæpe conuiciis atq; improperiis lacessibat: sed & iniuriis quæ ei ab aduersis inferebantur, fautor extiterat. Sed & Rex ad vlciscendam iniuriam genitricis, iussit eum persequi atque interfici: ille vero cum se cerneret positum in discrimine, Viridunensem ecclesiam petiit, per Agericum prorsus episcopum, qui erat Regis pater ex lauacro, veniam impetrare confidens. Tunc Pontifex ad Regem properat, deprecaturq; pro eo: cui Rex cum negare nequiret quę petebat, ait; *Veniat coram nobis, & datis fideiussoribus in præsentia patrui † mei, quicquid illius iudicium decreuerit, exequamur.* Tunc adductus ad locum vbi Rex morabatur, nudatus armis, ac per manicas tentus, ab Episcopo repræsentatur Regi. Ad cuius prouolutus pedes, ait; *Peccaui tibi ac genitrici tuæ, non obediendo præceptionibus vestris, sed agendo contra voluntatem vestram atq; vtilitatem publicam: nunc autem rogo, vt indulgeatis malis meis quæ contra vos gessi.* Rex autem iussit eum eleuari à terra, & posuit in manu Episcopi, dicens: *Sit penes te, sancte Sacerdos, donec in præsentiam Gunthcramni regis adueniat*: & iussit eum discedere.

f. patrini, l. susceptoris, ἀναδόχου.

De interitu Rauchingi

CAP. IX.

POst hæc Rauchingus coniunctus cum prioribus regni Chlotharii filii Chilperici, confingens se quasi tractaturũ de pace, vt inter terminũ vtriusq; regni nulla intẽtio aut direptio gereretur, cõsiliũ habuerũt, vt scil. interfecto Childeberto rege, Rauchingus cum Theodoberto seniore eius filio regnũ Campaniæ teneret: Vrsio vero ac Berthefredus iuniore filio nuper genito, qui Theodoricus cognominatur, ad se suscepto, & excluso Guntheramno rege, reliquũ regni teneret. Multa etiam contra Brunichildem reginam frementes, vt eam in contumeliam redigerent, sicut prius fecerant in viduitate sua. Rauchingus ergo summa elatus potẽtia, & (vt ita dicã) ad ipsius regalis sceptri se iactans gloriã peruenire, iter præparat ad Childebertũ regẽ accedendi, vt consilium q; inierat posset explere. Sed pietas Domini hæc verba in aures Gunthcramni regis prius imposuit. Qui missis nunciis, clã ad Childebertum regem, omnes ei molitiones has

has in notitiam poſuit, dicens; *Accelera velociter, vt videamur* † *à nobis: ſunt enim cauſæ quæ agi debeant.* At ille diligenter inquirens quæ ei nunciata fuerant, veraq; eſſe cognoſcẽs, arceſſiri Rauchingum iuſſit. Qui cum adfuiſſet, priuſquam eum Rex ſuo iuſſiſſet adſtare conſpectui, datis literis, & pueris deſtinatis cum euectione publica, qui res eius per loca ſingula deberent capere, iuſſit eum in cubiculum intromitti: locutusq; cum eo alia ex aliis, egredi iterum de cubiculo iubet. Cumq; egrederetur, à duobus oſtiariis pedibus adprehenſus ruit in gradibus oſtii, ita vt pars corporis eius eſſet intrinſecus, pars vero extrinſecus extenderetur. Tunc ii qui iuſſi ad hoc explenda parati erant, cũ gladiis ſuper eum ruunt: atque ita minutatim caput eius conliſerunt, vt ſimile totum cerebro putaretur: ſtatimq; mortuus eſt. Tunc denudatus, & per feneſtram eiectus, ſepulturæ mãdatus eſt. Erat autem leuis in moribus, vltra humanum genus cupiditati, ac facultatibus inhians alienis, & ex ipſis diuitiis valde ſuperbus, intantum vt iam in ipſo interitus ſui tempore Chlotharii regis filium ſe fateretur. Multum tamen cum eo auri repertum eſt. Quo interfecto, protinus vnus puerorum eius curſu veloci euolans, nunciauit coniugi eius quæ acta erant. Hæc vero per plateam Sueſſionicæ ciuitatis compta, grandibus ornamentis ac gemmarum precioſitatibus, & auri fulgore obtecta, aſcenſo equo, præcedentibus pueris aliisque ſequentibus ferebatur: atq; ad Baſilicam ſancti Criſpini Criſpinianique properabat, quaſi ſpectatura Miſſas: erat enim eo die paſſio Martyrum Beatorum. Sed videns nuncium, per aliam plateam greſſum retorquens, proiectis in terram ornamentis, in Baſilicam ſancti Medardi antiſtitis cõfugit, ibi ſe tutari confeſſoris præſidio putans. Pueri vero qui miſſi à Rege fuerant, ad requirendas res eius, tanta in theſauris illius reperiunt, quanta nec in ipſo ærarii publici regeſto poterant inueniri, quod totum Regis conſpectibus præſentarunt. nam eo die quo hic interfectus eſt, erant cum Rege multi Turonorum atque Pictauorum, de quibus tale fuit conſilium, vt ſi malum hoc perficere potuiſſent, his ſubditis ſupplicio dicerent, quia ex vobis fuit qui Regem noſtrum interemit: eiſq; diuerſis ſuppliciis trucidatis, vltores ſe mortis regiæ eſſe iactarent. Sed Deus omnipotens conſilia eorum quia iniqua erant, diſſipauit, impleuitq; illud quod ſcriptum eſt; *Quia foueam quam fratri parabis, incides in eam.* In locum tamen Rauchingi Magnoualdus dirigitur dux. iam enim Vrſio atque Berthefredus certi, quod Rauchingus quæ conlocuti fuerant, poſſit explere, collecto exercitu veniebant. Sed audientes, quod ſcilicet tali fuiſſet adfectus interitu, adaucta adhuc ſecum multitudine hominum quæ ad eos pertinere videbatur, intra caſtrum Vabrenſe, quod villæ Vrſionis propinquum erat, cum rebus omnibus ſe muniunt, conſcii conſilii ſui, tractantes vt ſi rex Childebertus aliquid contra eos agere voluiſſet, virtute ſe ab eius exercitu defenſarent. caput enim horum & cauſa malorum Vrſio erat. Sed Brunichildis regina mandata miſit Berthefredo, dicens; *Diſiunge te ab homine inimico, & habebis vitam: alioquin cum eodem interibis*, filiam enim eius ex lauacro Regina ſuſceperat, & ob hoc miſericordiam de eo habere voluit. Qui ait, *Niſi morte diuellar ab eo, nunquam à me relinquetur.*

† Gall. que nous nous voyons.

De interitu Guntheramni Boſonis

CAP. X.

DVm hæc agerentur, iterum miſit Guntheramnus rex ad nepotem ſuum Childebertum dicens: *Moræ omnes abſcedant, & veni vt te videam. eſt enim certæ neceſſitatis cauſa, tam pro vitæ noſtræ commodo, quam pro vtilitatibus publicis, vt videamur à nobis.* Hæc ille audiens, adſumpta matre cum ſorore & coniuge, ad occurſum patrui deſtinat. Adfuit autem & Magnericus Epiſcopus Treuericæ vrbis. Venit etiam Guntheramnus Boſo, quem Agericus Viridunenſis Epiſcopus ſua in fide ſuſceperat: ſed pontifex ille qui pro eo fidem fecerat, non adfuit, quia conuenerat vt abſque vllius defenſione Regi præſentaretur, ſcilicet vt ſi ipſe decerneret eum mori debere, non excuſaretur à ſacerdote: ſin autem ille vitam concederet, liber abiret. Sed coniunctis Regibus, pro diuerſis falſitatibus culpabilis iudicatur: iuſſum eſt vt interficeretur. Quod cum ille comperiſſet, ad manſionem Magnerici Epiſcopi conuolauit, & clauſis oſtiis, ſegre-

gatis ab eo clericis ac famulis, ait; *Scio te, beatiſsime Sacerdos, magnum cum Regibus honorem habere, & nunc ad te confugio, vt euadam, ecce percuſſores ad oſtium: vnde manifeſte ſcias, quod ſi à te non eruor, interfecto te, egrediar foras, & moriar. Manifeſtiſsime enim noueris, quia aut mors vna nos occupat, aut par vita defenſat. O ſancte Sacerdos, ſcio enim te patrem communem cum Rege eſſe filio eius, & noui quoniam quæcunque petieris ab eo, obtinebis: nec negare omnino poterit ſanctitati tuæ quæcunque popoſceris: ideoque aut impetra veniam, aut moriamur ſimul.* Hæc autem euaginato aiebat gladio. Turbatus audito Epiſcopus, ait, *Et quid faciam, ſi hîc à te teneor? dimitte me, vt eam, & deprecer miſericordiam Regis, & fortaſsis miſerebitur tui.* Et ille, *nequaquam, ſed tranſmitte Abbates & creditos tuos, vt hæc quæ loquor exponant.* Veruntamen non hæc Regi vt erant, nunciata ſunt: ſed dixerunt, quod hic ab Epiſcopo defenſaretur: vnde factum eſt vt commotus Rex diceret, *Si Epiſcopus exinde egredi noluerit, pariter cum illo auctore perfidiæ pereat.* Hæc audiens Epiſcopus, direxit nuncios ad Regem. Qui cum iſta narraſſent, ait rex Gunthcramnus, *Inijcite ignem in domum, & ſi exire nequiuerit Epiſcopus, pariter concrementur.* Hæc audientes clerici, effracto vi oſtio, ſacerdotem eiiciunt foras. Tunc miſerrimus cum videret ſe flammis validis ab vtraque parte vallari, accinctus gladio accedit ad oſtium: verum vbi primum limen domus egrediens greſſum foris fixit, ſtatim vnus è populo eiecta lancea, frontem eius inliſit. At ille hoc ictu turbatus, quaſi amens, gladium eiicere tentans, ab adſtantibus ita lãcearum multitudine ſauciatur, vt defixis in lateribus eius ſpiculis & ſuſtentantibus haſtilibus ad terram ruere non poſſet. Interfecti ſunt & pauci qui cum eo erant, expoſitique in campo ſimul. Pro quibus vix obtentum fuit cum Principibus, vt terræ reconderentur. Fuit autem hic in actu leuis, auaritiæ inhians, rerum alienarum vltra modum cupidus, omnibus iurans, & nulli promiſſa adimplens. Vxor autem eius cum filiis exilio data eſt, reſque illius fiſco conlatæ ſunt. Multitudo autem auri argentique ac diuerſarum ſpecierum in eius regeſtis reperta eſt. Sed & quæ ſub terra abſcõderat, ſtimulante conſcientia iniquitatis ſuæ, non latuerunt. ariolis ac ſortibus ſæpius vtebatur, ex quibus futura cognoſcere cupiens, remanſit inluſus.

Quod ſe reges viderunt

CAP. XI.

REx vero Gunthcramnus cum nepote ſuo ac Reginis, pacem firmauit, datis ſibi inuicem muneribus, ac ſtabilitis cauſis publicis, epulati ſunt pariter. Laudabat enim Dominum Gunthcramnus rex dicens; *Refero tibi maximas gratias omnipotens Deus, qui mihi præſtitiſti vt videre merear filios de filio meo Childeberto: vnde non me puto vſquequaque à tua maieſtate relictum, qui mihi hæc præſtitiſti, vt videam filios filii mei.* Tunc Dynamium & Lupum ducem redditos rex Childebertus recepit, Cadurcum Brunichildis Reginæ refudit. Et ſic cum pace & gaudio iterum atque iterum Deo gratias agentes, conſcriptis pactionibus, ſe remunerantes & oſculantes, regreſſus eſt vnuſquiſque ad ciuitatem ſuam.

De interitu Vrſionis ac Berthefredi

CAP. XII.

CHildebertus vero rex, collecto exercitu ad locum dirigi iubet, in quo Vrſio ac Berthefredus incluſi morabantur. Erat enim villa in pago Vabrenſi, cui imminebat mons arduus. In huius cacumine Baſilicam in honore ſancti ac beatiſſimi Martini conſtruxit. ferebant enim ibi caſtrum antiquitus fuiſſe: ſed nunc non cura, ſed natura tantum munitum erat. In hac ergo Baſilica cum rebus atque vxoribus & familia ſe ante dicti concluſerant. Commoto ergo exercitu (ſicut diximus) Childebertus rex illuc dirigi iubet. Verumtamen commoti homines, antequam ad eos accederent, vbicunq; aut villas, aut res eorum reperire potuerunt, omnia incendio ac prædæ

tradi-

tradiderunt. Accedentes autem ad hunc locum, ad montem se proripiunt, & Basilicam cum armis vallant. Habebant autem quasi ducem tunc Godegisilum Lupi ducis generum. Cumque eos extrahere de Basilica non valerent, ignem adplicare nituntur. Quod cernens Vrsio, accinctus gladio, foras egressus est. Tantaque cæde hos qui adsidebant † mactauit, vt quotcunque in eius contemplationem aduenissent, nullus viuens remanere possit. Ibi & Trudulfus Palatii regalis comes cecidit, & multi de hoc exercitu prostrati sunt. Cumque iam nullus de cæde Vrsionis cerneretur, percussus a quodam in femore, debilitatus ad terram ruit, & sic ruentibus aliis vitam finiuit. Quod cernens Godegisilus, clamare cœpit ac dicere, *Fiat nunc pax, ecce maximus inimicus dominorum nostrorum ruit. hic vero Berthefredus vitam habeat.* Hæc eo dicente, cum omnis populus ad direptionem rerum quæ in Basilica adunatæ fuerant, inhiaret, Berthefredus ascenso equo ad Viridunensem vrbem dirigit: ibique in oratorio quod in domo ecclesiastica erat, se tutari putans, præsertim cum & ipse pontifex Agericus in hac domo resideret. Sed cum Childeberto regi nunciatum fuisset, effugisse scilicet Berthefredum, perculsus cordis dolore ait, *Si hic mortem euaserit, non euadet Godegisilus manus meas.* Nesciebat tamen Rex, eum in domum ecclesiæ ingressum fuisse, sed quasi in regionem aliam confugisse. Tunc timens Godegisilus, commoto iterum exercitu, domum ecclesiæ armatis vallat. Sed cum eum Pontifex reddere nequiret, sed defensare conaretur, ascendentes supra tectum, cum ab ipsis tegulis ac maceriis, quibus oratorium opertum erat, inlidentes, interfecerunt: ibique cum tribus famulis mortuus est. Multum ex hoc Episcopus dolens, quod eum non solum defensare non potuit, verum etiam locum in quo orare consueuerat, & in quo Sanctorum pignora adgregata fuerant, sanguine humano pollui vidit. Misit autem Childebertus rex cum muneribus, vt à mœrore reuocaretur: sed noluit consolari. Multi autem his diebus pertimescentes Regem, in alias regiones abscesserunt. Nonnulli etiam à primatu ducatus remoti sunt, in quorum ordinem alii successerunt.

† Gall. assiegoient.

De Baddone qui in legationem abiens, detentus, & post diu dimissus est: & de morbo dysenterico

CAP. XIII.

GVntheramnus vero Baddonem, quem pro crimine maiestatis superius vinctum diximus, in præsentiam suam venire iussit, & transmittens vsque Parisios, ait, *Si eum cum idoneis hominibus Fredegundis ab hac actione quæ impetitur, immunem fecerit, abscedat liber, & quo voluerit eat.* Sed veniens Parisios, nullus de parte memoratæ mulieris adfuit, qui eum idoneum reddere † posset. Tunc vinctus & catenis oneratus sub ardua custodia, ad vrbem Cabillonensem reductus est. Sed postea intercurrentibus nunciis, & præsertim Leudouualdo Baiocassino põtifice dimissus, ad propria rediit. Grauiter tunc morbus dysentericus apud Metensem sæuiebat vrbem. His diebus nos dum ad occursum regis properaremus, Vuiliultum ciuem Pictauum, plenum febre, hoc morbo laborantem in via offendimus, id est ad Remensem vrbem, de qua profectus, valde exinanitus cum ad vrbem Parisiacam cum filio vxoris suæ venisset, apud villam Rigoialensem facto testamento defunctus est: puer vero qui & ipse ab hoc languore tenebatur, obiit: & sic pariter in vrbis Pictauæ delati terminum, tumulati sunt. Vxor quoque ipsius Vuiliulfi tertio copulatur viro, filio scilicet Beppoleni ducis: qui & ipse duas iam (vt celebre fertur) vxores viuas reliquerat. erat enim leuis atque luxuriosus, & dum nimio ardore fornicationis arctaretur, ac relicta coniuge cum famulabus accubaret, exhorrens legitimum connubium, aliud expetebat: sic & secundæ fecit, & huic cui tertio copulatus est, ignorans quod *corruptio incorruptionem non possidebit.*

† Gal. exoniet

gatis ab eo clericis ac famulis, ait; *Scio te, beatißime Sacerdos, magnum cum Regibus honorem habere, & nunc ad te confugio, vt euadam, ecce percußores ad ostium: vnde manifeste scias, quod si à te non eruor, interfecto te, egrediar foras, & moriar. Manifestißime enim noueris, quia aut mors vna nos occupat, aut par vita defensat. O sancte Sacerdos, scio enim te patrem communem cum Rege eße filio eius, & noui quoniam quæcunque petieris ab eo, obtinebis: nec negare omnino poterit sanctitati tuæ quæcunque poposceris: ideoque aut impetra veniam, aut moriamur simul.* Hæc autem euaginato aiebat gladio. Turbatus audito Episcopus, ait, *Et quid faciam, si hic à te teneor? dimitte me, vt eam, & deprecer misericordiam Regis, & fortaßis miserebitur tui.* Et ille, *nequaquam, sed transmitte Abbates & creditos tuos, vt hæc quæ loquor exponant.* Veruntamen non hæc Regi vt erant, nunciata sunt: sed dixerunt, quod hic ab Episcopo defensaretur: vnde factum est vt commotus Rex diceret, *Si Episcopus exinde egredi noluerit, pariter cum illo auctore perfidiæ pereat.* Hæc audiens Episcopus, direxit nuncios ad Regem. Qui cum ista narrassent, ait rex Guntheramnus, *Inijcite ignem in domum, & si exire nequiuerit Episcopus, pariter concrementur.* Hæc audientes clerici, effracto vi ostio, sacerdotem eiiciunt foras. Tunc miserrimus cum videret se flammis validis ab vtraque parte vallari, accinctus gladio accedit ad ostium: verum vbi primum limen domus egrediens gressum foris fixit, statim vnus è populo eiecta lancea, frontem eius inlisit. At ille hoc ictu turbatus, quasi amens, gladium eiicere tentans, ab adstantibus ita lãcearum multitudine sauciatur, vt defixis in lateribus eius spiculis & sustentantibus hastilibus ad terram ruere non posset. Interfecti sunt & pauci qui cum eo erant, expositique in campo simul. Pro quibus vix obtentum fuit cum Principibus, vt terræ reconderentur. Fuit autem hic in actu leuis, auaritiæ inhians, rerum alienarum vltra modum cupidus, omnibus iurans, & nulli promissa adimplens. Vxor autem eius cum filiis exilio data est, resque illius fisco conlatæ sunt. Multitudo autem auri argentique ac diuersarum specierum in eius regestis reperta est. Sed & quæ sub terra abscõderat, stimulante conscientia iniquitatis suæ, non latuerunt. ariolis ac sortibus sæpius vtebatur, ex quibus futura cognoscere cupiens, remansit inlusus.

Quod se reges viderunt

CAP. XI.

REx vero Guntheramnus cum nepote suo ac Reginis, pacem firmauit, datis sibi inuicem muneribus, ac stabilitis causis publicis, epulati sunt pariter. Laudabat enim Dominum Guntheramnus rex dicens; *Refero tibi maximas gratias omnipotens Deus, qui mihi præstitisti vt videre merear filios de filio meo Childeberto: vnde non me puto vsquequaque à tua maiestate relictum, qui mihi hæc præstitisti, vt videam filios filii mei.* Tunc Dynamium & Lupum ducem redditos rex Childebertus recepit, Cadurcum Brunichildis Reginæ refudit. Et sic cum pace & gaudio iterum atque iterum Deo gratias agentes, conscriptis pactionibus, se remunerantes & osculantes, regressus est vnusquisque ad ciuitatem suam.

De interitu Vrsionis ac Berthefredi

CAP. XII.

CHildebertus vero rex, collecto exercitu ad locum dirigi iubet, in quo Vrsio ac Berthefredus inclusi morabantur. Erat enim villa in pago Vabrensi, cui imminebat mons arduus. In huius cacumine Basilicam in honore sancti ac beatissimi Martini construxit. ferebant enim ibi castrum antiquitus fuisse: sed nunc non cura, sed natura tantum munitum erat. In hac ergo Basilica cum rebus atque vxoribus & familia se ante dicti concluserant. Commoto ergo exercitu (sicut diximus) Childebertus rex illuc dirigi iubet. Verumtamen commoti homines, antequam ad eos accederent, vbicunq; aut villas, aut res eorum reperire potuerunt, omnia incendio ac prædæ tradi-

tradiderunt. Accedentes autem ad hunc locum, ad montem se proripiunt, & Basilicam cum [illegible] vallant. Habebant autem quasi ducem tunc Godegisilum Lupi ducis generum. Cumque eos extrahere de Basilica non valerent, ignem adplicare nituntur. Quod cernens Vrsio, accinctus gladio, foras egressus est. Tantaque cæde hos qui adsidebant † mactauit, vt quotcunque in eius contemplationem aduenissent, nullus viuens remanere possit. Gal. assiegeoient. Ibi & Trudulfus Palatii regalis comes cecidit, & multi de hoc exercitu prostrati sunt. Cumque iam nullus de cæde Vrsionis cerneretur, percussus a quodam in femore, debilitatus ad terram ruit, & sic ruentibus aliis vitam finiuit. Quod cernens Godegisilus, clamare cœpit ac dicere; *Fiat nunc pax, ecce maximus inimicus dominorum nostrorum ruit. hic vero Berthefredus vitam habeat.* Hæc eo dicente, cum omnis populus ad direptionem rerum quæ in Basilica adunatæ fuerant, inhiaret, Berthefredus ascenso equo ad Viridunensem vrbem dirigit: ibique in oratorio quod in domo ecclesiastica erat, se tutari putans, præsertim cum & ipse pontifex Agericus in hac domo resideret. Sed cum Childeberto regi nunciatum fuisset, effugisse scilicet Berthefredum, perculsus cordis dolore ait, *Si hic mortem euaserit, non euadet Godegisilus manus meas.* Nesciebat tamen Rex, eum in domum ecclesiæ ingressum fuisse, sed quasi in regionem aliam confugisse. Tunc timens Godegisilus, commoto iterum exercitu, domum ecclesiæ armatis vallat. Sed cum eum Pontifex reddere nequiret, sed defensare conaretur, ascendentes supra tectum, eum ab ipsis tegulis ac maceriis, quibus oratorium opertum erat, inlidentes, interfecerunt: ibique cum tribus famulis mortuus est. Multum ex hoc Episcopus dolens, quod eum non solum defensare non potuit, verum etiam locum in quo orare consueuerat, & in quo Sanctorum pignora adgregata fuerant, sanguine humano pollui vidit. Misit autem Childebertus rex cum muneribus, vt à mœrore reuocaretur: sed noluit consolari. Multi autem his diebus pertimescentes Regem, in alias regiones abscesserunt. Nonnulli etiam à primatu ducatus remoti sunt, in quorum ordinem alii successerunt.

De Baddone qui in legationem abiens, detentus, & post diu dimissus est: & de morbo dysenterico

CAP. XIII.

GVntheramnus vero Baddonem, quem pro crimine maiestatis superius vinctum diximus, in præsentiam suam venire iussit, & transmittens vsque Parisios, ait; *Si eum cum idoneis hominibus Fredegundis ab hac actione qua impetitur, immunem fecerit, abscedat liber, & quo voluerit eat.* Sed veniens Parisios, nullus de parte memoratæ mulieris adfuit, qui eum idoneum reddere † posset. Gal. exoniet Tunc vinctus & catenis oneratus sub ardua custodia, ad vrbem Cabillonensem reductus est. Sed postea intercurrentibus nunciis, & præsertim Leudouualdo Baiocassino põtifice dimissus, ad propria rediit. Grauiter tunc morbus dysentericus apud Metensem sæuiebat vrbem. His diebus nos dum ad occursum regis properaremus, Vuiliulfum ciuem Pictauum, plenum febre, hoc morbo laborantem in via offendimus, id est ad Remensem vrbem, de qua profectus, valde exinanitus cum ad vrbem Parisiacam cum filio vxoris suæ venisset, apud villam Rigoialensem facto testamento defunctus est: puer vero qui & ipse ab hoc languore tenebatur, obiit: & sic pariter in vrbis Pictauæ delati terminum, tumulati sunt. Vxor quoque ipsius Vuiliulfi tertio copulatur viro, filio scilicet Beppoleni ducis: qui & ipse duas iam (vt celebre fertur) vxores viuas reliquerat. erat enim leuis atque luxuriosus, & dum nimio ardore fornicationis arctaretur, ac relicta coniuge cum famulabus accubaret, exhorrens legitimum connubium, aliud expetebat: sic & secundæ fecit, & huic cui tertio copulatus est, ignorans quod *corruptio incorruptionem non possidebit.*

De pace Ægidii Episcopi & Lupi ducis

CAP. XIV.

POst hæc cum Egidius Remensis vrbis Episcopus, de illo crimine maiestatis quo superius memorati perempti sunt, suspectus haberetur, cum magnis muneribus ad Childebertum accedens, veniam deprecatur: prius tamen sacramenta suscipiens, in Basilica sancti Remigii, ne aliquid mali in itinere pateretur: susceptusque a Rege cum pace discessit. Pacem etiam cum Lupo duce obtinuit, quem instinctu eius de Campaniæ ducatu supra memorauimus, fuisse depulsum. Vnde rex Guntheramnus valde in amaritudinem excitatus est, eo quod ei promiserit Lupus, nunquam se cum eodem pacem facturum, quia fuisset Regis cognitus inimicus.

De conuersione Richaredi

CAP. XV.

IGitur eo tempore in Hispania Richaredus rex compunctus miseratione diuina, cōuocatis Episcopis religionis suæ ait; *Cur inter vos & Sacerdotes illos, qui se Catholicos dicūt, iugiter scandalum propagatur: & cum illi per fidem suam signa multa ostendant, vos nihil tale agere potestis: qua de re conuenite quæso simul, & discussis vtriusq; partis credulitatibus, quæ vera sunt cognoscamus: & tunc aut accepta illi à vobis ratione ea credant quæ dicitis, aut certe vos ab illis veritatem agnoscentes, quæ prædicauerint vos credatis.* Quod cum factum fuisset, congregatis vtriusq; partis Episcopis, proposuerunt Hæretici illa quæ sæpius ab ipsis dicta iam scripsimus: similiter responderunt Episcopi nostræ religionis ea de quibus hęreticorum partem plerunq; victā libris superioribus demonstrauimus: & pręsertim cum Rex diceret, quod nullum signum sanitatis super infirmos ab Hæreticorum ostenderetur Episcopis, ac in memoria replicaret qualiter tempore genitoris sui, Episcopus qui se iactabat per fidem non rectam cæcis restituere lumen, tacto cęco & cęcitati perpetuæ damnato discessisset confusus (quod nos in libro Miraculorū plenius declarauimus:) vocauit ad se seorsum Sacerdotes Dei, quibus perscrutatis, cognouit vnum Deum sub distinctione coli personarum trium, id est, Patris & Filii & Spiritus sancti: nec minorem filium patre spirituq; sancto, neq; spiritum sanctum minorem patre vel filio, sed in vna æqualitate atq; omnipotentia hanc Trinitatem verum Deum fateri. Tunc intelligens veritatem Richaredus, postposita altercatione, se catholicæ legi subdidit, & accepto signaculo beatæ crucis cum chrismatis vnctione, credidit Iesum Christum filium Dei æqualem cum Spiritu sancto, regnantem in secula seculorum. Amen. Deinde nuncios mittit ad prouinciam Narbonensem, quibus narrantibus ea quæ ille gesserat, simili credulitate populus ille connecteretur. Erat enim tunc temporis Arrianæ sectæ Episcopus Athalocus, qui ita per propositiones vanas ac interpretationes falsas scripturarum, ecclesias Dei conturbabat, vt putaretur quod ipse esset Arrius, quem proiecisse in secessum extra historiographus narrauit Eusebius. Sed cum hæc populo sectæ suæ credere non sineret, & ad consentiendum ei paucorum faueret adulatio, commotus felle, ingressus in cellulam suam inclinato super lectulum capite, nequam spiritum exhalauit. Sicq; Hæreticorum populus, in ipsa consistens prouincia, inseparabilem Trinitatem confessus, ab errore discessit.

Lib. 2. c. 13

Arrius.

De legatione ipsius ad reges nostros

CAP. XVI.

POst hæc Richaredus legationem ad Guntheramnum atque ad Childebertum direxit pacis gratia, vt scilicet sicut in fide se adserebat vnum, ita & charitate se præ-

staret

ftaret vnitum. Sed à Gunthcramno rege repulſi ſunt dicente, *Qualem mihi fidem promittere poſſunt, aut quemadmodum à me credi debent, qui neptem meam Ingundem in captiuitatem tradiderunt, & per eorum inſidias & vir eius interfectus eſt, & ipſa in peregrinatione defuncta? Non recipio ergo legationem Richaredi, donec me Deus vlciſci iubeat de his inimicis.* Hæc legati audientes, ad Childebertũ proficiſcuntur, à quo & in pace excepti ſunt, dicentes; *Vult ſe dominus noſter, frater tuus Richaredus de hoc crimine exuere, quod ei imponitur, quaſi in mortem ſororis veſtræ fuiſſet conſcius. de quo, ſacramento, ſi vultis, aut qualibet alia conditione idoneus reddi poteſt. Deinde datis gratiæ veſtræ decem milibus ſolidorum, charitatem veſtram habere deſiderat, & vt ille veſtro vtatur ſolatio, & vos eius vbi neceſſe fuerit, beneficiis potiamini.* Hæc illis dicentibus, promiſerunt Childebertus rex, & mater eius, pacem & charitatem cum ipſo ſe integre cuſtodituros. Acceptiſque ac datis muneribus, addiderunt legati: *Iuſſit etiam dominus noſter ponere verbum in auribus veſtris de filia ſiue ſorore veſtra Chlodoſinda, vt ei tradatur in matrimonium, quo facilius pax quæ inter vos promittitur, confirmetur.* Qui dixerunt, *Promiſſio noſtra ex hoc habilis dabitur, ſed ſine patrui noſtri Gunthcramni regis conſilio hæc facere non audemus: promiſſum enim habemus † de maioribus cauſis nihil ſine eius conſilio agere*: accepto itaque reſponſo redierunt. Gall. auons promis.

De ſterilitate anni & caritate annonæ

CAPVT XVII.

EO anno verno tempore pluuiæ validæ fuerunt, & cum iam vel arbores vel vineæ fronduiſſent, nix decidua cuncta operuit. Subſequenti quoque gelu, tam palmites vinearum, quam reliqui oſtenſi fructus incenſi ſunt. Tantuſque rigor fuiſſe viſus eſt, vt etiam hirundines & alites quæ de externis regionibus venerant, vi algoris extinguerentur. Illud etiam admirabile fuit, quod vbi nunquam gelu nocuit, tunc omnia abſtulit: & eo vbi conſueuerat lædere, non acceſſit.

De Britannis & obitu Namatii epiſcopi

CAPVT XVIII.

BRitanni quoq; inruentes in terminum Namneticum, prædas egerunt, peruadentes villas, & captiuos abducẽtes. Quod cum Gunthcramno regi perlatum fuiſſet, iuſſit commoueri exercitum, dirigens illuc nuncium qui eis loqueretur, vt componerent cuncta quæ male geſſerant, aut certe nouerint ſe gladio caſuros ab exercitu eius. At illi timentes, promittunt ſe omnia quæ male geſſerant, emendare. His auditis, Rex dirigit illuc legationem, id eſt Nematium Aurelianenſem, & Berthcramnum Cœnomannenſem epiſcopum, cum Comitibus, & aliis viris magnificis. Adfuerunt etiam & de regno Chlotharii Chilperici regis filii viri magnifici: qui euntes in terminum Namneticum, locuti ſunt cum Vuarocho & Vidimaclo omnia quæ rex præceperat. At illi dixerunt, *Scimus & nos ciuitates iſtas Chlotharii regis filiis redhiberi, & nos ipſis debere eſſe ſubiectos: tamen quæ contra rationem geſſimus, cuncta componere non moramur*: & datis fideiuſſoribus, atque ſubſcriptis cautionibus, promiſerunt ſe ſingula milia ſolidorum Gunthcramno regi & Chlothario in compoſitionem daturos, promittentes nunquam terminum ciuitatum illarum vltra ſe adgreſſuros. His ita compoſitis, regreſſi ſunt reliqui, & narrauerunt Regi quæ geſſerant. Namatius vero epiſcopus, dum receptis villis intra terminum Namneticæ vrbis, quas olim parentes eius perdiderant, ibidem moraretur, puſulæ malæ ei tres oriuntur in capite. Ex hoc valde confectus tædio, dum ad ciuitatem ſuam reuerti cuperet, intra Andegauenſis territorii terminum, ſpiritum exhalauit. Corpuſculum eius ad vrbem ſuam delatum, in Baſilica ſancti Aniani confeſſoris ſepultum eſt: in cuius cathedram Auſtrinus Paſtoris quondam filius ſubrogatur. Vuarocus vero oblitus ſacramenti & cautionis ſuæ, omnia poſtpoſuit quę promiſit. Vineas Namneticorum abſtulit, & vindemiam colligens, vinum in Veneticum tranſtulit. Et ex hoc iterum rex Guntchramnus valde furens, exercitum commoueri iuſſit, ſed quieuit.

De interitu Sicharii ciuis Turonici

CAPVT XIX.

sup. lib. 7. cap. vlt.

BEllum vero illud quod inter ciues Turonicos superius diximus, terminatum in rediuiuam rursum insaniam surgit. Nam Sicharius cum post interfectionem parentum Chramisindi, magnam cum eo amicitiam patrauisset, & intantum se charitate mutua diligerent, vt plerunque simul cibum caperent, ac in vno pariter strato recumberent, quadam die cœnam sub nocturno tempore præparat Chramisindus, inuitans Sicharium ad epulum suum. Quo veniente, resident pariter ad conuiuium. cumque Sicharius crapulatus à vino, multa iactaret in Chramisindum, ad extremum dixisse fertur; *Magnas mihi debes referre grates, ô dulcissime frater, eo quod interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compositione, aurum argentumque superabundant in domo tua: & nudus nunc esses & egens, nisi hæc te causa paululum roborasset.* Hæc ille audiens, amaro suscepit animo dicta Sicharii, dixitque in corde suo; *Nisi vlciscar interitum parentum meorum, amittere nomen viri debeo, & mulier infirma vocari.* Et statim extinctis luminaribus, caput Sicharii sica diuidit. Qui paruulam in ipso vitæ termino vocem emittens, cecidit & mortuus est. Pueri vero qui cum eo venerant, dilabūtur. Chramisindus exanimum corpus nudatum vestimentis, adpendit in sæpis stipite, ascensisque equis eius ad Regem pergit, ingressusque ecclesiam ad pedes prosternitur Regis, dicens; *Vitam peto, ô gloriose Rex, eo quod occiderim homines, qui parentibus meis clam interfectis res omnes diripuerunt.* Cumque expositis per ordinem causis, & regina Brunichildis grauiter accepisset, eo quod in eius verbo † Sicharius positus, taliter fuerat interfectus, frendere in eum cœpit. At ille cum vidisset eam aduersam sibi, Vosagensem territorii Biturici pagum expetiit, in quo eius parentes degebant, eo quod in regno Gunthramni regis haberetur: Tranquilla quoque coniunx Sicharii relictis filiis & rebus viri sui, in Turonico siue in Pictauo ad parentes suos Mauriopes vicum expetiit: ibique & matrimonio copulata est. Obiit autem Sicharius quasi annorum XL. Fuit autem in vita sua leuis, ebriosus, homicida, qui nonnullis per ebrietatem iniuriam intulit. Chrammisindus vero iterum ad Regem abiit, iudicatumque est ei, vt conuinceret super se eum interfecisse. quod ita fecit. Sed, quoniam (vt diximus) regina Brunichildis in verbo suo posuerat Sicharium, ideo res huius confiscari præcepit: sed in posterum à Flauiano domestico redditæ sunt. sed & ad Aginnum properans, epistolam eius elicuit, vt à nullo contingeretur. Ipsi enim res eius à Regina concessæ fuerant.

† i. fide, patrocinio, salua guardia.

De eo quod ad Guntheramnum regem in legationem pro custodienda pace directi sumus

CAPVT XX.

EO anno quoque XIII. regis Childeberti, cum ad occursum eius vsque Metensem vrbem properassemus, iussi sumus ad Guntheramnum regem in legationem accedere: quem apud vrbem Cabillonensem reperimus, dicentes; *Salutem vberrimam mittit tibi gloriosissimus nepos tuus Childebertus, ô inclite Rex, immensas referens gratias pietati tuæ, quod a te iugiter commonetur, vt ea agat quæ & Deo placeant, & tibi sint accepta, & populo congrua. De his vero quæ locuti simul fuistis, omnia implere promittit, nec quicquam se de pactionibus quæ inter vos conscriptæ sunt, inrumpere pollicetur.* Et Rex ad hæc ait, *Non similiter ego gratias ago, quod taliter inrumpitur quod mihi permissum est. Pars mea de vrbe Siluanectensi non redditur. Homines quos pro vtilitate mea, quia mihi infensi erant, migrare volui, non permiserunt: & quomodo dicetis, quod nihil de pactionibus scriptis transcendere vult dulcissimus nepos meus?* Et nos ad hæc, *Nihil vult contra pactiones agere illas, sed omnia implere promittit, ita vt de præsenti si ad diuisionem Siluanectensem vis mittere, nec tardetur: statim enim recipies tuum. De hominibus*

nibus vero quos dicis, nomina scripta tradentur, & omnia quæ promissa sunt implebuntur. Hæc nobis loquentibus, pactionem ipsam relegi Rex coram adstantibus iubet.

EXEMPLAR PACTIONIS.

Cum in Christi nomine præcellentissimi domini Gunthcramnus & Childebertus reges, & gloriosissima domina Brunichildis regina, Andelaum charitatis studio conuenissent, vt omnia quæ vndecunque inter ipsos scandalum poterant generare, pleniori consilio definirent: id inter eos mediantibus sacerdotibus atque proceribus, Deo medio, charitatis studio sedit, complacuit, atque conuenit, vt quandiu eos Deus omnipotens in præsenti seculo superesse voluerit, fidem & charitatem puram, & simplicem sibi debeant conseruare. Similiter quia dominus Gunthcramnus iuxta pactionem, quam cum bonæ memoriæ domino Sygiberto inierat, integram portionem, quæ est de regno Chariberti, illis fuerat cōsecutus, sibi diceret in integrum redhiberi, & pars domni Childeberti, ea quæ pater suus possederat, ad se vellet ex omnibus reuocare, id inter ipsos constat fixa deliberatione finitum, vt in illā tertiam portionem de Parisiensi ciuitate cum terminis & populo suo, quæ ad domnum Sygibertum de regno Chariberti conscripta pactione peruenerat, cum castellis Duno, & Vindocino, & quicquid de pago Stampensi, vel Carnoteno in peruio illo antefatus Rex cum terminis & populo suo perceperat, in iure & dominatione domni Gunthcramni, cum eo quod superstite domno Sygiberto de regno Chariberti antea tenuit, debeant perpetualiter permanere: pari conditione ciuitates Meldonenses, & duas portiones de Siluanectis, Turonos, Pictauos, Abrincatas, vicum Iulsensem, cum Sorannis, Lapurdo & Albige, domnus Childebertus rex cum terminis à præsenti die suæ vindicet potestati. Ea igitur cōditione seruata, vt quem Deus de ipsis regibus superstitem esse præceperit, regnum illius qui absq; filiis de præsentis seculi luce migrauerit, ad se in integritatē iure perpetuo debeat reuocare, & posteris suis, Domino auxiliante, relinquere. Illud specialiter placuit per omnia inuiolabiliter conseruari, vt quicquid domnus Gunthcramnus rex filiæ suæ Chlothildi contulit, aut adhuc Deo propitiante contulerit, in omnibus rebus atq; corporibus, tam in ciuitatibus, quam agris vel redditibus, in iure & dominatione ipsius debeant permanere: & si quid de agris fiscalibus, vel speciebus atq; præsidio pro arbitrii sui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerit, in perpetuo auxiliante Domino conseruetur, neq; à quocunque vllo vnquā tempore conuellatur: & sub tuitione ac defensione domni Childeberti, cū his omnibus quæ ipsam transitus genitoris sui inuenerit possidentem, sub omni honore & dignitate secura debeat possidere. Pari conditione repromittit domnus Gunthcramnus rex, vt si (vt habet humana fragilitas, quod diuina pietas non permittat, nec ille videre desiderat) si contigerit domnum Childebertum, eo superstite de hac luce migrare, filios suos Theodobertum & Theodoricum regem, vel si adhuc alios ipsi Deus dare voluerit, vt pius pater sub sua tuitione & defensione recipiat, ita vt regnū patris eorum sub omni soliditate possideant: & genitricem domni Childeberti, domnam Brunichildem reginā, vel filiam eius Chlodosuindam, germanā domni Childeberti regis, quamdiu intra regionem Francorū fuerit, vel eius reginam Faileubam, tanquam sororem bonā, & filias, in sua tuitione & defensione, spiritali dilectione recipiat, & sub omni honore & dignitate cum omnib. rebus earum, cū ciuitatibus, agris, reditibus, vel cūctis titulis, & omni corpore facultatis, tā quod præsenti videntur tēpore possidere, quā quod adhuc Christo præsule iuste potuerint augmētare, sub omni securitate & quiete possideant: vt si quid de agris fiscalib. vel speciebus atque præsidio pro arbitrii sui voluntate facere, aut cuiquā conferre voluerint, fixa stabilitate in perpetuo conseruetur, nec à quibuscunque voluntas illarum vllo tempore conuellatur. De ciuitatibus vero, hoc est Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno & Begorra, quas Galesuindam germanam domnæ Brunichildis, tam in dote, quā in morganegiba † *(hoc est, matutinali dono) in Franciam venientem certum est adquisisse: quas etiam per iudiciū gloriosissimi domni Gunthcramni regis, vel Francorum superstitibus Chilperico & Sygiberto regibus, domna Brunichildis noscitur acquisisse: ita conuenit, vt Cadurcam ciuitatem cum terminis & cuncto populo suo, domna Brunichildis de præsenti in sua proprietate percipiat. Reliquas vero ciuitates ex hac conditione superius nominatas, domnus Gunthcramnus dum aduiuit possideat, ita vt quandoque post eius transitum, in dominationem domnæ Brunichildis hæredumque suorum cum omni soliditate Deo propitio reuertantur. Nec superstite domno Gunthcramno, neque à domna Brunichilde, neque a filio suo Childeberto rege, filiisque suis, quolibet ingenio, vel tempore repetātur. Simili modo conuenit, vt Siluanectum domnus Childebertus in integritate teneat, & quantū tertia domni Gūthcramni exinde debita cōpetit, de tertia domni Childeberti quæ est in Rossontensi, domni Gunthcramni partibus compensetur. Similiter conuenit, vt secundum pactiones inter domnum Gunthcramnum & bonæ memoriæ domnum Sygibertū initas, leudes illi qui domno Gunthcramno post transi-*

† al. Morganegeba.

Gall. sermēt *tum domni Chlotharii sacramenta † primitus præbuerunt: & si postea conuincuntur se in parte alia tradidisse, de locis vbi commanere videntur, conuenit vt debeant remoueri. Similiter & qui post transitum domni Chlotharii conuincuntur domno Sygiberto sacramenta primitus præbuisse, & se in aliam partem transtulerunt, modo simili remoueantur. Similiter quicquid antefati Reges ecclesiis aut fidelibus suis contulerint, aut adhuc conferre cum iustitia, Deo propitiante, voluerint, stabiliter conseruetur: & quicquid vnicuique fidelium in vtriusque regno per legem & iustitiam redhibetur, nullum ei præiudicium pariatur, sed liceat res debitas possidere atque recipere. Et si aliquid cuicunque per interregna sine culpa sublatum est, audientia habita restauretur. Et de eo quod per munificentias præcedentium Regum vnusquisque vsque ad transitum gloriosæ memoriæ domni Chlotharii regis possedit, cum securitate possideat. Et quod exinde fidelibus personis ablatum est, de præsenti recipiat.* Gall. enlié. inde Alliance. *Et quia inter præfatos Reges pura & simplex est in Dei nomine concordia inligata † conuenit vt in vtroque regno vtriusque fidelibus tam pro causis publicis quam priuatis, quicunque voluerit ambulare, peruium nullis temporibus denegetur. Similiter conuenit, vt nullus alterius leudes nec solicitet, nec venientes excipiat. Quod si forsitan pro aliqua amissione partem alteram crediderit expetendā, iuxta qualitatem culpæ excusati reddantur. Hoc etiam huic addi placuit pactioni, vt si qua pars præsentia statuta sub quacunque calliditate, tempore quocunque transcenderit, omnia beneficia, tam repromissa quam in præsenti conlata amittat, & illi proficiat qui inuiolabiliter omnia suprascripta seruauerit: & sit de sacramentorum obligatione in omnibus absoluta. His itaque omnibus definitis, iurant partes per Dei omnipotentis nomen, & inseparabilem Trinitatem, vel diuina omnia, ac tremēdum diem iudicii, se omnia quæ superius scripta sunt absque vllo dolo malo, vel fraudis ingenio in-*An. Dom. 586. *uiolabiliter seruaturos. Facta pactio sub die quarto Calendis Decembris, anno vicesimo sexto regni domni Gunthramni regis, domni Childeberti vero duodecimo anno.* Lectis igitur pactionibus ait Rex; *Iudicio Dei feriar, si de his quicquam transcendero, quæ hic continentur.* Et conuersus ad Felicem, qui tunc nobiscum legatus aduenerat, ait; *Dic, ô Felix. iam enim plenissime connexuisti amicitias inter sororem meam Brunichildem, & inimicam Dei & hominum Fredegūdem.* Quo negante, ego dixi, *Non dubitet Rex, quia illæ amicitiæ inter easdem custodiūtur, quæ ante hos annos plurimos sunt ligatæ. nam certe scias, quia odium quod inter illas olim statutum est, adhuc pullulat, non arescit. Vtinam tu, ô Rex gloriosissime, minus cum ea charitatem haberes. Nam vt sæpe cognouimus, dignius eius legationem quam nostram excipis.* Et ille, *Scias* inquit, *sacerdos Dei, quia sic eius legationem suscipio, vt charitatem nepotis mei Childeberti regis non omittam. Nā ibi amicitias ligare non possum, de qua sæpius processerunt qui mihi vitam præsentem auferrēt.* Hęc eo dicente, Felix ait; *Peruenisse ad gloriam vestram credo, quod Richaredus legationem ad nepotem vestrum direxit, quæ neptem vestram Chlodosuindam filiam fratris vestri ei in matrimonium postularet. Sed ille absque vestro consilio nihil exinde promittere voluit.* Rex ait, *Non est optimum enim, vt illuc neptis mea ambulet, vbi soror sua est interfecta: sed nec illud rationabiliter compla-*de qua sup. 5 c. 38. & 6. c. 41. & 8. c. 28. *cet, vt non vlciscatur mors neptis meæ Ingundis.* Felix respondet: *Multum se exinde excusare volunt, aut sacramentis, aut quibuslibet aliis conditionibus iusseritis: tantum vos consensum præbete, vt ei Chlodosuinda sicut postulat, desponsetur.* Rex ait; *Si enim nepos meus implet quæ in pactionibus conscribi voluit, & ego de his facio voluntatem eius.* Promittentibus nobis eum omnia i. auxilium. impleturum, adiecit Felix: *Deprecatur etiam pietatem vestram, vt ei solatium † contra Longobardos tribuatis, qualiter expulsi de Italia pars illa quam genitor suus vendicauit viuens, ad eum reuertatur. reliqua vero pars per vestrum suumque solatium Imperatoris ditionibus restituatur.* Respondit Rex, *Non,* inquit, *possum in Italiam exercitum meum dirigere, vt vltro eos morti tradam. grauissima enim lues Italiam nunc deuastat.* Et ego, *Indicastis enim nepoti vestro, vt omnes regni sui Episcopi in vnum conuenirent, quia multa sunt quæ debeant indagari. sed iuxta consuetudinem canonum, placebat gloriosissimo nepoti vestro, vt vnusquisque Metropolitanus cum prouincialibus suis coniungeretur: & tunc quæ inrationabiliter in regione propria fiebant, sanctione sacerdotali emendarentur. Quæ enim causa extat, vt in vnum tanta multitudo conueniat? Ecclesiæ fides periculo vllo non quatitur: hæresis noua non surgit. Quæ erit ista necessitas, vt tanti debeant in vnū coniungi Domini sacerdotes?* Et ille; *Sunt multa,* inquit, *quæ debeant discerni, quæ iniuste gesta sunt, tam de incestis, quam de ipsis quæ inter nos aguntur causis. Sed præcipue illa Dei causa extat omnibus maior, vt inquirere debeatis, cur Prætextatus episcopus gladio in ecclesia fuerit interemptus. Sed & de iis qui pro luxuria accusantur, debet esse discussio, vt aut victi sanctione sacerdotali debeant emendari, aut certe si innocentes inueniuntur, publice error criminis auferatur.* Tunc iussit, vt in Calendis mensis quarti hæc synodus prolongaretur. Et iis dictis, ad Ecclesiam proces-

processimus: erat enim dies illa dominicæ Resurrectionis solennitas. Dictis igitur missis, conuiuio nos adsciuit, quod fuit non minus oneratum in ferculis, quam lætitia opulentum. Semper enim Rex de Deo, de ædificatione Ecclesiarum, de defensione pauperum sermonem habens: ridebat interdum spiritali ioco delectans: addens etiam vnde & nos aliquid lætitiæ frueremur. dicebat enim & hæc verba; *Vtinam mihi nepos meus promissa custodiat. omnia enim quæ habeo, eius sunt: tamen si eum scandalizat illud, quod legatos Chlotharii nepotis mei suscipio, nunquid demens sum, vt non possim temperare inter eos, ne scandalum propagetur? Noui enim id magis incidere quam in longius promulgare. dabo enim Chlothario si eum nepotem meum esse cognouero, aut duas, aut tres in parte aliqua ciuitates, vt nec hic videatur exhæredari de regno meo, nec huic inquietudinem præparent quæ isti reliquero.* Hæc & alia locutus, dulci nos adfectu fouens, ac muneribus onerans, discedere iubet, mandans vt ea semper Childeberto regi insinuentur, quæ vitæ eius commoda fient.

De eleemosynis & bonitate ipsius regis

CAPVT XXI.

IPse autem Rex (vt sæpe diximus) in eleemosynis magnus, in vigiliis atque ieiuniis promptus erat. nam tunc ferebatur Massilia à lue inguinaria valde vastari: & hunc morbum vsque ad Lugdunensem vicum Octauum nomine fuisse celeriter propalatū. sed Rex, ac si bonus sacerdos, prouidens remedia quib. cicatrices peccatoris vulgi mederentur, iussit omnem populum ad Ecclesiam conuenire, & rogationes summa cum deuotione celebrari: & nihil aliud in vsu vescendi nisi panem hordeaceum cum aqua munda adsumi, vigiliisque adesse instanter omnes iubet: quod eo tempore ita gestum est. Per triduum enim ipsius eleemosynis largius solito præcurrentibus, ita de cuncto populo formidabat, vt iam tunc non Rex tantum, sed etiam Sacerdos Domini putaretur totam spem suam in Domini miserationem transfundens, & in ipso iactans cogitationes quæ ei superueniebant, à quo eas effectui tradi tota fidei integritate putabat. Nā celebre tunc à fidelibus ferebatur, quod mulier quædam cuius filius quartano typo grauabatur, & in strato anxius decubabat, accessit inter turbas populi vsque ad tergum Regis, abruptisq; clam regalis indumenti fimbriis in aquam posuit, filioq; bibendum dedit: statimque restincta febre sanatus est. Quod non habetur à me dubium, cum ego ipse sæpius laruas energia famulante nomen eius inuocantes audierim, ac criminum propriorum gesta virtute ipsius discernente fateri.

De lue Massiliensis vrbis

CAPVT XXII.

NAm sicut superius diximus, Massiliensis vrbs contagio pessimo ægrota, quāta sustinuerit, altius replicari placuit. His enim diebus Theodorus episcopus ad Regem abierat, quasi aliquid contra Nicetium patritium suggesturus. Sed cum à rege Childeberto minime de hac causa fuisset auditus, ad propria redire disposuit. Interea nauis ab Hispania vna cum negocio solito ad portum eius adpulsa est, quæ huius morbi fomitem secum nequiter deferebat: de qua cum multi ciuium diuersa mercarentur, vna confestim domus in qua VIII. animæ erant, hoc contagio interfectis habitatoribus relicta est vacua. Nec statim hoc incendium luis per domos spargitur totas: sed interrupto certi temporis spacio ac velut in segetem flamma accensa, vrbem totam morbi incendio conflagrauit. Episcopus tamen vrbis accessit ad locum, & se intra Basilicæ sancti Victoris septa continuit, cum paucis qui tunc cum ipso remanserant, ibique per totam vrbis stragem orationibus ac vigiliis vacans, Domini misericordiam exorabat, vt tandem cessante interitu, populo liceret in pace quiescere. Cessante vero hac plaga mensibus duobus, cum iam populus securus redisset ad vrbem, iterum succedente morbo, qui redierant, sunt defuncti: sed & multis vicibus deinceps ab hoc interitu grauata est.

De obitu Agerici epiſcopi & de ſucceſſore eius

CAPVT XXIII.

AGericus vero Viridunenſis epiſcopus, cum ex illo diuturnæ amaritudinis felle grauiter ægrotaret, pro eo quod Guntheramnus Boſo pro quo fideiuſſor extiterat, interfectus eſſet: vel etiam abdita amaritudine, quod Berthefredus intra oratoriũ domus eccleſiaſticæ fuerat interfectus: & præſertim cum ipſos Gunthcramni filios ſecum retinens quotidie fleret dicens, *In meo vos odio orphani relicti eſtis.* His accenſus (vt diximus) cauſis, fellis amaritudine adgrauatus, & maxime inedia conſumptus, diem obiit, adpoſituſque eſt in ſepulchro. Bucioualdus quoque abbas eius pro epiſcopatu cucurrit, ſed nihil obtinuit. Charimerem enim referendarium cum conſenſu ciuium regalis decreuit auctoritas fieri ſacerdotem, Bucioualdo abbate poſtpoſito. ferebant enim hunc eſſe ſuperbum, & ob hoc à nonnullis *Buccus validus* vocitabatur. Obiit autem & Licerius Arelatenſis epiſcopus, in cuius eccleſiam Virgilius abbas Auguſtodunenſis opitulante Syagrio epiſcopo, ſubſtitutus eſt.

Bucioualdus

De epiſcopatu Fronimi

CAPVT XXIV.

OBiit autem & Deutherius Vincienſis epiſcopus, in cuius locum Fronimius ſubrogatus eſt. Hic autem Fronimius Bituricæ vrbis incola fuit: ſed cauſa neſcio qua in Septimaniam abiit: ac poſt mortem Athanaeldi regis à Leuuane ſucceſſore eius magnifice eſt receptus, atque in vrbe Agathenſi epiſcopus ordinatus eſt. Sed poſt mortem Leuuanis cum Leuuieldus in illa hæreticæ prauitatis perfidia graſſaretur, & Ingundis filia Sygiberti regis (cuius ſupra meminimus) in Hiſpaniam ad matrimonium duceretur, audiuit Leuuieldus quaſi hic Epiſcopus ei conſilium dediſſet, vt nunquam ſe veneno hæreticæ credulitatis deberet admiſcere: & ob hoc ſemper ei moleſtus iniuriarum laqueos intendebat, quouſque eum ab epiſcopatu deiiceret. Cumque non inueniret quibus eum muſcipulis poſſet innectere, ad extremum emiſit qui eum gladio deberet adpetere. Quod ille per internuncios cognoſcens, relicta vrbe Agathenſi in Gallias aduenit, ibique à multis Epiſcopis receptus ac muneratus, ad Childebertum regem pertranſiit. Sicque patefacto loco apud ſupradictam vrbem poteſtatem pontificalem nono deiectionis ſuæ anno Rege largiente ſuſcepit.

Sup. 5. c. 38.

Britanni eo anno grauiter territorium Namneticum Redonicumque prædæ ſubiecerunt, vindemiantes vineas, culturas deuaſtantes, ac populum villarum abducentes captiuum: nihilque de promiſſis ſuperioribus cuſtodientes, & non ſolum non cuſtodientes promiſſa, verumetiam detrahentes Regibus noſtris.

Quod exercitus Childeberti in Italiam abiit

CAPVT XXV.

IGitur Childebertus rex cum petentibus Longobardis, ſororem ſuam Regi eorum eſſe coniugem, acceptis muneribus promiſiſſet, aduenientibus Gothorum legatis ipſam, eo quod gentem illam ad fidem catholicam conuerſam fuiſſe cognoſceret, repromiſit: ac legationem ad Imperatorem † direxit, vt quod prius non fecerat †, nunc contra Longobardorum gentem debellans cum eius conſilio eos ab Italia remoueret: nihilominus & exercitum ſuum ad regionem ipſam capeſſendam direxit. Commotis Ducibus cum exercitu illuc abeuntibus, confligunt pariter: ſed noſtris valde cæſis, multi proſtrati, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam lapſi, vix in patriam redierunt. Tantaque ibi fuit ſtrages de Francorum exercitu, vt olim ſimilis non recolatur.

Imp. Mauricium.
Sup. 6. c. 42.

De

De obitu Ingobergæ reginæ

CAPVT XXVI.

ANno quoque quartodecimo Childeberti regis Ingoberga regina, Chariberti quondam relicta, migrauit à seculo, mulier valde cordata, ac vita religiosa prædita: vigiliis & orationibus atque eleemosynis non ignaua: quæ credo per prouidētiam Dei commonita ad me vsq; nuncios dirigens, vt in his quæ de voluntate sua, id est pro animæ remedio † cogitabat, adiutor existerem. Sic tamen vt ad ipsam accedens, quæ *legata ad pias causas.* consilio habito fieri decernebat, scriptura connecteret. Accessi fateor, vidi hominem timentem Deum; quæ cum me benigne excepisset, notarium vocat, & habito (vt dixi) mecum consilio, quædam ecclesiæ Turonicæ, & Basilicæ S. Martini. quædam Cœnomannicæ ecclesiæ delegauit: ac post paucos menses subitanea ægritudine fatigata, migrauit à seculo, multos per chartulas liberos derelinquens, septuagesimo (vt arbitror) vitæ anno, relinquens filiam vnicam, quam in Canthia Regis cuiusdam filius matrimonio copulauit.

De obitu Amulonis

CAPVT XXVII.

AMalo quoq; dux, dum coniugem in aliam villam pro exercenda vtilitate dirigit, in amorem puellulæ cuiusdam ingenuæ ruit. Et facta nocte crapulatus a vino misit pueros, vt detrahentes puellulam, eam thoro eius adscirent. Illa quoque repugnante, & violenter in eius mansionem † deducta, dum eam alapis cædunt, sanguinis vnda *Gall. maisō.* ex narium meatibus decurrente perfunditur. Vnde factum est, vt ipse quoque stratus Ducis antedicti hoc riuo cruentaretur, quam & ipse pugnis, colaphis, aliisque ictibus verberatam in vlnam suscepit, & statim obpressus somno dormire cœpit. At illa extensa manu trans caput viri gladium reperit: quo euaginato, caput ducis, velut Iudith Holofernis, ictu virili librauit. Illo quoque voces emittente, concurrunt famuli. Quam cum interficere vellent, exclamauit ille, dicens; *Ne faciatis quæso: ego enim peccaui, qui vim castitati inferre conatus sum. Nam hæc quæ pudicitiam studuit conseruare, omnino non pereat.* Hęc dicens, spiritum exhalauit. Cumque super eum familia comuncta lamentaretur, adiutorio Dei eruta puella domū egreditur, & per noctē Cabillonensem vrbem adiit, quæ est sita ab eo loco quasi milia xxxv. ibiq; Basilicam S. Marcelli ingressa, Regis prostrata pedibus cuncta quæ pertulerat pandit. Tunc Rex misericordissimus, non solum ei vitam donauit, verum etiam præceptionem tribui iussit, vt in verbo † suo posita, a nul- *fide, clientela* lo vnquam parentum defuncti illius in aliquo molestiam pateretur. Veruntamen hoc Deo præstante cognouimus, quod puellæ castitas non est ab ereptore sæuo vllatenus violata.

De speciebus quas Brunichildis regina transmisit

CAPVT XXVIII.

BRunichildis quoque regina iussit fabricari ex auro ac gemmis miræ magnitudinis clypeum, ipsumq; cum duabus pateris ligneis, quas vulgo *Bacchinon* † vocant, eis- *Teuton. Becken. Gall. Bassin.* demque similiter ex gemmis fabricatis auro, in Hispaniam Regi mittit: in qua Ebregisilum, qui sæpe ad ipsam regionem legationis gratia accesserat, direxit. Quo abeunte, nunciatum est regi Guntheramno, dicente quodam, quia Brunichildis regina ad filios Gundobaldi munera dirigit. Quod Rex audiens, iussit custodias arduas per vias regni sui fieri, ita vt nullus penitus præterire possit, qui non discuteretur. Inquirebant etiam in hominum vel vestimentis, vel calciamentis, aut in reliquis rebus, si occulte literæ portarentur. Ebregisilus vero Parisios accedens cum his speciebus, ab Ebracha-

rio duce comprehensus, ad Gunthcramnum deducitur: dixitque ei Rex; *Non sufficit, ô infelicißime hominum, quod impudico consilio Ballomerem illum, quem Gundobaldum vocitatis,* Sup.7.c.14. *ad coniugium arceßistis, quem manus mea subegit, qui voluit ditioni suæ regni nostri superare potentiam: & nunc filiis eius munera mittitis, vt ipsos iterum in Gallias prouocetis ad iugulandum? ideoq; non accedes quo volueris, sed morte morieris: quia contraria est legatio tua genti nostræ.* Illo quoq; recusante, non se his verbis esse communem, sed potius ad Richaredum qui Chlodosuindam sororem Childeberti regis spōsare debuerat, hæc munera mitti; credidit Rex loquenti, & dimisit eum, abiitque in itinere quo directus fuit cum ipsis muneribus.

Quod Longobardi pacem ad Childebertum regem petierunt

CAPVT XXIX.

IGitur Childebertus rex inuitante Sygimundo Momociacēsis oppidi sacerdote, dies Paschæ ad supradictam celebrari statuit vrbem. Grauiter tunc Theodobertus filius eius senior, gulæ adflictus tumore laborauit, sed conualuit. Interea Childebertus rex exercitum commouet, & Italiam ad debellandam Longobardorum gentem, cum eisdem pergere parat. Sed Longobardi his auditis, legatos cum muneribus mittunt dicētes; *Sit amicitia inter nos, & non pereamus, ac dissoluamus certum ditioni tuæ tributum. Ac vbicūque necessarium contra inimicos fuerit, ferre auxilium non pigebit.* Hæc Childebertus rex audiens, ad Guntheramnum regem legatos dirigit: qui ea quæ ab his offerebantur, in eius auribus intimarent. Sed ille non obuius de hac conniuentia, consilium ad confirmandam pacem præbuit. Childebertus vero rex iussit exercitum in loco residere: misitque legatos ad Longobardos, vt si hæc quæ promiserant confirmarent, exercitus reuerteretur ad propria. sed minime est impletum.

De descriptoribus vrbis Pictauæ atque Turonicæ

CAPVT XXX.

CHildebertus vero rex descriptores in Pictauos, inuitante Marouco episcopo, iussit abire, id est Florentianum maiorem domus regiæ, & Romulfum palatii sui comitem, vt scilicet populus censum quem tempore patris reddiderat, facta ratione, innouata re, reddere deberet. Multi enim ex his defuncti fuerant: & ob hoc viduis orphanisque ac debilibus tributi pondus insederat: quod hi discutiētes, per ordinem relaxantes pauperes ac infirmos illos, quos iustitiæ conditio tributarios dabat, censu publico subdiderunt: & sic Turonos sunt delati. Sed cum populis tributariam functionem infligere vellent, dicentes quia librum præ manibus haberent, qualiter sub anteriorum Regum tempore dissoluissent, respondimus nos, dicentes; *descriptam vrbem Turonicam Chlotharii regis tempore, manifestum esse, librique illi ad Regis præsentiam abierunt. Sed compuncto per timorem S. Martini antistitis Rege, incensi sunt. Post mortem vero Chlotharii regis, Chariberto regi populus hic sacramentum dedit. Similiter etiam & ille cum iuramento promisit, vt* i. exactiones *leges consuetudinesque † nouas populo non infligeret, sed in illo quo quondam sub patris dominatione statu vixerant, in ipso hic eos deinceps retineret, neque vllam nouam ordinationem se inflicturum super eos, quod pertineret ad spolium, spopondit. Gaiso vero comes eiusdem temporis accepto capitulario, quod anteriores scriptores fecisse commemorauimus, tributa cœpit exigere: sed ab Eufronio episco-* f. prauitate. *po prohibitus, cum exacta paruitate † ad Regis direxit præsentiam, ostendens capitularium in quo tributa continebantur. Sed Rex ingemiscens ac metuens virtutem sancti Martini, ipsum incendio tradidit: aureos exactos Basilicæ sancti Martini remisit, obtestans vt nullus de populo Turonico vllum tributum publico redderet. Post cuius obitum Sygibertus rex hanc vrbem tenuit, nec vllius tributi pōdus innexit. Sic & nunc XIV. anno Childebertus post patris obitum regnans, nihil exegit, nec vllo tributi onere hæc vrbs adgrauata congemuit. Nunc autem potestatis vestræ est, vtrum censeatis tributum, an non: sed videte ne aliquid noceatis, si contra eius sacramentū ambulare disponitis.* Hæc me dicente responderunt; *Ecce librum præ manibus habemus, in quo census huic populo est infictus.* Et ego aio: *Liber hic à Regis thesauro delatus non est, nec vnquā per tot conualuit annos.*

nos. Non est mirum enim si pro inimicitiis horum ciuium, in cuiuscunque domo reseruatus est. iudicabit enim Deus super eos qui pro spoliis ciuium nostrorum hunc post tanti temporis transactum spacium protulerunt. Dum autem hæc agerentur, Audini filius, qui librum ipsum protulerat, ipsa die à febre correptus, die tertia expirauit. Post hæc nos transmisimus nuncios ad Regem, vt quid de hac causa iuberet, mandata remitteret. Sed protinus epistolam cum auctoritate miserunt, ne populus Turonicus pro reuerentia sancti Martini describeretur. Quibus relectis, statim viri qui ad hæc missi fuerant, ad patriam sunt regressi.

Quod Guntchramnus rex exercitum in Septimaniam direxit

CAPVT XXXI.

GVntchramnus vero rex exercitum commouit in Septimaniam. Austrouualdus autem dux prius Carcasonam accedens sacramenta susceperat, ipsosque populos ditioni subegerat regiæ. Rex autem ad reliquas ciuitates capiendas, Bosonem cum Antestio destinauit. Qui accedens cum superbia, despecto Austrouualdo duce, atque condemnato, cur absque eo Carcasonam regredi præsumpsisset, ipse cum Santonicis, Petragoricis, Burdegalensibusque, Agennensibus etiam ac Tholosanis illuc direxit. Cumque in hac iactantia ferretur, & Gothis hæc nunciata fuissent, parauerunt se in insidiis. Hic vero super fluuium paruulum propinquum vrbi castra ponit, epulis insedit, ebrietatibus incumbit, conuiciis & blasphemiis † Gothos exaggerans. Gall. blasimes. Illique inruentes super ipsos reperiunt epulantes inopinantesque. Tunc hi dantes voces, exurgunt contra eos. At illi paululum resistentes, fugam simulant: prosequentibusque istis consurgunt qui præparati erant de insidiis, concludentes eos in medio, vsque ad internecionem ceciderunt: qui autem euadere potuerunt, vix equo ascenso per fugam dilapsi sunt, omnem supellectilem relinquentes in campi planitie, nihilque secum de rebus propriis auferentes, hoc pro magno ducentes si vel vitæ donarentur. Insequentes autem Gothi res eorum omnes reperiunt, diripiuntque, pedestres omnes captiuos abducentes: cecideruntque ibi quasi quinque milia virorum: captiui autem amplius quam duo milia abierunt. multi tamen ab his laxati, redierunt in patriam.

De inimicitiis inter Childebertum & Guntchramnum

CAPVT XXXII.

COmmotus autem rex vias claudi per regnum suum præcepit, ne vllus de Childeberti regno per eius regni territorium peruium posset habere, dicens, *Quia per nequitiam eius, qui cum rege Hispaniæ fœdus iniit, exercitus corruit meus, & vt se non subdant vrbes illæ ditioni meæ, eius hoc immissio facit.* Additum est etiam huic causæ aliud amaritudinis incendium quod Childebertus rex filium suum seniorem Theodobertum nomine, Suessionas dirigere cogitabat: quæ res suspicionem fecerat Gunthcramno regi, dicente eo, *Quia in hoc filium suum nepos meus Suessionas dirigit, vt Parisios ingredi faciat, regnumque meum auferre cupiat:* quod nunquam Childebertus vel in cogitatione (si dici fas est) habere potuit. Multa autem & in Brunichildē reginam obprobria iactabat, dicens eius consilio hæc fieri: addens etiā quod Gundobaldi quondā filium inuitatum coniugio copulare vellet. Vnde etiam synodum episcoporum in Calendis Nouembribus congregari præcepit. Multique de extremis partibus Galliarum ad hunc conuentum properantes, de via regressi sunt, pro eo quod Brunichildis regina se ab hoc crimine exuit sacramentis: & sic viis iterum reseratis, peruium patefecit volentibus ad regem Childebertum accedere.

Quod Ingeltrudis religiosa ad Childebertum abiit, contra filiam suggestura

CAPVT XXXIII.

His diebus Ingeltrudis, quæ monasterium in atrio S. Martini statuerat, ad Regem quasi filiam accusatura processit: in quo monasterio Berthefledis, filia quondam Chariberti regis, residebat. Sed ista egrediente, hæc in Cœnomannicum est regressa. Erat enim gulæ & somno dedita, & nullam de officio Dei curam habens. Negociu vero Ingeltrudis & filiæ eius altius repetẽdum puto. Igitur ante hos annos cũ Ingeltrudis monasterium puellarum intra atrium sancti Martini (vt diximus) collocare cœpisset, filiæ suæ mandata mittit, dicens, *Relinque virum tuum, & veni vt faciam te Abbatissam gregi huic quem congregaui.* At illa, audito leuitatis consilio, cũ viro Turonos aduenit: ingressaq; monasterium matris, dicebat viro: *Regredere hinc, & guberna res liberosq; nostros: nam ego non reuertar tecum. non enim videbit regnum Dei coniugio copulatus.* Ille vero adueniens, nunciauit mihi omnia quæ à coniuge audierat. Tunc ego accedens ad monasterium, canonum Nicenorum decreta relegi: in quibus continetur; *Quia si quæ reliquerit virum, & thorum in quo bene vixit spreuerit, dicens, quia non sit ei portio in illa cælestis regni gloria qui fuerit coniugio copulatus, anathema sit.* Quibus auditis Berthegundis metuens, ne a sacerdotibus Dei cõmunione priuaretur, egressa monasterium, rediit cum viro suo. interpositis aũt tribus vel quatuor annis, iterum mandata mittit ad eam mater, deprecãs eam ad se accedere. At illa oneratis nauib. tam de rebus propriis, quã viri sui, adsumpto secũ vno filio, viro absente, Turonos est adpulsa. Sed cũ a matre propter improbitatem viri retineri non posset, scil. ne calumniã quę eius dolo fabricata fuerat exciperet, ad Berthramnum germanum eius, filium videl. suum Burdegalensis vrbis episcopum eã direxit. Prosequente igitur viro eius dicebat; *Quia sine consilio parentũ eam coniugio copulasti, nõ erit vxor tua.* Erant n. iam fere xxx. anni, ex quo cõiuncti pariter fuerãt. Adiit enim vir eius plerunq; vrbem Burdegalensem: sed noluit eam Episcopus restituere. Cum autẽ rex Guntheramnus ad Aurelianensem vrbẽ (sicut in superiore libro memorauimus) aduenisset, ibi cũ acrius hic vir impugnare verbis cœpit, dicens, *Abstulisti vxorem meã cum famulis eius. Et ecce (quod sacerdotẽ non decet) tu cum ancillis meis, & illa cũ famulis tuis dedecus adulterii perpetratis.* Tunc furore cõmotus Rex, adstrinxit Episcopũ, vt polliceretur eã reddere viro, dicens: *Quia parens mea hæc est: si quicquã mali exercuit in domo viri sui, ego vlciscar: sin aliud, cur sub omni deformitate redacta viro coniunx eius aufertur?* Tunc Bertheramnus episcopus pollicitus est dicens, *Venit ad me, fateor, soror mea post multorum annorũ curricula: quã pro charitatis ac desiderii studio tenui mecũ vt libuit. Nunc aũt recessit à me: requirat nunc eam, reuocetq; quo voluerit: me obuiũ non habebit.* Et hæc dicens, misit clam nuncios ad eam mandans, vt veste mutata ac pœnitentiaaccepta Basilicam S. Martini expeteret. q; facere illa nõ distulit. Venitq; vir eius cũ multis insequentib. viris, vt eã ex ipso loco sancto eiiceret. erat n. in veste religiosa, adserens se accepisse pœnitẽtiam: sed virum sequi despexit. Interea defuncto apud Burdegalẽsem vrbem Berthecramno episcopo, hæc ad se reuersa ait; *Væ mihi, quæ audiui consiliũ matris iniquæ. Ecce frater meus obiit, ecce à viro derelicta sũ, à filiis separata. Et quo ibo infelix? vel quid faciã?* Tunc habito consilio Pictauum pergit: voluitq; eam mater retinere secũ, sed penitus non potuit. Ex hoc inimicitia orta, dum sæpius Regis præsentiã adeunt, & hæc res patris defensare cupiẽs, hæc viri, Berthegundis donationẽ Berthcramni germani sui ostendit, dicẽs; *Quia hæc & hæc mihi germanus meus contulit.* Sed mater eius non admittens donationẽ, omnia sibi vendicare cupiens, misit qui effracta domo eius, omnes res illius cũ hac donatione diriperet: vnde seipsam genitrix reddidit comprobatã, cum de rebus ipsis insequenti filiæ quædam repetenti districta restituit. Sed cum sæpius ego & frater noster Marouecus Episcopus, acceptis regalibus epistolis, *vt eas pacificare deberemus,* Berthegũdis aduenit Turonos: in iudicium quoq; accedentem coegimus eam, inquantum potuimus rationem sequi: mater vero eius flecti non potuit. Tunc accensa felle, ad Regem abiit, quasi filiam exhæredem datura de facultate paterna. Ac in præsentia Regis exponens causas filia absente, iudicatũ

est

est ei, *ut quarta parte filiæ restituta, tres cum nepotibus suis quos de filio uno habebat, reciperet*: in qua causa Theutharius presbyter, qui nuper ex referendario Sygiberti regis conuersus, presbyterii honorem accepit, accessit vt hanc diuisionem iuxta Regis imperium celebraret. Sed resistente filia, nec diuisio facta, nec scandalum resedatum est.

De inimicitiis Radegundis cum filia sua

CAPVT XXXIV.

Rigunthis autem filia Chilperici, cum sæpius matri calumnias inferret, diceretque se esse dominam, genitricemque suam seruitio redhiberi, & multis eam & crebro conuiciis lacessiret, ac interdum pugnis se alapisque cæderent, ait ad eam mater; *Quid mihi molesta es filia? ecce res patris tui, quæ penes me habentur, accipe & utere ut libet*. & ingressa in regestum, reserauit arcam monilibus ornamentisque preciosis refertam: de qua cum diutissime res diuersas extrahens filiæ adstanti porrigeret, ait ad eam; *Iam enim lassata sum, immitte tu*, inquit, *manum, & eiice quod inueneris*. Cumque illa immisso brachio res de archa abstraheret, adprehenso mater opertorio archæ super ceruicem eius inlisit. Quod cum in fortitudine premeret, atque gulam eius axis inferior ita adtereret, vt etiam oculi ad crepandum parati essent, exclamauit vna puellarum quæ erat intrinsecus, voce magna, dicens, *Currite*, quæso, *currite*: *ecce domina mea à genitrice sua grauiter suggillatur*.† Et inrumpentes cellulam qui coram foribus eorum præstolabantur aduentum, erutam ab imminenti interitu puellam, eduxerunt foras. Post ista vero inter easdem inimicitiæ vehementius pullulantes, & non de alia causa maxime, nisi quia Rigunthis adulteria sequebatur, semper cum eisdem rixæ & cædes erant. *i. strangulatur*

De interitu Vuaddonis

CAPVT XXXV.

Beretruthis vero moriens, filiam suam hæredem instituit, relinquens quæpiam vel monasteriis puellarum quæ ipsa instituerat, vel Ecclesiis siue Basilicis confessorum sanctorum. Sed Vuaddo (cuius in superiore libro meminimus) querebatur à genero *sup. 8. c. 22.* eius equos suos fuisse direptos: cogitauitque accedere ad villam eius vnam quam reliquerat filiæ, quæ intra Pictuum terminum erat, dicens; *Hic à regno alterius veniens diripuit equos meos, & ego auferam villam eius*: interea mandatum mittit agenti, vt se adueniente omnia quæ erant ad expensam eius necessaria, præpararet. Quod ille audiens, coniunctis secum hominibus ex domo illa se ad bellum præparat, dicens, *Nisi moriar, non ingredietur Vuaddo in domum domini mei*. Audiens autem vxor Vuaddonis adparatum scilicet belli instaurari contra virum suum, ait ad eum; *Ne accesseris illuc, chare coniunx: morieris enim si abieris, & ego cum filiis misera ero*. & iniecta manu, voluit eum retinere, dicente prætereà tum filio, *Si abieris pariter, moriemur, & relinques genitricem meam viduam, orphanosque germanos*. Sed cum eum hæc verba penitus retinere non possent, furore accensus contra filium, & timidum eum mollemque exclamans, proiecta secure pene cerebrum eius inlisit. Sed ille in parte excussus, ictum ferientis euasit. Ascensis denique equis abierunt, mandans iterum actori, vt domo scopis mundata, stragulis scamna operiret. Sed ille paruipendens mandatum eius, cum turbis (sicut diximus) virorum ac mulierum ante fores domini sui stetit, opperiens aduentum huius. Qui veniens, statim ingressus domum, ait, *Cur non sunt scamna hæc operta stragulis, aut domus scopis mundata?* & eleuans manum cum sica, caput hominis librauit, cecidítque, & mortuus est. Quod cernens filius hominis mortui, emissa ex aduerso lancea, contra Vuaddonem dirigit: cuius mediam aluum ictu penetrauit à tergo egressa falarica: & ruens ad terrã, adueniente multitudine quæ collecta fuerat, lapidibus obrui cœpit. Tunc quidam de his qui venerant cum eo, inter imbres saxeos accedentes, coopertum sago ac populo mitigato, eiulante filio eius, eumq; super equum eleuans, adhuc viuentem domui re-

duxit. Sed protinus sub lachrimis vxoris ac filiorum, spiritum exhalauit. Explicita igitur tam infeliciter vita, filius eius ad Regem abiit, resque eius obtinuit.

Quod Childebertus rex Theodebertum suum Sueßionas direxit

CAPVT XXXVI.

Straburg. Argentina.

IGitur anno quo supra, regni sui, Childebertus rex morabatur cum coniuge & matre sua, intra terminum vrbis quam Strataburgum vocant. Tunc viri fortiores, qui in vrbe erant Suessionica siue Meldensi, venerunt ad eum, dicentes, *Da nobis vnũ de filiis tuis, vt seruiamus ei: scilicet vt de progenie tua pignus retinentes, nobiscum, facilius resistentes inimicis, terminos vrbis tuæ defensare studeamus.* At ille gauisus nũcio, Theodobertum filium suum seniorem illuc dirigendum destinat. cui comitibus, domesticis, maioribus, atque nutritiis, & omnib. qui ad exercendum seruitium regale erant necessarii, delegatis, mense sexto huius anni direxit eum iuxta voluntatem virorum qui eum a Rege flagitauerant transmittendum: suscepitque eum populus gaudens ac deprecans, vt vitam eius patrisque sui æuo prolixiore pietas diuina concederet.

De Droctigisilo episcopo

CAPVT XXXVII.

ERat autem apud vrbem Suessionas his diebus Droctigisilus, qui propter nimiam (vt ferunt) potationem, quarto instante anno sensum perdiderat. Adserebant enim multi ciuium, quod hoc ei maleficiis accessisset, per emissionem Archidiaconi, quem ab honore repulerat, intantum vt intra muros vrbis hanc amentiam magis haberet: si vero de ciuitate fuisset egressus, agebat commodius. Cumque Rex supradictus ad vrbem venisset, & hic melius ageret, permittebatur ingredi vrbem propter Regem qui aduenerat. Et licet esset vorax cibi, ac potator vini extra modum quam sacerdotalem cautelam decet, tamen nullum de eo adulterium quispiam est locutus. Veruntamen insequenti cum apud Sauriciacum villam, Episcoporum Synodus adgregata fuisset, iussum est vt liceret ei ingredi vrbem suam.

De eo quod aliqui contra Brunichildem reginam agere voluerunt

CAPVT XXXVIII.

CVm autem Faileuba regina Childeberti regis, partu edito mox extincto ægrotaret, adtigit aures eius sermo, quod quidam vel contra eam, vel contra Brunichildẽ reginam agere conarentur. Cumq; confortata ab incõmodo, ad Regis præsentiam accessisset, omnia tam ei quam matri eius, quæ audierat reserauit. Verba autem huiuscemodi erant, quod scilic. Septimina nutrix infantum eius, consilio suadere vellet Regi, vt eiecta matre, coniugeque relicta, aliam sortiretur vxorem: & sic cum eodem quæcunque vellent, vel actu agerent, vel precibus obtinerent. Quod si his Rex nollet adquiescere quæ suadebat, ipso maleficiis interempto, eleuatis filiis eius in regnum, repulsa nihilominus matre eorum & auia, ipsi regerent regnũ. Huius enim consilii socios pronunciat esse Sunnegisilum comitem stabuli, & Callomagnum referendarium, atque Droctulfum, qui ad solatium Septiminæ ad nutriendum regis paruulos fuerat datus. Denique corripiuntur hi duo, Septimina videlicet & Droctulfus. Nec mora extensi inter stipites cum vehementius cæderentur, profitetur Septimina se virum suum Iouium maleficiis interfecisse, ob amorem Droctulfi: ipsumq; secum scorto † in fecit. De his quæ supra diximus causis pariter confitentur, & memoratos viros in hoc consilio habitos indicant. Nec mora, inquiruntur & ipsi: sed conscientia terrente, latebram intra Ecclesiarum septa petiere. Ad quos Rex ipse procedens, ait, *Egredimini in iudicium, vt cognoscamus de his quæ vobis obiiciuntur, si vera sint, an falsa. Nam ego, vt*

† i. stupro.

opinor

opinor in hanc Ecclesiam fuga dilapsi non fuissetis, nisi vos conscientia terruisset. Veruntamen promissionem habete de vita, etiam si culpabiles inueniamini. Christiani enim sumus. nefas est enim vel criminosos ab ecclesia eductos punire. Tunc educti foras, cum Rege venerunt ad iudicium: discussique reclamant, dicentes, *Quia Septimina cum Droctulfo hoc nobis consilium patefecit. Sed nos execrantes ac fugientes, nunquam consentire voluimus hoc scelus.* Et Rex; *Si*, inquit, *vos nullam conniuentiam præbuissetis, nostris auribus vtique intulissetis. Verumne ergo est, vos in hac causa præbuisse consensum, cum hoc nostræ scientiæ occuli voluistis?* Et statim eiecti foras, iterum Ecclesiam petierunt. Septimina vero cum Droctulfo vehenter cæsa, ac cauteriis accensis in facie vulnerata, ablatis omnibus quæ habebat, in Marilegium † villam deducitur, vt scilicet trahens molam, his quæ in gynæcio erant positæ, per dies singulos farinas ad victus necessarias præpararet. Droctulfum autem incisis capillis & auribus, ad vineam excolendam delegauerunt, sed post dies paucos fuga dilabitur: inquisitusque ab actore, iterum ad Regem deducitur: ibique multum cæsum, iterum ad vineam quam reliquerat, destinatur. At vero Sunnegisilus & Gallomagnus priuati a rebus quas à fisco meruerant, in exilium retruduntur. Sed venientibus legatis, inter quos Episcopi erant, à rege Guntheramno, & petentibus pro his, ab exilio reuocantur: quibus nihil aliud est relictum, nisi quod habere proprium videbantur.

† hod. Marley, in Alsatia.

De scandalo in monasterio Pictauensi orto per Chrodieldem & Basinam

CAP. XXXIX.

IN monasterio vero Pictauensi insidiante Diabolo in corde Chrodieldis, quæ se Chariberti quondam regis filiam adserebat, orto scandalo, ipsa quoque quasi de parentibus confisa regibus, exactis sacramentis à sanctimonialibus, vt iniectis in abbatissam Leuboueram criminibus, ea monasterio deiecta, ipsam substituerent principalem. Egressaque est cum quadraginta aut eo amplius puellis, & consobrina sua Basina filia Chilperici, dicens; *Quia vado ad parentes meos Reges, vt eis contumeliam nostram innotescere valeam: quia non vt filiæ regum, sed vt malarum ancillarum genitæ in hoc loco humiliamur.* Infelix ac fatua non recordans, in qua se humilitate beata Radegundis, quæ hoc instituit monasterium, exhibebat. Egressa ergo ab eo, Turonos aduenit, dataque nobis salutatione, ait, *Deprecor sancte Sacerdos, vt has puellas quæ in magnam humilitatem ab Abbatissa Pictauensi redactæ sunt, custodire digneris, ac cibum præbere, donec ego eam ad Reges parentes nostros, exponamque eis quæ patimur, & reuertar.* Quibus ego aio, *Si Abbatissa deliquit, aut canonicam regulam in aliquo prætermisit, accedamus ad fratrem nostrum Maroueum Episcopum, & coniuncti arguamus eam: emendatisque negociis restituamini in monasterium vestrum, ne dispergatur luxuria, quod sancta Radegundis ieiuniis & orationibus crebris, eleemosynisque frequentibus adgregauit.* Et illa respondit, *Nequaquam, sed ad Reges ibimus.* Et ego, *Quare responsioni resistitis? Ob quam rem sacerdotale monitum non auditis? Vereor ne coniuncti Sacerdotes ecclesiarum vos à communione remoueant: sic enim & ab antecessoribus in epistola, quam ad beatam Radegundem in initio huius congregationis scripserunt, habetur insertum.* Cuius exemplaria huic lectioni inserere placuit.

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

Dominæ beatissimæ & in Christo Ecclesiæ filiæ Radegundi, Eufronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius, & Domnolus Episcopi. Sollicita sunt iugiter circa genus humanum immensæ diuinitatis prouisura remedia, nec ab assiduitate beneficiorum suorum quocunque loco vel tempore videntur aliquando seiuncta, cum prius rerum arbiter tales in hæreditate culturæ ecclesiasticæ personas vbique disseminat, quibus agrum eius intenta operatione fidei rastro colentibus, ad felicem centeni numeri reditum diuina temperie Christi seges valeat peruenire. Tan-

tum igitur benignitatis eius se passim dispensatio profutura diffundit, vt illud nusquam deneget quod prodesse multis agnoscit. Quarum personarum exemplo sanctissimo cum iudicaturus aduenerit, habeat in plurimis quod coronet. Itaque cum ipso catholicæ religionis exortu, cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia peruenissent Trinitatis dominicæ sacramenta, ne quid hic minus adquireret quam in orbis circulo prædicantibus Apostolis obtineret, beatum Martinum peregrina de stirpe ad inluminationem patriæ dignatus est dirigere, misericordia consulente. Qui licet Apostolorum tempore non fuerit, tamen apostolicam gratiam non effugit. Nam quod defuit in ordine, suppletum est in mercede: quoniam sequens gradus illi nihil subtrahit, qui meritis antecellit. Huius quoque, reuerentissima filia, in vobis congratulamur rediuiua surgere supernæ dilectionis exempla propitiatione diuina. nam declinante tempore seculi vetustate, vestri sensus certamine fides reuirescit in flore: & quod veterno tepuerat algore senectæ, tandem feruentis animi rursus incalescat ardore. Sed cum pene eadem veneritis ex parte, qua beatum Martinum huc didicimus accessisse, non est mirum si illum imitari videaris in opere, quem tibi ducem credimus itineris extitisse: vt cuius es secuta vestigia, felici voto compleas & exempla, & beatissimum virum in tanto tibi facias esse socium, inquantum partem refugis habere de mundo. Cuius opinionis radio præmicante, ita reddis audientium pectora cœlesti fulgore suffusa, vt passim prouocati puellarum animi diuini ignis scintilla succensi, raptim festinent auide in charitate Christi fonte vestri pectoris inrigari: & relictis parentibus te sibi magis eligant, quam matrem. facit hoc gratia non natura. Igitur huius studii vota videntes, gratias clementiæ supernæ referimus, qui voluntates hominum suæ facit voluntati connecti: quoniam confidimus quas apud vos iubet colligi, suo vult amplexu seruari. Et quia quasdam comperimus diuinitate propitia de nostris territorii ad institutionem vestræ regulæ desiderabiliter conuolasse, inspicientes etiam vestræ petitionis epistolam libenter à nobis exceptam; hoc Christo auctore & remediatore firmamus: vt licet omnes æqualiter quæ ibi conueniunt, in Domini charitate mansuræ debeant inuiolabiliter custodire, quod videntur libentissimo animo suscepisse: quoniam contaminari non debet Christo fides cælo teste promissa: vbi non leue scelus est templum Dei (quod absit) pollui, vt ab eo possit ira succendente disperdi. tamen specialiter definimus, si qua (sicut dictum est) de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi domino prouidente commissis, in Pictaua ciuitate vestro monasterio meruerit sociari, secundum beatæ memoriæ domini Cæsarii Arelatensis Episcopi constituta, nulli sit vlterius discedendi licentia. Quæ sicut continet regula, voluntate prodita videtur ingressa, ne vnius turpi dedecore ducatur in crimen, quod apud omnes emicat in honore. Et ideo, si (quod auertat Deus) aliqua insanæ mentis inlicitatione succensa, ad tanti obprobrii maculam præcipitare suam voluerit disciplinam, gloriam & coronam, vt inimici consilio sicut Eua eiecta de Paradiso, per qualemcunque de claustris ipsius monasterii, immo de cœli regno exire pertulerit, mergenda & conculcanda vili platearum in luto, separata à communione nostra, diri anathematis vulnere feriatur. Ita vt si fortassis Christo relicto homini voluerit nubere, Diabolo captiuante, non solum ipsa quæ refugit, sed etiam ille qui ei coniunctus est, turpis adulter, & potius sacrilegus quam maritus: vel quisquis vt hoc fieret, venenum magis quam consilium ministrauit, simili vltione, sicut de illa dictum est, cœlesti iudicio, nobis optantibus, percellatur: donec separatione facta, per competentem execrandi criminis pœnitentiam, a loco quo egressa fuerat, recipi meruerit & adnecti. Adiicientes etiam vt eorum qui nobis quandoq; successuri sunt sacerdotes, similis condemnationis teneantur adstrictæ reatu, & si (quod non credimus) aliquid ipsi voluerint aliter quam nostra deliberatio continet, relaxare, nouerint se nobiscum æterno iudice definiente causaturos, quia communis est salutis instructio, si quod Christo promittitur, inuiolabiliter obseruetur. Quod nostræ determinationis decretum pro firmitatis intuitu, propriæ manus subscriptione credimus roborandum, perpetualiter à nobis Christo auspice duraturum.

Lecta igitur hac epistola Chrodieldis dixit; *Nunquam nos vlla retinebit mora, nisi ad Reges quos parentes nostros esse nouimus, accedamus.* Venerant enim pedestri itinere a Pictauo, nec vllius equi beneficium habuerant: vnde anhelæ & satis exiguæ erant: sed nec victus alimoniam vllam eis in via quisquam præbuerat: accesserunt enim ad vrbem nostram die prima mensis primi. erant enim pluuiæ magnæ: sed & viæ dissolutæ erant a nimia immensitate aquarum.

De fomite primo scandali

CAP. XL.

DEtrahebant autem & de Episcopo dicentes, quia illius dolo & hæ turbatæ, & monasterium erat derelictum: sed materiam huius scandali altius placuit memorari. Tempore Chlotharii regis, cum beata Radegundis hoc monasterium instituisset, semper subiecta & obediens cum omni congregatione sua anterioribus fuit Episcopis. Tempore vero Sygiberti, postquam Marouens episcopatum vrbis adeptus est, acceptis epistolis Sygiberti regis pro fide ac deuotione Radegundis beatæ, in partes orientis clericos destinat pro dominicæ crucis ligno, ac sanctorum Apostolorum cæterorumq; Martyrum reliquiis. qui euntes detulerunt hæc pignera: quibus delatis, petiit Regina Episcopum, vt cum honore debito, grandiq; psallentio in monasterio locarentur. Sed ille despiciens suggestionem eius, ascensis equis, villæ se contulit. Tunc Regina iterato ad regem Sygibertum direxit, deprecans vt iniunctione sua quicunq; ex Episcopis hæc pignera cum illo quo decebat honore, votumq; eius exposcebat, in monasterio conlocaret. Ad hoc enim opus beatus Eufronius vrbis Turonicæ Episcopus iniungitur. Qui cum clericis suis Pictauum accedens, cum grandi psallentio, & cereorum micantium ac thymiamatis adparatu, sancta pignera absente loci Episcopo in monasterium detulit. Post hæc cum pontificis sui sæpius gratiam quæreret, nec posset adipisci, necessitate commota cum Abbatissa sua quam instituerat, Arelatensem vrbem expetunt: de qua regula sancti Cæsarii atq; Cęsariæ beatę suscepta, Regis se tuitione munierunt, scilicet quia in illum qui pastor esse debuerat, nullam curam defensionis suæ poterant reperire. Ex hoc scandalo de die in diem propagato, tempus migrationis beatæ Radegundis aduenit: qua migrante, iterum petiit Abbatissa se sub sacerdotis sui potestate degere. Quod ille cum primum respuere voluisset, consilio suorum promisit se patrem earum, sicut dignum erat, fieri: & vbi necessitas fuisset, suã prębere defensionem: vnde factum est, vt abiens ad Childebertum regem pręceptionem eliceret, vt ei hoc monasterium sicut reliquas parochias regulariter liceat gubernare. Sed nescio quid, credo, adhuc in eius animis residebat, vt hæ puellæ adserũt, quod moueret scandalum. His vero intendentibus, vt ad Regis (sicut diximus) præsentiam properarent, dedimus eis consilium dicentes, *Intenditis contra rationem, & nullo modo vobis ea series inferi potest, quæ blasphemium arceat. Sed si (vt diximus) rationem prætermittitis, nec salubre consilium vultis accipere, vel hoc conicite in animis vestris, vt præterito hiberni huius tempore quod in hoc verno accessit, cum auræ commodiores fuerint, quo ducit voluntas, pergere valeatis.* Quod consilium aptum suscipientes, sub sequente æstate, relictis Turonis, cæteris accõmodatis consobrinæ suæ Chrodieldi sanctimonialibus, ad regem Gunthcramnum accessit. A quo suscepta ac muneribus honorata, Turonos est regressa. Cõstantina filia Burgolini in monasterio Augustidunensi relicta, expectans Episcopos qui a Rege fuerant iussi aduenire, & causam ipsarum cum Abbatissa discutere. Multæ tamen ex his à diuersis circumuentæ matrimonio copulatæ sunt, priusquã hæc à Rege regrederetur. Cumq; præstolantes aduentum, nullum Episcopum aduenire sensissent, Pictauum regressæ sunt, & se intra Basilicam sancti Hilarii tutauerunt, congregatis secum furibus, homicidis, adulteris, omniumq; criminum reis, stabilientes se ad bellum, atq; dicẽtes; *Quia Reginæ sumus, nec prius in monasterium nostrum ingredimur, nisi Abbatissa eiiciatur foras.* Erat ibi tunc reclausa quædã, quæ ante paucos annos per murũ se deiiciens, ad Basilicam sancti Hilarii confugit, multa in Abbatissam crimina euomens, quæ tamen falsa cognouimus. Sed postquam in Monasterium per eum locum vnde se pręcipitauerat, funibus est adtracta, petiit vt se in cellulam secretam reclauderet, dicens; *Quia multum peccaui in Dominum, & dominam meam Radegundem, quæ illis diebus superstes erat. Volo me,* ait, *ab hac frequentia congregationis totius amouere, & pœnitentiam pro neglectis meis agere. scio enim quia misericors est Dominus, & remittit confitentibus se peccata.* & ingressa est in cellulam. Cũ autem hoc scandalum commotum fuisset, & Chrodieldis a Gunthcramno rege regressa esset, hæc disrupto nocturnis horis cellulæ ostio egressa est à monasterio, & ad Chrodieldem abiit, multa sicut prius fecerat, crimina de Abbatissa prorumpens.

Monasterium Pictauense B. Radegundis.

De cæde in Basilica sancti Hilarii

CAP. XLI.

DVm autem hæc agerentur, Gundegisilus Burdegalensis, adiunctis secum Nicasio Engolismensi, & Saffario Petragorico, ac ipso Marouco Pictauensi Episcopis, eo quod huius vrbis metropolis esset, ad Basilicam sancti Hilarii aduenit, arguens has puellas, & in monasterium reducere cupiens. Sed cum illæ obstinatius reluctarentur, & hic cum reliquis iuxta epistolam superius nominatam eis excommunicationem indiceret, exurgens turba murionum præfatorum † tanta eos in ipsa sancti Hilarii Basilica cæde mactauit, vt corruentibus in pauimento Episcopis vix consurgere possent. Sed & Diaconi & reliqui clerici sanguine perfusi, cum effractis capitibus Basilicam sunt egressi. Tam immensus enim eos, & (vt credo) Diabolo cooperante, pauor obsederat, vt egredientes à loco sancto, nec sibi Vale dicentes, vnusquisque per viam quam arripere potuit, repedaret. Adfuit huic calamitati, & Desiderius diaconus Syagrii Augustodunensis Episcopi, qui non inquisito Cleni fluminis vado, quo primum litus adtigit, est ingressus: ac natante equo, ripæ vlterioris campo euectus est. Ex hoc Chrodieldis ordinatores eligit, villas monasterii peruadit, & quoscunque de monasterio arripere potuisset, plagis ac cædibus adfectos suo seruitio subiugabat, minans, vt si monasterium posset ingredi, Abbatissam de muro proiectam, terræ deiiceret. Quod cum Childeberto regi nunciatum fuisset, statim directa auctoritate præcepit Macconi comiti, vt hæc reprimere omni intentione deberet. Godegisilus autem cum has à communione suspensas cum cæteris (vt diximus) reliquisset Episcopis, epistolam ex suo fratrumque præsentium nomine conscripsit ad Sacerdotes illos, qui tunc cum rege Gunthcramno fuerant adgregati: à quibus hæc rescripta suscepit.

† i. sceleratorum nebulonum, de quibus paulo ante.

Cleni fl.

EXEMPLAR RESCRIPTI.

Dominis semper suis atque Apostolica sede dignissimis, Gundegisilo, Niscasio & Saffario; Ætherius, Syagrius, Annacharius, Hesychius, Agræcola, Vrbicus, Felix, Veranus, item Felix, & Berthcramnus Episcopi. Literas vestræ Beatitudinis tantum referante nuncio de vestra sospitate gauisi, excepimus: tantum de iniuria quam vos pertulisse signastis, non modico mœrore adstringimur, dum & regula transcenditur, & nulla reuerentia religioni seruatur. Sed quia indicastis monachas, quæ de monasterio bonæ memoriæ Radegundis, instigante Diabolo fuerunt digressæ, quod nullam à vobis acquieuerint correctionem audire, nec intra monasterii sui septa de quo egressæ fuerant, voluissent reuerti: insuper Basilicæ domni Hilarii per cædes vestras vestrorumque iniuriam intulisse: quapropter ipsas à communionis gratia visi fueritis suspendere, ac per hoc nostram exinde mediocritatem elegistis consulere. Igitur quia optime vos nouimus statuta canonum percurrisse, ac regulæ plenitudinem continere, vt qui in talibus excessibus videntur deprehendi, non solum excommunicatione, verumetiam pœnitentiæ satisfactione debeant coerceri: ea de re addentes cum venerationis cultu summæ auiditatis dilectionis instinctum, indicamus ea quæ definistis nos concordanter vestræ sententiæ consentire, quoadusque in synodali concilio Calendis Nouembrib. pariter positi debeamus consilio pari tractare, qualiter talium temeritas frænum districtionis possit accipere, vt deinceps nulli liceat sub hunc lapsum faciente iactantia similia perpetrare. Attamen quia nos sua dictione dominus Paulus Apostolus indesinenter videtur monere, vt opportune inopportuneque debeamus quoscunque excedentes sedula prædicatione corrigere: & pietatem protestatur ad omnia vtilem esse: ideo suggerimus adhuc vt oratione assidua Domini misericordiam deprecemini, vt ipse spiritus compunctionis ipsas inflammare dignetur, vt id quod per delictum visæ sunt contraxisse, digna satisfactione pœniteant: vt in monasterio suo vestra prædicatione animæ, quæ quodammodo perierunt, propitio Christo reuertantur: vt ille qui vnam humeris inlatam errantem ouem ad ouile reduxit, & de istarum transgressione quasi adquisito gregi congaudere dignetur. Hoc specialius postulantes, vt pro nobis intercessionum vestrarum suffragia indesinenter (vt confidimus)

mus) tribnatis. Peculiaris vester Ætherius peccator salutare præsumo. Cliens vester Hesychius reuerenter audeo salutare. Amator vester Syagrius reuerenter saluto. Cultor vester Vrbicus peccator famulanter saluto. Venerator vester Veranus Episcopus, reuerenter saluto. Famulus vester Felix salutare præsumo. Humilis vester atq; amator Felix audeo salutare. Humilis atq; obediens vester Bertheramnus Episcopus salutare præsumo.

Exemplaria epistolæ quam sancta Radegundis Episcopis direxit

CAP. XLII.

SEd & Abbatissa recitauit epistolam quam beata Radegundis Episcopis qui suo tempore erant, dirigi voluit. Cuius nunc iterum ipsa abbatissa exemplaria ad vicinarum vrbium sacerdotes direxit: cuius hæc sunt exemplaria.

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

Domnis sanctis & Apostolica sede dignissimis in Christo patribus omnibus Episcopis, Radegundis peccatrix. Congruæ prouisionis tunc roborabiliter ad effectum tendit exordium, cum generalibus patribus, medicis ac pastoribus, ouilis sibi commissi caussa auribus traditur, cuius sensibus commendatur. Quorum participatio de charitate, consilium de potestate, suffragium de oratione ministrare poterit interuentum. Et quoniam olim vinclis laicalibus absoluta, diuina prouidente & inspirante clementia, ad religionis normam visa sum voluntarie duce Christo translata, hæc pronæ mentis studio cogitans etiam de aliarum profectibus, vt adnunciante Domino mea desideria efficerentur, reliquis profutura, instituente atque remunerante præcellentissimo domno rege Chlothario, monasterium puellarum Pictaua vrbe constitui: conditumq; quantum mihi munificentia regalis est largita, facta donatione dotaui: insuper congregationi per me Christo præstante collectæ, regulam sub qua sancta Cæsaria degit: quam solicitudo beati Cæsarii antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum patrum conuenienter collegit, adsciui. Cui consentientibus beatissimis & huius ciuitatis, & reliquis pontificibus, electione etiam nostræ congregationis domnam & sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui & eduxi, Abbatissam institui, ac me post Deum eius ordinationi regulariter obedituram commisi. Cuique formam Apostolicam obseruantes, tam ego quam sorores de substantia terrena quæ possidere videbamur, factis chartis tradidimus, metu Ananiæ & Sapphiræ, in monasterio positæ, nihil proprium reseruantes. Sed quoniam incerta sunt humanæ conditionis momenta vel tempora, quippe mundo in finē currente, cum aliqui magis propriæ quā diuinæ cupiant voluntati seruire: Zelo ducta Dei hanc suggestionis meæ paginā apostolatus vestri in Christi nomine superstes porrigo vel deuota. Et quia præsens non valui, quasi vestris prouoluta vestigiis, epistolæ vicarietate prosternor, coniurans per Patrem & Filium & Spiritum sanctū, ac diem tremendi iudicii, sic repræsentatos vos nō tyrannus oppugnet, sed legitimus rex coronet, vt si casu post meum obitum quæcunq; persona, vel loci eiusdem pontifex, seu potestas principis, vel alius aliquis (quod nec fieri credimus) congregationem, vel suasu maliuolo, vel impulsu iudiciario perturbare tentauerit, aut regulam frangere, seu abbatissam alteram quā sororem meam Agnetem, quā beatissimi Germani præsentibus suis fratribus benedictio consecrauit: aut ipsa congregatio (quod fieri nō potest) habita murmuratione mutare contēderit, vel quasdā dominationes in monasterio, vel rebus monasterii quæcunq; persona vel pontifex loci præter quas antecessores episcopi, aut alii me superstite habuerunt, nouo priuilegio quicunque adfectare voluerit, aut extra regulam exinde egredi quis tentauerit, seu de rebus quas in me præcellentissimus dominus Chlotharius, vel præcellentissimi domini regis filii sui contulerunt: & ego ex eius præceptionis permissu monasterio tradidi possidendum, & per auctoritates præcellentissimorum domnorum regum Chariberti, Guntheramni, Chilperici, & Syziberti, cum sacramenti interpositione, & suarum manuum subscriptionibus obtinui confirmari: aut ex his quæ alii pro animarum suarum remedio, vel sorores ibidem de rebus propriis contulerunt, aliquis princeps, aut pontifex, aut potens, aut de sororibus cuiuslibet personæ aut minuere, aut sibimet ad proprietatem reuocare sacrilego voto contenderit, ita vestram sanctitatem successorumq; vestrorū post Deum pro mea supplicatione & Christi voluntate incurrat:

vt sicut prædones & spoliatores pauperum extra gratiam vestram habeantur: nunquam de nostra regula vel de rebus monasterii obsistentibus vobis imminuere valeat aliquid aut mutare. Hoc etiam deprecans, vt cum Deus prædictam domnam sororem nostram Agnetem de seculo migrare voluerit, illa in loco eius Abbatissa de nostra congregatione debeat ordinare, quæ Deo & ipsi placuerit, custodiens regulam, & nihil de proposito sanctitatis imminuet: nam nunquam propria aut cuiuscunque voluntas præcipitet. Quod si (quod absit) contra Dei mandatum & auctoritatem regum aliquis de suprascriptis conditionibus coram Domino & sanctis eius precabiliter commendatis agere, aut de persona aut substantia minuenda voluerit, aut memoratæ sorori meæ Agneti Abbatissæ molestias aliquas inferre tentauerit, Dei & sanctæ Crucis & beatæ Mariæ incurrat iudicium, & beatos confessores Hilarium & Martinum, quibus post Deum sorores meas tradidi defendendas, ipsos habeat contradictores & persecutores. Te quoque beate Pontifex, successoresque vestros, quos patronos in causa Dei diligenter adscisco, si (quod absit) extiterit qui contra hæc aliquid moliri tentauerit, pro repellendo & confutando Dei hoste, non pigeat ad Regem quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictauam ciuitatem pro re vobis ante Dominum commendata percurrere, & contra aliorum iniustitiam executores & defensores iustitiæ laborare, vt tale nephas nullo modo suis admitti temporibus Rex patiatur catholicus, nec conuelli permittat quod Dei & mea & Regum ipsorum voluntate firmatum est. Simul etiam principes quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, coniuro per Regem cuius regni non erit finis, & ad cuius nutum regna consistunt, qui eis donauit ipsum viuere vel regnare, vt monasterium quod ex permissu & solatio domnorum Regum, patris vel aui eorum construxisse visa sum, & ordinasse regulariter, vel dotasse, sub sua tuitione & sermone vna cum Agnete Abbatissa iubeant gubernare: & à nullo neque sæpe dictam Abbatissam nostram, neque aliquid ad nostrum monasterium pertinens molestari, aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari permittant, sed magis pro Dei intuitu vna cum domnis Episcopis, ipsi me supplicante coram redemptore gentium sicut eis commendo, defensari iubeant & muniri: vt in cuius honore Dei famulas protegunt, cum defensore pauperum, & sponso virginum perpetualiter æterno socientur in regno. Illud quoque vos sanctos Pontifices, & præcellentissimos domnos Reges, & vniuersum populum Christianum, coniuro per fidem Catholicam in qua baptizati estis, & ecclesias quas conseruatis, vt in Basilica quam in sanctæ Mariæ dominicæ genitricis honorem cœpimus ædificare, vbi etiam multæ sorores nostræ conditæ sunt in requie, siue perfecta, siue imperfecta, cum me Deus de hac luce migrare præceperit, corpusculum meum ibi debeat sepeliri. Quod si quis aliud inde voluerit, aut fieri tentauerit, obtinente cruce Christi, & beata Maria, diuinam vltionem incurrat: & vobis intercurrentibus, in loco ipsius Basilicæ merear cum sororum congregatione obtinere loculum sepulturæ. Et vt hæc supplicatio mea, quam manu propria subscripsi, vt in vniuersalis Ecclesiæ archiuo seruetur, effusis cum lachrimis deprecor, quatenus si contra improbos aliquos necessitas exegerit, vt vestra defensione soror mea Agnes Abbatissa, vel congregatio eius, quo succurri sibi poposcerint, vestræ misericordiæ pia consolatio opem pastorali solicitudine subministret, Nec de me destitutas se proclament, quibus Deus præsidium vestræ gratiæ præparauit. Illud vobis in omnibus ante oculos reuocantes, per ipsum qui de cruce gloriosa virginem suam genitricem beato Ioanni Apostolo commendauit, vt qualiter ab illo completum est Domini mandatum, sic sit apud vos indigna & humilis domnis meis Ecclesiæ patribus & viris Apostolicis quod commendo: quod cum dignanter seruaueritis depositum, meritis participes cuius impletis mandatum Apostolicum, digne reparetis exemplum.

Quod Theutharius presbyter ad hoc scandalum mitigandum aduenit

CAP. XLIII.

POst hæc Maroueus Episcopus, cum diuersa improperia ab his audiret, Porcarium Abbatem Basilicæ beati Hilarii, ad Gundegisilum Episcopum, & reliquos comprouinciales eius destinat, vt data communione puellis, ad audientiam veniendi licentiam indulgere dignarentur. sed nequaquam potuit obtinere. Childebertus autem rex, cum assiduas de vtraque parte, monasterii scilicet, vel puellarum quæ egressæ fuerant,

erant, moleſtias pateretur, Theutharium presbyterum ad dirimendas querimonias quæ inter eaſdem agebantur, deſtinat. Cui prouocatæ Chrodieldis cum reliquis puellis ad audientiam dixerunt: *Non venimus, quia à communione ſuſpenſæ ſumus: ſi reconciliari meremur, tunc ad audientiam venire non differimus.* Hæc audiens ille, ad Epiſcopos abiit: cumque cum his de hac cauſa locutus fuiſſet, nullum effectum obtinere potuit de communione earum: & ſic ad vrbem Pictauam regreſſus eſt. Puellæ vero ſeparatæ ab inuicem, aliæ ad parentes, aliæ ad domos proprias, nonnullæ in hæc monaſteria, in quibus prius fuerant, ſunt regreſſæ: quia hiemem validam ſimul poſitæ propter penuriam ligni tolerare non poterant. Paucæ tamen cum Chrodielde & Baſina remanſerunt. Erat enim tunc & inter eas magna diſcordia, pro eo quod altera alteri ſe præponere cupiebat.

De intemperie anni

CAP. XLIV.

EO anno poſt clauſum Paſcha, tam immenſa cum grandine pluuia fuit, vt intra duarum aut trium horarum ſpatia etiam per minores vallium meatus ingentia currere flumina viderentur: arbores in autumno floruerunt, & poma ſicut prius dederant, ediderunt. Menſe nono roſæ adparuerunt. Flumina vero vltra modum excreuerunt: ita vt excedentia litora loca quæ nunquam contingere conſueta fuerant, operirent, non minimum ſationibus inferentia damnum.

ut sicut prædones & spoliatores pauperum extra gratiam vestram habeantur: nunquam de nostra regula vel de rebus monasterii obsistentibus vobis imminuere valeat aliquid aut mutare. Hoc etiam deprecans, vt cum Deus prædictam domnam sororem nostram Agnetem de seculo migrare voluerit, illa in loco eius Abbatissa de nostra congregatione debeat ordinare, quæ Deo & ipsi placuerit, custodiens regulam, & nihil de proposito sanctitatis imminuet: nam nunquam propria aut cuiuscunque voluntas præcipitet. Quod si (quod absit) contra Dei mandatum & auctoritatem regum aliquis de suprascriptis conditionibus coram Domino & sanctis eius precabiliter commendatis agere, aut de persona aut substantia minuenda voluerit, aut memoratæ sorori meæ Agneti Abbatissæ molestias aliquas inferre tentauerit, Dei & sanctæ Crucis & beatæ Mariæ incurrat iudicium, & beatos confessores Hilarium & Martinum, quibus post Deum sorores meas tradidi defendendas, ipsos habeat contradictores & persecutores. Te quoque beate Pontifex, successoresque vestros, quos patronos in causa Dei diligenter adscisco, si (quod absit) extiterit qui contra hæc aliquid moliri tentauerit, pro repellendo & confutando Dei hoste, non pigeat ad Regem quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictauam ciuitatem pro re vobis ante Dominum commendata percurrere, & contra aliorum iniustitiam executores & defensores iustitiæ laborare, vt tale nephas nullo modo suis admitti temporibus Rex patiatur catholicus, nec conuelli permittat quod Dei & mea & Regum ipsorum voluntate firmatum est. Simul etiam principes quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, coniuro per Regem cuius regni non erit finis, & ad cuius nutum regna consistunt, qui eis donauit ipsum viuere vel regnare, vt monasterium quod ex permissu & solatio domnorum Regum, patris vel auctorum construxisse visa sum, & ordinasse regulariter, vel dotasse, sub sua tuitione & sermone vna cum Agnete Abbatissa iubeant gubernare: & à nullo neque sæpe dictam Abbatissam nostram, neque aliquid ad nostrum monasterium pertinens molestari, aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari permittant, sed magis pro Dei intuitu vna cum domnis Episcopis, ipsi me supplicante coram redemptore gentium sicut eis commendo, defensari iubeant & muniri: vt in cuius honore Dei famulas protegunt, cum defensore pauperum, & sponso virginum perpetualiter æterno socientur in regno. Illud quoque vos sanctos Pontifices, & præcellentissimos domnos Reges, & vniuersum populum Christianum, coniuro per fidem Catholicam in qua baptizati estis, & ecclesias quas conseruatis, vt in Basilica quam in sanctæ Mariæ dominicæ genitricis honorem cœpimus ædificare, vbi etiam multæ sorores nostræ conditæ sunt in requie, siue perfecta, siue imperfecta, cum me Deus de hac luce migrare præceperit, corpusculum meum ibi debeat sepeliri. Quod si quis aliud inde voluerit, aut fieri tentauerit, obtinente cruce Christi, & beata Maria, diuinam vltionem incurrat: & vobis intercurrentibus, in loco ipsius Basilicæ merear cum sororum congregatione obtinere loculum sepulturæ. Et vt hæc supplicatio mea, quam manu propria subscripsi, vt in vniuersalis Ecclesiæ archiuo seruetur, effusis cum lachrimis deprecor, quatenus si contra improbos aliquos necessitas exegerit, vt vestra defensione soror mea Agnes Abbatissa, vel congregatio eius, quo succurri sibi poposcerint, vestræ misericordiæ pia consolatio opem pastorali solicitudine subministret. Nec de me destitutas se proclament, quibus Deus præsidium vestræ gratiæ præparauit. Illud vobis in omnibus ante oculos reuocantes, per ipsum qui de cruce gloriosa virginem suam genitricem beato Ioanni Apostolo commendauit, vt qualiter ab illo completum est Domini mandatum, sic sit apud vos indigna & humilis domnis meis Ecclesiæ patribus & viris Apostolicis quod commendo: quod cum dignanter seruaueritis depositum, meritis participes cuius impletis mandatum Apostolicum, digne reparetis exemplum.

Quod Theutharius presbyter ad hoc scandalum mitigandum aduenit

CAP. XLIII.

POst hæc Maroueus Episcopus, cum diuersa improperia ab his audiret, Porcarium Abbatem Basilicæ beati Hilarii, ad Gundegisilum Episcopum, & reliquos comprouinciales eius destinat, vt data communione puellis, ad audientiam veniendi licentiam indulgere dignarentur. sed nequaquam potuit obtinere. Childebertus autem rex, cum assiduas de vtraque parte, monasterii scilicet, vel puellarum quæ egressæ fuerant,

erant,

erant, molestias pateretur, Theutharium presbyterum ad dirimendas querimonias quæ inter easdem agebantur, destinat. Cui prouocatæ Chrodieldis cum reliquis puellis ad audientiam dixerunt: *Non venimus, quia à communione suspensæ sumus: si reconciliari meremur, tunc ad audientiam venire non differimus.* Hæc audiens ille, ad Episcopos abiit: cumque cum his de hac causa locutus fuisset, nullum effectum obtinere potuit de communione earum: & sic ad vrbem Pictauam regressus est. Puellæ vero separatæ ab inuicem, aliæ ad parentes, aliæ ad domos proprias, nonnullæ in hæc monasteria, in quibus prius fuerant, sunt regressæ: quia hiemem validam simul positæ propter penuriam ligni tolerare non poterant. Paucæ tamen cum Chrodielde & Basina remanserunt. Erat enim tunc & inter eas magna discordia, pro eo quod altera alteri se præponere cupiebat.

De intemperie anni

CAP. XLIV.


EO anno post clausum Pascha, tam immensa cum grandine pluuia fuit, vt intra duarum aut trium horarum spatia etiam per minores vallium meatus ingentia currere flumina viderentur: arbores in autumno floruerunt, & poma sicut prius dederant, ediderunt. Mense nono rosæ adparuerunt. Flumina vero vltra modum excreuerunt: ita vt excedentia litora loca quæ nunquam contingere consueta fuerant, operirent, non minimum sationibus inferentia damnum.

GREGORII TVRONICI HISTORIARVM LIBER DECIMVS.

De Gregorio Papa Romano

CAP. I.

An. Dom. DXC. Gregor. M. Dial. 3. c. 19.



ANNO igitur quintodecimo Childeberti regis, Diaconus noster ab vrbe Roma cum Sanctorum pigneribus veniens, sic retulit, quod anno superiore mense nono tanta inundatione Tyberis fluuius vrbem Romam obtexit, vt ædes antiquæ diruerentur: horrea etiam Ecclesiæ subuersa sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo etiam serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ, per huius fluuii alueum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus, litori eiectæ sunt. Subsecuta est de vestigio clades quam inguinariam vocant. nam medio mense XI. adueniens primum omnium iuxta illud quod in Ezechiele Propheta legitur, *A sanctuario meo incipite*, Pelagium papam perculit: quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est. Sed quia ecclesia Dei absque rectore esse non poterat, Gregorium diaconum plebs omnis elegit. hic enim de senatoribus primis, ab adolescentia deuotus Deo, in rebus propriis sex in Sicilia monasteria congregauit: septimum intra vrbis Romæ muros instituit: quibus tantã delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogauit: & qui ante serico contextu ac gemmis micantibus solitus erat per vrbem procedere trabeatus, nunc vili contectus vestitu, ad altaris Dominici ministerium consecratur: Septimusque Leuita ad adiutorium Papæ adsciscitur. Tantaque ei abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in ieiuniis erat, vt infirmato stomacho vix consistere posset. Literis Grammaticis, Dialecticisque ac Rhetoricis ita erat institutus, vt nulli in Vrbe ipsa putaretur esse secundus. Hunc apicem adtentiu fugere tentans, ne quod prius abiecerat, rursum ei in seculo de adepto honore iactantia quædam subreperet: vnde factum est vt epistolam ad imperatorem Mauricium dirigeret, cuius filium ex lauacro sancto susceperat, coniurans, & multa prece poscens, ne vnquam consensum præberet populis, vt hunc huius honoris gloria sublimaret. Sed præfectus vbis Romæ germanus eius, anticipauit nuncium, & comprehenso disruptis epistolis consensu quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia Diaconi, quod reperisset locum honoris eius, data præceptione ipsum iussit institui. Cumque in hoc restaret vt benediceretur, & lues populum deuastaret, verbum ad plebem pro agenda pœnitentia in hunc modum exorsus est:

Gregorius PP.

ORATIO GREGORII AD PLEBEM.

Oportet fratres dilectissimi, vt flagella DEI *quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa quam patimur, pœna dissoluat: vt enim Propheta teste prædictum est, Peruenit gladius vsque ad animam. Ecce etenim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur: nec languor mortem præuenit, sed languoris moras*

moras, (vt cernitis) mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti iudicis perueniat, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quique non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt: domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando commisimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta ammonet, leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare est, orationis nostræ studium merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet: veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abstersit: & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus. citius ad precem iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur: Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudicio veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vult à se precibus veniam exigi, qui quantum meremur non vult irasci. hic etenim per Psalmistam dicit; Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui ammonet vt inuocetur. Proinde fratres charissimi, contrito corde & correctis operibus, ab ipso feriæ quartæ primo diluculo, septiformem Letaniam iuxta distributionem inferius designatam, deuota ad lachrimas mente veniamus, vt districtus iudex cum ob culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat. Clerus igitur egrediatur ab ecclesia sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani, cum presbyteris regionis sextæ. Omnes vero Abbates cum monachis suis, ab ecclesia sanctorum martyrum Geruasii & Protasii, cum presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatissæ cum congregationibus suis, egrediantur ecclesia sanctorum martyrum Marcellini & Petri, cum presbyteris regionis primæ. Omnes infantes, ab ecclesia sanctorum martyrum Ioannis & Pauli, cum presbyteris regionis secundæ. Omnes vero laici, ab ecclesia sancti protomartyris Stephani, cum presbyteris regionis septimæ. Omnes mulieres viduæ, ab ecclesia sanctæ Eufemiæ, cum presbyteris regionis quintæ. Omnes autem mulieres coniugatæ egrediantur ab ecclesia sancti martyris Clementis, cum presbyteris regionis tertiæ. Vt de singulis Ecclesiis exeuntes cum precibus ac lachrimis, ad beatæ Mariæ semper virginis genitricis domini Dei nostri Iesu Christi Basilicam congregemur, vt ibi diutius cum fletu ac gemitu Domino supplicantes peccatorum nostrorum veniam promereri valeamus. Hæc eo dicente, congregatis clericorum cateruis, psallere iussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam: de hora quoque tertia veniebant vtrique chori psallentium ad ecclesiam clamantes per plateas vrbis, *Kyrie eleison.* Adserebat autem Diaconus noster qui aderat, in vnius horæ spacio dum voces plebs ad Dominum supplicationis emisit, octoginta homines ad terram corruisse, & spiritum exhalasse. Sed non destitit sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione cessarent. Ab hoc etiam Diaconus noster reliquias Sanctorum (vt diximus) sumpsit, dum adhuc in diaconatu degeret. Cumque latibula fugæ prępararet, capitur, trahitur, & ad beati Apostoli Petri Basilicam deducitur, ibique ad pontificalis gratiæ officium consecratus Papa vrbi datus est. Sed nec destitit Diaconus noster, nisi ad episcopatum eius de porta rediret, & qualiter ordinatus fuerit, præsenti contemplatione suspiceret.

De reditu Gripponis legati ab imperatore Mauritio

CAP. II.

GRippo autem ab imperatore Mauritio rediens, hæc nunciauit, quod anno superiore cum adepto nauigio cum sociis suis Africæ portum adtigisset, Carthaginem magnam ingressi sunt. Vbi dum morarentur, iussionem opperientes præfecti qui aderant, qualiter Imperatoris præsentiam adire deberent, vnus puerorum Euantii scilicet, qui cum eodem abierat, direptam speciem de manu cuiusdam negociatoris

ad metatum detulit. Quem ille prosecutus cuius res erant, reddi sibi rem propriam flagitabat: sed isto differente cum de die in diem hoc iurgium in maius propagaretur, quadam die negociator puerum illum in platea reperit, adprehensoque vestimento eius, tenere cœpit dicens: *Quia non à me laxaberis, priusquam res quas violenter diripuisti, meæ ditioni restituas.* At ille excutere se de eius manibus conatus, non dubitauit erepto gladio hominem trucidare, & statim ad metatum regressus est, nec aperuit sociis quæ gesta fuerant: erant enim ibi tunc (vt diximus) legati Bodegisilus filius Mummoleni Suessionici, & Euantius filius Diantemii Arelatēsis, & hic Grippo genere Francus, qui eleuantes de epulo, sopori se dederant pro quiete. Quare cum seniori vrbis nunciata fuissent quæ puer horum gesserat, collectis militibus, vel omni populo armis circundato, ad metatum eorum dirigit. At illi inopinantes expergefacti, obstupescunt, cernentes hæc quæ gerebantur. Tunc ille qui prior erat, exclamabat dicens; *Arma deponite, & ad nos egredimini, vt cognoscamus pacifice, qualiter homicidium factum est.* Hæc illi audientes, timore perterriti, adhuc ignorantes quæ gesta fuerant, fidem expetunt, vt securi sine armis egrederentur. iurauerunt homines illi, quod custodire impatientia non permisit. Sed mox egredientem Bodegisilum gladio percutiunt, similiter & Euantium. Quibus ante hostium metatus prostratis, Grippo arreptis armis cum pueris qui secum erant processit ad eos dicens, *Quæ gesta fuerunt, nos ignoramus: & ecce socii itineris mei, qui ad Imperatorem directi fuerant, gladio sunt prostrati: iudicabit Deus iniuriam nostram, & mortem illorum de interitu vestro, quia nos innocentes & in pace venientes taliter trucidatis, nec vltra erit pax inter Reges nostros, Imperatoremque vestrum. Nos enim pro pace venimus, & pro adiutorio Reipublicæ † impertiendo. Testem hodie inuoco Deum, quia vestra excitauit noxa, vt non custodiatur inter principes pax promissa.* Hæc & huiuscemodi Grippone verba proferente, soluto Carthaginensis belli procinctu, regressus est vnusquisque ad propria. Præfectus vero ad Gripponem accedens, mulcere cœpit animos eius de iis quæ gesta fuerant, ordinans qualiter ad præsentiam Imperatoris accederet. Qui veniens narrata legatione pro qua directus fuerat, exitium sociorum exposuit. Qua de causa Imperator valde molestus, pollicitus est vlcisci mortem eorum iuxta id quod Childeberti regis iudicium promulgaret. Tunc ab Imperatore muneratus, cum pace regressus est.

† i. Imperio Rom.

P. Diac. lib. 3. cap. 32.

Quod exercitus Childeberti regis in Italiam abiit
CAP. III.

HIs à Grippone Childeberto regi relatis, confestim exercitum in Italiam commoueri iubet ac XX. duces ad Longobardorum gentem debellandam dirigit. Quorum nomina non putaui lectioni ex ordine necessario inserenda. Audoualdus vero dux cum Vinthrione commoto Campaniæ populo, cum ad Metensem vrbem quæ ei in itinere sita erat, accessisset, tantas prædas, tantaque homicidia ac cædes perpetrauit, vt hostem propriæ regioni putaretur inferre. Sed & alii quoque Duces similiter cum phalangis suis fecere, ita vt prius regionem propriam aut populum commanentem adficerent, quam quiddam victoriæ de inimica gente patrarent. Adpropinquantes autem ad terminum Italiæ, Audoualdus cum sex Ducibus dexterā petiit, atq; ad Mediolanensem vrbem aduenit: ibiq; eminus in campestria castra posuerunt. Olo autem dux ad Bilitionem huius vrbis castrum, in campis situm Caninis, importune accedens, iaculo sub papilla sauciatus, cecidit & mortuus est. Hi autem cum egressi fuissent in prædam, vt aliquid victus adquirerent, a Longobardis inruentibus, passim per loca prosternebantur. Erat autem stagnum quoddam in ipso Mediolanensis vrbis territorio, quod Coresium vocitant, ex quo paruus quidam fluuius, sed profundus egreditur: super huius laci litus Longobardos residere audierant. Ad quem cum adpropinquassent, priusquam flumen, quod diximus, transirent, a litore illo vnus Longobardorum stans lorica protectus & galea, contum manu gestans, vocem dedit contra Francorum exercitum, dicens: *Hodie adparebit, cui Diuinitas obtinere victoriam prætet.* Vnde intelligi datur, hoc signum sibi Longobardos præparauisse. Tunc pauci transeuntes contra Longobardum hunc decertantes prostrauerunt

Bilitio.

Coresium.

eum:

eum: & ecce omnis exercitus Longobardorum in fugam versus præteriit. Hi quoq; transeuntes flumen, nullū de iis reperiunt, nisi tantum recognoscentes adparatum castrorum, vbi vel focos habuerant, vel tentoria fixerant. Cumq; nullum de iis deprehendissent, ad castra sua regressi sunt: ibiq; ad eos Imperatoris legati venerunt, nunciantes adesse exercitum in solatium eorum, dicentesque, *Quia post triduum cum eisdem veniemus: & hoc vobis erit signum, cum videritis villæ huius quæ in monte sita est, domus incendio concremari, & fumum incendii ad cælos vsque sustolli, noueritis nos cum exercitu quem pollicemur adesse.* Sed expectantes, iuxta placitum, dies sex, nullum ex iis venisse contemplati sunt. Chedinus autem cum tredecim Ducibus læuam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, à quibus etiam sacramenta exegit. Morbus etiam dysenteriæ grauiter exercitum adficiebat, eo quod aeres incongrui insuetique hominibus essent, ex quo plerique interierunt. Commoto autem vento & data pluuia, cum paulisper refrigescere aer cœpit, in infirmitate salubritatem contulit. Quid plura? per tres fere menses Italiam peruagantes, cum nihil proficerent, neque se de inimicis vlcisci possent, eo quod se in locis communissent firmissimis: neque Regem capere, de quo vltio fieret, qui se infra Ticinenses munierat muros; infirmatus (vt diximus) aerum intemperantia exercitus ac fame adtritus, redire ad propria destinauit. Subdens etiam illud, acceptis sacramentis, Regis ditionibus quod pater eius prius habuerat, de quibus locis & captiuos, & alias abducere prædas: & sic regredientes ita fame conficiebantur, vt prius & arma & vestimenta ad coemendum victum demerent, quam locum genitalem contingerent. At Aptacharius Longobardorum rex, legationem ad Guntheramnum regem cum huiuscemodi verbis direxit; *Nos pijssime Rex, subiecti atque fideles vobis gentique vestræ, sicut patribus vestris fuimus, & esse desideramus: nec discedimus à sacramento quod prædecessores nostri vestris prædecessoribus iurauerunt. Nunc autem desistite à persecutione nostra, & sit pax nobis & concordia; vt vbi necessarium fuerit contra inimicos auxilium præbeamus, vt vestra scilicet nostraque gente saluata, ac nos pacificos cognoscentes, terreantur magis aduersarii † qui in circuitu obstrepunt, de amicitia, quam de nostra discordia gratulentur.* Pacifice hæc Guntheramnus Rex verba suscepit, misitque eos ad nepotem suum Childebertum regem. Dum autem his narratis in loco commorarentur, venerunt alii qui mortuum Aptacharium regem nunciantes, Paulumque in loco eius substitutum, eiusmodi verba quæ supra diximus, deferentes. Sed Childebertus rex placitum cum eisdem ponens, vt quid ei imposterum conueniret, enunciaret, eos abscedere iussit.

† f. Romani.

Quod Mauritius legatorum interfectores in Gallias direxit

CAP. IV.

MAuritius autem Carthaginenses illos, qui legatos Childeberti regis anno superiore interemerant, vinctos manibus catenisque oneratos, ad eius direxit præsentiam, duodecim scilicet numero viros, sub ea videlicet conditione, vt si eos interficere velit, haberet licentiam: sin autem ad redimendum laxaret, trecentis pro vnoquoque acceptis aureis quiesceret: sicque vt quod vellet eligeret: quo facilius sopito scandalo, nulla occasio inter ipsos inimicitiæ oriretur. Sed rex Childebertus differens homines vinctos accipere, ait; *Incertum apud nos habetur, Vtrum ii sint homicidæ illi quos adducitis, an alii, vel fortassis cuiuscunque serui habentur, cum nostri bene ingenui generatione fuerint, qui apud vos fuerunt interempti.* Præsertim & Grippo adstabat, qui eo tempore legatus cum eisdem fuerat missus, qui interfecti sunt, ac dicebat, *Quia Præfectus vrbis illius cum collectis duobus aut tribus hominum millibus inruit super nos, intermitq; socios meos: in quo excidio & ego ipse interissem, si me viriliter defendere nequiuissem.* Accedens autem ad locum, homines agnoscere potero: de quibus si Imperator vester (vt dicitis) nostro cum domino pacem custodire deliberat, vltionem exigere debet: & sic dato Rex placito, vt post eos ad Imperatorem dirigeret, ipsos abscedere iubet.

Quod Cuppa limitem Turonicum interrumpit

CAP. V.

HIs autem diebus Chuppa, qui quondam comes ſtabuli Chilperici regis fuerat, inrupto Turonicæ vrbis termino, pecora reliquaſque res quaſi prędam exercens, diripere voluit. Sed cum hoc incolæ præſenſiſſent, collecta multitudine eum ſeq[illegible] cœperunt. Excuſſaque præda, duobus ex pueris eius interfectis hic nudus aufugit, aliis duobus pueris captis: quos vinctos, ad Childebertum regem tranſmiſerunt: quos ille in carcerem coniici iubens, interrogare præcepit, cuius auxilio Chuppa fuiſſet ereptus, vt ab iis non comprehenderetur qui ſequebantur? Reſponderunt, hoc Animodi Vicarii † dolo, qui pagum illum iudiciaria regebat poteſtate, factum fuiſſe. Protinuſque directis Rex literis ad Comitem vrbis, iubet vt eum vinctum in præſentiam Regis dirigeret: quod ſi reſiſtere conaretur, vi obpreſſum etiam interficeret, ſi principis gratiam cupiebat adquirere. Sed ille non reſiſtens, datis fideiuſſoribus, quo iuſſus eſt abiit: repertumque Flauianum domeſticum cauſatus cum ſocio, ne noxialis inuentus, pacificatus cum eodem, redire ad propria iuſſus eſt, datis tamen domeſtico illi muneribus prius. Ipſe quoq; Chuppa iterum commotis quibuſdam de ſuis, filiam Badegiſili quondam Cœnomanenſis epiſcopi diripere ſibi in matrimonium voluit: inruens autem nocte cum cuneo ſociorum in villa Marogalenſi, vt voluntatem ſuam expleret, præſenſit eum, dolumque eius Magatrudis materfamilias, genitrix ſcilicet puellæ: egreſſaque cum famulis contra eum vi repulit, cæſis pleriſque ex illis, vnde non ſine pudore diſceſſum eſt.

†Gall. Viguier.

Epiſcopus coniugatus, ita & ſup. 8. cap. 39.

De carcerariis Auernis

CAP. VI.

APud Aruernos vero vincti carceris nocte nutu Dei diſruptis vinculis, reſeratiſque aditibus cuſtodiæ, egreſſi Eccleſiam ingreſſi ſunt. Quibus cum Eulalius comes onera catenarum addi iuſſiſſet, vt ſuper eos poſita, extemplo ceu vitrum fragile comminuta ſunt: & ſic obtinente Auito pontifice eruti, propriæ ſunt redditi libertati.

Quod in ipſa vrbe Rex Childebertus clericis ne tributum redderent præſtitit

CAP. VII.

IN ſupradicta vero vrbe Childebertus rex omne tributum tam eccleſiis quam monaſteriis, vel reliquis clericis qui ad Eccleſiam pertinere videbantur, aut quicunque eccleſiæ officium excolebant, larga pietate conceſſit. Multũ enim iam exactores huius tributi expoliati erant, eo quod per longum tempus & ſuccedentium generationes, ac diuiſis in multas partes ipſis poſſeſſionibus, colligi vix poterat hoc tributum. quod hic, Deo inſpirante, ita præcepit emendari, vt quod ſuper hæc fiſco deberetur, nec exactorem damna percuterent, nec eccleſiæ cultorem tarditas de officio aliqua reuocaret.

De Eulalio & Tetradia quæ vxor eius fuit

CAP. VIII.

IN confinio vero termini Aruerni, Gabalitani atque Ruteni, ſynodus Epiſcoporum facta eſt contra Tetradiam relictam quondam Deſiderii, eo quod repeteret ab ea Eulalius comes res quas ab eo fugiens ſecũ tuliſſet. Sed hanc cauſam, vel qualiter Eulalium

lium reliquerit, vel quemadmodum ad Desiderium confugerit, altius memorandum putaui. Eulalius autem (vt iuuenilis ætas habet) agebat quæpiam irrationabiliter: vnde factum est, vt a matre sæpius increpitus, haberet in eam odium quam amare debuerat. Denique cum in oratorio domus suæ hæc in oratione frequenter incumberet, & nocturnas vigilias persæpe dormientibus famulis in oratione cum lachrimis expleret, in cilicio quo orabat suggillata † reperitur. Sed nescientibus cunctis, quis hæc fecisset, crimen tamen parricidii refertur ad filium. Hæc cum Cautinus episcopus Aruernæ vrbis comperisset, eum a communione submouit. Conuenientibus autem ciuibus cum sacerdote, ad festiuitatem beati martyris Iuliani, ad pedes Episcopi Eulalius ille prosternitur, querens se inauditum à communione remotum. Tunc Episcopus permisit eum cum cæteris Missarum spectare solennia. Verum vbi ad communicandum ventum est, & Eulalius ad altarium accessisset, ait Episcopus; *Rumor populi parricidam te proclamat esse. Ego vero vtrum perpetraueris hoc scelus, an non, ignoro: idcirco in Dei hoc & beati Martyris Iuliani statuo iudicio. Tu vero si idoneus es, vt adseris, accede propius, & sume tibi Eucharistiæ particulam, atque impone ori tuo. erit enim Deus respector conscientiæ tuæ.* At ille accepta Eucharistia, communicans abscessit. habebat enim vxorem Tetradiam nobilem ex matre, patre inferiorem. Sed cum in domo sua vir ancillarum concubitu misceretur, coniugem negligere cœpit: & cum ab scorto reuerteretur, grauissimis eam plagis sæpius adficiebat. Sed & pro multis sceleribus debita nonnulla contraxerat, in quibus ornamenta & aurum vxoris sæpissime euertebat. Denique inter has angustias mulier conlocata, cum honorem omnem quem in domo viri habuerat, perdidisset, & ille abisset ad Regem, hæc a Viro (sic enim erat nomen hominis) mariti sui nepote concupiscitur, scilicet vt quia ille perdiderat coniugem, huius matrimonio iungeretur. Virus autem timens inimicitias auunculi, mulierem Desiderio duci transmisit, videlicet vt succedente tempore copularetur ei: quæ omnem substantiam viri sui, tam in auro quam in argento, & vestimentis, & quæ moueri poterant, cum seniore filio secum sustulit, relicto in domo alio iuniore. Rediens vero Eulalius ex itinere, comperit quæ acciderant. Sed cum mitigato dolore paululum quieuisset, super Virum nepotem suum inruit, eumque inter arcta vallium Arternarum interemit. Audiens autem Desiderius, qui & ipse vxorem nuper perdiderat, quod scilicet Virus interfectus fuisset, coniugio suo Tetradiam sociauit. Eulalius vero puellam de monasterio Lugdunensi diripuit, eamque accepit. Sed concubinæ eius instigante (vt quidam adserunt) inuidia, maleficiis sensum eius oppilauerunt. Post multum vero temporis, Eulalius Emerium huius puellæ consobrinum clam adpetiit occiditque. Similiter Socratium fratrem socreæ suæ, quem pater ex concubina habuerat, interemit. Et alia multa mala fecit, quæ enarrare perlongum est. Ioannes filius eius, qui cum sua discesserat genitrice, a domo Desiderii dilapsus, Aruernum venit. Cumque iam Innocentius episcopatum Rutenæ vrbis ambisset, mandatum ei mittit Eulalius, vt res quæ ipsi in huius ciuitatis territorio debebantur, per huius auxilium recipere posset. Sed Innocentius ait; *Si de filiis tuis vnum accipio, quem clericum factum in solatio meo retineam, faciam quæ precaris.* At ille transmisit puerum Ioannem nomine, recepitque res suas. Susceptoque Innocentius episcopus puero, totondit comam capitis eius, deditque eum Archidiacono ecclesiæ suæ: qui in tanta se abstinentia subdidit, vt pro tritico hordeum sumeret, pro vino aquam hauriret, & pro equo asino vteretur, vestimenta vilissima habens. Igitur coniunctis (vt diximus) sacerdotibus & viris magnificis in confinio supradictarum vrbium; Tetradia ab Agyno repræsentatur, atque Eulalius contra eam causaturus accessit. Cumque res quas de eius, abiens ad Desiderium, domo abstulerat, inquireret, iudicatum est, Tetradia vt quadrupla satisfactione ablata restitueret, filiosque quos de Desiderio conceperat, incestos haberi: illud etiam ordinantes, vt si hæc quæ Eulalio est iussa dissolueret, accedendi in Aruernum licentia præberetur, rebusque suis quæ ei ex paterna successione obuenerant, absque calumnia frueretur: quod ita factum est.

i. strangulata.

Virus. fuit & hoc nomine Tur. Episcopus VIII. inf. cap. vlt.

De exercitu Guntchramni regis: qui in Britanniam abiit

CAPVT IX.

CVm hæc agerentur, & Britanni circa vrbes, Namneticam vtique & Redonicam, valde sæuirent, Guntharamnus rex exercitum contra eos commoueri iussit: in Gall. en chef quorum capite † Beppolenum & Ebracharium duces delegit. Sed Ebracharius suspectus, quod si victoria cum Beppoleno patraretur, ipse ducatum eius adquireret, inimicitias cum eodem connectit, ac per viam totam se blasphemiis, conuiciis atque maledictionibus lacessunt. Verum per viam qua abierunt, incendia, homicidia, spolia, ac multa scelera egerunt. Interea venerunt ad Vicinoniam amnem: quem transmissi, ad Vldam fluuium peruenerunt: ibiq; dissipatis vicinitatis casis, pontes desuper statuũt, sicque exercitus omnis transiuit. Coniunctus enim fuerat eo tempore Beppoleno presbyter quidam dicens; *Si secutus me fueris, ego te vsque Vuarocum ducam, ac Britannos tibi in vnum collectos ostendam.* Fredegundis enim cum audiisset, quod in hoc procinctu Beppolenus abiret, quia ei iam ex anteriore tempore inuisus erat, Baiocassinos Gall. Sesnes Saxones †, iuxta ritum Britannorum tonsos, atque cultu vestimenti compositos, in solatium Vuaroci abire præcepit. Adueniente autem Beppoleno cum iis qui eum sequi voluerunt, certamen iniit, multosque per biduum de Britannis ac Saxonibus suprascriptis interemit. Recesserat enim ab eo Ebracharius cum maiori manu: nec ad eum accedere voluit, donec interemptum audiret. Die autem tertio cum iam qui cum eo erant interficerentur, atque ipse sauciatus lancea repugnaret, inruentibus super eum Vuaroco cũ supradictis, interfecerunt eum: incluserat enim eos inter angustias viarum atque paludes: f. mersi, in quibus magis luto necti † quam gladio trucidati sunt. Ebracharius vero vsque Venetos vrbem accessit: miserat enim ad eum obuiam episcopus Regalis clericos suos cum crucibus & psallentio, qui eos vsque ad vrbem deduxerunt. Ferebant etiam quidam eo tempore, quod Vuarocus in insulas fugere cupiens cum nauibus oneratis auro argentoque & reliquis rebus eius, cum alta maris cepisset, commoto vento, demersis nauibus, res quas imposuerat, perdidisset: tamen ad Ebracharium veniens, pacem petiit, obsidesque cum multis muneribus tradidit, promittens se nunquam contra vtilitatem Guntheramni Regis esse venturum. Quo recedente, & Regalis episcopus cũ clericis & pagensibus vrbis suæ, similia sacramenta dedit, dicens; *Quia nihil nos dominis nostris Regibus culpabiles sumus, nec vnquam contra vtilitatem eorum superbi extitimus: sed in captiuitate Britannorum positi, graui iugo subditi sumus.* Pace igitur celebrata inter Vuarocum atque Ebracharium, dixit Vuarocus: *Discedite nunc & renunciate, quia omnia quæ iusserit Rex, sponte implere curabo: quod vt plenius credere debeatis, nepotem meum obsidem tribuam.* & ita fecit: cessatumque est ab illo. Veruntamen multitudo magna sicut de regali exercitu, ita & de Britannis cæsa est. Egrediente autem exercitu à Britanniis, ac transeũtibus amnem robustioribus, inferiores & pauperes qui cum his erant, simul transire non potuerunt. Cumque in litus illud Vicinoniæ amnis restitissent, Vuarocus oblitus sacramenti atque obsidum quos dederat, misit Canaonem filium suum cum exercitu, adprehensisque viris quos in litore illo reperit, vinculis alligat, resistentes interficit, nonnullis qui cum caballis torrentem transmeare voluerunt, ab ipsius torrentis impetu in mare deiectis. Dimissi sunt postea multi à coniuge Vuaroci cum cereis & tabulis quasi liberi, & ad propria sunt regressi. Exercitus vero ipsius qui prius transierat, metuens per viam illam qua venerat regredi, ne forte mala quæ fecerat pateretur, ad An- Meduana. degauum vrbem dirigit, Meduanæ torrentis expetens pontem: sed parua quæ prius transiit manus, ad ipsum quem præfati sumus pontem, spoliati, cæsi, & ad omne dedecus sunt redacti. Per Turonicum vero transeuntes, prædas agentes, multos expoliauerunt: inopinantes enim repererant incolas loci. Multi tamen de hoc exercitu ad Guntheramnum regem accesserunt, dicentes, quia Ebracharius dux ac Vuiliacharius comes accepta pecunia ab Vuaroco, exercitum perire fecissent. Qua de causa Ebracharius præsentatus, multum conuiciis actus à Rege, à præsentia eius discedere iussus est, Vuiliachario comite per fugas latitante.

De

De interitu Chundonis cubicularii eius

CAPVT X.

ANno igitur xv. Childeberti regis, qui est Gunthcramni nonus atque vicesimus, dum ipse Gunthcramnus rex per Vosacum † siluam venationem exerceret, vestigia occisi bubali deprehendit. Cumque custodem siluæ arctius distringeret, quis hæc in regali silua gerere præsumpsisset, Chundonem cubicularium Regis prodidit. Quo hæc loquente, iussit eum adprehendi, & Cabillonum compactum in vinculis duci. cumque vterque in præsentia Regis intenderent, & Chundo diceret, nunquam a se hæc præsumpta quæ obiiciebantur, Rex campum † diiudicat. Tunc cubicularius ille dato nepote pro se, qui hoc certamen adiret, in campo vterque steterunt: iactaque puer ille lancea super custodem siluæ, pedem eius transfigit: moxque resupinus ruit. Puer vero extracto cultro qui de cingulo dependebat, dum collum ruentis incidere tentat, cultro sauciati ventre transfoditur: cecideruntque ambo, & mortui sunt. Quod videns Chundo, ad Basilicam S. Marcelli fugam iniit. Adclamante vero Rege, vt comprehenderetur, priusquam limen sanctum adtingeret, comprehensus est, vinctusque ad stipitem, lapidibus est obrutus. Multum se ex hoc deinceps Rex pœnitens, vt sic eum ira præcipitem reddidisset, vt pro paruulæ causæ noxa, fidelem sibique necessarium virum, tam celeriter interemisset.

hod. Wasgau.

i. duellum.

De infirmitate Chlotharii iunioris

CAPVT XI.

CHlotharius vero Chilperici quondam Regis filius grauiter ægrotauit, & intantum desperatus est habitus, vt regi Gunthcramno obitus eius fuisset nũciatus: vnde factu est, vt egrediẽs de Cabillono, quasi Parisios accedere cupiens, vsq; ad terminos Senonicæ vrbis accederet. Sed cum audisset conualuisse puerum, de itinere est regressus. Sed cum eum Fredegundis mater eius desperatum vidisset, multum pecuniæ ad Basilicam S. Martini vouit: & sic puer melius agere visus est. Sed & ad Vuarocum nũcios dirigit, vt qui adhuc in Britanniis de exercitu Gunthcramni regis retinebantur, pro huius vita absoluerentur: quod ita Vuarocus impleuit: vnde manifestatum est, huius mulieris conludio, & Beppolenum interfectum esse, & exercitum fuisse coulisum.

De malitia Berthegundis

CAPVT XII.

INgeltrudis vero religiosa, quæ (vt in superioribus libris exposuimus) in atrio S. Martini, puellarum monasterium collocauit, cum ægrotare cœpisset, neptem suam Abbatissam instituit: vnde reliqua congregatio maxime murmurauit: sed nobis increpãtibus cessauit a iurgio. Hæc vero cum filia discordiã tenens, pro eo quod res suas ei abstulerat, obsecrauit, vt neque in monasterio quod instituit, neq; super sepulchrum eius permitteretur orare. Quæ octogesimo (vt opinor) anno vitæ obiit, sepultaque est vii. Idus mensis primi. Sed veniens filia eius Berthegundis Turonos, cum non fuisset excepta, ad Childebertum regem abiit, postulans vt ei liceret in locum matris suæ monasteriũ regere. Rex vero oblitus iudicii quod matri eius fecerat, huic aliam pręceptionẽ manus suæ roboratam subscriptione largitus est, hæc continentem, *Vt res omnes quas mater vel pater eius habuerant, suo dominio subiugaret, & quicquid monasterio Ingeltrudis reliquerat, auferretur.* Cum quo præcepto veniens, ita cunctam supellectilẽ monasterii abstulit, vt nihil intra præter vacuos relinqueret parietes, colligens secũ diuersorum criminum reos, atq; in seditionibus præparatos: qui si quid erat de villis reliquis, q deuotio dederat, fructum auferrent. Tantaq; ibi mala gessit, quæ vix ex ordine possent nar-

sup. li. 9. c. 33

rari. Hæc vero acceptis his rebus quas diximus, in Pictauum rediit, multa in Abbatissam crimina vomens falsa, quæ parens eius proxima habebatur.

Altercatio de resurrectione

CAPVT XIII.

HIs autem diebus extitit quidam de presbyteris nostris, Saducææ malignitatis infectus veneno, dicens, *non esse futuram resurrectionem.* Cumque nos eam sacris literis prædictam, & apostolicæ traditionis auctoritate monstratam adfirmaremus, respõdit, Manifestum est hoc celebre ferri, sed certi non sumus, vtrum sit, an non, præsertim cum dominus iratus primo homini quem manu sacra plasmauerat, dixerit, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quid ad hæc respondebitis, qui resurrectionem futuram prædicatis? cum in puluerem redactum hominem resurgere vlterius diuinitas non promittat? Cui ego, Quid de hac causa vel ipsius domini & redemptoris nostri, vel patrum prædecessorum verba loquantur, nullum catholicorum nescire reor. Nam in Genesi cum patres obirent, aiebat dominus, *Tu autem congregaberis ad populum tuum, sepultus in senectute bona.* Et ad Cain dicitur, *Quia vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Vnde liquido adparet, viuere animas post regressum corporis, atque resurrectionem futuram intentis vultibus præstolari. Sed & de Iob scriptum est, quia resurrecturus est in resurrectione mortuorum. Et propheta Dauid, licet ex persona Domini, tamen resurrectionem præuidens ait, *Nunquid qui dormit, nõ adiiciat vt resurgat?* hoc est, qui mortis somno obprimitur, non est venturus ad resurrectionem? Et Esaias, quod de sepulchris resurrecturi sunt mortui, docet. Sed & Ezechiel propheta cum ossa arida obtecta cute, neruis solidata, venis infecta, flante spiritu animata, reformatum hominem enarraret, manifestissime resurrectionem futuram edocuit. Sed & illud manifestum fuit resurrectionis indicium, quod Helisei ossa tangens extinctum cadauer, virtutis effectu reuixerit: quod ipsius Domini qui est primogenitus mortuorum, resurrectio manifestauit: qui morti mortem intulit, & de sepulchro vitam mortuis reformauit. Ad hæc presbyter, Quod Dominus in adsumpto homine mortuus fuerit ac resurrexerit, non ambigo: illud tamen, quod reliqui resurgant mortui, non admitto. Et ego, Et quæ fuit necessitas filio Dei de cœlo descendere, carnem adsumere, mortem adire, inferna penetrare, nisi vt hominem quem plasmauerat, non permitteret in morte perpetua derelinqui? Sed & iustorum animæ quæ vsque passionem eius infernali ergastulo tenebantur inclusæ, eo veniente laxatæ sunt. Nam descendens ad inferos, dum tenebras noua luce perfudit, animas eorum secum, ne hoc exitu amplius cruciarentur, eduxit, iuxta illud, *Et in sepulchro eius resurgent mortui.* Et presbyter ait, Nunquid possunt ossa in fauillam redacta, iterum animari & hominem viuentem proferre? Et ego respondi, Nos credimus quia quamlibet in puluerem redigatur homo, & aquis, ac terræ venti violenti impetu dispergatur, non sit difficile Deo hæc ad vitam resuscitari. Presbyter respondit, Hic maxime vos errare puto, vt adserere verbis lenibus tentetis acerrimam seductionem, vt dicatis a bestiis raptum, aquis immersum, piscium faucibus deuoratum, in stercus redactum, & per secretum digestionis eiectum, aut aquis latentibus deiectum, aut terra computrescente abolitum, ad resurrectionem venturum. Ad hæc ego respondi, Obliuioni apud te traditum est (vt opinor) quid Ioannes euangelista super pectus dominicum recumbens, ac diuini mysterii arcana rimans, in Apocalypsi dicat: *Tunc,* inquit, *reddet mare mortuos suos.* Vnde manifestum est, quia quicquid humani corporis piscis absorbuit, ales rapuit, bestia deglutiuit, à Domino coniunctum in resurrectionem reparandum erit: quia non erit ei difficile perdita reparare, qui ex nihilo non nata creauit: sed ita hæc in integritatem solida sicut prius fuerant reparabit, vt corpus quod fuit in mundo, aut pœnam iuxta meritum ferat, aut gloriam. Sic enim ipse Dominus in Euangelio ait, *Quia filius hominis veniet in gloria patris sui cum Angelis suis, vt reddat vnicuique secundum opera sua.* Sed & Martha cum de resurrectione præsenti fratris Lazari dubitaret, ait, *Scio quia resurget in resurrectione in nouissima die.* Cui Dominus ait,

ait; *Ego sum resurrectio, via, veritas, & vita.* Ad hæc presbyter, Quomodo autem in Psalmo dicitur, *Quia non resurgunt impii in iudicio?* Et ego respondi, Non resurgunt vt iudicent, sed resurgunt vt iudicentur. Nec enim sedere cum impiis iudex potest, causas suorum redditurus actuum. Et ille, Dominus, inquit, in Euangelio dixit, *Qui non crediderit, iam iudicatus est*: vtiq; quia peribit resurrectioni. Et ego respōdi, iudicatus est enim vt ad supplicium æternū perueniat, quia non credidit vnigenitum filium Dei: tamen resurrecturus in corpore, vt ipsum suppliciū in quo peccauit, corpore patiatur. Nec n. potest iudicium fieri, nisi prius resurgāt mortui: quia sicut illos qui defuncti sunt sancti, cœlū (vt credimus) retinet, de quorum sepulchris sæpius virtus illa procedit, vt de his cæci illuminentur, claudi gressum recipiant, leprosi mundentur, & alia sanitatum beneficia infirmis petentibus tribuantur: ita credimus & peccatores in illo infernali carcere vsque ad iudicium retineri. Et presbyter ait, In Psalmo autem legimus, *Spiritus pertransiit ab homine, & non erit, & non cognoscet amplius locum suum.* Ego dixi, Hoc est quod ipse Dominus per parabolam ad diuitem qui flammis tartareis cruciabatur, dicebat, *Recepisti tu bona in vita tua, similiter & Lazarus mala.* Non autem cognouit diues ille purpuras suas & byssum, nec delicias conuiuii, quas ei vel aer, vel terra, vel mare protulerat: sicut nec Lazarus vulnera, aut putredines quas iacens ante eius ianuas perferebat. vel cum hic in sinu Abrahæ requiesceret, ille autem cruciaretur in flammis. Presbyter dixit, In alio Psalmo legimus, *Quia exiit spiritus eorum, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Ad hæc ego, Bene ais, Quia cum egressus fuerit ab homine spiritus, & iacuerit corpus mortuum, non cogitat de his quæ in mundo reliquit, ac si verbi causa dicas, Non cogitat ædificare, plantare, agrum excolere: non cogitat congregare aurum, argentum vel reliquas diuitias mundi. Periit enim hæc cogitatio à corpore mortuo, quia non est spiritus in eo. Sed quid tu de resurrectione dubitas, quam Paulus Apostolus, in quo ipse (vt ait) Christus loquebatur, euidenter exprimit dicens; *Consepulti enim sumus Christo per baptismum in mortem: vt sicut ille mortuus est, & resurrexit, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Et iterum, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Et iterum, *Stella autem differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Item illic, *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione,* & reliqua. Item illic, *Omnes nos repræsentari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis sui, prout gessit siue bonum siue malum.* Ad Thessalonicenses autem, euidentissime futuram resurrectionem designat dicens: *Nolo vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.* Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubib. obuiam Domino in aera, & sic semper cum Domino erimus. Itaq; consolamini inuicem in verbis istis. Plurima sunt enim de his testimonia quæ hanc causam cōfirmant. Sed tu, ignoro, quid ambigas de resurrectione, quā sancti expectant pro merito, quam peccatores metuunt pro reatu. Hanc enim resurrectionē, & illa quæ cernimus elementa demonstrant, id est dum arbores in æstate foliis tectæ, hieme veniente nudantur: succedente vero verno tempore quasi resurgentes, in illud quod prius fuerant, foliorum tegmine vestiuntur. Hæc ostendunt & illa quæ iaciuntur semina terris, quæ commendata sulcis, si fuerint mortua, cum multiplici fructu resurgunt, sicut ait Paulus Apostolus, *Stulte tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Quæ omnia ad fidem resurrectionis, mūdo manifestata sunt. si n. resurrectio futura non est, quid proderit iustis bene agere, quid nocebit peccatoribus male? decidant ergo cuncti in voluptatibus suis, & faciat vnusquisque quæ placuerit, si iudicium futurum non erit. Vel illud improbe non formidas, quod ipse Dominus beatis Apostolis ait: *Cum venerit,* inquit, *filius hominis in sede maiestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat agnos ab hædis: & statuet oues quidem ad dexteram, hædos autem ad sinistram. Et his dicet, Venite benedicti, percipite regnū: illis autem, Discedite à me operarii iniquitatis.* Atque vt ipsa scriptura docet, ibunt hi in supplicium æter-

num, iusti autem in vitam æternam. Putasne erit resurrectio mortuorum, aut iudiciũ operum, quando ista faciet Dominus? Respondeat ergo tibi Paulus Apostolus, sicut aliis incredulis, dicens; *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis & fides vestra.* Ad hæc contristatus Presbyter, a conspectu nostro discedens, pollicitus est credere in resurrectionem, iuxta seriem scripturarum sanctarum quam supra memorauimus.

De interitu Theodulphi diaconi

CAPVT XIV.

ERat autem tunc temporis Theodulfus diaconus vrbis Parisiacæ, qui sibi videbatur in aliquo sciolus, qui sæpius de hac causa altercationes mouebat. Hic autem de Parisiis vrbe abscedens, Andegauos venit, & se Audoueo episcopo subdidit, propter antiquam amicitiam, quam simul Parisiis commorantes habuerant: vnde & à Ragnemodo Parisiacæ vrbis episcopo, sæpius excommunicatus est, quod ad ecclesiam suam in qua diaconus ordinatus fuerat, redire differret. Hic in tanta familiaritate cum præfato Andegauæ vrbis episcopo adhæserat, vt non se posset ab eius importunitate discutere, pro eo quod bonis moribus & adfectu pio erat. Factum est autem vt ædificaret super muros vrbis solarium, de quo cœnæ epulo perfuncto descendens, manum super Diaconum sustentabat, qui in tantum erat crapulatus à vino, vt vix vel figere gressum valeret, pueroque qui præibat cum lumine nescio quid commotus, pugno ceruicem ferit. Quo impulso hic cum se continere non potuisset, cum ipso impetu de muro præcipitatur, sudarium† Episcopi quod balteo dependebat, arripiens: cum quo pene dilapsus fuerat, nisi pedes Episcopi Abbas velociter amplexus esset. Qui rues super lapidem, confractis ossibus & crate pectoris, sanguinem cum felle disrupto euomens, spiritum exhalauit. Erat enim & vino deditus, & in adulterio dissolutus.

† mappulam.

De scandalo monasterii Pictauensis

CAPVT XV.

CVm autem scandalum, quod serente Diabolo in monasterio Pictauensi ortum, in ampliorem quotidie iniquitatem consurgeret, & Chrodieldis adgregatis sibi (vt supra diximus) homicidis, maleficis, adulteris, fugitiuis, & reliquorum criminum reis, in seditione parata resideret, iussit eis vt inruentes nocte in monasterium, Abbatissam foras extraherent. At illa tumultum sentiens venientium, ad sanctæ crucis archam se deportari poposcit: grauabatur enim dolore humoris podagrici, scil cet vt vel eius foueretur auxilio. Sed vbi ingressi viri cereo accenso cum armis, huc illucque vagarentur, per monasterium inquirentes eam, introeuntes in oratorium, repererunt iacentem super humum ante archam sanctæ crucis. Tunc vnus acerbior cæteris, qui ad hoc scelus patrandum adgressus fuerat, vt Abbatissam gladio diuideret, ab alio (vt credo) diuina prouidentia cooperante cultro percutitur. Profluente vero sanguine solo decubans, votum quod leui conceperat animo, non expleuit. Interea Iustina præposita cum aliis sororibus palla altaris, quod erat ante crucem dominicam, extincto cereo, Abbatissam operit. Sed venientes cum euaginatis gladiis ac lanceis, scissa veste, & pene sanctimonialium manibus laniatis, adprehensam Præpositam pro Abbatissa, quia tenebræ erant, excussis linteaminibus, a capite soluta cæsarie detrahunt, & vsque Basilicam sancti Hilarii inter manus deferunt custodiæ mancipandam: adpropinquantesque Basilicæ, cœlo modicum albescente, vbi cognouerunt non esse Abbatissam, mox ad monasterium redire puellam præcipiunt: reuertentesque, Abbatissam adprehendunt, extrahunt, & in custodiam iuxta sancti Hilarii Basilicam in loco vbi Basina metatum habebat, retrudunt, positis ad ostium custodibus, ne quis vllũ captiuæ præberet auxilium. Exinde nocte subobscura adgressi monasterium, cum nullo fulgore accensi luminis potirentur, extracta promptuario cuppa, quæ olim pice linita sicca remanse-

manserat, ignem iniiciunt, factaque pharo magna, de huius incendio cunctam monasterii supellectilem rapuerunt, hoc tantum quod ferre non poterant, relinquentes. Hæc autem gesta sunt ante septem dies pascha. Cumque Episcopus hæc omnia grauiter ferret, nec valeret seditionem diabolicam mitigare, misit ad Chrodieldem dicens, *Relinque Abbatissam, vt in his diebus in hoc carcere non retineatur: alioqui non celebrabo Pascha Domini, neque baptismum in hac vrbe vllus catechumenus obtinebit, nisi Abbatissa a vinculo quo tenetur, iubeatur absolui. Quod si nec sic volueritis, collectis ciuibus auferam eam.* Hæc eo dicente, statim Chrodieldis percussores deputat, dicens, *Si eam violenter quis auferre tentauerit, statim eam gladio percutite.* Adfuit autem diebus illis Flauianus nuper domesticus ordinatus, cuius ope Abbatissa sancti Hilarii ingressa Basilicam absoluitur. Inter hæc ad sepulchrum sanctæ Radegundis homicidia perpetrantur, & ante ipsam beatæ crucis archam quidam per seditionem truncati sunt. Cumque hic furor superueniente die per Chrodieldis superbiam augeretur, & assiduæ cædes, & reliquæ plagæ (quas supra memorauimus) à seditionariis perpetrarentur, atque ita hæc iactantia tumuisset, vt consobrinam suam Basinam altiori cothurno despiceret, illa pœnitentiam agere cœpit, dicens, *Erraui sequendo Chrodieldis iactantiam. Et ecce despectui habeor ab eadem, & Abbatissæ meæ contumax existo:* & conuersa, humiliauit se coram Abbatissa, expetens pacem eius: fueruntque pariter vno animo eademque voluntate: denique orto scandalo pueri qui cum Abbatissa erant, dum seditioni quam Chrodieldis schola commouit, resisterent, puerum Basinæ percutiunt: qui cecidit & mortuus est. At illi post Abbatissam ad Basilicam confessoris confugiunt, & ob hoc Basina relicta Abbatissa discessit: sed pueris iterum per fugam lapsis, in pace quam prius habuerant redierunt. Postea vero multæ inter has scholas inimicitiæ ortæ sunt. Quis vnquam tantas plagas tantasque strages vel tanta mala verbis poterit explicare? vbi vix præteriit dies sine homicidio, hora sine iurgio, vel momentum aliquod sine fletu. Hæc autem Childebertus rex audiens, legationem ad Guntheramnum regem direxit, vt scilicet Episcopi coniuncti de vtroque regno, hæc quæ gerebantur sanctione canonica emendarent. Ob hanc causam Childebertus rex mediocritatis nostræ personam, cum Ebregisilo Agrippinensi & ipso vrbis Pictauæ Marouero episcopo iussit adesse. Guntheramnus vero rex Gundegisilum Burdegalensem cum prouincialibus suis, eo quod ipse metropolitanus huic vrbi esset: sed nos resultare cœpimus dicentes, *quod non accederemus ad hunc locum, nisi sæua seditio quæ per Chrodieldem surrexit, iudicis districtione prematur.* Pro hac causa Macconi tunc temporis comiti prolata præceptio est, in qua iubebatur, *vt hanc seditionem, si resisterent, vi opprimerent.* Hæc audiens Chrodieldis, sicarios istos cum armis ante ostium oratorii adstare iubet, vt scilicet repugnantes contra iudicem, si vim vellet inferre, pariter resultarent: vnde necessarium fuit huic comiti illuc cum armis procedere, & quosdam cæsos vectibus, nonnullos telis transfixos, & acrius resultantes gladiorum ictibus adfectos opprimere. Quod cum Chrodieldis cerneret, accepta cruce dominica, cuius prius virtutem despexerat, in obuiam egreditur dicens, *Nolite super me quæso vim inferre, quæ sum regina, filia Regis, Regisque alterius consobrina: nolite facere, nequando veniat tempus, vt vlciscar ex vobis.* Sed vulgus paruipendens quæ ab ea dicebantur, inruens (vt diximus) supra hos resultantes, vinctos monasterio extraxerunt, ac ad stipites extensos, grauissime cæsos, aliis cæsarie, aliis manibus, nonnullis auribus naribusque decisis, seditio depressa quieuit. Tunc residentibus sacerdotibus qui aderant super tribunal Ecclesiæ, adfuit Chrodieldis multa in Abbatissam iactans conuicia cũ criminibus, adserens eam virum habere in monasterio, qui indutus vestimenta muliebria, pro fœmina haberetur, cum esset vir manifestissime declaratus, atque ipsi Abbatissæ famularetur assidue: indicans eum digito, *En ipsum.* Qui cum in veste (vt diximus) muliebri coram omnibus adstitisset, dixit se nullu opus posse virile agere: ideoque sibi hoc indumentum aptasse. Abbatissam vero nõ nisi tantum nomine nosse, seque eam nunquam vidisse, neque cum eadem colloquium habuisse professus est, præsertim cũ hic amplius quam quadraginta ab vrbe Pictaua milibus degeret. igitur Abbatissam de isto crimine non conuincens, adiecit, *Quæ enim sanctitas in hac Abbatissa versatur, quæ viros eunuchos facit, & secum habitare imperiali ordine præcipit?* Interrogata Abbatissa se de hac ratione nihil scire respondit. Interea cum hæc nomen pueri eunuchi protulisset,

adfuit Reovalis archiater dicens, *Puer iste parvulus cum esset, & infirmaretur in femore, desperatus cœpit haberi: mater quoque eius, sanctam Radegundem adiuit, ut ei aliquod studium iuberet impendi. At ille, me vocato, iussit ut si possim aliquid, adiuvarem. Tunc ego, sicut quondam apud urbem Constantinopolitanam medicos agere conspexeram, incisis testiculis puerum sanum genitrici mæstæ restitui. nam nihil de hac causa Abbatissam scire cognovi.* Sed cum nec de hac re Abbatissa potuisset culpabilis reperiri, alias cœpit Chrodieldis calumnias sævas inferre: quarum adsertiones responsionesque, quia in iudicio quod contra easdem scriptum est, habentur insertæ, ipsius magis exemplaria lectioni libuit indere.

De iudicio contra Chrodigildem & Basinam lato

CAPVT XVI.

EXEMPLAR IVDICII EARVNDEM.

Domnis gloriosissimis regibus, episcopi qui adfuerunt. Propitia divinitate, piis atque catholicis populo datis principibus quibus concessa est regio, rectissime suas causas patefacit religio, intelligens sacrosancto participante spiritu, eorum qui dominantur se sociari & constabiliri decreto. Et quia ex iussione potestatis vestræ, cum ad Pictavam civitatem pro conditionibus monasterii sanctæ recordationis Radegundis convenimus, ut altercationes inter Abbatissam eiusdem monasterii, & Monachas quæ de ipso grege non salubri deliberatione progressæ sunt, ipsis disceptantibus agnoscere deberemus: evocatis patribus, interrogata Chrodieldis & Basina, quare tam audacter contra suam regulam foribus monasterii confractis, discesserant, & hac occasione congregatio adunata discesserat: quæ respondentes professæ sunt, famis, nuditatis, insuper & cædis se iam non ferre periculum: adiicientes etiam, eo quod diversi, earum in balneo lavarentur incongrue, ad tabulam ipsa luserit, atque seculares cum Abbatissa reficerent, etiam sponsalia in monasterio facta sint: de palla holoserica, vestimenta neptis suæ temerarie fecerit: foliola aurea quæ fuerant in gyro pallæ, inconsulte sustulerit, & ad collum neptis suæ facinorose suspenderit: vittam de auro exornatam, eidem nepti suæ superflue fecerit: barbatorias intus eo, quod celebraverit. Interrogantes Abbatissam, quid ad hæc responderet? dixit, De fame quod conqueruntur, secundum quod temporis penuria permitteret, numquam ipsæ nimiam egestatem pertulerunt: de vestimento vero dixit, Si quis earum arcellulas scrutaretur, amplius eas habere quam necessitas indigeret: de balneo vero, quod opponeretur, retulit hoc factum diebus Quadragesimæ, & pro calcis amaritudine, ne lavantibus noceret novitas ipsius fabricæ, iussisse domnam Radegundem, ut servientes monasterii, publice hoc visitarent, donec omnis odor nocendi discederet: quod per Quadragesimam usque ad Pentecosten in usu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis respondit: Et postea similiter multi per tempora laverunt. Retulit Abbatissa, Se nec probare quod dicerent, & se nescire, an factum sit. Sed adhuc inculpans easdem, quod si ipsæ vidissent, cur Abbatissæ non proderent? De tabula vero respondit, Et si lusisset vivente domina Radegunde, se minus culpa respiceret; tamen nec in regula per scripturam prohiberi, nec in canonibus retulit: sed ad iussionem Episcoporum, repromisit cervice se inflexa per pœnitentiam quicquid iuberetur, implere. De conviviis etiam ait, se nullam novam fecisse consuetudinem, nisi sicut actum est sub domna Radegunde: se Christianis fidelibus eulogias obtulisse, nec sibi comprobari cum illis ullatenus convivasse. De sponsalibus quoque ait, Coram pontifice, clero, vel senioribus, pro nepte sua Orphanula arras accepisse: & tamen si hæc culpa sit, veniam se coram cunctis petere professa est. tamen nec tunc convivium in monasterio fecerit. De palla quod reputarent, prætulit
i. stolam. *monachiam nobilem, quæ ei mafortem † holosericum, quem de parentibus detulit, muneris causa concesserit, & inde partem abscidisset, unde quod vellet & faceret. de reliquo vero quantum opportunum fuit, ad ornatum altaris pallam condigne condiderit: & de illa incissura quæ pallæ superfuit purpuram neptis suæ in tunica posuerit, quam ibi dedisse dixit, quo monasterio profuit, quæ per omnia donatrix Didimia confirmavit. De foliolis aureis & vitta auro exornata, Mucionem famulum vestrum præsentem testem adhibuit, eo quod per manũ eius ab sponso puellæ prædictæ neptis suæ viginti solidos acceperit, unde hoc publice fecerit, nec de re monasterii quicquam ibi permixtum fuit. Interrogata Chrodieldis cum Basina, si forsitan aliquid Abbatissæ (quod absit) adulterii reputarent, sive quod homicidium, vel maleficium fecerit, aut crimen capitale quo puniretur, edicerent: respondentes protulerunt, Non habere se aliquid, nisi per hæc quæ dixerant, eam ista fecisse contra regulam*

procla-

proclamarent. Ad extremum, pro peccatis quia claustra disrupta sunt, & miseris licuit sine disciplina abbatissæ suæ, quod vellent committere, per tot mensium spatia, quas credebamus innocentes monachas, nobis protulerunt prægnantes. Quibus per ordinem discussis, nec inuento crimine quod Abbatissam deiiceret, de leuioribus causis paterna commonitione contestati sumus, vt hæc nullatenus deinceps pro reprehensione repeteret. Tunc nobis percunctantibus causam aduersæ partis, quæ maiora crimina commiserunt, id est, quæ prædicationem sui sacerdotis intra monasterium, ne foras procederent, despexerunt, pontifice conculcato, & in summo contemptu in monasterio relicto, confractis seris & ianuis, irrito facto discesserunt, & ad suum peccatum aliæ tractæ transgressæ sunt: insuper & Gundegisilus pontifex cum suis prouincialibus pro ipsa causa commonitus, per præceptionem regum Pictauos accessisset, & ad audientiam eas ad monasterium conuocarent, despecta commonitione, ipsis occurrentibus ad beati Hilarii confessoris Basilicam, vbi ipse commorabatur accedentes, vt condecet pastorum sollicitudinem, dum commonerentur, facta seditione, fustibus tam pontifices quam ministros adfecerunt, & intra Basilicam fuderunt sanguinem Leuitarum. Debito ex iussione dominorū principum, cum vir venerabilis Theutharius presbyter in causa directus fuerit, & statutum fuisset, quando iudicium fieret, non expectato tempore, monasterium seditiosissime accensis in morte cuppis, vectibus ac securibus confractis posticis, igne accenso, intra septa cæsis & vulneratis monachabus, in ipsis oratoriis spoliato monasterio, denudata & discissa capillis abbatissa, grauiter ad ridiculum ducta & tracta per compita, & in locum retrusa, & si non ligata, nec libera, superueniente diei Paschæ festo per seculum, offerente pontifice pro condemnata precium, vt spectaret vel baptismū, nec vlla suasione hoc impetrasset vox supplicum, atque respondente Chrodielde, eo quod iaie sa..nus nec scissent, nec iusserint, adhuc Chrodielde adserente ad intersignum suum, ne a suis interficeretur, obtentum sit: vnde certum est tractari quid ex hoc datur intelligi, quod additur crudelitati, ad sepulchrum beatæ Radegundis fugientem seruum monasterii sui occiderent, & scelere crescente nihil petendo sanauerint, sed per se post intrantes monasterium ceperint, & ad dominorum iussionem, vt seditiosos illos in publico repræsentarent, nolentes adquiescere, & contra Regum præcepta magis arma tenerent, & se sagittis vel lanceis contra comitem & plebem indignanter erigerent, hinc denuo egressæ ad audientiam publicam, extrahunt crucem sanctam sacratissimam [illegible], & ad iniuriam, indecenter, ad culpam, quæ postea restituere coactæ sunt in ecclesia. Quibus tot capitalibus agnitis facinoribus, nec refrænatis, sed iugiter magis auctis criminibus, nobis eisdem dicentibus, vt Abbatissæ pro culpa veniam peterent, aut quod male directum fuerat emendarent, & nolentes hoc facere, sed magis de eius interfectione tractarent, quod publice sunt professæ, reseratis a nobis & recensitis canonibus, visum est æquissimum, vt eas vsque quo dignam agerent pœnitentiam, a communione priuari, & Abbatissam suo loco permansuram restitui. Hæc nos pro vestra iussione, quod ad ecclesiasticum pertinuit ordinem, circunscriptis canonibus, absq; personarum aliqua acceptione suggerimus peregisse. De cætero quod de rebus monasterii vel instrumentis chartarum dominorum Regum parentum vestrorum de loco subreptum est, quæ se habere professæ sunt, sed nobis inobedientes nullatenus erunt voluntarie redditura, qualiter vestra vel anteriorum principum merces æterna permaneat, ad loci instaurationem, vestræ pietatis atque potestatis est, auctoritate regia cogere reformari, neque ipsas ad locum quem tam impie ac profanissime destruxerunt, ne peiora prouenant, vel redire concedite, vel permittatis iterum aspirare, quatenus his in integrum, præstante Domino, restitutis, sub catholicis Regibus totum adquiratur Deo, nihil perdat religio, vt status conseruatus tam patrum quam canonum nobis proficiat ad cultum, vobis propagetur ad fructum. Christus vos dominus alat regatque, regnum tribuens prolixius, vitamque conferat beatam.

De excommunicatione earum

CAPVT XVII.

POst hæc cum emisso iudicio a communione fuissent suspensæ, Abbatissa etiam in monasterium restituta, hæ ad Childebertum regem petierunt, adiicientes malum supra malum, denominantes scilicet Regi personas quasdam, quæ non solum cum ipsa Abbatissa adulteria exercerēt, verumetiam ad inimicam eius Fredegundem quotidie nuncia deportarent. Quod audiens Rex, misit qui eos vinctos adducerent: sed cum discussi nihil criminis inuentum in eis fuisset, abscedere iussi sunt.

De percussoribus ad Childebertum regem missis

CAPVT XVIII.

ANte hos vero dies cum Rex in oratorium domus Mariligensis ingrederetur, viderunt pueri eius hominem ignotum eminus adstantem, dixeruntque ad eum, *Qui es tu, & vnde venis, aut quod est opus tuum? non enim à nobis agnosceris.* Illo quoq; respõdente, *Quia de vobis sum*, dicto citius eiectus extra oratorium, interrogatur. Nec mora, confitetur, dicens a Fredegunde regina se transmissum ad interficiendum regem: dixitque, *Duodecim viri sumus ab ea transmissi, sex huc venimus, alii vero sex Suessionibus remanserunt ad decipiendum filium regis. Et ego cum locum præstolans, vt regem Childebertum in oratorio percutere destinaram, timore perterritus, non deliberaui implere quod volui.* Hæc cum dixisset, confestim sæuis datus suppliciis, diuersos nominat socios: quibus per loca singula inquisitis, alios carceribus mancipant, alios manibus incisis relinquunt, nonnullos auribus naribusque amputatis ad ridiculum laxauerunt. Pleriq; tamen ex vinctis, suppliciorum genera metuentes, propriis se confodere mucronibus: nonnulli etiam inter supplicia † defecerunt, vt Regis vltio patraretur.

† i. quæstiones, tormenta.

De expulsione Egidii Remensis episcopi

CAPVT XIX.

SVnnigisilus vero iterum tormentis addicitur, ac quotidie virgis lorisque cæditur: & computrescentibus vulneribus cũ primum decurrente pure cœpissent ipsa vulnera claudi, iterum renouabantur ad pœnam. In his tormentis, non solum de morte Chilperici regis, verumetiam diuersa scelera se admisisse confessus est: inter quas confessiones, addidit etiam Egidium Remensem episcopum socium fuisse in illo Rauningi, Vrsionis, ac Berthefredi consilio ad interficiẽdum Childebertum regem. Nec mora, rapitur Episcopus, & ad Metensem vrbem, cum esset valde ab ægrotatione longinqua defessus, adducitur: ibique sub custodia degens, Rex Episcopos arcessiri ad eius examinationem præcepit, scilic. vt in initio mensis octaui apud Vindunensem vrbem adesse deberent. Tunc ab aliis sacerdotibus increpitus, *cur hominem absque audientia ab vrbe rapi, & in custodiam retrudi præcepisset?* permisit eum ad vrbem suam redire, dirigens epistolas (vt supra diximus) ad omnes regni sui pontifices, vt medio mense nono ad discutiendum in vrbe supradicta adesse deberent. Erant autem pluuiæ validæ, aquæ immensæ, rigor intolerabilis, dissolutæ luto viæ, amnes litora excedentes: sed præceptioni regiæ obsistere nequiuerunt. Denique conuenientes, pertracti sunt vsque Metensem vrbem: ibique & præfatus Egidius adfuit. Tunc Rex *inimicum eum sibi, regionisque proditorem esse* pronuncians, Ennodium ex duce ad negocium deligit prosequendum: cuius propositio prima hæc fuit; *Dic mihi, ô Episcope, quid tibi visum fuit, vt relicto Rege, in cuius vrbe episcopatus honore fruebaris, Chilperici regis amicitiis subdereris, qui semper inimicus domino nostro Regi fuisse probatur, qui patrem eius interfecit, matrem exilio condemnauit, regnumque peruasit, & in iis vrbibus quas (vt diximus) iniquo peruasionis ordine, suo dominio subiugauit, Tu ab eodem possessionum fiscalium prædia meruisti.* Ad hæc ille respondit, *Quod fuerim amicus regis Chilperici, negare non potero: non tamen contra vtilitatem regis Childeberti hæc amicitia pullulauit. Villas vero quas memoras, per illius regis chartas emerui.* Tunc proferente easdem in publico, negat Rex se largitum fuisse: requisitusque Otho, qui tunc Referendarius fuerat, cuius ibi subscriptio meditata tenebatur, adfuit, negat se subscripsisse. Conficta enim erat manus eius in huius præceptionis scripto. In hac igitur causa primum episcopus fallax repertus est. Post hæc epistolæ prolatæ sunt, in quibus multa de improperiis Brunichildis tenebantur, quæ ad Chilpericum scriptæ fuerant: similiter & Chilperici ad episcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur insertum, *Quia si radix cuiuslibet rei incisa non fuerit, culmus, quæ terræ editus, non arescet:* vnde prorsus manifestum est, ideo hæc scripta, vt

supera-

superata Brunichilde filius eius opprimeretur. Negauit se Episcopus has epistolas vel misisse suo nomine, vel suscepisse à rescripto Chilperici. Sed puer eius familiaris adfuit, qui hæc notarum titulis per tomos chartarū comprehensa tenebat, vnde non dubium fuit residentibus, hæc ab eodem directa. Deinde, prolatæ sunt pactiones quasi ex nomine Childeberti ac Chilperici regis, in quibus tenebatur insertum, vt eiecto Guntchramno rege, hi duo Reges inter se eius regnum vrbesque diuiderent: sed negauit hæc Rex cum suo factum consilio, dicens, *Quid tu commisisti patruos meos, vt inter illos bellum ciuile consurgeret: vnde factum est vt commotus exercitus Biturigas vrbem, pagumque Stampensem, vel Miliodunense castrum adtererent atque depopularentur. In quo bello multi interempti sunt, quorum (vt puto) animæ erunt Dei iudicio de tuis manibus requirendæ.* Hæc Episcopus negare non potuit. scripta enim ista in regesto Chilperici regis in vno scriniorum pariter sunt reperta: at tunc ad eum peruenerunt, quando interempto Chilperico, thesauri eius de Calensi Parisiacæ vrbis villa ablati ad eundem delati sunt. Cumque de huiuscemodi causis altercatio diutius traheretur, adfuit & abbas Epiphanius Basilicæ sancti Remigii, dicens, quod duo milia aureorum, speciesque multas pro conseruanda regis Chilperici amicitia accepisset. Adstiteruntque etiam & legati qui cum eodem ad memoratum regem fuerant, dicentes: *Quia nobis relictis diutius cum eodem solus conlocutus est: de quibus verbis nihil intelleximus, nisi supradicti excidii prosecutionem imposterum cognoscentes.* Hæc eo negante, Abbas qui fuerat semper in iis consiliorum arcanis particeps, locum hominemque denominat, vbi & qui aureos quos diximus detulisset, & qualiter de excidio regionis ac regis Guntchramni conuentum fuerat, vt gestum est ex ordine denarrauit. Quæ & ille conuictus deinceps est confessus. Hæc audientes Episcopi qui euocati fuerant, & in tantis malis sacerdotem Domini contuentes fuisse satellitem, suspicantes, de iis triduani temporis spacium deprecantur tractandi, scilicet vt forsitan resipiscens Egidius vllum modum reperire posset, per quem se ab iis noxis quæ ei obiiciebantur, excusare valeret. Sed illucescente die tertia, conuenientes in ecclesiam interrogant Episcopum, si aliquid excusationis haberet, ediceret. At ille confusus, ait; *Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. nam ego noui me ob crimen maiestatis reum esse mortis, qui semper contra vtilitatem huius Regis matrisque eius abii: ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina noui, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt.* Hæc Episcopi audientes ac lamentantes fratris obprobrium, obtenta vita, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis canonum sanctionibus, remouerunt: qui statim ad Argentoratensem vrbem, quam nunc *Stratáburgum* vocant, deductus, exilio condemnatus est: in cuius locum Romulfus filius Lupi ducis, iam presbyterii honore præditus, episcopus subrogatus est, Epiphanio abbatis officio qui Basilicæ sancti Remigii præerat, remoto. multa enim auri argentique in huius Episcopi regesto pondera sunt reperta. Quæ autem de illa iniquitatis militia erant, regalibus thesauris sunt inlata: quæ autem de tributis aut reliqua ratione ecclesiæ inuenta sunt, inibi relicta. Strasburg.

De puellis supra memoratis in hac reconciliatis synodo

CAPVT XX.

IN hac synodo Basina Chilperici regis filia, quam supra cum Chrodielde à communione remotam diximus, coram Episcopis solo prostrata, veniam petiit, promittens se cum charitate Abbatissæ monasterium ingredi; ac de regula nihil transcendere. Chrodieldis autem obtestata est, quod Leobouera abbatissa in hoc monasterio commorante, ibidem nunquam ingrederetur. Sed vtrisque Rex veniam imperiri deprecatus est: & sic in communionem receptæ, Pictauos regredi iussæ sunt: scilicet vt Basina in monasterium (vt præfati sumus) regrederetur: Chrodieldis vero in villa, quæ quondam Vuaddonis superius memorati fuerat, sibi a Rege concessa resideret.

De interitu filiorum Vuaddonis

CAPVT XXI.

FIlii autem Vuaddonis ipſius per Pictauum vagantes, diuerſa committebant ſcelera, homicidia, furtaq; nonnulla. nam inruentes ante hoc tempus ſuper negociatores, ſub noctis obſcuritate eos gladio trucidant, abſtuleruntq; res eorum: ſed & alium tribunitiæ poteſtatis virum circunuentū dolis, interfecerunt, diripientes res eius. Quod cum Macco comes reprimere niteretur, ii præſentiam expetunt Regis. Eunte autem comite, vt debitum fiſco ſeruitium ſolite deberet inferre, adfuerunt & ii coram Rege, offerentes balteum magnum ex auro lapidibuſque precioſis ornatum, gladiumq; mirabilem, cuius capulum ex gemmis Hiſpanicis auroq; diſpoſitum erat. Cumque Rex hæc ſcelera quæ audierat, ab iis cognouiſſet manifeſtiſſime perpetrata, vinciri eos catenis præcepit, ac tormentis ſubdi. Qui dum torquerentur, theſauros patris abſconditos, quos de rebus Gundobaldi ſuperius memorati pater diripuerat, reuelare cœperunt. Nec mora, directi viri ad inquirendum, immenſam multitudinem auri argentique ac diuerſarum ſpecierum, & auro gemmiſq; exornatarum repererunt, quod theſauris regalibus intulerunt. Poſt hæc ſeniore capite plexo, iuniorem exilio damnauerunt.

De interitu Childerici Saxonis

CAPVT XXII.

CHildericus vero Saxo poſt diuerſa ſcelera, homicidia, ſeditiones, multaq; alia improba quæ geſſit, ad Auſcienſem vrbem, in qua poſſeſſio vxoris erat, abiit. Cumq; Rex auditis eius improbitatibus iuſſiſſet eum interfici, quadam nocte ita crapulatus eſt vino, vt ab eo ſuffocatus, mortuus in ſtrato ſuo reperiretur. Adſerebat enim ad illud ſuperius ſcelus nominatum, quo ſacerdotes Domini in Baſilica ſancti Hilarii per Chrodieldem cæſi ſunt, hunc fuiſſe ſigniferum: vltuſque eſt Deus, ſi ita eſt, iniuriam ſeruorum ſuorum.

De ſignis & dubietate Paſcha

CAPVT XXIII.

A. 588. IN hoc autem anno tantus terris nocturno tempore ſplendor inluxit, vt mediam putares diem: ſed & globi ſimiliter ignei per noctis tempora ſæpius per cœlum cucurriſſe, mundumque inluminaſſe viſi ſunt. Dubietas Paſchæ fuit ob hoc, quod in cyclo Victor, luna xv. paſcha ſcripſit fieri. Sed ne Chriſtiani vt Iudæi ſub hac luna hæc ſolennia celebrarent, addidit, Latini autem luna xxii. Ob hoc multi in Galliis xv. luna celebrauerunt. Nos autem xxii. Inquiſiuimus tamen ſtudioſe: ſed fontes Hiſpaniæ † qui diuinitus implentur, in noſtrum paſcha repleti ſunt. Terræmotus factus eſt magnus, xviii. Cal. menſis quinti, die quarto, primo mane, cū lux redire cœpiſſet, Sol eclipſim pertulit menſe octauo mediante: & ita lumen eius minuit, vt vix quantum quintæ lunæ cornua retinent, ad lucendum haberet. Pluuiæ validæ, tonitrua in autumno grauia, aquæ autem nimium inualuerunt. Viuarienſem Auennicamque vrbem grauiter lues inguinaria deuaſtauit.

Vide Ioſ. Scalig. de emēd. Temp. fol. 82. De quib. ſup. li.5.c.17. & lib.1. de Miracul. c.24. 25. 26.

De ſubuerſione vrbis Antiochenæ

CAPVT XXIV.

ANno igitur decimoſexto Childeberti, Guntheramni autem xxx. regum, quidam Epiſcopus de tranſmarinis partib. ad Turonicam vrbem aduenit, nomine Simon. Hic

Hic nobis euersionem Antiochiæ vrbis enunciauit, adserens se de Armenia in Perside captiuatum fuisse. Rex enim Persarum inrupto Armeniorum termino prædas egit, ecclesiasque igni succendit: & hunc sacerdotem cum populo suo (vt diximus) captiuum abduxit. Tunc etiam & Basilicam sanctorum Quadraginta octo Martyrum, de *Lib.1.c.49.* quibus in libro Miraculorum memini, qui in illa regione passi sunt, oppleta ligni congerie pice, tergoribusque suillinis immixtis, suppositis ardentibus facibus, succendere visi sunt: sed nequaquam ignis adparatum incendii comprehendit, sicque videntes magnalia Dei, recesserunt ab ea. Audita autem quidam Episcopus istius memorati sacerdotis abductione, direxit precium per homines suos ad regem Persarum. Quo ille suscepto, relaxauit a seruitutis vinculo episcopum istum. Ex iis ergo discedens regionibus, Gallias est adgressus, vt aliquid consolationis à deuotis acciperet: qui nobis (vt præfati sumus superius) hæc retulit. Homo erat in Antiochia, valde deuotus in eleemosynis, coniugem ac liberos habens: nec vnquam ei in omni vita sua dies præteriit, postquam quiddam proprium habere cœpit, quod sine paupere epulum prælibasset. hic vna die cum circumisset vrbem vsq; ad vesperũ, & reperire non potuisset egenum cum quo cibum capere posset, egressus extra portam, cum nox inrueret, reperit virum in veste alba cum duobus aliis stantem, quem aspiciens (quasi Loth ille antiqua memoratus historia) territus ait, *Et forsitan peregrinus est dominus meus: dignetur accedere ad domum serui sui, & sumpto epulo, quiescite in strato: mane autem proficiscemini in viam quam volueritis.* Cui ille qui erat senior, tenens sudarium in manu sua, ait, *Non poteras, o homo Dei, cum Simeone vestro hanc vrbem saluare, ne subuerteretur?* Et eleuans manum excussit sudarium, quod tenebat, super medietatem vrbis: & statim conruerunt omnia ædificia, & quodcunque ibi structum fuit: ibique oppressi sunt senes cum infantibus, viri cum mulieribus, atque vterque sexus interiit. Quod ille cernens, tam de persona viri, quam de sonitu ruinæ hebes effectus, ruit in terram, & factus est velut mortuus. Eleuansque iterum vir ille manum cum sudario, quasi super aliam medietatem vrbis, adprehensus est à duobus sociis qui cum eo erant, atque obsecratus terribilibus sacramentis, vt indulgeret medietati vrbis, ne rueret: mitigatoque furore sustinuit manum suam, atque eleuans hominem qui conruerat in terram, ait, *Vade ad domum tuam, ne timeas: filii enim tui cum vxore, & omni domo tua salui sunt: nec quisquam ex eis periit. Custodiuit enim te oratio assidua, & eleemosynæ, quas quotidie exerces in pauperes.* Et hæc dicens, discesserunt ab oculis eius, nec ei apparuerunt vltra. Ille autem regressus in vrbem, reperit vrbis medietatem dirutam atque subuersam cum hominibus pecoribusque, ex quibus nonnulli a ruinis deinceps extracti sunt mortui, pauci debilitati reperti sunt viui. Veruntamen nec illa cassata sunt quæ viro huic ab ipso (vt ita dicam) Angelo Domini sunt effata. Nam veniens, omnem domum suam incolumem reperit: tantum funera propinquorum, quæ in aliis domibus effecta fuerant, lamentabatur: protexitque eum in medio iniquorum dextera Domini cum domo sua, saluatusque est à periculis mortis, ac velut memoratus Loth quondam in Sodomis.

De interitu eius qui se Christum dicebat

CAP. XXV.

At in Galliis Massiliensem prouinciam morbus sæpe nominatus inuasit: Andegauos Namneticos atq; Cœnomannicos valida fames obpressit. Initia sunt enim hæc dolorum, iuxta illud quod Dominus ait in Euangelio, *Erunt pestilentiæ & fames, & terræmotus per loca: & exurgent pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa & prodigia in cælo, ita vt electos in errorem mittant*, sicut præsenti gestum est tempore. Quidam enim ex Biturico, vt ipse postmodum est professus, dum saltus siluarum ingressus, ligna cæderet ad explendam operis cuiusdam necessitatem, muscarum eum circumsedit examen, qua de causa per biennium amens est habitus: vnde intelligi datur Diabolicæ emissionis fuisse nequitiam. Post hæc transactis vrbibus propinquis,

Arelatensem prouinciam adiit: ibique indutus pellibus quasi religiosus orabat: ad quem inludendum pars aduersa, diuinandi ei tribuit facultatem. Ex hoc vt in maiori proficeret scelere, commotus à loco, prouinciam memoratam deserens, Gabalitanæ regionis terminum est ingressus, proferens se magnum, ac profiteri se non metuens Christum, *Pseudochristus.* adsumpta secum muliere quadam pro sorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi, exhibens infirmos, quos contingens sanitati reddebat. Conferebant enim ei aurum argentumque, ac vestimenta, ii qui ad eum conueniebant. Quod ille quo facilius seduceret, pauperibus erogabat, prosternens se solo, effundens orationem cum muliere memorata: & surgens, se iterum à circumstantibus adorari iubebat. Prædicebat enim futura, & quibusdam morbos, quibusdam damna prouenire denunciabat, paucis salutem futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus, & præstigiis nescio quibus agebat. Seducta est autem per eum multitudo immensa populi, & non solum rusticiores, verumetiam sacerdotes ecclesiastici. Sequebantur autem eum amplius quam tria milia populi. Interea cœpit quosdam spoliare ac prædari quos in itinere reperisset: spolia tamen non habentibus largiebatur. Episcopis ac ciuibus minas mortis intentabat; eo quod ab iis adorari despiceretur. *Anicium.* Ingressus autem Vellauæ vrbis terminum, ad locum quem Anicium vocitant, accedit: & ad Basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, instruens aciem, qualiter Aurelio ibidem tunc consistenti Episcopo bellum inferret, mittens etiam ante se nuncios, homines nudo corpore, saltantes atque ludentes, qui aduentum eius adnunciarent. Quod stupens Episcopus, direxit ad eum viros strenuos, inquirentes quid sibi vellent ista quæ gereret. Vnus autem ex iis qui erat senior, cum se inclinasset quasi osculaturus genua eius, ac discussurus viam illius, iussit eum adprehendi, spoliari: nec mora, ille euaginato gladio in frusta concidit, ceciditque Christus ille, qui magis Antichristus nominari debet, & mortuus est: dispersiq; sunt omnes qui cum eo erant. *i. tormentis. ita sub. cap. 18. in fine.* Maria autem illa, suppliciis † dedita, omnia phantasmata eius ac præstigias publicauit. Nam homines illi quos ad se credendum Diabolica circumuentione turbauerat, nunquam ad sensum integrum sunt regressi: sed hunc semper quasi Christum, Mariam autem illam partem deitatis habere profitebantur. Sed & per totas Gallias emerserunt plerique qui per has præstigias adiungentes sibi mulierculas quasdã, quæ debacchantes Sanctos eos cõsiderentur, magnos † se in populis præferebant: ex quibus nos plerosque vidimus, quos obiurgantes reuocare ab errore nisi sumus. *Pseudo-sancti. Ita sup. 9. c. 6. qui se magnum quendam esse dic.*

De obitu Ragnemodi ac Sulpitii Episcoporum

CAP. XXVI.

Ragnemodus quoque Parisiacæ vrbis episcopus, obiit. Cumque germanus eius Faramodus presbyter, pro episcopatu concurreret, Eusebius quidam negotiator, genere Syrus, datis multis muneribus, in locum eius subrogatus est: isque accepto *i. familiam.* episcopatu omnem scholam † decessoris sui abiiciens, Syros de genere suo ecclesiasticæ domui ministros statuit. Obiit & Sulpitius Bituricæ vrbis pontifex, cathedramque eius Eustasius Augustidunensis diaconus est sortitus.

De his quos Fredegundis interfici iussit

CAP. XXVII.

Inter Tornacenses quoq; Francos non mediocris disceptatio orta est, pro eo quod vnius filius, alterius filium qui sororem eius in matrimonium acceperat, cum ira sæpius obiurgabat, *cur coniuge relicta scortum adiret?* quæ iracundia, cum emendatio criminis non succederet, vsque adeo elata est, vt inruens puer super cognatum suum, eum cum suis interficeret, atque ipse ab iis cum quibus venerat ille posterneretur, nec remaneret quispiam ex vtrisque nisi vnus tantum, cui percussor defuit. Ex hoc parentes

tes vtriusque inter se sæuientes, à Fredegunde regina plerumque arguebantur, vt relicta inimicitia concordes fierent, ne pertinacia litis in maius subueheretur scandalum. Sed cum eosdem verbis lenibus placare nequiret, vtrunque bipenne compescuit. Inuitatis enim ad epulum multis, hos tres in vno fecit sedere subsellio: cumque in eo prandium elongatum fuisset spatio, vt nox mundum obrueret, ablata mensa (sicut mos Francorum est) illi in subsellia sua sicut locati fuerant, residebant. Potatoque vino multo, intantum crapulati sunt, vt pueri eorum madefacti per angulos domus vbi quisque conruerat, obdormiret. Tunc ordinati a muliere viri cum tribus securibus, a tergo horum trium adstiterunt, illisque conloquentibus, in vno (vt ita dicamus) adsultu puerorum manus libratæ, hominibus percussis, ab epulo est discessum. Nomina quoque virorum, Chariualdus, Leodoualdus, atque Vualdinus. Quod cum parentibus perlatum fuisset, custodire arctius Fredegundem cœperunt, dirigentes nuncios ad Childebertum regem, vt comprehensa interficeretur. Commotus autem pro hac causa Campanensis populus dum moras innecteret, hæc suorum erepta auxilio, ad locum alium properauit. *Francorum ritus.*

De baptismo Chlotharii filii eius

CAP. XXVIII.

POst hæc autem legatos ad Guntheramnum regem mittit, dicens, *Proficiscatur Dominus meus Rex vsque Parisios, & arcessito filio meo nepote suo, iubeat eum baptismatis gratia consecrari: ipsumque de sancto lauacro exceptum, tanquam alumnum proprium habere dignetur.* Hæc audiens Rex, commotis Episcopis, id est, Ætherio Lugdunensi, Syagrio Augustidunensi, Flauioque Cabillonensi, & reliquis quos voluit, Parisios accedere iubet, indicans se postmodum secuturum. Fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno eius, tam domestici quam comites, ad præparanda regalis expensæ necessaria. Rex autem deliberatione acta, vt ad hæc deberet accedere, pedum est dolore prohibitus. Postquam autem conualuit, accessit Parisios: exinde ad Rotoialensem villam ipsius vrbis properans, euocato puero iussit baptisterium præparari in vico Nemptodoro. Dum autem hæc agerentur, legati Childeberti regis accesserunt ad eum dicentes, *Non enim ista nuper nepoti tuo Childeberto pollicitus eras, vt cum inimicis eius amicitias conligares? Sed inquantum cernimus, nihil de promissione tua custodis: sed potius quæ promiseras, prætermittis: & puerum istum in vrbis Parisiacæ cathedra Regem statuis. Iudicabit enim Deus, quia non reminisceris quæ vltro pollicitus es.* Hæc iis dicentibus, Rex ait, *Promissionem quam in nepotem meum Childebertum regem statutam habeo, non omitto. Nam illum non oportet scandalizari, si consobrinum eius filium fratris mei de sancto suscipiam lauacro: quia hanc petitionem nullus Christianorum debet abnuere. Eamque ego (vt Deus manifestissime nouit) non calliditate aliqua, sed in simplicitate puri cordis agere cupio, quia offensam diuinitatis incurrere formido. Non est enim humilitas gentis nostræ, si hic a me excipiatur. Si enim Domini proprios famulos de sacro fonte suscipiunt, cur & mihi non liceat propinquum parentem excipere, ac filium facere per baptismi gratiam spiritalem? Abscedite nunc, & nunciate Domino vestro: Pactionem quam tecum pepigi, custodire cupio inlibatam; quam si tuæ conditionis noxa non omiserit, a me prorsus omitti nequibit.* Et hæc dicens legatis discedentibus, Rex accedens ad lauacrum sanctum, obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens, Chlotharium vocitari voluit, dicens, *Crescat puer, & huius sit nominis executor, ac tali potentia polleat, sicut ille quondam, cuius nomen indeptus est.* Quo mysterio celebrato, inuitatum ad epulum paruulum multis muneribus onerauit. † Similiter & Rex ab eodem inuitatus, plerisque donis refertus abscessit, & ad Cabillonensem vrbem redire statuit. *Susceptio à fonte sacro.* *Hlotarius.* *f. ornauit.*

De conuersione & miraculis vel obitu Aretii Abbatis Lemouicini.

CAP. XXIX.

ARedius quoque hoc anno terras relinquens, vocante Domino migrauit ad cœlum. Lemouicinæ vrbis incola fuit, non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, sed valde ingenuus. Hic Theodoberto regi traditus, aulicis palatinis adiungitur. Erat enim tunc temporis apud vrbem Treuericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius Episcopus, non solum in prædicatione admirabilis facundię, verumetiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe. Qui intuens puerum in regis palatio, nescio quid in vultu eius cernens diuinum, præcepit ei se sequi. At ille relicto regis palatio, secutus est eum. Cumque ingressi in cellulam, de iis quæ ad eum pertinent confabularētur, expetiit adolescens à beato Sacerdote se corrigi, ab eo edoceri, ab eo imbui, ac in diuinis voluminibus ab eodem exerceri. Cumque in huius studii flagrantia cum antistite memorato degeret, tonsurato iam capite, quadam die psallentibus clericis in ecclesia descendit columba è camera, quæ leuiter volitans circa eum, resedit super caput eius, illud indicans (vt opinor) eum Spiritus sancti gratia iam repletum. Quam cum ille non sine pudore conaretur abigere, hæc paululum circumuolans, iterum super caput eius, aut super scapulam residebat: quæ non modo ibi sed etiam cum in cellulam Episcopi ingrederetur, iugiter comitabatur cum eo. Quod per dies plurimos factum, non sine admiratione Episcopus intendebat. Exinde vir Dei Spiritu (vt diximus) sancto repletus, ad patriam genitore ac germano defunctis, regreditur, consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem † præter hanc sobolem spectabat. Deinde cum ieiuniis atque orationibus vacaret, deprecatur eam, vt omnis cura domus, id est, siue correctio familiæ, siue exercitium agrorum, siue cultus vinearum ad eam aspiceret: ne huic viro aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret, vnum sibi tantum priuilegium vindicans, vt ad ecclesias ædificandas ipse præesset. Quid plura? construxit templa Dei in honore Sanctorum, expediitque eorum pignora, ac ex familia propria tonsuratos instituit monachos, cœnobiumque fundauit, in quo non modo Cassiani, verumetiam Basilii & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante. Nec minus hæc tamen impedita hoc onere in Dei laudibus perstrepebat, sed assidue, & si quiddam operis exerceret, semper orationem Domino tanquam odorem incensi acceptabilis offerebat. Intereà ad sanctum Aredium cœperunt infirmi confluere, quos, manus singulis cum vexillo crucis imponens, sanitati reddebat: quorum si singillatim nomina scribere velim, nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare: vnum tamen noui, quod quicunque ad eum æger aduenit, sospes abscessit. De maioribus quoque miraculis pauca proponimus. Iter quodam tempore cum genitrice dum ageret, & sancti Iuliani martyris ad Basilicam properaret, venerunt vespere in quendam locum. Erat autem locus ille aridus, & absque fluentis currentibus infœcundus. Dixitque ad eum mater eius; *Fili, aquam non habemus, & qualiter hic nocte præsenti quiescere possumus?* At ille prostratus in orationem, & diutissime preces fudit ad Dominum: & erigens se defixit virgam in terra quam manu gerebat, eamque cum bis aut tertio in gyrum vertisset, ad se lætus extraxit: moxque vnda aquæ secuta est tam valida, vt non solum ipsis de præsenti, sed etiam pecoribus adfatim deinceps pocula ministraret. Nuperrimo autem tempore iret carpens, nimbus ad eum pluuiæ aduenire cœpit: quem ille cernens, paululum super equum in quo sedebat, caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Consummata vero oratione, diuisa est nubes in duas partes, ac in circuitu eorum immanis descendit pluuia: super eos tamen, nulla (si dici fas est) gutta descendit. Vuillimundo quoque cognomento Tattonis, ciui Turonico dentes grauem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat. Quod cum beato

Nicetius Episcopus Treuer.

i. propinquum.

viro questus fuisset, manum super locum doloris imposuit, statimque dolor fugatus, nusquam deinceps ad iniuriam hominis excitatus est. Hæc ipse qui passus est retulit. De his vero signis quæ per virtutem sancti Iuliani martyris Martinique confessoris beati, in eius manibus dominus operatus est, pleraque in libris Miraculorum, sicut ipse effatus est, scripsimus. Post has vero & multas alias virtutes, quas Christo cooperante compleuit, aduenit Turonos post festiuitatem sancti Martini, ibique paululum commoratus, dixit nobis se aut longæuo tempore adhuc in hoc mundo retineri, aut certe velocius dissolui: & Vale dicens, abscessit, gratias agens Deo, quod priusquam obiret, sepulchrum beati antistitis osculari promeruisset. Cumque ad cellulam suam accessisset, testamento condito, ordinatis omnibus, ac sancto Martino Hilarioque antistitibus hæredibus constitutis, ægrotare cœpit, ac dysenteriæ morbo grauari. Sexta quoque ægrotationis eius die, mulier quæ ab spiritu immundo sæpius vexata, a sancto emundari non poterat, ligatis per se a tergo manibus, clamare cœpit ac dicere, *Currite ciues, exilite populi, exite obuiam Martyribus confessoribusque qui ad exequium beati Aredii conueniunt. Ecce adest Iulianus à Briuate, Priuatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialisque ab vrbe propria. Adest Saturninus a Tholosa: Dionysius ab vrbe Parisiaca, nonnulli & alii quos cœlum retinet, quos vos vt confessores & Dei martyres adoratis.* Hæc cum in exordio noctis clamare cœpisset, à Domino suo reuincta est. Sed nequaquam potuit contineri: quæ rumpens vincula, ad monasterium cum his vocibus properare cœpit: moxque beatus vir spiritum tradidit non sine testimonio veritatis, quod sit susceptus ab Angelis. Mulierem quoque in exequiis suis cum alia muliere nequiori spiritu vexata, vt est sepulchro tectus, a nequitia infesti dæmonii emundauit. Et credo, ob hoc Dei nutu easdem in corpore positus non potuit emundare, vt exequiæ illius hac virtute glorificarentur. Post celebratum vero funus, mulier quędam rictu patulo, sine vocis officio, ad eius accessit tumulum: quo osculis delibato, elocutionis meruit recipere beneficium.

S. Iuliani miracula, extat.

De temperie anni præsentis

CAP. XXX.

HOc anno mense secundo tam in Turonico quam in Namnetico grauis populum lues adtriuit, ita vt modico quisquis ægrotus capitis dolore pulsatus, animam funderet. Sed factis rogationibus cum grandi abstinentia & ieiunio, sociatis etiam eleemosynis, aduersus diuini furoris impetus mitigatus est. Apud Lemouicinam vero vrbem ob Dominici diei iniuriam, pro eo quod in eo operam publicam exercerent, plerique igne cœlesti consumpti sunt. Sanctus est enim hic dies, qui in principio lucem conditam primus vidit, ac dominicæ resurrectionis testis factus emicuit: ideoque omni fide a Christianis obseruari debet, ne fiat in eo omne opus publicum. In Turonico vero nonnulli ab hoc igne, sed non die Dominico sunt adusti. Siccitas immensa fuit: quæ omne pabulum herbarum auertit: vnde factum est, vt grauis morbus in pecoribus ac iumentis inualescens, parum vnde sumeretur origo relinqueret: sicut Abacuc Propheta vaticinatus est: * *Deficient ab esca oues, & non erunt in præsepibus boues.* Non modo enim in domesticis, verumetiam in ipsis ferarum immitium generibus hæc lues grassata est. Nam per saltus siluarum, multitudo ceruorum & reliquorum animantium prostrata per inuia nacta est. Fœnum, ab infusione pluuiarum & inundatione amnium periit. Segetes exiguæ, vineæ vero profusæ fuerunt. Quercuum fructus ostensi effectum non obtinuerunt.

Dies Dominica. Barbaris dies SOLIS sup. lib.3.c.15.

Recapitulatio de Epiſcopis Turonicis

CAP. XXXI.

Epiſcopi Turonenſes. DE Epiſcopis Turonicis, licet in ſuperioribus libris quædam ſcripſiſſe viſus ſim, tamen propter ordinationem eorum & ſupputationem, quo tempore primum prædicator ad Turonicam acceſſit vrbem, reciprocare placuit.

1. Primus Gratianus Epiſcopus, anno imperii Decii primo, à Romanæ ſedis Papa tranſmiſſus eſt: in qua vrbe multitudo paganorum idololatriis dedita commorabatur: de quibus nonnullos prædicatione ſua conuerti fecit ad Dominum. Sed interdum oculebat ſe ob impugnationem potentum, eo quod ſæpius eum iniuriis & contumeliis cum repererant, adfeciſſent, ac per cryptas & latibula cum paucis Chriſtianis (vt diximus) per eundem conuerſis, myſterium ſolennitatis diei Dominici clanculo celebrabat. Erat autem valde religioſus & timens Deum: vt niſi fuiſſet talis, non vtique domos, parentes & patriam ob dominici amoris diligentiam reliquiſſet. In hac vrbe ſub tali condicione (vt ferunt) annos L. commoratus, obiit in pace, & ſepultus eſt in ipſius vici cœmiterio, quod erat Chriſtianorum: & ceſſauit epiſcopatus XXXVII. annis.

2. Secundus anno imperii Conſtantis primo, Lidorius ordinatur Epiſcopus: fuit autem de ciuibus Turonicis, & hic valde religioſus. Hic ædificauit eccleſiam primam intra vrbem Turonicam, cum iam multi Chriſtiani eſſent: primumque ab eo ex domo cuiuſdam ſenatoris, Baſilica facta eſt. Huius tempore ſanctus Martinus in Galliis prædicare exorſus eſt. Sedit autem annos XXXIII. & obiit in pace, ſepultuſque eſt in ſupra ſcripta Baſilica, quæ hodieq; eius nomine vocitatur.

3. Tertius, ſanctus Martinus, anno VIII. Valentis & Valentiniani, epiſcopus ordinatus. Fuit autem de regione Pannoniæ ciuitate Sabariæ, qui ob amorem Dei apud vrbem Mediolanenſem Italiæ, primo monaſterium conſtituit: ſed ab hæreticis, eo quod ſanctam Trinitatem intrepidus prædicaret, virgis cæſus, atque expulſus de Italia in Gallias acceſſit: multos paganorum conuerti fecit, templa eorum ſtatuaſque confregit, fecitque multa ſigna in populos, ita vt ante epiſcopatum duos ſuſcitaret mortuos: poſt epiſcopatum autem, vnum tantummodo ſuſcitauit. Hic tranſtulit *al. Liborius.* corpus beati Gratiani, ſepeliuitque ipſum iuxta ſepulchrum ſancti Lidorii †, in illa nominis ſui præfata Baſilica. Hic prohibuit Maximum, ne gladium in Hiſpaniam ad interficiendos deſtinaret hæreticos: quibus ſufficere ſtatuit quod à Catholicorum Eccleſiis eſſent vel communione remoti. Conſummato ergo præſentis vitæ curſu, obiit apud Condatenſem vicum vrbis ſuæ, anno LXXXI. ætatis: de quo vico nauigio ſublatus, Turonis eſt ſepultus, in loco quo nunc adoratur ſepulchrum eius: de cuius vita tres à Seuero Sulpitio libros conſcriptos legimus. Sed & præſenti tempore multis ſe virtutibus declarat. In monaſterio vero quod nunc Maius dicitur, Baſilicam in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ædificauit. in vicis quoque, id eſt Alingauienſi, Solonacenſi, Ambacienſi, Ciſomagenſi, Tornomagenſi, Condatenſi, deſtructis delubris baptizatiſque gentilibus, eccleſias ædificauit. Sedit autem annos XXVI. menſes quatuor, dies XXVII. & ceſſauit epiſcopatus dies XX.

4. Quartus, Briccius ordinatur Epiſcopus, anno Arcadii & Honorii ſecundo, cum pariter regnarent. fuit autem ciuis Turonicus, cui XXXIII. epiſcopatus anno, crimen adulterii eſt impactum à ciuibus Turonicis: expulſoque eo Iuſtinianum epiſcopum ordinauerunt: Briccius vero ſe ad Papam Vrbis dirigit. Iuſtinianus autem poſt eum abiens apud vrbem Vercellenſem obiit. Turonici iterum malignantes, Armentium ſtatuerunt: Briccius vero ſeptem apud Papam Vrbis annis degens, idoneus inuentus à crimine, ad vrbem ſuam redire iuſſus eſt. Hic ædificauit Baſilicam paruulam ſuper corpus beati Martini, in qua & ipſe ſepultus eſt. Cumque portam ingrederetur,

deretur, Armentius per aliam portam mortuus efferebatur: quo ſepulto, cathedram ſuam recepit. Hunc ferunt inſtituiſſe eccleſias per vicos, id eſt Calatonnum, Briccam, Rotomagum, Briotreidem, Cainonem. fueruntque omnes anni epiſcopatus eius XLVII. Obiitque, & ſepultus eſt in Baſilica quam ſuper ſanctum Martinum ædificauit.

Quintus, Euſtochius ordinatur Epiſcopus, vir ſanctus & timens Deum, ex ge- 5.
nere ſenatorio. Hunc ferunt inſtituiſſe eccleſias per vicos, Brixeis, Iciodorum, Luccas, Dolos. Ædificauit etiam eccleſiam intra muros ciuitatis, in qua reliquias ſanctorum Geruaſii & Protaſii martyris condidit, quæ a ſancto Martino de Italia ſunt delatæ, ſicut ſanctus Paulinus in epiſtola ſua meminit. Sedit autem annos XVII. Et ſepultus eſt in Baſilica quam Briccius epiſcopus ſuper ſanctum Martinum ſtruxerat.

Sextus ordinatur Perpetuus, de genere & ipſe (vt aiunt) ſenatorio, & propin- 6.
quus deceſſoris ſui, diues valde, & per multas ciuitates habens poſſeſſiones. Hic ſubmota Baſilica quam prius Briccius epiſcopus ædificauerat ſuper S. Martinum, ædificauit aliam ampliorem miro opere. In cuius abſida beatum corpus ipſius venerabilis ſancti tranſtulit. Hic inſtituit ieiunia vigiliasq; qualiter per circulum anni obſeruarentur, quod hodieq; apud nos tenetur ſcriptum, quorum ordo hic eſt.

De Ieiuniis.

Poſt quinquageſimam, quarta & ſexta feria vſq; ad natale ſancti Ioannis. De Calend. ſeptemb. vſq; Calendas octob. bina in ſeptimana ieiunia. De Calendis octobris vſq; depoſitionem domini Martini, bina in ſeptimana ieiunia. A depoſitione domini Martini vſq; Natale Domini, terna in ſeptimana ieiunia. De natali ſancti Hilarii, vſq; medium Februarium, bina in ſeptimana ieiunia.

De Vigiliis.

Natali Domini in eccleſia. Epiphania, in eccleſia. Natali ſancti Iohannis, ad Baſilicam domini Martini. Natali S. Petri epiſcopatus, ad ipſius Baſilicam. VI Calend. April. reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad Baſilicam domni Martini. Paſcha, in eccleſia. Die aſcenſionis in Baſilica domni Martini. Die quinquageſimo, in eccleſia. Paſſione ſancti Ioannis, ad Baſilicam in baptiſterio. Natali ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad ipſorum baſilicam. Natali ſancti Martini, ad eius Baſilicam. Natali ſancti Simphoriani, ad Baſilicam domni Martini. Natali ſancti Lidorii, ad eius Baſilicam. Natali ſancti Briccii ad domni Martini Baſilicam. Natali ſancti Hilarii, ad domni Martini Baſilicam. Hic ædificauit Baſilicam ſancti Petri, in qua cameram Baſilicæ prioris poſuit, quæ vſque ad noſtra tempora perſeuerat. Baſilicam quoque ſancti Laurentii monte Laudiaco ipſe conſtruxit. Huius tempore ædificatæ ſunt eccleſiæ in vicis, id eſt Euena, Mediconno, Berrao, Balatedine, Vernado. Condiditque teſtamentum, & deputauit per ſingulas ciuitates quod poſſidebat, in eis ipſis ſcilicet eccleſiis, non modicam & Turonicæ tribuens facultatem. Sedit autem annos triginta, & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini.

Septimus vero, Voluſianus ordinatur Epiſcopus, ex genere ſenatorio, vir ſanctus, 7.
& valde diues, propinquus & ipſe Perpetui epiſcopi deceſſoris ſui. Huius tempore iam Chlodoueus regnabat in aliquibus vrbibus in Galliis. Et ob hanc cauſam hic pontifex ſuſpectus habitus a Gothis, quod ſe Francorum ditionibus ſubdere vellet, apud vrbem Tholoſam exilio condemnatus, in eo obiit. Huius tempore vicus Manlolomaus ædificatus eſt, & Baſilica ſancti Ioannis in Maiori monaſterio. Sedit autem annos ſeptem, menſes duos.

Octauus, ordinatur epiſcopus Virus, & ipſe pro memoratæ cauſæ zelo ſuſpectus 8.
habitus a Gothis, in exilium deductus, vitam finiuit: facultates ſuas eccleſiis & bene meritis dereliquit. Sedit autem annos vndecim, dies octo.

X

9. Nonus, Licinius, ciuis Andegauus, qui ob amorem Dei in orientem abiit, ſanctaque loca reuiſit: exinde digreſſus, in poſſeſſione ſua monaſterium collocauit intra terminum Andegauum, & poſtea Abbatis officio in monaſterio vbi ſanctus Venantius Abbas ſepultus eſt, functus, ad epiſcopatum eligitur. Huius tempore Chlodoueus rex victor de cæde Gothorum, Turonos rediit. Sedit autem annos duodecim, menſes duos, dies XXV. & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini,

10. Decimo loco, Theodorus & Proculus, iubente beata Chrodielde regina, ſubrogantur, eo quod de Burgundia iam Epiſcopi ordinati, ipſam ſecuti fuiſſent, & ab hoſtilitate de vrbibus ſuis expulſi fuerant. Erant autem ambo ſenes valde: rexeruntque eccleſiam Turonicam ſimul annis duobus, & ſepulti ſunt in Baſilica ſancti Martini.

11. Vndecimus Dinifius Epiſcopus, & ipſe ex Burgundia veniens: qui per electionem præfati regis ad epiſcopatum acceſſit: cui aliquid de fiſci ditionibus eſt largitus, deditque ei poteſtatem faciendi de his rebus quæ voluiſſet: qui maxime eccleſiæ ſuæ quod fuit melius, dereliquit: largitus eſt etiam quiddam & bene meritis. Sedit autem menſes decem, & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini.

12. Duodecimus, Ommatius de ſenatoribus ciuibuſque Aruernis, valde diues in prædiis, qui condito teſtamento per eccleſias vrbium in quibus poſſidebat facultates ſuas, diſtribuit. Ipſe exaltauit eccleſiam intra muros vrbis Turonicæ, ſanctorum Geruaſii atque Protaſii reliquiis conſecratam, quæ muro coniuncta eſt. Hic cœpit ædificare Baſilicam ſanctæ Mariæ intra muros vrbis, quam imperfectam reliquit. Sedit annos quatuor, menſes quinque: obiitq;, & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini.

13. Tertiusdecimus, Leo ex abbate Baſilicæ S. Martini ordinatur epiſcopus. fuit autem faber lignarius, faciens etiam turres holochryſo tectas, ex quibus quædam apud nos retinentur: in aliis etiam operibus elegans fuit. Sedit autem menſes VI. & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini.

14. Quartusdecimus, Francilio ex ſenatoribus ordinatus epiſcopus, ciuis Pictauus, habens coniugem, Claram nomine, ſed filios non habens: fueruntque ambo diuites valde in agris, quos maxime ſancti Martini Baſilicæ contulerunt, reliquerúntq; quædam & proximis ſuis. Sedit autem annos duos, menſes ſex: obiitque & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini.

15. Quintusdecimus, Iniurioſus ciuis Turonicus, de inferioribus quidem populi, ingenuus tamen. Huius tempore Chrodieldis regina tranſiit. Hic perædificauit eccleſiam ſanctæ Mariæ intra muros vrbis Turonicæ. huius tempore & Baſilica S. Germani ædificata eſt. Vici etiam, Nouiliacus & Luciliacus, fundati ſunt. Hic inſtituit tertiam & ſextam in Eccleſia dici, quod modo in Dei nomine perſeuerat. Sedit autem annos ſexdecim, menſes vndecim, dies viginti ſex. obiitque & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini.

16. Sextusdecimus, Baudinus ex referendario Chlotharii regis, ordinatur Epiſcopus, habens & filium, multis eleemoſynis præditus: aurum etiam quod deceſſor eius reliquerat, amplius quam viginti milia ſolidorum, pauperibus erogauit. Huius tempore alter vicus Nouiliacus ædificatus eſt. Hic inſtituit menſam canonicorum. Sedit autem annos quinque, menſes decem. obiitque & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini.

17. Decimusſeptimus, Guntharius ex Abbate monaſterii ſancti Venantii ordinatur Epiſcopus, vir valde prudens, dum Abbatis fungeretur officio, & ſæpius legationes inter Reges Francorum faciens: poſtquam autem Epiſcopus ordinatus eſt, vino deditus, pene ſtolidus apparuit: quæ res eum intantum amentem faciebat, vt conuiuas, quos bene nouerat, nequiret agnoſcere: ſæpius tamen eos conuiciis agebat & improperiis. Sedit autem annos duos, menſes decem, dies vigintiduos. Obiit autem & ſepultus eſt in Baſilica S. Martini, ceſſauitq; epiſcopatus anno vno.

18. Octauusdecimus, Eufronius presbyter ordinatur epiſcopus, ex genere illo quod ſupe-

superius senatorium nuncupauimus, vir egregiæ sanctitatis, ab ineunte ætate clericus. Huius tempore ciuitas Turonica cum omnibus Ecclesiis magno incendio concremata est, de quibus ipse postea duas reparauit, tertiam vetustissimam relinquens desertam. Postea vero Basilica sancti Martini & ipsa incendio est adusta per Vuiliacharium, cum ibi confugium pro Chramni quondam circunuentione fecisset. Quā postea idem pontifex texit stanno, opitulante rege Chlothario. Huius tempore Basilica sancti Vincentii ædificata est. Tauriaco, Cærate, & Orbiniaco, vicis, ecclesiæ ædificatæ sunt. Sedit autem annos septemdecim. obiitque ætate septuagenaria & sepultus est in Basilica sancti Martini. Cessauitque episcopatus dies XIX.

Nonusdecimus, Gregorius, ego indignus ecclesiam vrbis Turonicæ, in qua beatus Martinus & cæteri sacerdotes Domini ad pontificatus officium consecrati sunt, 19.
ab incendio dissolutam diruptamq; nactus sum, quam reædificatam in ampliori altiorique fastigio septimodecimo ordinationis meæ anno dedicaui: in qua (sicut à longæuis presbyteris comperi) beatorum ibidem reliquiæ Agaunensium ab antiquis fuerant collocatæ, ipsam etiam capsulam in thesauro Basilicæ sancti Martini reperi: in qua valde putredine erat pignus dissolutum, quod pro eorum religionis est virtute delatum. Ac dum vigiliæ in eorum honore celebrarentur, libuit animo hæc iterum prælucescente cereo visitare: quæ dum à nobis adtente rimaretur, dixit ædis æditus: *Est hic*, inquit, *lapis opertorio tectus, in qua quid habeatur prorsus ignoro, sed nec prædecessores ministros huius custodiæ scire comperi. deferam eum, & scrutamini diligenter quid contineatur intra conclusum.* Quem delatum reseraui (fateor) & inueni in hoc capsulam argenteam, in qua non modo beatæ legionis testium, verumetiam multorum sanctorum tam martyrum quam confessorum reliquiæ tenebantur. Nacti etiam sumus & alios lapides, ita vt hic erat, concauos, in quibus sanctorum Apostolorum cum reliquorum Martyrum, pignera continebantur. Quod munus ego diuinitus indultum admirans, & gratias agens, celebratis vigiliis, dictis etiam missis, hæc in Ecclesia collocaui. In cellula sancti Martini ecclesiæ ipsi contigua, sanctorum Cosmæ & Damiani martyris reliquias posui. Basilicas sancti Perpetui adustas incendio reperi, quas in illo nitore vel pingi, vel exornari, vt prius fuerant, artificum nostrorum opere imperaui. Baptisterium ad ipsam Basilicam ædificari præcepi, in quo sancti Ioannis cum Sergii martyris, reliquias posui, & in illo priore baptisterio sancti Benigni martyris pignera collocaui. In multis vero locis intra Turonicum terminum, & ecclesias, & oratoria dedicaui, Sanctorumque reliquiis inlustraui, quæ memorare ex ordine prolixum censui.

Decem libros Historiarum, septem Miraculorum, vnum de Vitis Patrum scripsi: in Psalterii tractatum librum vnum commentatus sum: de Cursibus etiam Ecclesiasticis vnum librum condidi. Quos libros licet stilo rusticiori scripserim, tamen coniuro omnes sacerdotes Domini, qui post me humilem, ecclesiam Turonicam sunt recturi, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, ac terribilem reis omnibus iudicii diem, si nunquam confusi de ipso iudicio discedentes cum Diabolo condemnandi estis, vt nunquam libros hos abolere faciatis, aut rescribi, quasi quædam legentes & quasi quædam prætermittentes: sed ita omnia vobiscum integra illibataque permaneant, sicut a nobis relicta sunt. Quod si te, sacerdos Dei, quicunque es, Martianus noster septem disciplinis erudiit, id est, si te in Grammaticis docuit legere, in Dialecticis altercationum propositiones aduertere, in Rhetoricis genera metrorum agnoscere, in Geometricis terrarum linearumque mensuras colligere, in Astrologicis cursus siderum contemplari, in Arithmeticis numerorum partes colligere, in harmoniis sonorum modulationes suauium accentuum carminibus concrepare: si in his omnibus ita fueris exercitatus, vt tibi stilus noster sit rusticus †, nec sic quoque deprecor, vt auellas quæ scripsi. Sed si tibi in his quiddam placuerit, saluo opere nostro te scribere versu non abnuo. Hos autem libros in anno vicesimoprimo ordinationis nostræ perscripsimus: scilicet in superioribus de episcopis Turonicis scripserimus, annotantes annos eorum, non tamen sequitur ac supputatur numerus

Mart. Capella.

sup. Præfat. loquentem rusticum.

chronicalis, quia interualla ordinationum integre non potuimus reperire. Est ergo omnis summa annorum mundialium talis:

Hæc vide Scalig. de Emend. Temp. fol. 583.

A principio vsque ad diluuium anni MMCCXLII.

A diluuio vsque ad transitum filiorum Israel per mare rubrum, anni MCCCCIV.

Ab hoc maris transitu vsque ad resurrectionem dominicam, anni MDXXXVIII.

A resurrectione dominica vsque ad transitum sancti Martini, anni CCCCXII.

A transitu S. Martini vsque ad memoratum superius annum, id est, ordinationis nostræ primum & vicesimum, qui fuit Gregorii Papæ Romani quintus, Guntheramni regis XXXI. Childebetti iunioris, XIX. anni CCXVIII.

Quorum omnes summa est, annorum MMMMMDCCCLXIV.

FINIS.


AIMOI-



AIMOINI MONACHI, QVI ANTEA ANNONII NOmine circumferebatur, Historiæ Francorum LIBRI IV.

Ex veteribus exemplaribus, & noua accurataque recensione, nunc demum multo emendatiores & meliores.

D. IOHANNI NICOTIO LIB. SVPPL. IN REG. Mag. Andreas Wechelus typographus S. P. D.



AIMOINVM monachum tua opera in integrum, suisq; gentilibus restitutum, tibi, ex cuius Bibliotheca hoc ornatu prodit, do atque dedico. Fecisti certe præclare, atq; è re Antiquitatis Francorum, quod hunc quoq;, rerum ab ipsis gestarum optimum scriptorem, subcisiuis tuis horis carere haud passus sis. Nam quum in Lusitania Christianissimi Regis Legatus esses, Historicorumque lectioni (qua magnopere adiuuari ais, qui Principum negocia gerũt) operam dares, haud certe minus, quam te ea vtilissima gerendarum rerum disciplina ornasti, Historicis, quos tum legebas, studio iudicioq; tuo profuisti. Testis hic equidem auctor totis sane libris. Nam si ad Ascensianam editionem, hanc tuam, aut (vt certe iubes) nostram quis referat, non certe Ascensianum Aimoinum agnoscat. In illa innumerabilia corrupta aut prætermissa: in hac vero omnia integra atq; apposita, perspiciet. Fidem vero ac iudicium tuum mirifice commendo atque amplector, qui Aimoino sua omnia, id est, patrias phraseis, dictiones earumque finitiones, scribendi pronunciandiq; rationem, restitueris: quæ non satis prudens aliquis, ei nimio studio ademerat. Recte enim censes, nihil quicquam Aimoini Manes pudere, Latinæ sui temporis orationis: Sat vero superque ab Aimoino, ingenti etiam cum ipsius laude, posteritati præstitum, cum prisca omnia Francorum fide maxima narret, seu rerum gerendarum veteres eorum arteis domi forisque, seu ritus moresq; gentis spectes. Attamen Latine ille quidem, etsi ita scripsit, vt Romana minime multa habeat. Cuiusmodi certe scriptores, plurimi Aimoino ætate suppares extitere. Quos si quis magis Latine scribentes, quam ipsis etiam nitentibus illa ætate licuit, effingere conetur, non hercle procul absit à crimine læsæ prototyporum fidei.

Quanto vero magis iniuria is non vacabit, qui pro priſcis boniſque Gallicis, & ſi Latino tantum ſono ſint expreſſa, Latina non bona, aduerſantibus exemplaribus, ſupponat? Quod equidem pleriſque in locis huic Aimoino euenerat in Aſcenſiana illa editione. At nunc reſciſſis ſuppoſititiis omnibus, ſuiſque repoſitis ita excudendum, tuo munere, curaui, vt à naſcente Aimoino hic renatus nihil quicquam, ab illo autem Aſcenſiano omnino differat. Vtinam vero quæ in Tito Liuio ac Cornelio Tacito eadem opera præſtitiſti, in manus quoque hominum venire, quam premere, malles. Sed prodibunt illa quando tu quidem permittes. Te tamen hortari ac monere non deſiſtam, vt quamplurimis illorum editione prodeſſe cures. Vale.

Dat. Lutetiæ Pariſior. XIV. Kal. Nouembr. M. D. LXVI.

ANDREAS WECHELVS typographus Lectori. S.



LATVERANT *diu Aimoini de rebus Francorum libri, quum Aſcenſius illos euulgauit: verum adeo detrũcati ac vitioſi ab illo ſunt editi, vt hactenus prorſus latuiſſe omnes merito cenſeant. Ego autem, qui rei literariæ adiuuandæ, dudum à patruo ita inſtitutus, me addixi, quum D. Ioan. Nicotium lib. ſuppl. in Reg. Mag. hos accurate perlegiſſe, & ad vetuſtiſſimi exemplaris ſidem emendaſſe reſciſſem, ne diutius tam inſigni tamque vtili ac ab omnibus expetito rerum à Francis geſtarum ſcriptore careres, illius erga me beneuolentia effeci. Eccum tibi itaque Aimoinum, fideliſſimum valdeque diligentem hiſtoricum. A quo ſane diſces, quæ incunabula, quæque incrementa Francorum Imperii fuerint. Quæ artes pacis bellique Francos ad tantam rerum ſummam extulerint: Atque adeo quo tempore maxime, res Francorum armis, ciuiliumque artium præſtantia, Parſimonia, Fide ac Iuſtitia, Maieſtate denique Imperii ipſorum, excelluerint. Quæ fœdera, quibuſcum gentibus, ſiue æqua, ſiue comi Maieſtatis Francorum obſeruatione, quæue cum iis affinitates, intercesserint. Quanta porro in eodem regno eadem que gente morum, artiumque pacis ac belli, irrepſerit labentibus annis diſſimilitudo. Quæ equidem, aliaque euiſmodi, ad prudentiam conſtituendam valde apta obſeruantibus, fructus Hiſtoriarum maxime patet atque conſtat. Res certe illis, qui negotiis Principum Rerumque publicarum interſunt præſuntve, imprimis neceſſaria, cuiuis autem cognitu vtilis atque iucunda. Hoc vero ſcito D. Nicotium in dubiis propriis nominibus virorum, fœminarum, vrbium, pagorum, arcium, fluminum, iudicium tuum ſuo præferre; quod ſane in cauſa fuit, vt marginibus lectiones dubias adnotari curauerim. Quod ſi tibi hanc operam meam gratam eſſe ſenſero, ſpondeo non defuturum ſtudium meum in aliis huius ordinis ſcriptoribus quam emendatiſſime excudendis. Vale.*

AIMOI-

AIMOINI MONACHI,

IN FRANCORVM HISTORIAM AD Abbonem Abbatem epistola nuncupatoria.

Domino venerabili & in Christi dilectione fundato, Abboni Abbati, totius gregis illi à Deo commissi minimus Aimoinus, perpetuæ felicitatis munus.

PRÆCEPTIS beatitudinis tuæ parui, beatissime pater: quibus præceperas vt ingeniolum exercendo meum, quod tribuente Christo per tuæ sollicitudinis tuorumque discipulorum laborem ad meliora profecisse arbitrabaris, res gestas Francorum siue Regum, quæ & per diuersos sparsæ libros & inculto erant sermone descriptæ, in vnius redigerem corpus opusculi: ac ad emendatiorem Latinitatis reuocarem formam. Institi igitur vt potui, atque vtinam, tam effic. c ter quam libenter. Porro de opere tua paternitas viderit: rectene an secus egerim. Ego autem solius obedientiæ (si tamen voluntate, conatuque eam decoraui) testimonio contentus sum. Ammonitionis itaque tuæ non immemor: qua sæpissime hortatus es: vt situm Germaniæ & Galliæ, in quibus hæc quæ referentur acta sunt, non prætermitterem: ea quæ in auctoribus Iulio, Plinio, ac Orosio inuenire potui colligens, huic opusculo inserendo, voluntati sublimitatis tuæ satisfacere commodum duxi. His igitur adiunxi quæ Iulius de Germanorum Gallorumque moribus, ac institutis, in libro suæ interserit historiæ. Ab egressu quoque Francorum è Troia vsque ad id temporis quo Pipinus magni Caroli pater regnare cœpit, cunctam rerum gestarum seriem in quatuor decreui libros partiri. Quos ea contextui ratione: vt sequens semper priorem quantitate sui & numero Regum transcenderet. Verbi gratia. Primo continente quinque Regum actus: Secundus continet sex. Tertius septem. Quartus vero octo & eo amplius. *Operis diuisio.* Genealogias quoque Regum, quæ propter similitudinem nominum valde confusæ erant, quanta potui diligentia distinxi: vnumquemque vel patris nomine, vel senioris iuniorisue appellatione ab altero distinguens: quemadmodum diligens lector in suis animaduertere potest locis. Id præcipue conseruare curaui, vt in omnibus his libris mentio fieret Benedicti patris, certis ex causis: cui ego meum scire, meum posse, meumque viuere post Deum acceptum fero. *Inf. lib. 1. c. 16. & lib. 3. c. 80.* Nec ignoro multos fore, qui solita libidine omnibus detrahendi, huic volumini genuinum infigant dentem: quod vitare non poterit, nisi qui nihil omnino scribet. Calumniabuntur in tempora: conuertent ordinem: res arguent: syllabas euentilabunt: & (quod accidere plerumque solet) neglegentiam librariorum ad auctorem referent. dicent etiam: *En noster Historiographus nouusque auctor, qui aliorum verbis pro suis vtitur.* Hoc quidem me fecisse non nego, neque id me piget: ac deinde facturum autumo: habeo bonorum exemplum, quo mihi id licere facere, quod illi fecerunt, puto. *Terent.* Nec sententiis detrahentium satis moueor: tua laude vel vituperatione doctus esse sufficiens. Vale pater venerande: & prosperis ad vota successibus polle.

Explicit Epistola. Incipit præfatio continens prænotamenta in gesta Francorum.

De Germaniæ diuisione, longitudine, latitudine, amnibus, Hercinia sylua

CAPVT I.

Germaniæ diuisio. *Daci.* *Longitudo.* *Latitudo.* *Amnes.*

GERMANIA omnis in quinque populorum conuentus diuiditur: è quibus primi sunt Vindelici, deinde Cimbri, post hos Teutones, ac perinde Peucini: vltimis omnium existentibus Basternis: qui confines sunt Dacis. Porrigitur autem Germania in longitudinem sexcentis octoginta sex millibus passuum. In latitudinem, centum quadraginta octo millibus. Amnes in ea clari atque in Oceanum decurrentes: Guthalus, Visurgis, & Rhenus. In Rheno autem ipso centum prope habentur in longitudine insulæ: quarum nobilissima est Batauorum, & aliæ quamplurimæ, quæ sternuntur inter Rhenum ac Fleuum. ita vero appellantur ostia in qua Rhenus in septentrione in lacus varios, ab occidente in amnem Mosam se spargit: medium inter hæc & modicum nomini suo custodiens alueum. Oritur autem ex Lepontiis, qui Alpes incolunt: & longo spatio per fines Heluetiorum, Mediomatricum, atque Treuerorum citatus fertur. Et vbi Oceano appropinquat, in plures defluit partes, multis ingentibusque insulis, vt præmissum est, effectis (quarum pars magna a feris [illegible] nationibus incolitur: Ex quibus sunt qui solis piscibus, atque ouis auium v[illegible] stimantur) multisque capitibus in Oceanum fluit. Intra Germaniam vero n[illegible] rius nobilitate Hercinium iugum prætenditur: de quo videlicet iugo Iulius [illegible] historia belli Gallici, quod sylua adopertus sit, variisque ferarum generibus abundans hoc modo scribit. Ea (inquiens) quæ fertilissima Germaniæ sunt loca circum Herciniam syluam, quam Eratostheni & quibusdam Græcis fama notam esse video, quam illi Orciniam appellant, peruolge Tectosages nuncupauerunt atque ibi consederunt. Quæ gens vsque ad hoc tempus his sedibus sese continet: summamque habet iustitiæ & bellicæ laudis opinionem. nuncque in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent: eodem victu & cultu corporis vtuntur. Gallis autem prouinciarum propinquitas & transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atque vius [illegible]rgitur: qui paulatim assuefacti superari multisque victi præliis, nec se quidem ipsi c[illegible]m illis virtute comparant. Huius Herciniæ syluæ, quæ supra demõstrata est, latitudo [illegible]nouem dierum iter expedito patet. Non enim aliter finiri potest, neque mensuras i[illegible]nerum nouerunt. Oritur ab Heluetiorum & Nemetum & Tauriacorum † finibus, r[illegible]ctaque fluminis Danubii regione: & pertingit ad fines Dacorum & Anartium. hinc [illegible] flectit sinistrosus diuersis à flumine regionibus: multarum gentium fines propter [illegible]gnitudinem attingit. Neque quisquam est huius Germaniæ, qui se aut audisse, aut [illegible]sse initium huius syluæ dicat, cum dierum iter sexaginta processerit: aut quo ex lo[illegible]oriatur acceperit. Multaque genera ferarum in ea nasci constat, quæ reliquis in loci[illegible] sunt: ex quibus quæ maxime differant ab aliis & memoriæ prodenda vide[illegible] sunt.

Rheni ortus. *Hercinia sylua.* *Orcinia.* *Germani virtute præstant.* *† Rauracorũ.*

De feris Germaniæ, præcipue in Hercinia sylua

CAPVT II.

Bos syluester *Alces.*

EST bos cerui figura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu existit excelsius, magisque directum his quæ nobis nota sunt cornibus: & ab eius summo sicut palmæ rami late diffunduntur. Eadem est fœminæ marisque natura: eadem forma magnitudoq; cornuum. Sunt item quæ appellantur Alces. Harum est consimilis capris figura & varietas pellium: sed magnitudine paulo antecedunt. inutiles sunt cornibus: & crura sine nodis articulisque habent: neque quietis causa procumbunt: neq; si quo afflictæ casu conciderint, erigere sese aut sublcuare possunt. His sunt arbores pro cubilibus, & ad eas se applicant: atque ita paululum modo reclinatæ quietem capiunt. Quarum

Quarum ex vestigiis cum est animaduersum à venatoribus quo se recipere cōsuerint, omnes eo loco aut à radicibus subruunt, aut arbores abscindūt, tantum vt summa species earum stantium relinquatur. Hinc cū se cōsuetudine reclinauerint, informes† arbores pondere affligunt, atque vna ipsæ concidunt. Tertium est genus eorum qui Vri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra elephantis: specie & colore & figura tauri. magna vis eorum est & magna velocitas: neq; homini neq; feræ quam cōspexerint parcūt. hos studiose captos foueis, interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis se exercent. Et qui plurimos ex his interfecerint: relatis in publicum cornibus quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines & mansueti fieri, ne paruuli quidem excepti, possunt. amplitudo cornuum & figura & species multum a nostrorum boum cornibus differt. hæc studiose conquisita ab labris argento circuncludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis vtuntur.

† infirmas. — *Vri.* — *Vrorum cornua.*

De moribus Germanorum

CAPVT III.

DE moribus quoq; hominum ac cultu idem auctor in eodem libro hæc refert. Germani (ait) multum à consuetudine Gallorum differunt. Nam neq; Druides (quos nos sacerdotes vel diuinos vates possumus vocare) habent, vt illi qui rebus diuinis prę sunt, neq; sacrificiis student. de Deorū numero eos solos ducunt quos cernunt, & quorum aperte operibus iuuantur, Solem scilicet, & Vulcanum, & Lunam. Reliquos nec fama acceperunt. Vita omnis in venationibus, atq; in studiis rei militaris consistit. Ab paruulis labori ac duritiæ student. Qui diutissime impuberes permāserunt, maximam inter suos laudem ferunt: Hoc alii staturam, alii vires, neruosq; cōfirmari putant. Intra annum vero vicesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habēt rebus. Cuius rei nulla est occultatio: quod & promiscue in fluminibus perluuntur, & pellibus aut paruis Rhenonum (id est nomen animalis) tegumentis vtuntur, magna corporis parte nuda. Agriculturæ non student: maiorq; pars eorum victus in lacte, caseo, carneq; cōsistit: neq; quisquam agri modum certum, aut fines habet proprios. Sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusq; hominum qui vna coierunt, quantum & quo loco visum est agri attribuunt: atq; post annum alio transire cogunt. Eius rei multas afferunt causas: ne assidua consuetudine capti, studium belligerandi agricultura commutent: ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant: ne accuratius ad frigora atq; æstus vitandos ędificent: neq; oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones dissentionesq; nascuntur: vt animi æquitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis æquari videat. Ciuitatibus maxima laus est, quam latissime circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neq; quenquam prope audere consistere. Simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato. Cum bellum ciuitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus qui ei bello præsint, vt vitę necisq; habeant potestatem deliguntur. In pace nullus est communis magistratus: sed principes regionum atq; pagorum inter suos ius dicunt controuersiasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusque ciuitatis fiunt: atque ea iuuentutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant. Atq; vbi quis ex principibus in concilio dixerit, *Se ducem fore, qui sequi velint profiteantur*: consurgunt hi qui & causam & hominem probant, suumque auxilium pollicentur atque multitudine collaudātur: qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur: omniumque his rerum postea fides derogatur. Hospitem violare fas non putant: quiq; qua de causa ad eos venerint ab iniuria prohibent, sanctos eosq; habent, hisque omnium domus patent, victusque communicatur. Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent: vltro bella inferrent: propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Hactenus de Germania, quæ in veteribus reperire potuimus pandere curauimus: nunc de Gallia dicendum.

Germanorū mores. — *Druidæ.*

De Gallia: vt tripertitus eſt ſitus Galliæ

CAPVT IV.

Gallia. GAlliam omnem in quatuor prouinciasOroſius hoc modo diuidit. Gallia, inquiẽs, Belgica habet ab oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam: ab Euro Alpes Penninas: à meridie prouinciam Narbonenſem: ab occaſu prouinciam Lugdunenſem: à Circio oceanum Britannicum: à Septentrione Britanniam inſulam.

Lugdunenſis Gallia Lugdunenſis ducta per longum, & per anguſtum inflexa, Aquitaniam prouinciam ſemicingit. Hæc ab oriente habet Belgicam: à meridie partem prouinciæ Narbonenſis, qua Arelas ciuitas ſita eſt: & mari Gallico Rhodani flumine accipitur.

Narbonenſis Narbonenſis prouincia pars Galliarum habet ab oriente Alpes Cottias: ab occidente Hiſpaniam: à Circio Aquitaniam: à ſeptentrione Lugdunenſem: ab Aquilone Belgicam Galliam: à meridie mare Gallicum, quod eſt inter Sardiniam & inſulas Baleares habens in fronte, qua Rhodanus fluuius in mare exit, inſulas Stichadas.

Aquitania. Aquitaniæ prouincia obliquo curſu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius eſt, in orbem agitur: hæc à Circio oceanum qui Aquitanicus ſinus dicitur, ab occaſu Hiſpanias habet: à Septentrione & oriente Lugdunenſem: ab Euro & meridie Narbonenſem prouinciam contingit.

Iulius vero Cæſar, qui cum eiuſdem terræ incolis decennio bellum geſſit, concordante ſecum Plinio multiſque aliis Philoſophis, tres tantum vult eſſe prouincias. Cuius nos ſcripta eodem, quo ipſe vſus eſt, hic inſerimus ordine: aliqua tantummodo, quæ ille in aliis ſuæ hiſtoriæ locis de ciuitatibus ſiue fluminibus dixit, ſeu quæ Plinius aliter ac ille ſenſit, interponentes.

De Gallia ſecundum Cæſarem

CAPVT V.

GAllia eſt omnis diuiſa in partes tres, quarum vnam incolunt Belgæ, alteram Aquitani. Tertiam qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur. Hanc quoque partem Plinius Lugdunenſem Galliam eſſe aſſerit. Hi omnes lingua, inſtitutis, legibus inter ſe differunt. Gallos Lugdunenſes ab Aquitanis Garomna flumen, à Belgis Matrona & Sequana diuidit: horum omnium fortiſſimi ſunt Belgæ: propterea quod a *Belgæ.* cultu atque humanitate prouinciæ longiſſime abſunt, minimeque ad eos mercatores ſæpe commeant, atque ea quæ ad effœminandos animos pertinent important: proximique ſunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, cum quibus continenter bellum *Heluetii.* gerunt. Qua de cauſa Heluetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quod fere quotidianis prœliis cum Germanis contendunt, cum aut à ſuis finibus eos prohibent, aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt. Hi vna ex parte flumine Rheno latiſſimo atque altiſſimo continentur: qui agrum Heluetium a Germanis diuidit. Altera ex parte monte Iura altiſſimo, qui eſt inter Sequanos & Heluetios. Tertia lacu Lemanno & flumine Rhodano, qui prouinciam noſtram ab Heluetiis diuidit.

Celtica. Galliæ vna pars, quam eos qui ſpecialiter Galli dicuntur obtinere dictum eſt, initium capit à flumine Rhodano: continetur Garomna flumine: oceanum in finibus Belgarum attingit, etiam ab Sequanis & Heluetiis flumen Rhenum vergit a ſeptentrione. Vrbes in ea multæ ac opulentæ. Sed ex his præcipuæ ſunt noſtroque æuo plus cognitæ: Lugdunum, Cabillonis, Heduaque & Auguſtidunus, Senonis, Antiſſiodorus, Meldis, Trecas, Pariſius, Carnotum, Gennabus vbi nunc Aurelianis, Rothomagus, Ebroas, Oximus, Cenomannis, Lixouium, Namnetis, Redonis, Venetus, Abrincatina, Andus quæ & Andegauis, Turonis, Bituriges, Niuedunus, quam quidam *Senones.* Niuernis eſſe putant. Harum Auguſtidunus & Senonis magnæ antiquitus apud Gallos fuere auctoritatis atque potentiæ. Adeo vt vna earum, id eſt Auguſtidunus, quam Iulius Heduam nominat, amicitiam populi Romani amplectendo, toti pene Galliæ

nixa

nixa fauore principata sit. Porro Senonis viribus confisa suis, ipsam Romam orbis caput obsidere non pertimuerit, quam & cepit. Vrbs vero Biturica atque Turonica, secundum Orosii diffinitionem, qui Aquitaniam à flumine Ligeri vsque ad Pyrenæos *Aquitania.* determinat montes, quamque moderni sequuntur non in Celtica Gallia, sed magis *Lugdunensis* in Aquitania sunt prouincia. Flumina in Lugdunensi Gallia plurima, sed ex eis præcipua Rhodanus, qui eius ab orientali parte terminus est. Quod autem verbis Iulii posuimus, qui prouinciam nostram ab Heluetiis diuidit, terrā illam intelligimus quæ hoc nomine proprio sortita est. Deinde Araris qui per fines Heduorum & Sequanorum *Araris.* incredibili lenitate in Rhodanum influit, ita vt oculis in quam partem fluat iudicari vix possit: Quod nos quoque perspeximus, ac admirati sumus tantæ magnitudinis fluuium tam tardo motu profluentem. Post eum extat Liger, qui terram illam quæ inter illum & Sequanam iacet, pene insulam efficit. Syluæ multæ: sed eminentior cæteris Perticus. Et hoc quidem de Gallia Celtica quæ & Lugdunensis vocatur. Nunc de Belgica prouincia videamus.

Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur. pertinent autem ad inferiorem partem *Belgica.* fluminis Rheni, spectantque in septentrionem & orienrem solem. Vrbes eius inclytæ ac famosæ Colonia Agrippina, Tungris, Treueris, Metisque, & Mediomatticū, Remis, Laudunus, Suessionis, Ambianis, Viromandus, Beluagus, Atrabatum, Lingonis, & pagus Heluetiorum, quem nunc Alamanni incolunt. Eius prouinciæ fluuii Scaldus, Matrona atque Mosa, profluens ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum, & parte quadam ex Rheno recepta quæ appellatur Vacculus, vulgo autem dicitur Eualis †, insulam efficit Batauorum, quæ rustico sermone vocatur *Battua* †. Alter *Vahalis, hod. die Betau.* fluuius est apud Belgas Axona, vltimos Remorum fines præterfluens. Sylua quoque Ardenna, quæ est totius Galliæ maxima, atque a ripis Rheni finibusque Treuerorum *Ardenna.* millibus amplius quingentis in longitudinem patet. Hæc de Belgis satis dixisse sit, dummodo de Aquitania, quæ digna sunt memoriæ tradantur.

Aquitania, vt Plinio atque Iulio videtur, à Garomna flumine vsque ad Pyrenæos *Aquitania.* montes, & ad eam partem quæ est ad Hispaniam pertinet: spectat inter occasum solis & septentrionem. Plus tamen hoc tempore determinatio Orosii superius a nobis declarata tenetur: secundum quam traditionem in Aquitania cōtinentur vrbes egregiæ: Narbona, Arunnias (quæ nunc Clarusmons vocatur) Cadurx, Tolosa, Gaualis, Rotenus, Lemouis, Petragorica, Pictauis, Burdegalis, Sanctona, & Engolisma. Fluuii quoque haud parui nominis in eadem sunt prouincia: Helauer, qui non multo minor Ligeri eius excipitur aluco. Dordonia etiam qui ex monte qui Dor dicitur: & est in finibus *Dordonia.* Aruernorum, duobus scaturiens fontibus, quorum vni nomen est *Dor*, alteri *Donæ*: qui haud procul a monte ipso coniunguntur, in Garomnam influit. Denique Aquitania dicta est eo quod præ cæteris prouinciis fontibus, fluminibusq; exuberet. Est in ea sylua vocabulo Lecenna, non contemnendæ magnitudinis, Biturigibus atq; Ar- *Lecenna.* u[illegible]is confinis: in qua vsque hodie ostenditur lapidea domus Brunichildis reginæ quondam Francorum, amœno satis (vt nos quoq; aspeximus) sita loco. Nam fluuiolus eam præterfluens, irrigua a latere efficit prata: messesque a fronte oppositæ cinguntur sylua venationi congrua. Has omnes prouincias dum Franci occupassent, in duas tantummodo partes diuidentes, eam quæ Septentrionem versus tenditur & inter Mosam & Rhenum est *Austriam*: illam vero quæ a Mosa ad Ligerim vsque pertingit, *Neustriam* *Austria.* vocauerunt. pars tamen Lugdunensis Galliæ, quam Burgundiones occupauerat, *Burgundiæ* *Neustria.* nomen retinuit. *Aquitania* quoque auitum non est dignata nomen mutare.

His de situ Germaniæ vel Galliæ, prout in libris veterum inuestigare potuimus, ostensis, nunc quæ Iulius de antiquorum consuetudine vel moribus senserit Gallorum, ipsius explicemus verbis.

De consuetudine vel moribus Gallorum

CAPVT VI.

AIt ergo, in omni (inquiens) Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atq; honore, genera sunt duo. Nam plebs pene seruorum habetur loco: quæ nihil ha-

bet per se: nullo adhibetur consilio. plærique cum aut ære alieno aut magnitudine tri-
butorum aut iniuria potentiorum premuntur sese in seruitutem addicunt. Nobilibus
in hos eadem sunt omnia iura, quæ dominis in seruos. Sed de his duobus generibus al-
Druides. terum est Druidum, alterum Equitum. Illi rebus diuinis intersunt, sacrificia publica ac
priuata procurant: religiones interpretantur: ad hos magnus adolescentium numerus
disciplinæ causa concurrit: magnoque hi sunt apud eos honore. Nam fere de omnib.
controuersiis publicis priuatisque constituunt. Et si quod est admissum facinus, si cæ-
des facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est: iidem discernunt, præmia &
pœnas constituunt. Siquis aut priuatus aut populus eorum decreto non steterit, sacri-
ficiis interdicunt. hæc pœna apud eos est grauissima. quibus ita est interdictum, hi nu- 1
mero impiorum ac sceleratorum habentur. his omnes decedunt: aditum sermonem-
que diffugiunt, ne quid ex cogitatione incommodi accipiant: neque his petentibus
ius redditur: neque vllus honor communicatur. His autem omnibus Druidibus præ-
est vnus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, siquis ex reliquis
excellit, dignitati succedit: aut si sunt plures pares, suffragio Druidum: nonnunquam
etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnotum,
quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes vn-
dique qui controuersias habent conueniunt: eorumque iudiciis decretisque parent.
Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et
nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerunque illo discendi causa pro- 2
ficiscuntur. Druides à bello abesse consueuerunt: neque tributa vna cum reliquis pen-
dunt: militiæ vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis extanti-
bus præmiis, & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à parentibus propin-
quisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos
nonnulli xx. in disciplina permanent: neque fas esse existimant ea literis mandare: cũ
in reliquis fere rebus publicis priuatisq; rationibus Græcis literis vtantur. Id mihi dua-
bus de causis instituisse videntur: quod neque in vulgum disciplinam efferri velint,
neque eos qui discunt literis confisos, minus memoriæ studere. quod fere plerisque
accidit, vt præsidio literarum diligentiam in prædiscendo ac memoriam remittant. In
primis hoc volunt persuadere, *Non interire animas: sed ab aliis post mortem transire ad alios,* 3
atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præter-
ea de syderibus ac eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natu-
ra, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant & iuuentuti tradunt.

Alterum genus est Equitum. hi cum est vsus atque aliquod bellum incidit (quod
fere ante Cæsaris aduentum quotannis accidere solebat, vt aut ipsi iniurias inferrent,
aut illatas propulsarent) omnes in bello versantur: atque eorum vt quisque genere co-
piisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc vnam
gratiam potentiamque nouerunt.

De Gallorum religione 4

CAPVT VII.

Religio Gallorum. NAtio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus: atq; ob eam causam,
qui sunt affecti grauioribus morbis, quique in præliis periculisque versantur, aut
pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vouent: administrisque ad ea sa-
crificia Druidibus vtuntur: quod pro vita hominis non nisi vita hominis reddatur, nõ
posse Deorum immortalium numen placari, arbitrantur: publiceque eiusdem gene-
ris habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent: quorum
contexta viminibus membra viuis hominibus complent. Quibus succensis circum- 5
uenit flamma: exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto, aut in latrocinio,
aut aliqua noxa sunt comprehensi gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur: sed cũ
eius generis copia deficit, etiam ad Innocentium supplicia descendunt. Deum maxi-
Dii Gallorũ me Mercurium colunt: huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inuentorem ar-
tium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ merca-
[illegible] turasque

turasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam: de his eandem fere quam reliquæ gentes habent opinionem. Apollinem morbos depellere: Mineruam operum atq; artificiorum initia tradere: Iouẽ imperium cæleste tenere: Martem bella gerere. Huic, cum prælio dimicare cõstituerunt, ea quæ bello ceperint plerunq; deuouent: quæ superauerint animalia capta immolant: reliquasq; res in vnum locum conferunt. Multis in ciuitatibus, harum rerum extructos tumulos locis cõsecratis conspicari licet. Neq; sæpe accidit vt neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet: grauissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

De Gallorum origine

CAPVT VIII.

Galli se omnes ab Dite patre prognatos prædicant: idq; ab Druidibus proditum dicunt. Ob hanc causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiunt: dies natales & mensium & annorum initia sic obseruant, vt noctem dies subsequatur. In reliquis vitę institutis in hoc fere à reliquis differunt: quod suos liberos nisi cum adoleuerint, vt munus militiæ sustinere possint, palam se adire non patiuntur: filiumque puerili ætate in publico in conspectu patris assistere turpe ducunt. Viri quãtas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt: tantas ex suis bonis, æstimatione facta, cum dotibus cõmunicant. huius omnis coniunctim pecuniæ ratio habetur, fructusq; seruantur: & vter eorum vita superauerit, ad eum pars vtriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit. Viri in vxores, sicuti in liberos, vitæ necisq; habent potestatem. Et cum paterfamilias illustriore loco natus decessit, eius propinqui conueniunt: & de morte, si res in suspicionem venit, de vxoribus, in seruilem modum, quæstionem habent. Et si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica & sumptuosa: & omnia quæ viuis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia: ac, paulo supra hanc memoriam, serui & clientes, quos ab his dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis vna cremabantur. Quæ ciuitates commodius suam rempublicam administrare existimantur, habent legibus scriptum, si quis quid de republica à finitimis rumore aut fama acceperit vti ad magistratum deferat: neue cum quo alio communicet. quod sæpe homines temerarios atque impeditos falsis rumoribus terreri & ad facinus impelli, & de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus quæ visa sunt occultant: quæque esse ex vsu iudicauerint multitudini produnt. De republica nisi per concilium loqui non conceditur.

Gallorum origo.

Gallorum ritus.

De aliis Gallorum institutis

CAPVT IX.

Item idem ipse alio in loco inquit. Est hoc inquam Gallicę consuetudinis, vti & viatores etiam inuitos consistere cogant, & quid quisque eorum de quacunque re audierit, aut cognouerit, quærant: & mercatores in oppidis vulgus circunsistat, quibusque ex regionibus veniant, quasque ibi res cognouerint pronunciare cogant. His rebus atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt: quorum eos è vestigio pœnitere necesse est, cum incertis motibus seruiant, & plerique ad voluntatẽ eorum ficta respondeant. His de libro Iulii sententiis antepositis, non videatur lectori onerosum, duorum clarissimorum exempla subnectere virorum, Orosii atq; Sallustii de virtute prolata Gallorum. Quamuis præfatio non vel id spoponderit se acturam, tamen congruum æstimatum est duorum aut trium testimonia inserere, vt dum eorum virtus magna fuisse docetur, maior fortitudo Francorum qui eos vicerunt fore declaretur. Ait denique Orosius. *Quotiescunque*, inquiens, *Galli exarserunt contra Romanos, scil. totis opibus suis ita Roma detrita est, vt sub præsenti nunc concursione Gothorum; magis debeat me-*

miniſſe Gallorum. Ideo vero præſentem dicit concurſionem Gothorum, quia eius temporibus Gothi primum Romam ceperunt: quos poſtea Franci vicerunt, vt in ſequentibus declarabitur. Saluſtius autem ita ſcribit: *Per idem tempus haud dubium, quin quo bellum contra Iugurtham à Romanis gerebatur, à ducibus noſtris, Quinto Scipione & Memmio Manlio, aduerſus Gallos male pugnatum eſt. Quo metu omnis Italia contremuerat. Illique & vſque ad noſtram memoriam Romani ſic habuere. Alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe: cum Gallis pro ſalute, non pro gloria certari.*

Explicit præfatio.

INCIPIT PROOEMIVM

Hiſtoria Francorum

CAPVT X.

Franci, i. feroces Iſidor.

REgnum Francorum, antiqua Troianæ gentis proſapia, nobilitatum cum virorum ferocis corporis animique virtute, tum maxime regum excellentiſſima ſemper viguiſſe potentia, luce clarius conſtat. Quæ pro certo natio, licet eo quo cẽſetur nomine præferox eſſe cognoſcatur: manſuetudinis tamen eius inſignia adeo elucẽt, vt rebelliũ colla hoſtium nõ tam vindici ferire mucrone, quam ſibi ſubiicere maluerit: verum (vt diximus) cum Regnum præcellentiſſima floruerit auctoritate, virorumq; prævalida animoſitate, nõ tam finium ampliare ſpacia ſuorum, quã exterarum ſibi acquirere ſtuduit dominationem gẽtium: viuidam namq; bello dextram præferens, & parcere norat ſubiectis & debellare ſuperbos. Quæ nõ immerito domina euaſit multarum nationum, dum non diu paſſa eſt ſemet idololatriæ ſeruire dæmonum. Nam creatori potius quam creaturæ ſubdi rectius duces, ipſa (vt ita dictum ſit) ſui primordia regni Chriſto auſpice cœpta, cultui ipſius dedicare maluit. Hinc ad altiora ſe ſubrigens, Catholicę fidei norma, ardentius vſa deſiderio, ea cum regni terminis, vt dilataretur, ardenter effecit. Rerum vero ſecundarum proceſſu excitata, impetum non refrænabat ſuum: ſed adiungere ſibi finitimos bello coactos haudquaquam diſſimulãdum arbitrabatur: donec Alamannorũ gens, dominationis iugum ferre detrectans, bellũ immane excitauit. Quod quidem rex inclytus Clodoueus, qui quintus Regum ipſius gentis regnum tenebat, ſolerter ad victoriam vſque perduxit. Sed hic proprio digeſta referentur in loco. Nunc hiſtoriæ ordo texatur

Explicit proœmium.

INCIPIT LIBER PRIMVS,

De Geſtis Francorum: & primo, de Troianorum diſperſione

CAPVT I.

Antenor.

Sicambria.

POſt triumphum victoriæ quam Græci de excidio egerunt Troiæ, multi ciuium euerſæ vrbis, qui effugere cladem potuere necis, quaquauerſum poterant ſedes ſibi quærere procurabant. Eorum quidam Antenor nomine, non infimus genere, adiuncta ſibi ſociorum numeroſa multitudine, nauibus altum petiit mare. Tandem poſt magnos pelagi varioſq; labores Tanais ingreſſi oſtia fluminis, Meotides tranſmeantes paludes in finibus Pannoniorum caſtrametati ſunt. Adridente autem eis locorum amœnitate, ſtationem inibi conſtituerunt ſuam: ædificata ciuitate, quam Sicambriam vocauerunt. Poſt multorum vero curricula temporum contra Valentinianum, qui Romani tenebat imperii principatum, Alanorum gens contumax, rebellauit audacia perfidorum. Quos ille prælio ſuperatos, Meotidis coegit expetere latibula paludis. Illuc quoq; eos cum exercitus multitudine inſecutus, dum ſitu & difficultate locorum, quo minus eis nocere poſſet impediretur, Troianos Sicambriam habitantes in auxilium euocat. Hos hortatur, monetque vt ſuis tantummodo viam pandant, per

per quam ſecuros hoſtes & nil tale verentes inuadendo opprimant. Illi non id ſolum ſe facturos, verum ſe Alanos hinc expulſuros ſpondent. Imperator decennio eis tributa, ſi id efficiant, indulget. Troiani fiducia animati, quod forent gnari locorum, ſimul & munerum promiſſione allecti, Alanis locorum firmitate fidentibus, ex improuiſo ſuperueniunt: cædũt proſternuntq; multos mortales: cæteroſq; in fugam actos à palude perturbant. Imperator virtutem gentis audaciamq; miratus, quod loca, quæ totius orbis victores Romani expauiſſent, non ſolum intrare, verum & immaniſſimos hoſtes expellere non dubitaſſent, Attica lingua *Francos*, id eſt feroces nuncupauit.

De Francorum appellatione altera opinio

CAPVT II.

QVidam vero auctores referunt, quod à Francione rege vocati ſunt Franci: dicẽtes quod digreſſi à Troia regem ſibi Frigam nomine conſtituerint: ſub quo (inquiũt) eis Aſiam peruagantibus, quædam ex ipſis pars inter Macedones ſortem habitationis accepit. Quorum viribus aucti Macedones, quanta ſub Philippo & Alexandro regib. bella geſſerunt proſpera, perſpicuum habetur. Porro reliqua portio cum pręfato principe Europæ partes adiit: & inter Oceanum & Thraciam ſuper littora Danubii conſedit. Quę duobus à ſe electis Regibus, in duarum ſe diuiſit nomina gentium. Et vna quidem natio Torgorum † à Torgoto rege: alia verò à Francione, Francorum adepta nomen eſt: quæ Alanos (vt diximus) à Meotidis expulit paludibus. *aliàs, Torchorum & Torchoto: f. legẽd. Turingorum.*

De Francorum antequam in Galliam venerint geſtis

CAPVT III.

DEcennio ſane exacto miſit Imperator, qui conſueta de gente Francorum exigerẽt tributa. Illi pretio ſui ſanguinis ſe eo leuatos fatentur: ſeq; vectigal non ſoluturos, pro quo remittendo mortis diſcrimen perpeſſi forent. His indignatus Cæſar ſuorũ inſtruit aciem: quæ & viribus foret exercita, & tantæ genti obuiam ire parata. Nec morati obuiam eunt Franci Romanis, pugna in manibus, nec comperendinata, quamuis vni genti, aduerſus plures gentes, prælio decertã[illegible]m foret. Franci ſane robur aliarum nationum Romanis ſubſidio veniſſe conſpicati, cedendum ſibi loco vtilius æſtimãtes, Sicambriam egreſſi ripas Rheni fluminis occupauerunt. Duces autem ſibi Marchomirum Sunnonem & Genebaudum, poſt funus memorati regis Francionis eligentes, plurima Germanorum oppida peruaſere. Quorum quidem numerus, cum primo digreſſionis ſuæ ab Aſia tempore, vix ad duodecim milia armatorum æſtimaretur, in tantam coaluit innumeroſitatem: vt ipſis etiam Germanis, proceritate & virtute corporum præminentibus, formidini eſſet. Quos tempore Theodoſii Nannius & Quintinus magiſtri militum, collecto exercitu, Germania pellere moliti ſunt. Quos prima quidem acie ſuperaſſe ſibi viſis, poſtmodum tamen cum maiores copias, iunctis ſibi Heraclio ac Iouiniano Romanæ militiæ principibus, ad ſe iuiſſent: commiſſa pugna tantam ex Romanis Franci ſtragem fugatis Heraclio ac Iouiniano ediderunt: vt cunctis in circuitu nationibus hæc audientibus terrorem ſuæ virtutis incuterent. Nec fuit in reliquum gens, quæ Francos iure belli ſub iugo redigeret tributi.

Sane Arbogaſtes eiuſdem gentis comes ad Romanos ſe contulit, & victus bello à Francis primo congreſſu aufugit. Poſtmodum tamen inita denuo pugna non paruam multitudinem manu fudit, cum reſiduis vero pacem firmauit: vti in vita beati Ambroſii plenius inueniri valet. *Arbogaſtes.*

Treuerorum vrbem Franci, factione Lucii conſularis, eodem tempore peruaſerunt. Qui videlicet Lucius indignatione commotus, eo quod cognouiſſet ab Auito Galliarum Auguſto vxorem ſuam ſtupro maculatam, atque cauillando ſibi audiſſet eum dicentem, quod *calidas quidem haberet thermas, ſed ipſe frigido lauaretur*, iſta perpetrauit.

De Faramundo primo Francorum rege

CAPVT IV.

REgem vero, cæterarum more nationum, Franci ſibi eligentes Faramundum Marchomiri filium, ſolio ſublimant regio. Cui filius ſucceſſit Clodio crinitus: illo in tempore Francorum reges criniti habebãtur. Finitimos itaque bello laceſſendo Thoringorum, qui Germaniæ incolunt fines, depopulantes, caſtellum quoddam Disbargum † nomine occupant, in quo rex Clodio ſedem ſui conſtituit regni.

Dysburgum

De Romani Imperii excidio, & Francorum incremento, ſub Claudio aut Claudione rege

CAPVT V.

Daniel. 2.

EO in tempore Romano Imperio à ferrea firmitate in teſtaceam decidente fragilitatem, Burgundiones Lugdunenſem, Gothi Aquitanicam peruaſerant prouinciã: eaque tantum pars Galliarum Romanæ ſuberat ditioni, quam Rheni fluenta ac amnis Ligeris determinant. Rex autem Clodio, anguſtos regni fines dilatare cupiens, exploratores à Disbargo trans Rhenum dirigit: & ipſe cum exercitu ſubſecutus Cameracum ciuitatem obſidens expugnauit & cepit. Carbonariam ſyluam ingreſſus, Tornacum vrbem obtinuit: quoſque Romanorum obuios habuit, neci tradidit.

Cambray.
Tournay.

De Merouco Rege

CAPVT VI.

POſt hæc Clodione rege vita decedente, Meroueus eius affinis regni Francorum gubernacula ſuſcepit. regnauit autem Clodio per XX. annorum curricula. Qua tempeſtate etiam Huni Rhenum tranſeuntes Metis ciuitatem concremant, Treueris diripiunt, Tungrenſe deuaſtant territorium. Ita per totam Galliam ſæua bellorum exardeſcebant incendia. Vbique luctus, vbique dolor, & plurima mortis imago. Aurelianenſem quoque adeuntes vrbem obſidione claudunt: & ne quis tute egrediatur, portis cuſtodia vallatis, ſtudioſo conamine prouident. Erat tunc temporis eiuſdem ciuitatis præſul, virtute admirabilis, Anianus. Cuius meritis & orationibus, immaniſſimas Hunorum phalanges omnipotentia Chriſti ita protriuit, vt quibus profugi habitent in terris huc uſque ſit incognitum.

S. Anianus.
Hunni.

De Childerico Rege

CAPVT VII.

MEroueo autem rege Francorum hac luce caſſo, Childericus filius eius ſolio ſublimatur regio. Huius regni primordia quibuſque bonis deteſtanda fuere. Hic namque contra Francos primum nequiter agens, cum filias nobilium inceſto contaminare non deſiſteret, regno eiicitur. Qui expulſus, regem Thoringorum Biſſinum nomine expetiit, tutam ſibi apud eum latebram fore autumans: nec ſpe ſua fruſtratus eſt. Nam cuncto exilii ſui tempore cum Rege conuerſatus, honorifico apud eum loco habitus eſt. Erat ei quidam e Francorum proceribus familiaritatis vinculo colligatus, nomine Vuinomadus: cuius ille omnia agebat conſilio, dum adhuc regni poti[illegible]ur ſceptro. Hunc ergo euocans, animoſitatem Francorum ſeſe regno pellere minitantium edicit: quid facto opus ſit conſulit. Ille iræ eorum cedendum ſuadet: ne ſi permanendum putaret, augeret potius odium quam minueret: humani dicens eſſe ingenii morem, præſentiæ alicuius inuidere: abſentiæ compati. ſe interim dum ille quoquo

al. Baſinum.

loco-

locorum immoratur, animos gentis pertentaturum pollicetur, persuasurumq; vt cum eo in gratiam redeant: diuidensque aureum sibi medium retinet, mediumque illi confert, dicens: *Suscipe mediam huius aurei partem: & si quidem Francos tibi conciliare potuero, hoc tibi erit signum, dum hanc tibi misero partem, & conuenire sibi vtrasque contigerit: animaduertas oportebit eodem modo conuenientia populi studia tibi congruere: reditum ergo ad patriam accelerabis tuam, vt regnum quo nunc priuaris recipias.* Post hæc verba Childericus Thoringam (vt prælibatum est) petiit. Franci vero immemores iniuriarum quas Romanis intulerant, Egidium patricium, qui à Romanis tuendæ Galliæ curam susceperat, Regem sibi statuunt. Cæca mens hominum cum sibi putare consulere, cui ipse mala non desinit irrogare. Nam quo pacto is bene illis consultum vellet, cuius agros igne, populum gladio, vrbes vastatione protriuerunt? Vuinomadus sane versuta callens astutia, & ad quæ animum intenderat efficere satis promptus, in breui amicitiæ Egidii inhæsit. Cui ille, familiarissimum sibi æstimans amicorum, se suaq; omnia credebat consilia. Vuinomadus itaque, præsentiscens Francorum ei suspectam fore potentiam, cumulare & ipse verbis, quibus poterat inuidiæ simultates non cessabat. Suadet ergo tributi onere eos opprimi oportere: sed perpendens hac eos iniuria non flecti, quin vt cœperant odio Childericum, honore Egidium dignum acclamarent, Egidio sic locutus est: *Ita*, inquit, *Francorum frangere quibus contumaciam, si aliquos potentiū gladio peremeris.* Egidius id illi committit negotii. Vuinomadus opportunam nactus occasionem, quos infestiores fuisse Childerico cognouerat, criminibus insimulatos, Egidio mittit puniendos: ille, vt reos imperialis maiestatis, gladio puniri iussit. Hac Regis immanitate permoti Franci, Vuinomadum ab hoc concilio immunem æstimantes, querelam ei suam depromunt: ille mirari se dicit variam eorum mutabilitatem mentium, vt de eius nunc crudelitate querantur, quem tanto ante præconio dignum iudicauissent: simulque hac eos oratione conuenit. *Quæ*, inquit, *dementia vestris vesanis insedit animis, vt expulso ciue, dominatui vos superbi subderetis aduenæ? Sed dicturi estis infrenatam eius luxuriam vobis pudori fuisse: Vt quid ergo de huius feritate causamini, quem illi præferendum æstimauistis? spreuistis regem vestra de gente creatum, qui benignus natura, benignior etiam abolita potuit esse lascinia: & elegistis tyrannum, ob hoc vel maxime pertimescendum, quod genus externa habeat natione deductum. Animalia sane ratione carentia sui potius quam externi dominum expetunt generis. solis ciconiis alieni duces placent sanguinis: quæ ventri deditæ aliarum se tuentur periculo auium*†. *Verum si consiliis decreuistis parere meis, redeundum in gratiam censeo: & placandum principis animum expulsione offensum. Durum certe iudico, vnius non posse perpeti luxuriam, & tantorum perferre nobilium perditionem ciuium.* His illi animati verbis simul & atrocitate facti permoti, quo primores regni pessundari videbant, Vuinomado dixerunt, *pœnitet nos iniuriarum proprio regi illatarum: quem sicubi gentium inuenire posse sciremus, supplices legatos mitteremus exoratum, vt suum rediret ad regnum.* Ille conuenientia regi Francorum persentiscens studia fidelem per puerum dimidium ei dirigit aureum, cuius partem mediam abeunti dederat in signum: legatoque hæc illi dicere iussit: *Reuertere iam nunc, vt desideratus dominus, ac vt felix vtere regno tuo.* Qua legatione Childericus accepta, ouans patriam repetit: & e medio itineris mittit, qui Vuinomado aduentum nunciet suum, & edicat vt sibi festinato occurrat. Quod ille iunctis sibi Francorum proceribus maturato impleuit: & apud Castrum, cui nomen Barrum est, ei occurrit. Præceperat porro præfatus dux Barrensibus, vt cum summo honore Regem aduenientem exciperent. Cuius ipsi præcepto parentes honorificentissime eum, obuiam progressi, susceperunt. Quod Rex pro omine accepit: gratanterque eorum obsequio vsus, tributum quod regni eius dependebant partibus, liberalitate indulsit regia. Iunctis itaque cum Vuinomado viribus, Childericus inde progressus, Egidium acie superatum regno decedere compulit. Qui expulsus Suessionem ciuitatem petiit: reliquoque quod vixit tempore inibi deguit. Eo autem præsenti lumine casso, Syagrius filius eius eandem vrbem hæreditario iure possedit.

Scilicet coruum. Barrum. Ægidius Rom. Syagrius F.

Childericus vero cum & manu promptus & consiliis esset prouidus, cum Adouagrio Saxonum rege Aurelianis pugnans victor extitit. Quem fuga lapsum Andegauos vsque persequens, cum eum non reperisset, ipsam vrbem oppugnans cepit. Paulū

Romanarum comitem partium interemit. Sicque regni terminos, Aurelianensem ac demum Andegauensem vsque ciuitatem dilatare haud segniter procurauit.

De Basina Thoringorum regis vxoris ad Chil. transitu

CAPVT VIII.

BAsina autem Bissini Thoringorum regis vxor, cognoscens Childericum paternum recepisse regnum, ad eum, priori abiecto viro, ire contendit: dicebatur autem idẽ princeps consuetudinem stupri cum ea habuisse, dum apud præfatum exularet Regem. Childericus ergo dum ab ea quæreret, qua de causa ad se venire tantopere curasset, hoc ab ea responsum accepit. *Tua*, inquit, *virtute & modestia cognita expetere decreui: Nam si vltimi in finibus orbis te vtiliorem* † *inuenire me sperarem, nulla itineris molestia impedirer, quin eum properanter adirem.* Cumque ab ea Rex hæc accepisset responsa, immemor amicitiæ & beneficiorum ab eius viro sibi collatorum, ipso superstite, vtpote paganus, eam sibi in matrimonium adsciuit. Cum autem secreta iugalis thori superuenissent silentia, mulier virum ammonet à mutua eum debere vacare coniunctione: hortaturque vt ante fores palatii exeat, & quæ viderit sibi renunciet. Ille monita mulieris haud aspernanda arbitratus dicto paret. Et, ecce, præ foribus aulæ regiæ videt magnarum formas bestiarum veluti deambulantium, pardorum, scilicet, vnicornium atque leonum: perterritus itaque ad coniugem properat: rem ordine refert. Illa confidere eum imperat, & vt secundo ac tertio id faciat edicit. Reuertenti itaque Regi apparent iterum vrsorum luporumque circumcursantium imagines. Tertio quoque egressus aspicit canum figuras, minorumque animalium se inuicem lacerantium. Stupens igitur, visionis ignarus, stratum repetit: causam prudenti fœminæ pandit, & quid ista portendant sollicitus explorator exquirit. Nanque non se ab ea frustra ad hæc intuenda missum certo sciebat. Illa caste se agere virum ea nocte præmonet: cuncta se, ventura luce, declaraturam pollicens. Dum ergo aurea polum facies, rutilique iubar solis diem decorarent, surgit mulier, maritique animum, dubia visione suspensum, hac reddidit oratione lenitum. *Has*, inquit, *mi vir, corde pelle curas, & quæ dicam intenta percipe mente: Etenim non tantum præsentium acta rerum, quantum futurorum, est ostensum præsagium. Nec te formas animalium, vti ante pedes vidisti positas, dignum est perpendere: sed potius in his posterorum mores & actus nostrorum oportet prospicias. Nostro namque qui primus surget à semine, filiique censebitur nomine, insignis erit potentiæ, quem leonis vel vnicornis conspexisti in speciem. In figura sane lupi ac vrsi signantur ipsius posteri, virtute præcellenti rapinæque auidi: at canis libidinis impatiens, nulliusque virtutis, humana sine esse ope præualentes, eorum præsagit ignauiam qui vltimis in seculis huius regni potientur sceptris. Porro minorum turba animalium semetque inuicem lacerantium, populus est sine timore principum: qui dum regni primoribus mutuo sese odio impugnantibus obsequitur attentius, variis sese implicat causarum tumultibus: dumque proceres alterutris sese moliuntur priuare honoribus, illis ignobile vulgus fauendo patet sine numero cædibus.* Hæc mihi, domine Rex, tuæ visionis est expositio manifesta, & futuri indicatrix certa. Ita Rex postposita visionis propriæ mordaci cura, numerosa venturæ suæ prolis lætatus est se agnouisse auspicia.

i. fortiorem.

De Antemii imperio, & prodigiis sub eo

CAPVT IX.

Antemius. Leo Imp.

EA tempestate, Antemio Romanum gubernante imperium, Leone Constantinopolitanum, apud Tolosam Galliæ vrbẽ e medio eius tota die sanguis largissimo fluxit riuo. Quod prudentes quique Gothorum, qui eadem regnabant in ciuitate, perditionem, Francorumque dixerunt portendere dominationem. His quoque diebus Odoacer, qui Herulis aliisque nationibus, quæ Danubii ripas incolunt imperitabat, victoria elatus, quam Feletheo Rugorum rege bello deuicto adeptus erat,

Odoacer R.

Italiam à parte Pannoniorum inuadere cogitabat. Cumque fines Noricorum ingre-
deretur, colloquium cuiusdam serui Dei nomine Seuerini petiit: qui his in locis mo- *S. Seuerinus*
nasterium sibi construxerat. A quo petita benedictione & impetrata, dum domum e- *cuius vita sub 8. Ia-*
gredi vellet, & se ad limen ostii, ne caput offenderet, inclinasset, (erat enim statura pro *nuar. Tom.*
cerus) hæc ab eodem viro Dei audiuit: *Vade Odoacer, vilibus nunc animantium pellibus* *1. Surii.*
vestitus, Italiæ dominus mox futurus. Qua viri Dei prophetia ille audita, Italiam ingressus,
non vt debuit, sed vt voluit, cædibus ac rapinis cuncta vastauit. Antemio vero impe-
ratore fraude Ricimiri generi sui interempto, ipsis etiam Romanæ vrbis summis arci- *Ricimer.*
bus infestus minitare cœpit. Qua de causa Romani, & maxime Gothi, legatos ad Le-
onem Constantinopolitanum imperatorem dirigunt: oratum vt sibi aliquis mittere-
tur principum, per cuius auxilium impetum propulsarent hostium.

De Theodorici Imperio

CAP. X.

ERat autem quidam inter primores imperialis aulæ, Theodoricus nomine, vir spe-
ctatæ prudentiæ: cuius pater Theodorus Macedonia genitus, cuiusdam Idatii pa-
tricii dum esset famulus, quandam conseruam suam nomine Liliam amare cœpit ar-
dentius. Quod agnoscens dominus, coniugis Eugeniæ consilio vsus, eam illi tradi-
dit coniugem: sciens eadem de gente esse prognatam. Cuius domina, quæ se fructu
ventris dolebat esse priuatam, hæc illi in mandatis dedit: vt quod prima nocte iuga-
lis thori in somnis videret, id sibi nuntiare curaret. Ea igitur nocte qua primum cum
viro secreta petiit cubiculi silentia, videt mulier ab vmbilico sibi procedere arborem,
visque ad tecta domus excrescentem. Terrore visionis expergefacta, narrat viro vi-
sionem, simul & dominæ iussionem. Ille mirari visum: dominæque cœpit laudare
præceptum. Sed timens pueri interitum, mutare iussit somnium, taleque dedit man-
datum: *Dum,* inquit, *ante Dominæ veneris conspectum, & iussa fueris pandere somnium, dices*
vidisse te equum & equam pulcherrimos omnium obambulantes, aliumque paruulum pone eos se-
quentem. Parens illa verbis viri, refert dominis ficti verba somnii. Gratulantur illi
pro auspicio nascituri pueri, famulos libertate donant: natumque puerum sibi ado-
ptant in filium. Post hæc, Idatio & eius coniuge vita decedentibus, iussu Leonis im-
peratoris Theodoricus castris imperialibus miles est ascitus. Qui cum cæteris proce-
ritate corporis esset eminentior, fortitudine quoque membrorum, virtuteque animi
erat præstantior. Vnde ipsi Imperatori multisq; senatoribus charus habebatur. Ve-
nientibus itaque supradictis Romanorum Gothorumq; legatis, & propter quæ vene-
rant intimantibus, Imperator Theodoricum, patriciatus honore insignitum, ad par-
tes direxit Italiæ tuendas. Qui euectu nauali Hesperiam ingressus, cum Odoacro ac
Herulis variis successibus bella gessit. Quadam autem vice bello deuictus, Rauennam
fugiens, petere est coactus. Cui mater Lilia obuiam venit, orat vt in bellum redeat.
Cunctanti taliter infit: *Mihi crede fili, non est tugurium quo fugiens te recipere possis, nisi alle-* *Simile ex-*
uem vestem, & eam, ex qua primum fusus es in lucem, ingrediaris domum. Quibus verbis *emplum*
irritatus iuuenis pudoreque inflammatus, collecta suorum, quos ad præsens reperit, *Persarum apud I. lib. o.*
parua quidem sed robusta manu, super hostes irruit, qui securi victoriæ late diffusi ia- *1. & Oros. l.*
cebant in campo: Hos ergo circumfusos sternit fugatq;, ipsumq; Odoacrũ capit. Quē *c 19.*
non multo post occidit: omnemque Italiam a dominatione Herulorum eripuit. Sed
hunc eius prosperum successum inuida mutauit fortuna. Nam (sicut fieri assolet, vt bo-
ni, virtutis augmentum, apud improbos inuidiæ det locum) quidam de Senatoribus
apud vrbem regiam commanentes, secundis Theodorici inuidebant actibus. Qua-
propter derogare apud Imperatorem rebus ab eo optime gestis conati sunt: adeuntes-
que Leonem imperatorem, eius clementissimum animum, ex sua leuitate alios existi-
mantem, ab amore Theodorici auertere gestiebant: confingentes velle Theodoricũ
Hesperiæ arripere regnum. His Imperator credulus verbis, eum ab Italia accersiuit:
cuius Theodoricus parens præceptis, cum nobilibus Gothorum ei Constantinopo-
li occurrit. Delatorum vero versutia princeps deceptus, segregatum a suis Theo-

Romanarum comitem partium interemit. Sicque regni terminos, Aurelianensem ac demum Andegauensem vsque ciuitatem dilatare haud segniter procurauit.

De Basina Thoringorum regis vxoris ad Chil. transitu

CAPVT VIII.

BAsina autem Bissini Thoringorum regis vxor, cognoscens Childericum paternum recepisse regnum, ad eum, priori abiecto viro, ire contendit: dicebatur autem idē princeps consuetudinem stupri cum ea habuisse, dum apud præfatum exularet Regem. Childericus ergo dum ab ea quæreret, qua de causa ad se venire tantopere curasset, hoc ab ea responsum accepit. *Tua*, inquit, *virtute & modestia cognita expetere decreui: Nam si vltimis in finibus orbis te vtiliorem* † *inuenire me sperarem, nulla itineris molestia impedirer, quin eum properanter adirem.* Cumque ab ea Rex hæc accepisset responsa, immemor amicitiæ & beneficiorum ab eius viro sibi collatorum, ipso superstite, vtpote paganus, eam sibi in matrimonium adsciuit. Cum autem secreta iugalis thori superuenissent silentia, mulier virum ammonet à mutua cum debere vacare coniunctione: hortaturque vt ante fores palatii exeat, & quæ viderit sibi renunciet. Ille monita mulieris haud aspernanda arbitratus dicto paret. Et, ecce, præ foribus aulæ regiæ videt magnarum formas bestiarum veluti deambulantium, pardorum, scilicet, vnicornium atque leonum: perterritus itaque ad coniugem properat: rem ordine refert. Illa considere eum imperat, & vt secundo ac tertio id faciat edicit. Reuertenti itaque Regi apparent iterum vrsorum luporumque circumcursantium imagines. Tertio quoque egressus aspicit canum figuras, minorumque animalium se inuicem lacerantium. Stupens igitur, visionis ignarus, stratum repetit: causam prudenti fœminæ pandit, & quid ista portendant sollicitus explorator exquirit. Nanque non se ab ea frustra ad hæc intuenda missum certo sciebat. Illa caste se agere virum ea nocte præmonet: cuncta se, ventura luce, declaraturam pollicens. Dum ergo aurea polum facies, rutilique iubar solis diem decorarent, surgit mulier, maritique animum, dubia visione suspensum, hac reddidit oratione lenitum. *Has*, inquit, *mi vir, corde pelle curas, & quæ dicam intenta percipe mente: Etenim non tantum præsentium acta rerum, quantum futurorum, est ostensum præsagium. Nec te formas animalium, vti ante pedes vidisti positas, dignum est perpendere: sed potius in his posterorum mores & actus nostrorum oportet prospicias. Nostro nanque qui primus surget a semine, filiique censebitur nomine, insignis erit potentiæ, quem leonis vel vnicornis conspexisti in speciem. In figura sane lupi ac vrsi signantur ipsius posteri, virtute præualidi rapinæque auidi: at canis libidinis impatiens, nullusque virtutis, humana sine esse ope præualere, eorum præsagit ignauiam qui vltimis in seculis huius regni potientur sceptris. Porro minorum turba animalium semetque inuicem lacerantium, populus est sine timore principum: qui dum regni primoribus mutuo sese odio impugnantibus obsequitur attentius, variis sese implicat causarum tumultibus: dumque proceres alterutris sese moliuntur priuare honoribus, illis ignobile vulgus fauendo patet sine numero cædibus.* Hæc mihi, domine Rex, tuæ visionis est expositio manifesta, & futuri indicatrix certa. Ita Rex postposita visionis propriæ mordaci cura, numerosa venturæ suæ prolis lætatus est se agnouisse auspicia.

l. fortiorem.

De Antemii imperio, & prodigiis sub eo

CAPVT IX.

Antemius. Leo Imp.

EA tempestate, Antemio Romanum gubernante imperium, Leone Constantinopolitanum, apud Tolosam Galliæ vrbē e medio eius tota die sanguis largissimo fluxit riuo. Quod prudentes quique Gothorum, qui eadem regnabant in ciuitate, perditionem, Francorumque dixerunt portendere dominationem. His quoque diebus Odoacer, qui Herulis aliisque nationibus, quæ Danubii ripas incolunt, imperitabat, victoria elatus, quam Feletheo Rugorum rege bello deuicto adeptus erat,

Odoacer R.

Italiam

Italiam à parte Pannoniorum inuadere cogitabat. Cumque fines Noricorum ingrederetur, colloquium cuiusdam serui Dei nomine Seuerini petiit: qui his in locis monasterium sibi construxerat. A quo petita benedictione & impetrata, dum domum egredi vellet, & se ad limen ostii, ne caput offenderet, inclinasset, (erat enim statura procerus) hæc ab eodem viro Dei audiuit: *Vade Odoacer, vilibus nunc animantium pellibus vestitus, Italiæ dominus mox futurus.* Qua viri Dei prophetia ille audita, Italiam ingressus, non vt debuit, sed vt voluit, cædibus ac rapinis cuncta vastauit. Antemio vero imperatore fraude Ricimiri generi sui interempto, ipsis etiam Romanæ vrbis summis arcibus infestus minitare cœpit. Qua de causa Romani, & maxime Gothi, legatos ad Leonem Constantinopolitanum imperatorem dirigunt: oratum vt sibi aliquis mitteretur principum, per cuius auxilium impetum propulsarent hostium.

S. Seuerinus cuius vita sub 8 Ianuar. Tom. 1. Surii.

Ricimer.

De Theodorici Imperio

CAP. X.

Erat autem quidam inter primores imperialis aulæ, Theodoricus nomine, vir spectatæ prudentiæ: cuius pater Theodorus Macedonia genitus, cuiusdam Idatii patricii dum esset famulus, quandam conseruam suam nomine Liliam amare cœpit ardentius. Quod agnoscens dominus, coniugis Eugeniæ consilio vsus, eam illi tradidit coniugem: sciens eadem de gente esse prognatam. Cuius domina, quæ se fructu ventris dolebat esse priuatam, hæc illi in mandatis dedit: vt quod prima nocte iugalis thori in somnis videret, id sibi nuntiare curaret. Ea igitur nocte qua primum cum viro secreta petiit cubiculi silentia, videt mulier ab vmbilico sibi procedere arborem, vsque ad tecta domus excrescentem. Terrore visionis expergefacta, narrat viro visionem, simul & dominæ iussionem. Ille mirari visum: dominæque cœpit laudare præceptum. Sed timens pueri interitum, mutare iussit somnium, taleque dedit mandatum: *Dum,* inquit, *ante Dominæ veneris conspectum, & iussa fueris pandere somnium, dices vidisse te equum & equam pulcherrimos omnium obambulantes, aliumque paruulum pone eos sequentem.* Parens illa verbis viri, refert dominis ficti verba somnii. Gratulantur illi pro auspicio nascituri pueri, famulos libertate donant: natumque puerum sibi adoptant in filium. Post hæc, Idatio & eius coniuge vita decedentibus, iussu Leonis imperatoris Theodoricus castris imperialibus miles est ascitus. Qui cum cæteris procetitate corporis esset eminentior, fortitudine quoque membrorum, virtuteque animi erat præstantior. Vnde ipsi Imperatori multisq; senatoribus charus habebatur. Venientibus itaque supradictis Romanorum Gothorumq; legatis, & propter quæ venerant intimantibus, Imperator Theodoricum, patriciatus honore insignitum, ad partes direxit Italiæ tuendas. Qui euectu nauali Hesperiam ingressus, cum Odoacro ac Herulis variis successibus bella gessit. Quadam autem vice bello deuictus, Rauennam fugiens, petere est coactus. Cui mater Lilia obuiam venit, orat vt in bellum redeat. Cunctanti taliter infit: *Mihi crede fili, non est tugurium quo fugiens te recipere possis, nisi alleuem vestem, & eam, ex qua primam fusus es in lucem, ingrediaris domum.* Quibus verbis irritatus iuuenis pudoreque inflammatus, collecta suorum, quos ad præsens reperit, parua quidem sed robusta manu, super hostes irruit, qui securi victoriæ late diffusi iacebant in campo: Hos ergo circumfusos sternit fugatq;, ipsumq; Odoacrū capit. Quē non multo post occidit: omnemque Italiam à dominatione Herulorum eripuit. Sed hunc eius prosperum successum inuida mutauit fortuna. Nam (sicut fieri assolet, vt bonis virtutis augmentum, apud improbos inuidiæ det locum) quidam de Senatoribus apud vrbem regiam commanentes, secundis Theodorici inuidebant actibus. Quapropter derogare apud Imperatorem rebus ab eo optime gestis conati sunt: adeuntesque Leonem imperatorem, eius clementissimum animum, ex sua leuitate alios existimantem, ab amore Theodorici auertere gestiebant: confingentes velle Theodoricū Hesperiæ arripere regnum. His Imperator credulus verbis, eum ab Italia accersiuit: cuius Theodoricus parens præceptis, cum nobilibus Gothorum ei Constantinopoli occurrit. Delatorum vero versutia princeps deceptus, segregatum à suis Theo-

Simile exemplum Persarum apud Iustin. 1. & Oros. 1. c. 19.

doricum interficere cogitabat. Sed huius machinationi, technis obuiauit Ptolomæus, vir senatorii ordinis prouidus consiliis. Qui fidissimus amicorum Theodorici dum esset, & ab adolescentia iure amicitiæ fœderatus, nulla poterat in eius odium calliditate deflecti. Hic ergo, subdola aduersariorum persentiscens consilia, adiit principem, talique apud eum oratione vsus est: *Romani*, inquit, *gloria nominis quamuis sit bellorum sublimata triumphis, plus tamen decoris emeruit insignibus integræ fidei magnificæque pietatis. Maiores quippe nostri plus se alterutrum pietate, quam hostes certabant vincere bellico iure. Præstantissimum quidem quod fertur Scipio de Carthagine triumphasse: præstabilius vero quod dicitur infestissimi hostis exequiis non solum interfuisse, verũ & funus ipsum subiectis vexisse humeris. Laudabile quoque Pompeium Mitridatis delesse copias, ipsumque ad mortem coegisse. Laudabilius etiam Tigranem sese dedentem, terræque ante pedes prostratum, ac diadema suum super genua eius ponentem, non solum eleuasse, verum etiam coronam eius capiti imposuisse, sibique concedere fecisse. Quid mirabilem Reguli consulis referam fidem, qui maluit inter inimicorum manus inauditis perire suppliciis, quam iurisiurandi frangendo fidem, Romæ amantissimus viuere ciuis. Non ergo suscipias, clementissime Imperator, eorum verba, qui decus imperii tui perfidiæ volunt inquinare macula. Quid enim toto dicetur in orbe, si præstantissimum ducem tam infandissima peremeris morte? Sed placeat tibi consiliũ meum: & dum palatium intrauerit Theodoricus, custodiæ mancipetur vinctus. Post hæc mittantur ex senatoribus aliqui, qui hoc à tua pietate responsum referant Gothis: Non, inquiant, dimittetur Theodoricus, nisi se purgauerit obiectis criminibus* Placuit sermo Principi, cunctoque senatui. Mittitur Ptolemæus, cum aliis legatis, hæc nuntiaturus Gothis. Præmiserat sane puerum hæc illis intimaturum, vt eum cum cæteris venientem caperent, & hæc Imperatori mandarent: *Non remittentur Senatores, nisi dominum suum receperint Gothorum nobiles:* Illi monitis sibi vtilissimis obsecundant: circunuentos senatores in vincula coniiciunt. Qua re comperta, Cæsar feritatem gentis veritus, ne quid in suos crudele agerent, consulto precauit & Theodericum saluum Gothis reddidit. Ita prouido amici consilio, ad præsens de mortis liberatus est periculo. Dum vero Romam reuersus esset, varios eum contigit bellorum habere successus. Nam & Auares sæpe bello deuicit, victusque ab eis est. Quodam autem die, supradictos hostes prælio superatos fugientesque totis cædens viis, haud procul ab amne, cui Hister nomen est, castra constituit: & paucis suorum assumptis speculatum hostes processit: cum, ecce, quidam Auar, Xerses nomine, itidem tentoria Theodorici exploraturus singularis adueniebat. Quem Theodoricus solum aduentare conspicatus, tres è suis dirigit qui eum captum ocyus sibi præsentarent. Quos Auar Xerses, fugam fingens, singulatim interemit. Alios quoque tres, pari modo neci tradidit. Tunc Theodoricus, sociis reformidantibus, eum aggreditur: cum quo diu multumque decertans, tandem Xerses brachio vulneratus à Theodorico capitur, atque in castris Gothorum vinctus statuitur. Cuius virtutem supradictus princeps admiratus, primum blanditiis, dehinc minis, ad cohabitandum sibi cogere nitebatur. Sed dum eum nec terrore concuti, nec promissis flecti posse conspexisset, multis affectum iniuriis ad patriam redire permisit inuitus. Ille vero natatu flumen Histrum ingressus, retro respiciens ad Theodoricum taliter infit: *Tua*, inquit, *exutus dominatione, meæque redditus libertati, ad te nunc tam meum reuertar dominum, pollicens me tibi fidelem fore famulum.* His dictis, ripam quam reliquerat repetiit & ditioni se Theodorici commisit. His prosperis successibus dum in Italia sæpe fatus polleret patricius, Constantinopoli apud Imperatorem inuidis detrahentium lacerabatur relationibus. Improborum etenim mentes hominum, aliorum incommodis sua volentes augmentare commoda, bonorum benefacta virorum contrariam moliuntur vertere in partem. Denique Imperator delatorum versutiis in errorem inductus insimulationibus, furensque animo quod Theodoricus insidiator regni esse ferebatur, eum iterum ad se venire mandat: habitoque cum senatoribus mortis eius tractatu, iurisiurandi fide eos obligat, ne quis arcani sui proditor existat. Theodoricus autem legatione principis accepta, è vestigio ad Ptolemæum (cuius supra meminimus) mittit puerum, vt sibi remandet, vtrum expediat Imperatoris audire præceptum. Ille dum simulat se velle responsum non reddere, pueri qui missus fuerat instantia, veterisque viri deuictus amicitia, tandẽ Theodorici legato talia dat præcepta: *Hodierna*, inquit, *die natalitio Imperatoris existente, nos &*

Sena-

Fides Rom. vide Cic. 3. Offic. Valer. Max. 9. c. 2. Gell. 6. c. 4.

Xerses Auar.

Senatoribus cum eo pariter discumbentibus, tu vice obsequentis famuli pone stans meo adhærebis lateri: & inter conuiuandum de qua re mihi fit sermo, ad senatores, vel principem, intenta curabis aure percipere, eique à quo directus es nunciare. Paret ille mandato, ac sedulus Ptolemæi auditor fit in conuiuio. Tunc inter epulas & pocula, cum procerum mero incaluissent corda, tali eos Ptolemæus est hortatus affamine. *Hic*, inquiens, *dies cum sit magnificis lætus epulis, iocundus oportet fiat delectabilibus fabulis: satisfiat ergo eorum voluntati qui his delectantur perfrui: quandoquidem auxit talium auditatem exuberans opulentia vini.* Omnibus ergo hoc sermone suspensis, hæc ille dicere est orsus. *Eo*, inquit, *in tempore, quo humanæ copia eloquentiæ cunctis inerat animantibus terræ, bestiæ saltus in vnum coiere consensum, vt sibi eligerent Regem: & quæ hominum fastidiebant dominium, haberent sui generis imperatorem electum. His sese mutuo cohortantes verbis, adoriuntur leonem, rogantq; vt earum nõ abnuat voluntatem: dicunt se velle eum habere principẽ, quem scirent esse consilio prudenti. Suscipit ius dominationis leo, & ab vniuersis feris solio sublimatur regio. Conueniunt frequentes ad eum salutandum, & adorant vt dominum. Inter cæteras igitur aduenit ceruus, forma corporis egregius, ramosisque pollens cornibus. Qui dum submissa ceruice procederet adoraturus, à leone arripitur, epulum ei mox futurus. Sed ipse dolum persentiscens, fortique conamine caput excutiens, amissis cornibus syluam petiit profugus. Indignatus imperator contemptum sui, & impatiens iræ, multa furibundus ceruo interminatur, Conqueruntur inter se feræ pro principis iniuria: nec tamen inuenitur vlla quæ ceruum persequi audeat, hanc contumeliam vindicatura. Qui etsi videretur esse inermis, pernici tamen cursu, transiliens ardui iuga montis, euaderet sine beneficio noctis. Erat inter eas vulpes, artibus callens ingeniosis: hanc mittunt vt ceruum callide conueniat, & ad Leonem redire faciat. Obtemperat illa iussis, ceruum adit: dicitque se eius dolori compati, &, quod sine causa talia passus sit, sibi iniustum videri. Ille è contra multa in leonem congerens maledicta, se, dum obsequitur, male multatum conqueritur. Cui vulpes, Videndum, inquit, est ne quod tu iniuriæ deputas, ille amoris tui causa fecisse comprobetur: Nam dum te (vt æstimo) sibi supplicem ad suum eleuare vult osculum, tu, forte putans morsum, eius declinasti conspectum: at ipse te nunc absentem esse dolet: de te absente sermonem agitat: in te solo eius intentio moratur. Quid plura? suadet ceruo, vt leonem adeat, ac eius se ditioni committat. Qui dum, vt ante, inclinato capite Regem adoraturus veniret, ceruice tenus vnguibus infixis à leone arripitur, & à circunstantibus feris sine mora discerpitur. Vulpes prope stans, furtim cor eius aufert & deuorat. Cor cerui quærens, & non inueniens, leo fremit graue. Tremefactæ feræ inquirunt sollicite, quæ earum huic sit obnoxia culpæ. Suspicio erat vulpem huius esse furtiream, quod vidissent eam ceruo proximius adhærentem. Inquisita vulpes, negat se consciam huius criminis. Sed, dum ei non creditur, cruciatibus addicta in hæc prorupit verba: Væ, inquit mihi miseræ, quæ tantas pœnas patior indigne: vt quid enim à me exquiritur, quod eum minime habuisse certa ratione cognoscitur? Etenim si cor habuisset, profecto huc non redisset: Primo, cornibus auulsis inermis aufugit: Secundo, non dubitauit subire periculum mortis. Nullatenus ergo cor habuit, qui sibi consulere nesciuit.* Hæc locutus Ptolemæus conticuit. Puer Theodorici hæc intente auscultans, & sagaci animo dicta intelligens, ad dominum suum reuersus cuncta per ordinem pandit: & cautiorem aduersus dolos insidiantium esse præmonuit. Theodoricus itaque Imperatoris iussionibus spretis (quibus Constantinopolim adire iubebatur) in Italia resedit. Denique postmodum Gothorum, qui Italiam inuaserãt, Rex est effectus & dominus. Imperii vero partibus quotannis modium terræ dependebat. Vnde rei veritatem ignorantibus, dum modium Rex Theodoricus ærariis publicis soluere diceretur, non addito cuiusquam rei vocabulo, vt puta vini aut olei, modium nummorum conferre putabatur. *Modium terra in ærarii cõtulit Theodoricus.*

De duobus Papis, & pœna Antipapæ fautoris

CAP. XI.

EO tempore, defuncto Anastasio Papa Romano, pro eius successore fœda in clero simul & populo erat dissensio. Quædam etenim pars in personam cuiusdam Laurentii consensum præbebat: maior vero, & (vt post patuit) saniori vtens consilio sanctis- *An. CCCCXCVIII.*

Symmachus, Laurentius. ſimum ſibi elegerat Symmachum. Ordinantur ergo vna die ambo: & Symmachus quidem in Baſilica Conſtantiniana, Laurentius vero in eccleſia ſanctæ Mariæ. Sed cum neutra pars alteri cederet, conſtituerunt vt lis cœpta iudicio ſupra memorati regis Theodorici finiretur. Qui Rauennæ poſitus, dum legatos vtriuſque partis audiſſet, decreuit, *Vt qui prior ordinatus eſſet, aut quem maior pars cleri ſimul ac populi elegiſſet, in ſede Apoſtolica reſideret.* Vnde Symmachus pontifex factus, conſtituit Laurentium in Nucerina ciuitate Epiſcopum intuitu miſericordiæ. Hæc autem plenius in geſtis Pontificalibus, qui ſcire voluerit, inueniet. In hac vero diſſenſione (vt beatus ſcribit Papa Gregorius †) ſanctiſſimus Paſchaſius eccleſiæ Romanæ diaconus, partibus fauit Laurentii. Qui dum contemptor ſui atque amator eſſet pauperum Chriſti, eleemoſynarumque ſedulus diſpenſator: nunquam tamen flecti potuit vt Symmacho communicaret: illum diligens, illum ſemper præferens, quem Eccleſia iuſto Epiſcoporum iudicio ſibi præeſſe repudiauerat. Hic ergo Paſchaſius dum tempore Symmachi pontificis terminum huius eſſet ſortitus vitæ, ad Eccleſiam eſt delatus mandandus ſepulturæ. Cuius dalmaticam, quæ ſuper feretrum eius poſita erat, cum quidam dæmoniacus tetigiſſet, ſtatim liberatus eſt. Germano autem Capuano Epiſcopo medici dictauerant, vt pro recuperanda ſalute corporis in Angulanis thermis lauaretur. Hic itaque eaſdem thermas ingreſſus, eundem Paſchaſium in eiſgem caloribus ſtantem, & ſibi obſequi paratum inuenit. Quem cum tremefactus inquireret, Quid ibi tantus vir ageret? hoc ab eo reſponſum accepit: *pro nulla*, inquit, *alia re in his ſum deputatus caloribus, niſi quia Laurentio fauens, ei contra Symmachum nequiter agenti conſenſi. Porro ſi pro me Domino preces dignaris fundere, in hoc te exauditum ſcito eſſe, ſi huc rediens me non quiueris inuenire.* Epiſcopus ſane ad Eccleſiam regreſſus hoſtiam pro eo ſalutarem Domino obtulit: & ad thermas reuerſus eum minime inuenit.

Dial. 4. c. 40. — S. Paſchaſius.

De Clodouei regis ortu & regno

CAP. XII.

PORRO Childericus Rex Francorum, ex ſupra memorata vxore ſua habuit filium nomine Clodoueum. Qui, vt ætate, indies ſic & morum creſcebat probitate. Hoc tempore fame valida totam pene Burgundiam opprimente, quidam ex ſenatoribus, nomine Editius, Deo & hominibus placens, ſtuduit agere rem placitam. Miſſis namque pueris congregauit ad quatuor millia eorum quos famis inopia coanguſtabat: hos toto egeſtatis tempore propriis aluit ac fouit ſumptibus. Quadam itaque die, ei tam pio operi inſiſtenti vox deſuper audita eſt, dicens: *Quia*, inquit, *ô Editi, mihi in membris meis eſurienti alimoniam contuliſti, ſemini tuo panis non deerit in ſeculum ſeculi.* Fidelis vtique Deus in verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, fidelem famulum de præmio iuſti laboris voluit eſſe ſecurum. Interea Rex Childericus, dum per XXIV. annorum pericula Francorum ſtrenue gubernaſſet regnum, ex hac vita deceſſit. Huic hæreditario iure ſucceſſit ſupradictus Clodoueus, vir in rebus bellicis ſtrenuus, nullique priorum virtute ſecundus. Hic Siagrium Romanorum patricium, Egidii filium, à Sueſſionis ciuitate expulit: eamque ſuæ ditioni ſubdidit. Exercitus ſane Francorum multas Galliarum eccleſias inuadens, theſauros earum diripuit. Vnde, inter cætera ſpolia, de eccleſia Remenſi vrceum miri ponderis ſimul & decoris aſportauerunt: pro quo beatus Remigius, ipſius vrbis Pontifex, legatum ad Clodoueum direxit, multa prece depoſcens, vt ſi non aliud recipere mereretur, ſaltem vrceus ille ſibi redderetur. Tunc Rex legato præcepit dicens; *Sequere*, inquit, *me vſque Sueſſionis, ibi quæ capta ſunt, ſorte miſſa diuidentur: Et ſi mihi ſors iuſta vas, pro quo oras, dederit, in recipiendo eo nulla tibi generabitur mora.* Parens ille præcepto, iter Regis vſque ad deſtinatum proſecutus eſt locum. Quo cum perueniſſent, ex regis edicto ſupellex cuncta in medium defertur ſorte diuidenda. Porro Rex veritus ne forte, ſorte miſſa, vrceus ad alterius deueniret dominium, conuocatis principibus hac eos alloquitur oratione: *Cum rationis ordo expoſcat principem imperare potius ſubditis quid velit, quam prece depoſcere: ego tamen, fortiſſimi commilitones, malo cum gratia, quam cum auſteritate, quidquam*

Editius ſenator. Greg. Tur. li. 2. c. 24. — Chlodoueus Rex. — Præda diuiſio per ſortem.

à vobis exigere. Tyrannorum quippe est, leuia quæque cum vi & feritate subiectis præcipere: bonorum vero principum, ad grauia etiam ac difficilia toleranda, sola lenitate inuitare verborum. Regis itaque dignitas nominis, pii patris debet exempla sectari, vt plus reuerentiæ sibi ex benignitate, quam timoris exigat ex crudelitate. Rectius igitur duxi, mansueti animi beneuolentia id vos rogare, quod possem regia vsus authoritate inconsultis vobis præripere. vnde oratos vos omnes esse volo, vt vas istud (vrceum demonstrans) vestra mihi munificentia extra sortis meæ portionem tribuat. deque remunerationis præmio nullus vestrũ ambigat, cum me retributorem profitear, si hoc cum bona quiuero impetrare gratia. Ad hæc Franci, respondentes Regi dixerunt. *Nos, ô inclyte Rex, sacramento olim tibi fidem promisisse recolimus: vtque mortem, pro corporis tui salute subire parati essemus, profiteri non erubuimus: Si ergo vitam ipsam, quæ cunctis carior est opibus, tibi vouimus, quid maius erit quod iuste negemus? Sane ex his spoliis non partem, sed totum tuæ potestati cedimus: vt volueris fac: aut mergi fluminibus, aut flammis iubeas tradi voracibus, nil ad nos attinet, tantum vt tuo satisfiat desiderio.* Tam deuotam totius erga se exercitus voluntatem Rege admirante, atq; laudante, vnus ex Francis, leuitate animi cõmotus, gladio vrceum percutiens, ad Regem dixit: *Tu,* inquiens, *Rex hinc nihil accipies, nisi quod tibi vera sors auferre permiserit.* Mirantibus cæteris, simulq; audaciam viri incusantibus, Rex moleste id se ferre dissimulans, vas supra memoratum legato Pontificis reddidit. Emenso labentis anni circulo, idem princeps exercitum adunari præcepit in cãpo qui Martius dicebatur: generale proponens edictum vt sic adessent armati, ac si cõtra hostes pugnaturi. Procedit eo loco quo iussum fuerat exercitus, gestis militiæ clarus ac armorum nitore conspicuus: progreditur & rex Clodoueus, ordinatam suorum aciem inspecturus. Circuitoque agmine, deuenit ad eum qui vrceum suo percusserat mucrone, quem intuitus taliter alloquitur. *Vniuersum,* inquit, *perlustrans exercitũ, te ignauiorem non reperi, nec inutiliora gerentem arma conspexi. Nam nec hasta aut clypeus, nec galea aut gladius, alicuius sunt vtilitatis.* Et extensa manu Franciscam eius terræ deiecit (quæ spata dicitur) ad quam recipiendam cum se ille inclinasset, Rex suam vagina exemit, eiusq; ceruici valido conamine illisit, dicens: *Sic tu Suessionis in vrceo illo mihi fecisti.* Eo itaque mortuo, Rex vnumquenque ad propria redire præcepit. Grandis propter hoc factum Francos terror inuasit, & ne quis eius voluntati in posterum contrairet coercuit. Inerat vultui eius grauitas mixta alacritati: vt & iucunditate aspectus mulceret probos, & seueritate terreret improbos. *Francisca, i. Spata.*

De Clodouei regis procatione

CAP. XIII.

QVo ergo ordine ad matris Ecclesiæ sinum, ac catholicæ peruenerit fidei vnitatem, paucis edicam. Duxit vxorem ex genere Burgundionum, Crothildem nomine, Christianam ab ipsis cunabulis infantiæ. Hæc tali quadam ex causa, ad notitiam ipsius Regis peruenit. Miserat idem princeps legatos ad Gundebaldum regẽ Burgundionum ferendæ pacis gratia: Qui dum palatio immorantur, Crotildem puellã contemplati, inquirunt quæ sit: dictum eis est, neptem Regis esse, ex fratre progenitã, quæ (inquiunt) parentibus orbata, nunc stipe alitur regia. Regressi itaq; legati, nuntiant perfecta esse pro quibus ierant: inter cætera dicunt vidisse se puellã adeo forma venustã, vt cuilibet potentissimo Regi nuptui possit tradi: Quã, inquiunt, regia manantẽ à stirpe, patre eius hac vita carente, patruus ab ineunte nutrit ætate. Hoc audito, rex Clodoueus amore capitur puellæ: sperãs se ex hac occasione, regnũ Burgundiæ atripere posse. Dirigit euestigio quendam sibi familiarissimum, nomine Aurelianum, qui munera puellæ a se missa perferens, speciem eius diligentius contemplaretur. Huic imperat, vt puellam adeat, de nuptiis voluntatem regis edisçat: & quid animi illa super hac re habeat agnoscat. Ille præcepto parens, Burgundiæ partes ingreditur: Palatio appropinquans, socios syluis se abdere iussit: ipse habitu mendici circumamictus, ad aulam properat, & vt futuræ sibi dominæ colloqui possit explorat. Tunc forte illa ad Ecclesiam processerat, Domino vota suarum solutura precum (erat quippe dies Dominica) Au- *Crothildis.*

relianus inter cæteros pauperes præ foribus stans, egressum eius operiebatur. Expletis missarum solenniis, egreditur puella, egenis (vt ei mos erat) eleemosynam largitura. Accedit Aurelianus, vt mendicus stipem postulaturus. Cunque illa aureum ei porrigeret, ipse apprehensam manum eius, pallio super brachium reducto nudam, ori suo osculaturus admouit. Illa pudore puellari rubore perfusa, domum repetit. Mittit continuo puellam, quæ inuentum (vt putabat) mendicum ad se deduceret. Quem coram positum taliter alloquitur: *Quid tibi, ô homo, visum, vt eleemosynam accepturus, manum meam veste denudans osculareris?* Cui ille, interrogata omittens, tale dedit responsum: *Dominus meus Rex Francorum, audita generositatis tuæ excellentia, desiderat te habere coniugem: Ecce anulus eius, & cætera ornamenta sponsalia.* Conuersus autem vt sacculum, quem post ostium deposuerat, sumeret, oblaturus ei munera que detulerat, furtim ablatum esse persensit. Quæstione habita inuenitur sacculus: recepit eum vt peregrinus: munera puellæ offert, de nuptiis iam securus. Nam illa, vbi de thori copula audiuit, legato in hæc verba respondit: *Non est, inquit, fas Christianæ mulieri paganum sortiri maritum: sed si hoc [illegible] præordinauit conditor Deus, vt ille, per me, creatorem agnoscat suum, petita non abnuo: [illegible] summo omnipotentis fiat Domini iussio.* Illo dicente Regem eius desiderio per omnia assensum præbiturum, rogat illa, vt secretum apud se hoc verbum teneat, ne patruus aliquo illud pacto persentiscat. Qui fidem dans, se id nulla proferre ratione, regreditur ad Regem, quem prospero nuntio reddidit alacrem. Puella sane eum quem Clodoueus miserat anulum, in thesauris patrui reposuit custodiendum.

De Crothildis desponsatione

CAP. XIV.

ITerato Clodoueus eundem Aurelianum ad regem dirigit Gundebaldum, vt sponsam requirat suam, nuptiali fœdere sibi copulandam. Qui regē adiens Burgundionum, mandata ei depromit regis Francorum. Ille se nescire fatetur, quæ eius sit sponsa: nec se vlla posse dare responsa. *Sed tibi*, inquit, *cauendum, ne publica affectus contumelia ex hac pellaris aula, qui nostra aduenisti exploratum regna.* Cui legatus, *Hæc*, inquam, *mandat Dominus tuus, Rex noster, Clodoueus: Si vis mihi Crotildem meam reddere sponsam, locum designa, quo eam recepturus adueniam.* At ipse miratus quod neptem suam peteret Clodoueus, conuocatis regni primoribus, consilium cum eis habuit quid esset facturus. Qui Francorum veriti animositatem, ne in Burgundiam pararent expeditionem, si eorum regi memorata non traderetur puella, talia suo principi dedere consilia. *Requirat*, inquiunt, *Dominus noster, quid puellæ desideret animus, & vtrum eidem regis Francorum delatus fuerit anulus. Quod si est, vt hæc illa velit, & forte iam sponsalia munera suscepit, reniti non poteris: quin potius legatis eam tradere maturabis.* Burgundiones namq; omnes plus consiliis, quam armis suam tutantur rempublicam. Inquisita puella, fatetur supra memorata se suscepisse dona, Regisque copulam mente velle cupida. Gundebaldus, licet inuitus, Clodouei eam tradidit legatis: nihil ei de suis tribuens thesauris. Postmodum tamen, opere & industria Aureliani, pars maxima ex ipsis cessit dominio Clodouei. Vnde cum Clodoueus regnum suum vsque Sequanam, atque postmodum vsque Ligerim fluuios, ampliasset, Milidunum castrum eidem Aureliano, cum totius ducatu regionis, iure beneficii concessit. Susceptam ergo sæpedictus Aurelianus Crotildem deducere festinabat ad Regem. Quæ finibus appropians regni sui patrui, imperat Francis qui secum erant, vt prædam capiant, incendiaque villarum in regno Burgundiæ faciant. Nec mora, illi haud secus ac iussi fuerant perficiunt, iniectoque circuniacentibus villis incendio, auersaque præda, Burgundia egrediuntur Francorum repetentes solum. Hoc illa cernens, dixisse fertur: *Gratias tibi*, inquit, *summe Deus refero, quod initium vindictæ paternæ necis conspicio.* Nam Gundebaldus rex, patrē eius infandissima peremerat morte. vt post in sequentibus demonstrabitur. Porro rex Clodoueus, in Suessionis ciuitate nuptias cum magna celebrans gloria, sæpedictā Crotildem duxit vxorem. Hæc fidelis infideli coniuncta viro, eum ad fidem

Burgundiones prudentes.

Milidunum hod. Melun.

perducere conabatur. At ipse id agere posse negabat, ritumque & morem Francis assuetum, se nolle deserere testabatur.

De Clodouei regis ad Christi fidem conuersione

CAP. XV.

Concipit interea regina puerum, natumq; perducit ad baptismum, quem vocauit Ingomirum. Qui in albis positus spiritum exhalans, vitæ transmissus est perpetuæ. Pro qua re Rex nimia repletus indignatione, dixit Reginæ: *Quia*, inquit, *puer in Dei vestri baptizatus est nomine, Dii nostri illum præsenti luce fraudauerunt.* Cui Regina, *Gratias ago*, ait, *omnipotenti Deo, qui dignatus est ex meo vtero primogenitum in suum suscipere regnum.* Genuit & alium filium, quem baptizatum vocauit Clodomirum. Quo ægrotante, Rex coniugem cœpit increpare, dicens: *Et hic propter superstitionem vestram, Deorum incurret offensam.* Sed orante Regina, puero salus est restituta. Verum Rege in infidelitate permanente, tandem (vt supra dictum est) commouetur exercitus: bellumque à Francis & Alamannis, totis regnorum viribus, excitur. Tunc rex Clodoueus, signo suis dato, bellum aggredi imperat. Sed inter præliandum, suos grauiter hostium mucrone sterni conspiciens, in hanc vocem prorupit: *Christe*, inquit, *potentissime Deus, quem Crothildis coniunx mea colit pura mente, trophæum meæ tibi voueo fidei, tribuas si his ex hostibus triumphum victoriæ.* His peroratis Alamannos inuadit timor: Francos accendit virtutis ardor. igitur hostes terga vertentes, victoriam Clodoueo relinquunt: ac demum Regem suum gladio cæsum conspicientes, iure tributario Francis se fore seruituros libentissime spondent.

Ingomirus.
Clodomirus.
Bellum Francorum contra Alamannos, apud Tolbiacum.

Clodouei conuersi ad suos Coneio: & eiusdem baptizatio

CAP. XVI.

Victor Clodoueus exinde regrediens, Tullo ciuitatem deuenit: repertumq; inibi beatum Vedastum postea Atrabatensem † Episcopum, comitem sui asciuit itineris. Ventum dum esset Remis, cunctos suos suorumque casus cõiungi refert Rex. Gratiæ Deo in commune referuntur: Rex credulitatem suam profitetur. Gratulabunda coniunx ad sanctum Remigium Remensis vrbis Episcopum properat: fidem Regis edicit: quid facto opus sit edocet: hortatur Antistitem ad aulam quantocyus Regis properet: dumque animus adhuc dubia pendet sub sorte, viam ei veritatis qua ad Deum itur pandat: *Vereri se* dicit, *ne mens prosperis elata successibus, largitorem horum dum ignorat, contemnat: facilius enim pro libitu nobis attributa nostro, temporis interstitio memoriæ eximuntur, quam si qua aliorsum ac volumus euenerint.* Accelerat Pontifex monitis religiosæ parere mulieris: conspectibus sese offert Regis, iamdudum præsentiam eius opperientis: fides ab Antistite profertur: modus credendi edocetur. Rex quoque, veritate agnita, vni se Deo famulaturum deuotus spondet: procerum sane regni atque exercitus se tentaturum sententiam: Ex hac re quæ sit fatetur: quo tanto magis deuotius Christo ceruices subdant suas, quanto plus blanditiis quam terroribus allici se conspexerint. Placet conditio, & ex Regis edicto fit publica populi euocatio. Conueniunt regni primates, nec militaris quoque manus defuit. Quibus coram positis Rex taliter infit. *Franci*, inquit, *Troiugenæ (meminisse etenim vos nominis generisque vestri decet) quibus nunc vsque seruierimus Diis, ad memoriam reducere animos vestros virtutemque deposco. Competens namque ac vtilis visa est ratio ostendendi, primum quorum cultui mancipati fuimus, vt dum inutiles eos fore constiterit, vnius verique agnitio Dei libentius accipiatur: Quod tunc rectissime fiet, si maiorum res gestæ recenseantur. Ac primum vrbem illam Troianæ quondam gloriam gentis intueamur: quam tot (vt autumabatur) numinum præsidio cinctam, imbellis Græcorum lenitas, illis nil opis ferentibus, fraude magis quam virtute oppressit. Et certe mœnium illius propugnacula, Deorum esse structa manu audieramus: arci quoq; simulachrorum effigies ipsis consecratæ,*

alias, Adartensium.
S. Remigius Remensis Episcopus.
Greg. Tur. l. 2. c. 31.
Clodouei concio.

vt inexpugnabilis contra aduersantium maneret incursus, imposita feruntur. Quod vero adiumentum, non dicam hominibus, verum ipsis maceriarum præberent structuris, qui nec imaginibus opitulati sunt suis? Abiiciamus ergo eos, quos inutiles esse probauimus. cultumque deseramus inanem. Soli vero Deo patri filioque eius Iesu Christo, socia sancti Spiritus virtute, mentes nostras corporaque subdamus, vnum in Trinitate & trinum in vnitate venerantes. Huiusmodi religionis, vel disciplinæ patronum nostrum Dominum Remigium nobis autorem esse certum habetote: sed vt collateranea mea Crothildis, huius se esse profitetur fidei, meque huius ab omnipotentia diuinitatis, quod esset infortunium, sperare suasit auxilium. Hic plane Christus Deus in Alamannico, quod nuperrime confecimus, bello, Alamannorum proteruam strauit contumaciam: vestrorumque cordium incentiuo notæ virtutis excitauit audaciam. Ad rectas ergo spes animos subleuemus: humiles preces in excelsa porrigamus: eum nobis protectorem quæramus, qui in se sperantibus omnia præstat.
Hæc dum Rex fide plenus perorasset, plerosque de populo flexit, vt Christo mitia subderent colla: gaudet Sacerdos Regem nondum initiatum, iam suæ gentis esse Apostolum factum. Exornatur baptisterium: descendit Rex, veluti alter Constantinus, in sanctificatum fontis alueum. *Clodoueus baptizatur.* Cui cum sanctus Pontifex modum dominicæ passionis recitasset, Rex ait illi: *Si ego cũ Francis meis inibi affuissem, eius iniurias vindicassem.* Quod vero grata acceptabilisq; Deo prædicti regis fides fuit, ostensum declarauit miraculum. Nam cum forte qui chrisma ferebat, interclusus à populo deesset, ecce subito nõ alius *Affertur chrisma à columba.* sine dubio quam sanctus apparuit Spiritus, in columbæ visibili figuratus specie: qui rutilanti rostro sanctum deferens chrisma, inter manus deposuit sacerdotis, vndas fontis sanctificantis. Fit gaudium & exultatio: baptizantur multi † de popolo: *amplius 3000 sec. Greg. 2. c. 38.* Deo laudes, Deo gratiæ acclamantur: & gaudens Rex ab Ecclesia ad propria regreditur: & vt plenius deuotionem suæ propalaret fidei, Basilicam Deo ac principi Apostolorum, in ciuitate Parisiaca, in qua ipsius sedes erat, construi fecit: *Lutetia sedes regni.* permansitq; in eo, vsque ad terminum vitæ, custodia religionis & iustitiæ vigor.

De Clodouei expeditionibus & victoriis reliquis

CAP. XVII.

Contra hunc regem ciues Viridunensis vrbis rebellauerunt. Sed dum Rex vrbem obsidione vallasset, & iam admoti arietes alta murorum pulsarent, supplicante sancto viro Euspicio, eiusdem tunc vrbis archipresbytero, verbum impunitatis a principe promeruerunt: & Rex ciuitatem recepit. Postea cum Aurelianensem vrbem Clodoueus Rex adire disposuisset, sanctũ Euspicium ac eius nepotem beatum Maximinũ iussit vt suum prosequerentur iter. Quibus & Initiacense contulit prædium: & vt ipsi ac posteri eorum illum possiderent locum, per suum firmauit pragmaticum. † *alias, pradi-cum.*

De Sancto Furseo

CAP. XVIII.

hod. Lagny. Beda lib. 3 hist. Angl. c. 19. Vita eius Tomo 1. Surii, 16. Ianuar.
Cuius in diebus sanctus quoq, Furseus in Gallias venit: & eodem concedente Rege, monasterium quod Latiniacum † dicitur ædificauit. Hic autẽ beatus Furseus ex hybernia veniens, prius a rege Saxonum Sigiberto honorifice susceptus, cœnobium in eadem construxerat prouincia Saxoniæ. De hoc rege Sigiberto scilicet nil aliud in antiquis reperire potuimus historiis, quam quod in vita sancti Fursei legitur, excepisse hospitio eundem virum Dei. Verum in Chronica quæ dicitur Gregorii (& putatur esse *Turonensis Episcopi*) refertur, * quod quidam Rex Sigibertus filium suum Chlodericum, ad Clodoueum principem direxerit, Francorum auxilium contra Gothos laturum. Memorat etiam idem Chronicus, eosdem, videlicet patrem cum filio, fraude Francorum esse interemptos, regnumque eorum ac thesauros à Francis occupatos. Sed quia codex in quo hæc digesta inuenimus, vitio temporum erat deprauatus, ad liquidum intelligare nequiuimus, cuius gentis Rex fuerit, vel

** non respicit ad locum Gregorii Turon. lib. 2 c. 40. sed Epitomatorem, c. 26 in hac editione fol. 101.*

quæ

quæ iusta necis huius causa extiterit. Tantummodo narrat, *regnum eius, opesque à Clodoueo peruasas.*

De bello contra Gundebaldum

CAP. XIX.

GEssit vero bellum Clodoueus, contra Gundebaldum regem Burgundionum, exercitumque eius ad internecionem deleuit. Causa autem huius pugnæ fuit, quia Gundebaldus fratrem suum Chilpericum, patrem videlicet Crothildis reginæ gladio interemerat, vxoremque eius, matrem supra dictæ reginæ, lapide ad collum ligato fluuio immergi fecerat. Ob id rogatus à coniuge rex Clodoueus, Burgundiam cum exercitu Francorum ingressus deuastauit, regemque ipsum Gundebaldum, longa obsidione fatigatum, tributa dare coegit. Godegisilus autē, frater Gundebaldi, ad Francos defecerat, & coniunctis cū Clodoueo viribus fratrem expugnabat. Sed opere & industria Aredii viri sapientis, qui ab Arelatensi vrbe auxiliū Gundebaldo laturus aduenerat, idem rex auro hostem repulit, quē ferro nequiuerat. Nam Clodoueus acceptis muneribus repedauit ad propria, relinquens Godegisilo in auxilium quinque milia Francorum. Porro Gundebaldus sui iam securus, fratrem Viennæ obsidione circundat, atque per aquæductum vrbem ingressus, multorum cæde patrata fratrē vna interemit: Francos quoq;, in quadam turri congregatos, ferro trucidauit.

De Bello contra Alaricum Gottorum regem

CAP. XX.

COntra Alaricum etiam regem Gothorū, pugnans Clodoueus victor extitit. Quā pugnam ideo quam maxime noscitur inchoasse, quia Gothi Arrianę hæreseos, secuti Burgundiones, erant: optimamq; Galliarum partem, à fluuio scilicet Ligeris vsq; ad Pyrenæorum iuga montium, obtinebant. Extitit & alia iusta huius pugnæ occasio. Miserat idem Clodoueus legatum suum, nomine Paternum, ad Alaricum regem Gothorum, vt quæ pacis essent cum eo tractaret: simul etiam vt voluntatem eius agnosceret, quo in loco ambos Reges sibi, pro vtriusque regni vtilitatibus collocuturos, oporteret occurrere, & Alaricus (iuxta morem antiquorum) barbam Clodouei tangens, adoptiuus ei fieret pater. Legato aduenienti, & propter quæ venerat intimanti, Alaricus designat locum: dicitque se colloquio non defuturum. Inquirit demum legatus, vtrum cum paucis, an cum multitudine adueniret exercitus: ille se fatetur paucis assumptis eorum expetiturum colloquium. Rursus interrogat Paternus, vtrum armati essent, an inermes? dicit ille, *suos omnes inermes venturos, & vt itidem Franci faciant, postulaturos.* His omnibus consentiens Paternus ad dominum suum regressus, nunciat ei quæ cognouerat complacuisse Gothis. Progressus itaque Clodoueus, è Francia venit in Aquitaniam: & antequam perueniret ad locum placito † destinatum, supra memoratum dirigit legatum, quo habitu Gothi vterentur exploraturum. Qui dum Alarico regi colloqueretur, ferreum ostii obicem, eum pro baculo manu gerere persensit, & quod reliqui idem facerent agnouit: apprehensaque Regis dextra dixit ei: *Quid*, inquit, *O Rex, te læsit Dominus meus Clodoueus & Franci, vt nos fraude machinareris decipere?* Quo negante, & causa ad iurgium vsque procedente, definitum est, vt iudicio Theodorici Gothorum regis (cuius supra meminimus) hæc res terminaretur. Vnde ambo Reges, legatos ad eum in Italiam, vbi & regnabat, dirigunt. Qui vtriusque partis agnita causa, statuit vt legatus Francorum equo ascenso, ante fores palatii regis Alarici stans, eleuatam teneret hastam manu, super quam Alaricus & Gothi, eo vsque copiam iacerent nummorum argenti, quousq; summitas operiretur conti: quorum summa solidorum ad dominium deueniret regis Francorum. Redeunt qui fuerant missi: iudicium referunt regis Theodorici, quod cuncti

Adoptio per tactum barbæ.

† l. colloquio.

Alarici regis fraus.

laudauerunt Franci. Sed Gothi id se non posse implere dixerunt: insuper & legatum Clodouei contumeliis affecerunt. Nam quadam nocte, dum ille in solario cuiusdam domus dormitum isset, Gothi tabulatum quod ante lectum eius erat destruxerũt; qui ad requisita dum surgeret naturæ, pede lapso corruit, brachioque contrito vix viuus euasit. Festinus itaq; natale solum repetit: rei gestæ ordinem ei à quo missus fuerat pandit: flebilemq; suæ querelam ærumnæ miserabiliter depromit. Rex ergo Clodoueus in talibus non esse procrastinandum ratus, simul pro iniuria legati iræ impatiens: congregat exercitum, quem tali hortatur oratione ad pugnam: *Virtutis*, inquit, *vestræ ô fortißimi commilitones, securus, animositatem vestram nullius exhortationis indigam iudico: quam adeo hostes extimuerunt, vt legatum nostrum infanda cæde perimere vellent. Ostendunt profecto, se totius iram gentis non posse perpeti, qui vnius expauerunt constantiam legati. Hoc solum vos nosse cupio, vobis aduersum immanißimos hostes, non pro coniugibus aut liberis, non etiam pro acquirendis certamen esse diuitiis: sed potius pro inseparabili sanctæ Trinitatis vnitate, quam illi nefandißimo diuidunt errore. Ad extremum, pro diuinis simul humanisque legibus, quæ iniuriarum immunes sanciunt debere esse eos, qui mediatores hostilium efficiuntur armorum. Inter arma nanque hostilia, sola legatio pacis sequestra est: Exuit hostem qui legatione fungitur. Festinemus igitur ad prælium, & diuina protectione confisi, hostiles phalanges aggediamur intrepidi.* Hac allocutione ducis animati viri virtutis contra hostes proficiscuntur, corde constanti, aut vincere aut mori parati.

Oratio Clodouei.

De omine victoriæ & Ceruæ apparitione

CAP. XXI.

IN hoc bello diuinum illi affuisse auxilium, signa à Deo ostensa docuerunt. Nam dum legatos munera ferentes, ad sepulchrum sancti mitteret Martini, dixit eis: *Ite, & à Basilica Sancti Martini mihi signum victoriæ referte.* Abeuntes illi dum Ecclesiam oraturi intrant, vox cantoris eorum insonuit auribus, dicens: *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsa.* Lætantes illi, oratione completa muneribusque oblatis, Regi signum victoriæ à Deo sibi concessum depromunt, & alacrem efficiunt.

Psal. 17.

Cum autem flumen, cui Vigenna nomen est, transire deliberaret, & dum vadum non inueniret, eo quod fluuius pluuiis auctus exundauisset, his Dominum verbis exorare cœpit: *Trinitas*, inquit, *in personis Deus, & in maiestate vnus, mihi contra aduersarios fidei catholicæ victoriam tribuens, facilem huius aluei concede transitum.* Annuit his precibus clemens auris omnipotentis: cumq; illucescente die castra mouissent, ecce, cerua quædam se subito conspectibus eorum ingessit, illi (vt moris est Francorum venatui scilicet insistere) prædam putantes, eam auide insequuntur. At ipsa transito flumine vadum ostendit, ac deinceps nulli comparuit. Ita Rex cum omni exercitu transmeans, Pictauis peruenit: & haud procul à Basilica sancti Hylarii tentoria fixit: edictoque compescuit populum qui secum aderat, nequid in ea prouincia raperent, nec cibi quidem necessaria: cum, ecce, medio noctis silentio, pharus ignea visa est egredi ab ecclesia sancti Hylarii, ac super tabernaculum in quo Rex quiescebat protendit. Conserto ergo prælio, victi Gothi terga verterunt. Inter ipsas vero confertissimas acies, Clodoueus cum Alarico certamen iniit. Cumque eum terræ prostrauisset, & qua letale vulnus infligeret rimaretur, duo Gothi eum à latere contis feriunt: sed propter loricam, eum vulnerare nequiuerunt.

Pharus.

De Theodorici expeditionibus

CAP. XXII.

REge itaq; Alarico, qui Gothos per XII. annos rexerat, hoc modo interfecto, Clodoueus filium suum Theodoricum, cum valido exercitus supplemento, ad superiores

riores regni eius dirigit partes: qui peruagata omni prouincia, Rothenos, Cadurcoſque atque Auernos ſubegit: & ad patrem victor rediit, qui tunc in Burdegalenſi vrbe hyemabat. Brumali autem recedente rigore, vernalique ſuccedente temperie, Clodoueus Toloſam petit. Inde theſauros Alarici auferens, ad Engoliſmam properat: in cuius aduentu murus vrbis, diuino nutu ſponte ruens, aduenienti Regi apertum præbuit iter. Qui vniuerſos Gothos quos inibi repperit, gladio interemit; pari etiam modo per vicinas vrbes aduerſarios interficiens, ſuoſque conſtituens, eas ſibi parere compulit. Rebus ergo cunctis ex ſententia compoſitis, Turonis iter dirigit. Vbi dum ſtatiuarum gratia aliquantiſper moratur, legationem ſuſcepit Anaſtaſii Conſtantinopolitani principis, munera epiſtolaſque ei mittentis: in quibus videlicet literis hoc continebatur: *Quod complacuerit ſibi & ſenatoribus, eum eſſe amicum Imperatorum patriciumque Romanorum.* His ille perlectis, conſulari trabea inſignitus, aſcenſo equo, in atrio quod inter Baſilicam ſancti Martini & ciuitatem ſitum erat, largiſſima populo contulit munera. Ab illa die, *Conſul* ſimul & *Auguſtus* meruit nuncupari. Cum autem equum, quem inter cætera donaria ſancto miſerat Martino, redimere centum datis ſolidis decreuiſſet: nec ille vllo modo eum de loco mouere poſſet: alios centum dari præcipiens, taliter infit: *Sanctus Martinus bonus in auxilio, ſed carus noſcitur eſſe in negotio.* Rex itaque recepto equo, paceq; per circuitum facta, Pariſios regreditur. **Clodoueus COS. & AVG.**

De Chararici regis morte: & pugna Clodouei contra Ragnacharium

CAP. XXIII.

CHararicum vero Regem (qui ei quondam contra Siagrium pugnaturo auxilio eſſe debuerat, & fide fracta ſe ſubtrahens, ſpectator certaminis magis eſſe voluerat, quam pugnator: vt ſcilicet poſtmodum victoris ſequeretur partes) Clodoueus, cum filio dolo cepit: & tonderi eos faciens, patrem quidem Presbyterum, filium autem Diaconum ordinari iuſſit. Cumq; Chararicus cauſaretur pro ſui humiliatione, filius ad eum hæc inquit: *Frondes* (barbam demonſtrans) *ad ſummum verticem, in viridi ligno deciſæ, cito ſuccreſcent: Vtinam & auctor huius facti tam velociter pereat.* Quod verbum vbi nunciatum eſt Clodoueo, ſtatim eos gladio puniri præcepit: regnumque eorum cum theſauris peruaſit. Poſt hæc parauit expeditionem contra quendam ducem, nomine Ragnacharium, apud Camaracum vrbem commorantem: quem quidem ei ſanguinis affinitas coniunxerat, ſed morum improbitas infeſtum reddebat. Nam obſcœnitati & luxuriæ deditus, ſuis etiam omnibus erat odioſus. Adſciuerat quoq; ſibi quendam ſpectatæ (vt putabat) prudentiæ familiarem, nomine Faronem: Qui fallendi artifex, ita eum mente alienauerat, vt ſi quid muneris quilibet ei offerret, in ſumendo eo ipſum participem aſciſceret: *Sint*, dicens, *iſta mihi & conſiliario meo Faroni.* Hac ducis ignauia permoti, qui in eius militabant aula, conferre ſecum cœperunt, qua ratione hanc à ſe remouerent iniuriam. Deſidia enim imperantis, opprobrio eſt ſubditis. Quapropter Clodoueum per internuntios ſollicitant, vt gerendi aduerſus eum cauſam belli exquirat: Mandant ſe, priuſquam in manus veniatur, prælio ceſſuros, vinctumq; dominum, ſi eis præmia conferantur, tradituros: qui nil moratus, cum valida ſuorum manu contra eum proficiſcitur, mittens prius proditoribus armillas æreas deauratas, cum gladiis ſimili modo ornatis, loco muneris. Ventum itaq; eſt ad locũ certaminis, & conſcii proditionis, fugã ſe fingunt quærere ſubſidio ſalutis: Ragnacharius vero dum fugere nititur, à ſuis captus Clodoueo præſentatur vinctus. Quem ille, vt degeneris animi virũ, gladio puniri iuſſit, fratrem quoq; eius ſimiliter præcepit occidi: improperans ei, quod nõ ferendo auxilium fratri, permiſiſſet ſe & illum turpiter teneri. Pari etiam modo multos parentum ſuorũ neci tradidit, theſauroſq; eorum abſtulit: ne quis remaneret, qui inſidiari regno eius vel vitæ poſſet. Nam fratrem Ragnacharii, Ricimirum nomine, quem aduerterat regni cupidiorem, miſſis ſatellitibus apud Cenomãnorum vrbem vita priuari fecit. Vnde vna dierum, aſtantibus regni pri- **Sacri ordinis pro pœna.**

moribus, dixisse fertur; *Parentibus*, inquit, *orbatus cunctis, periculum mei pertimesco capitis: dum neminem habeam propinquum meæ custodem salutis.* Quod quidam calumniæ causa dictum æstimauerunt, si forte quisquam prodiret, qui se Regi sanguine proximum assereret. Proditores vero Ragnacharii, cognito deprauata fuisse dona, quæ acceperant proditionis gratia, Clodoueo querelam detulerunt. Quibus, inquit Clodoueus; *Ingrati estis beneficiis vobis collatis: nam quantis putatis eos debere interire suppliciis, qui Domino suo auctores sunt mortis? Abite potius ad propria: sufficiatque vobis ipsa indigna, qua fruamini, vita.* Illi indignationem Principis veriti, ad sua sunt habitacula reuersi.

De Sancto Seuerino, & aliis

CAP. XXIV.

HVnc Regem fere per annum continuum febre laborantem, vir Domini Seuerinus (qui in cœnobio Agaunensium Martyrum tunc erat Abbas egregius) ab eo accersitus, saluti restituit: ac postmodum in loco qui castrum Nantonis † dicitur, laudabilem vitæ cursum complens migrauit ad Dominum.

Chasteau Landou. *vulg.*

De Sancta Genouefa.

Huius quoque incluti Regis temporibus, florebat in vrbe Parisiaca virgo virtutum Genouefa meritis pollens. Quæ in Nammetodoro, † vico Parisiaco, huic mundo parentibus edita, temporibus Honorii imperantis in occidente, Theodosii vero minoris in oriente, à Sancto Germano Altissiodorensi † Episcopo, proficiscenti in Britanniam ob Pelagianam hæresim destruendam, tempore supradicti Valentiniani principis consecrata, post obitum parentum, tempore Childerici genitoris huius præcelsi principis Clodouei, in vrbem Parisiacam deuenit: ibique ad tempora vsq; Hlotarii & Childeberti, filiorum præfati incluti Regis, eximiis vitæ meritis consenuit.

hod. Nanterre.

alias Antisiodorensis.

De Sancto Germano Episcopo Parisiensi.

Tempore quoq; Clodouei nobilissimi regis, vrbs Edua huic mundo protulit florem lilii fragrantissimi: beatissimum scilicet Germanum, postmodum præsulem Parisiorum. Qui à parentibus literis traditus, intra terni lustri spacium, à Beato Agrippino Diaconus instituitur: ac sequenti triennio presbyter ordinatur. Dehinc à venerabili pontifice Nectario Abbas ad sanctum Symphorianum asciscitur.

De Sancto Benedicto Abbate sanctissimo.

Agebat eo in tempore curam imperialis maiestatis, Anastasio defuncto, Iustinus senior. in cuius imperii partibus, in Nurtia scilicet prouincia, exortus toto orbe venerandus vita & nomine Benedictus: iam tunc pueriles attingens annos, à parentibus scholis artium liberalium deputatus. Romanam quoque ecclesiam, post Symmachum Hormisda suscepit regendam. Cuius temporibus, sæpe dictus Rex gloriosus Clodoueus direxit ad beati Petri limina, hortatu summi præsulis Remigii, regiæ dignitatis auream coronam gemmis preciosissimis insignitam. Quo facto patenter ostendit, se Deo non fore ingratum, dum ad ipsius Apostoli sepulchrum insigne mitteret regium, sciens se à Christo solio regni esse donatum. Nam & Sosius consul Romanus, capta Hierosolymorum vrbe in Domini templo coronam obtulit: sed hic munere gratior, quia fide potior. Ille etenim idolorum cultor, ast iste catholicæ Ecclesiæ pro posse sedulus venerator. Ille quod esset præsens, quamuis ipsi vrbi temploque infestus: verum hic absens, Romuleæque amator domus, nec minus Basilicæ Apostoli Petri deuotus.

Infr. lib. 2. c. 16. & 22.

Cal. Symmachus obiit 14. Kal. Aug. 514.

De terræmotu, & Clodouei transitu

CAPVT XXV.

His etiam diebus apud Viennam Galliæ vrbem, multorum domus simul & Ecclesiæ terræmotu concussæ ceciderunt. In Paschali vero festiuitate, beatissimo Mamerto eiusdem vrbis episcopo missarum solénia celebrante, palatium regale, quod in eadem erat ciuitate, cœlesti concrematum est igne. Lupi quoque vel vrsi syluis profugi, eidem ciuitati innumeri cœperunt esse infesti, adeo vt multorum lacerantes corpora, propria eos cogerent deserere habitacula. Vnde memoratus Sacerdos, aduenięte dominicæ Ascensionis die festo, conuocato populo præmonuit agere triduanum ieiunium, ac omnipotentis Dei exposcere suffragium. Appropinquante autem die statuto, conuenit omnis populus ad Ecclesiam cum gaudio Letanias peragens, cum triduano ieiunio. Exinde pulcherrimus in sancta vniuersali Ecclesia mos inoleuit, vt, quoquo terrarum Christi fides diffunditur, à cunctis fidelibus hæ Letaniæ cum exultatione peragantur.

Palatium Viennense.

Letania.

Porro inclytus Clodoueus rex Francorum, metas sibi attributi attingens æui, defunctus est anno quinto post quam Alaricum regem Gothorum interfecerat: & in Basilica sancti Petri, quam ipse rogatu suæ coniugis fabricauerat, sepultus est. Super cuius tumulum à sancto (vt fertur) Remigio hoc descriptum est Epitaphium.

Epitaphium regis Clodouei.

Diues opum, virtute potens, clarusque triumpho,
Condidit hanc sedem rex Clodoueus: & idem
Patricius magno sublimis fulsit honore.
Plenus amore Dei, contempsit credere mille
Numina, quæ variis horrent portenta figuris.
Mox purgatus aquis, & Christi fonte renatus,
Fragrantem gessit, infuso chrismate, crinem.
Exemplumque dedit, sequitur quod plurima turba
Gentilis populi: spreto quæ errore suorum,
Ductorem † est cultura Deum, verumque parentem.
His felix meritis superauit gesta priorum:
Semper consilio, castris, bellisque tremendus.
Hortatu dux ipse bonus, ac pectore fortis:
Constructas acies firmauit in agmine primus.

† alias, Auctorem.

Regnauit autem Clodoueus annis xxx. obiit vero anno Dominicæ incarnationis D. relinquens quatuor filios regni hæredes. A transitu vero sancti Martini, vsque ad transitum ipsius Clodouei regis, computantur anni CXII.

LIBRI PRIMI FINIS.

LIBER SECVNDVS.

De regni Francorum inter filios Chlodouei partitione.

CAPVT I.

alias Chlodouei.



GITVR quatuor filii Clodouei, id est Theodoricus, Chlodomirus, Childebertus, atque Clotharius, regnum inter se æqua lance diuidunt: Et Theodoricus quidem sedem regni sortitus est Metis: Clodomirus Aurelianis: Clotharius Suessionis: Childebertus Parrhisius, quo & pater eorum. Quo tempore sanctissimus Papa Ioannes, qui Hormisdæ successerat, Constantinopolim ad Imperatorem Iustinum est profectus, à Theodorico Gothorum rege missus. *Iustinus Imp.* Iustinus namque Augustus, cum esset vir fide catholicus, hæreticos impugnans, ecclesias eorum Orthodoxis condonauerat, consilio memorati Papæ vsus. Quapropter Theodoricus Arrianæ existens hæreseos, eum cum aliis catholicis viris ad Imperatorem direxit, mandans quod nisi Arrianis ecclesiæ redderentur, cunctum Italiæ populum gladio percutiens extingueret. Sanctus autem Antistes, vt erat languidus, iter arripiens nauigio Constantinopolim est euectus. Occurrit autem ei Augustus & omnis ciuitatis clerus: gaudente principe suscepisse se in regia ciuitate Pontificem sedis Apostolicæ. Peroratis ergo pro quibus ierat, & impetratis, ipsi Iustino Augusto, vt vicarius beati Petri, imperialem imposuit coronam. Et accepta remeandi licentia, reuersus est Rauennam. Quem Theodoricus, eo quod audierat eum ab Augusto honorifice susceptum, diutina custodia maceratum, ieiuniis, ac squalore carceris afflictum, vltimum coegit exhalare spiritum. Qui deficiens animam Christo martyr reddidit. Alios quoque qui cum eo fuerant, partim igne cremauit, partim variis pœnis interfecit: inter quos Symmachum patricium, & Boëtium eius generum, post carceris custodiam, gladio puniri iussit. *Symmachi & Boetii interitus. An. 526.* Qui videlicet Boëtius quam disertus fuerit in literis secularibus, quamque fuerit catholicus, ex eius comprobatur codicibus. Testatur hoc Arithmetica, nec non Dialectica, ipsa etiam omnium animis gratissima Musica ab eo translata, & Latinorum iamdudum eam desiderantium auribus delectabiliter infusa. Porro eiusdem de sanctæ Trinitatis consubstantialitate liber, liquido ostendit quam eximius suo, si licuisset, tempore sanctæ Ecclesiæ colonus extitisset. Theodoricus autem tam immanis sceleris statim pretium luit. Nam nonagesimo octauo, post hoc facinus, die subita morte defunctus, indignam vitam digno exitu finiuit. Cuius animam quidam solitarius, apud Liparam manens insulam, vidit inter sanctissimum Papam Ioannem & Symmachum exconsule deductam, in Vulcani demergi ollam, eo loco vicinam: *Vulcani olla Gregor. M. 4. Dial. c. 30* quæ ideo sic dicitur, quod inibi mare, tanquam æneum vas, feruescat ab igne. Hoc modo periit Theodoricus, homo in suis initiis honestis pollens moribus. Romanis etenim primitiis quotannis ad subsidium, conferebat tritici centum viginti millia modiorum: qui veniens ad extrema, vt ex superioribus patet, polluit omnia. Huic fuit in coniugio iuncta soror Clodouei regis, nomine Audefleda. Suas quoque sorores aut filias, Theodoricus Principibus circumpositarum sociauerat nationum. Nec erat vlla gens vicina Italiæ, cuius Rex esset eius affinitatis expers. Nunc cœptæ ordinem prosequamur historiæ.

De

De bello inter fratres ob diuisionem regni orto

CAPVT II.

DIuiso quadrifariam (vt supra prælibatum est) regno, aliquantisper sæua bellorum quieuere incendia. Dani vero, gens inquietissima, conscensis quampluribus nauibus, fines regni Theodorici regis † ingressi depopulantur. Contra quos supradictus rex filium suum Theodebertum cum exercitu illas direxit ad partes: qui fugatis hostibus, captiuisque ereptis, victor reuersus est. *Dani.* *Chlodouei F. qui Metis residebat.*

De Crothildis ad Reges oratione

CAPVT III.

THeodorico itaq; rege hostilem incursum propulsante, Crothildis regina reliquos filios, Clodomirum atque Childebertum necnon Clotarium, aduocans, hac eos oratione alloquitur. *Omnipotens*, inquit, *totius conditor ac rector orbis Deus, paterni vos ideo voluit esse hæredes regni, vt maternæ vos constitueret vindices iniuriæ. Quapropter, dilectissimi filii, feliciter nati, felicius educati, si bene quid de vobis promerui, vlciscimini (quæso) iniustam patris matrisque meæ infandissimam necem. Gaudeam*, inquit, *hos me enutrisse materni executores doloris, quorum ingemisco perisse auos, magni si adhuc viuerent authores honoris. Neque etenim parui pendenda est vobis causa mearum querelarum, quibus contigit tantorum carere patrociniis propinquorum, quos vobis abstulit inimici atrox inuidia, priusquam huius vitæ perciperetis oblectamina. Quid vero spei vobis sit in reliquum animaduertite: Num parcituros putatis nepotibus, qui non pepercerunt fratribus? Et certe illos parua pro parte regni, è medio sustulerunt hominum. vobis autem mitiores fore censetis, quibus ablatis magnorum inerit spes regnorum: Namque si vos iustam non exegeritis vltionem, ipsi vobis infaustam inferent necem. Quod si miseratione non mouemini mortuorum, anxios saltem contemplamini meorum affectus viscerum, qui fuerint, dum patrem gladio, matrem fluminis submersione, sororem exilii relegatione, damnari conspexi.* His filii piis maternæ querelæ commoti affectibus, exercitum Francorum perualidum congregantes Burgundiam contra Sigismundum & Godmarum, filios Gundebaldi regis, pugnaturi ingrediuntur. *Crothildis oratio.*

De Sigismundi in ædificanda æde sanctorum Martyrum sancta magnificentia & victoria

CAPVT IV.

TVnc temporis Sigismundus Basilicam sanctorum Mauricii sociorumque eius, magnis extruebat impensis, in loco nuncupato Agauno. Circa eundem quippe locum magnanimitatem suæ ostendit deuotionis, dum esset vir optimæ mentis, & sanctarum locupletator ecclesiarum. Nam & prædiorum illi loco contulit copiam: & clericorum ordinem psallentium constituens, sanctæ religionis Martyres propitios sibi adsciuit. Meminerat etenim se, coniugis persuasionibus deceptum, vnicum amisisse filium †. Quem dum illa odio prosequitur nouercali, in tantum exosum fecerat patri, vt felle commotus iuberet eum puniri gladio †. Nec multo post facti pœnitentia ductus, secum ipse reputans quid sceleris admiserit, ad sepulchra Sanctorũ recurrens sæpe, humique prostratus, eos erga se clementissimos fore efflagitans rogabat, vt si quid minus perfectum, diuinæque maiestati aduersum, in suis reperiretur actibus, id, eorum interuentu, iustus iudex in hoc sæculo potius, quam in futuro puniret examine. Quam petitionem ad effectum iuxta votum peruenisse constat. Audiens quippe exercitum aduenire Francorum, instruit & ipse copiosam suorum manum: atq; aduersus eos pugnaturus, aciem dirigit. Congressione itaque facta, Francis acriter prælian- *SS. Agaunenses.* *Sigerium strangulari, Gregorio.*

tibus, victi Burgundiones fugæ præsidio se committunt. Sigismundus vero cum tutelam sanctorum Agaunensium Martyrum, citato expeteret cursu, à Clodomiro Francorum rege, qui eum persequebatur, captus atq; Aurelianis perductus carceri est mãcipatus. Tunc beatus Auitus, qui in territorio eiusdem vrbis abbatis fungebatur officio, rogare Clodomirum cœpit, ne tam excellentis nobilitatis, insignisque bonitatis, virum neci traderet. Quod ille audire detrectans, cum in villa cui Calumpnia nomen est, perduci, ac ibidem cum filiis capite cæsum in puteum proiici iussit: de quo postmodum sublatus, atque ad Basilicam sanctorum Agaunensium deuectus martyrum, cum digno honore est sepultus. Quem sanctorum collegio Christum dominum adnumerasse, ideo non ambiguum habetur, quod febricitantes quique si pro remedio animæ ipsius, salutare fideliter fecerunt offerre sacrificium, continuo ab infirmitatis suæ liberantur incommodo. Auctor vero necis eius, non diu lætatus est in hoc facto: Nam sequenti anno idem Clodomirus, commoto exercitu, partes Burgundiæ deuastaturus aggreditur. Cui occurrit frater Regis † defuncti: ac fraternæ necis auidus vindex, pugnam cum eo non dubitauit conferre: sed Burgundiones, more sibi solito, animositatem Francorum non ferentes, hostibus terga nudarunt. Rex vero Clodomirus iuuenta alacrior, armis munitus, & ipso præsentis certaminis prospero successu animatus, dum audacius quam debuit hostes insequitur, pernicitate equi cui insederat vectus, agmen inimicum, sui nimium negligens, antecessit. Quem illi à suis desertum, à se vero circunuentum conspicati, telis eminus vrgere cœperunt. Sola etenim species viri, & nimis notæ atque alacris fortitudinis gloria, perturbabat hostem, ne quis propius accederet. Qui vbi se hostilibus circundatum cuneis vidit, nullumque adesse suorum, in virtute sola remedium ponens salutis, conuertit equum seseque collegit in arma. Æstuare tamen magnanimus cœpit iuuenis, atque incertus animi ingentia pectore cepit consilia: obuiam ne eundum, an hostibus cedendum foret, aliquandiu deliberauit. Tandem aliquando inuenit ratione viam, vicitque mentem pudor: interque confertissimos aduersi agminis viros proruens, ferro iter aperire conatus, quem primum obuiam habuit equo deiecit. Circunuentus autem, confossis lateribus vitæ terminum sortitus est. Impiger sane iuuenis & manu promptus, sed consilio parum prouidus: qui in secundis amorem posuerat vitæ: fuit tamen maternæ pro posse vltor iniuriæ. Porro Franci, Regis interitu comperto, non (vt nationes cæteræ) subsidium quæsierunt fugæ, sed ira feruente Burgundiones, insecuti, cædunt, prosternuntque grauiter: deuastataque omni prouincia natiuum repetunt solum. Regnum regis interfecti cum eius vxore, Gundeaca nomine, frater Clotarius accepit: filios vero eius, Theodoaldum, Guntarium atque Clodoaldum, auia eorum Crothildis materno suscepit nutriendos affectu.

B. Auitus cuius natalis 1. Maii.

Calumnia villa.

Clodomiri R. cædes.

Godomarus

De Iustiniano & Belisario

CAPVT V.

His ipsis apud Constantinopolim diebus, Iustino humanis rebus exempto, Iustinianus ei successit in regno. Is autem Iustinianus, dum esset temporibus memorati Iustini sacri scrinii præpositus, & Belisarius equitum præfectus, mutuæ sibi adinuicem dextras dederant amicitiæ. Ii iurisiurandi se obligauerant fide, *Vt si quilibet eorum altioris gradus potiretur honore, socium sibi æquaret dignitate.* Quadam itaque die, cum coæquæuis sibi lupanar ingressi, conspiciunt duas mulierculas ex gente Amazonum sorte captiuitatis abductas, inibi esse prostitutas. Eas illi rapiunt, atque ad proprias domos deducunt: vni earum nomen Antonia, alia vocabatur Antonina. Et Antoniam quidem Iustinianus, Antoninam vero accepit Belisarius. Erantque ambæ sorores. Vna ergo dierum, Iustiniano meridianis horis sub dio quiescente, cum caput in sinum suæ reclinasset amatæ, adueniens aquila, alis expansis ab ardore solis eum conabatur defendere. Intellexit mulier auspicium, quod Iustiniano portendebat imperium: & experrectum tali voce compellat virum. *Oro, inquit, amantissime iuuenis, vt dum regni potitus fueris sceptris, non me indignam iudices gratissima amplexibus coniugis.* Illo dicente, impossibile

Auspicium imperii.

bile hoc esse, vt ipse ad culmen proueheretur imperiale: rogat mulier, vt quod illa pro certo sciebat, ne se inexoratum ei præberet. Quo tribuente assensum, factaque commutatione anulorum vtrinque est discessum. Sane Belisarius eique copulata Antonina, eadem inierunt connubii fœdera: vt, quia non dubitabat Belisarius adepturum se potioris honoris gradum, si imperio potiretur Iustinianus, sociam sui eam adscisceret stratus. Nec multum fluxerat temporis, cum Imperator Iustinus expeditionem parauit aduersus regem Persidis. Sed in ipso belli apparatu morbo præuentus, anno assumpti imperii octauo est defunctus. Consensu Senatus, totiusque simul exercitus, Augustus efficitur Iustinianus. Qui, nihil moratus, collecto exercitu contra Barbaros est profectus. Et commissa pugna, fugatisque hostibus, Regem se eorum cepisse gauisus est. Quem in solio regni iuxta se sedere fecit: & vt prouincias, quas Romanis eripuerat, sibi restitueret imperauit. Cui ille, *Non*, inquam, *dabo*. Ad hæc Iustinianus respondit: *Daras*. pro cuius nouitate sermonis, ciuitas eo loci constructa est, cui Daras nomen est. Rex autem Persidis, licet nō voluntarius, omnia ei restituit quæ Romani fuerant iuris: sicque in regnum suum est redire permissus. Iustinianus quoque Augustus, cum magno triumpho Constantinopolim est regressus. Tunc Antonia, eius quondam amata, sui nequaquam oblita, sumptis quinque aureis palatium est ingressa: E quibus duos dedit ianitoribus, vt sibi pateret introitus, tres vero tenentibus cortinam, vt suam permitteretur enarrare causam: & stans ante Principem, hunc apud eum habuit sermonem. *Cum scriptura dicat, Honor Regis iudicium diligit*: Et item, *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo: ego, clementissime Imperator, hæc dicta esse de te intelligens, fiduciam sumpsi te adeundi, tibique propriæ necessitudinis causam exponēdi. Est denique in hac ciuitate iuuenis, qui mecum permutatis anulis fidem pepigit alterni amoris, professus quod me sibi iungeret sub nomine legitimæ coniugis. Ob id Serenitatis tuæ præsentiam adii, tui super hac re exposcens sententiam iudicii*. Cui Imperator, *Si*, inquit, *fides est pacta, non debet fieri irrita*. Quo illa audito, anulum suo detrahens digito ostendit Augusto: *Videat*, ait, *Dominus meus, cuius iste fuerit anulus*. Agnoscit Princeps eum quem dederat anulum: iubet eam introduci in cubiculum: ornamentisque regalibus indutam, de cætero vocari & esse Augustam. Quod factum vehementer abhorruit populus cunctusque Senatus: adeo vt palam clamarent, *Nefariam rem fecisse Augustum, vt publicæ abiectionis scortum sibi copularet in matrimonium*. Hac Cæsar exagitatus iniuria, plærosque Senatorum pertrahi iubet ad necem. Quæ res in tantum perterruit plebem, vt sibi quisque metuens, conatibus eius in posterum minime obuiare auderet.

Iustinianus fit imperator

Daras, i. dau, barbare.

Psal. 98. *Prou. 20.*

De Belisarii successu

CAPVT VI.

POst hæc commilitonem suum Belisarium in Aphricæ promouit partes, patricium eum cōstituens: qui quoq; supradictam Antoninam, Augustæ sororem, duxit vxorem. Hunc dum Iustinianus summo cōplecteretur amore, magnis locupletare studebat opibus diuitiarum. erat assiduus in Imperatoris consilio: particeps quoque assumebatur in conuiuio. Sed quia semper inuidetur felicioribus, paupertatique nullus inuenitur æmulus, immoderateque detrahentium lacerantur morsibus affluentes opibus, multi Belisarii prosperis offendebantur successibus. Huic calumniam acerbo componunt felle, & acerbiori parant exitu. Denique Regem adeunt improbissimi homines, & inuidiam excitant, asserentes, necem Regis ac vsurpandi imperii potentiam a Belisario affectatam. Haud difficile Princeps impulsus est, vt credibile duceret quod pro vero affirmabatur. Itaque priusquam sibi probaretur, tentamentum aliquod flagitii parricidalis, vel mendacii suspicionem excluderet examen veritatis, suggerentibus calumniatoribus, iubet eum expugnare Wandalos. Hi sæpissime maximas Romani exercitus vires, clarissimæque nobilitatis, pessundederant duces. Accepta hac iussione principis, Belisarius domum repetit mœrens ac tristis. Quem vxor sua grauiter cernens affectum mœrore, inquirit ab eo causam offuscantis faciem eius mœstitiæ: rogat sibi manifestari secretum, si forte consilii aliquod valeat conferre subsidium

VVandali.

dium. Cui ille prælii rem fore dixit, non lanificii: ideoque viros magis quam fœminas oportere consuli. Ad hæc illa: *Confido*, ait, *in Christo, me virilem prolaturam sententiam, si huius arcani attingere quiuero scientiam. Veridicus namque est sermo Apostoli dicentis, Quod saluetur vir infidelis per mulierem fidelem* (erat enim ipsa catholica, quamuis Belisarius hæresi inuolueretur nefanda) Tunc sæpefatus Patricius paululum quid inter semetipsum deliberans consideransque, quia & in fœminis inuenitur sapientia, nec priuatur infirmior sexus rerum profundarum intelligentia, coniugi refert, vt Wandalos expugnaret sibi imperatum esse. Illa, muliebri abiecta imbecillitate, hac virum exhortatione ad fidem orsa est inuitare: *Nullus*, inquit, *protestante sacra scriptura, sperauit in Domino & derelictus est ab eo: Quapropter, mi vir, suadeo tibi, relictis Hæreticorum blasphemiis, trinum & vnum Deum agnoscere, qui regnat in cælis: fac ergo votum Deo cæli, & eris victor melius quam fuisti* (per ipsum namque Belisarium imperator Iustinianus multarum sibi subiugauerat feritatem gentium) Spondente itaque illo fidem Christi, mulier iterum dicit ei: *Nullatenus immutetur decor vultus tui sollicitatus difficultate prælii, & pallor qui tuam obtinuit faciem, discedat à te. Nunquid non sunt nobis duodecim milia puerorum* †, *quos propriis alimus stipendiis: & decem & octo milia militum, quos cum patriciatus dignitate adquisisti?* Quo respondente, Etiam sunt: adiecit illa: *Assumpta igitur parte militum, ad duodecim scilicet milia, puerorumque ad quatuor milia, terrestri itinere partes aggredere Aphricæ: Ego vero cum reliquo exercitu, videlicet sex milibus militum, & octo milibus puerorum, nauali euectione fines petam Libyæ. Hocque nobis adinuicem erit signum, vt tui in castris copiosum accendant ignem, & nos in nauibus lumen ostendamus facibus.* Quid plura? factis dicta compensantes Aphricam partito petunt agmine. Wandali terrena expeditione comperta, naualis ignari agminis, ad pugnam se præparant, coniugibus ac liberis ad belli spectaculum in castris constitutis. Conserto prælio cum neuter exercitus alteri loco cederet, nuntius ad Wandalos venit, asserens vxores eorum & natos gladio trucidatos. Antonina enim cum suis de naui in littus egressa, castra hostium peruaserat, nullumque viuentem reliquerat, nec pueros quidem ac puellas. At Wandali pugnantes comperta suorum nece, rupta acie, dum suis timent, propria neglecta salute, ad castra reuerti festinant. Quos confuse ruentes, qui castra inuaserant, obuiam facti excipiunt sternuntque, ac toto palantes persequũtur campo. Rex autem Childemerus cum duodecim tantum Wandalis fuga periculo exemptus, castellum quoddam munitissimum est ingressus: in quo à Belisario obsessus, dum nullus ei pateret exitus, rogabat memoratum patricium, vt liber vinculis ante conspectum duceretur Imperatoris. Cui cum spopondisset Belisarius, quod non resti aut funibus, non etiam ferreis constringeretur nexibus, aut ligaretur mastigia: & credens ille promissa, vbi se dedidit, catena vincitur argentea, Constantinopolimque in triumpho perducitur. Sed in palatio constitutus, cum ab Aulicis multis afficeretur iniuriis, postulauit Principem, vt concesso sibi quem primum habuerat equo, duodecim ex his qui eum colaphis sputisque incessabant, singulare cum eo inirent certamen: *Ibi*, inquit, *& meæ probrum ignauiæ, & illorum spectare habes fortitudinem audaciæ.* Imperator petita non abnuens, cum eo, pro spectaculo, duodecim iuuenibus congredi imperat. Quos ille, simulata fuga, post tergum iaciens spicula omnes interfecit. Post hæc, ex præcepto Principis Childemerus eunuchus factus, patricius Romanorum finium, qui Persidis prouinciæ adiacent, ordinatur. Cum Persis maxima ac prospera bella gessit: ibique vitam finiuit. Sed ad ordinem reuertamur historiæ.

1. Corinth. 7

† i. seruorum. ita & inf. c. 15.

Childemir. Rex Vandal.

De Clothario & Childeberto

CAPVT VII.

Interfecto, eo quo supra diximus modo, Clodomiro natorum Crothildis primo, reliqui eius duo filii, id est Clotharius atque Childebertus, iterum cum exercitu Burgundiam petunt: fugatoque rege eius Godmaro, regnum Burgundiæ Francorum subiugauere ditioni. In hac pugna Theodoricus, quem Clodoueus ex concubina susceperat, fratribus auxilium præbere detrectauit: eo quod filia regis Sigismundi esset nupta illi, neptis videlicet regis Godmari.

De

De Amalrico Gotho

CAPVT VIII.

AMalricus autem, filius Alarici regis Gothorum, cum partem regni paterni, quæ à Francis non fuerat peruasa, suscepisset regendam, legatos ad Childebertum & Clotharium direxit: rogans vt inito fœdere sororem † eorum mereretur coniugem accipere. Quam illi non negantes (vt Regibus tantæ gentis dignum erat) summo cum honore miserunt. At ille, vt erat gente & animo ferus, habere eam cœpit remissius nec diligere, vt Reginam, sed contumeliis dehonestare quasi pretio emptam ancillam. Nam dum esset ipse nefanda, qua & pater suus, Arrianæ hæreseos maculatus perfidia, despectui eam habens quod esset fide catholica, eunti ad Orthodoxorum ecclesiam multa ingerebat probra: stercora nanque in eam, vel in eius proiiciens viam, fœtoris commouebat violentiam, vt deuotam a puræ orationis studio, auerteret mentem. Quibus præstricta contumeliis filia Clodouei, ad fratres cum lachrymis scribit, epistolam mittens per quendam sibi fidelem: & causam suarum exponens iniuriarum ad extremum intulit, *Misеremini*, inquit, *mei fratres amantissimi, & mearum necessitudines indignamini causarum*. Vrbs Auerua Childebertum in finitimis suis, de fratris Theodorici regimine ab eo vi prærepta tenebat: cum memorata sororis scripta ad eum peruenerunt. Inde vir militiæ peritus, non expectato fratris Clotharii solatio, compositis ordinibus castra mouit: atque improuisus armatas acies Hispaniis infudit. Nec defuit congressioni Amalricus, terrestri naualique pugna certare paratus. Vbi vtrique exercitui placuit, in campo prælio decreuere. Sed Childebertus validior equitatu auertit hostem: nec diutius resistere potuerunt Gothi: cum virorum contis, & fremitu equorum conturbarentur. Conuersi igitur sunt in diuersa alii: plærique ad classem refugiebant. Ex ea quoque parte occurrere Franci, ac vniuersos, præoccupato itinere, repellunt à mari. Ipse Amalricus fugere conatus Ecclesiam catholicorum cursu petebat. Tunc vnus è turma Francorum citato equo eum insecutus, hasta cominus percussum terræ deiecit exanimatum. Cuius comperto interitu, Childebertus post tergum iter dirigens Gothorum, Toletum vrbem, ipso terrore belli ciuibus consternatis, sine mora oppugnauit & cepit: multisque ablatis thesauris, & sorore assumpta repedare festinabat ad patriam. Sed antequam cupitas peruenirent ad sedes, soror Regis, nescio quo depressa incommodo, vita decessit. Cuius corpus in loculo positum Parrhisius est delatum, ac in Basilica sancti Petri, iuxta patrem humatum. Sane in thesauris quos Childebertus auexit ab Hispaniis, reperta sunt ecclesiastici vtensilia ministerii, ex vasis quos dicunt fuisse Salomonis, sexaginta preciosissimi calices, quindecim patinæ, viginti capsæ euangeliorum. Quæ omnia cum solido fabricata essent auro, gemmisque ornata opere inclusorio, Rex tamen integer ab eorum cupiditate (vt erat largissimus) cuncta diuersis præbuit Ecclesiis. Sed dum incursare studet aliena, perdidit quæ putabat sua. Nam Theodoricus frater ipsius dolens Aruernorum vrbem ab eo sibi fuisse sublatam, eam tempore iterato inuadit: cæsisque vel fugatis, quos Childebertus ad tuendam reliquerat ciuitatem, Mundericum, qui se propinquum Regis iactitabat, regnumque sibi deberi, perimi iussit, & quæ eius erant sub fiscum redigi. Hic etenim Mundericus persuasis Aruernicis ciuibus, collecta etiam rusticorum non parua manu, castrum Victuriacum contra Theodoricum peruasit: vbi dum Rex eum obsidione cinxisset, & superare nequiret, cuidam suorum Aregisilo nomine imperat, vt dato sacramento securitatis, Mundericum à castello exire suadeat, quatenus à circunsedentibus perimi posset. Ille præcepto obtemperat: ac circumuentum hominem castro educit: datoque in hunc modum suis signo: *Quid*, ait, *ô populi hunc virum aspicitis, ac si nunquam amplius eum videritis?* His illi auditis impetu in Mundericum proruunt, quod ille cernens Aregisilum hic alloquitur: *Quia* (inquit) *ô Aregisile periuriis me decepisti tuis, ex hoc tempore te viuentem nullus cernet oculis carnis*. Et hæc dicens, vti pone eum stabat, lancea inter scapulas adacta cum terræ defixit: euaginatoque gladio hortatus socios, super

Crothildem al. Clothildem.

Munderici fortitudo.

hostes irruit, ac quousque spiritus vitæ in eo fuit, cedere non cessauit. Archadius quoque, qui vrbem Aruernam Childeberto tradiderat, Bituricas aufugit. Ea vrbs tunc Childeberto parebat. Mater vero eius atque amica † comprehensæ apud Cadurcum vrbem exilio addictæ sunt.

alias, Amita

De Clotharii in Thoringos expeditione

CAPVT IX.

Hermenfredus.

INde, fratre Clothario in societatem ascito, ipse cum filio Theodeberto Thoringam petit. præerat Thoringis rex Hermenfridus, duobus suis fratribus trucidatis. Cui accesserat ex coniugio vana quædam mentis elatio, quod ei filia Theodorici regis Italici, ex sorore suscepta Clodouei, iure copularetur nuptiali. Hæc muliebri fastu elata, quod regali manaret è prosapia, fratrem mariti Bercharium † nomine ingenti oderat crudelitate: denique suadet viro, vt fratrem sibi æmulum vita priuet & regno. Id ille nil moratus effecit, missisque lictoribus eum perimi iussit. Pari modo alium, vocabulo Baldricum, suspicione fraternæ insimulatum vindictæ, infanda damnauit morte. Hac arte Amalberga (id quippe nomen mulieri) vacuefecit sibi aulam regni, dum simulat saluti se velle consulere mariti. Miser ille, qui putauerit quod illa in eius fratribus parricidales odisset cogitationes: nec animaduerteret consortes regni ac periculorum sublatos esse suorum, adeo apud improbos est affectus vilis, vt cito paruis † suggestionibus extorqueatur. Profectus itaque Theodoricus in Thoringam, obuiam habuit Hermenfridum cum inumera multitudine hostium: foderant autem Thoringi fossam, quam texerant operimento cespitum, vt aduenientium inibi debilitarentur equi Francorum. Quo cognito, Franci acriter indignati, hostes vltima labefactarunt pernicie: actosque in fugam vsque Onestrudh fluuium prosequuntur. Ibi etiam aduersarii resistere ausi transituque prohibere Francos graui satagebant certamine. Sed vbi se Franci ipso vsu veteri assuetaque vincendi confirmarunt consuetudine, ordine suo nixi incursantes cædere, securis repellere, nisu omni ac virtute inconditam multitudinem in fluuium vrgere cœperunt. Nec difficile fuit plurimos in amnē mergi, cum haud procul a littore res gereretur. Tanta autem strages tunc de Thoringis facta fuisse fertur, vt cæsorum congerie completo fluuio, Franci super interfectos in vlteriorem transirent ripam. Hermenfridus ipse cum paucis elapsus in munimentum se contulit vrbis. Quem postea Theodoricus, fide data, Tulbiacum † ad se venire mandauit: cumque, dum deambulatum per murum vrbis irent, & inter se alterutrum sermocinarentur, præcipitem deorsum egit. Qui ruens comminuto cerebro exanimatus est. Ex eo quoque genitis minime pepercit: Sed eos strangulari præcipiens, vniuersas Thoringorum ciuitates Francis subiugauit, pristinaque eos iussit incolere domicilia. Denique Francos Thoringorum prius possedisse fines superior † declarauit sermo.

alias Bertharium.

Amalberga.

alias, prauis.

Onstrud fl.

hod. Zulich.

Thuringia subacta. Sup. l. 1. c. 4.

De origine Francorum citatus diuus Hieronymus

CAPVT X.

SEd & beatus Hieronymus, in opusculo quod de vita sancti scripsit Hilarionis, asserit hanc gentem, non tam amplam quam robustam, inter fines Saxonum quondam habitasse & Alemannorum: memorans illius nationis illustrem iuuenem ab eodem viro Dei dæmone eiecto fuisse curatum, nec nobis oneri erit ipsius disertissimi verba ponere viri, cum & nostram (si inserantur) honestent materiam, & gentis fortitudinem notam faciant pariter & decorent: simul etiam vt virtus Dei in gentili quoque operata homine euidenter appareat. Ait ergo diuinæ legis interpres. *Candidatus Constantii Imperatoris rutila coma & candore corporis indicans prouinciam, (inter Saxones quippe ac Alemannos gens eius non tam lata quam valida apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur) antiquo ab infantia possessus à Dæmone, qui noctibus eum vlulare, ingemiscere,*

freme-

fremere dentibus compellebat. Hic secreto ab Imperatore euectionem petiit, causam ei simpliciter indicans, & acceptis ad consularem quoque Palæstinæ literis, cum ingenti honore ac comitatu Gazam deductus est. Qui cum a Decurionibus loci illius quæsisset, vbi habitaret Hilarion monachus: territi Gazenses, & putantes eum ab Imperatore missum, ad monasterium adduxerunt: vt & honorem commendato exhiberent & si quid ex præteritis iniuriis in Hilarionem essent offensi, nouo officio deleretur. Deambulabat tunc senex in arenis mollibus, & secum de Psalmis, nescio quid, submurmurabat. Stenan. p. 67 *Videnſque tantam turbam venientem substitit & resalutatis omnibus, manuque eis benedicens post horam cæteros abire præcepit: illum vero cum seruis suis & apparitoribus remanere. Ex oculis enim eius ac vultu, cur venisset, agnouerat. Statim ergo ad interrogationem suspensus homo, vix terram pedibus tangens, & immane rugiens Syro, quo interrogatus fuerat, sermone respondit. Videres de ore barbaro & qui Francam tantum ac Latinam nouerat linguam, Syra ad purum verba resonare: vt non stridor, non aspirationis, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquii. Confessus est itaque, quo in eum modo Dæmon intrasset: & vt interpretes eius intelligerent, qui græcam tantum ac latinam nouerant linguam, græce quoque eum interrogauit. Quo similiter & in verba respondente eadem, multas denique incantationum ei occasiones, & necessitatem magicarum obtendenti artium; Non curo, ait, quomodo intraueris, sed vt exeas in nomine domini nostri Iesu Christi impero.* Hilarion dæmonem e-[illegible] corpore cuiusdam. *Cumque curatus esset, simplicitate rustica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo accepit panem audiens, quod qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent.* Hæc dixit Hieronymus, vir in sancta Ecclesia omni laudum præconio dignus. Nos autem ad rem cœptam vertamus articulum.

De reliquis Clotharii & Theodorici gestis

CAPVT XI.

DEnique dum apud Thoringam moræ fierent, Theodoricus fratri Clothario occultas parat insidias. Theodoricus fratri insidias tendit Expansoq; in parte domus velo, armatos post id stare iubet, qui Clotharium ad suum venientem colloquium ex improuiso interimerent. Clothario itaque ingredienti domum pedes apparuere detecti armatorum. Quod vbi animaduertit, suos capere arma iubet, seque præcedere. Intellexit protinus Theodoricus fratrem dolum præsensisse: & ne amplius manifestum fieret factum, loco muneris discum ei dat argenteum, gratias agens propter collatum auxilium. Nescientibus ergo suis quid actum foret, Clotharius metatum i. hospitium. repetiit suum. Post hæc Theodoricus cum suis questus se sine causa suum perdidisse catinum, aduocans Theodebertum filium suum, *Vade*, ait, *ad patruum tuum, & pete ab eo vas à me ei dono datum.* Abiit ille, ac sine mora quod petiit impetrauit. Clotharius inde regrediens Radegundem, Berthari regis filiam, S. Radegūdis secum abduxit: quæ postmodum apud Pictauam vrbem multis effulsit virtutibus.

Cum igitur (vt præfati sumus) Theodoricum atq; Childebertū, quos iunxerat natura, diuideret discordia, tandem domestico fœdere ciuilium sunt sequestrata bellorū certamina. Sed quorundam nefandorum molitionibus hominum, qui assiduis gaudēt rerum mutationibus, iterum pactæ pacis violata sunt iura. Quapropter multi nobiliū filii obsides, vtraque ex parte qui fuerant dati, seruituti subiiciuntur. Inter cæteros vero nepos B. Gregorii Lingonicæ ciuitatis episcopi, dum cuiusdam barbari seruitio premeretur, a memorati pontificis seruo Leone vocabulo, qui præparandis epulis ministerium exhibebat, subducitur pristinæq; libertati hoc ordine restituitur. B. Gregorius Lingonensis [illegible] Greg. Turon. l. 3. c. 15. Audito quippe Sacerdos præfatus eū Treueris detineri, mittit pueros, qui oblato domino eius pretio, illum exinde abducerent. Quibus barbarus respondit hic, inquiens, *Tam præclari generis puer non dimittetur, nisi mihi decem libræ auri dentur.* Illis hæc Episcopo nuntiantibus, Leo se obtulit dicens; *Permitte me, & ego per Dei auxilium puerum liberabo.* Quo permittente, quæsitum ille quendam hominem rogat, vt se domino pueri quasi proprium famulum vendat, & pretium loco beneficii in suos vsus habeat. Obaudit ille dicta, & eum duodecim aureis memorato vendidit viro. Quærit deinde emptor a Leone, quid operis sciat agere. Cui Leo, *in præparandis*, inquit, *epulis nullius me præterit disciplina artis.* Imperat ergo dominus, vt adueniente die Solis (sic enim barbari vocant diem Domi- Sontag.

nicam) tale paret conuiuium, quod venturi ad eum amici habeant admiratum. Quare ille aggregata pullorum gallinaceorum multitudine, ita præparauit, vt dicerent conuiuæ se nec in mensa Regis tale quid gustasse. Gauisus dominus Leonem promptuario præficit, ac summam sui gratiam impartit. Post anni circulum cum Artalo † (id quippe nomen nepotis Episcopi erat) in prato, eo quod ille custos equorum esset, descendit. Et versis sibi inuicem dorsis, ne agnoscerentur loquentes, Artalum sic compellare cœpit: *Tempus est*, inquam, *ô puer, vt de patria cogitemus. Hac igitur nocte dum equos è pastu reduxeris, caue ne somno graueris, Sed, vt à me vocatus fueris, iter si sapis nostrum parabis.* Ea forte nocte Leo generum domini ad domum redeuntem prosecutus, vina porrexit. Cui ille ioco ait, *dico, ô puer si valeas, qua nocte ad patriam reuerti destinas?* Ad quem Leo item iocando, veritatem tamen effatus, *hac*, inquit, *nocte, si Deus permiserit.* Vtinam, ait alter, me custodiant famuli mei, ne quid de domo mea auferas. Necdum itaque prima noctis quiete transacta, Leo ad Artalum properans quærit, an habeat spatham? Quo negante, ille à capite domini sui scutum simul cum framea auferens sciscitantique domino, respondit se esse velleque Artalum qui tanquam ebrius quiescebat suscitare, vt ad pastum equos deducat. Illo vero non abnuente, profectus est ad Artalum: ascensisque equis, raptisque quibusdam vestibus siue ornamentis, triduo ieiuni iter peragunt: venientesque super Motam † dum a quibusdam detinerentur, relictis equis super parmas fluuium transmearunt: inuentaque arbore pruni, eius ablato fructu, inter iter agendum eo se satiant. Porro viam ingressi Campaniæ, nocte quadam audiunt sonitum post terga currentium equorum. Tunc Leo ad puerum, *Prosternamur*, inquit, *terræ, ne videamur.* Tunc post truncum rubi se collocant, extractis tamen gladiis, vt, si necesse foret, his se defensarent. Equites vero eo loco constiterunt, spectantes donec equi vrina se leuarent, Dixitque alter ad alterum, *Væ mi, quia fugiunt hi detestabiles: verum si inuenirentur, vnum ex eis patibulo, alium gladiorum ictibus perderem.* Erat autem qui hæc loquebatur dominus illorum: qui motis equis cum socio recessit à loco. Illi vero eadem nocte Remis venientes, a presbytero Paulello per biduum recreati ad beatum Gregorium sunt regressi. Attalus cum gaudio est susceptus: Leo cum vxore ac filiis libertate, præmioque terræ donatus est.

alias, Attalo

al. Mosellam

De dolo in filios Chlodomiri

CAPVT XII.

Greg. Tur. 3. c. 18.

INterea Crothildis regina Parrhisius residens, filios Chlodomiri, nepotes suos, solerti nutriebat diligentia. Childebertus vero zelo ductus, quod videbat Reginam super eos maternum declinasse animum, autumans deperire sibi, quicquid materni affectus in illos transfundebatur, Clotharium excitat, vt e medio [illegible] tollendi adolescentes occasionem quærat. Dolosa adinuicem captantes [illegible] matrem dirigunt, qui memoratos iuuenes ab ea susceptos ad se perducerent, [illegible] se velle debitam illis regni reddere portionem. Dolum Regina non præuidit, mandatoque filiorum paruit eo studiosius, quo adolescentulis bene esse gratula[illegible] consultum. Suscepit legatus iuuenes, vt eos deduceret ad Reges. Eo [illegible] vestigio aduenit alter forpices & gladium deferens. Quibus Regina visis, inquit [illegible] quid sibi ista velint? cui Veredarius sic inquit: *Mandant filii tui, velis ne tuos [illegible] tonderi, an gladio percuti: delibera. Vnum enim eorum necesse est fieri.* Quo illa audito, [illegible] liens a pectore suspiria ingemuit, & ait: *Nunc mihi bonum est cum filiis meis [illegible] mortua est pie[illegible] nunc profecto illud est tempus, quo si omnes dent sua consilia, huic malo [illegible] inueniat [illegible] [illegible]. Nouum hoc flagitii genus est, quo patrui innocentium appetunt [illegible] nepotum. Doleo: fateor parricidas generasse me filios, qui non possent parcere parentibus. Sed de [illegible] taceo, quos [illegible] allegatio maternæ calamitatis exosos fecerat: Verum in istis nulla reperitur causa [illegible] nis, nisi quod in regno natis, regisque [illegible], debita [illegible] portio paternæ [illegible]. [illegible] cunt itaque ad dolorem mihi, ad fructum illis [illegible] quærat quis, vt [illegible] [illegible] quod ad præsens [illegible] mors eorum pro[illegible]. Miseram me, quæ [illegible] [illegible], vt [illegible] porrigerem [illegible], qui mihi chara [illegible] pignora. [illegible]

Planctus Crethildis reginæ in nepotum nece. [illegible]

[illegible]

famuli, vestræ causa sum perditionis, quæ inconsideratis persuasionibus patrem vestrum obieci periculis mortis. Satis infelix mater fueram, auia volui esse solicitior. Videns mihi ætatem procedere, tentaui consulere post me nepotibus, atque vtinam consuluissem. Sed nunc eos mihi quidem eripit intolerabilis ærumna, quos magis magisque commendauerat natura & misericordia. Summe Deus, ne inter greges noxiorum deputes animas innocentium, nec eos sæua inferorum crucient supplicia: sed mundo supernum iter carpentibus e vestigio tranquilla æternæ vitæ succedant habitacula. His dictis, indignatione simul & compassione vox est intercepta loquentis. Verum vbi spiritum resumpsit, *Ecquid*, ait, *aliud restat? Conditio mihi offertur, vtrum malim eos tonderi an gladio percuti. Sed vtcunque se res habeat, nullatenus clericos fieri patiar.* Hæc dixit, putans quod pietate flexi naturæ, a tanto desisterent scelere. Quamuis enim ei nota esset Clotharii feritas, nunquam tamen credere potuit, quod vsque ad parricidium perseueraret. At ille longe ab eius sententia aberrans, arreptum seniorem natu † puerum ad terram elisit, cultelloque latus perfodiens vita priuauit. Quod cernens iunior, ad Childebertum se contulit: & suffusus lachrymis specie miserabili, patrui inhærens vestigiis, orare veniam, ac vt animum sibi regis Clotharii conciliatum redderet, obsecrare. Motus ille miseratione fratrem deprecabatur, vt naturæ contemplatione molliret iram, nepotique parceret, supra iram constituens ius naturæ. Promittebat etiam se pro huius rei vicissitudine, beneficium quod ipse vellet recompensare. Cui frater, *Dum tu* (inquit) *huius facti minister existis, vt quid misereri te velle simulas. Quin potius puerum à te expelle, aut pro eo morere.* Veritus Childebertus verba fratris, nec eius valens, immo nolens, contraire voluntati, puerum à se repulit: quem Clotharius eo quo fratrem eius interemit modo. Reliquus qui superat e fratribus, vitæ potius ac saluti quam regno intentus, prompta fidissimorum sibi famulorum ope vsus, fuga se exemit periculo, ei nomen Clodoaldo. Qui postea clericus factus, presbyterque ordinatus, digne est conuersatus: & finem vitæ sortitus, Nouigento † villa territorii Parrhisiacæ vrbis sepultus, multis miraculorum signis cœlo se viuere declarat. Clotharius autem, nutritiis puerorum pari modo neci traditis, ascenso equo, ab eo recessit loco vna cum suis. Tunc Crothildis regina ablata nepotum corpuscula condiens aromatibus, in Basilica sancti Petri fecit humare. Theodoricus autem Theodeberto filio suo despondit vxorem vocabulo Wisegardam, filiam Waconis regis Longobardorum †.

Theobaldi x annor. Clotharii crudelitas.

S. Chlodoaldus Chlodomir F. sed S. Cloud.

alias Langobardorum

De Longobardorum origine & gestis

CAPVT XIII.

HIc locus nos admonet, intermissa paululum cœptæ rei serie, exordium nos huius pandere gentis, & præterita retro tempora retractando repetere: maxime cum præclara quædam Francorum gesta, in historia contineantur Longobardorum. Heruli † igitur, qui & Longobardi, ab insula Germaniæ, quæ Scandinauia dicitur, egressi Ibore ac Aione ducibus, regionem quæ Scoringa dicitur quasi habitaturi sunt ingressi. De qua propter victus penuriam exire compulsi, transierunt in Maurigam †. Vnde progressi habitauerunt in Golanda: mortuisque ducibus regem sibi Agelmundum, filium Aionis ducis statuerunt, qui per triginta trium curricula annorum illis præfuit. Cui successit Lamissio: Lamissioni quoq; Lethii: post Lethii regnauit Hildehoc. Quo defuncto, quintus Gudehoc regnum suscepit. Deinde post pugnã, quam inter Odoacrem & Pheletheum fuisse superiori commemorauimus libello, profecti Longobardi de Golanda peruenerunt in Rugiland, quæ Latine Rugorum patria dicitur. Nam *Land* lingua Germanorum, patria dicitur verbo Latinorum. Exempto autem humanis rebus Gudehoc, successit eius filius Classo. Decedente quoque Classone, Tato regnum tenuit. Quo tempore Longobardi relicta Rugorum patria venerunt in campos patentes, qui sermone barbarico *Filth* appellantur, manseruntque ibi. Quo dum demorãtur, Radulphus rex Herulorum fœdus quod cum Tatone pepigerat irrumpens, eo quod comperierat fratrem suum germanum a filia Tatonis nefandissime interemptum, bellum ei intulit. Sed ipse cum suis a Longobardis

alias Huinuli Scadinauia.

alias Mauringa.

Rugiland.

superatus, vita pariter & regno est priuatus. Tanta autem consternatio, ac (vt verius dicam) mentium alienatio eius inuasit exercitum, vt virides segetes, lini campos, flumina crederent: dumque brachia quasi nataturi extenderent, à superuenientibus sine diffiultate cædebantur hostibus. Irruit autem super Tatonem Wacho filius fratris sui: interfectoque eo regnum ipse iam octauus super Longobardos tenuit. Huius filiam (vt prædictum est) Theodoricus filio suo Theodeberto desponditi. Quam ille post mortem patris relinquens, Deutheriam Romani generis fœminam hac de causa duxit vxorem. Dum Gothi, post mortem Clodouei, multa de his quæ ipse eis abstulerat, peruasissent: Theodoricus Theodebertum filium suum ad ea recuperanda direxit: qui ad vrbem Bituricam † accedens, legatos ad castrum Caprariam, vt ciues sibi aperiant, dirigit. Deutheria vero mulier nobilis & sapiens, cuius vir ad prædictam vrbem propter hostilem transierat incursum, Theodeberto mandauit quod veniens cum pace susciperetur. Quo aduentante, illa ei obuiam est progressa. Cuius specie Rex captus suo eam coniunxit stratu.

alias, Biterris.

De Theodorico & Theodeberto

CAPVT XIV.

alias Siginualdum.

IN illis diebus Theodoricus Siginaldum † parentem suum occidens gladio, clam mandauit Theodeberto, vt filium eius, qui vna cum eo ierat, interimeret. Sed ille, eo quod illum de sacro fonte leuasset, ostensis paternis literis fugam suasit, donec post mortem patris ipso regnante ad eum reuerteretur. Qui fugiens apud Latium latuit. Post nuntiatur Theodeberto, patrem grauiter ægrotare: qui postpositis cæteris rebus eo tendit, Deutheria Aruerni relicta.

Theodebertus regnat.

Theodoricus autem, cum iam viginti quatuor annis regnum tenuisset, vita decedens Theodeberto filio sedem sui reliquit regni: qui mansuetus cunctisque modestus, iustitiæ quoque cultor fuit egregius. Consurgentes vero Childebertus atque Clotharius eum regno pellere conati sunt. Quos ille demulcens regnum sagaciter recepit, missoque nuntio Deutheriam ab Aruerno euocans, sibi eam in matrimonium copulauit. Cernens Childebertus quod eum vi sibi subdere nequiret, amicitia sibi necti commodius duxit: accersitumque triplicibus ex omni supellectili sua ornamentis donauit.

alias Ginaldus.
Ginaldo restituuntur res.

Ginaldus † autem, Siginaldi filius, audiens Theodebertum loco patris regnare, ad eum rediit. Quem Rex deosculans cunctas ei paternas restituit hæreditates: data ei tertia ex omnibus quæ a patruo acceperat muneribus parte. Verum Deutheria cernens filiam suam, quam ex priori susceperat viro, valde adultam, verita ne a Rege concupisceretur, vehiculo impositam indomitisque bobus tractam, apud Viridunum de ponte in Mosam præcipitari iussit. Erat porro Theodebertus rex egregie moratus: agnoscens vero quod Deutheria suam (vt prædictum est) interemisset filiam, repudiata ipsa, Wisegardam iterum sibi sociauit.

Deutheria crudelitas in suam.

De Belisarii reliquis successibus

CAPVT XV.

POrro Belisarius post inclytum quem de Wandalis (vt supra diximus) apud Constantinopolim egit triumphum, intimus amicorum Iustiniani principis habebatur. Et astipulante prioris societatis prærogatiua, cum inter primos secretorum arbitros ipse primus accersiretur, multorum contra se inuidorum excitauit corda. Qui dolentes vberiore illum pollere potentia, sibique deputantes officere in quo ille proficeret, quasi salutis Cæsaris solliciti, crebro ei denuntiabant, [illegible] Belisarii fore cauendum. Quod nisi ipsi simulatione fideliores, consilium [illegible] Belisarii gladio interfectum Iustinianum, regnumque [illegible] h[illegible] di regiorum satellitum seu etiam primatum palatii sermonibus, A[illegible] per [illegible]

pala-

paulatim accēdebatur. Et suspectam habens Belisarii potentiam, patriciatus ei interdixit curam. Qui publicis expeditus actionibus, securam deliberans in reliquum agere vitam, priuatas incolebat ædes. Sed, quia difficile est in prosperis inuidia carere, iterum zelus, iterum orta insimulatio, quia vltra quam priuatis mos est sese agebat: duodecim namque millibus puerorum vallatus, quocunque eundum foret, progrediebatur. Fuere nonnulli qui vitam quoque ipsam ereptum ei ire vellent. Verum cum Imperatoris mentem ad suam nequirent inflectere sententiam, ipsum dignitate regia priuare moliti sunt, opportunamque nacti occasionem, procedentem ad circi spectaculum principem, priuata detentum custodia, corona spoliant simulque veste purpurea: deductumque ad medium theatri quendam Florianum, in solio sedere faciunt regio. Iustinianus autem tali dehonestamento affectus, ad Belisarium misit qui dicerent: *Hæc mandat Iustinianus Cæsar quondam & Augustus. Immemor*, inquit, *iniuriarum, mi Belisari, factus modernarum, ad memoriam quæso reduc pristina beneficia: & si quid prævales, adiuua me.* Ad hæc Belisarius ita respondit: *Si* (ait) *tanta mihi suppeditaret potentia, ferrem poscenti suffragia. Nunc autem incassum fundit preces, cum mei præsentia consulatus violauerit fasces: Veruntamen Christi Domini mei parens præcepto non referens mala pro malo, auxilium illi laturus accingar vt potero.* Et simul, his dictis ad conspectum properat noui principis, cunctis vt sequerentur suis præcipiens pueris. Et pro foribus theatri stans, conspexit eminus turbam se odientium cathedræ imperatoris Floriani circumsistere. Conuersus igitur ad eos qui secum erant *En*, inquit, *fidissimi milites, adest omnibus votis expectata dies, ad capessendam vltionem ex inimicis: Vallatus est Tyrannus caterua malignantium, qui se ei sociauerunt, freti improbitate morum: nec dubitandum pari eos debere perire interitu, quos æquales reddidit malitiæ causa. Armate itaque dexteras vindices, & quod me videritis facere, vos quoque facite.* Post hæc introgressus, dum veluti adoraturus genu flecteret, euaginato ense falsi principis caput amputauit. Quod cernentes qui cum eo venerant, districtis gladiis circunstantes fortiter ferire cœperunt. Turbati hi qui prius de permutatione dominationis sibi applaudebant, fugæ potius quam defensionis auxilium quæsierunt. Caput Floriani, cum corona regni, Belisarius sustulit: veniensque ad Iustinianum taliter ei locutus est. *Æmuli,* (inquit) *meæ tuæque salutis, seminarium discordiæ inter nos ideo quam maxime seuisse visi sunt, vt & me exortem honoris redderent, & te mei præsentia destitutum contumeliis, vti nunc palam cernitur, afficerent. Attamen ego his quæ aduersarius suggerentibus contra me egisse cognosceris, posthabitis, gratiam imperii lucisque rependo, quam illi ereptum ire voluerant: Recolensque priora erga me beneficia tua, hoc te nunc dignor munere.* His dictis, diadema regni eius imposuit capiti. Iustinianus hoc modo imperio restitutus, sæpe tactum Belisarium iterato *patricium* ordinans, aduersum Gothos, qui Italiam inhabitantes Romanos grauiter armis premebant, dirigit.

Iustiniano insignia imperatoria adimuntur.

Florianus Imp. occiditur.

Iustiniano restituitur imperium.

De diuo Benedicto

CAP. XVI.

His diebus beatissimus Benedictus pater & prior in loco qui Sublacus dicitur (qui ab vrbe Roma quadraginta milibus abest) & postea in castro Cassino, quod Harum appellatur, & magnæ vitæ meritis, & Apostolicis virtutibus effulsit. Quo etiam tempore sanctissimus Agapitus Romanæ sedis Pontifex, ad regiam vrbem profectus, Iustinianum principem in Euthycis sectam delapsum, ad veram & catholicā reduxit fidem, damnatoq; Anthimo Patriarcha Constantinopolitano, non multo post idem Papa apud eandem vrbem diem obiit. Cui successit in pontificatu Sylucrius. Hic eleuatus est a tyranno Theodoro, qui apud Gothos regnum arripuerat, sine deliberatione decreti imperialis. Qui corruptus pecunia talem timorem induxit clero, vt qui nō consentiret, gladio puniretur. Post menses duos nutu diuino extinguitur Theodorus: & eleuatus est rex Witigis. Tunc veniens Belisarius patricius in partes Siliciæ, audiuit quod Gothi fecissent sibi Regem: & inde per Campaniam properauit Neapolim:

Sublacus. Harum.

Iustiniani lapsus. idem habet P. Diacon. in Miscella.

An. 536.

Belisarius Neapolim capit. Witigis Romam obsidet.

quam obsidere cœpit, quia ciues Neapolitani noluerunt aperire ei. Qui pugnando ciuitatem introiuit: & Gothos, quoscunque obuios habuit, neci tradidit: factoque maximo bello contra Witigem, ingressus est vrbem Romam, & ciuitatẽ muniuit. Tunc recolligens Witigis multitudinem Gothorum, vno anno ita obsedit vrbem Romam, vt nulli esset facultas egrediendi vel ingrediendi. Verum intra ciuitatem fame opprimente populum, adeo vt aqua vænundaretur pretio, pugnæ tamen maximæ fiebant à Belisario defendente Romanos, vel ciuitatem, aduersus Gothos: quos etiam Rauennam fuga petere postmodum compulit.

De Vigilii diaconi conatibus

CAP. XVII.

De eod. inf. c. 32.

TVNC temporis Vigilius diaconus, qui apud Constantinopolim erat apocrisarius, animaduertit displicere Augusto & Augustæ damnationem Anthimi patriarchæ Constantinopolitani, & volens sibi apud Dominos rerum parare gratiam, persuasit Augustæ, vt mitteret ad Syluerium pontificem literas hoc modo scriptas. *Aut ad nos*, inquit, *ne pigriteris venire, aut certe scriptis tuis reuoca Anthimum in locum suum.* Quibus beatus Syluerius perlectis ingemuit: & in hæc verba Imperatrici rescripsit. *Licet hæc causa finem temporali meæ inferat vitæ, ego tamen, Augusta domina, rem hanc nunquam faciam, vt reuocem hominem in damnata perfidia permanentem.* Hac de re indignata Augusta, mittit Vigilium ad Belisarium, præcipiens vt inuenta occasione Syluerium in exilium ageret, Vigiliumque pontificem constitueret, qui se reuocaturum Anthimum repromiserat. Huius præcepti tenorem suscipiens Belisarius, *Ego*, inquit, *voluntati principum contraire non audens, licet inuitus iussionem adimpleo: sed huius machinator sceleris, iram non effugiet iudicis cuncta cernentis.* Subornatis itaque testibus, qui dicerent dominum Papam Gothis ciuitatem simulque Patricium tradere voluisse, iussus est præsentare se ad audientiam in palatium principis: Et ingredientem cum solo Vigilio Antonina patricia sic alloquitur: *Dic, Domine Silueri, quid fecimus, vt nos tradere in manus Gothorum velles?* Adhuc ea loquente, ingressus Ioannes subdiaconus regionarius primæ sedis, tulit pallium de collo eius, induitq; veste monastica. Qui apud Pontiam insulam in exilium relegatus, inibi confessor vita decessit. Vigilius vero in pontificiali sede resedit. Iterato Belisarius cum Vvitige rege Gothorum dimicans, exercitum eius maxima cæde labefactauit, ipsumque captum Constantinopolim triumphans perduxit.

B. Siluerius Pon. Max. in exilium mittitur.

De Childeberto Rege, & beato Germano Episcopo

CAP. XVIII.

VErum Childebertus Rex Francorum, ascito in auxilium Theodeberto, Theodorici filio, nepote suo, aduersus Clotharium fratrem suum pugnaturus ire disposuit: nuntius ad Crothildem matrem supradictorum properat regum (quæ tunc Parrhisius morabatur) asserens vtrosq; fratres Germanos, in mutuam perniciem exercitus adunare multitudinem. Quo comperto mater, filiorum condolens nequitiæ, materni affectus præstricta necessitudine, ad sepulchrum sancti Martini properat, & lachrymarum effundens flumina, orationem fudit ad Dominum in hæc verba. *O bone* (inquit) *Iesu, qui discordes elementorum cursus fœdere sancto consocias, tu fratres, malo discordiæ temerantes iura naturæ, in vnitatem pacis redire concede: nec mihi obsit, quod tales genui vel etiam educaui, qui ignorent fratres, & affectus nesciant propinquorum, interemerint patruos, iugulauerint nepotes. non tamen eo vsque fore processuros existimaui, vt quod nati sunt obliuiscerentur. Tu modo, omnipotens pater, qui naturæ auctor atque arbiter es, honestum inter Germanos compone pactum: tu perturbatores pacis, potentiæ tuæ virtute deterre.* Has illam preces pro-

natorum

natorum salute fundendem audiuit omnipotens, cœlique a parte serena intonuit. Nam Clotarius periculosum ratus aduersum duorum potentum Regum copias prælio decernere, confugium in Aurelianensi † pago, in loco qui Combros * dicitur, fecit, [† alias Aurelianensi.] donec aut animus erga se fratrum tranquillior, aut sibi ad resistendum virtus numeriosiore suorum manu, qui iam iamque affuturi credebantur, esset paratior. [* vide Nonas.] Maior autē spes eius in Christi domini virtute consistebat. Cū ecce subito in loco quo aduersarii castra fixerant, matutino sub tempore audita sunt tonitrua mugire, imbres ruere: fulgura vero per procellas deiecta tentoria rupere, equosque eorum in diuersa egerunt. Porro militaris manus solis contra violentiam imbrium contecta clypeis, misericordiam Domini efflagitatura humi prosternitur, vtque moderatiori quam merebantur vindictæ pœna ferirentur exorant. Quodque admirabilius est, in castris Clotharii nec spiritus flauit venti, nec pluuiæ cecidit gutta, nec vlla prorsus coruscationis apparuerunt signa. Tum demum qui venerant exterminaturi, legatos miserunt ad Clotharium, qui pacem peterent, fœdusque perpetuum inirent. Quod ille volens concessit: & ex vtriusque exercitus consensu vtrinque discessum. Ita precibus Deo deuotissimæ mulieris, matris videlicet suæ, ab imminenti piaculo simul & interitu fratres erepti, immane facinus quod mente conceperant, explere permissi non sunt. Fuere plerique læti, quibus placebat concordia germanitatis.

His diebus beatus Germanus positus sopore, inspicit à quodam sene claues sibi [*Beati Germani visio.] portæ Parrhisiacæ porrigi: & interrogans, Quid hoc fieret? accepit responsum, *vt saluas eas faceret.* At post ciuitatis eius Episcopo, nomine Eusebio, decedente, dum præcellentissimo regi Childeberto occurrisset, in eius electione mox effectum illa vox cælestis promeruit, & episcopatus sortitus est gradum dignitatis.

De reliquis Childeberti gestis

CAP. XIX.

Childebertus autem Rex qui anterioribus (vt superius declaratum est) annis Hispaniam ingressus Toletum vrbem ceperat, Clotharium fratrem suum, cum quo fœdus firmauerat, sollicitauit in adiumentum sui: quo, eius fretus societate, eandem prouinciam sibi subacturus aggrederetur. Quo cum valido exercitus aduentante supplemento, viribus coniunctis, Cæsaraugustam † vsq; accesserunt. [† hod. Saragossa.] A cuius vrbis ingressu prohibiti, obsidione adoriuntur. Et resistentibus oppidanis, cum summa vi vtrinque decerneretur, tandem Hispani, ipsa obsidionis dispositione & Francorum feroci perterriti animositate, animos a prælio reuocauerunt, ac tota mentis intentione ad Christi misericordiam implorandam conuersi, assumptis crucibus cum letania murum obambulantes circuire cœperunt. Quod Reges cernentes, aliquod maleficium exercere suspicati sunt: captumque quendam ex rusticis sollicitius interrogant, cuius religionis habitatores ciuitatis essent, aut quid vrbem circumeundo præcantationibus agerent? Quibus ille, *ciues*, ait, *Christiani sunt, nunc vt sui misereatur Dominus, exorant.* Cui Reges: *Vade*, inquiunt, *dic Episcopo vrbis, vt ad nos nihil hæsitans veniat.* Quem aduenientem Childebertus taliter alloquitur: *Christianæ*, inquit, *religionis ac vnius veri Dei vos cognoscentes esse cultores, parcere vobis decreuimus, si assensum nostræ petitioni tu qui antistitis in hoc loco fungeris officio præbens, nobis sancti Vincentii reliquias contuleris, qui (vt beatissimus Germanus Parrhisiacæ nostræ videlicet vrbis Episcopus, nobis sæpissime retulit) in hac vrbe, vt multorum synceritas & signata veritatis verba testantur, eximius Leuita enituit.* Pontifex nil moratus eiusdem inclyti Leuitæ ac martyris stolam, id est tunicam, Regibus offert. Quam illi condigno honore suscipientes, obsidionem iuxta promissum soluunt. Et deuastata omni prouincia, cum spoliis & ingenti præda natiuum repetunt solum.

De Gothorum regum à suis nece: & Childeberti Francorum regis gestis

CAP. XX.

Theodorus. Theudegislus. Agila. POst Amalricum autem, Theodorus Hispanias tenuit. Quo interfecto, Theudegilus successit. Hic dum inter cœnandum alacritate vltra solitum vtitur, extinctis cereis a suis occiditur, & Agila regnum arripuit. Gothi vero iam olim vitium hoc in consuetudinem vertere, vt dum eis Rex proprius displicuerit, a suis interimatur. Verũ *Vincentii sancti stola. Ædificatio templi sancti Vincentii. Sup. cap. 8.* Childebertus acceptam beati Vincentii stolam Parrhisius defert: ædificatamque solo tenus, secundum beatissimi Germani dispositionem, Basilicam nomini eiusdem sancti Leuitæ ac martyris dedicari fecit: in qua non minimam vasorum partem, quæ eum à Toleto asportasse supra memorauimus, cum capsis Euangeliorum, cruces quoque mirifici operis, aliaque deuotus excellentissima contulit munera. Quam ecclesiam quomodo & quo instinctu eam ædificare cœperit, eius pragmaticum ita designat: CHILDEBERTVS REX FRANCORVM, VIR ILLVSTRIS. *Recolendum nobis est & perpensandum vtilius, quod ii qui templa Domini nostri Iesu Christi ædificauerint, & pro requie animarum suarum ibidem tribuerint, vel in alimoniam pauperum aliquid dederint, & voluntatem Dei adimpleuerint, in æterna requie sine dubio apud Deum mercedem recipere merentur.* *Childeberti pragmaticũ.* *Quapropter ego Childebertus Rex, vna cum consensu & voluntate Francorum & Neustrasiorum, & exhortatione sanctissimi Germani Parrhisiorum vrbis pontificis, vel consensu Episcoporum, cœpi construere templum in vrbe Parrhisiaca, prope muros ciuitatis, in terra quæ aspicit ad fiscum nostrum Isciacensem, in loco qui appellatur Locotitio* † *alias, Leucotitio. vnde forte Lutetia.* *in honorem sancti Vincentii martyris, cuius reliquias ex Hispania asportauimus, seu & sanctæ crucis, & sancti Stephani, & sancti Ferreoli, & sancti Iuliani, & beatissimi sancti Georgii, & sancti Geruasii, Prothasii, Nazarii & Celsi pueri, quorum reliquiæ ibi sunt consecratæ. Propterea in honorem dominorum* † *s. dictorum.* *Sanctorum concedimus nostrum fiscum largitatis nostræ, qui vocatur Isciacus, qui est in pago Parrhisiorum prope alueum Sequanæ, vna cum omnibus quæ ibi aspiciunt, cum mansis & commanentibus in eis, agris, territoriis, vineis, syluis, pratis, seruis, inquilinis, libertis, ministerialibus (præter illos quos nos ingenuos esse præcipimus) cũ omnibus appendentiis suis quæ ibi aspiciunt, cum omnibus adiacentiis, cum omnibus quæ nobis deseruiunt, tam in aquis quam in insulis, vel cum molendinis inter portam ciuitatis & turrim positis, cum insulis quæ ad ipsum fiscum adiacent, cum piscatoria quæ appellatur Veuna,* † *al. Venna. al. Vinna.* *cum piscatoriis omnibus quæ sunt in ipso alueo Sequanæ, sumuntque initium à ponte ciuitatis, & sortiuntur finem vbi alueolus Sauara veniens præcipitat se in flumen. Has omnes piscationes, quæ sunt & fieri possunt in vtraque parte fluminis, sicut nos tenemus & nostra foresta est, tradimus ad ipsum locum, vt habeant ibidem Deo seruientes victum quotidianum per succedentia tempora. Damus autem hanc potestatem, vt cuiuscunque potestatis littora fuerint vtriusque partis fluminis, teneant vnam perticam terræ legalem (sicut mos est)* *Ripatica.* *ad ducendas naues & reducendas, ad mittenda retia & reducenda, absque vlla refragatione vel contradictione seu iudiciaria contentione. De augmentis vero per quæ aues possunt capi super aquam, præcipimus, vt nulla potens persona inquietare audeat famulos Dei, sed omnia secure teneant, possideant, per infinitas temporum successiones, & cum artis* † *alias Artis. leg. arcis.* *& casis infra Parrhisius ciuitatem, cum terra & vinea & oratorium in honore sancti Andeoli martyris, quem de Hilario & Ceraunio, dato pretio, comparauimus. & cum omnibus quæcunque in ea nobis deseruiunt pro requie animæ meæ, quando Deus de hac clarissima luce dederit discessum. Ipse fiscus qui vocatur Isciacus, cum omnibus quæ ibi aspiciunt, ipso die ad ipsum templum Domini quod nos ædificamus deseruiat, & ad omnia quæ illi sunt opus, tam ad lumen, quam in Dei nomine ad stipendia seruorum Dei quos ibi instituimus, seu ad ipsos rectores qui ipsos regere habent omnino ibi transoluant, & per longa annorum spatia ad ipsum templum Domini, absque contradictione vel refragatione aut iudiciaria contentione, inspecta ipsa præceptione omni tempore proficiat in augmentum. Et vt hæc præceptio cessionis nostræ, futuris temporibus firmior habeatur, Deo auxiliante, vel per omnia tempora inuiolabiliter conseruetur, manibus propriis vel nostris signaculis infra decreuimus roborare. Datum quod fecit mense decembri die sexto, anno quadragesimo octauo, postquam Childebertus rex regnare cœpit.* *An. D. 559.*

Ædifi-

Ædificata igitur & multis prædiis & ornamentis ditata ecclesia, Abbatem inibi constituit Autharium nomine, magnæ nobilitatis virum qui præesset ibi Deo famulantibus. Nunc igitur ad ordinem reuertamur historiæ.

De Theodeberti in Italiam expeditione

CAP XXI.

CHildeberto itaq; cum fratre Clothario Hispaniæ partes aggrediente, Theodebertus Theodorici regis filius, memoratorum nepos regum, in Italiam cum maximo suorum equitatu contendit: eamque, ab Alpibus vsq; ad maritimorum confinia locorum peruagatus, tributariam effecit: & ad propria reditum maturans, Bucellenum ducem ad peruadendam Siciliam & reliqua Italiæ finitima reliquit. Qui Tyrrheno mari transfretato, Siciliam maxima ex parte subegit: castraque vel vrbes Italiæ peruadens, ex subiugatarum præda nationum xenia regi Theodeberto mittebat.

Bucelinus.

De sancto Benedicto

CAP. XXII.

HVius principis temporibus à Cenomannica † vrbe legati ad castrum Cassinum profecti, beatissimum patrem Benedictum, post eremiticam (vt præmisimus) vitam in illo sancto degentem cœnobio, omnigena popofcerunt prece, vt fratres in monastica probatos conuersatione ad Occidentales dirigeret partes, à quibus leui iugo regulæ illis ab ipso traditæ Gallicana subderetur ceruicositas. Qui gratulanti animo dilectum suum discipulum Maurum ad has nostras direxit partes: Eique sanctissimum sui obitus prædixit imminere diem: euidentissime designans, eo sua sacratissima transferenda fore membra, quo charitatis vinculo sibi vnitum mittebat alumnũ. Inclytus ergo Domini leuita Maurus iter ad Gallias agens, dum in pagum deuenisset Altissiodorensem † die qua Dominicæ cœnæ (ex more) in terris celebrabatur sacra solemnitas, ad monasterium sancti Romani, nutritii quondam patris Benedicti, diuertit, cuius gratuita † collocutione laborem longinqui alleuans itineris, ei in proximo esse denuntiauit diem, quo beatus pater cœlestem gaudens scanderet ad patriam: Et, ecce, nocte illa quæ sanctum præcedebat diem sabbati, quo vigilia resurrectionis colitur Christi, scilicet XII. Kal. Aprilis, subito raptus in spiritu, vidit viam palliis stratam, ac innumeris coruscam lampadibus, ab eius cella ad cœlum vsque pertendere. Qua quoque eo tramite dilectus Domino cœlum Benedictus scanderet, Angelum sibi dicentem audiuit. Et ad se reuersus lachrymas votiuæ indices visionis effundens, quæ sibi reuelata fuerant sancto Romano aperuit, ac participem cœlestis eum faciens gaudii, sanctum cum eo exultans celebrauit Pascha. Gloriosus etenim in sanctis Deus assidue sibi placitos mirificans famulos, huic egregio patri excellentius cæteris iure præbuit iter ad se perueniendi: qui in conualle positus lachrymarum, ascensionis virtutum suo in corde disposuerat, scalam Iacob, per quam ascendentes Angeli monstrati sunt, suis proponens sectandam sequacibus. In cuius autem (vt pace omnium loquar sanctorum) non dicam martyris, verum & Apostoli transitu, tam innumeris tamque diuini fulgoris splendens apparuit via luminaribus, vestibusque ornata nuptialibus. Neque enim in eo calle textile credendum est apparuisse pallium, quo æternæ incorruptionis migrabatur ad regnum. Nihil porro mirandũ hunc diuinæ latorem legis, hanc in assumptione spiritus promeruisse gloriam, qui corruptibilis adhuc circumamictus tegmine carnis, tantis effulsit miraculorum signis: vt nisi vir toto venerabilis orbe, Papa videlicet Gregorius, eius esset vitæ relator simulq; assertor eximius, profecto ab infidelibus tam mirandis derogaretur actibus. Verum vt præteream quod adhuc puerulus eremum petiit intrepidus, quod (vt quidam propter ipsum ait sapiens) nec Martinus toto nominatus in orbe fecisse dignoscitur, illud certe

alias Cinomannica.
S. Maurus
Cuius vita Tom. 1. Surii, sub 15. Januar.
alias, Antissiodorensem.
f grata.
Anno 542.
Visio S. Mauri in obitu diui Benedicti.
Vide Gregor. M. II. Dial. c. 37.
Psal. 83.
Gen. 28.

non omittendum, quod post multiplicia charismatū dona ab omnipotente sibi concessa, tribus ammirandis, nec seculo antea cognitis, resplenduit miraculis. In eo namque, quod solo intuitu ligati soluit vincula rustici; quodque sub momento, quasi sub Solis radio, vniuersus ante conspectum eius collectus est mundus; siue quod strata palliis ac innumeris corusca lampadibus via, ad polorum subuectus est alta, neminem illi puto conferendum Sāctorum. Magna porro nobis, si dissimulare nolumus, indicta probitatis est necessitas, quibus donatum est tantum ac talem in præsentiarum habere patronum: vt ab illius nunquam pro posse magisterio discedentes, quæ audiuimus ab illo & mentis oculis vidimus, in illo sectemur: aderit pro certo nobis: vtque quondam corporales rustici nexus, sic nostrorum soluet ligamina peccaminum: & quorum in contemplatione totius orbis creditur elegisse domicilia, eorum (si deuote illi adhæreant) animas sua sequentes vestigia, cum magno diuini luminis splendore, in æterna deducet habitacula. Huius sane patris vitam (vt prædictum est) beatus scripsit Papa Gregorius: cuius flores eloquii in sancta vniuersali Ecclesia velut aurum refulgent. Sed & Odo venerabilis Abbas huius Floriacensis monasterii, in quo sæpe nominandus corpore requiescit pater Benedictus, ipsius memoriam in quodam sermone mirificis extollit laudibus. Nos vero pro amore tanti patroni nostri his prælibatis ad historiam recurramus.

Greg. Tur. l. 2. c. 31. 35. 37.

De Belisarii reliquis gestis & nece

CAP. XXIII.

Belisarius igitur (qui iam secundo ad Africam transiens Vultharith Wandalorum regem rebellionis insimulatum, sub dolo pacis interemerat, residuosque Vvandalorum Reipublicæ † iugo substrauerat) audito quod Franci Italiam infestarent, Romam redire maturato contendit. Et ciuitati appropinquans, cum magna omnium vtriusque sexus lætitia susceptus, obtulit beato Petro per manus Papæ Vigilii, auream crucem centum librarum, preciosissimis gemmis exornatam, in qua suas descripserat victorias. Indeque ad bellum retractus Francorum, dum paucitatem gentis contemnit, virtutemque ignorat, paucis & ipse assumptis pugnam non dubitauit committere. Sed Romanis pro salute & libertate, Francis pro adipiscenda gloria certamen erat. Et quia eo se gloriosiorem sperabant reportare triumphum, si totius orbis victores Romanos vicissent, mori potius quam loco cedere elegerant. Inito itaque prælio, dum neutra acies alteri cederet, tandem Romani salutem, pro qua aliquādiu substiterant, deperire sibi intelligentes, dum fortissimos quosque suorum bello oppetere cernerent, paulatim se certamini subtrahere cœperunt: ita vir strenuissimus Belisarius à suis desertus, ab hostibus circumuentus, nequicquam fortiter faciens extinctus est. Et qui multarum sub triumpho gentium captiuos adduxerat Reges, à duce non dicam Imperatoris aut Regis, verum tetrarchæ Francorum victus, vita cum nominis sui priuatus est gloria.

† i. Imperii Rom.

Crux aurea oblata B. Petro à Belisario.

Pugna Belisarii cum Francis.

De B. Gregorio Lingonensi, & castro Diuionensi

CAP. XXIV.

Erat tunc temporis beatus Gregorius, Lingonicæ vrbis præsul summus. Sed quia huius pontificis meminimus, dignum est vt situm Diuionensis castri, vbi maxime morabatur, pandamus. Est denique illud castrum in campi planicie muris firmissimis circundatum, turribus triginta tribus honestatum: terras habens fertiles, per quas à meridie Oscarus haud procul à muro fluit, piscibus diues: ab Aquilone alter fluuius per portam ingreditur, ac sub ponte decurrens perque aliam portam egrediens, molendinos † summa vertit velocitate. Murus ad viginti pedes quadratus ædificatus lapidibus, desuper minores superpositos habens lapides, in altitudinem pedibus XXX. in latitu-

Sup. c. 11.

Castrum Diuionense.

Greg. Tur. 2. cap. 19.

† Gal. moulins.

latitudinem XV. porrigitur. Portæ ibi quatuor, à quatuor plagis cœli. Quod cum tantæ sit magnitudinis, cur Vrbis vocabulo caruerit mirum habetur. Hoc quidem ab Aureliano Imperatore constructum antiquitas asseruit.

De Crothildis obitu: & beati Germani meritis, & Clotharii progenie

CAP. XXV.

INterea bonæ memoriæ regina Crothildis, vxor Clodouei quondam magni regis, piis quoad vixit intenta operibus, apud vrbem posita Turonicam migrauit ad Dominum plena dierum. Cuius corpus a filiis ipsius Childeberto ac Clothario regibus cum magno psallentium choro exinde sublatum Parrhisiusque delatum, in sacrario Basilicæ sancti Petri, iuxta latus viri sui est sepultum. In eadem etiam orationis domo beata Genouefa humata quiescit.

Tunc temporis beatissimus Germanus Theodeberto Austrasiorum regi, pro villis Augustidunensis ecclesiæ Cabillone occurrit: memorque sancti Simphoriani, in ingressu palatii ita Spiritu Dei in se redundante pie locutus est, vt ante Rex annueret quam verba petitor explicaret. Cui & ore prophetico finem dixit de transitu. Nam paucis interim diebus dum Remis remearet Rex, extrema forte febri valida vexatus, defecit anno regni sui XIII. quasi sancti viri sermo dictus fuisset ab Angelo. Hic, exorante desiderato Viridunensi Episcopo, ciuibus eiusdem vrbis octo millia solidorum, qui annuatim exinde eius inferebantur thesauris, largissimà benignitate ad restaurationem concessit ciuitatis. Fuit idem Rex egregie moratus eloquioq; affabilis. Qui beatissimum Maurum in quadam parte regni sui, in Andegauensi videlicet pago, monasterium construentem, quod Glaunafolium † antiquitus dictum est, mirifice coluit: prædiaq; ingentia cum aliis regiæ munificentiæ donis, per semetipsum, ad eundem accedendo locũ, benignissime contribuit. Successitq; ei Theodebaldus filius eius, vir quidem Deo deditus, & seruos eius vnice diligens, sed in suos crudelis. Cuius tempore stella ex aduerso veniens in Lunam ingressa est. Tunc quoque vuæ, in arbore quæ *Sambucus* dicitur, natæ sunt, & flores ipsarum arborum, quæ nigra proferre solent grana, botros protulerunt. Grauis eo tempore ac solito asperior hyems facta est: ita vt torrentes congelati, peruium super se populis iter præberent: aues quoque rigore astrictæ vel fame, absque vllo hominum dolo, immersæ niuibus capiebantur. Hic accepit vxorem filiam Waconis regis Longobardorum, Walderadam nomine, suæ sororem nouercæ. Qui cum per octo annorum curricula strenue susceptum gubernasset regnum, vita decedens, principatum gentis quam regebat, cum thesauris, Clothario dereliquit habendum.

† alias Glannafolium. hod. S. Maurus ad Ligerim.
Theodobaldus fit rex Austrasiorum.
Clotharius Rex.

Clotharii progenies.

Huic vero Clothario fuerunt virilis sexus filii, ex diuersis coniugibus orti, numero septem, & vna fœmina. De Ingunde quidem, Guntharius, Childericus, Cherebertus, Guntrannus, Sigebertus & Closinda † filia. de Charagunde vero, sorore Ingundis, habuit Chilpericum. Amore deniq; Ingundis † ductus, Charagundem eius germanam sibi in matrimonium copulauerat. de Gunsinde autem genuit Chrannium. †

† alias, Clotsinda. † alia Wigundu. † Crannum.

De odio Francorum in Parthenium

CAP. XXVI.

TVnc temporis Franci Parthenium in palatio regis Theodoberti quendam potentem, qui eos tributi onere valde presserat, immensis persequebantur odiis. Qui

eum se cerneret non posse euadere, duos rogat Episcopos vt se Treueros deducant sæuientisque populi seditionem sua prædicatione sedent. Quo dum vna cum eo eunt, vna noctium cœpit prædictus vir dormiens voces emittere dicens; *Heu heu succurrite qui adestis*. Expergefacti circumiacentes rogant, quid esset? respondit ille vidisse se Ausanium quondam amicum suum, ac Papianillam vxorem propriam, quos olim zelo ductus occiderat, vocantes se ac vi compellentes, & dicentes; *Veni vt ante Deum de iniusta nece nostra nobiscum contendas*. Tandem venitur Treueros, & Episcopi turbatum populum sua volebant oratione linire, cum nequirent, Parthenium in Ecclesiam ductũ vni arcæ immiserunt, sternentes desuper vela ecclesiæ: cumque populus scrutata Basilica recederet, frendens quod non inueniretur, vnus è turba exclamat, *En*, inquiens, *arca vbi non est quæsitus noster aduersarius*: statimq; è reserata arca extrahitur, ac lapidibus ad columnam ligatus perimitur. Fuit vero in sumendis cibis auidus: Sed quæ sumebat, hausto aloe statim egerebat, vt alia citius sumere posset: strepitum quoq; ventris in publico sine vlla emittebat verecundia.

Horridum Parthenii visum.

Parthenius interficitur.

De Clotharii edicto & expeditione in Saxones

CAP. XXVII.

PRoposuit autem Clotharius edictum, *Vt cunctæ Ecclesiæ Galliarum fisco tertiam partem soluerent fructuum*. Quod, resistente Iniurioso Pontifice †, in ipso exordio tentamentorum cassatum est.

Turonensis. Greg. 4. c. 2.

Post hæc idem rex in Saxones rectum iter direxit, qui assiduis excursionibus Francorum deuastabant fines. Quibus super Wiseram fluuium bello subactis, Thoringos quoq;, eo quod Saxonibus auxilium tulissent, depopulatus est. Denuo Saxonibus rebellare parantibus, Clotharius aduersus eos exercitum mouet: verum Saxones superioris belli plaga humiliati, per legatos commissorum postulantes indulgentiam, de cætero emendationem pollicentur, suarumque rerum omnium partem mediam, exceptis coniugibus ac liberis, loco pignoris offerunt. Quod Franci despectui habentes, prælium adoriundum putarunt. Coacti Saxones manum conserere, tanta in Francos strage bacchati sunt, vt vix pauci Clothario regi superessent ad fugæ potius societatem, quam ad præliandi subsidium.

Visurgis fl. Greg. 4. c. 14.

Francorum strages.

De Chrannio, & eius gestis

CAP. XXVIII.

ERat præterea Clotharii filius nomine Chrannius, corpore quidem elegans, sed mente leuis, dolis nulli versutorum secundus: huic animus inquietus, prompta audacia, cui pater vices suas per Aquitaniam commiserat. At illius effera vis animi, eum vt Regem agere non sinebat, Tyrannica deniq; adactus crudelitate res aliorum rapinis diripiebat. Quapropter pater eum, legatione directa, ad se euocare curauit, vt insolentiam qua tumebat modesta increpatione redargueret. Ille mandatis patris posthabitis, Parrhisius ad Childebertum summo studio contendit, ea propositi intentione vt ad genitorem nunquam rediret. Abducere vero amicos regios patri telque festinabat, & præcipue Childebertum patris germanum: quem etiam in tantum ab eo alienum effecerat, vt fratris vitam appeteret, Chrannio tactis Sanctorum pignoribus sponte promittente, quod patris perpetuus existeret hostis. Perpetratumque foret facinus magnum ac memorabile, fratre in mortem fratris conspirante, si Deus non impedisset, & Childebertus matura morte non oppetiisset. Composito namque cum Childeberto fœdere, Aquitaniam iterum repetit, omnia per quæ primum ierat subacturus. Post quem pater, Saxonica occupatus expeditione, ire non valens, Cherebertum ac Guntrannum filios cum exercitu eo dirigit. Quem illi per Aruernicum secuti territorium, in Lemouico iam eo assecuto, castra super

mon-

montem Nigrum constituerunt: miseruntque ad eum vt quæ peruaserat redderet: quod dum ille se facere sponderet, nec tamen faceret, ipsi contra eum pugnaturi aciem direxerunt. Quibus cum ille haud segnius obuiam iret, orta tempestate ab hoc sunt repressi facinore. Post hæc Chrannus per subintroductas personas, fratribus insinuari facit, patrem bello oppetiisse Saxonico: illi pro vero dictum arbitrati, Burgundiam citato repetunt calle. His abeuntibus Chrannus post eos iter dirigens, capta Cabilonensi vrbe ad castrum properat Diuionense: vbi quidam clericorum curiosi quid Chrannio accideret, super altare tres posuerunt codices, id est, Propheta- *Greg. 4. c. 16.*
rum, Epistolarum Apostoli, ac Euangeliorum: oratione ergo ad Dominum facta, aperto Prophetarum libro hunc primum reperiere versiculum; *Auferam maceriam e-* *Esaias 5.*
ius, & erit in desolationem, pro eo quod debuit facere vuam, fecit vero labruscam: Reserato etiam Apostoli codice hoc inuenerunt; *Cum dixerint, Pax & securitas, tunc repenti-* *1. Thessal. 5.*
nus eis veniet interitus. Dominus autem in Euangelio ait: *Qui non audit verba mea, as-* *Matth. 7.*
similabitur viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, &c. Et hæc quidem de Chrannio ostensa sunt.

De Childeberti post regni fraterni affectionem morte & epitaphio: deque ædis S. Germani ad Parrhisios dedicatione.

CAP. XXIX.

CHildebertus vero æstimans fratrem à Saxonibus interfectum, Remos accedens cuncta incendiis ac rapinis vastauit. Tunc duæ locustarum acies, per Aruernum ac Lemouicum, in campum transiere Romaniacum: vbi commisso inter se prælio, magnum reliquere aceruum locustarum interfectarum. Cœpta Chranni, cele- *Locustarum acies.*
ri destituuntur obitu Childeberti. Nam idem rex post diutinam regni functionem, febre vexatus moritur, ac Parrhisius in ecclesia sancti Vincentii, quam ipse fabricarat, à beatissimo Germano honorifice sepelitur. Eius regnum vel thesauri ad Clotharium redierunt.

Francorum rector, præclarus in agmine ductor,
Cuius & Allobroges metuebant soluere leges,
Dacus & Aruernus, Britonum rex, Gotthus, Iberus: *Epitaphium regis Childeberti.*
Hic situs est, dictus rex Childebertus honestus.
Condidit hanc aulam Vincenti nomine claram.
Vix pietate cluens, pro bitatis munere pollens:
Amplectens humiles, prosternens mente rebelles:
Templa Dei ditans, gaudebat dona repensans:
Millia mendicis solidorum dans & egenis,
Gazarum cumulos satagebat condere cælo.

Igitur defuncto gloriosissimo rege Childeberto XLIX. postquam regnare cœperat anno, nondum quidem dedicata vel consecrata Sancti Vincentii quam fabricauerat ecclesia, gloriosus Clotharius rex non dignum ducens hoc fore procrastinandum, conferre curauit cum beatissimo Germano, vnaque cum Vltrogotha regina præfati inclyti Childeberti vxore, necnon & cum Crothberga & Crothsinda eius affinibus, quatenus ipsa cum digno honore consecraretur a beatissimo Germano, & vt in die dedicationis, ex rebus propriis ipsi Ecclesiæ dotem honorifice conferrent. Quod & fecerunt, & scripto suo corroborauerunt. Hinc igitur ad ordinem historiæ redeamus.

De Chranni conatibus, & Clotharii clementia & pietate

CAP. XXX.

Conabus R. Britonum. DEstitutum se Chrannus tanto parricidalis flagitii consorte animaduertens, ad Conabum Britonum principem confugit, recidiuaque reparare bella tentabat. Cui nobilitas coniugis, odiorum suppeditabat materiam, quod præmineret prosapiæ claritudine: ei nomen Calte, Willecario genita Aquitaniæ duce. Qui videlicet Willecarius minis Clotharii territus, quibus Chranno fauisse arguebatur, tutelam Basilicæ sancti Martini expetiit: quam pridem & Austrabius † alter dux expetierat. Persecutoribus quærentibus eum exinde auellere, nec valentibus, admotis ignibus pariter cum ipsa orationis domo flammis est crematus: quam Clotharius solerti industria venustiori donauit gratia, stannoque eius operuit tecta. Non dissimulandas autem filii arbitratus iniurias, inde quanta potuit suorum manu Britanniam est ingressus. Occurrit autem ei Chrannus, cum Conabo Britonum rege barbarorum agmen ductante. Vbi ad certamen ventum est, tentato vtrinque agmine, vbi neque Chrannus pecunia conductos deficere à fide vidit Britannos, neque Clotharius filium erga se susceptа deposuisse odia, suosque ad belli paratos certamina, armis decernendum æstimauerunt. Tunc Clotharius in incerto belli positus, lachrymis suffusus ora, Christum exorat in hæc verba: *Christe*, inquit, *Deus qui occulta hominum solus agnoscis, precibus nunc adesto meis iusti exercens examen iudicis. Etenim quod nulli iusto, maxime tibi omnium cognitori rerum, veniabilis Chranni nequitia possit videri, satis certus sum: ideo quod naturalis oblitus gratiam pietatis, hostili animo contra vitam insurrexit patris. Et quod fraude machinatus occulte nequiuit efficere, id nunc palam illato bello contendit explere: dumque vnius decrepiti senis accelerare quærit exitium †, non dubitauit morti exponere tantarum innumerositatem gentium. Et certe regnandi spem dederam, cum viuens tuendæ ei Aquitaniæ solicitudinem mandaueram, sed morantem non passus est, nec expectauit regnum, nisi parricidio adipisceretur. Respice ergo Domine de cælo, & indica iuste, illudq́ iudicium exerce, quod contra Absalon patri Dauid quondam infestissimum exercuisti. Non ego quidem Dauid, sed tamen fide nō degener. Credidit ille mundi redemptorem venturum, credo & ego venisse, æquique arbitrum seculi iudicem futurum.* His intentum precibus audiuit omnipotens Deus. Nam superior bello factus, Britannos vsque ad refugia nauium (quas ad hos vsus parauerant, vt si aduersa bellorum forent, eo se conferrent) persecutus, maximam ex eis stragem dedit. Chrannus quoque ipse, dum filias pariterque vxorem captiuitati subducere gestit, ab exercitu captus patrique præsentatus, iussuque eius in cuiusdam paupercul æ casa super scamnum extensus, orarioque sugillatus †, ibidem cum coniuge ac filiabus igni est concrematus. Hoc modo iustę exsoluit pœnas vltionis insidiator patris, quā differri non oportebat. Condemnatus est sequestra † pietate iudicio patris, qui se omni euacuauerat pietate. Periit quidem non optando patribus officio, sed non dissimulando. Cui ille parceret, qui saluti paternæ, quantum in se fuit, non pepercit? Hunc itaque improbitatis suæ finem Chrannus inuenit.

alias Austrapius. — *f. exitum.* — *2. Regum c. 18.* — *Chranni exitus.* — *i. strangulatus.* — *i. seposita.*

De Longobardorum regibus, & Totila Gotho

CAP. XXXI.

CLothario autem Francorum tenentę principatum, Langobardorum genti Aldoinus præerat, qui non multo post tempore Langobardos in Pannoniā deduxit. Gothis autem qui Italiam incolebant, post Witigim, Batula (qui & Totila dictus est) præfuit. Qui ad beatissimum veniens patrem Benedictum, cuius supra meminimus, ab eo & arguendo commonitus, & commonendo, à suæ crudelitatis immanitate est emollitus: cui idem vir Domini, quod mare transiturus, Romam ingressurus, IX. annis regnaturus, decimo esset moriturus, prædixit.

Greg. M. Dial. 2. c. 15.

De Vigilii Papæ & Theodoræ Auguſtæ controuerſia

CAP. XXXII.

VIGILIVS etiam ſanctæ Romanæ præſul eccleſiæ, qui (eo quo commemorauimus modo) in locum ſanctiſſimi ſubrogatus fuerat Syluerii, legationem ſuſcepit Theodoræ Auguſtæ ſe habentem in hunc modum: *Veni, & adimple nobis quæ prona voluntate promiſiſti de patre noſtro Anthimo, & reuoca eum in priſtinum gradus honorem.* Ad hoc reſcripſit Vigilius, *Abſit*, dicens, *hoc à me domina Auguſta: prius locutus ſum male & inſipienter, nunc autem nullo modo tibi conſentio vt reuocem hominem hæreticum & anathematizatum.* Quo audito, Auguſta miſit Anthimum ſcribonem cum valida militum manu Romam, præcipiens ei ac dicens; *Vigilium*, inquit, *Romanum pontificem noſtris ſanctionibus rebellem, decernimus vt naui impoſitum ad noſtrum deduci facias conſpectum: nec cuiuslibet Baſilica Sanctorum defenſionis ei ſit adiumentum, excepta eccleſia principis Apoſtolorum.* Anthimus Romam profectus memoratum Papam, dum miſſarum ſolennia in oratorio ſanctæ Cæciliæ X. Kalend. Decembris celebraret (erat quippe dies feſtus ipſius ſacræ virginis) munera populo erogantem, tenuit nauique impoſuit, vt Conſtantinopolim deduceret. Quem populus Romanus proficiſcentem vſque ad nauim proſecutus, poſtulabat vt benedictionem illis daret: qua tradita mota eſt nauis. Non defuere tamen quos iniuſta expulſio Syluerii, in odium ipſius excitaret. Hi lapides poſt illum, vel quælibet telorum genera ſors obtulerat, iacientes, in hunc modum ei conuiciabantur: *Fames tua tecum, mortalitas tua tecum, mala intuliſti Romanis, mala reperias quo vadis.* Aliqui ſane ex fautoribus ipſius comitatui eius adhæſerunt. Qui per Siciliam iter faciens, in ciuitate Cathinenſi quoſdam ad ſacros promouit ordines, quibus tuendæ Romanæ eccleſiæ delegauit curam. Ipſe nauigio Conſtantinopolim vſque deuectus, ab Imperatore & clero vrbis honorifice ſuſceptus, per biennium inibi eſt detentus. Imperatore reuocationem Anthimi ab eo exigente, cautionemque manus eius, qua id ſe facturum ſpoponderat, oſtendente, ad hoc vſque altercatio proceſſit, vt diceret Papa Vigilius, *Ego quidem ad clementiſſimos reipublicæ moderatores Iuſtinianum, eique coniunctam æſtimaui me veniſſe Theodoram; ſed Diocletiano ac Eleutheria moribus reperi crudeliores. Verum quia Chriſtus me vobis pro commiſſis adiudicauit peccatis, patiar quicquid eſt miſerrimum, dum vos inferitis quicquid eſt immaniſſimum. Haud enim rependitur meritis meis congrua viciſſitudo, dum maiora his mea mereantur facinora. Matura vltio flagitii ſubeſt, & digno con[illegible] nor expulſionis Syluerii pretio. Neque porro Dei oculum, tam impii machinator ſceleris, præterire poteram.* Et, quidam familiarium principis prope aſtans, alapam in faciem Pontificis dedit, dicens; *Homicida neſcis cui loqueris? An putas ignorare nos, dediſſe te alapam notario tuo, qui & continuo cecidit exanimis: & filium viduæ Haſterium, cui nepotem tuum dederas Vigiliam, iuſſu tuo fuſtibus vſque ad ſupremum labefactum exitium, Papamque Syluerium factione tua exulem factum.* Quo ille audito, pertimuit, ſolique Deo ſpem ſuam committens, in Baſilicam ſanctæ Euphemiæ confugit, tenuitque columnam altaris. A qua auulſus, fune colla ligatus per totam circunduci vrbem iubetur, atque ad veſperam ergaſtulo claudi: vbi modicum quid panis & aquæ ei quotidie tribuebatur. Poſtmodum ſuggerente Narſete Romanarum partium duce, vinculis ab Imperatore leuatus, ac ſimul cum clero ſuo Romam redire permiſſus, vbi Syracuſas attigit, calculi languore fatigatus defecit. Cuius corpus Romam delatum, ac ad ſanctum Marcellum via Salaria eſt humatum, ſuccedente ei Pelagio in pontificatum.

Sup. c. 17.

Indignum factum in Vigilium pontificem maxi.

De Roma à Totila obsidione, & Romanorum ad Iustinianum confugio

CAP. XXXIII.

TOtila quoque rex Gothorum deprædata Sicilia regressus, Romam obsidione cinxit. Cuius ciues tantam tunc famis penuriam passi sunt, vt cibi inopia coacti natorum suorum carnes edere vellent. Fessis diutina pugna simulque inedia Romanis, nec valentibus mœnia tueri, Totila à parte Hostiensi vrbem irrupit: qui parcere potius Romanis, quam eos perdere malens, per totam noctem qua victor vrbem intrauit, quosdam suorum buccinis clangere iubet, Vt *ciues se à Gothorum gladiis aut Ecclesiis tuerentur, aut quibusque modis occulerent:* habitauitque aliquantum temporis cum Romanis, plus paterna pietate circa eos vsus, quam tyrannica crudelitate. Hanc illi, vt concedatur, animi benignitatem, qui nimiæ antea crudelitatis exstiterat, beati patris Benedicti (quem olim, vt prædictum est, audierat) monitio contulit.

Roma à Totila capitur. — *Sup. cap. 31.*

Aliqui sane ex senatoribus, Romani quondam gloria nominis, tunc autem miseræ reliquię desertæ ciuitatis, Constantinopolim Iustinianum principem adierunt supplices, aduersum Gothos auxilia poscentes. Turbatus graui nuntio Cæsar rebus in Hesperia minus prospere gestis, Narsetem eunuchum, cubicularium vero suum, expertum belli virum, omni militiæ † & his quæ in Italia erant præfecit. Ille propere (neque enim differendi tempus dabatur) cum lecta pube, transmisso Mediterraneo freto in Latium contendit. Et iunctis sibi Longobardorum auxiliis, cum Gothis prælio conflixit: Totilaq; rege interfecto, Italiam ab eorum dominatione eripuit.

al. Siciliæ. — *Totila interitus.*

De bello Bucelleno duci ab Narsete illato

CAP. XXXIV.

BVcelleno etiam duci Narses bellum intulit, quem Theodebertus Rex Francorum (vt supra memorauimus) cum Italiam introisset, reuersus ad Gallias, cum Amingo alio duce ad eam subiiciendam reliquerat. Qui Bucellenus, interempto Belisa[illegible] dum pene totam Italiam direptionibus vastaret, & regibus Francorum de manu[illegible] subiectorum hostium munera copiosa conferret, in Campania hyematurus in [illegible] cui Tannetum nomen est, dysenteriæ morbo laborans, bello graui a Narsete [illegible]ratus extinctus est. Amingus vero dum Widino Gothorum comiti, contra Na[illegible]tem rebellare paranti, auxilio esse non dubitaret, vtrique Narsetis virtute vincun[illegible] Widinus captus Constantinopoli exiliatur. Amingus qui ei auxilio esse voluer[illegible], Narsetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum dux nomine Leutharis, Bucellini germanus, dum multa onustus præda repedare festinat ad propria, inter Veronam ac Tridentum iuxta lacum Benacum propria morte defunctus est. Habuit nihilominus Narses certamen aduersus Sisuualdum † Brentorum regem, qui adhuc de Herulorum stirpe remanserat: quos secum in Italiam veniens Odoacer adduxerat. Solus quippe Sisuualdus de Herulorum gente restiterat. Huic Narses fideliter sibi primum adhærenti, multa beneficia contulit. Sed nouissime, superbe rebellem & regnum dilatare suum per Italiam cupientem, bello superior cepit, celsaque de trabe suspendit. Hic Narses prius quidem chartularius fuit: Deinde propter virtutum merita patriciatus honorem promeruit. Erat vero vir piissimus, religione catholicus, in pauperes munificus: in recuperandis Sanctorum Basilicis satis studiosus: vigiliis & orationibus adeo intentus, vt magis precibus Deo profusis, quam armis victor foret bellicis.

Sup. c. 22. — *Tannetum.* — *Amingus.* — *Leutharius.* — *alias, Sisualdum.* — *Narsetis laudes.*

De

De Alboino Longobardorum rege

CAPVT XXXV.

IN illis diebus Alboinus, filius Aldoini Longobardis præfuit. Hic viuente adhuc genitore, cum Thurismodo Turisendi Gepidarum regis filio bello conflixit. Et cum summa vi vtrinq; decerneretur, Alboinus Turismodū spatha ceruice tenus percussum ad terram deiecit mortuum. Turbati Gepidi, quod Regis filium, per quem maxima ex parte prælium substiterat, interemptum conspiciebant, in fugam versi sunt. At vero Alboinus patrata victoria ad patrem lætus rediit. Nec multo post ei vita decedenti in regnum substitutus est.

De Cautini facinore: Diui Medardi transitu & sepulchro: & Antharii abbatis obitu

CAPVT XXXVI.

HIs diebus Cautinus Aruernæ vrbis Episcopus, rem inauditam fecisse memoratur. *Greg.4.c.12* Erat in ipsa vrbe Anastasius quidam nomine, officio vero presbyter, ingenius genere, hunc frequenter Pontifex nunc precibus nunc minis compellabat, vt proprietatem suam quam per chartas gloriosæ memoriæ Crothildis reginę possidebat, cum ipsis chartis ei dono daret. Quo omnibus modis renuēte, Episcopus à villa ad vrbem deductam custodibus legauit inedia afficiendum, ni petita compleret. *Cautini perfidia.* Sed ille forti animo resistebat, dicens sibi melius esse ad tempus fame affici, quam traditis rebus filios exhæredare. Erat apud Basilicam Cassii martyris crypta, & in ea sarcophagum cuiusdam magni hominis ex Pario marmore factum. In hoc igitur Mausoleo, ex iussu episcopi, cum mortuo viuens sepelitur presbyter: operiturq; lapide, datis custodibus, qui eum custodirent. Verum presbytero, tanquam altero Iona, orante ad Dominum, custodes inebriati vino vertuntur in somnum: quod ille intelligens, brachiis (quę tantummodo libera habebat) propter magnitudinem sepulchri operculum ad vnam impulit partē, reseratoq; aliquantulum loculo caput erexit, & sic toto pectore aditum egrediendi sibi parauit. Grauabatur autem (vt ipse postmodum asseruit) nimio fœtore, qui ex putrefacto emanabat corpore. Itaq; sepulchro liber, ad ostium cryptæ properat (fiebant enim hęc in initio noctis) quod obseratum inueniens, & inter rimas prospiciens, videt hominem cum securi prętereuntem, hunc leni susurro euocans, rogat vt aditum securi reseret: quo impetrato, Presbyter progreditur liber, rogans virum ne de se cuiquam indicaret, ac demum ad domum suam, indeq; ad regem Clotharium properat. Cui cū causam enarrasset suam, Rege ac optimatibus dicentibus, quod nec Herodis vel Neronis tempore talia fuerunt gesta, iubetur adduci Episcopus. Qui dum istud se iussisse negaret, a Presbytero conuictus confususque abscessit. Presbyter vero res suas tenuit.

Quo tempore beatus Medardus Vermandensis episcopus, plenus virtutibus, *An. 556.* migrauit ad Dominum. Cuius corpus Clotharius rex honorificentissimo recondidit Mausoleo.

Hisdem etiam diebus defuncto Authario, sancti Germani cœnobii primo abbate, venerabilis vir Doctroueus †, ex discipulis videlicet beatissimi Germani, ab eodem *alias Drotoueus.* sancto Pontifice, annuente gloriosissimo Clothario rege, loco eius subrogatur.

De Clotharii regis donationibus, & piis operibus, obitu, ac hæredibus

CAPVT XXXVII.

IDem vero inclytus rex Francorum Clotharius, ad suffragia egregii confessoris Martini ad tutelam sibi exposcenda, Turonos abiit. Multus ibi pro sua salute, suorum-

que peccaminum abolitione, Domini ac Sanctorum eius precator, & clarissimis donis eidem sacro loco regia liberalitate impartitis, in ditandis & aliis cœnobiis sanctorum munificentissimus extitit. Indeque venationis gratia exercendæ (cuius studiosos esse Francos supra † meminimus) Cottiam syluam ingressus, dum supra vires corporis, quod senectus debilitauerat, indulget exercitationi, animo validior quam corpore, comminuit omnem suæ vigorem salutis, ægritudinemque contraxit grauem: febris erat vehemens: continui ac sine vlla intermissione viscerum dolores. Dum cruciatur, atque alternis vicibus nunc frigus, nunc calor membra exagitant, inter ægra suspiria, quæ mens extorquebat sibi male conscia, hæc iterabat verba: *Vah, vah, quam magnus est Rex ille cælestis, qui sic humiliat sublimes terræ Reges. Iste cum sit immortalis, melior est quouis orbis terrarum principe mortali. Quod si melior, & potentior: si potentior, ergo & misericordiæ largitor: Qui non, vt multi hominum, mortibus delectatur reorum; sed misericors, ac miserator pœnitentiam amplectitur peccatorum. Illius igitur clementiæ munus totis est exoptandum affectibus, deque eius miseratione nunquam desperandum.* Inter hos atque huiusmodi sermones finem imperii edidit, corpus terræ, regnum filiis derelinquens, per quinquaginta & vnum annos potestate functus continua, ac semper in maius augmentata. Filiis regni hæredibus huiusmodi vocabula: primus Cherebertus, sequens Guntramnus, tertius Chilpericus, quartus Sigebertus vocati. Sepultusque est in Basilica sancti Medardi, vt ipse iusserat: quæ xxx. & amplius milibus ab eo loco, in quem finem vitæ inuenit, aberat: magno obsequio per tantum spatium deductus filiorum, seu & psallentium † clericorum.

Sup. l. c. 21. Cottia sylua

Clotharii verba in obitu.

i. Psalmodiã


FINIS LIBRI SECVNDI.

L I

LIBER TERTIVS.

De Chilperici regis cum fratribus disceptatione super hæreditate paterna

CAPVT I.



SEpulto Clothario, varia est inter filios eius sorte regnatum. Siquidē Chilpericus (cui inter fratres mens promptior) nō contentus cum cæteris partem ponere fratribus, thesauros patris Parrhisiaca in vrbe reconditos rapit, ac Francis (quos auidiores fore pecuniæ persensit) precio solicitatis, apud eos regnum arripuit. Verum coniuncti fratres, improuida irruptione eū à ciuitate deturbauere: dehinc conditionibus pacis consentiētem euocant, totumq; regni corpus quadripartita sectione, ex æquo hi quatuor fratres partiūtur: & Chereberto quidē (qui & Aribertus dictus est) Parrhisiorum vrbs, quōdam Childeberti, sorte prouenit: Guntranno Aurelianensis, regnum videl. Clodomiri: Chilperico Suessionensis assignatur ciuitas, caput & ipsa regni paterni. Sigeberto aūt Mediomatricum (quæ & Metis) cessit, Theodorici patrui quondam subiecta dominatui: vrbs famosa & inclyta, ac ideo inter cæteras vrbes Galliæ haud mediocri semper habita loco: de qua quid in veterum reperimus libris, paululum intermissa re cœpta, in medium proferamus. Cum gens Wandalorum iunctis sibi Sueuis & Alanis Gallias depopulatum ire destinauisset, Crocho rege ipsorum à matre sua quærenti, quid faciendo *Magni* nomen obtineret? illa ad eum, *Si*, inquit, *fili famosus in orbe esse cupis, magnarum ædificia ædium à maiorib. extructa destrue, egregiasq; vrbes destruens eorum incolas gladio extingue. Neq; enim meliora prioribus potes condere habitacula, aut bellando nominis tui gloriam amplius propagare.* Cuius ille respōsi non segnis executor extitit, ac si diuino oraculo nō hominis voce dictum fuisset. Nam apud Maguntiam ponte Rhenum transiens, primo ipsam vrbem miserabiliter deleuit, ac demū cursum itineris ad Metensem vrbem deflexit. Cuius muri nocte quæ diem aduentus eius præcedebat, diuino nutu sponte ruentes, viam irrupturis aperuerunt: incertum vtrum hanc diuina indignatio, flagitiosis & impœnitētibus inuexerit calamitatem ciuibus, an forte vt infandissimi homicidę iusta accelerararetur perditio: quo, cœlestia autumans opitulari sibi suffragia, eo cōtenderet, vbi nefandi ausus merita lueret supplicia. Ciuibus denīq; Metensibus vsq; ad internecionē pene pessundatis, Treueros properat. Treuerici in arenis † ciuitatis præsidio locato, conatibus eius restiterūt. Crochus Treueris infecto negocio, Arelas expugnare nisus, a quodam milite Mario nomine captus, per ciuitates quas euerterat ductus, pœnis excruciatus interiit. Sed de his satis dictum.

Diuisio regni inter filios Clotharii.

Metis, olim Diuodurum Mediomatricorum.

Dictum nefandum matris Crochi regis VVandal.

† theatro, circo.

De Chereberto qui & Aribertus dictus est: deque immunitate ecclesiæ sancti Germani

CAPVT II.

CHerebertus (qui & Aribertus) rex Parrhisiorum Ingobergam duxit vxorem: huic erant ancillulæ duæ, nomen vni Marcouefa, altera vocabatur Merofidis. Harum amore Rex ita deperire cœpit, vt vxorem eiiceret Ingobergam, & eas ambas in locum eius substitueret. Pro qua re à beato Germano præfatæ vrbis Episcopo increpatus, nec correptus †, vtrasque cum filio, quem ei vna earum genuerat, diuinitus per-

† leg. correctus

Anno 573. Blauia castrum.

cussas se perdidisse indoluit. Ipse quoque non post multum temporis in Aquitania apud castrum Blauia vitæ finem sortitus, in Basilica sancti Romani est sepultus.

His diebus beatissimus Germanus sentiens diem sui imminere exitus: cernens quoque Ecclesiam Romanæ sedis multis atteri (vt supra dictum est in deiectione Syluerii & successione Vigilii) calamitatibus, verens etiam ne vrbis Parrhisiacæ Pontifices, per succedentia tempora inquietudine aliqua peruaderent ecclesiam sanctæ crucis sanctique Vincentii (quam gloriosus rex Childebertus ædificauerat) occasione permaxime illa quæ in præcepto inclyti Clotharii regis inuenitur, ita inquiens: *Abbatem loci illius constituimus, & cætera*, præceptum immunitatis edere decreuit, in quo omnes Episcopos sedis Parrhisiacæ alienos efficeret ab hac occasione. Præuidebat etiam mēs sancta, quod huic immunitati vel libertati † monasteriorum, postmodum consentiret sancta & Apostolica Romana ecclesia. Sicuti etiam beatus Papa Gregorius postmodum in decretis suis sanciendo confirmauit. His itaque prælibatis, ad ordinem reuertamur historiæ.

Immunitas ecclesiæ S. Germani. Vt solum agnosceret Papam Ro. superiorem.

De Guntranni liberis, & gestis

CAPVT III.

GVntrannus autem quatuor filios ex diuersis habuit concubinis: quarum recensere nomina supersedi: maxime cum nec ei legitimo fuerint copulatæ coniugio, & eo adhuc superstite cum suscepta prole terminum sortitæ sint vitæ. Fuit sane idem Rex summe bonus, pacis æquique seruantissimus: hoc solum tanti gloriam viri obnubilante facto, quod lenociniis deditus meretricum, licitum refutauit matrimonium. Hic quadam die venatum in syluam profectus, sociis prout res exposcebat huc illucque dispersis, ipse cum vno suorum fidissimo fidelium sub arbore quieturus resedit: positoque in familiaris amici gremio capite, oculos cupiens furari labori, obdormiuit. Et ecce ex ore quiescentis Regis in modum reptilis animal egressum, oras propter labentis riuuli percursare, ac in vlteriorem ripam transire satagere cœpit. Quod cernens ille super cuius genua Rex ceruicem inclinauerat suam, gladium vagina nudatum fluuiolo superposuit, & sic animal illud ad alteram transmeauit partem: atque sub radice cuiusdam montis ingressum, post aliquot horarum rediit spatium, & eodem ponte vsum in os Guntranni regis est ingressum. Et surrexit Rex, & familiari narrans somnium, mirabile se dixit vidisse visum, inquiens: *Conspexi fluuium permaximum ponte ferreo constratum, per quem transuectus, speluncam in cuiusdam montis radice constitutam sum ingressus: ibi inæstimabiles thesauros, absconditamque veterum repperi gazam patrum.* Refert alter quid de eo & ipse intuitus sit: consonaque sibi apparuerunt somnii verba, ac visio manifesta. Quid plura? effossus est locus, enormeque auri ac argenti inuentum pondus. De quo Guntrannus ciborium miræ magnitudinis simul & pulchritudinis compactum, Hierosolymam mittere destinauit ad Iesu Christi domini sepulchrum. Sed cum & itineris difficultas, & Sarracenorum qui eadem infestabant loca timor, ne vota perficeret obstitissent, in Basilica quæ Cabilonensi adiacet ciuitati (cuius condendæ ipse auctor extiterat) super sepulchrum sancti Marcelli poni iussit. Quod quandiu tumulum sancti Martyris durando venustauit, nullum in tota Gallia opus, quod ei æquipararetur, potuit inueniri.

Somnium Guntramni.

De Sigeberti coniugio cum Bruna Gothorum regis filia

CAPVT IV.

POrro Sigebertus, cognito quod fratres ob infausta coniugia, graui subiacerent opprobrio, Gogonem legatum in Hispaniam ad Athanahildum regem Gothorum, qui exercitum Imperatoris ab Hispania expulerat, mittit, petitum filiæ illius Brunæ† nomine nuptias. Quam ille à patre cum multis sibi traditam opibus, ad Sigebertum perducit. Sigebertus eam eo quod Arrianæ dedita esset hæresi, à catholicis baptizari,

alias, Brunia.

Bruni-

Brunichildemque vocari præcipiens, ac fide instrui orthodoxa cum magno appatatu epularum duxit vxorem. Hæc vt in regnum confirmata est, Gogonem, qui se ab Hispaniis abduxerat, inuisum regi Sigeberto fecit. Huic denique Gogoni, cum in infantia Sigeberti omnes Franci de regno eius, Chrodinum maiorem domus elegissent, virum probum ac timoris Dei plenum, ille oblato cessit honore, Regem allocutus in hęc verba: *Omnes*, inquit, *Franciæ potentes consanguinitatis mihi iure fœderantur: nec valeo iurgia eorum portare, dum quisque mea fretus propinquitate, eo ad nocendum alteri efficiatur promptior, quo mei censuram iudicii non pertimescit, qui sit affinitate propinquior. Sed bonum esse asseritis æquitatis intuitu, & parentes punire. Quis hoc abnegat? Verum perpetis infamia denotantur, vel Torquatus filium pro contempto suo præcepto securi percutiens; vel Brutus, duos pro patriæ libertate ex se natos pari modo perimens, adeo vt præcipuus poetarum de eo ita scripserit: Infelix, vtcunque ferent ea fata nepotes. Sed esto, sit melius pro misericordia, quam pro crudelitate argui: vt quid autem frustra improbis misericordia impenditur, dum indulta venia insolentiores ad exercenda passim vitia efficiantur. Non mihi ergo contingat, propter transitoriam eorum gratiam æternæ damnationis subire sententiam.* Post hæc verba, Rege cunctisque optimatibus in eius arbitrii dispositione electionem tantæ successionis ponentibus, ipse eo quidem die siluit: Diluculo vero subsequentis diei matutinus consurgens, ad domum Gogonis cum quibusdam palatii primatibus properat. Et brachium eius collo superponens suo, signum futuræ dominationis dedit, eiq; dixit: *Dominus noster rex Sigebertus, cœtusque reipublicæ nostræ, comitem me destinauerant fore domus regiæ: hoc ego nunc tibi cedo munere: vtere felix meo priuilegio, quo me sponte carere profiteor.* Huius exemplum cæteri qui aderant proceres secuti, Gogonem maiorem domus acclamauerunt. Strenuus in gerendo principatu Gogo eo vsque est habitus, donec Brunichildem de Hispania accersere est iussus. Ille dies mortis Gogoni fuit, cui expedierat exilio mutasse sedes, antequam omni bellua crudeliorem in ceruicibus locandam eueheret suis. Namque Brunichildis (vt prælibatum est) regio potita coniugio, animum Regis ab eo alienans, ad postremum iugulare coegit: a qua tantum humani sanguinis effusum, tantæ cædes actæ potentum seu etiam Regum in Francorum regno sunt, vt non immerito Sibyllam ante multa sæcula de ea vaticinasse sit creditum. *Veniet*, ait, *Brunia de partibus Hispaniæ, ante cuius conspectum gentes siue gentium reges peribunt: ipsa vero calcibus equorum disrupta peribit.*

Brunichildis regina.
Gogo.
Chrodinus.
Brunichildis perfidia.

De Chilperici mulierosi nouis nuptiis

CAPVT V.

CHilpericus quoque rex, æmulatus & ipse fratrem, cum plurimo præter regiũ morem fœminarum vallaretur grege, quæ Regi propter decorem magis quã propter nobilitatem generis copulabantur, dirigit, qui Brunichildis sororem natu maiorem, a patre Atanachildo † petant, ac vice sua spondeant, se, si eius potiundæ facultas detur, cæteras abdicaturum coniuges. Quorum verbis Atanachildus credulus, filiam Galsontam † nomine ad Chilpericum destinat, magna ditatam dote. Quę catholico baptismate (proprium † nomen loci) magis consecrata, regi thoro nuptiali est coniuncta. Legatis sane Atanachildi regis quærentibus, *Vt tactis Sanctorum pignoribus fides firmaretur, Quod Galsonta in vita sua solio regni non pelleretur*, Chilpericus non abnuit: præbitis sacramentis, pactaque pace eos ad propria sinit abire. Sed vt erat animo leuis, iura præuaricatus est pactionis. Nam Fredegundis, coniunx quondam vocata Chilperici regis, offensa nouæ nuptæ aspectibus inuisis, exigui prope temporis interuallo tantum adulandi arte præualuit, vt se coniugio Regis redderet. Inde ad audendum maiora proteruia muliebri elata, dominam se omnibus qui in aula erant regia præferebat, contumeliisque afficere Galsontam Atanachildi regis filiam non cessabat. Illa a marito de iniuriis questa, ab eo, qui omnem iam circa eandem imminuerat affectum, verbis blandioribus deludebatur. Denique ferialibus furiis exagitatus, instigante Fredegunde eam in stratu quiescentem crudelissime strangulauit: immane facinus, nullique antea cognitum tyranno, ac Franco homini, maxime Regi, pe-

alias Atanahilde.
alias, Valsontam.
Glossema, quod nescio vnde irrepsit, tollendũ.
Fredegundis

Mirum ad sepulchrum Galsontæ.

nitus incongruum: coniugem innocuam, & quam ab hostibus raptam vindicari ferro, aut mortem pro ea appetere decuerit, hanc securam, in communi thoro cubantem, suffocare non erubuisse. Demens, qui illius meretriculæ persuasionibus, tantum connubii violaret decus: cuius fraude in proximo erat ipse perimendus. Post transitum sane Galsontæ, magnum virtus diuina ad eius sepulchrum dignata est ostendere miraculum. Nam vitro in quo ante illud positum oleum accendebatur, in terram decidente, duritia aufugit pauimenti: & sic in terram, ac si in modium farinæ, est integrum defixum. Non tulerunt fratres, tanto scelere maculatum consortem esse suum: sed coniuncti simul regno pellere moliti sunt. Quod consilium non tam astu Chilperici, quam ipsa leuitate qua cœptum fuerat, dissipatum est.

De Chilperici filiis & eorum gestis

CAPVT VI.

Audouera regina. *Fredegundis perfidia.* *alias Childebinda.* *Fredegundis fit Regina.*

ERant Chilperico tres filii, Theodebertus, Meroueus, Chlodoueus, ex Audouera regina suscepti. Quam Fredegundis eodem perfidiæ commento quo Galsontam, hac de causa pepulit. Chilpericus cum fratre Sigeberto expeditionem in Saxones agens, Audoueram reginam domi reliquerat aluo grauidam. Cui Fredegundis, vtpote ancilla ex eius orta familia, ad cuncta deseruiebat vitæ necessaria. Hæc hortatur dominam, vt natam puellam perducat ad baptismi gratiam: quo Rex adueniens gratuletur, *non solum natam sibi esse filiam, sed etiam in Christo renatam.* Paret mulier suadenti meretriculæ eo attentius, quo autumabat eam sibi bona consilia dare. Quærenti deinde matronam, quæ puellam susciperet post sacri baptismatis vndam: respondit non posse inuenire nobiliorem ea, quæ eius exequeretur muneris obsequia. His quoq; illa credula verbis, efficitur filiæ mater spiritualis. Regredienti post hæc Regi it obuiam Fredegundis: cumque his interpellat verbis: *Quam gloriosus* (ait) *apparet hodie rex Chilpericus, rediens victor triumphatis hostibus, cui nata est filia Childechinda† forma egregia corporis. Sed (proh dolor) scelus hac nocte à te patrabitur refugiendum quidem, si vitari posset, ne domina mea Audouera tecum secreta subiret cubiculi silentia.* Huius nouitate sermonis Rex stupefactus, causam quæsiuit. Cum sileretur, elicuit studio quærendi & motu indignationis. Et comperto indicio, quod eius commater foret Regina ex prole suscepta, Fredegundi in hæc respondit verba: *Si Audoueræ nunc fraudor amplexibus, te sociam asciscam mei stratus.* Et properanti ad aulam occurrit Regina, ferens in vlnis paruulam, quam bis (vt ita dicã) generauerat filiam: ad quam Rex, *Nefandam* (inquit) *ô Regina rem perpetrasti, & regiæ inconuenientem maiestati. Nec potero te habere coniugem, cum commatris adepta sis nomen.* Postea Episcopo qui puellam baptizauerat in exilium acto, Reginam cum filia sacro adopertas velamine monasterio retrusit, prædia ac facultates eis tribuens: Fredegundem vero sibi copulauit. Incidit ea tempestate necessitas Sigeberto regi, fratri Chilperici atque Guntranni, exercitum ductandi aduersus Cacanum principem Hunorum: qui confinia regni eius depopulaturus aduentabat. In hoc congressu superior bello factus, ingentes Hunorum strages dedit: cum reliquis vero pacem firmauit. Cuius absentiam Chilpericus aucupatus (vt se eius habebat inquietudo morum) domestica seditione publicam interpolans pacem Francorum, Remos opulentissimam regni eius vrbem improuiso impetu occupauit. Super plagam fractus Sigebertus, Suessiones & ipse de regno Chilperici peruasit, captæque vrbis populum imperio suo adiunxit. Repertumque Theodebertum Chilperici filium, custodiæ mancipauit. Quem patri petenti clementissime muneratum postea reddidit: dato prius sacramento, *Ne quid in posterum Theodebertus contra Sigebertum moliretur.* Quod, præpediente humani generis inimico, non diu inuiolabile permansit. Chilpericus quoque bello superatus, conditionem pacis amplexus est.

De Saxonibus in Galliam irrumpentibus à Mummolo repulsis

CAPVT VII.

SAxones qui ad Italiam iussu Theodeberti senioris demigrauerant, cum coniugibus ac liberis in Gallias prorumpunt. Quibus Mummolus Guntranni regis patricius obuiam pergens, eos fugaciter Italiam repetere compulit. Sequenti anno iterum Saxones ad Rhodanum vsq; fluuium Gallias ingressuri accesserunt. Mummolus cum exercitu suo obuius, transitum ei fluminis denegabat. Sed acceptis muneribus, per fines regni quod tuebatur, transeundi ad Sigebertum licentiam tribuit: a quo suscepti iubētur proprias incolere terras. Quo dum tendunt, plurimos negociatorum in itinere deceperunt, æris laminas quadam arte ad auri optimi atq; probati speciem coloratas vænundantes, aurumq; pro pretio earundem accipientes. Hac de re multi mercatores ad inopiæ malum se deuolutos sero doluerunt. Sed Saxones fraudulentiæ suæ pœnas matura vltione luerunt. Nam a Sueuis aliisque nationibus, quæ patriam eorum peruaserant, terna acie superati, ad xx. millia suorum ferme interemptis, reliqui conditionibus hostium, licet inuiti, paruerunt.

Sup. l. 2. c. 21. Saxones Galliam ingrediuntur. [illegible] Saxones [illegible] Greg. Tur. 5. c. [illegible]

De Iustiniano, & Iustino Augustis

CAPVT VIII.

IVstinianus eo in tempore postquā triginta tribus annis imperium felici rexit sorte, sceptrum cum corona regni Iustino reliquit minori. Fuit autem Iustinianus vir fide catholicus, pietate insignis, æquitatisque cultor egregius. Ideoq; ei omnia cooperabātur in bonum: qui & bella ciuilia prospere per varios duces, & maxime per Belisarium gessit: & in causis ciuilibus, componendisq; legibus mirificus extitit. Ob causam etiam multimodarum victoriarum, vt *Alemannicus, Gothicus, Alanicus, VVandalicus, Aphricanusq;* diceretur, habere agnomina meruit. Extruxit quoque idem princeps intra vrbē Constantinopolim Christo Deo (qui est sapientia Dei patris) templum: quod græco vocabulo *Hagiam Sophiam*, id est sanctam Sapientiam nominauit. Cuius opus adeo cuncta ædificia excellit, vt in totis terrarum spaciis huic simile non posse inueniri, qui videre testentur.

Iustiniani Imper. laus. Quin & Francicus, quod & retulit Theodebertus Rex. Agathias.

De Caßiodoro & B. Germano pluribusque claris viris

CAPVT IX.

HVius temporibus Cassiodorus tam in seculari quam diuina scientia: Dionysius abbas, in Paschalis calculi argumentatione mirandus: Priscianus Cæsariensis in arte Grammatica: Arator in exarandis Apostolorum actibus arte metrica, claruerunt. Benedictus quoque in cœlesti disciplina placidius cæteris effulsit. Beatissimus quoq; Germanus præsul Parrhisiacæ vrbis, ad sancta loca Hierosolymam pergens, indeq; rediens, præfatum principem adiit: a quo & honorifice est susceptus. Cumque eum plurimis vellet honorare muneribus, vir Deo plenus auri argentiq; spernens munera, ab eo reliquias tantummodo Sanctorum expetiit. Cuius deuotioni præfatus congaudēs princeps, de domini nostri Iesu Christi corona spinea, simulq; reliquias Innocentum, vitaque brachium sancti Georgii martyris pro magno munere contulit. Quæ vir Dei gratanter suscipiens, ad propria rediit: & prædicta Sanctorum pignora in ecclesia sanctæ crucis sanctique Vincentii condidit. Hæc nos studium boni principis, vel eorum qui eius fuere temporibus, dicere paucis coegerunt: nunc Narsetis acta succincte perstringamus, vt postmodum continuo ductu inchoatæ percurrat historiæ ordo.

Cassiodorus. Dionysius abbas. Priscianus. Arator. S. Benedictus. B. Germanus. An. 577.

De Narsetis inclytis gestis

CAPVT X.

NArses itaque multimodis subiugatarum gloriosus triumphis nationum, ciuica insignis corona, summæ per Italiam æquitatis exercebat iura. Sed his rebus sibi apud improbos expertus est potius nocuisse inuidiã, quam apud probos fuisse gratiam. Nã cum pro liberandis ciuibus mortis se discrimini sæpissime obtulisset, circumpositarum vero gentium in se odia excitauisset, tanta à Romanis pertulit, vt plus post bellum à suis, quam in ipso bello ab hostibus periculi in sese expertus sit. Impleueruntque Roman. facinus exerandum: vt quem protectorem suæ salutis habuerant, eum ante tribunal iudicis etiam absentem accusare non erubescerent. Nec nouum apud eos hoc genus flagitii fuit. Quippe Scipio maior quondam Aphricanus deuictæ Carthaginis nobilitatus trophæis, ab ingrata sibi vrbe Roma diu exulans, in agris suis morbo simul & tristitia defecit. Alter quoque Aphricanus Scipio, superioris haud ignobile genus Scipionis, post perdomitam Libyam causam aduersus accusantes in Senatu dicere coactus, quod sibi pro patria laboranti ab improbis & ingratis denunciari cognouisset, medio subsequentis noctis tempore ab æmulis in cubiculo necatus est. Simili modo contra hunc Narsetem relatio Romanorum ad Iustinum cucurrit principem, ac eius coniugem Sophiam: quærentium, *nihil sibi collatum libertatis deuictis Gothis, quibus tetrior superfit dominus, eunuchus scilicet Narses*. Quibus cognitis, Cæsar ita exardescens successorem Narseti Longinum direxit præfectum. Quod vbi Narses agnouit, ita dixisse fertur: *Si male*, inquit, *egi cum Romanis, digna factis recipiam meis. Si vero bona, & si reddere volunt similia, vt quid calumniantur, fuentes capti meo falsa testimonia?* Tanta autem indignatio, præcipue Augustæ, aduersus Narsetem excitata est, vt inter cætera (quia eunuchus erat) iniurioso satis sermone mandaret, *debere eum in gynæceo fœminarum pensam diuidere lanarum, non consulatum tenere Romanum*. Ad hæc Narses, *filum* (ait) *filabo, quo talis ordietur tela, quam Iustinus & Sophia nequeant in omni sua rescindere vita*. Nec promissa moratus, ad Alboinum regem Longobardorum mittit, qui Pannoniæ paupertina rura deserere, & ad Italiam solo vberem eum hortaretur transire. Qui monita non aspernatus, cum cuncto suo populo eorumq; supellectili Hesperiam properat. Narses autem vrbe Romana relicta, Neapolim venit. Quem subsecutus Papa Ioannes, qui Pelagio suc cesserat, Romam redire rogauit. Quo impetrato, vtrique regressi sunt. Et sanctissimus quidem Ioannes non diu superuixit. Narses vero post aliquantum temporis defunctus est: corpusque eius in loculo plumbeo positum, Constantinopolim cum omnibus thesauris eius est delatum. Sed vt promissa soluamus, Historiæ est ordo repetendus.

Romanorũ ingratitudo in Narsetẽ. Liuius li. 38. Valer. Max. li. 5. c. 3. Oros. lib. 4. c. 20.

Vt Claudian. in Rufin. Tutelas, non tela pau-

De Hunis seu Auaribus Galliam inuadentibus

CAPVT XI.

HVni qui & Auares, rupto fœdere quod cum rege Francorum Sigeberto pepigerant, in imparatam se Galliam infundunt. Quos cũ ille congregato exercitu [illegible] lo excipere destinauisset, Huni magicis artibus priusquam ad manus venirent, quibusdam phantasmatibus Francos perterrefactos fugere compulerunt. Rex ipse, frustra resistere conatus, capitur. Sed prudentiæ suæ astu oblatis muneribus honorifice ad suos redire permissus, pacem cum Hunis in reliquum stabilem firmauit. Nec prætulit mortis compendium saluti: condemnans in hoc facto prauum Crassi Romani quondam consulis consilium: qui vt dedecus seruitutis euaderet, non premium hostibus, sed sibi interitum parauit. Nam dum forte contra Thraces pugnans, cæsis suorum [illegible] in potestatem hostium deuenisset, ne ludibrium inimicis foret, virgam, qua ad stimulandum equum vtebatur, in o ulum Thracis se tenentis impegit. Barbarus dolore iraque percitus, latus Crassi gladio transuerberauit: sicque vir magni nominis [illegible]

Crassus consul Romanus

& fortitudinis, dum deuitat quod fortuito casu, siue beneficio hostis etiam posset euadere, incidit in mortem: quam illatam vel nec bene volens amicus aduersariis potest auertere.

De Chlodouei gestis & Guntranni

CAPVT XII.

EO tempore Clodoueus, Chilperici filius, Burdegalensem (quæ ad regnum Sigeberti pertinebat) vrbem inuasit: super quē Sigulfus dux partium Sigeberti irruens, eum exinde expulit: ac velut ceruum præ se ageret, ad propria festine regredientem buccinis insonando, vsque ad refugia Parrhisiacæ vrbis insectatus est. Quo comperto, Chilpericus Theodebertum alterum ex filiis, qui Sigeberto pridem iurauerat, *nullatenus se ei nociturum*, in Neustriam ad occupandas vrbes quæ fratri subiectæ erant mittit. Theodebertus nonnullis vrbibus subactis, tributa Turonensibus, Pictauis, Caturcensibus, Lemouicinis iure victoriæ adscribit: peruagatusque Aquitanicam prouinciam, monasteria seruorum seu ancillarum Dei direptionibus vastans, monachos siue clericos tormentis, sanctimoniales vero turpibus dehonestamentis affecit: denique ad monasterium sancti Martini, quod Lata dicitur, dum quidam hostilis agminis tenderent, vellentque fluuium qui interfluebat transire, clamauerunt Monachi, dicentes: *nolite ô barbari, nolite huic cœnobio sancti Martini iniurias inferre*. Hoc audito, quidam redierunt compuncti corde retrorsum: viginti tamen ex ipsis ascensa naui flumen transeuntes, cæsis Monachis, monasterium infringunt: resque diripiunt: factisque sarcinis nauim repetunt. Sed non defuit beati confessoris virtus. Nam ingressi alueum, amissis remis dum hastilibus nauim impellunt, illa sub pedibus mersa est: ipsi vero lanceis confixi suis in profundum delabuntur: vno tantum superstite, qui hæc eos deserere dehortabatur. Monachi vero eos resque suas aqui eripiunt, ipsos sepulturæ, res vero monasterio inferentes. Talisque tunc Theodebertus Aquitanicis visus est Christianis, qualis quondam Diocletianus catholicis in toto orbe constitutis. Congressu Pictauis aduersus Gundoaldum ducem habito, vniuersas pene eius deleuit copias. Nec Chilpericus quieuit, qui fratri Sigeberto ludibrio suos fuisse exercitus indignabatur: non contentus enim filii triumpho, cum magna & ipse veniens manu Campaniam depopulatus est Remensem. Sigebertus tamen non vsquequaque ociosus fuit, nec multa diu regni sui passus est dispendia. Nam insidiis opportune locatis, omnem exercitum Theodeberti cum ipso attriuit. Qui dum euadere nititur, à cohorte regia oppressus occiditur. Corpus eius ab Arnulpho duce collectum, & ad Engolismam delatum, ibidem est humatum. Deinde congregatis superioribus Francis Austrasiis, collecto etiam suorum adiumento, contra fratrem aciem dirigit: sed intercurrentibus legatis pax conuenit. inde e communi consensu expeditionem in Guntrannum suum fratrem, Burgundiæ regem agunt. Sigebertus Aruernis ciuibus mandat, Arelas ex insperato inuadant. Quo præcognito, Guntrannus per internuncios Arelatenses de aduentu hostium certos facit. Illi præoccupatis insidiarum locis duce Cello, eos qui se interfectum venerant interficiunt. Guntrannus quoque contractis vndecunque viribus, obuiam parat ire fratribus. Cumque castra in loco qui Viriacus † dicitur fixisset, residente Sigeberto apud Archiacum, Chilperico identidem eo loci quo duodecim pontes Sequanæ superimpositi fuisse referuntur, mediantibus optimis quibusque prudentia viris (quibus moris est semper Regibus præbere consilia) hi tres fratres in vnum coeunt fœdus. Trecis deinde in oratorio sancti Lupi dextras iungentes, Sigebertus cum Chilperico iusiurandum Guntranno præbuerunt, *nil se vlterius aduersus eum hostiliter acturos*. Eadem eis etiam Guntrannus visus est sacramēta dedisse, inde cum gratia discessum est: & se inuicem salutantes, Guntrannus ad propria, Sigebertus atque Chilpericus ad castra redeunt. Tunc Austrasii iurgari contra Sigebertum cœpere, promissa sibi flagitantes solui, qui se meminissent spe hostilis prædæ ad belli societatem sollicitatos: oportere eum aut ex proprio stipendia illis largiri, aut publicum demonstrare, cuius rebus ditentur, aduersarium. Se, in-

Campania Remensis, i. planities. Gall. champaigne.

† alias, Iuriacus.

terim dum Reges inter se pacem venditant aut inimicitias, quasi mercenarios haberi queruntur, ad pericula primos, ad honorem vel præmia vltimos. Nec contra Guntrannum se querelam cuiuslibet offensionis prætendere velle fatentur: cum quo Sigebertus iustæ firmarit fœdera pactionis: sed in Chilpericum veteris inimicitiæ recordatione cunctorum odia exardescere: illum esse ex multis vnum cuius vita ingrata, mors foret omnibus grata. His igitur suorum persuasionibus coactus Sigebertus, fratrem persequi statuit: qui nil tale metuens, maiorem exercitus partem ad hyberna dimiserat. Ipse accepto fraternæ insectationis nuntio, cum paucis equitibus Tornacum vrbem confugit. Quem subsequens Sigebertus Parrhisiorum ingressus est vrbem. Cui occurrens sanctus Germanus pontifex, *Si*, inquit, *fraternum cruentus cupis effundere sanguinem, iuxta Psalmistæ vocem eam quam fratri paras foueam, tibi experieris paratam, fratricidæque non priuaberis vocabulo, cum voluntas ipsa non careat supplicio.* Hæc ille quasi ab Episcopo, partibus fratris fauente dicta aspernatus, cogitabat cœpta perficere. Et veniens in villam cui vocabulum est Victoriacus †; offendit ibi validam de regno Chilperici manum Neustrasiorum specie, se ei tradere volentium. Qui, viso Rege, certatim ad eum venientes ditioni se eius subdunt. Nec quilibet Ducum aut procerum regni Francorum cum Chilperico relictus est, excepto Ansoaldo: qui fortunam Regis etiam in aduersis maluit non deserere, quam promissam violando fidem proditor esse vel dici. Tantis igitur Sigebertus vallatus militum cateruis, cunctas vrbes regni Chilperici imperio suo adiunxit. Inde progressus in vrbem, cui Tornacum nomen est, fratrem obsidionē cingit. Qui se vrgeri conspiciens hærebat consilii incertus, qua via coniugem ac filios, quos secum ibidem adueniens deduxerat, periculo eximeret: sed mulier, artibus viro longe callidior, duos subornat viros, quibus audacia contemptum mortis inuexerat. Hos hortatur monetque Sigebertum adeant, eumque se vt dominum adorare simulantes interimant: Quod si efficiant, euadentibus præmia: interemptis vero condignam sepulturam, eleemosynasque ad loca Sanctorum pro oblatione tanti facinoris se præbituram, spondet. Illi nihil morati præcepto satisfaciunt, ac vrbem egressi ad castra progrediuntur hostium. Nihil viris his audacius, nil terribilius eo bello in hostem ex vrbe processit: In medium nanque aduersariorum proruentes non trepidauerunt, non retractauerunt: sed tanquam familiarium suorum consortiis immorarentur, non ante remeandum putarunt, quam circumuentum a lateribus Regem, cultellis † latera fodientes, nefandissimæ neci traderent. Clamor ilico vniuersorum, luctusque totis oritur castris, vt palam daretur intelligi, Regem oppetiisse Sigebertum. Impetu itaque facto in homicidas irruunt, leuique negotio, membratim sectos duos delent viros. Chilpericus dum egredi formidaret, & quid accidisset ignoraret, accedente ad se coniuge Fredegunde, interiisse fratrem vt comperit, ad spem vitæ & salutis animum quasi ab inferis reduxit. In crastinum egressus vrbem, redeuntibus in gratiam Neustrasiis, qui ad Sigebertum ab eo desciuerant, corpus fratris in villa cui Lambrus nomen est sepeliri mandauit. Quod postmodum a fidelibus ablatum, & in ecclesia sancti Medardi Suessionis iuxta patrem Clotharium est humatum. Regnauit autem annis XIII.

hod. Vitry.

Tornacum obsidetur.

Muliebre consilium.

Sachs dictis Gregorio. Rex Sigebertus interficitur.

De Fortunato episcopo & eius scientia

CAPVT XIII.

Eius tempore Fortunatus, qui in Rhetorica metricaque arte famosus habebatur, ab Hesperia in Gallias transiens, Pictauis episcopus ordinatur. Hic multorum vitas passionesue Sanctorum, partim prosa partim metro composuit: ad amicos quoque singula disticha elegans orator conscripsit. Vnde præfato Regi elegiacum misit carmen †, congratulans ei in nuptiis Brunichildis. Quem cum quidam consors librum, ad diuersos ab eo sibi familiares conscriptum manibus intulisset meis, atque † in eo facunditatem viri, dulcemque affabilitatem satis admiratus sum.

Venantii Fortunati episcopatus.

quod exstat l. 6. Opusculorum.

f. equidem.

De

De Brunichildis in conseruanda prole solertia

CAPVT XIV.

INterfecto autem hoc modo Sigeberto, mutatio facta est, multis familiarium eius amicitiam Chilperici expetentibus. Porro Brunichildis (quam Sigebertus, dum à persuasione vrbium rediret fraternarum, Parrhisius sibi occurrere imperat) in eadem degens ciuitate, nece viri comperta, fluctuabat animo qualiter se suamque prolem ab imminenti liberaret interitu. Tunc Gundoaldus dux arreptum puerum Childebertum nomine, per fenestram in sporta depositum cuidam fidelium suorum tradit, vt eum Metis exhiberet. Quem inibi perductum, adnitente Gundoaldo (de quo præmisimus) vniuersi Austrasii in regnum sublimant patris. Brunichildem onere filii leuatam, altera inuadit cura. Nam sibimet timenti, nec somnus oculis, nec animo quies dabatur. Cui etsi voluntas discedendi erat, facultas deerat. Tantis ergo pressa sollicitudinibus, à superueniente Chilperico Rothomagum in exilium truditur. Thesauri eius opibus Chilperici sociati: filiæ Meldis ad custodiendum missæ sunt. *Gundoaldus Sigeuuini F.*

De Merouei & aliorum regum gestis

CAPVT XV.

MEroueus etiam missus à patre Chilperico, vt ciuitates quæ flumini Ligeris adiacent, ad suam transduceret partem, postposito patris præcepto, Cenomannos contendit, ac si matrem suam Audoueram, quæ ibidem exulabat, visitaturus: inde Rothomagum transiens ad Brunichildem venit: eamque in coniugium accepit. Non tulit hoc Chilpericus pater: sed eos ab inuicem dissociare volens, Rothomagum vsque accessit. Cuius illi declinantes præsentiam, Basilicam sancti Martini super muros præfatæ vrbis ligneis constructam tabulis sunt ingressi: irritaque fuissent Chilperici tentamentorum exordia, nisi sacramento spopondisset, *Se eos minime seperaturum, imo permittente Deo magis copulaturum.* Quod illi credentes ad eum progressi, ab eo apparatioribus epulis per biduum sunt suscepti. Tertio die profectus secum abducit filium, paruipendens quod dederat iusiurandum. Morum egregius censor, qui illicitum in filio damnaret matrimonium, nec futurum pro periurio super se Dei pertimesceret iudicium. Verum ille plus metuebat versuta Brunichildis ingenia, ne filium imbue. et perfidia, quam indignaretur pro diuinæ legis illata iniuria. *Meroueus Brunichildem uxorem accipit.*

Reuertenti inde nunciatur proceres Campaniæ Remensis, Suessionensem sibi præripuisse vrbem. Qui cõtinuo raptis copiis, eosdem acie superans multos nobilium interemit: captamque ciuitatem iuri suo restituit. Clodoueum vero filium Turonos dirigit: vt & Petrogoricum Aginensemque pagum sibi subiiciat edicit, iuncto ei duce Desiderio, vt eius frueretur in cunctis incommoditatibus subsidio Quos Mummolus Guntranni patricius, obuiam cum exercitu progressus, deuicit, fugauitque non sine maximo suorum detrimento. Nam de exercitu eius quinquaginta milia sunt cæsa: cum à parte hostium, licet deuictorum, non nisi viginti milia sint prostrata. Exinde Chilpericus filium Meroueum suspectum doli, quod partes Brunichildis fulciret, instigante nouerca Fredegunde coma attonsum, ac in monasterio Annisole † detrusum, iussit ordinari presbyterum. *Campania Remensis.* *Greg. Tur. 5. c. 14.* *† alias, Aninsole. hodie S. Carilephi, vulg. S. Cales.*

De diui Germani episcopi transitu, sanctitate & miraculis

CAPVT XVI.

EOdem tempore sanctissimus, & vere Deo dignus, Germanus Parrhisiorum episcopus migrauit ad Dominum, fere octogenarius. Cuius corpus in oratorio sancti *An. D. 578.* *Greg. Tur. 5. c. 8. Sigebert.*

Vincentii est sepultum. Quid autem Fortunatus de hoc beatissimo viro scripserit, non prætermittam. Quadam, inquit, vice præcellentissimus rex Childebertus senior, cum ei direxisset sex milia solidorum pauperibus eroganda, expendens tria millia reuertitur ad palatium: interrogatusque à Rege si adhuc resideret quod tribueret, respondit medietatem resedisse, nec inuenisse se inopes quibus totum expenderet. Cui rex, *Domine*, inquit, *dona quod restitit: Nam (Christo largiente) quod donetur non deficit.* Incidens itaque Rex aurata missoria † & argentea comminuens vasa, quicquid primum habebat dat sacerdoti ne perderet. Erat ergo expectanda contentio inter sacerdotem & principem: faciebant apud se de misericordia pugnam, & de pietate certamen: thesauros vt spargerent, ac de suis talentis egeni ditescerent.

† lances, gabatas.

Deniq; alia vice cum aptus ad sedēdum sacerdoti requireretur equus, Rex ei suum tribuit, rogans vt sibi eum retineret. Interim beatus vir postulanti captiuo equum donat interdictum: quoniam apud ipsum plus fuit, quam illa Regis, vox pauperis.

Mirum per S. Germanū. Idem refert Greg. Tur. de glor. confessor. cap. 90.

Ingrediente autem postmodum Chilperico rege in vrbem Parrhisiacam: sequēti die postquam Rex ingressus est ciuitatem, paralyticus, qui in porticu Basilicæ S. Vincentii (in qua B. Germanus requiescit in corpore) residebat, dirigitur: sane autem facto, spectante populo B. Antistiti gratias referebat. Quod cum Regi nunciatum foret, magna cum deuotione illuc adueniens & tanto gauisus miraculo eius epitaphium his distichis rhythmice composuit.

Epitaphium diui Germani.

Ecclesiæ speculum, patriæ vigor, ara reorum,
Et pater & medicus, pastor amorque gregis,
Germanus, virtute, fide, corde, ore, beatus
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata sepulchri.
Viuit enim: nam mors quem tulit ipsa timet.
Creuit adhuc potius iustus post funera: nam qui
Fictile vas fuerat, gemma superba micat.
Huius opem ac meritum, mutis data verba loquuntur,
Redditus & cæcis prædicat ore dies.
Hunc † vir apostolicus rapiens de carne tropheum,
Iure triumphali considet arce throni.

† alias Nunc.

Factaque illi prædictus Rex oblatione solenni munificentia regali, ad propria rediit.

Per idem tempus defuncto sanctissimo Droctoueo abbate, Scubilio abbas ei successit in regimine.

Brunichildis restituitur.

Tunc quoque Chilpericus legationem suscepit Childeberti iunioris, nepotis sui, petentis matrem suam sibi reddi Brunichildem. Cuius ille non aspernatus preces, eam cum munere pacis poscenti remisit filio.

De regum Hispanorum rebus

CAPVT XVII.

Atanahildo autem rege Hispaniæ defuncto, Leuua cum Leuigildo fratre regnum assumunt. Mortuo Leuua, Leuigildus integrum Hispaniæ regnum tenuit, habens Gadsunidam † matrē Brunichildis vxorē. Apud Longobardos Alboinus (de quo præmisimus) regnabat. Qui maxima ex parte Italiæ vrbibus potitus, suos in eis statuit: Romanos, quos vel maxime aduersarios patiebatur, expulit. Hic ciuitatem cui Ticinum nomen est (quæ alio vocabulo Papia dicitur) per tres annos obsidens, tandem cepit. Cuius cum incolas (vtpote paganus) quia Christianos esse cognouerat, gladio ferire destinauisset, equus eius in medio portæ corruit: Qui calcaribus impulsus, fustibus cæsus, nullo modo adigi poterat ad surgendum. Tandem suggerentibus suis in religionem Rex conuersus, fregit quod de nece Christianorum vouerat votum. Huic fuit nupta Clotsinda Clotharii Francorum regis filia. Qua defuncta, Rosemundam Chunimundi Gepidorum regis natam accepit coniugem: cuius ipse dudum interfecerat patrem: a qua, cum tribus & eo amplius annis in Italia super Longobardos

† alias Gas-sundam.

Ticinum.

dos regnasset, in vindictam paternæ necis dedecorosissima interemptus est morte. Et vir bellicosissimus summæque audaciæ, vnius mulierculæ consilio periit: qui per tot hostium strages bello famosissimus extitit. Et illa quidem tantæ immanitatis debita luit maturato supplicia. Nam dum corruptori suo, Helmechim nomine, quem ipsa in necem Regis armauerat, postmodum è balneo egredienti veneni poculum, quod salutare asserebat esse, porrexisset, ille agnito mortiferum haustum se bibisse, euaginato gladio eam quod reliquum erat bibere coegit: sicque nefandissimi homicidæ iuste factorum suorum subiacuere vindictæ. At vero post Alboinum, cum Cheph † nobilissimus Longobardorum anno vno & sex mensibus tenuisset principatum, denuo duces in Longobardorum gente decennio creati sunt. Et vnusquisque Ducum suam regebat ciuitatem. E quibus aliquanti Gallias prædandi cupidine petentes, apud Prouinciam cum Amato patricio, qui regi parebat Guntranno, bello confligunt: factaque de Burgundionibus maxima strage, ipsum ducem interemerunt. Quod Guntrannus audiens, euocato ad se Mummolo spectatæ virtutis viro, patriciatus ei indixit curam. Prorumpentibus iterum in Gallias Longobardis, Mummolus cum valida Burgundionum manu occurrit. Qui duobus præliis hostibus vsque ad supremum labefactatis, reliquos fugaciter in Italiam redire compulit. Nec vltra adiecerunt animum Longobardi vt ad Gallias transirent. Nam Mummolus post tergum eorum dirigens Francorum exercitum, Anagnii † castrum, in finibus Italiæ situm, debellauit & cepit. Quam ob causam comes Longobardorum Ragilo, Anagnium veniens, deprædatus est; & ad sua reuerti festinans, ab obuio sibi duce Francorum, Crannichis nomine, perimitur.

Alboini interitus. — alias Cleph. — Duces Longobardor. — alias Anam.

De Iustini minoris gestis

CAP. XVIII.

PEr hæc tempora apud Constantinopolim (vt supra diximus) Iustinus minor regnabat: in tantum auaritiæ deditus, vt arcas ferreas fieri iuberet, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret. Is cum à diuinis mandatis aurem cordis auerteret, iusto Dei iudicio amens effectus est. Post hæc Tyberium Cæsarem asciuit, qui eius imperium gubernaret: hominem iustum, vtilem, eleemosynarium, sapientem, in iudiciis æquum, in victoriis clarum, & (quod his omnibus supereminet) verissimum Christianum.

Greg. Tur. 5.c.19.

Igitur Iustinus cum vndecim imperasset annis, amentiam tandem quam incurrerat, cum vita finiuit. Bella sane quæ per Narsetem patricium Gothis vel Francis illata superius per anticipationem diximus, Iustiniani quidem temporibus concepta, sed sub Iustino terminata sunt.

Sup 2.c.54. & 4.c.10.

De Tyberio Constantino & eius imperio

CAP. XIX.

MOrtuo Iustino Tyberius Constantinus Romanorum regum sexagesimus secundus sumpsit imperium. Hic (vt superius diximus) sub Iustino adhuc Cæsar cum publicam rem gereret, & multas egenis eleemosynas erogaret, magnam ei Dominus auri copiam subministrauit. Nam deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, dominicæ crucis vexillo insignitam, & ait: *Crucem Domini, qua pectus frontemque munire debemus, indignis vt quid pedibus conculcamus?* Et simul cum verbo iussit eandem tabulam auferri à pauimento. Qua amota, reperiunt & aliam simili signaculo expressam. Post hanc quoque reperiunt & tertiam. Quibus ablatis, inæstimabilis diuque occultatus in lucem profertur thesaurus: quem Tyberius iuxta consuetum sibi morem pauperibus erogauit. Narsetis quoque thesaurum in quadam Italiæ vrbe terra defossum, quodam decrepito indicante sene, inuentũ, in simile distri-

Greg. Tur. 5.c.19. Paul. Diac. 3.c.6. Cod.lib.1. Tit 2. — Tyberius ingentem thesaurum inuenit.

buit opus. Sophia vero Augusta immemor promissionis quam Tyberio fecerat, eum ab imperio remouere, Iustinianumq; Iustini nepotem substituere moliebatur. Quod imperator agnoscens Augustam custodiæ mancipauit: Iustinianum verbis obiurgatum blandioribus, tanto in posterum amore dilexit, vt filiam suam filio eius promitteret, ac filio suo filiam eius sociandam exposceret. Sed hæc res, qua de causa, incertum est cur non peruenit ad effectum. Ad hunc Chilpericus Rex Francorum suos dirigens legatos, multa ab eo ornamenta aureos etiam singularum suscepit librarum, habentes ab vna parte effigiem imperatoris: in circulo scriptum, TYBERII CANSTANTINI PERPETVI AVGVSTI: ab alio vero quadrigam ac ascensorem, continentesque scriptum, GLORIA ROMANORVM. Huius exercitus ab eo missus Persas potentissime debellauit: victorque regrediens tantam prædæ molem cum viginti pariter elephantis abduxit, vt humanæ crederetur posse sufficere cupiditati.

Numisma Tyberii imperatoris excellens.

De Britannorum rebus, & Guntranni facinore.

CAP. XX.

DVm hæc in orientis geruntur partibus, in Britanniis hæc acta sunt: Maclianus † & Bodicus illo tempore comites Britonum erant: qui amicitiam mutuam sacramentis adinuicem datis iunxerant. Mortuo Bodico, Macrianus filium eius Theodericum de regno Britanniæ expulit. Theodericus resumptis viribus, Maclianum cum filio eius, Iacob nomine, interfecit, paternamque hæreditatem recepit. Warocus Macliani filius patri in comitatu succedit.

† alias Maclianus.

Tunc quoque Guntrannus Rex Francorum duos Magnacharii soceri filios quondam sui, interemit, facultates eorum fisco subiiciens, dehinc subsecuta mors duorum filiorum ipsius est. Quapropter Guntrannus liberis orbatus, Childebertum suum ex fratre Sigeberto nepotem adoptauit in filium.

De Chilperici in Prætextatum simultate.

CAP. XXI.

CHilpericus frater eius, alter Rex Francorum, Prætextatum Rothomagensem Episcopum exilio destinauit: eo quod consilio Brunichildis reginæ vsus, insidias ipsi parasse diceretur. Merouecus vero filius eius, quem tonsuratum ac monasterio detrusum à patre fuisse memorauimus, iterum laicus efficitur. Nam à Guntranno duce (de quo sequens sermo plura narrabit) per legatos solicitatus, à monasterio egressus, & à Gaileno suo familiari veste laicali indutus, ad ecclesiam sancti Martini Turonos vt confugeret, est impulsus. Ad hanc denique & ipse Guntrannus confugerat, metuens minas regis Chilperici: eo quod diceretur filium eius Teodebertum in bello superius memorato interemisse. Quapropter Chilpericus Ruccolenum quendam Turonos direxerat, qui eum exinde vi abstraheret. Ruccolenus Turonos veniens, beato pontifici tunc Gregorio mandauit, vt Guntrannum à Basilica sancta expelleret. Quod si agere differret, sciret eum cum valida manu venturum, & hæc impleturum. Sanctus autem Antistes respondit, *Hoc nunquam fuisse factum, nec à se vllo modo esse faciendum.* Interim miser dum domum Ecclesiæ, in qua hospitabatur, destruere non formidat, regio correptus morbo ad Basilicam sancti Martini defertur: vbi nil medelæ adeptus, non post multos dies est defunctus. Porro Merouecus ad sæpedictam veniens Ecclesiam, memorato Pontifice missas celebrante, petiit eum eulogias † sibi dare. Quo recusante, minatus est se quosdam de populo interimere, quoniam sine iudicio sacerdotum eum communione priuaret. Tunc pontifex eulogias quidem ei dedit, Regi vero per diaconum innotuit quæ acta fuerant. Regina itaque clamante, ipsum clericum exploratorem à Merouco missum: Rex eum in exilium relegauit,

Beatus Gregorius Turonensis episcopus. Vide eum lib. 5. c. 18.

† i. benedictionem.

direxit

direxit autem ad sacerdotem, vt inimicum suum de Ecclesia expelleret. Sed eo differente, Chilpericus exercitum commoueri præcepit. Quod audiens Merouecus, à Basilica egredi voluit. Leudastis vero Turonicus comes pueros eius, qui pro necessariis caussis in villam ierant, peremit. Quapropter Merouecus adnitente Guntranno, Marileffum medicum à Rege venientem tenuit: ablatoque auro ac argento quod ferebat, eum vtique occidisset, nisi ille ecclesiam expetisset. Interea dum de patre ac nouerca, Merouecus multa loqueretur facinora, quadam die Gregorium episcopum ad conuiuium inuitans, rogat aliquid ad ædificationem legi. Tunc Antistes arrepto Salomonis libro, hunc primum versiculum inuenit ac legit: *Oculum qui auersatur patrem, effodient eum corui de torrentibus.* Et hæc quidem ille non intellexit, Antistes vero miratus est, redargutionis sibi verba prima occurrisse.

Prouerb. 30.

De Guntranno Phytonissam consultante.

CAP. XXII.

POst hæc direxit Guntrannus ad mulierem Phytonissam, quæ ei aliquando non solum annum, sed & diem & horam qua Charibertus Rex obiret, prædixerat, vt eam super statu interrogaret suo. Cui illa hæc remisit mandata: *Hoc*, inquit, *anno Chilperico defuncto, Merouecus deuictis fratribus regnum accipiet, teque ducem constituet: quo munere quinquennio functus, septimo efficieris Episcopus.* Hoc ille episcopo Gregorio retulit: & ab eo hoc responsum accepit: *Ista magis à Deo quam à Diabolo exquiri debuissent.* Veruntamen Fredegundis, quæ occulte Guntranno fauebat propter mortem Theodeberti (non enim ex ea fuerat natus) misit ad eum, vt Meroueo suaderet egredi ab Ecclesia. ille præsto putans fore percussores, non distulit: sed nil ei nocuit. Demum Chilpericus per Diaconum, ad sepulchrum sancti Martini duas mittit chartulas: quarum vna continebat, vt sibi diuinitus in alia, quæ erat vacua, rescriberetur, si foret fas Guntrannum à templo extrahi. Diaconus triduo expectans, inanis à responso abscessit: sed Guntrannus venientibus regiis missis, pallam altaris cum sacramento fideiussorem dedit, iactanter pollicitus nunquam se inscio Rege templum egressurum.

De Meroueo oraculum à libris diuinis petente.

CAP. XXIII.

TAndem Merouecus, postpositis Phytonissæ responsis, per triduum vigilans, in diuinis hoc responsum libris accepit: in Regum quidem, *Eo quod*, inquit, *reliquistis Dominum Deum vestrum, tradidit vos Deus in manus inimicorum vestrorum*: in Psalterio autem, *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* In Euangelio vero: *Scitis quia post biduum pascha fiet, &c.* His ille visis flens, ad sancti Martini tumbam cum quingentis † & eo amplius viris, assumpto quoque Guntranno duce, discessit: & per Altissiodorensem vrbem Diuione castro veniens, exinde ad Remensem Campaniam transiit. Qui à Tarunensibus † in quadam villa circumuentus, & se capiendum fore intelligens, veritus ne si ad patrem duceretur, graues de se pœnas daret, Gailenum quendam familiarem rogauit, vt se gladio percuteret. A quo cultro per viscera traiectus interiit, Gailenus truncatis manibus ac pedibus, naribus simul & auribus, turpiter vitam finiuit.

Psal. 72. *Matth. 26.* *alias Sexcentis.* *alias, Taruanensibus.* *Merouei miser exitus.*

Post hæc Sanson, Chilperici filius, mortuus est: cuius funus cum nimia lamentatione idem Rex prosecutus est. Eo anno stella in medio Lunæ fulgens visa est.

Cometes visus.

De Guntranni Bosonis filiabus virtute patris liberatis suffragante diuo Martino

CAP. XXIV.

Guntrannus Boso.

QVidam potentissimus procerum Chilperici, Guntrannus Boso vno nomine sic dictus, relictis in ecclesia sancti Hilarii filiabus suis, ad Childebertum transiit. Anno vero tertio regni Childeberti Iunioris, qui erat Chilperici & Guntranni septimusdecimus, Guntrannus Boso filias suas Pictauis auferre volens, Dracolenum quendam sibi infestissimum, seque persequentem, vt à se auerteretur, precibus ac muneribus flectere nitebatur. Dracolenus, vt erat mente elatus, superbe respondit, asserens se funiculum, quo alios deceptos perdere solebat, paratum habere, vt eo Guntrannum inuolueret. Non tulit Guntrannus superbia iactantem, sed manus eleuans in cœlum, prodigia facientem inuocauit Dominum, & vt sibi per intercessionem beati Martini misereretur, orauit. Congressus contra aduersarium, fauces contumaciæ verba profantes conto transfodit, eleuatumque è sella equitatoria deiecit exanimem ad terram. Hoc euentu felici vsus, translatas a Pictauorum vrbe filias deduxit quo voluit.

Guntranni pulchrum facinus.

De Pictauorum Britonumque discordia

CAP. XXV.

Arbassini.

PIctauenses quoque & Bagasseni (qui nunc *Arbassini* dicuntur) coniuncti Andegauensibus, Warocum comitem Britonum repentino impetu opprimere moliebantur. Quorum præuenit insidias Warocus, circa medium noctis super eos irruens, & maximam ex eis stragem faciens. Tertia vero die cum ducibus Chilperici fœdus pepigit, dans filium suum obsidem, & quæ peruaserat reddens. Venetum quoque vrbem ea conditione refudit, vt si ex gratia Regis eam tenere mereretur, tributa quotannis soluere non moraretur: aliquanto autem interiecto tempore à fide desciscens, Eunium Veneticæ vrbis episcopum ad Regem dirigit, pro quibusdam causis responsa latutum. Quem Rex cum ira obiurgatum direxit in exilium.

Warocus Com. Briton.

De Chilperici in Prætextatum episcopum accusatione, & Prætextati purgatione

CAP. XXVI.

hod. S. Genouefa. Prætextatus episcopus Rothomagensis accusatur. Greg. Tur. 5.c.18.

HIs ita gestis, Chilpericus Rex congregato concilio Pontificum in ecclesia † sancti Petri Parrhisiacæ vrbis, Prætextatum Rothomagensem episcopum (cuius iam meminimus) exilio reuocatum, in eorum præsentia cum hac accusatione exhibuit, dicens: *Quamuis, venerandi Pontifices, regia potestas reum maiestatis, legibus condemnare possit: Ego tamen hunc, qui falsum sibi pastoris nomen vsurpat, coniurationis contra me factæ auctorem, sacris non contradicens canonibus, vestræ audientiæ repræsento.* Et conuersus ad Prætextatum Rothomagensem episcopum, *Vt quid,* ait, *ô Episcope, munera populo contra me in[illegible]asti salutem? Quave de causa filium meum Merouecum cum vxore patrui coniunxisti? Non ignorabas, quid de hac causa sacri sentiant Canones? Quare autem ita filium aduersus patrem armasti suum, vt ille pariter cum vita regnum vellet eripere meum?* Postquam vero Rex siluit, Franci, qui pre foribus stabant frementes, ostia Basilicæ effringere nitebantur, vt antistitem pœnis subderent. Sed Rex hæc fieri prohibens, Prætextato copiam purgandi tribuit. Cumque ille obiecta refelleret, quidam falsi testes surgentes calumniabantur, à Pontifice sibi munera data, vt Regem dolo perderent. Quibus Episcopus, *In hoc* (inquit) *veros*

vos

vos esse confirmo, quod muneratos vos à me esse fatemini? Quid enim vestris ditatus donis aliud agerem, nisi vt par pari referrem? Quod vero falso confingitis, me mala Regi machinatum esse, id omnibus modis falsum est. Hæc eo dicente Rex quidem in regiam se recepit: Episcopis autem in domo ecclesiæ residentibus, aduenicns Etius archidiaconus Parrhisiensis ita eos alloquitur: *Nunc* (inquiens) *est tempus, ô sanctissimi Sacerdotes, quo aut pro vestra magnanimi constantia glorificemini, aut pro detectione & contumelia fratris ac coëpiscopi vestri, contemptui in posterum, si tacueritis, habeamini.* Tunc cæteris tacentibus (eo quod metuerent Reginæ furorem, cuius instinctu ista gerebantur) & digitum ori suo superponentibus, Gregorius Turonorum antistes sic orsus est loqui: *Oportet nos, fratres charissimi, & maxime eos qui principis fruuntur familiaritate, salubria ei suggerere consilia: ne forte ira deuictus plus iusto in sacerdotem Domini commoueatur, & à Deo innocentium vltore grauius puniatur.* [Gregorii Turonensis sententia.] Illis quoque nec ad ista respondentibus, subiunxit antistes: *Cauenda nobis, sanctissimi patres, illa terribilis Domini comminatio est, quam per Prophetam prænunciauit: Si me, inquiens, dicente ad impium, Morte morieris, non annunciaueris ei, sanguinem eius de manu tua requiram.* [Ezech. 3.] *Nos itaque, qui speculatores in domo Dei sumus positi, non negligamus Regi pericula sua ostendere: &, si necesse sit, exemplis ad resipiscendum prouocetur: qualiter Maximus imperator, beatum Martinum impiis communicare compellens, imperio pulsus sit; vel Clodomirus, sacerdoti Auito non obaudiens, interierit.* [Sup. lib. 2. 4.] Cumque nec tunc quidem aliquis eorum responsa præbuisset: aliqui adulatoriæ artis Regi denunciauerunt: nullum ei pertinacius resistere quam Gregorium Turonicum: qui mox per quendam aulicum euocatus, stante Rege propter tabernaculum ramis tectum, Bertrannoq; Burdegalensi pontifice dextræ eius inhærente, sinistræ vero Ragnemodo Parrhisiaco, taliter Rex Episcopum allocutus est dicens: *Dic Domine Pontifex, qui iustitiæ tramitem cæteris seruas, mihi cur denegas? Sed (vt video) peruersis consentis, & impletur in te vulgare prouerbium, Quod coruus corui oculum non eruet.* Cui Sacerdos, *Mihi*, inquit, *ô Rex, æquitatem deserenti correptores erunt multi. Te autem delinquentem quis corripiet, nisi ille qui se prædicat peccaminum vindicem? Quapropter si nos, te de iustitia commonentes, audire contempseris, plus à Deo quam à nobis condemnaberis.* Ad hæc Rex: *Apud alios semper iustitiæ causam obtineo, apud te nunquam. Verum ego optimam inueni vltionis meæ materiam: persuaso nanque Turonico populo, vt clamet sibi à te æquitatis iura denegari, ego quoque proclamabo, me, qui etiam regia polleo dignitate, nil eorum quæ ipsi postulant, à te posse promereri. Et sic orto aduersum te populorum odio, tui isti nomine denotaberis.* E contra Pontifex respondit: *Siquidem sim iniustus, id Deo magis quam tibi notum est. Tu vero si nostra aspernaris monita, sacros sume canones, &, his saltem consentiens, iusta decerne.* Tum demum Rex animum antistitis, vt erat callidus, hoc modo mulcere cepit (erat autem coram eis mensa panisq; superpositus, cum diuersis ferculis) Ait ergo Rex ad Sacerdotem: *En* inquit, *ferculum tui gratia parauı, in quo nil aliud quā cicer, carnesq; continentur volatilium. Vtere nunc eo libens mecum.* Beato vero Gregorio respondente, quod cibus ei gratior esset, facere voluntatem patris sui qui in cœlis est, & a Rege petente, vt spponderet Rex, *nihil se contra canones acturum*, eleuatis Chilpericus manibus iurauit per viuentem in sæcula, se decreta sanctorum Patrum non transgressurum. In crastinum vero, aurora incipiente, legati Fredegundis reginæ ad hospitium memorati Pontificis venerunt, poscētes, & duas libras argenti pro munere offerentes, vt in deiectionem Prætextati consentiret cæteris Episcopis: dicebant enim, aliorum se voluntatem probatam habere. Illo itaq; recusante, & si sibi mille libræ darentur, nullo modo assentire velle se asserente, illisq; magis instantibus, tandem pollicitus est in decretis Canonum fratribus suis se assensum præbiturum. Tunc illis quę petebant se impetrasse putantibus, & gratias agendo recedentibus, aduenerunt quidam Sacerdotes similia petentes. Quibus Antistes eadem quæ prioribus reddidit responsa. Conuenientibus autem in concilium Episcopis, adueniens Chilpericus Rex ait illis, reperisse se in decretis Canonum, *Quod Episcopus furti obnoxius, sacris deberet priuari ordinibus:* Erat enim Rex literis eruditus. Cumque Pontifices quærerent, quis eorum furti insimularetur. Rex dixit: *num obliti estis, quanta vobis ostenderim, quæ Prætextatus mihi furto abstulit?* demonstrauerat namque Rex pridie varia ornamenta, quorum pretium ad tria millia æstimabantur solidorum, cum sacculo duobus milibus numismatibus aureis referto. Hæc omnia dicebat sibi ab Episcopo furata. Sed Prætextatus obiectis

facile se purgauit, hoc modo Regi responsa dans: *Excellentia tua, domine mi Rex, reminisci valet (si dignatur) Brunechildem Rothomago abeuntem plerasque sarcinas in diuersis speciebus mihi commendasse: & post aliquod tempus missis pueris eas à me repetisse. Cumque ego ex hac re, Domine Rex, tuam consuluissem voluntatem, præceptis obaudiens tuis, vnam eis sarcinam, eo quod amplius ferre non valerent, contradidi. Venientibus iterum hac tertio, ex tua iussione cætera reddidi: dicente magnificentia tua mihi, Vt à me ea reiicerem, ne pro his ira inter vos iterum repullularet, hæ duæ tantum sarcinæ apud me remanserunt. Nunc igitur cuius furti me arguis fore obnoxium?* Cui respondit Rex: *Si hæc ita se habeant, & custodiæ causa ista suscepisti, cur limbum aureis intextum filis exinde rapiens secuisti, & eum, pro nostri deiectione, his qui tibi placuit distribuisti?* Tunc sacerdos: *Ad ista iam*, inquit, *semel dixi, & nunc iterum dico, me non ob aliud illis ista largitum fuisse, nisi vt eorum muneribus mihi concessis parem referrem gratiam: vt vero, propriis deficientibus, ex commendatis aliqua præsumerem, confidentia ausum tribuit: eo quod Merouens, cuius illa coniugium expetiuerat, ex te carnaliter genitus, mihi in baptismo spiritualis est filius.* Animaduertens Chilpericus Prætextatum hoc modo non posse superari, relicto concilii loco, ac conuocatis quibusdam sibi adulantibus, ait illis: *Victum me verbis Episcopi fateor, & vera eum prosequi scio: sed vt Fredegundi reginæ satisfiat, ita hoc, ex vestra quasi persona consilium ei dantes, dicite: Scis quia Dominus noster Chilpericus Rex misericors est, & confessis cito ignoscit: Vade ergo & prosternere pedibus eius, confitereque te in eum peccasse, ac confestim indulget tibi.* Quibus iussa perficientibus, seductus est Prætextatus eorum dolis: qui se quoque pollicebantur pedes Regis deosculaturos, vt ei ignosceret. Sequenti die residentibus Episcopis in consilio, Chilpericus cum Prætextato iterato altercari cœpit, dicens: *Si munera pro muneribus retribuisti, sacramenta pro parte Meronei contra meam salutem cur exegisti?* Ad hæc Sacerdos respondit: *Notum feci celsitudini vestræ Meroueum me ex lauacro suscepisse salutari: Ideoque si facultas fuisset, etiam Angelum Domini in eius euocassem auxilium.* Quid plura? procedente longius altercatione, Prætextatus ad pedes Regis corruit, clamans; *Miserere, clementissime Rex, homicidæ, qui te regno pellere volui, & filium tuum tibi substituere.* Hæc eo loquente, prostratus & ipse Rex pedibus aliorum Sacerdotum qui in synodo residebant, aiebat: *Audite, sanctissimi sacerdotes, nefandissimum reum execrabile crimen confitentem.* Veruntamen pōtificibus à terra Regem eleuantibus, iussit rex Prætextatum ab Ecclesia egredi, ipse autem in regiam se recepit, mittens ad Synodum quosdam canones, quibus erat annexus quaternio nouus, continens hæc: *Episcopus in homicidio, vel cæteris criminalibus deprehensus peccatis, sacris priuetur ordinibus.* His lectis, dum Prętextatus staret stupens, ait illi Bertrannus Burdegalensis antistes: *Audi frater, & quidem coëpiscope, nisi Regis promerueris gratiam, nostra non poteris frui societate.* Post hæc rogauit Chilpericus pontifices, vt aut vestis Prætextati scinderetur, aut centesimus octauus Psalmus (qui maledictiones Iscariothicas continet) super eum recitaretur, vel certe in perpetuum communione priuaretur. Sed Pontificibus hoc agere recusantibus, & maxime Gregorio Turonensi * renitente, ab ecclesia Prætextatus pellitur, ac custodiæ traditur: de qua dum fugere noctu niteretur, comprehensus cæsusque, in insula quadam maris quæ ciuitati adiacet Constantiæ, in exilium relegatur.

Psal. 108.

Prætextatus episcopus in exilium mittitur.

** Greg. Tur lib. 5. c. 18.*

De Guntranni Burgundionum regis ad Childebertum oratione.

CAP. XXVIII.

PORRO Guntrannus Rex Burgundionum Childeberto regi Austrasiorum, nepoti suo, vt pacificus cum proceribus regni sui ad pontem, quem Petreum dicunt, sibi occurreret, mandauit. In cuius amplexibus diu immoratus, vniuersis audientibus sic est locutus. *Euenit, meis præpedientibus peccatis, vt ex me genitis carerē filiis. Vnde mihi proprii orbato hæredibus, necesse est quærere † extraneos, quibus partos relinquam thesauros. Optimum itaque iudicaui te, omni humana carne mihi carior nepos Childeberte, eligere, qui & mihi successor regni, & congregati esses possessor thesauri. Quapropter maneat, oro, quæ inter patrem & filium*

al. as, adoptare

filium debet manere dilectio. Vnus nos protegat clypeus: vna contra aduersantes tueatur hasta: & ab hodierno & deinceps talis inter nos charitas permaneat, vt si dante Deo filios procreauero, te tamen à iure non secernam hæreditario. His dictis, & proceribus Childeberti pro eo spondentibus; *alias respondentibus.* eo quod ipse puer adhuc esset, simul prandentes, & se muneribus honorantes ad sua sunt reuersi. Veruntamen legatos vtrique ad Chilpericum regem miserunt, denunciantes vt aut ea quæ de eorum regno peruaserat redderet, aut se ad belli certamina præpararet. Quod ille tunc quidem despectui habuit.

Quo tempore sinister populi rumor aduersus Salonium & Sagittarium episcopos surrexit. Hos sanctus Nicetius Lugdunensis antistes, enutritos, primum quidem diaconii, deinde sacerdotii eos gradibus insigniuit. Et Salonium quidem Ebreduni, Sagittarium vero apud Vapingum Episcopos instituit. Illi vero non velut Episcopi religioni operam dabant: sed tanquam Tyranni, homicidiis, rerum alienarum peruasionibus, adulteriis quoq; vacabant: & in tantum eorum excreuit malitia, vt super Victorem Trecassinum antistitem, natalitii sui diem festum agentem, cum cohorte irruentes militari, eius vestimenta scindentes, famulos cæsos fugantes, apparatum prandii omnem raperent, & ipsum cum hac contumelia solum relinquerent. *Salonii & Sagittarii episcoporum perfidia.* Qua causa ad aures Guntranni regis delata, ex eius iussu collecta est Synodus apud Lugdunũ, qua præsidente sancto Nicetio, hos conuictos à propriis expulit sedibus: *Synodus Lugd.* Vnde illi grauiter indignati, Regis gratiam sibi adquirentes, acceptis ab eo epistolis ad papam Romanum Ioannem profecti sunt. Cui persuadentes, se iniuste damnatos, scripta eius ad Regem detulerunt, iubentia vt suis restituerentur locis. Quos Rex verbis corripiens, ad proprias iussit vrbes redire. At illi cum Victore quidem pacem facientes, homines qui ei iniurias irrogauerant direxerunt, vt ipse de eis vlcisceretur. Qui dominici præcepti memor, non reddens mala pro malis, illæsos dimisit ad propria. Salonius denique & Sagittarius pessimis quotidie adiicientes peiora, in expeditonẽ quam Mummulus contra Longobardos egit pergentes, multa perpetrarunt homicidia: in ciues pari modo suo ita crudeliter sæuiebant, vt multos vsq; ad effusionem sanguinis cæderent. Quod vbi regi Guntranno nunciatum est, eos exhiberi præcepit: à præsentia tamen sua vsq; ad audientiam sustinere. Hoc Sagittarius adeo indigne tulit, vt de Rege indigna loquens, publice proclamaret, *filios Regis non fore regnaturos, eo quod mater eorum ex Magnacharii fuisset familia:* erant nanq; adhuc filii regis superstites. Propter hoc Rex ira commotus, equos eorum & cuncta quæ habebant abstulit, & ipsos in duobus monasteriis à se procul diuisis pœnitentiam agere instituit: mandans propriis iudicibus circum ea loca constitutis, vt eos cum summa armatorum cautela custodirent, ne forte elaberentur. Tunc forte seniore ex filiis Regis ægrotante, accedentes quidam familiarium eius ad eum, suaserunt vt præfatos Episcopos ad proprias iuberet regredi ecclesias: ne fortassis ob eorum damnationem ira Dei super domum incumberet principis. Cumque Rex petita non abnuisset, Salonius & Sagittarius regressi ad sua, tam eximios sanctæ religionis cultores se ostendebant, vt quotidie totum ex ordine Psalterium recitando, nunquam à psalmodia cessare viderentur. Qui tamen post paululum ad suum in tantum reuersi sunt vomitum, vt fornicationi & ebrietati inseruientes, dum Clerici matutinos psallerent hymnos, ipsi adhuc in conuiuio positi vina flagitarent. Incipiente autem aurora, circundati mollibus †, vsq; ad tertiam diei horam somnum *alias mulieribus.* capiebant. Cumque in talibus versarentur, Deum post terga ponentes, ipsi quoque à Deo postpositi iram eius incurrerunt: vt in sequentibus demonstrabimus.

De Chilperici in Eunodium cæterosque Childeberti fautores sæuitia: & de motu Britonum

CAP. XXIX.

His diebus Chilpericus Pictauam peruasit vrbem, fideles que nepotis sui, videlicet Childeberti regis, cum Eunodio duce ab eius sunt hominibus pulsi. Eunodi- *al. Ennodio.*

us itaq; in exilium truſus, facultatibus fiſco ſubactis, poſt annum patriæ & ſuis redditus eſt rebus. Daccho autem, Gadarici filius, relicto Chilperico dum vbique vagaretur, à Draccoleno duce, qui dicebatur induſtrius, fraude captus eſt, iurante ſibi quod non interficeretur. Cum vero eum ad regem perduxiſſet, egit vt interimeretur. Quod vbi Daccho in cuſtodia poſitus agnouit, confeſſus quidam presbytero peccata ſua pœnitentiam, neſciente Rege, petiit. Qua accepta interfectus eſt. Porro Draccolenus à Guntranno duce eo quo diximus † interfectus eſt modo.

Sup. c. 24.

Britanni Redonicam prouinciam vaſtant.

Britanni eo tempore grauiter regionem vaſtando Redonicam, ad vicum, qui dicitur Cornutus aduenerunt. Contra quos Bibolenus dux miſſus recedentes inſecutus eſt, Britanniamque ferro & igne depopulatur. Hoc adeo Britannos in maiorem commouit iracundiam, vt ſequenti anno non ſolum Redonicam, verum & Nanneticam infeſtarent prouinciam. Qui tamen legatis Felicis Nannetici epiſcopi emendationem polliciti, mendaces fuerunt.

De violatione templi Dionyſiani, & reparatione

CAP. XXX.

Templum S. Dionyſii ſanguine contaminatur.

ILlo tempore mulier quædam, à zelante viro apud Parrhiſios, quod adultera eſſet impetita, dum opem petiiſſet à ſuis parentibus, & illi, eam innocentem credentes, ſacramentum pro ea viro vel eius parentibus ſuper ſepulchrum ſancti Dionyſii feciſſent, ab eis quod periuraſſent redarguti ſunt. Et cauſa vſque ad iurgium prorumpente, cum propter nobilitatem eorum (erant enim primi in palatio Regis Chilperici) neutra pars alteri cederet, gladiis ſe inuicem percutiẽtes ſacram Baſilicam ſanguine polluerunt. Interea Eccleſia ſine officiis manente diuinis, dum hæc ad Regem delata fuiſſent, interminatus eſt nulli eorum prorſus fore beneuolum, donec Ragnemundi Parrhiſiaci antiſtitis, in cuius diœceſi hæc acta fuerant, reconciliatione veniam mererentur: quos Epiſcopus, facinus confitentes, pœnitentia indicta communioni reſtituit, Eccleſiamque reconciliauit.

De Nantini Engoliſmenſis morte formidanda

CAP. XXXI.

TVnc temporis Nantinus, Engoliſmenſis comes, huiuſmodi ex cauſa grauem diuinitus eſt paſſus mortis pœnam. Marachatius auunculus eius comitatu prædictæ vrbis diu potitus, ad clericatum accedens, poſt non multum tempus Epiſcopus eſt factus. Quem cum aduerſarii eius, immiſſo in capite piſſo † veneno, nefandiſſime necaſſent, non diu lætati ſunt. Nam Frontonius, † cuius conſilio hoc perpetratum eſt ſcelus, vno tantum anno poſt eum functus eſt epiſcopatu. Cumque ei Heraclius Burdegalenſis presbyter ſucceſſiſſet, Nantino, qui ob vlciſcendam auunculi mortẽ Comitatum à Rege emerat, grauiſſime increpabatur, quod auunculi ſui interfectores ſecum retineret. Quare in maius creſcente controuerſia, Comes villas eccleſiæ ab auunculo per teſtamentum relictas peruaſit: aſſerens, *Quod non deberet † ea tenere teſtamenta, quorum teſtator ab eius fuerat clericis interemptus.* Poſt hæc crudeliori exardeſcens iracundia, interfectis etiam quibuſdam laicis, vnum ex presbyteris lancea vulneratum, dum adhuc viueret ſuſpendi, ac ad confeſſionẽ criminis cogi iuſſit. Qui diu reuinctis poſt terga manibus pendẽs, fluente è patenti vulnere ſanguine innocentem edidit ſpiritum. Pro tantis igitur ſceleribus Nantinus ab Heraclio excommunicatus, conuenientes apud Santonas vrbem quoſdam ſacerdotum rogauit, vt pro ſe Antiſtitem interpellarent: pollicitus ſe res Eccleſiæ redditurum, & mala quæ commiſerat emendaturum. Antiſtes vero, rogantibus annuens fratribus, eum communioni reſtituit. Sed comes ad Engoliſmam reuerſus, domos quas peruaſerat deſtruxit: dicens *ſi hæc Eccleſia recipit, ſaltem deſerta inueniantur.* Epiſcopus ſane, his auditis, iterum communione

† ſpiſſo, vel poſſo veneno.
al. Frontinius.
alias deberet.
Teſtamenta internecina.
Nantini crudelitas.

eum

eum priuans vita decessit. Nantinus quoque à quibusdam Episcopis pecunia corruptis communioni redditus, in morbum incidit. Cum vero valida cruciaretur febre, clamabat, *Heu heu quæ tormenta ab Heraclio illata patior? Ipse me nunc cruciat: ipsius igne consumor: mortem peto, ne diu male vitam*, In his vocibus constitutus interiit. Audiant ista qui Sacerdotibus vel Deo seruire cupientibus, iniurias irrogant. Intelligant Deum esse vindicem iniuste oppressorum.

De Chilperici per Fredegundem in suos sæuitia

CAP. XXXII.

CHilpericus etiam Rex, suggerente Fredegunde regina, proscriptionibus grauissimis populum sibi subiectum atterere cœpit. Qua de causa multi è plebe natiuum relinquentes solum, maluerunt exules nouas quærere sedes, quam patrios incolendo fines iniusto ruere sub onere tributi. Inter cætera nanque quæ cogebantur soluere liberiori etiam orti progenie, è terra propria † culta labore, amphoram vini * regiæ inferebant mensæ. Marcus Referendarius huic muneri præpositus, vt cunctas Aquitaniæ vrbes quę ad regnum Chilperici respicere videbantur, ad hæc soluenda verbis vel minis inuitaret, à Lemouicinis seditione orta iugulatur: & tomum versusque quos secum ferebat, igne cremati sunt. Porro Chilpericus, dum pessimis quotidie adiiceret peiora, febre arripitur valida: à quo cum conualescit languore, paruulus eius filius nec dum baptisma consecutus ægrotare cœpit grauius. Qui baptismatis gratia imbutus, leuato paulisper incommodo, matrem nequiuit lætificare gaudio pleno. Nam fratrem eius Clodobertum, cui ætas prouectior, eo conualescente doluit similia incurrisse. Ita denique latens pestis in totam diffundebatur regiam prolem, ac si a visceribus transiens paternis, in filiorum membris hæreditariam videretur velle sibi vendicare sedem. Tandem Fredegundis, cuius toties dolor lacera torquebat præcordia, quoties semimortua natorum contemplabatur corpora, pristinæ feritatis oblita, humani induit compassionem animi. Audiensque Regem, huiusmodi apud eum habuit sermonem: *Beneficiis*, inquit, *diuinis nosmet, mi vir, benefactis respondere conuenit, quos superna non punit clementia, tanto tempore perseuerantes in malitia. Neque enim flagella omnipotentis Dei sustinuimus, quasi rei, sed in virga filiorum eruditi, Propheticum illud dictum in nobis sumus experti, Quia flagellat Dominus omnem filium quem recipit. Ecce, nos nanque & febribus, & variis sæpe vexati calamitatibus, insuper filiorum amplexus amittimus gratissimos, quos lachrymæ viduarum & orphanorum, à nobis iniuste oppressorum, morti reddidere proximos. Pæniteat nos tandem aliquando malorum quæ gessimus: & conuersi ad Dominum, placabilem eum super nostram imploremus esse malitiam. Neque enim, quamuis indignos, sibi supplices auersabitur, quia est misericors & miserator. Incendamus igitur iniquas descriptiones, & quas ad oppressionem constituimus pauperum, ad nostram nostrorumque deleamus salutem. Nihil est quod timeamus, si vere pæniteamus, quasi passuri grauia, qui pertulimus grauissima. Quid enim pati potest grauius, quam vt amittatur quod est carius? Quid vero nobis poterit esse dulcius, quam natorum affectus? quibus porro per tot annorum curricula partos reseruamus thesauros: si præmittimus hæredes, quos optaueramus fieri successores? Cauendum profecto est, ne illius Euangelici incurramus sententiam diuitis: qui innouando horrea & congregando multa, accepit responsum, se non visurum diem crastinum, nec suarum cogniturum hæredem rerum. Sed propitius iam potest esse qui vindicauit, & mitior quam si non vindicasset.* Huiusmodi orationem circunferens Fredegundis regina, transduxit Chilpericum regem à furore animi, atque intentionem eius adeo emolliuit, vt libellos, quibus nephanda continebatur lex, manu propria voracibus traderet flammis. Quibus peractis, iunior eorum filius diem obiit: cuius corpusculum in oratorio sanctorum Dionysii ac sociorum eius martyrum est humatum. Nec longum fluxerat tempus, alter quoque ex filiis superius nominatis, Clodobertus, morti cœpit esse proximus. Consternata mater, anxiis gemitibus languentis filii, ad Basilicam sancti Medardi Suessionos eum defert: vbi vterque parens votis aureis donis Sancti honorarunt sepulchrum. Sed adueniente nocte, æger vlti-

alias propria.

** hod. vocatur, le huictiesme.*

Amphora enim octaua pars modii Parisini.

Admonitio Fredegundis ad maritum.

Hebr. 12.

Luc. 12.

Filiorum Chilperici regis miserandus interitus.

mum exhalauit spiritum. Cuius funus præfatæ vrbis populus pulla veste circumamictus, cum maximo luctu ad ecclesiam sanctorum Crispini & Crispiniani est prosecutus. Quo in loco prædictus Regis filius tumulariam † est adeptus sepulturam. Sequenti abhinc anno alius ex filiis Chilperici, Theodoricus nomine, terminum sortitus est vitæ. Vnde Chilpericus diuinæ animaduersionis iudicium ceruici imminere suæ cognoscens, multa pauperibus Christi, seu ecclesiis, largitur donaria. Restiterat sane adhuc vnus è regia prole † quem Chilpericus custodiæ mancipatum, suggerente Fredegunde, custodibus legauit puniendum. Ita efferbuerat Chilpericus in malitia, vt non ei sufficeret generi eius imminens cœlestis vindicta, nisi eam augmentaret per sua facinora.

f. tumultuariam.

Chlodoueus inf. c. 42.

De inundatione aquarum: tempestate cœli: terræmotu & prodigiis multis

CAP. XXXIII.

ANno quinto Childeberti regis (qui fuit nonusdecimus Chilperici atque Guntranni) tantæ lues aquarum per vniuersas regiones factæ sunt Galliarum, vt flumina terminos, quos nunquam antea excesserant, prætergressa, pecora quidem exitio, ædificia vero quorumque locorum graui afficerent ruina. Quibus alueorum suorum metas repetentibus, pluuiisque cessantibus circa mensem, qui September dicitur, denuo arbores floruerunt.

Prodigia horrenda.

Tunc quoque fulgur per cœlum cucurrisse visum est: sonitusque tanquam ruentium arborum per totam pene terram auditus.

Burdegalensis ciuitas terræmotu concussa est: & de Pyrenæis montibus immensi lapides sunt euulsi, quibus immensa pecorum hominumque multitudo percussa interiit.

Vicus Burdegalensis incendio diuinitus orto, nulliusque hominis incitamentis augmentato, inflammatus, multos exussit, subito comprehendens domos & areas frugibus refertas.

Aurelianensis vrbs simili incendio vastata est.

Apud Carnotinum pagum de effracto pane sanguis effluxit.

In vrbe Pictaua lupus è syluis veniens per portam ingressus est: qua cum cæteris clausa, lupum ciues in media interemerunt vrbe. Cœlum quoque ardere visum est: & Liger fluuius plus solito excreuit.

Ventus Auster tam violens fuit, vt syluas prosterneret, domos vel sepes eueret, hominesque vsque ad internecionem volutaret. Cuius turbinis spatium, eo loci quo visus est cucurrisse tenuit in latitudinem iugera septem, licet longitudo quanta esset non posset æstimari. Sed hæc prodigia, grauia sunt subsecuta mala. Nam & discordia inter Reges orta, bella excitauit ciuilia: & dysenteriæ morbus totas prope occupauit Gallias. Qua peste Austrigildis regina Guntranno regi nupta laborans, querelam marito aduersus medicos detulit, quasi illorum negligentia erga se, ægritudo conualuisset. Iussu Guntranni diuersis pœnis medici interierunt: ipsaque post deficiens mortua est.

Austrigildis iniqua moditu.

De Legatis captis & remissis. De Maurelii episcopi laudabilis obitu: deque Gregorii Turonensis, pro fide catholica victoria

CAP. XXXIV.

QVibus diebus Chilpericus legatos Mirionis Galliciæ regis, qui Sueuis imperitabat, ad Guntrannum regem missos, apud Pictauem cepit, & Parisius in custo-

cuſtodia poſuit. Quos tamen poſt annum liberos ad propria remiſit. Maurilius quoque Caturcenſis pontifex, dum propter podagræ infirmitatem candens ferrum tibiis ſeu pedibus imponeret, languorem peſſimum incurrit. Quo ingraueſcente, dum multi epiſcopatum ambirent, ipſe Vrſicinum eligens, dum adhuc ſuperſtes eſſet, benedici fecit, ſicq; ab hoc ſæculo migrauit: fuit autem eleemoſynarius valde, ſcripturis in tantum eruditus diuinis, vt genealogias veteris teſtamenti plerumq; memoriter recenſeret. Pauperes eccleſiæ ſuæ erga iniquorum iudicum oppreſſionē ſuſtentabat, vt illud Iob Domino decantaret dicens: *Pater eram pauperum, & cauſam eorum diligentiſſime inueſtigabam.*

Maurilius episcopus. *Iob. cap. 29.*

Tunc & Gregorius Turonenſis, cum Egilano Leuuigildi Hiſpanorum regis Legato, quem ad Chilpericum miſerat, quia erat ipſe Egila Arrianus, de fide ſanctæ Trinitatis conflictum habuit: & eum mirabiliter ſuperauit. Qui quamuis negaſſet ſe aliquando fieri Catholicum, tamen infirmitate impulſus eſt ipſam amplecti religionem.

Greg. Tur. lib. 5. c. 43.

De Tyberii Conſtantini obitu & Mauritii in imperium ſucceſſione.

CAP. XXXV.

TYberius vero Conſtantinus poſtquam imperium VII. rexit annis, ſentiens diem ſuæ imminere vocationis, vna cum conſilio Auguſtæ Sophiæ Mauricium genere Cappadocem, virum ſtrenuum elegit ad imperium: ſuamq; filiam regalibus ornamentis ornatam ei tradidit, dicens: *Sit tibi imperium cum hac puella conceſſum: vtere eo feliciter: in mente habens, æquitatem ac iuſtitiam præcipua optimi Imperatoris eſſe inſignia.* Hæc poſtquam dixit, corpoream relinquens ſarcinam, ad æternam migrauit patriam: maximum ſui obitus populis ſibi ſubditis relinquens luctum. Fuit enim ſummæ bonitatis, in eleemoſynis promptus, in iudicando cautiſſimus. Nullum deſpiciens, omnes diligens, ipſe quoque eſt dilectus à cunctis. Quo defuncto, Mauricius purpura indutus, diademate redimitus, ad Circum proceſſit, & adclamatis ſibi laudibus, largitis populo (vt moris eſt) muneribus, primus ex Græcorum genere in imperium confirmatus eſt.

Mauritius Imp. *Inſignia boni imperatoris.*

De primo Langobardorum rege.

CAP. XXXVI.

AT vero Langobardi, cum per annos decem ſub poteſtate Ducum fuiſſent, tandem communi conſilio Flauium, Autharii ſupramemorati principis Clephonis filium, Regem ſibi ſtatuerunt. Cui ob reſtaurationem regni, duces qui tunc erant, mediam totius ſubſtantiæ ſuæ partem contribuerunt: vt eſſet vnde Rex ipſe ſiue qui ei obſequebantur, per diuerſa diſtributi officia, alerentur. Erat ſane hoc mirabile in gente Langobardorum, nulla erat violentia, nullæ ſtruebantur inſidiæ, vnuſquiſque quo libebat ſecurus ſine timore pergebat.

Langobardi denuo Regem eligunt.

De Mauritio imperatore Francos in Langobardos ſollicitante.

CAP. XXXVII.

HOc tempore Mauritius imperator Childeberto regi Francorum quinquaginta millia ſolidorum per legatos ſuos, ea vel maxime direxit gratia, vt cum exercitu ſupra Langobardos irrueret, eoſque Italia pelleret. Qui, nil moratus, cum innumera Francorum multitudine Italiam ſubito introiuit. Langobardi vero conferen-

dæ manus spem abiicientes, munimentis suarum se cōmisere vrbium: & intercurrentibus legatis, oblatisque muneribus, pactum cum Childeberto fecerunt. Quo ad Gallias remeante, cognito imperator Mauritius quod cum Longobardis fœdus iniisset, solidos, quos ei ob Langobardorum expulsionem dederat, repetere cepit. † At ille suarum virium potentia fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit.

Vide epistolam Mauricii, in hac editione fol. 209.

De persecutione catholicorum in Hispania

CAP. XXXVIII.

EXtitit in illis diebus apud Hispanias persecutio dira Catholicorum: quæ tali quadā ex causa a Gadsunda matre Brunichildis est excitata. Herminichildus†, Lemugildi regis filius, sororem Childeberti habebat vxorem. Qui videlicet Herminichildus prædicatione Leandri Hispalensis pontificis, atque adhortatione suæ coniugis, ab Arriana hæresi (qua pater suus languebat) ad catholicam fidem cōuersus fuerat. Gadsunda autem tentabat si posset Ingundam † suam neptem flectere, vt maritum qualicunque perderet morte. Sed cum id nequisset implere, suadet Regi vt filium cum vxore propria alterius ciuitatis iubeat incolere domicilia, dicens se offendi, eo quod alterius essent fidei. Cumque hac iniuria Herminichildus minime flecteretur ad neganda veræ fidei sacramenta, ipsius † pater eum sepsit custodia. Quem postmodum, in ipso sacro Paschali die, securi percussum interemit. Ingundis vero post mariti ac martyris funus ab Hispaniis fugiens, dum Galliæ repeteret genuina arua, in manus militum incidens, qui limitem Hispaniæ aduersus Gothos tuebantur, cum paruo filio capta atque in Siciliam ducta, vbi diem clausit extremum. Filius vero Constantinopolim imperatori Mauritio est directus. Captiuitate sororis Childebertus comperta, & de his quæ contra eam gesta fuerant certior factus, exercitum in Hispaniam traiecit, cum Gothis prælio conflixit, maximamque cladem eis inferens, victor exinde regressus est.

alias Herminigildus, Leuuigildi.

alias Ingundam.

alias, impius Idem habet P. Diac. 3. c. 21, Greg. M. 3. dialog c. 31.

Rursum Mauritius Augustus legatos ad Childebertum mittens, eum vt contra Langobardos exercitum dirigeret, orabat. Childebertus existimans suam adhuc germanam Constantinopoli degere, legatis Mauritii acquiescens, vt suam posset sororem recipere, iterum Francorum exercitum ad Italiam contra Langobardos direxit. Verum Langobardis aciem producere, atque aduersariis ire obuiam meditantibus, Franci ac Alemanni dissensionem inter se habentes, sine vllus lucri conquisitione, ad patriam remearunt.

De Ioanne, Benedicto, & Pelagio Romanis pontificibus. De Mummoli in Auenionem profugio. De Childeberti ad Chilpericum transitione. De Lupo Campanorum duce. De Chilperici in Petrogoricos expeditione. De Baudastis interitu. & de Hospitii reclusi sanctitate: & B. Martini Gallicensis transitu: & Comete, & portento cœlesti

CAP. XXXIX.

ROmanam porro ecclesiam post Ioannem, Benedictus suscepit regendam: post quem Pelagius absq; iussione Principis ordinatus est, eo quod Langobardi obsiderent Romam, nec posset quisquam a Roma progredi.

Mummolus Patricius a Guntranno rege desciscens, in Auennionem † castrum se contulit: vbi aduersus infectantes, armis sese defensare, aliisq; subsidiis munire parabat.

Mummolus. hod. Auignon.

Childebertus etiam, Guntranni pace relicta, Chilperico coniungitur: promittente

tente Chilperico, eo quod sine liberis esset, Childebertum regni sui facturum se hæredem. Cuius promissionis, vt in cæteris solitus erat, mendax apparuit.

Lupus dux Campaniensis ab Vrsione & Bertefrido in fugam actus, cum iam iamque aut capiendus, aut interficiendus cum suo exercitu foret, Brunichilde pro eo intercedente, ab imminenti periculo eripitur: præsidium † tamen eius supra memorati Duces direptioni tradiderunt. *Lupus dux Campaniæ.* *i. thesaurus ita & alibi.*

Chilpericus Desiderium ducem ad peruadendas Petrogoricum † & Agennum Aquitaniæ vrbes, cum instructis dirigit copiis. Qui fugato Regnoaldo † duce, prædictas vrbes inuasit, vxoremque Regnoaldi cunctis rebus expoliauit. *alias Petrogorium.* *alias Ragnoaldo.*

Baudastis dux cum maxima sui exercitus parte in Wasconia periit.

Fuit illo tempore reclusus quidam Dei seruus, Hospitius nomine, apud Nicensem vrbem, qui catenis super nudum corpus constrictus ferreis, desuper cilicio tegebatur. Cæteris quidem diebus purum panem & paucos dactylos edebat, in Quadragesima vero radicibus earum, quas eremus ferebat, herbarum alebatur. Per quem in terris solo adhuc corpore conuersantem, virtutes multas ad laudem & gloriam nominis sui Dominus ostendere est dignatus. *Hospitius reclusus.*

Ea tempestate B. Martinus Galliciensis migrauit ad Dominum. Hic Pannonia oriundus loca sancta in Oriente circumiens, abunde se illic literis imbuit: & per Galliciam reuertens, in Basilica quæ prima apud Hispanos in honore sancti Martini dedicata est, Pontifex ordinatus, triginta in hoc officio expleuit annos. *B. Martinus Galliciensis.*

Anno septimo Childeberti regis, qui fuit XXI. Chilperici atque Guntranni, stella Cometes visa est in die sancto paschæ.

Apud Suessionensem ciuitatem cœlum ardere visum est: in Parrhisiaco pago sanguis de nube fluens, vestimenta multorum hominum cruentauit. Valetudines variæ, ac mortalitas magna, eo anno Francorum attriuere gentem. *Ostenta mira.*

De Rodini ducis obitu & pietate

CAPVT XL.

TVnc quoque Rodinus dux mortuus est, verus eleemosynarius, bonitatis plenus, iuste se in cunctis agens, ac pauperes Christi diligens. Hic dum vna dierum mortuum sepelire vellet, propriis præcepit pueris monumentum quoddam aperire, vt in eo defunctum poneret. Quod illi cum maturato implessent, inuenerunt immensi ponderis thesaurum, solidorumque non contemnendum numerum, eleuatumque à terra detulerunt ante domini sui præsentiam. Ille vero donum cœleste intelligens, pauperibus cuncta (vt consueuerat) largitus, talentum sibi creditum ei à quo acceperat, duplicatum per manus retransmisit egenorum. Multa autem signa & prodigia eo anno in cœlo sunt visa.

De Chilperici in hæresim Sabellianam lapsu & resipiscentia

CAPVT XLI.

PEr idem tempus Chilpericus rex Sabellianam volens promulgare hæresim, scripsit Galliarum episcopis, vt Trinitate abiecta vnum tantum dicerent Deum: asserens, *eundem esse Patrem, qui Filius vel Spiritus sanctus est, & eundem Filium ac Spiritum sanctũ qui Pater est, nec diuisionem personarum in Deum vllo modo cadere.* Quod cum Gregorio Turonensi (qui tunc cæteros Episcopos sanctitate præibat) suadere conaretur, & tamen in hac ratione Hilarium atque Augustinum sibi contrarios fateretur, ait ad eum beatus Antistes: *Cauendum est, domine mi Rex, ne & ille irascatur tibi, cuius illi fuerunt famuli: qui (vt tu ipse fateris) in ista credulitate sunt contrarii.* Porro Rege cum fastu respondente, Quod sapientiores eo ex hoc forent interrogandi, Sacerdos dixit, *Non esse sapientem, quicunque aliter ex fide ac ipse sentiret.* Saluio autem Albigensi episcopo ad palatium venienti suadebat ei, vt sibi consentaneus existeret, lecta in auribus eius char- *Gregor. li. 5. c. 44.*

tula, in qua memoratam hæresim conscripserat. Quam ille in tantum beatus abhorruit, vt si in eius forte manibus deuenisset, in partes scissam minaretur igne cremare. Denique cernens Rex omnes sibi contraria sentire, ab illa quidem quieuit intentione. Addidit autem nostris literis ω, id est, omega, & tres alias, quarum characteres ab ipso inuentos cum propriis sonis hic subscripsimus, χ, ch: θ, th: φ, ph: directisque epistolis ad ciuitates sibi parentes, præcepit vt pueri in his docerentur: & libri pumice planati rescriberentur.

De Agricola & Dalmatio sanctis

CAPVT XLII.

Agricola episcopus Cabilonensis. Dalmatius episcopus Rutenensis. alias marmore variauit: musiuo depinxit.

His diebus Agricola Cabilonensis, & Dalmatius Rutenensis, viri in sanctitate præcipui, & pontificatum optime administrantes, è sæculo migrauerunt. E quibus Agricola, qui vtique in vita beati Germani Parrhisiorum præsulis memoratur, ecclesiam suæ ciuitatis columnis fulciuit † marmoreis, varietate musiui depinxit. Dalmatius vero suam sæpe destruendo, dum meliorare nititur, imperfectam reliquit.

De Leudastis comitis ob tyrannidem expulsione

CAPVT XLIII.

Greg. Tur. falso accusatur.

Leudastes sane Turonicus Comes eo tempore à comitatu submotus est, eo quod populum iniuste opprimeret, & Gregorio pontifici (cui frequenter sacramenta dederat, *Se nunquam nociturum*) iniurias irrogaret. Succedenteque Eunomio, Leudastis contra Episcopum felle commotus, quasi eius consilio ista sibi euenissent, ad Regem perrexit: accusans Gregorium, quod ciuitatem Turonicam regi Guntranno tradere vellet, & de Regina permulta loqueretur mala, affirmans eam cum Bertranno Burdegalensi Episcopo misceri. Habebat autem cooperatorem Riculfum clericum: qui contra magistrum multos est machinatus dolos. Rex itaque, pro his quæ de Regina dicta erant, synodum adunari præcepit. Conuenientibus ergo apud Britannicum villam Episcopis, & Bertranno iniuste sibi crimen impositum esse conquerente, Gregorius ex decreto fratrum, ter iusiurandum præbuit, se *id nunquam fuisse locutum*: & quāuis id contrarium auctoritatibus † viderent, ad satisfaciendum tamen Regi peractum est. Quamobrem adeuntes pontifices Regem dixerunt ei; *Frater & coepiscopus noster Gregorius sacramentis se innocentem ostendit. Quid nunc de te, vel eo qui Bertranno episcopo, fratri nostro calumniam influxit, agendum censes, nisi vt communione priuemini?* Quibus respondit Rex, à semetipso hæc non dixisse, Sed à Leudaste indicata narrasse. Quæsitum Leudasten nec inuentum (ipse enim sibi timens audientiam fugerat) Antistites excommunicauerunt eum, & absentibus ne eum in communionem reciperent scripserunt. Eo loci mirabilem patientiam Regis qui aderant mirati sunt: quia quamuis tale scelus de Regina diffamatum foret, quod ipsi quoque ignominiam generaret, nunquam tamen ita animo commotus est, vt quemlibet iniuste opprimeret: quod alias sane non consueuerat agere. Solummodo Leudastem, eo quod contra Episcopum falsum tulerat testimonium, excommunicatum ab omni suo iussit eliminari regno. Tūc Leudastis vniuersas suas res quæ ei per beneficium Regis concessæ fuerant, à ciuitate Turonica in Bituricensium † fines asportauit: & diu huc illucque oberrans, tandem post longum æui spacium reconciliatus Ecclesiæ & in gratiam receptus à Rege, dum moneretur à pontifice Gregorio, quatenus obseruaret se à Reginæ animo contra se turbato, paruipendens ammonitionem, dum illa in quadam oraret Ecclesia, ad pedes eius prouoluitur: à qua despectus, dum oratorium fuisset egressus, & quædam mercimonia emere vellet, vt muneribus sibi Reginam conciliaret, ab eius pueris circumuallatur: E quibus vnum gladio percutiens, à reliquis in fugam actus, in medio ponte Parrhisiacæ vrbis, pede inter duo ligna lapso tibiam sibi fregit. Vnde sublatus, & in vnam villam iussu Regis ad sanandum deportatus, à missis Reginæ inter duos vectes effra-

i. testimoniis

alias, Bituricum.

Pons Parisinus. Inf. c. 48.

effracto gutture, infelicem vitam finiuit. Hoc ergo exitu periit, qui vt crimē Episcopo suo obiiceret, multos in vincula coniecerat, quosdam etiam verberibus affecerat: nec in ipsis quoque sceleribus degenerabat. Nam de fiscalinis ortus seruis, primum culinæ deputatus est regiæ: sed quia lippis erat oculis, inde in pistrinum redigitur. Vbi dum inter fermentatas massas se delectari assimulat, fuga se seruitio subtraxit. Quum dum, sæpius reductus repetit, auris abscissione signatus est. Qui hanc iniuriam tegere non valens, ad vxorem Chariberti regis se contulit: cui adulationibus familiarissimus factus, custos equorum efficitur: inde comitatum super cæteros nactus custodes, post mortem Reginæ comitatum Turonicum a Chariberto percepit: de quo cum ignominia, quam præfati sumus, deiectus est. Riculfus vero clericus, qui contra Antistitem proprium falsus non dubitauit esse testis, præcipiente Rege tanta sustinuit flagella, vt etiamsi æreus foret, miraculum tamen spectantibus præberet tanta patiens tormenta. Verum a capitali supplicio, interuentu beati Gregorii, liberatus est: qui inter cruciatus & verbera hoc confessus est, ideo se talia de Regina adinuenisse, vt ea de regno eiecta, Clodoueus (qui solus ex filiis Chilperici superérat) a patre regnum suscipiens regnaret. Hic etenim Clodoueus ex alia vxore † Chilperici natus, post mortem filiorum Regis qui ex Fredegunde geniti erant, instigante ipsa Regina † apud Brenacum villam à patre manere iussus est, vt simili quo fratres morbo deperiret: nam apud eundem vicum dysenteriæ tunc sæuiebat pestis. Sed ille vbi mortis euasit discrimen, dolos persentiscens nouercæ, fastuose eam despiciens iactitabat, *se solum hæredem regni relictum*. Non defuere tamen qui delatoria contra eum vsi arte, non solum quæ ipse iniuriose loquebatur de Regina, verum & aliqua ad ipsam referrent mendacia: asserentes maleficio matris cuiusdam meretriculæ, quæ cum Clodoueo solita erat cubare, eius filios interisse. Regina hoc audito iracundia commota, puellam quidem cæsam ante hospitium Clodouei palo præcepit infigi. Matrem vero eius verberibus laceratam, vera fuisse quæ dicta erant, profiteri coëgit. Cum à Rege vltionem posceret, Rex venatum profectus, filium vt ad se veniret iussum alligari fecit, & Reginæ direxit. Quem illa sepsit in custodia, interrogans rei veritatem, vel qui ex principibus ei fauerent. Verum ille nihil criminum confessus, amicos suos seu familiares detexit. Illa eum post biduum trans Matronam in villam, Nocetum † nomine, duci, & ibi in custodia cultro interimi mandans, Regi per subintroductas insinuari fecit personas, quod ipse se interfecisset, & adhuc cultrum in loco vulneris persisteret. Quod Rex audiens, nullum pro morte filii concipiens luctum, eum ibidem sepeliri mandauit. Mater Clodouei crudeliter necata, soror à pueris Reginæ illusa in monasterium est detrusa. Mulier quæ contra eum locuta fuerat, vt viua vreretur adiudicata, dum mendacium dixisse frustra clamaret, ad stipitem ligata viuens exusta est. Thesaurarius Clodouei a Cupano stabuli comite de Biturico retractus, & Reginæ vinctus directus, ab ipsa, rogante pro eo beato Gregorio Turonico episcopo, vinculis ac pœnis absolutus est.

Leudastis exitus. — *Audouera sup. 3.4.6.* — *Sup. 6.32.* — *hod. Noysy.* — *Comes stabuli.*

De Chilperici spectaculis: de Saluii visione: & quæ eam secuta sunt

CAPVT XLIV.

PEr id tempus Chilpericus apud Suessionas & Parrhisios circos ædificari iubens, spectacula populis præbuit. Sane post memoratam Synodum, dum beatus Gregorius, ad propria rediturus, cum præfato Saluio familiare colloquium in atrio domus regiæ haberet, ait ad eum vir Domini Saluius: *Vides ne, ô frater, super tectum aulæ quæ ego cerno?* Cui cum ille responderet, se nil aliud quam tegulas, quas Rex nuper superponi iusserat, videre; rogaretque vt si ipse aliud quidlibet cerneret indicaret (æstimabat enim illum solito more iocari) ille iterato ad eum: *Conspicio*, inquit, *gladium iræ Dei super hanc dependentem domum.* Nec frustra hæc vaticinatus est. Nam post viginti dies duo filii Regis mortui sunt: de quibus paulo post dicemus. Ipse quoque archipræsul Gregorius vna noctium post matutinos hymnos, strato recubans, vidit Angelum

Visio Saluii. — *Visio Gregor.*

Dei super ecclesiam volantem, qui clara voce dicebat; *Heu heu, percußit Deus Chilpericum, & cunctos filios eius*: nec erit ex his qui nunc viuunt, vllus in regno eius successor: Tunc enim quatuor adhuc superstites erant. Hoc tempore Synodus apud Luddunum congregata, multos Episcoporum negligenter agentium coarguit.

De benedictione quam Iudæus respuit, Chilpericus expetiit: & de Eparchii reclusi obitu

CAPVT XLV.

INterea Chilpericus in villa Nouigentum nominata consistens, dum Parrhisios iter suum destinauisset, præfatum Gregorium antistitem rogabat, vt cuidam Iudæo, nomine Prisco, sibi familiarissimo manus imponeret. Sed reluctantem Iudæum, & *se non credere* reclamantem, insuper & fidei nostræ derogantem, opportuna satis disputatione beatus Pontifex redarguit. Cui Rex, *Quia, inquit, ô sancte sacerdos, perfidus benedictionem respuit, vtique & ipsa elongabitur ab eo. Ego vero tibi dico verbis Iacob, quibus ille contra se luctantem allocutus est Angelum; Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Pontifex igitur benedicens Regi, ac vna cum eo cibum accipiens, ad propria rediit.

Genes. 32.

Eo tempore obiit Eparchius † apud Engolismam reclusus, vir magnificæ sanctitatis: qui hominem, furti gratia patibulo suspensum, vitæ restituit.

vel. S. Cibar. Vita eius Tomo 4. Surii, 1. Iulii

De Theodoro Maßiliensi episcopo & Lupo ciue Turonensi: de eclipsi lunæ & prodigioso sanguinis fluxu: aliisque portentis

CAPVT XLVI.

alias, Dinamio.

IPsis diebus Theodorus Massiliæ episcopus à Dinanno † rectore prouinciæ comprehensus iniuste, & iniuriis affectus, dum inde liber ad Childebertum Regem properaret, iterum à Guntranno rege capitur. Cuius clerici odio eum habentes, hoc audito res ecclesiæ inuadunt, promptuaria spoliant: de ipso etiam pontifice crimina falso proloquuntur. Tunc Childebertus rex ad auunculum suum regem Guntrannum dirigit, Mandans partem Massiliæ, quam ei post obitum patris sui dederat, sibi reddi: sin aliter, sciret se eo plura amissurum. His Guntranno nequaquam assentiente, & insuper vias in regno suo custodiri iubente, ne quis fidelium nepotis sui Massiliam adiret, Childebertus Gundulfum senatorii generis virum, suum vero domesticum, Ducem creatum, memoratā direxit ad vrbem. Qui per Turonicam eo tendens ciuitatem, à beato Gregorio agnitus (quod matris eius esset auunculus) humanissime dieb. quinque apud ipsum est habitus, ac itineris necessariis sumptis est profectus. Cumq; à Dinanno † & clericis ipsi quidem introitus vrbis, episcopo vero Theodoro, qui iam custodia solutus se ei iunxerat, ingressus negaretur Ecclesiæ, tandem aliquando Dinanno suaserunt, vt in ecclesia beati Stephani, quæ muris vicina erat, eis collocuturus descenderet: quo dum venisset, ab ostiariis ipse solus receptus est, cæteris qui eum sequebantur exclusis, deductusque à Gundulfo ac antistite in salutatorium increpatur grauiter. Illis itaque qui cum eo venerant, & se non receptos indignabantur fugatis, Gundulfus seniores capi præcepit, volens eos ad vrbem deducere, vt illi portas aperirent. Interim Dinannus, agnoscens se captum teneri, ad pedes eorum ruit, pollicens se portas reseraturum, Regique simul & pontifici de reliquo fidem seruaturum. Sua igitur fide dimissus, Ducem pariter cum Pontifice, exultante omni populo, recepit in vrbē. Clerici sane, qui eo impulsore nequiter contra suum egerant pastorem, dum ad domū eius se contulissent, fideiussores dare compulsi sunt, vt regi Childeberto se præsentarent, Gundulfus autem recepta Massilia, & Episcopo suæ sedi restituto, ad Regem reuersus est. Dinannus autem spreta quam promiserat fide antistiti, ad Guntrannum regem

al. Dinamio

gem mittit qui dicerent, *Se quidem vrbem tradere velle, sed Theodorum obstare: nec illi ciues vllatenus parituros, nisi sacerdos alicubi traderetur in exilium.* Quibus verbis Rex irritatus, eum sibi vinctum exhiberi iussit. Sed cùm Antistes, sibi metuens, non facile egrederetur ab vrbe, euenit necessitas dedicandæ Basilicæ suburbanæ. Dum igitur eo properaret, ex insidiis subito aduersarii prorumpentes, clericos cæterosque obsequentes cæsos in fugam agunt, ipsumque equo proprio deiectum, vili imponentes iumento ad Regem deduxere. Cui Aquensem peruenienti ad vrbem, Pientius Episcopus clericos ac cætera viæ attribuit necessaria. Porro Rex eo discusso, dum immunem inuenisset à culpa, multis honoratum muneribus ad suam reuerti imperauit ecclesiam. Qui à plebe cum lætitia receptus, inuenit Ecclesiæ res suasque, a clericis peruasas. His quippe pro causis fœdus inter Guntrannum & Childebertum ruptum, discordiaque immensa acta est. Veruntamen Regibus hoc modo ab inuicem dissidentibus, Lupus quidam ciuis Turonicus vxore defuncta, dum clericatum expeteret, à fratre Ambrosio ne id faceret prohibitus est, pollicente coniugem se eius congruam generi illi prouisurum. Cui Rex dum studet dare operam, ab adultero, qui cum coniuge Ambrosii stupri rem habebat, vtrique perempti sunt. Dum vnus alterum Deo subtrahere, ac vitæ præsentis oblectamentis tradere nititur, & se & illum perdidit.

Aqua Sextia. *Lupus Turon.*

Hoc anno Luna eclipsim passa est: & intra territorium Turonicum verus de effracto pane sanguis effluxit. *Prodigia.*

In Syluanectensi pago hominis cuiusdam domus, cum ille mane surgeret, sanguine introrsum aspersa apparuit. Murus Suessionensis diuinitus subuersus est. Andegauis terræmotus factus est. Intra muros vrbis Burdegalensis ingressi lupi canes deuorauerunt: ignisque per cœlum cucurrisse visus est.

De Prisci Iudæi obstinatione & interitu

CAPVT XLVII.

EA tempestate Chilpericus rex, dum multos Iudæorum baptizari iussisset, & ipse eos ex sacro lauacro suscepisset, nullatenus Priscum familiarem suum (cuius supra† meminimus) verbis ad credendum conuertere poterat. Iubens ergo eum custodiæ mancipari, ab eo muneribus seducitur, vt daretur ei spacium filium suum Massilensi Hebrææ coniungendi, ac tum demum iussa compleret. Sed qui noluit confiteri Christum, non longo post tempore descendit ad infernum. Nam orto inter ipsum ac quendam Patrium †, ex Iudæo conuersum, iurgio, ab eo gladio percussus interiit.

Prisci Iudæi perfidia. *cap 44.* *alius Patriū. Priscus Iudæus interimitur.*

De Chilperici ob interfectum præsidium pontis Parrhisiensis in Guntrannum vltione

CAPVT XLVIII.

APud pontem Parrhisiacæ vrbis memoratus Princeps custodes posuerat, vt insidiatores de regno fratris sui Guntranni aduenientes arcerentur. Hos Asclepius, officio quondam ducis functus, nocte vna omnes interemit, pagumque ponti proximum depopulatus est. Quapropter Chilpericus cum exercitu super fratrem irruere volens, consiliis bonorum virorum monitus restitit, mittens fratri legatos, vt mala sibi illata corrigeret. Ille iustitiæ amator, prout monebatur, agere non distulit. Veruntamen Chilpericus his non contentus, aliquas à fratre ciuitates auferens, nouos eis Comites præfecit: præceptum dans, *Vt earum tributa suo inferrentur thesauro.*

De tabellariis Charterii episcopi deprehensis: & Theodorici ortu

CAPVT XLIX.

HIs diebus à Nunnichio comite Lemouicino duo detenti sunt homines, ex nomine Charterii Petrogorici antistitis literas ferentes: in quibus, inter alia quæ de Chilperico continebantur maledicta, hoc etiam legebatur, *Quod Episcopus quereretur se de Paradiso pulsum descendisse ad infernum*: vtique hoc volens intelligi, quod à regno Guntranni, in dominium deuenisset Chilperici. Quibus Regi pariter cum delatoribus directis præcipitur adduci Episcopus, de his rationem redditurus: sed cum non facile conuinceretur, ad propria illæsus regredi iubetur.

Denique post funera filiorum, Chilperico filius nascitur, quem sequenti anno Parrhisiis in Paschali festo baptizari fecit, Theodoricumque nominauit.

De legatione fæciali Childeberti ad Chilpericum

CAPVT L.

POrro Childebertus Ægidium Remensem archiepiscopum, cum aliis optimatibus, ad Chilpericum patruum suum, confirmandi fœderis quod inierant causa dirigit. Ex quibus Ægidius in hunc modum legationis retulit ordinem. *Pacem quam tecum, gloriose Rex, inclytus nepos tuus firmauit, petit omnino à te stabiliri. Fratris autem tui beneuolentia ideo vti nequit, quia partem eius ex Massilia iniuste retinet, neque transfugas reddere ei vult suos. Idcirco si, iunctis viribus vestris, vnanimes eius expugnationem adorsi fueritis, vltio debita, pro illatis iniuriis, ab eo facile exigi poterit.* Ad hæc ita respondit Rex. *Fratris* (inquit) *mei culpa tam est in aperto, vt difficile occultari queat. Nam si dulcissimus nepos meus animo malefacta eius recenseat (reliquis prætermissis) reperiet patrem suum fraude Guntranni interiisse. Quapropter & ego me spondeo adiutorem illi in vltionem paternæ futurum necis, quem amisi fratrem, magnæ si nunc viueret dilectionis.* Hæc dum Rex perorasset, datis obsidibus fœdus stabilitum est. Cõtinuo Chilpericus exercitum de regno suo commoueri præcepit, qui ciuitates fratri subditas obsidens, circumiacentes depopularetur agros. Tunc Berulfus, partium eius dux, cum Turonicis & Andegauis vna ex parte, Desyderius & Bladastis ex alio latere cum maxima multitudine, Bituricenses aggrediuntur. Quibus Rex hoc dedit mandati, vt capta vrbe sacramenta nomine exigerent suo. Sed Biturigi apud castrum Mediolanense, quod nunc *Magdunum* † dicitur, quindecim armatorum millia Desyderio duci opponentes, cum eo conflixere. Reliqui duces vrbem obsidione cinxerũt. Chilpericus vero, licet nondum exercitus Childeberti aduenisset, tamen quosdam de eius ducibus secum habens, vniuersas copias suas per Parrhisios transducens, vastando cuncta Milidunum † venit. Cui Guntrannus non dubitauit obuiam ire, in solo Deo spem habens: cuncumque hostium, præ cupiditate ab aliis segregatum, crepusculo noctis aggressus vltima labefactauit pernicie. In crastinum, intercurrentibus legatis, frater cum fratre paciscitur: pollicentibus vtrisque commissorum correctionem. Quippe Chilpericus, cum milites furto ac rapinis abstinere moneret, nec tamen obtemperarent, comitem Rothomagensem gladio percussit: sicque reliquos coercens, ad propria reduxit, cunctam prius restituens prædam, captiuosque relaxans. At illi qui Bituricos obsederant, accepto nuncio vt inde recederent, quæcunque oculi viderant, manus rapiebant, dum ad sua redirent.

† vulg. Meun.

† hod. Melun.

De vulgi in Ægidium episcopum seditione

CAPVT LI.

CHildebertus autem omnes militiæ suæ, quas aggregauerat, cohortes dum vno in loco detinet, murmur subito populi minoris aduersus duces & Ægidium episcopum nocte proxima infremuit, dicentis: *Tollantur à facie Regis, qui regnum eius inter se vēditant: qui vrbes eius alienæ subiiciunt ditioni.* Hæc dicentes, mane facto ad tentorium Regis properant armati, vt Ægidium interimerent pontificem. Quo cognito, Sacerdos ascenso equo cum paucis fugam arripuit. Cui tam veloces timor fugienti addidit alas, vt labentem tibia fasciolam colligere non curaret. Ea tamen causa illi fuit auxilio, quod aduersarii equos ad insequendum paratos non habebant: dumque illi moram in sequendo faciunt, ipse se intra vrbem Remorum contulit. Post hæc Guntrannus Childeberto nepoti suo, partem Massiliæ quam inuitò eo retinebat, reddidit. Chilpericus quoque pro obitu filii (quem ei natum supra † diximus fuisse) graui affectus mœrore, nuptias filiæ suæ, quam regi Hispaniæ per legatos tunc desponderat, in posterum distulit. *cap. 49.* Quapropter, missis veredariis, legatum qui in Hispaniam regrediebatur reuocauit, dicens ei; *luctu pro morte filii grauatus, nuptias in tempus quod constitui celebrare nequeo.* Verum legato insistente, voluit eo dirigere filiam †, quam ex Audouera susceperat, Deoque in monasterio Pictauensi tradiderat; sed à beata Radegunde prohibitus est. *Basinam. Greg. Tur. 9. c. 39.*

De Mummolo magiæ & veneficii insimulato

CAPVT LII.

DVm ista geruntur, relatio quorundam ad Fredegundem cucurrit reginam, dicentium puerum qui tunc defunctus erat, technis Mummoli sui præfecti, per quasdam mulierculas maleficiis & incantationibus vitam amisisse. Is Reginæ iamdudum erat infensus. Quæ talia de eo audiens, rapi meretrices ad supplicia † iubet: quæ se fatebantur carminibus multos interemisse innocentes, filiumque eius pro Mummoli donasse salute. *i. tormenta.* Tunc quidem Regina alias earum flammis tradidit, alias rotis innexuit. De Mummolo vero conquesta est apud Regem: quem Rex oneratum catenis adduci, trabeq; reuinctis post terga manibus suspendi præcipiens, quid maleficii nosset interrogabat. Sed nil se de morte filii Regis nosse dicens, hoc solummodo confessus est, quod potiones præcantationesque varias à memoratis accepisset mulierculis, ad promerendam Regis & Reginæ gratiam. Tandem depositus, mandauit Regi se nil sensisse pœnarum. Ille eum maleficum esse protestatus, loris durissimis flagellari, ac gladio percuti imperauit, pro cuius vita Regina, ægre licet, obtinuit: qui tamen non post multum dolore ipsorum tormentorum interiit. Regina autem assumens thesaurum pueri, vestes quidem omnes igne combussit, aurum vero fornace conflans terra obruit, ne quid esset quod ei filium ad memoriam reduceret.

De Clerici cuiusdam libidine, & ingratitudine detestanda

CAPVT LIII.

POrro Etherius Lexouiæ episcopus clericum quendam, propter puellam quandam quam seduxerat, morti destinatum, viginti redemit aureis. Cui profitenti, se doctorem fore literarum, scholam committit. Sed cum a parentibus puerorum, quos docebat, sæpe ad conuiuium vocaretur, vnius matrem concupiuit. Quod cum illa casta indicasset viro suo, & ille clericum ad supplicium quæreret, iterum a Pontifice liberatus pristino restituitur honori. Hic itaque iterum tantorum oblitus beneficiorum, dum vna dierum Pontifex ad agricultores exercitandi gratia exiisset, cum securi eum pone

ſequebatur. Conuerſus ſacerdos & videns eum, *Vt quid*, ait, *me cum hac proſequeris dolabra?* Tunc ille, eius prouolutus pedibus, veniam petiit, dicens: *Indulge, pater ſancte, reo facinus confitenti: Ab archidiacono nanque vt talia auderem impulſus, ter iam eleuatis ad te percutiendum manibus, ſubita tegebar caligine, validoque arripiebar tremore: at vbi depoſueram manus, confeſtim & viſus & vigor redibat priſtinus.* Quod vbi Antiſtes audiuit, Deo gratias agens illum hæc tacere iuſſit, ſeque ad domum contulit. Verum Archidiaconus perpendens per alium ſe non poſſe nocere Epiſcopo, per ſeipſum calumniam fingit: Aſſerens ſe vidiſſe mulierem à cubiculo Pontificis egredientem: ſtatimque cum iam dicto clerico irruens, Epiſcopum vinciri imperat. Alligatur Pontifex eius manibus, de cuius ſæpe brachiis vincula deiecerat, atque ab eo mancipatur cuſtodiæ, quem ſæpius cœnoſo eduxerat de carcere. Interea cernens Epiſcopus humanum ſibi deeſſe auxilium, precibus opem implorat diuinam. Itaque diuinitus ſolutis vinculis, cuſtodibuſque ſopitis, fugiens è cuſtodia ad Regem tranſiit Guntrannum. Tandem aduerſarii inuenta occaſione, regi Chilperico ſuggeſſerunt, illum proditorem regni eſſe. Verum populus pro paſtore mœſtus, direxit qui Regem pro reducendo eo exorarent. Chilpericus ergo miſit ad fratrem, vt pontificem ad ſuã dimitteret vrbem, dicens ſe nil offenſę in ipſo reperiſſe. Guntrannus autem multas Epiſcopo tribuens pecunias, ad propria eum remiſit, datis ad antiſtites regni ſui epiſtolis, vt illum muneribus honorarent, qui iter faciens tanta à fidelibus ſuſcepit munera, quanta vix ciuitati inferre ſuæ quiuit.

De Clotharii filii Chilperici ortu: partis Maßiliæ per Mummolum reſtitutione & Chilperici metu

CAPVT LIV.

Clotharius II.

IN illis diebus Chilperico denuo natus eſt filius, nomine Clotharius. Quapropter vniuerſos carceres in regno ſuo Chilpericus aperiri iuſſit, & diuerſorum reos criminum abſolui. Verum idem Rex Parrhiſios vrbem, contra pactum quod cum Francis inierat (ne ſcilicet iure dominantis aliquando in eam ingrederetur) violenter intrauit: ob quam rem portionem eiuſdem ciuitatis, quæ eum contingere videbatur, iuſte amiſit.

Mummolus partem Maſſiliæ quæ ad Guntrannum ac Childebertum competebat, à ſe peruaſam reddidit. Chilpericus, metuens Guntrannum & Childebertum contra ſe conſpiraſſe, apud Camaracum theſauros, omneque defenſionis ſuæ præſidium, conſtituens, exercitum ſæpe mouebat, & ac ſi ad prælium progreſſurus, in papilionibus reſidere faciebat.

De Innocentio Rotenorum, & Sulpitio Biturigum epiſcopis: deque Roſarum præmaturitate & arboribus biferis

CAPVT LV.

alias Ganalitanorum.

THeodoſio Rotenorum epiſcopo defuncto, Innocentius Ganalitanorum † comes, per decretum Brunichildis reginæ ſucceſſit.

Remigio quoque Biturigum præſule decedenti, Sulpitius à Guntranno rege ſubſtituitur: dicente præfato principe multis epiſcopatus competitoribus; *Non eſt* (inquit) *noſtræ conſuetudo manſuetudinis, eccleſias Chriſti pretio vendere: ne nos damnatione digni, & vos mago Simoni ſimiles videamini.* Et hoc quidem Rex dignum memoria protulit verbum.

Greg. Tur. 6 c. 33.

Roſa & fructus arborũ alieno tempore.

Hoc anno roſæ viſæ ſunt menſe Ianuario, & arbores quæ menſe Iulio fructus protulerant, iterum menſe Septembri alios protulerunt.

De Filiæ Chilperici regis per legatos desponsatione.

CAPVT LVI.

IN dicti mensis Septembris Calendis, Chilpericus filiam suam † Hispanorum regi, hoc ordine per legatos despondit. Veniens Parrhisios, Fiscalinorum multos à parentibus segregatos, cum filia Hispanias petere vi compellebat. E quibus aliqui vitam sibi laqueo extorserunt, ne à propinquis quoquam secederent. Multi etiam violentia illuc ire coacti, testamenta condiderunt, quasi in proximo vita carituri. Talisque tunc luctus Parrhisiacis erat incolis, qualis quondam fuit Ægyptiis interemptis primogenitis. E legatis sane Childeberti (quos ad Chilpericum direxerat, obtestans, ne de thesauris ciuitatum quas sibi præripuerant, vel de mancipiis, quicquam filiæ tribueret) vnum clam interemptum fuisse ferunt. Suspicio erat Chilpericum eius necis fuisse authorem: qui tamen per reliquos nepoti mandans, *nil se ex veteris præsumpturum*, multa ex suo filiæ largitus est. Quinetiam Regina tanta in auro, argento, variisque vestibus protulit munera, vt Rex existimaret se inopem relinqui. Cernens illa turbari propter hoc Regem, ad circunstantes Francos, ita vt Chilpericus audiret, sic locuta est: *Nullus* (inquit) *nostrum autumet, hæc regalium esse ornamenta thesaurorum. Quædam enim ipse princeps mihi dotis nomine contulit, quædam proprius labor adquisiuit, aliqua vestra munificentia tribuit*. Hac satisfactione suscepta, intentio Regis quieuit. Francorum quoque primores filiam Regis clarissimis ditauere donis. Tanta denique thesaurorum fuit copia, vt sex plaustra his onerata eam præcederent. Quæ digrediens ab vrbe Parrhisiorum, post oscula & lachrymas parentum, dum curru veheretur, in ipso portæ limine effracto vnius axe rotæ, ad terram corruit. Cui cum plurimi malam † optarent horam, populus hoc pro auspicio suscepit. Dum octauo denique ab vrbe miliario tentoria fixissent, quinquaginta viri, raptis centum equis cum eorum aureis faleris, ad Childebertum regem se contulerunt. Vnde metuens Chilpericus ne aliquæ insidiæ pararentur filiæ à nepote suo vel fratre, quatuor millia armatorum eius deputauit tuitioni, quibus Bobo & Wado duces præerant. Præcepit etiam vt de substantiis pauperum, necessaria eis in itinere subministrarentur: ne fisci reditus aliquo modo minuerentur. Hac igitur cum pompa, cumque vtriusque sexus multimoda familia, Hispanias petiit Chilperici regis filia: ii vero qui eam deducebant, cuncta per quæ ibant vastata linquebant.

Rigundem. Inf. c. 59.

vt Itali vulgo, Mal'huora.

De Fredegundis astu & illecebris, & Chilperici obitu ac moribus. Deque Aurelianorum cum Blesensibus in Dunensi expeditione.

CAPVT LVII.

ERat autem præfata Fredegundis forma egregia, consilio callida, dolis (excepta Brunichilde) parem non agnoscens: quæ addicto ad suas libidines Chilperico, ita mentem eius cupiditate sui obstruxerat, vt fœmineas vincere non præualens auiditates, quasi vile mancipium insolentiæ muliebri obsequeretur. Dum igitur impenso eam diligeret amore, quadam die, venatum profecturus, è regia in stabulum descēdit equorum: Regina vero æstimans Regem iam progressum, in interiori cubiculo caput proprium aquis parabat abluere. Rex ergo iterum in regiam regressus, cubiculum post illam intrauit, & eam, vt iacebat, super scamnum accliuem baculo in posterioribus ludens percussit. Illa autumans Landericum hoc fecisse (qui Comes tunc & Maior domus erat regiæ, consueueratque cum regina stupri habere consuetudinem) ait: *Vt quid Landerice talia facere præsumis?* Illico Rex, ac si amens effectus, vbi hæc audiuit in suspicionem deductus, indignatione nimia furens, animique impos, exiliit, fugiens turpis corruptelæ contagia. Nec furentem capiebat aula: itaque syluarum se-

Landericus Maior dom. Idem tangit Ado sub Anno 564.

creta petiit, vt venatibus intentus tantam animo conceptam leniret iracundiam. Cognoscēs vero Regina non æquo animo Regem verba tulisse sua, & periculum suæ imminere saluti, si eum opperiretur venturum, timorem abiicit, fœmineamque audaciam assumit: & mittens vocari iussit Landericum, cui & dixit: *Res capitis tui Landerice nunc agitur: plusque tibi de sepultura quam de lectulo, nisi caues, in proximo cogitandum erit.* Narrauitque ei cuncta quæ dicta seu gesta fuerant. Quibus agnitis, Landericus reputare secum scelera sua ipse cœpit, & conscientiæ stimulis exagitari: nullum fugæ locum, nec euadendi subsidium sibi relictum: circumuentum velut quibusdam retibus & captum teneri. Denique ingemiscens altius, *Væ* (inquit) *diei, quo in tantam cordis amaritudinem deueni: discrutior miser animo, & quid agam vel quo me vertam ignoro.* Cui Fredegundis, *Ausculta* (ait) *paucis: & quid ego te facere velim, & quid nobis profuturum sit, scies. Reuertente Rege de venatione (vt ei mos est) sub obscura nocte, immittantur homicidæ, qui præmiorum pollicitatione contemptum sumentes vitæ, lethali eum perfodiant vulnere: Quo facto, nos securi à mortis periculo, cum filio regnabimus Clothario.* Laudat Landericus consilium, & reuertentem de sylua Chilpericum, his qui cum eo venerant alio intentis, circumstantes qui missi fuerant, præcepto satisfaciunt, atque desilientem equo opprimunt, clamantes, *insidiatores à Childeberto rege Austrasio directos dominum suum interemisse, & se in pedes quantocyus syluam versus dedisse.* Quo audito, qui aderant arreptis equis, quos non videbant, insequi conati sunt. Quos cum minime inuenissent, ad propria sunt reuersi. Madalulfus Syluanectensis episcopus (qui iam tertia die in tentorio residebat, & Regi minime colloqui poterat propter fastum superbiæ, qua idem Rex tumebat) vt eum interfectum cognouit, aduenit, allatoque † eius corpore, & veste meliori circundato, naui imposuit: & à Calensi villa, vbi hæc acta fuerāt, Parrhisios deducens, in Basilica sancti Vincentii sepeliuit: quam ipse immunem ab omni ciuili negotio, tam in eundo, vel redeundo, vel negotia exercendo, per totas regni sui prouincias regali præcepto, tempore Abbatis Cubilionis †, effecerat: necnon & duas possessiones in pago Caturcensi sitas (quarum altera Ipiacus, altera autem Adiacus dicebatur) tempore Droctouei abbatis, per syngraphum ibi contulerat. Fuit vero Chilpericus gulæ deditus: cuius Deus venter erat. In cuius tempore pauci clerici ad episcopatum sunt promoti, ipso Neophytis Ecclesias contradente. Ipse namq; omnes sui temporis sapientes scientia se anteire existimans, composuit duos libros imitari Sedulium volēs: in quibus plurimi versus Scazontes erant: breues quoq; syllabas pro longis, longasque pro breuibus continebant. Cumque & alia opuscula, vel hymnos, siue missas componeret, quæ nulla poterant ratione suscipi, cum ipsis etiam memorati superius libri à memoria aboliti sunt hominu. Causas pauperum non facile ad se ingredi sinebat, Ecclesias seu monasteria hostili odio insectabatur, adeo vt plerunq; in palatio residens astantibus sibi diceret; *Ecce, diuitiæ nostræ ad Ecclesias transierunt: soli nunc Episcopi regnant: solis eis defertur honor.* Sacerdotes etiam domini sibi in fabulam verterat & in prouerbium. Quid autem plura de eius prauis recensemus moribus? Nullum denique vnquam perfecte dilexit: a nullo dilectus est. Hoc modo periit inuisus suis, nec amabilis extraneis.

Chilpericus rex perfidia vxoris Fredegundis interficitur. Sed aliter Greg. Tur. c. 6.46.

alias, ablato. *alias, blauo.* *Sup. 3. c. 2.* *alias Scubiliones.* *Hæc est nūc S. Germani à Pratis.* *Chilperici Regis vitia Greg. Tur. 6. c. vlt.*

Defuncto Chilperico, Aurelianenses iuncti Belesensibus expeditionem super Dunenses agentes, eos inopinate oppresserunt, res eorum mobiles auferentes, immobiles igne cremantes. Sed eis ad sua redeuntibus, Carnotini cum Dunensibus foederati similem per omnia vltionis inflixerunt plagam, par pari referentes, & cum in maius ira augmentaretur, interuenientibus vtriusque partis Comitibus pax facta est.

Expeditio Aurelianensis & Belesensis in Dunenses.

De Fredegundis & Thesaurariorum Chilperici profugiis

CAPVT LVIII.

INterea Fredegundis regina marito viduata, ad Basilicam Parrhisiacę vrbis in honore sanctæ Mariæ dicatam, cum Thesauris quos secum habebat, se conferens, a Ragnemodo suscipitur episcopo. Nam thesaurarii Chilperici regis cū thesauris apud Calam † vicum repertis, cumq; missorio aureo quem idem Rex magnis fabricarat impē-

Templum diuæ virginis apud Parrhisios. *hod. Chelles*

sis,

ſis, ad Childebertum regem ſe contulerunt. Porro eadem Regina prudenti conſilio vſa, ad Guntrannum regem legatos direxit: mandans, ſe cum filio †, quem ex Chilperico fratre ipſius ſuſceperat, in clientelam illi velle tradere. Guntrannus, de fratris interitu veris indiciis certior factus, Parrhiſios ſummo ſtudio contendit. Occurrit autem eis Fredegundis, & eum intra vrbem recepit. Poſt quem Childebertus adueniens, dum à ciuibus ingreſſus ei prohiberetur, ad patruum mittit, poſcens vt pactum quod dudum inierant, rectius firmaret. Verum memoratus princeps ipſos quidem legatos perfidiæ redarguit, quod eorum prauis conſiliis amicitia olim cum nepote iuncta dirempta foret: ſe vero cum eis fœdus non facturum reſpondit. His Childebertus ſibi nunciatis, iterum mandauit, vt ſe de regno Chariberti, quod ſibi debebatur, remoueret. Reſpondit ille, *Sibi magis deberi, qui frater defuncti erat: nec ſe vllo modo fraternam hæreditatem alteri ceſſurum.* Rurſum alios nuncios mittens Childebertus rogabat, vt Fredegundis ſibi ad ſupplicia traderetur, quæ patrem cum patruo maligno peremiſſet ingenio. Reſpondit ille, *In proximo placitum cum nepote ſe habiturum, ibique de his & ſimilibus tractaturum:* eoſque ei a quo directi fuerant remiſit: Occulte nanque Fredegundi videbatur patrocinari. Quam dum ſæpius ad conuiuium euocaret, vna dierum è medio prandio Regina ſurgens a Rege inuitabatur, vt aliquid cibi adhuc ſumeret. Sed illa (iuxta conſuetudinem mulierum) ſibi accidiſſe dicente, vt pro conceptu ſurgeret, Rex ammiratus eſt, ſciens nondum quartum præteriiſſe menſem ex quo alterum pepererat.

Clotharic. In hoc diſſentit Gre. Tur.

De Clotharii filii Chilperici per principes inauguratione, deque Guntranni plauſibili ad populum concione

CAPVT LIX.

PRincipes ſane Chilperici, è quibus Anſoaldus primus erat, acceptum filium eius Clotharium per ciuitates regni eius circunduxerunt: & ſacramenta ex nomine ipſius atque Guntranni ſuſceperunt. Guntrannus vero vniuerſos quos Chilpericus iniuſte oppreſſerat, releuans, Eccleſiis teſtamenta ab eo ablata reſtituit. Sed ſuſpectus, hominum inter quos venerat malitia, nuſquam niſi armis cuſtodibuſque vallatus progrediebatur. Vnde quadam die in Eccleſia facto ſilentio, circumſtantem populi multitudinem hac voce rogauit: *Obſecro* (inquiens) *vos qui adeſtis populi, vt firmiorem quam fratribus meis ante hoc non ſeruaſtis, mihi fidem cuſtodiatis, quatenus valeam cum quiete nepotes enutrire meos, voſque cum iuſtitia regere: ne forte (quod Deus auertat) me ante tempus ſublato, & ipſi careant nutritore, & vos rectore.* Cumque eius verba ammirans populus laudaſſet, Dominum pro eius rogabat ſalute.

Concio popularis.

De Rigundis detentione & dotis eius occupatione

CAPVT LX.

DVm hæc agerentur, Rigundis Chilperici regis filia (quam ad Hiſpanias miſſam fuiſſe diximus †) Tholoſam veniens, moras itineris ibi innectere cœpit. Sed perlato ad aures Deſyderii vrbis ducis de morte Chilperici nuncio, capta, ac theſauris omnibus ſpoliata, in Baſilicam ſanctæ Mariæ confugit. Cui Deſyderius arctum conſtituens victum, theſaurum ſigillo munitum, in quadam domo fortiſſimis tradidit viris cuſtodiendum, & ipſe ad Mummolum Auinione † reſidentem tranſiit.

ſup. c. 55.

alias Aureniene.

tula, in qua memoratam hæresim conscripserat. Quam ille in tantum beatus abhorruit, vt si in eius forte manibus deuenisset, in partes scissam minaretur igne cremare. Denique cernens Rex omnes sibi contraria sentire, ab illa quidem quieuit intentione. Addidit autem nostris literis ω, id est, omega, & tres alias, quarum characteres ab ipso inuentos cum propriis sonis hic subscripsimus, χ, ch: θ, th: φ, ph: directisque epistolis ad ciuitates sibi parentes, præcepit vt pueri in his docerentur: & libri pumice planati rescriberentur.

De Agricola & Dalmatio sanctis

CAPVT XLII.

Agricola episcopus Cabilonensis. Dalmatius episcopus Rutenensis.

alias marmore variauit: musiuo depinxit.

His diebus Agricola Cabilonensis, & Dalmatius Rutenensis, viri in sanctitate præcipui, & pontificatum optime administrantes, è sæculo migrauerunt. E quibus Agricola, qui vtique in vita beati Germani Parthisiorum præsulis memoratur, ecclesiam suæ ciuitatis columnis fulciuit † marmoreis, varietate musiui depinxit. Dalmatius vero suam sæpe destruendo, dum meliorare nititur, imperfectam reliquit.

De Leudastis comitis ob tyrannidem expulsione

CAPVT XLIII.

Greg. Tur. falso accusatur.

h. testimoniis

Leudastis sane Turonicus Comes eo tempore à comitatu submotus est, eo quod populum iniuste opprimeret, & Gregorio pontifici (cui frequenter sacramenta dederat, *Se nunquam nociturum*) iniurias irrogaret. Succedenteque Eunomio, Leudastis contra Episcopum felle commotus, quasi eius consilio ista sibi euenissent, ad Regem perrexit: accusans Gregorium, quod ciuitatem Turonicam regi Guntranno tradere vellet, & de Regina permulta loqueretur mala, affirmans eam cum Bertranno Burdegalensi Episcopo misceri. Habebat autem cooperatorem Riculfum clericum: qui contra magistrum multos est machinatus dolos. Rex itaque, pro his quæ de Regina dicta erant, synodum adunari præcepit. Conuenientibus ergo apud Britannicum villam Episcopis, & Bertranno iniuste sibi crimen impositum esse conquerente, Gregorius ex decreto fratrum, ter iusiurandum præbuit, *se id nunquam fuisse locutum*: & quãuis id contrarium auctoritatibus † viderent, ad satisfaciendum tamen Regi peractum est. Quamobrem adeuntes pontifices Regem dixerunt ei; *Frater & coepiscopus noster Gregorius sacramentis se innocentem ostendit. Quid nunc de te, vel eo qui Bertranno episcopo, fratri nostro calumniam inflixit, agendum censes, nisi vt communione priuemus?* Quibus respondit Rex, à semetipso hæc non dixisse, Sed a Leudaste indicata narrasse. Quæsitum Leudasten nec inuentum (ipse enim sibi timens audientiam fugerat) Antistites excommunicauerunt eum, & absentibus ne eum in communionem reciperent scripserunt. Eo loci mirabilem patientiam Regis qui aderant mirati sunt: quia quamuis tale scelus de Regina diffamatum foret, quod ipsi quoque ignominiam generaret, nunquam tamen ita animo commotus est, vt quemlibet iniuste opprimeret: quod alias sane non consueuerat agere. Solummodo Leudastem, eo quod contra Episcopum falsum tulerat testimonium, excommunicatum ab omni suo iussit eliminari regno. Tũc Leudastis vniuersas suas res quæ ei per beneficium Regis concessæ fuerant, a ciuitate Turonica in Bituricensium † fines asportauit. & diu huc illucque oberrans, tandem post longum æui spacium reconciliatus Ecclesiæ & in gratiam receptus à Rege, dum moneretur à pontifice Gregorio, quatenus obseruaret se à Reginæ animo contra se turbato, paruipendens ammonitionem, dum illa in quadam oraret Ecclesia, ad pedes eius prouoluitur: à qua despectus, dum oratorium fuisset egressus, & quædam mercimonia emere vellet, vt muneribus sibi Reginam conciliaret, ab eius pueris circumuallatur: E quibus vnum gladio percutiens, à reliquis in fugam actus, in medio ponte Parrhisiacæ vrbis, pede inter duo ligna lapso tibiam sibi fregit. Vnde sublatus, & in vnam villam iussu Regis ad sanandum deportatus, à missis Reginæ inter duos vectes

alias, Bituricum.

Pons Parisinus.

Inf. c. 48.

effra-

effracto gutture, infelicem vitam finiuit. Hoc ergo exitu periit, qui vt crimē Episcopo suo obiiceret, multos in vincula coniecerat, quosdam etiam verberibus affecerat: nec in ipsis quoque sceleribus degenerabat. Nam de fiscalinis ortus seruis, primum culinæ deputatus est regiæ: sed quia lippis erat oculis, inde in pistrinum redigitur. Vbi dum inter fermentatas massas se delectari assimulat, fuga se seruitio subtraxit. Quem dum, sæpius reductus reperit, auris abscissione signatus est. Qui hanc iniuriam tegere non valens, ad vxorem Chariberti regis se contulit: cui adulationibus familiarissimus factus, custos equorum efficitur: inde comitatum super cæteros nactus custodes, post mortem Reginæ comitatum Turonicum à Chariberto percepit: de quo cum ignominia, quam præfati sumus, deiectus est. Riculfus vero clericus, qui contra Antistitem proprium falsus non dubitauit esse testis, præcipiente Rege tanta sustinuit flagella, vt etiamsi æreus foret, miraculum tamen spectantibus præberet tanta patiens tormenta. Verum à capitali supplicio, interuentu beati Gregorii, liberatus est: qui inter cruciatus & verbera hoc confessus est, ideo se talia de Regina adinuenisse, vt ea de regno eiecta, Clodoueus (qui solus ex filiis Chilperici superarat) à patre regnum suscipiens regnaret. Hic etenim Clodoueus ex alia vxore † Chilperici natus, post mortem filiorum Regis qui ex Fredegunde geniti erant, instigante ipsa Regina † apud Brenacum villam à patre manere iussus est, vt simili quo fratres morbo deperiret: nam apud eundem vicum dysenteriæ tunc sæuiebat pestis. Sed ille vbi mortis euasit discrimen, dolos persentiscens nouercæ, fastuose eam despiciens iactitabat, *se solum hæredem regni relictum.* Non defuere tamen qui delatoria contra eum vsi arte, non solum quæ ipse iniuriose loquebatur de Regina, verum & aliqua ad ipsam referrent mendacia: asserentes maleficio matris cuiusdam meretriculæ, quæ cum Clodoueo solita erat cubare, eius filios interisse. Regina hoc audito iracundia commota, puellam quidem cæsam ante hospitium Clodouei palo præcepit infigi. Matrem vero eius verberibus laceratam, vera fuisse quæ dicta erant, profiteri coëgit. Cum à Rege vltionem posceret, Rex venatum profectus, filium vt ad se veniret iussum alligari fecit, & Reginæ direxit. Quem illa sepsit in custodia, interrogans rei veritatem, vel qui ex principibus ei fauerent. Verum ille nihil criminum confessus, amicos suos seu familiares detexit. Illa eum post biduum trans Matronam in villam, Nocetum † nomine, duci, & ibi in custodia cultro interimi mandans, Regi per subintroductas insinuari fecit personas, quod ipse se interfecisset, & adhuc cultrum in loco vulneris persisteret. Quod Rex audiens, nullum pro morte filii concipiens luctum, eum ibidem sepeliri mandauit. Mater Clodouei crudeliter necata, soror à pueris Reginæ illusa in monasterium est detrusa. Mulier quæ contra eum locuta fuerat, vt viua vreretur adiudicata, dum mendacium dixisse frustra clamaret, ad stipitem ligata viuens exusta est. Thesaurarius Clodouei à Cupano stabuli comite de Biturico retractus, & Reginæ vinctus directus, ab ipsa, rogante pro eo beato Gregorio Turonico episcopo, vinculis ac pœnis absolutus est.

Leudastis exitus.

Audouera Sup.3.c.6.

Sup.c.32.

hod. Noysy.

Comes stabuli.

De Chilperici spectaculis: de Saluii visione: & quæ eam secuta sunt

CAPVT XLIV.

PEr id tempus Chilpericus apud Suessionas & Parrhisios circos ædificari iubens, spectacula populis præbuit. Sane post memoratam Synodum, dum beatus Gregorius, ad propria rediturus, cum præfato Saluio familiare colloquium in atrio domus regiæ haberet, ait ad eum vir Domini Saluius: *Vides ne, ô frater, super tectum aulæ quæ ego cerno?* Cui cum ille responderet, se nil aliud quam tegulas, quas Rex nuper superponi iusserat, videre; rogaretque vt si ipse aliud quidlibet cerneret indicaret (æstimabat enim illum solito more iocari) ille iterato ad eum: *Conspicio*, inquit, *gladium iræ Dei super hanc dependentem domum.* Nec frustra hæc vaticinatus est. Nam post viginti dies duo filii Regis mortui sunt: de quibus paulo post dicemus. Ipse quoque archipræsul Gregorius vna noctium post matutinos hymnos, strato recubans, vidit Angelum

Visio Saluii.

Visio Gregor.

Dei super ecclesiam volantem, qui clara voce dicebat; *Heu heu, percussit Deus Chilpericum, & cunctos filios eius*: nec erit ex his qui nunc viuunt, vllus in regno eius successor: Tunc enim quatuor adhuc superstites erant. Hoc tempore Synodus apud Luddunum congregata, multos Episcoporum negligenter agentium coarguit.

De benedictione quam Iudæus respuit, Chilpericus expetiit: & de Eparchii reclusi obitu

CAPVT XLV.

INterea Chilpericus in villa Nouigentum nominata consistens, dum Parrhisios iter suum destinauisset, præfatum Gregorium antistitem rogabat, vt cuidam Iudæo, nomine Prisco, sibi familiarissimo manus imponeret. Sed reluctantem Iudæum, & *se non credere* reclamantem, insuper & fidei nostræ derogantem, opportuna satis disputatione beatus Pontifex redarguit. Cui Rex, *Quia*, inquit, *ô sancte sacerdos, perfidus benedictionem respuit, vtique & ipsa elongabitur ab eo. Ego vero tibi dico verbis Iacob, quibus ille contra se luctantem allocutus est Angelum; Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Pontifex igitur benedicens Regi, ac vna cum eo cibum accipiens, ad propria rediit.

Genes. 32.

Eo tempore obiit Eparchius † apud Engolismam reclusus, vir magnificæ sanctitatis: qui hominem, furti gratia patibulo suspensum, vitæ restituit.

† vel. S. Cibar. Vita eius Tomo 4. Surii, 1. Iulii

De Theodoro Massiliensi episcopo & Lupo ciue Turonensi: de eclipsi lunæ & prodigioso sanguinis fluxu: aliisque portentis

CAPVT XLVI.

IPsis diebus Theodorus Massiliæ episcopus à Dinanno † rectore prouinciæ comprehensus iniu[illegible] affectus, dum inde liber ad Childebertum Regem [illegible] peraret, [illegible] rerum à [illegible] rege capitur. Cuius clerici odio eum habentes, h[illegible] di[illegible] ecclesiæ [illegible] spoliant: de ipso etiam pontifice crimin[illegible] fo[illegible] ntur. [illegible] rex ad auunculum suum regem Gun[illegible] d[illegible] odam [illegible], quam ei post obitum patris sui dederat, sibi [illegible] ret se [illegible] rum. Hic Guntramno nequaquam assent[illegible] te [illegible] in regno [illegible] iubente, [illegible] fidelium nepotis sui Ma[illegible] bertus [illegible] virum, suum vero dome[illegible] um, memo[illegible] ad urbem. Qui per Turonicam eo tendens [illegible] à beato Gregorio ag[illegible] matris eius esset auunculus) humanissime [illegible] que apud ipsum est [illegible] itineris [illegible] sumptis est profectus. C[illegible] nan[illegible] † & clericis [illegible] quidem intr[illegible], episcopo vero Theodoro, [illegible] stodia [illegible] lutus se [illegible], ingressis [illegible] Ecclesiæ, tandem aliq[illegible] D[illegible] n[illegible] unt, vt [illegible] vicina erat, eis c[illegible] fo[illegible] quo [illegible] receptus est, cæteris [illegible] h[illegible] salutatorium [illegible] u[illegible] qu[illegible] os indignabant[illegible] Gundo[illegible] fautores [illegible] ducere, vt illi p[illegible] [illegible] ad pedes eorum ruit, p[illegible] rum, R[illegible] reliquo fidem seruaturum [illegible] fi[illegible] us, Duc[illegible] exultante omni populo [illegible] in[illegible] Clerici sane, qui eo [illegible] egerant pastorem, [illegible] eius se contulissent, [illegible], vt regi Childeberto [illegible] rent, Gundulfus [illegible] ta Massilia, & Episcopo [illegible] restituto, ad R[illegible] uersus est. Dinannus autem spreta quam promiserat fide antistiti, ad Guntramnum regem

† alias, Dinamio.

† al. Dinamio

gem mittit qui dicerent, *Se quidem vrbem tradere velle, sed Theodorum obstare: nec illi ciues vllatenus parituros, nisi sacerdos alicubi traderetur in exilium.* Quibus verbis Rex irritatus, cum sibi vinctum exhiberi iussit. Sed cum Antistes, sibi metuens, non facile egrederetur ab vrbe, euenit necessitas dedicandæ Basilicæ suburbanæ. Dum igitur eo properaret, ex insidiis subito aduersarii prorumpentes, clericos cæterosque obsequentes cæsos in fugam agunt, ipsumque equo proprio deiectum, vili imponentes iumento ad Regem deduxere. Cui Aquensem peruenienti ad vrbem, Pientius Episcopus clericos ac cætera viæ attribuit necessaria. Porro Rex eo discusso, dum immunem inuenisset à culpa, multis honoratum muneribus ad suam reuerti imperauit ecclesiam. Qui à plebe cum lætitia receptus, inuenit Ecclesiæ res suasque, à clericis peruasas. His quippe pro causis fœdus inter Guntrannum & Childebertum ruptum, discordiaque immensa acta est. Veruntamen Regibus hoc modo ab inuicem diffidentibus, Lupus quidam ciuis Turonicus vxore defuncta, dum clericatum expeteret, à fratre Ambrosio ne id faceret prohibitus est, pollicente coniugem se eius congruam generi illi prouisurum. Cui Rex dum studet dare operam, ab adultero, qui cum coniuge Ambrosii stupri rem habebat, vtrique perempti sunt. Dum vnus alterum Deo subtrahere, ac vitæ præsentis oblectamentis tradere nititur, & se & illum perdidit.

Aqua Sextia. *Lupus Turon.*

Hoc anno Luna eclipsim passa est: & intra territorium Turonicum verus de effracto pane sanguis effluxit.

Prodigia.

In Syluanectensi pago hominis cuiusdam domus, cum ille mane surgeret, sanguine introrsum aspersa apparuit. Murus Suessionensis diuinitus subuersus est. Andegauis terræmotus factus est. Intra muros vrbis Burdegalensis ingressi lupi canes deuorauerunt: ignisque per cœlum cucurrisse visus est.

De Prisci Iudæi obstinatione & interitu

CAPVT XLVII.

EA tempestate Chilpericus rex, dum multos Iudæorum baptizari iussisset, & ipse eos ex sacro lauacro suscepisset, nullatenus Priscum familiarem suum (cuius supra† meminimus) verbis ad credendum conuertere poterat. Iubens ergo eum custodiæ mancipari, ab eo muneribus seducitur, vt daretur ei spacium filium suum Massilensi Hebrææ coniungendi, ac tum demum iussa compleret. Sed qui noluit confiteri Christum, non longo post tempore descendit ad infernum. Nam orto inter ipsum ac quendam Patrium †, ex Iudæo conuersum, iurgio, ab eo gladio percussus interiit.

Prisci Iudæi perfidia. *† cap 44.* *† alias Patrin. Priscus Iudæus interimitur.*

De Chilperici ob interfectum præsidium pontis Parrhisiensis in Guntrannum vltione

CAPVT XLVIII.

APud pontem Parrhisiacæ vrbis memoratus Princeps custodes posuerat, vt insidiatores de regno fratris sui Guntranni aduenientes arcerentur. Hos Asclepius, officio quondam ducis functus, nocte vna omnes interemit, pagumque ponti proximum depopulatus est. Quapropter Chilpericus cum exercitu super fratrem irruere volens, consiliis bonorum virorum monitus restitit, mittens fratri legatos, vt mala sibi illata corrigeret. Ille iustitiæ amator, prout monebatur, agere non distulit. Veruntamen Chilpericus his non contentus, aliquas à fratre ciuitates auferens, nouos eis Comites præfecit: præceptum dans, *Vt earum tributa suo inferrentur thesauro.*

De tabellariis Charterii epiſcopi deprehenſis: & Theodorici ortu

CAPVT XLIX.

HIs diebus à Nunnichio comite Lemouicino duo detenti ſunt homines, ex nomine Charterii Petrogorici antiſtitis literas ferentes: in quibus, inter alia quæ de Chilperico continebantur maledicta, hoc etiam legebatur, *Quod Epiſcopus quereretur ſe de Paradiſo pulſum deſcendiſſe ad infernum*: vtique hoc volens intelligi, quod à regno Guntranni, in dominium deueniſſet Chilperici. Quibus Regi pariter cum delatoribus directis præcipitur adduci Epiſcopus, de his rationem redditurus: ſed cum non facile conuinceretur, ad propria illæſus regredi iubetur.

Denique poſt funera filiorum, Chilperico filius naſcitur, quem ſequenti anno Parrhiſiis in Paſchali feſto baptizari fecit, Theodoricumque nominauit.

De legatione fœciali Childeberti ad Chilpericum

CAPVT L.

POrro Childebertus Ægidium Remenſem archiepiſcopum, cum aliis optimatibus, ad Chilpericum patruum ſuum, confirmandi fœderis quod inierant cauſa dirigit. Ex quibus Ægidius in hunc modum legationis retulit ordinem. *Pacem quam tecum, glorioſe Rex, inclytus nepos tuus firmauit, petit omnino à te ſtabiliri. Fratris autem tui beneuolentia ideo vti nequit, quia partem eius ex Maſſilia iniuſte retinet, neque transfugas reddere ei vult ſuos. Idcirco ſi, iunctis viribus veſtris, vnanimes eius expugnationem adorſi fueritis, vltio debita, pro illatis iniuriis, ab eo facile exigi poterit.* Ad hæc ita reſpondit Rex. *Fratris* (inquit) *mei culpa tam eſt in aperto, vt difficile occultari queat. Nam ſi dulciſſimus nepos meus animo malefacta eius recenſeat (reliquis prætermiſſis) reperiet patrem ſuum fraude Guntranni interiiſſe. Quapropter & ego me ſpondeo adiutorem illi in vltionem paternæ futurum necis, quem amiſi fratrem, magnæ ſi nunc viueret dilectionis.* Hæc dum Rex peroraſſet, datis obſidibus fœdus ſtabilitum eſt. Cōtinuo Chilpericus exercitum de regno ſuo commoueri præcepit, qui ciuitates fratri ſubditas obſidens, circumiacentes depopularetur agros. Tunc Berulfus, partium eius dux, cum Turonicis & Andegauis vna ex parte, Deſyderius & Bladaſtis ex alio latere cum maxima multitudine, Bituricenſes aggrediuntur. Quibus Rex hoc dedit mandati, vt capta vrbe ſacramenta nomine exigerent ſuo. Sed Biturigi apud caſtrum

vulg. Meun. Mediolanenſe, quod nunc *Magdunum* † dicitur, quindecim armatorum millia Deſyderio duci opponentes, cum eo conflixere. Reliqui duces vrbem obſidione cinxerũt. Chilpericus vero, licet nondum exercitus Childeberti aduenisset, tamen quoſdam de eius ducibus ſecum habens, vniuerſas copias ſuas per Parrhiſios tranſducens, vaſtan-

hod. Melun. do cuncta Milidunum † venit. Cui Guntrannus non dubitauit obuiam ire, in ſolo Deo ſpem habens: cuneumque hoſtium, præ cupiditate ab aliis ſegregatum, crepuſculo noctis aggreſſus vltima labefactauit pernicie. In craſtinum, intercurrentibus legatis, frater cum fratre paciſcitur: pollicentibus vtriſque commiſſorum correctionem. Quippe Chilpericus, cum milites furto ac rapinis abſtinere moneret, nec tamen obtemperarent, comitem Rothomagenſem gladio percuſſit: ſicque reliquos coercens, ad propria reduxit, cunctam prius reſtituens prædam, captiuoſque relaxans. At illi qui Bituricos obſederant, accepto nuncio vt inde recederent, quæcunque oculi viderant, manus rapiebant, dum ad ſua redirent.

De

De vulgi in Ægidium episcopum seditione

CAPVT LI.

CHildebertus autem omnes militiæ suæ, quas aggregauerat, cohortes dum vno in loco detinet, murmur subito populi minoris aduersus duces & Ægidium episcopum nocte proxima infremuit, dicentis: *Tollantur à facie Regis, qui regnum eius inter se vēditant: qui vrbes eius alienæ subiciunt ditioni.* Hæc dicentes, mane facto ad tentorium Regis properant armati, vt Ægidium interimerent pontificem. Quo cognito, Sacerdos ascenso equo cum paucis fugam arripuit. Cui tam veloces timor fugienti addidit alas, vt labentem tibia fasciolam colligere non curaret. Ea tamen causa illi fuit auxilio, quod aduersarii equos ad insequendum paratos non habebant: dumque illi moram in sequendo faciunt, ipse se intra vrbem Remorum contulit. Post hæc Guntrannus Childeberto nepoti suo, partem Massiliæ quam inuitò eo retinebat, reddidit. Chilpericus quoque pro obitu filii (quem ei natum supra † diximus fuisse) graui affectus mœrore, nuptias filiæ suæ, quam regi Hispaniæ per legatos tunc responderat, in posterum distulit. Quapropter, missis veredariis, legatum qui in Hispaniam regrediebatur reuocauit, dicens ei; *luctu pro morte filii grauatus, nuptias in tempus quod constitui celebrare nequeo.* Verum legato insistente, voluit eo dirigere filiam †, quam ex Audouera susceperat, Deoque in monasterio Pictauensi tradiderat; sed a beata Radegunde prohibitus est.

cap. 49.

Basinam. Greg. Tur. l. 6. c. 39.

De Mummolo magia & veneficii insimulato

CAPVT LII.

DVm ista geruntur, relatio quorundam ad Fredegundem cucurrit reginam, dicentium puerum qui tunc defunctus erat, technis Mummoli sui præfecti, per quasdam mulierculas maleficiis & incantationibus vitam amisisse. Is Reginæ iamdudum erat infensus. Quæ talia de eo audiens, rapi meretrices ad supplicia † iubet: quæ se fatebantur carminibus multos interemisse innocentes, filiumque eius pro Mummoli donasse salute. Tunc quidem Regina alias earum flammis tradidit, alias rotis innexuit. De Mummolo vero conquesta est apud Regem: quem Rex oneratum catenis adduci, trabeq; reuinctis post terga manibus suspendi præcipiens, quid maleficii nosset interrogabat. Sed nil se de morte filii Regis nosse dicens, hoc solummodo confessus est, quod potiones præcantationesque varias à memoratis accepisset mulierculis, ad promerendam Regis & Reginæ gratiam. Tandem depositus, mandauit Regi se nil sensisse pœnarum. Ille eum maleficum esse protestatus, loris durissimis flagellari, ac gladio percuti imperauit, pro cuius vita Regina, ægre licet, obtinuit: qui tamen non post multum dolore ipsorum tormentorum interiit. Regina autem assumens thesaurum pueri, vestes quidem omnes igne combussit, aurum vero fornace conflans terra obruit, ne quid esset quod ei filium ad memoriam reduceret.

i. tormenta.

De Clerici cuiusdam libidine, & ingratitudine detestanda

CAPVT LIII.

POrro Etherius Lexouiæ episcopus clericum quendam, propter puellam quandam quam seduxerat, morti destinatum, viginti redemit aureis. Cui profitenti, se doctorem fore literarum, scholam committit. Sed cum à parentibus puerorum, quos docebat, sæpe ad conuiuium vocaretur, vnius matrem concupiuit. Quod cum illa casta indicasset viro suo, & ille clericum ad supplicium quæreret, iterum a Pontifice liberatus pristino restituitur honori. H[illegible]aque miser tantorum oblitus beneficiorum, dum vna dierum Pontifex ad agricultores exercitandi gratia exiisset, cum securi eum pone

De tabellariis Charterii episcopi deprehensis: & Theodorici ortu

CAPVT XLIX.

HIs diebus à Nunnichio comite Lemouicino duo detenti sunt homines, ex nomine Charterii Petrogorici antistitis literas ferentes: in quibus, inter alia quæ de Chilperico continebantur maledicta, hoc etiam legebatur, *Quod Episcopus quereretur se de Paradiso pulsum descendisse ad infernum*: vtique hoc volens intelligi, quod à regno Guntranni, in dominium deuenisset Chilperici. Quibus Regi pariter cum delatoribus directis præcipitur adduci Episcopus, de his rationem redditurus: sed cum non facile conuinceretur, ad propria illæsus regredi iubetur.

Denique post funera filiorum, Chilperico filius nascitur, quem sequenti anno Parrhisiis in Paschali festo baptizari fecit, Theodoricumque nominauit.

De legatione fæciali Childeberti ad Chilpericum

CAPVT L.

POrro Childebertus Ægidium Remensem archiepiscopum, cum aliis optimatibus, ad Chilpericum patruum suum, confirmandi fœderis quod inierant causa dirigit. Ex quibus Ægidius in hunc modum legationis retulit ordinem. *Pacem quam tecum, gloriose Rex, inclytus nepos tuus firmauit, petit omnino à te stabiliri. Fratris autem tui beneuolentia ideo vti nequit, quia partem eius ex Massilia iniuste retinet, neque transfugas reddere ei vult suos. Idcirco si, iunctis viribus vestris, vnanimes eius expugnationem adorsi fueritis, vltio debita, pro illatis iniuriis, ab eo facile exigi poterit.* Ad hæc ita respondit Rex. *Fratris* (inquit) *mei culpa tam est in aperto, vt difficile occultari queat. Nam si dulcissimus nepos meus animo malefacta eius recenseat (reliquis prætermissis) reperiet patrem suum fraude Guntranni interisse. Quapropter & ego me spondeo adiutorem illi in vltionem paternæ futurum necis, quem amisi fratrem, magnæ si nunc viueret dilectionis.* Hæc dum Rex perorasset, datis obsidibus fœdus stabilitum est. Cõtinuo Chilpericus exercitum de regno suo commoueri præcepit, qui ciuitates fratri subditas obsidens, circumiacentes depopularetur agros. Tunc Berulfus, partium eius dux, cum Turonicis & Andegauis vna ex parte, Desyderius & Bladastis ex alio latere cum maxima multitudine, Bituricenses aggrediuntur. Quibus Rex hoc dedit mandati, vt capta vrbe sacramenta nomine exigerent suo. Sed Biturigi apud castrum Mediolanense, quod nunc *Magdunum* † dicitur, quindecim armatorum millia Desyderio duci opponentes, cum eo conflixere. Reliqui duces vrbem obsidione cinxerũt. Chilpericus vero, licet nondum exercitus Childeberti aduenisset, tamen quosdam de eius ducibus secum habens, vniuersas copias suas per Parrhisios transducens, vastando cuncta Milidunum † venit. Cui Guntrannus non dubitauit obuiam ire, in solo Deo spem habens: cuneumque hostium, præ cupiditate ab aliis segregatum, crepusculo noctis aggressus vltima labefactauit pernicie. In crastinum, intercurrentibus legatis, frater cum fratre paciscitur: pollicentibus vtrisque commissorum correctionem. Quippe Chilpericus, cum milites furto ac rapinis abstinere moneret, nec tamen obtemperarent, comitem Rothomagensem gladio percussit: sicque reliquos coercens, ad propria reduxit, cunctam prius restituens prædam, captiuosque relaxans. At illi qui Bituricos obsederant, accepto nuncio vt inde recederent, quæcunque oculi viderant, manus rapiebant, dum ad sua redirent.

vulg. Meun.

hod. Melun.

De vulgi in Ægidium episcopum seditione

CAPVT LI.

CHildebertus autem omnes militiæ suæ, quas aggregauerat, cohortes dum vno in loco detinet, murmur subito populi minoris aduersus duces & Ægidium episcopum nocte proxima infremuit, dicentis: *Tollantur à facie Regis, qui regnum eius inter se vēditant: qui vrbes eius alienæ subiiciunt ditioni.* Hæc dicentes, mane facto ad tentorium Regis properant armati, vt Ægidium interimerent pontificem. Quo cognito, Sacerdos ascenso equo cum paucis fugam arripuit. Cui tam veloces timor fugienti addidit alas, vt labentem tibia fasciolam colligere non curaret. Ea tamen causa illi fuit auxilio, quod aduersarii equos ad insequendum paratos non habebant: dumque illi moram in sequendo faciunt, ipse se intra vrbem Remorum contulit. Post hæc Guntrannus Childeberto nepoti suo, partem Massiliæ quam inuitò eo retinebat, reddidit. Chilpericus quoque pro obitu filii (quem ei natum supra † diximus fuisse) graui affectus mœrore, nuptias filiæ suæ, quam regi Hispaniæ per legatos tunc despondерat, in posterum distulit. *cap. 49.* Quapropter, missis veredariis, legatum qui in Hispaniam regrediebatur reuocauit, dicens ei; *luctu pro morte filii grauatus, nuptias in tempus quod constitui celebrare nequeo.* Verum legato insistente, voluit eo dirigere filiam †, quam ex Audouera susceperat, Deoque in monasterio Pictauensi tradiderat; sed à beata Radegunde prohibitus est. *Basinam. Greg. Tur. l. 6.39.*

De Mummolo magiæ & veneficii insimulato

CAPVT LII.

DVm ista geruntur, relatio quorundam ad Fredegundem cucurrit reginam, dicentium puerum qui tunc defunctus erat, technis Mummoli sui præfecti, per quasdam mulierculas maleficiis & incantationibus vitam amisisse. Is Reginæ iamdudum erat infensus. Quæ talia de eo audiens, rapi meretrices ad supplicia † iubet: quæ se fatebantur carminibus multos interemisse innocentes, filiumque eius pro Mummoli donasse salute. *i. tormenta.* Tunc quidem Regina alias earum flammis tradidit, alias rotis innexuit. De Mummolo vero conquesta est apud Regem: quem Rex oneratum catenis adduci, trabeq; reuinctis post terga manibus suspendi præcipiens, quid maleficii nosset interrogabat. Sed nil se de morte filii Regis nosse dicens, hoc solummodo confessus est, quod potiones præcantationesque varias à memoratis accepisset mulierculis, ad promerendam Regis & Reginæ gratiam. Tandem depositus, mandauit Regi se nil sensisse pœnarum. Ille eum maleficum esse protestatus, loris durissimis flagellari, ac gladio percuti imperauit, pro cuius vita Regina, ægre licet, obtinuit: qui tamen non post multum dolore ipsorum tormentorum interiit. Regina autem assumens thesaurum pueri, vestes quidem omnes igne combussit, aurum vero fornace conflans terra obruit, ne quid esset quod ei filium ad memoriam reduceret.

De Clerici cuiusdam libidine, & ingratitudine detestanda

CAPVT LIII.

POrro Etherius Lexouiæ episcopus clericum quendam, propter puellam quandam quam seduxerat, morti destinatum, viginti redemit aureis. Cui profitenti, se doctorem fore literarum, scholam committit. Sed cum à parentibus puerorum, quos docebat, sæpe ad conuiuium vocaretur, vnius matrem concupiuit. Quod cum illa casta indicasset viro suo, & ille clericum ad supplicium quæreret, iterum a Pontifice liberatus pristino restituitur honori. H[illegible] aque [illegible] tantorum oblitus beneficiorum, dum vna dierum Pontifex ad agricultores exercitandi gratia exiisset, cum securi eum pone

ſequebatur. Conuerſus ſacerdos & videns eum, *Vt quid*, ait, *me cum hac proſequeris dolabra?* Tunc ille, eius prouolutus pedibus, veniam petiit, dicens: *Indulge, pater ſancte, reo facinus confitenti: Ab archidiacono nanque vt talia auderem impulſus, ter iam eleuatis ad te percutiendum manibus, ſubita tegebar caligine, validoque arripiebar tremore: at vbi depoſueram manus, confeſtim & viſus & vigor redibat priſtinus.* Quod vbi Antiſtes audiuit, Deo gratias agens illum hæc tacere iuſſit, ſeque ad domum contulit. Verum Archidiaconus perpendens per alium ſe non poſſe nocere Epiſcopo, per ſeipſum calumniam fingit: Aſſerens ſe vidiſſe mulierem à cubiculo Pontificis egredientem: ſtatimque cum iam dicto clerico irruens, Epiſcopum vinciri imperat. Alligatur Pontifex eius manibus, de cuius ſæpe brachiis vincula deiecerat, atque ab eo mancipatur cuſtodiæ, quem ſæpius cœnoſo eduxerat de carcere. Interea cernens Epiſcopus humanum ſibi deeſſe auxilium, precibus opem implorat diuinam. Itaque diuinitus ſolutis vinculis, cuſtodibuſque ſopitis, fugiens è cuſtodia ad Regem tranſiit Guntrannum. Tandem aduerſarii inuenta occaſione, regi Chilperico ſuggeſſerunt, illum proditorem regni eſſe. Verum populus pro paſtore mœſtus, direxit qui Regem pro reducendo eo exorarent. Chilpericus ergo miſit ad fratrem, vt pontificem ad ſuā dimitteret vrbem, dicens ſe nil offenſę in ipſo reperiſſe. Guntrannus autem multas Epiſcopo tribuens pecunias, ad propria eum remiſit, datis ad antiſtites regni ſui epiſtolis, vt illum muneribus honorarent, qui iter faciens tanta a fidelibus ſuſcepit munera, quanta vix ciuitati inferre ſuæ quiuit.

De Clotharii filii Chilperici ortu: partis Maßiliæ per Mummolum reſtitutione & Chilperici metu

CAPVT LIV.

Clotharius II.

IN illis diebus Chilperico denuo natus eſt filius, nomine Clotharius. Quapropter vniuerſos carceres in regno ſuo Chilpericus aperiri iuſſit, & diuerſorum reos criminum abſolui. Verum idem Rex Parrhiſios vrbem, contra pactum quod cum Francis inierat (ne ſcilicet iure dominantis aliquando in eam ingrederetur) violenter intrauit: ob quam rem portionem eiuſdem ciuitatis, quæ eum contingere videbatur, iuſte amiſit.

Mummolus partem Maſſiliæ quæ ad Guntrannum ac Childebertum competebat, à ſe peruaſam reddidit. Chilpericus, metuens Guntrannum & Childebertum contra ſe conſpiraſſe, apud Camaracum theſauros, omneque defenſionis ſuæ præſidium, conſtituens, exercitum ſæpe mouebat, & ac ſi ad prælium progreſſurus, in papilionibus reſidere faciebat.

De Innocentio Rotenorum, & Sulpitio Biturigum epiſcopis: deque Roſarum præmaturitate & arboribus biferis

CAPVT LV.

alias Ganalitanorum.

THeodoſio Rotenorum epiſcopo defuncto, Innocentius Ganalitanorum † comes, per decretum Brunichildis reginæ ſucceſſit.

Remigio quoque Biturigum præſule decedenti, Sulpitius à Guntranno rege ſubſtituitur: dicente præfato principe multis epiſcopatus competitoribus; *Non eſt* (inquit) *noſtræ conſuetudo manſuetudinis, eccleſias Chriſti pretio vendere: ne nos damnatione digni, & vos mago Simoni ſimiles videamini.* Et hoc quidem Rex dignum memoria protulit verbum.

Greg. Tur. 6 c. 33.

Roſa & fructus arborũ alieno tempore.

Hoc anno roſæ viſæ ſunt menſe Ianuario, & arbores quæ menſe Iulio fructus protulerant, iterum menſe Septembri alios protulerunt.

De

De Filia Chilperici regis per legatos desponsatione.

CAPVT LVI.

IN dicti mensis Septembris Calendis, Chilpericus filiam suam † Hispanorum regi, hoc ordine per legatos despondit. Veniens Parrhisios, Fiscalinorum multos à parentibus segregatos, cum filia Hispanias petere vi compellebat. E quibus aliqui vitam sibi laqueo extorserunt, ne à propinquis quoquam secederent. Multi etiam violentia illuc ire coacti, testamenta condiderunt, quasi in proximo vita carituri. Talisque tunc luctus Parrhisiacis erat incolis, qualis quondam fuit Ægyptiis interemptis primogenitis. E legatis sane Childeberti (quos ad Chilpericum direxerat, obtestans, ne de thesauris ciuitatum quas sibi præripuerant, vel de mancipiis, quicquam filiæ tribueret) vnum clam interemptum fuisse ferunt. Suspicio erat Chilpericum eius necis fuisse authorem: qui tamen per reliquos nepoti mandans, *nil se ex veteris præsumpturum*, multa ex suo filiæ largitus est. Quinetiam Regina tanta in auro, argento, variisque vestibus protulit munera, vt Rex existimaret se inopem relinqui. Cernens illa turbari propter hoc Regem, ad circunstantes Francos, ita vt Chilpericus audiret, sic locuta est: *Nullus* (inquit) *nostrum autumet, hæc regalium esse ornamenta thesaurorum. Quædam enim ipse princeps mihi dotis nomine contulit, quædam proprius labor adquisiuit, aliqua vestra munificentia tribuit.* Hac satisfactione suscepta, intentio Regis quieuit. Francorum quoque primores filiam Regis clarissimis ditauere donis. Tanta denique thesaurorum fuit copia, vt sex plaustra his onerata eam præcederent. Quæ digrediens ab vrbe Parrhisiorum, post oscula & lachrymas parentum, dum curru veheretur, in ipso portæ limine effracto vnius axe rotæ, ad terram corruit. Cui cum plurimi malam † optarent horam, populus hoc pro auspicio suscepit. Dum octauo denique ab vrbe miliario tentoria fixissent, quinquaginta viri, raptis centum equis cum eorum aureis faleris, ad Childebertum regem se contulerunt. Vnde metuens Chilpericus ne aliquæ insidiæ pararentur filiæ à nepote suo vel fratre, quatuor millia armatorum eius deputauit tuitioni, quibus Bobo & Wado duces præerant. Præcepit etiam vt de substantiis pauperum, necessaria eis in itinere subministrarentur: ne fisci reditus aliquo modo minuerentur. Hac igitur cum pompa, cumque vtriusque sexus multimoda familia, Hispanias petiit Chilperici regis filia: ii vero qui eam deducebant, cuncta per quæ ibant vastata linquebant.

Rigundem. Inf. c. 59.

vt Itali vulgo, Mal' huora.

De Fredegundis astu & illecebris, & Chilperici obitu ac moribus. Deque Aurelianorum cum Blesensibus in Dunensi expeditione.

CAPVT LVII.

ERat autem præfata Fredegundis forma egregia, consilio callida, dolis (excepta Brunichilde) parem non agnoscens: quæ addicto ad suas libidines Chilperico, ita mentem eius cupiditate sui obstruxerat, vt fœmineas vincere non præualens auiditates, quasi vile mancipium insolentiæ muliebri obsequeretur. Dum igitur impenso eam diligeret amore, quadam die, venatum profecturus, è regia in stabulum descēdit equorum: Regina vero æstimans Regem iam progressum, in interiori cubiculo caput proprium aquis parabat abluere. Rex ergo iterum in regiam regressus, cubiculum post illam intrauit, & eam, vt iacebat, super scamnum accliuem baculo in posterioribus ludens percussit. Illa autumans Landericum hoc fecisse (qui Comes tunc & Maior domus erat regiæ, consueueratque cum regina stupri habere consuetudinem) ait; *Vt quid Landerice talia facere præsumis?* Illico Rex, ac si amens effectus, vbi hæc audiuit in suspicionem deductus, indignatione nimia furens, animique impos, exiliit, fugiens turpis corruptelæ contagia. Nec furentem capiebat aula: itaque syluarum se-

Landericus Maior dom. Idem tangit Ado sub Anno 564.

ecreta petiit, vt venatibus intentus tantam animo conceptam leniret iracundiam. Cognoscēs vero Regina non æquo animo Regem verba tulisse sua, & periculum suæ imminere saluti, si eum opperiretur venturum, timorem abiicit, fœmineamque audaciam assumit: & mittens vocari iussit Landericum, cui & dixit: *Res capitis tui Landerice nunc agitur: plusque tibi de sepultura quam de lectulo, nisi caues, in proximo cogitandum erit.* Narrauitque ei cuncta quæ dicta seu gesta fuerant. Quibus agnitis, Landericus reputare secum scelera sua ipse cœpit, & conscientiæ stimulis exagitari: nullum fugæ locum, nec euadendi subsidium sibi relictum: circumuentum velut quibusdam retibus & captum teneri. Denique ingemiscens altius, *Væ* (inquit) *dies, quo in tantam cordis amaritudinem deueni: discrutior miser animo, & quid agam vel quo me vertam ignoro.* Cui Fredegundis, *Ausculta* (ait) *paucis: & quid ego te facere velim, & quid nobis profuturum sit, scies. Reuertente Rege de venatione (vt ei mos est) sub obscura nocte, immittantur homicidæ, qui præmiorum pollicitatione contemptum sumentes vitæ, lethali eum perfodiant vulnere: Quo facto, nos securi à mortis periculo, cum filio regnabimus Clothario.* Laudat Landericus consilium, & reuertentem de sylua Chilpericum, his qui cum eo venerant alio intentis, circumstantes qui missi fuerant, præcepto satisfaciunt, atque desilientem equo opprimunt, clamantes, *insidiatores à Childeberto rege Austrasio directos dominum suum intermisse, & se in pedes quantocyus syluam versus dedisse.* Quo audito, qui aderant arreptis equis, quos non videbant, insequi conati sunt. Quos cum minime inuenissent, ad propria sunt reuersi. Madalulfus Syluanectensis episcopus (qui iam tertia die in tentorio residebat, & Regi minime colloqui poterat propter fastum superbiæ, qua idem Rex tumebat) vt eum interfectum cognouit, aduenit, allatoque † eius corpore, & veste meliori circundato, naui imposuit: & à Calensi villa, vbi hæc acta fuerāt, Parrhisios deducens, in Basilica sancti Vincentii sepeliuit: quam ipse immunem ab omni ciuili negotio, tam in eundo, vel redeundo, vel negotia exercendo, per totas regni sui prouincias regali præcepto, tempore Abbatis Cubilonis †, effecerat: necnon & duas possessiones in pago Caturcensi sitas (quarum altera Ipiacus, altera autem Adiacus dicebatur) tempore Droctouei abbatis, per syngraphum ibi contulerat. Fuit vero Chilpericus gulæ deditus: cuius Deus venter erat. In cuius tempore pauci clerici ad episcopatum sunt promoti, ipso Neophytis Ecclesias contradente. Ipse nanq; omnes sui temporis sapientes scientia se anteire existimans, composuit duos libros imitari Sedulium volēs: in quibus plurimi versus Scazontes erant: breues quoq; syllabas pro longis, longasque pro breuibus continebant. Cumque & alia opuscula, vel hymnos, siue missas componeret, quæ nulla poterant ratione suscipi, cum ipsis etiam memorati superius libri à memoria aboliti sunt hominum. Causas pauperum non facile ad se ingredi sinebat, Ecclesias seu monasteria hostili odio insectabatur, adeo vt plerunq; in palatio residens astantibus sibi diceret: *Ecce, diuitiæ nostræ ad Ecclesias transierunt: soli nunc Episcopi regnant: solis eis defertur honor.* Sacerdotes etiam domini sibi in fabulam verterat & in prouerbium. Quid autem plura de eius prauis recensemus moribus? Nullum denique vnquam perfecte dilexit: a nullo dilectus est. Hoc modo periit inuisus suis, nec amabilis extraneis.

Chilpericus rex perfidia uxoris Fredegundis interficitur. Sed aliter Greg. Tur. 6. c. 46.

alias, ablato. alias, oblato.

Sup. 3. c. 2.

alias Sentbiliono.

Hæc est nūc S. Germani à Pratis.

Chilperici Regis vitia Greg. Tur. 6. c. vlt.

Defuncto Chilperico, Aurelianenses iuncti Belsensibus expeditionem super Dunenses agentes, eos inopinate oppresserunt, res eorum mobiles auferentes, immobiles igne cremantes. Sed eis ad sua redeuntibus, Carnotini cum Dunensibus federati similem per omnia vltionis inflixerunt plagam, par pari referentes, & cum in maius ira augmentaretur, interuenientibus vtriusque partis Comitibus pax facta est.

Expeditio Aurelianensis & Bolensis in Dunenses.

De Fredegundis & Thesaurariorum Chilperici profugiis

CAPVT LVIII.

INterea Fredegundis regina marito viduata, ad Basilicam Parrhisiacæ vrbis in honore sanctæ Mariæ dicatam, cum Thesauris quos secum habebat, se conferens, a Ragnemodo suscipitur episcopo. Nam thesaurarii Chilperici regis cū thesauris apud Calam † vicum repertis, cumq; missorio aureo quem idem Rex magnis fabricarat impēsis,

Templum diuæ virginis apud Parrhisios.

† al. Chelles

ſis, ad Childebertum regem ſe contulerunt. Porro eadem Regina prudenti conſilio vſa, ad Guntrannum regem legatos direxit: mandans, ſe cum filio †, quem ex Chilperico fratre ipſius ſuſceperat, in clientelam illi velle tradere. Guntrannus, de fratris interitu veris indiciis certior factus, Parthiſios ſummo ſtudio contendit. Occurrit autem eis Fredegundis, & eum intra vrbem recepit. Poſt quem Childebertus adueniens, dum à ciuibus ingreſſus ei prohiberetur, ad patruum mittit, poſcens vt pactum quod dudum inierant, rectius firmaret. Verum memoratus princeps ipſos quidem legatos perfidiæ redarguit, quod eorum prauis conſiliis amicitia olim cum nepote iuncta dirempta foret: ſe vero cum eis fœdus non facturum reſpondit. His Childebertus ſibi nuntiatis, iterum mandauit, vt ſe de regno Chariberti, quod ſibi debebatur, remoueret. Reſpondit ille, *Sibi magis deberi, qui frater defuncti erat: nec ſe vllo modo fraternam hæreditatem alteri ceſſurum.* Rurſum alios nuncios mittens Childebertus rogabat, vt Fredegundis ſibi ad ſupplicia traderetur, quæ patrem cum patruo maligno peremiſſet ingenio. Reſpondit ille, *In proximo placitum cum nepote ſe habiturum, ibique de his & ſimilibus tractaturum:* eoſque ei a quo directi fuerant remiſit: Occulte nanque Fredegundi videbatur patrocinari. Quam dum ſæpius ad conuiuium euocaret, vna dierum è medio prandio Regina ſurgens à Rege inuitabatur, vt aliquid cibi adhuc ſumeret. Sed illa (iuxta conſuetudinem mulierum) ſibi accidiſſe dicente, vt pro conceptu ſurgeret, Rex ammiratus eſt, ſciens nondum quartum præteriiſſe menſem ex quo alterum pepererat.

Clotharie. In hoc deſinit Gre. Tur.

De Clotharii filii Chilperici per principes inauguratione, deque Guntranni plauſibili ad populum concione.

CAPVT LIX.

PRincipes ſane Chilperici, è quibus Anſoaldus primus erat, acceptum filium eius Clotharium per ciuitates regni eius circunduxerunt: & ſacramenta ex nomine ipſius atque Guntranni ſuſceperunt. Guntrannus vero vniuerſos quos Chilpericus iniuſte oppreſſerat, releuans, Eccleſiis teſtamenta ab eo ablata reſtituit. Sed ſuſpectus, hominum inter quos venerat malitia, nuſquam niſi armis cuſtodibuſque vallatus progrediebatur. Vnde quadam die in Eccleſia facto ſilentio, circumſtantem populi multitudinem hac voce rogauit: *Obſecro* (inquiens) *vos qui adeſtis populi, vt firmiorem quam fratribus meis ante hoc non ſeruaſtis, mihi fidem cuſtodiatis, quatenus valeam cum quiete nepotes enutrire meos, voſque cum iuſtitia regere: ne forte (quod Deus auertat) me ante tempus ſublato, & ipſi careant nutritore, & vos rectore.* Cumque eius verba ammirans populus laudaſſet, Dominum pro eius rogabat ſalute.

Concio popularis.

De Rigundis detentione & dotis eius occupatione.

CAPVT LX.

DVm hæc agerentur, Rigundis Chilperici regis filia (quam ad Hiſpanias miſſam fuiſſe diximus †) Tholoſam veniens, moras itineris ibi innectere cœpit. Sed perlato ad aures Deſyderii vrbis ducis de morte Chilperici nuncio, capta, ac theſauris omnibus ſpoliata, in Baſilicam ſanctæ Mariæ confugit. Cui Deſyderius arctum conſtituens victum, theſaurum ſigillo munitum, in quadam domo fortiſſimis tradidit viris cuſtodiendum, & ipſe ad Mummolum Auinione † reſidentem tranſiit.

ſup. c. 55.

alias Auenione.

De Theodori Maßilienſis qui pſeudofratrem Guntranni extulerat multa: & prodigiis eius anni

CAPVT LXI.

NOua iterum contra Theodorum Maſſiliæ pontificem iurgia ſunt orta, eo quod Gundoaldum quendam, qui ſe fratrem Guntranni falſo aſſerebat, ſuſcepiſſet. De cuius origine pauca diſſerere libet. Hic denique Gundoaldus in Galliis natus, moreq; Regum à matre ſua enutritus (vti conſuetudo antiquis Franciæ fuit regibus) capitis comam gerebat profuſam. Oblatus itaque à matre Childeberto ſeniori eſt, dicente ea quod Clotharii fratris eius filius eſſet: ſed quia Clotharius eum odio habebat, ideo ad ipſum (cuius nepos erat) delatum vt ab eo educaretur. Quem Childebertus, expers filiorum, ad educandum ſuſcepit, poſcentique Clothario videndum tranſmiſit. Ille intuitus eum, incidi eius præcepit capillos, hunc ſuum negans filium fuiſſe. Poſt obitum quoque eius dum à Chereberto eius filio loco fratris aleretur, à Sigeberto euocatus, iterum inſciſſis crinibus Coloniæ in cuſtodiam truditur. Vnde fuga elapſus, ſuccreſcentibus capillis primum ad Narſetem Italiam tunc gubernantem, indeque ad Imperatorem tranſiens, familiariſſimus ei efficitur. Lapſo ſane pauci temporis interuallo, Guntrannus Boſo (cuius ſupra meminimus) ad ſepulchrum Domini orationis gratia properans, eum Conſtantinopoli reperit: à quo (vt ipſe poſt aſſeruit) ſolicitatus ad Gallias rediit: & à Theodoro epiſcopo Maſſiliæ exceptus, ſumptis ab eo equis ad Mummolum ducem, qui à Guntranno rege deſciſcens Auinionem confugerat, ſe confert. Quod Guntrannus Boſo agnoſcens, eius ſe velle conatibus contraire aſſimulans, Theodorum epiſcopum in cuſtodiam poſuit, arguens eum inſidiatorem regni auſum fuiſſe ſuſcipere. Sed Pontifice ſub duris cuſtodibus Dominum exorante, lux immenſa totam ſubito in qua cuſtodiebatur repleuit cellulam, ita vt Dux memoratus nimio arriperetur timore. Ductus tamen antiſtes ad Guntrannum regem, cum Epiphanio antiſtite (qui ex Italia Maſſiliam demigrauerat) iterum mancipatur cuſtodiæ: in qua quidem Epiphanius obiit, Theodorus vero innoxius repertus ad ſua rediit. Nam prolatis literis ex nomine fidelium Childeberti, quibus inſcriptum erat, *vt Gundoaldum honorificentiſſime exciperet*, abſolutus eſt, Guntrannus ſane dux cum alio duce Guntranni regis, theſauros Gundoaldi (qui ad quandam maris inſulam, euentum rei præſtolando demigrauerat) diuidens, non paruum auri ac argenti pondus in vrbem Aruernorum deuexit. Ex qua ad Childebertum demigrans, in redeundo a Guntranno rege cum filio captus minis ab eo terrebatur: quodque pœnis pro inuitato a ſe Gundoaldo conſumeretur, interminantem ſæpe audiebat. Cui ille, *Ex hoc*, inquam, *me innocentem comprobabo, cum filio in obſidatum tradito, Mummolum eius fautorem ingenio captum tibi tradidero*. Credidit Rex pollicenti, & retento puero ipſum ſiuit abire. Qui Auinionem cum copioſa ſuorum manu vallans vrbem, quibuſdam ſatellitibus Rhodano ſubmerſis, ipſe colloqui Mummulo cupiens, ſuper ripam brachii fluuialis, quo ciuitas cingitur, deambulat. Hortatu denique Mummoli (ſpondentis nil aduerſi eum paſſurum) flumen cum vno ex amicis ingreſſus, ſocio aquis ſubmerſo, Boſo vndis ſe huc illucque circumferentibus, haſtam a milite ſibi protenſam arripiens, ereptus eſt. Demum illatis ſibi a Mummolo conuiciis, & grauioribus illi à ſe relatis, dum eum obſideret, Gundulfus (cuius ſupra meminimus) miſſus à Childeberto, eum ab obſidione remouit, Mummolum ſecum deducens in Aruernũ. Qui diu ibi faſtidiens reſidere, ad ſuam, vnde digreſſus fuerat, rediit ciuitatem: iunctuſque duci Deſyderio, qui ad eum (vt diximus) de pago venerat Tholoſano, euocatum Gundoaldum, more antiquorum Francorum, Regem proclamantes eſſe ſuum, eleuauerunt eum clypeo †. Cumque tertio totum cum eo circumiſſent exercitum, clypeus repente ruens cum Rege, vix a terra eleuari potuit.

Erat dum talia agerentur menſis decimus: apparueruntque in vineis pampini cum vuis ad pi num formatis, & in arboribus flores.

Gundoaldus Priſci Francorum reges comati.

Sup. 2. c. 12.

Sup. lib. 3. c. 24.

Theodorus epiſcopus Maſſilienſis.

Gundoaldus ab exercitu Rex declaratur. † al. ſuper clypeum.

Pharus

Pharus quoq; ignea, per cœlum nocte currens media, late mundum luce lustrauit clara.

Columna etiam ignis cœlo pendere visa est: cui superposita erat stella magna, quam æstimabant homines interitus Gundoaldi esse indicem: cum & terra tremeret, ac alia multa apparerent signa. Prodigia.

De Guntranni cum cohæredibus regni concertatione

CAP. LXII.

IN illis diebus Guntrannus Rex duces suos ad peruadendas vrbes, quas Sigebertus de regno Chariberti fratris amborum tenuerat, quasque Chilpericus Childeberto nepoti suo, ex fratre Sigeberto genito, vi præripuerat, direxit. Veruntamen Gariricus, comes partium Childeberti, post mortem Chilperici sacramenta fidelitatis à Lemouicinis, domini sui vice, exegerat. Cæterum Pictauos paria acturus veniens, à ciuibus cum gratia susceptus, audiuit Bituricos, qui regi parebant Guntranno, hostiliter in Turonicos irruisse: quoniam & ipsi quidem iam se ad Childebertum contulerant: Idcirco Bituricensibus territorium Turonicum depopulantibus, Maroilensis vici ecclesia, sancto Martino dicata, ab eis est cremata. Vbi euidens apparuit virtus beati Confessoris, pallam altaris cum circumiacentibus herbis à flamma defendentis. Mirabile dictu, trabes ingentes igne fuisse combustas, & molliciem linthei seu herbarum mansisse intactam Cognoscens ergo Gariricus quæ agebantur, misit qui Turonensibus denuntiarent, ne vllatenus se ad partẽ Guntranni transferrent. Ad quæ mandata, Gregorius episcopus hæc reddidit responsa: *Guntranno regi, post fratrum obitum, omne regnum Francorũ eo iure deberi, vt quemadmodum Clotharius pater eius super proprios filios, sic Guntrannus super nepotes suos principaretur. Non igitur se repugnaturos sed ipsum quoque inepte agere se dixit æstimare, qui putaret tanto principi se posse repugnare.* Videns Comes, non qualia ipse voluerat, sed qualia mandauerat Rex, à Turonensibus geri, relicto in vrbe Pictauorum Eberone Childeberti regis cubiculario, ipse quasi exercitum contra inimicos congregaturus exinde discessit. Tunc Pictaui fines suos vastari cernentes (nam Turonici cum Aurelianensibus, & sæpe nominatis fœderatis hostibus, agros eorum rapinis ac incendio subuertebant) legatos eis de pace miserunt: petentes vt vsq; ad placitum, quod patruus cum nepote constituerat, quiescerent, & tum demum illum quem Deus sorsque dedisset, dominum essent habituri. Sed illis respondentibus, *petitiones eorum non se præposituros Regis præceptis*; coacti Pictauii, sacramento se fideles Guntranno fore spondentes, fautores Childeberti à suis pepulere mœnibus. Nec tamen hæc facientes diu in fide durarunt. Tandem adueniente die colloquio Regum præfinito, Childebertus mandat Ægidio Remensi archiepiscopo legatione fungi apud patruum. Qui nil moratus, ad Guntrannum pergit, hocque initium sermonis, ad demulcendum principem habuit: *Gratias*, inquit, *præcellentissime regum, omnipotenti referimus Deo, qui tibi non solum regni tranquillitatem, verum & augmentum quotidie attribuit.* Cui Rex: *Illi*, ait, *vere sunt gratiæ referendæ, qui omnium est benignissimus gubernator regnorum, non tibi cunctorum nequissimo hominum, cuius consilio mearum sunt vastati fines vrbium: qui sub veste omnia non Domini sacerdotis, verum crudelissimi geris officium proditoris.* Silente ad ista Sacerdote, præ nimia indignatione vnus legatorum ait Regi: *Mandat tibi gloriosissimus nepos tuus, dominus noster Childebertus rex, vt patris eius hæreditatem illi ad integrum reformes.* Ad hæc Guntrannus rex respondit: *Iam me ex hac causa responso satis fecisse arbitrabar: Responderam enim in alio placito, quod & nunc respondebo, pactionibus ea mihi cessisse, nec me vlli eis cessurum nisi gratia amicitiarum.* Tunc alter è legatis his ad Regem vsus est verbis: *Si hæc*, inquiens, *optime princeps, difficilia tibi videntur impetratu, saltem illa impetret, vt Fredegundis ei ad supplicia dedatur; quæ patrem eius cum patruo nefandissime interemit.* Huic quoq; Rex hoc reddidit responsum: *Tradi ei*, dicens, *nullatenus potest, eo quod filiũ Regem ac Rege genitum habet: & eã innocentem à crimine quo impetitur esse puto.* Post hæc Guntrannus Boso qui dudũ (vt prędictũ est) ad Childebertũ transierat, & tunc cũ legatis ibi aduenerat, quasi aliqua regi Gũtranno

Greg. Tur. lib. 7. c. 13.

suggesturus, ad eum accessit. Iubet Rex silere, atque eum huiusmodi præuenit sermone: *Quid ais, ô bone vir? cuius prudentia ideo Orientis expetiit regna, vt nobis Ballomirem quendam* (sic nanque Rex nominabat Gundoaldum) *inde arcesseret, qui vrbes nostras peruaderet. O semper perfide, & nullo modo in his quæ promiseris permanens!* Respondit ad ista Boso: *Tibi*, inquiens, *Regi in solio regali residenti, nemo audet contradicendo obloqui: veruntamen si quisquam meorum æqualium istud mihi impingeret crimen, obiecta armis refellens, Deo opitulante, & te spectante, eum potenter superarem.* Tacentibus interim cæteris, Rex subiunxit. *Cunctos pie viuentes hoc indignari oportet, ac conari vt è medio auferatur hominum tyrannus hic: cuius pater procurator fuit regalium molendinorum, & (vt verius fatear) lanæ opificio vitam produxit suam.* Et quanuis fieri possit, vt vnus homo vtriusque sit artis peritus, propter opprobrium tamen regis quidam ex legatis calumniari cœpit, dicens: *Ne loquaris tam inculte, ô Rex: nam qua ratione potest existere, vt cuiuslibet hominis sint duo patres, re spirituali excepta? Non sunt hæc regiæ dignitati congruentia verba.* Vniuersis igitur pro his sermonibus in risum solutis, alius legatorum dixit regi: *Valedicimus tibi, o Rex, & quia nepotis tui pacem aspernaris, scito securim fore paratam qua fratres percussi fuat tui, vt ea excidaris.* His dictis iussit Rex eos à conspectu suo pelli, ac super capita recedentium stercora de plateis collecta proiici. Pro tanta igitur iniuria vehemens inter Reges discordia exorta est.

Ballomer, i. pseudo-rex.

De Fredegundis reginæ in Asylo Parrhisiensi sæuitia per Audonem inflammata

CAP. LXIII.

PEr idem tempus, Leonardus quidam optimatum Chilperici à partibus Tholosæ adueniens, Fredegundi reginæ adhùc in maiore ecclesia Parrhisiaca residenti intimauit, se fuga lapsum ab eius filia †: quam affirmabat in magna victus ac vestitus degere inopia. Quibus verbis Regina indignata, præcepit ab eo auferri balteum, quem ex munere memorati meruerat Regis, ac omni priuari dignitate. Simili modo multos ab obsequio filiæ recedentes vel honore priuauit, vel contumeliis seu pœnis affecit: nec verebatur dominum, aut eius genitricem, in cuius manebat Basilica, dum peruersa ageret, adhærente ei Audone, suo in malis omnibus cooperatore: quem populus tunc peremisset, nisi in ecclesiam confugisset.

Rigunde.

De Prætextati Episcopi Rothomagensis restitutione

CAP. LXIV.

PRætextatum sane Rothomagensem pontificem, de exilio mandauit Guntrannus Rex reduci. Propter quem cum Synodum vellet Rex congregare, Ragnimodus Parrhisiensis antistes dixit, à sacerdotibus nequaquam eum communione fuisse priuatum, nec esse necesse ideo Episcopos vocari. Sic demum Prætextatus vrbi restitutus est suæ.

De diligenti Guntranni custodia sui & Fredegundis in agrum perfugio, & fraude

CAP. LXV.

INterea cum morante Rege apud vrbem Parrhisiacam, adueniens quidam pauper suggessisset ei, vt se a Faraulpho Chilperici quondam cubiculario obseruaret, dicens, *se consilium eius, quod de perimendo Rege conceperat, compertum habere*; audito hoc Rex, inter-

interrogatum quidem & negantem dimisit, se vero ita armis & custodibus muniuit, vt nusquam, nec ad ecclesiam quidem, sine armorum aut custodum munimento procederet. Fredegundem autem in Rotoialensem, Rothomagensis territorii vicum, ad peragendum quod superesse poterat vitæ, direxit. Quam multi optimatum Chilperici prosecuti, eam inibi cum Melanio (qui Prætextato depulso, ab ea subrogatus, ac post reuocato, à Guntranno reiectus erat) reliquerunt, promittentes se filio eius Clothario fideliter parituros. At illa exortem se honoris, & relictam indignata, & Brunichildem potentiorem (vt erat) æstimās, Olericum quendā fallendi doli instructum ad eam dirigit, quatenus simulando strenuum famulatum, occultum mortis inferret ictum. Qui dominæ iussis obtemperans, fingit se crudelitate Fredegundis offensum, ad Brunichildis properasse conspectum, quod audierit eius benignum in omnes affectum. Tandem in partem susceptus amicitiarum, omnibus adulabatur, dominam etiam vsque ad cubiculi deducens ianuam, coæqualibus se præbens beneuolum, maioribus subiectum. Sed non diu, quis esset, suspicione imminente valuit tegere: nanque quæstioni subditus, prodidit omnia malignitatis arcana, & diris affectus suppliciis † ad priorem remissus est dominam. Cui quæ sibi accidissent enarrans, vt quasi suspicio auferri ab animo Brunichildis posset, re autem vera vt pœnas pro non perpetrato lueret scelere, manuum ac pedum abscisione ab ea est mulctatus. *i. tormentis.*

De Eberulfi punitione, & in beatum Gregorium Turonensem simultate, & Guntranni gestis

CAP. LXVI.

INteriectis diebus Guntrannus Rex Cabilonas regressus, fraternæ necis authorem sollicite inuestigans, per responsales Fredegundis, Eberulfum, in palatio Chilperici cubiculariis præpositum, eius sceleris cognouit esse caput. Rogatus vero ab ea idem Eberulfus fuerat, ne ipsam desereret. Qui dum consensum ei denegasset suum, ob id apud Regem accusatus est ab illa. Rex igitur, felle commotus, circunstantibus amicis iurauit, *Se non solum homicidam, verum cunctam eius perditurum generationem, quatenus ausus interficiendorum Regum, de regno tolleretur Francorum.* Hoc terrore perculsus vir supra nominatus, ad Basilicam sancti Martini, cum clericis quibus frequentes intulerat iniurias, aufugit. Tunc Aurelianenses cum Blesensibus, ad custodiendum ne exinde vspiam dilaberetur, iussu Regis alternas sortiti vices, in eundo ac redeundo multas agebant prædas: dumque duo, qui mulas iam dicti rapiebant Confessoris, ad domum cuiusdam rustici potum petituri aduenissent, & ille se habere negaret, vnus eorum protenta hasta, vt eum percuteret, ab eo ictu gladii peremptus est, alter casu socii perterritus, aufugiens quæ male peruaserant reddidit. Post hæc facultas omnis Eberulfi, quæ multa erat valde, diuersis à Rege concessa. Domus quoque, quam intra muros possidebat Turonicos, adeo direptioni tradita est, vt nihil nisi nudi superessent parietes. Pro his itaq; causis calumnias sancto Antistiti inferebat Gregorio, quasi cuncta eius gererentur consilio: minabaturq; quod si vnquam Regis rediret in gratiam, similem ei retribueret vicissitudinem. Verum Antistes plus clementia pro eius miseriis, quam indignatione pro illatis ab eo cōmouebatur iniuriis. Cumq; foret eidem misero domicilium in S. Martini salutatorio, & à presbytero (cui seruandi oratorii cura delegata erat) reliquæ clauderentur ianuæ, per ostium illius salutatorii ingressi Ecclesiam pueri vel puellæ vniuersa rimabantur ornamenta sacri templi. Quod postquam custos sacræ ædis animaduertit, ac ferreis ipsas fores affixit clauis, media ferme nocte in ipsis nocturnalibus hymnis à præfato Eberulfo episcopus Gregorius & clerici tantis lacessiti sunt conuiciis, vt laudes Deo debitas relinquere cogerentur. Sed & clericum quendam iam temulentus, quod vinum sibi non largiretur, super scamnum extensum pene vsq; ad mortem flagellis cecidit: multorumq; cædem in atrio beati Antistitis exercuit, non veritus illi ingerere contumeliam, cuius quotidie flagitabat clementiam.

Greg. Tur. lib. 7. c. 22.

Salutatorium S. Martini.

Visum Gregorii Turonensis.

Porro vna noctium vidit idem Episcopus somnium, quod eidem viro retulit, in hunc se habens modum. *Videbam*, ait, *me sacrosancti Martini astantem altari, ac dominici celebrare mysteria sacrificii: Guntrannumque regem ipsum ingressum orationis domum, suis imperantem, vt te à palla altaris, cui inhærebas, euulsum foras pellerent. Cui cum intermissis ego missarum solennis me obuium præberem, & ne te contingerent, manibus quoque detinerem, tu interea, ara sacra deserta, huc illucque pauitans circumflectebaris. Tum ego ex hoc molestus, dum tibi innuerem ne quoquam abscederes, euigilaui, mecum in animo visionis reuoluens causam.* Ad hæc Eberulfus, *multum* (ait) *cogitatio mea cum viso quadrat quoque tuo.* Quidnam cogitas? inquit antistes. *Cogito*, infit ille, *si me Guntrannus Rex hinc voluerit extrudere, vna manu pallæ altaris inhærente, altera te cum clericis gladio trucidare.* Intellexit Episcopus illum Dæmonis instinctu talia effari. Nec longum fluxerat tempus, cœperunt fieri actu manifesta, quæ fuerant Episcopo visu reuelata: denique Guntranno quærente virum, qui arte ab ecclesia educens Eberulfum, aut sibi adduceret vinctum, aut gladio relinqueret trucidatum, obtulit se Claudius quidam, ad id opus strenuum spondens se fore ministrum. Pollicito itaque sibi tanti sceleris precio, ad Eberulfum accedit: iurat per Deum perque omnia cœli ac terræ sancta, nullum fidelius aut posse aut velle causam eius apud Regem exequi, quam se (perpendebat enim infelix, alio eum non posse commodius decipi commento, quam suo periurio) Quid plura? Credidit miser deieranti, ac in crastinum à clericis accitus, cum eo ad conuiuium accedit. Finitis epulis, Eberulfo secum per atrium Basilicæ deambulanti, & mutuam amicitiam iureiurando pollicenti, ait Claudius: *Si forte facultas foret iocundiora reperiri vina, faterer me eorum ardere desiderio.* Respondens Eberulfus, cuncta quæ cuperet se præbiturum, dum modo dignaretur eius adire hospitium, vniuersos dirigit pueros potioris vini haustum quæsituros. Cernens Claudius illum resedisse solum, cuius magis ipse lethum, quā aliud sitiret merum, manus eleuans erga sancti Martini sepulchrum, eum in hunc exorabat modum: *Te* (inquiens) *sancte Confessor oro, vt sospes reuisam coniugem cum filio.* His dictis euaginato gladio impetum faciebat in aduersarium, cuius conatum vnus intelligens famulorum, brachiis complexum resupinat Eberulfum, qui iam a Claudio erat saucius: Ille è vagina exemptum ensem, inimici defixit in latera. Sicque a circumstantibus eius satellitibus inuasus, multis telorum interfectus est ictibus. Claudius vero tam immanis facinoris sibi male conscius, ad cellam Abbatis confosso latere abscissoque pollice profugit, poscens se occuli ab eo. Veruntamen irruentibus Eberulfi stipatoribus vallatur armis domus: iacula per fenestras intro iaciuntur: Abbas quoque vix a duobus clericis illæsus reseratis extrahitur ostiis: per quæ introgressi aduersarii Claudium sub lecto latitantem nacti iugulant, sociosque eius simul. Quorum corpora, domo protracta, ac super nudam humum iacentia, parentes amicique colligentes sepelierunt. Ad vindicandum autem homicidium in sacræ ædis atrio perpetratum, etiam energumini ac pauperes præ foribus excubantes, cum fustibus & saxis properarunt. Hanc igitur ad se causam perlatam rex Guntrannus grauiter primo quidem tulit: donec comperto rei gestæ ordine, animum ad alia tractanda conuertit. Substantiam Eberulfi ii quibus regalis eam contribuerat potestas auferentes, vxorem eius inopem reliquerunt.

Eberulfus interimitur.

Claudii exitus.

De Pictauensis episcopi redemptione ac populi reconciliatione

CAP. LXVI.

ANno decimo regni Childeberti, Guntranni vicesimo quarto, idem princeps aduersum Gundoaldum, exercitum ex vniuersis vrbibus sibi subiectis commouit. E quibus Aurelianenses cum Bituricēsibus Pictauensem aggressi ciuitatem, ciues, qui iam a fide desciuerant, ad pristinam vi reuocantes societatem, Episcopum iniuriis afficere moliebantur. At ille comminuto vno ecclesiastici ministerii aureo calice, se quidem ab exilio, populum autem à captiuitate redemit.

De-

De Gundoaldi gestis & aliis quibusdam

CAP. LXVII.

IN illis diebus Gundoaldus iter Pictauos destinatum, audita expeditione, ad Engolismam deflexit: vbi ab Antistite & proceribus gratanter exceptus, eorũ remunerata sedulitate, Petragoricas tendit. Cuius præsulem male multatum reliquit, eo quod se cum fauore non excepisset: indeque Tholosam petens, præmissis militibus, Magnulfo pontifici sibi occurrere mandat. Quapropter Magnulfus conuocatam plebem hortatur, monetque vt viriliter repugnet: ne forte calamitati, quam quondam sub Sigulpho experti sunt, iterato subdatur: meminerítque quatenus Desyderius ipsius dux vrbis memorati expertus sit fortunam viri, dum quondam simile molitus fuerat. Et hæc quidem populum ad rebellandum excitauerunt: sed robur aduentantis exercitus portas aperiri suasit. Receptum igitur Gundoaldum vrbe, ac secum prandentem, his Episcopus affatur verbis: *Licet te filium Clotharii, regnumque tibi deberi astruas, incredibile tamen apud nostros manet, te quæ cœperis posse perficere.* Respondit ad ista Gundoaldus: *Ego*, inquit, *& Clothario me genitum fateor, & debitam regni portionem in præsentiarum adeptus, vrbe capta Parrhisiorum ibi propriam statuam sedem.* Nunquam, ait Pontifex, tu ista impediente Christo complebis, quamdiu quispiam regii superfuerit germinis. Tum Mummolus alapa Domini sacerdotem percussit, dicens: *Non pudet, ineptissime, tam nugacibus dominum nostrum Regem confutare verbis?* Desyderius quoque, cognitis his quæ contra salutem suam populo suaserat, pugnis eum, fustibusque cum reliquis cecidit, ac post fune reuinctum pedes direxit in exilium, raptis tam ipsius quam ecclesiæ facultatibus. Franci itaque, qui vndique ad persequendum Gundoaldum permoti fuerant, vsque ad Dordoniam progressi flumen, præstolabantur si quos eius, fama ferente, persentiscerent motus. Sociauerat se ei Waldo cubicularius Rigundis †, vir haud spernendæ potentiæ: reliquis puellæ ministris fuga dilapsis. Sed & Desyderius cum Mummolo ac Bladasta, necnon Sagittario (qui sponsionem de præsulatu Tholosano iam elicuerat ab eo) intimi erant in consilio, perque eos res agebatur. His diebus ad amicos in superiori Francia degentes misit epistolas, duobus eas tradens ferendas clericis: quorum vnus Caturcinæ vrbis incola, ligneam quam ferebat cauans tabulam, immissis literis ceram superinduxit. Nil tamen illum hæc fraus iuuit, quin à fidelibus Guntranni regis deprehensus, patefacta legatione, post flagella custodiæ cum socio manciparetur. Porro Gundoaldus ad Burdegalensem transiens ciuitatem, Bertranno præsule humanissime se suscipiente, aliquandiu ibi resedit. Quærenti vero ei, quæ res inexpugnabilem hostibus eum efficeret? indicatum ab vno familiarium est, quendam Orientis regem, reliquias sancti martyris Sergii brachio alligatas ferentem semper aduersariis præualere. Cumque sollicite inuestigaret, quis huius testis Domini † patrocinia possideret? Bertrannus episcopus dixit esse in eadem vrbe quendam Syrum negociatorem, nomine Eufronem, qui olim ab oriente ea detulit. *Hic* (inquiens) *in domo sua, quam in Ecclesiam consecrauit, inter alia miracula illius dilecti Dei meritis patrata, hoc etiam videre promeruit, quod ciuitate flammata ipsa Basilica permansit intacta.* Mittitur è vestigio Mummolus dux cum ipso Episcopo, memoratas inquisiturus reliquias. Cui acrius inquirenti, responsum Eufron reddidit: *Noli, obsecro, me ætate confectum defatigare senem, nec sancto illi inferre iniuriam. Verum acceptis centum aureis, ab hac desiste intentione.* E contra ille asserens se, etiam si ducenti darentur, cœpta non deserturum; insuper videns capsulam de pariete pendere, apposita scala iubet Diacono, vt ascendens loculum deponeret. Qui præcepto parens, dum sancta manu tangeret pignora, tanto arrigitur tremore, vt confestim ruiturum omnes ipsum putarent: deposita tamen Mummolo tradidit. ille inuentum os pretiosi Martyris, ausu temerario percussum cultello in tres partiuit partes. Quibus resilientibus, nec vsquam apparentibus, magnus astantes inuadit horror. Prostratis autem illis ad orationem, flenteque præcipue sene (qui se tanto ingemiscebat priuatum patrocinio) apparuerunt particulæ haud procul positę. Harum vna Mummolus assumpta

Indignitas in pontificem.

Filia Chilperici.

i. martyris reliquias.

Miraculum ossis Sergii martyris.

discessit. Sed Beatus martyr id sibi non gratum fore, ex hoc præcipue ostendit, quod eidem viro, cuius hæc acta fuerant imperio, noluit esse auxilio. Veruntamen idem Gundoaldus iterato duos ad regem Guntrannum destinans legatos (quemadmodum olim Francorum mos fuerat legatis) iussit illis virgas ferre sacratas, quibus prolatis totius immunes forent iniuriæ. Hi itaque qui directi erant, incaute legationem suam prius popularibus vulgarunt, quam Regi præsentarentur. Vnde Rex eos sibi exhiberi iubens vinctos, inquirit † vnde, vel à quo, seu à quibus, directi essent? Illi rem omnem, vt erat, enarrant ordine, missos se à Gundoaldo Clotharii (vt ipse profitebatur) regis filio, quatenus debitam repeterent regni partem. *Quam* (inquiunt) *nisi mature restituatur, cum circumiacentibus in proximo depopulabitur vrbibus. Nec paruam illico coactam*, aiebant, *bellatorum manum: cum præter Aquitanicas copias, validos speraret sibi ex Austria affuturos auxiliatores. Idque præpotentes Ducum ex regno Childeberti nosse, an ipsi vera prosequerentur* †. Et hæc quidem Legati ad primam interrogationem prodiderunt. Postea vero ad trocleas extensi, & diutissime cæsi, indicarunt Rigundem Chilperici filiam, cũ Magnulfo Tholosano pontifice, in exilium relegatam. Demum custodiæ deputati, vsque ad aliam audientiam iubentur adseruari.

Virga sacrata, caduces.

alias, seuere interrogat.

alias, proloquerentur.

De Childeberti & Guntranni reconciliatione & Guntranni consilio Childeberto dato, deque Gundoaldi factione.

CAP. LXVIII.

INterea Childebertus, nunciis patrui impellentibus, à loco suæ habitationis digressus aduenit ei collocuturus. Tunc ex præcepto Guntranni, supramemorati in amborum præsentiam perducti viri, cum prius relata iterum recapitulassent, addiderunt, vniuersos Rigundis thesauros à Gundoaldo peruasos: ipsumque dicere solitum, *inuitante Guntranno Bosone ab oriente se ad Gallias transiisse.* Cumque principibus Childeberti hæc nota esse asseuerarent, suspicio nata est, ideo aliquos ad præsens colloquium venire distulisse. Tunc demum Guntrãnus rex hastam, quam manu gerebat, nepoti tradidit, inquiens: *Hoc, amantissime nepos, indicio noueris te mihi successurum in regno. Idcirco, tradita tibi à me potestate, cunctas regni mei ciuitates tanquam tuas dispone, reminiscens te solum ex nostra superesse stirpe.* Ita quidem Rex audiente omni populo proferens, semotum à cœtu aliorum nepotem monuit, ne cui manifesta faceret quæ ipse ei dicturus foret. Denique instruens eum, quos fidelium de rebus agendis consuli, quosue oporteret à consilio remoueri, seu quibus proprii corporis tuendi curam committi, Ægidii episcopi fraudulentias ac periuria, matris quoque Brunichildis versutias cauendas præmonuit. Finita sermocinatione, ad conuiuium ambo Reges consederunt: & inter redundantioris mensæ epulas, serenissimus princeps Guntrannus sic alloquitur conuiuas; *Hortor vos, inclyti Franciæ primates, vt nepotem meum summo dignum honore censentes, fidei cultum ei exhibeatis: quandoquidem ipse transgressus æuum pueritiæ, suadet meliora de se sperare. Nec contemnatis, vt puerum: sed reueremini, vt dominum.* Post hæc Childebertus, restitutis sibi à patruo ciuitatibus, quas pater tenuerat suus, ad propria maturauit regressum.

Hasta traditionis signum.

De Gundoaldi in Conuenas fraude.

CAP. LXIX.

EA tempestate Gundoaldus à Desyderio derelictus vna cum Mummolo, Bladaste, ac Waddone † siue Sagittario, Conuenas vrbem ingreditur. Ea vrbs in cacumine præcelsi mõtis trans Garomnam sita est, procul cæteris remotis montibus. Ad radices rupis fons oritur, cui imminet desuper turris altissima, quæ ciues, per cuniculum descendentes aquatum, à læsione defendat hostium. Circumuentis igitur, memoratus vir,

alias, Waldone.

Conuena.

vir, eiusdem vrbis incolis, vt bona sua intra muros propter aduentantem reconderent exercitum, dum illi eius monitis paruissent, hac eos fraude decepit. Confingens enim hostes iam in proximo esse, ita eos affatur: *En inimici, egredimini ad resistendum eis.* Quibus digressis, expulso etiam Antistite, post eos clausit portas, seque ad repugnandum cum satellitibus parat. Quam cæca mens hominum ignara futuri! Fuit profecto post illa dies (videlicet qui simili ordine ipsum expulsum mortalibus ostendit ab vrbe) qua magno emptos pretio, eos qui pellebantur, vellet videre receptos, reiectis his qui putabantur fidissimi.

De literis à Guntranno ad Gundoaldum missis: de auri direptione: & de claustri Vincentiani apud Agennenses spoliatione: & eius vltione: deque callida Gundoaldi querela, & reliquis gestis

CAP. LXX.

His diebus, Guntrannus rex ei literas, ex persona Brunichildis exaratas, misit, suadentis vt dimissis, quas agregauerat ad hyberna copiis, ipse Burdegalam hyematum secederet. At hostilis duces agminis, quos super Dordoniam castrametatos fuisse præfati sumus, audientes Gundoaldum vlteriorem tenere Garomnæ ripam fluminis, collecta virorum fortium expeditaque multitudine, fluuium natatu transmeare disposuerunt. E quibus aliqui infirmis equis vecti, fluuialis aquæ oppressione perierunt: reliqui natando ad contrarium delati litus, offenderunt in itinere maximum camelorum, mulorumque numerum, auro & argento onustorum, quos fugientes aduersarii reliquerant. Quibus captis, & ob impedimenta cum residuis vulgi dimissis, ipsi quam maximis possunt itineribus Gundoaldum persequuntur. Et venientes ad Basilicam sancti Vincentii Agennensis territorii, resistentibus his qui eo res suas contulerant, ignem ostiis admouent, consumptisque eis, vniuersa intro reperta, cum sacri ministerii vtensilibus, auferunt. Affuit è vestigio diuina vltio, & quorundam manibus sacro igne ardentibus: alii Dæmonibus replebantur: quidam semetipsos interimebant. Tandem residui *Conuenas* peruenientes, in campestribus castra posuerunt. Vastatur primum tota suburbana regio. Vnde quidam acriori prędę succensi cupiditate, dum longius à suis recederent, a vicinarum vrbium custodibus trucidabantur. Interea obsidione cepta audaciores per ardua collis ascendentes, Gundoaldo conuiciabantur, dicentes: *Vnde, ó silicernium, hæc tanta tibi præsumptio, vt vitam pictorum* † *arte solitus transigere, nunc te Regem audeas nominare? Nempe pro similibus ausis, à dominis rerum, Regibus scilicet Francorum, sæpe attonsus exilioque es damnatus. Te quippe vniuersæ Galliæ Ballomirem vocitant cognomine. Age nunc inepte, nobis responsum redde, quis te coegit ista præsumere? vel quos habeas adiutores virium, expone? Namque in proximo nostra captus muscipula, merita lues supplicia pro tua stulta pertinacia.* Hæc & alia illis vociferantibus, nequaquam mouebatur ad iram Gundoaldus: tantummodo ingemiscendo, aiebat, memoratas sibi à patre illatas contumelias, seque à propinquis iniuste patria pulsum, ab extraneis misericorditer receptum, proximisque hostili odio semper eum persequentibus, ab extraneis amica familiaritate receptum. Deinde, inquiens, dum peregre regum pollerem diuitiis, intimusque essem Imperatoris Constantinopolitani amicitiis, Guntrannus Boso me suis decepit fallaciis. Nam in Orientem gratia profectum orationis, de salute sollicitus interrogans patris, quærebam vna, Qualiter se status regni vel fratres haberent mei? Tum ille, *De patre, ait, quæris? is obiit mortem: fratres moriendo secuti patrem, vix quempiam suorum reliquere superstitem. Remansit sane solus Guntrannus, & ipse liberis orbatus, cum paruulo nepote, ex Sigeberto genito fratre.* Ad hæc ego, *Et quid*, inquam, *mi amantissime, mihi nunc censes agendum? Hic vero ille, & me hortabatur Gallias adire, & Francos affirmabat, mei cupidos, mihi velle regnum tradere, maximeque eos qui Childeberti nepotis mei ætatem, ad rem tutandam publicam perpenderent inutilem. Nunc igitur vos quoque dominum agnoscentes me fore vestrum, a mea desistite obsidione, mihique fauendo, fratrem*

Vltio diuina in prædatores templi diui Vincentii.

† al. pistorũ. sed male vt de Gr. Tur. 7. c. 36.

Ballomer.

Guntrannum ad concordiam reuocare. Talia Gundoaldum prosequentem, maledictis aduersarii deterrebant, insuperque tela in eum iaciebant. Quintusdecimus iam, ex quo ibidem aduenerant, fluxerat dies, cum Leudegisilus regalium præpositus equorum, quem vulgo *Comistabilem* † vocant, quemque Rex ei præfecerat expeditioni, extructa machinamenta ad subruendos deduci imperat muros. Erant carri, vimineis cratibus tabulisque tecti ligneis: in quibus latentes milites fundamenta subfoderent murorum. Sed parum hoc proficiente instrumento (præsertim hostibus, præacutis sudibus, validisque eos inhibentibus saxis) etiam parietes videbantur non fore idonei, eo quod ignibus iactis facile possent exuri. Nam obsessi cuppas pice ac siccis repletas lignis, accensasque, iacientes desuper, & opera exurebant, & inimicos accessu prohibebant. Consumptoque in hoc certamine die, in crastinum, qui obsidebant, aliud nocendi genus excogitant. Denique ex virgis ramisque arborum vnum miræ magnitudinis fascem facientes, cupiebant eo implere vallem. Verum conatibus eorum, & profunditas vallis, & ignis ab aduersariis de superioribus cum lapidibus missus, restitit. Leudegisilo contemplanti omnes actus suos irritos fieri, in mentem venit, opportunius fore clausos de proditionis tentare sententia. Aduocatum itaque Mummolum ad sibi colloquendum, incusare cœpit, *cur clementissimum regem Guntrannum deseruerit, & iniquissimo Tyranno se iunxerit? Quid porro exspectas?* ait, *an vt capta vrbe male dispereas? Quin potius resipiscens ad benignum reuertere dominum, relicto illo nugacissimo, post paululum puniendo.* Tunc Mummolus se quidem consulturum respondit: regressus vero in vrbem conuocat Sagittarium atque Waddonem † (Bladastes enim timens captum iri vrbem iniecto domui Ecclesiæ igne, dum cæteri ad restinguendum properarent incendium, ipse clam aufugit) iunxerant autem factioni suæ Caruilfum † eiusdem vrbis ciuem, cuius apothecis, quæ permultæ erant, ipsi alebantur. Hunc ergo Mummolus cum prædictis adiit: ostendit deinde quam iniquo res suæ sint constitutæ loco, quamque odiosi ipsi cunctis effecti sint gentibus, dum incerti generis Regi fauent. Ad extremum hortatur, cedant rebus aduersum se fluentibus: & si sibi sacramento securitas vitæ ac salutis detur, ciuitatem iam iamq; capiendam cum pseudorege hostibus dedant. Assentientibus sociis, memoratus dux Leudegisilum mandat venire ad colloquium, & quæ sibi cum sodalibus complacuerint exponit. Laudat ille sententiam, iusiurandumque præbet, se apud Regem suum eorum vitam impetraturum. Quod si principis voluntas in sua durauerit pertinacia, in qualibet illos se spondet clausuros Ecclesia, donec Guntranni deferuesceret ira. Hac Mummolus seductus versutia, Gundoaldum tali identidem circumuenit muscipula: *Prono* (inquit) *animo deuotaque mente me tibi fidelem fore, non solum contra hostes pugnando, sed etiam ipse probasti experiendo. Nam quam sæpe meis consiliis vsus, semper fruitus sis prosperis, tute melius scis. Nunc quoque par mihi manet consulendi affectus, sicut tu bene es meritus. Ideo autem cum aduersariis sermonem habui, vt eorum erga nos persentiscerem, quis sit animus. Qui, inquantum perpendere quiui, tuæ nequaquam aduersantur vtilitati. In vno* † *mirari se aiunt, te tantopere præsentiam fratris vitare: autumareque quod genealogiæ ignarus tuæ cũ gnaris diffugias disputare: nec fratri, tuæ cupido visionis, agnoscendum te præsentare. Si ergo nunc tibi me audire placuerit, atque ad regis Guntranni præsentiam vna cum his mecumque properare, & te hac suspicione exsolues, & tibi pacique consules.* Non fefellit animus Gundoaldum, se à Mummolo iri deceptum: eique hoc reddidit responsum: *Ego* (inquiens) *licet inuitus has iam deseruerim partes, vobisque impulsoribus Europam adierim, bona tamen voluntate atque integra fide vestras semper foui partes, nec meas vtilitates vestris prætuli commodis. Et iam quamuis eius qui me huc pellexit venire, perfidia in propatulo claruerit, dum & me fugax reliquit, & thesaurorum partem furto abstulit, nihilominus ego vos, quasi meæ authores salutis, perpetuo colui ac fratrũ loco dilexi. Nunc igitur si secus (quod non oportet, immo quod non decet) aduersum me egeritis, præsertim cum ego corpus animamq; meã simul cum consilio ac opibus, in vestris constituerim manibus, scrutator cordium illud aduertat Deus.* His dictis, assensum præbuit, vt cum eis ad hostes descenderet. Mummolo vero monente, ne superbo veteris ad eos iret habitu: quin potius reformato ei, quem ab ipso acceperat, balteo auro fabrefacto, proprio accingeretur qui fulgore memorati carebat metalli. *In hoc* (inquit) *tua tam*

patet

Marginal notes: † Alias Comestabilem. — Leudegisili calliditas. — † al Waldonem. — † alias Kariulfum. — † alias, immo.

patet fraudulentia, dum eà quæ ex tuo vsque ad istud possedi tempus repetis. Illo quoque negante, vlla se contra eum vsurum fraude, ventum est ad portam, vbi eos fortissimi opperiebantur aduersariorum duces, Boso videlicet cum Bollone Biturigum comite, non minima satellitum vallati caterua. Quibus Gundoaldum excipientibus, Mummolus in vrbem regressus, portas firmissime obserauit. Cernens Gundoaldus se à suis derelictum, & ab hostibus circundatum, introitumque vrbis sibi præclusum, manus eleuans ad cœlum, cum cordis gemitu sic orabat ad Dominum: *Iudex æterne, ac vltor innocentium, Deus, cui omne patet secretum, qui nullius amplecteris dolum; nec lætaris fraudibus malignantium, esto velox vindex mearum miseriarum, retorquens in eos qui me tradiderunt inimicis, deceptionis ipsorum laqueum.* Post hæc verba consignans se cruce Dominica, cum his qui se ceperant, abire cœpit ad eorum castra. Nondum collem, cui ciuitas † imminet, præterierat, & impulsus a Bollone ruit in *alias qui ciuitati.* faciem, ferebaturque in profundum vallis. Cumque surrexisset, & contra aduersum montem niteretur, à Bosone lapide percussus in capite, concidit, spiritumque *Gundoaldus interficitur.* exhalauit. Inde fune ligatis pedibus protractus, loricaque qua amiciebatur exutus, ac lanceis confixus, per totum circunducitur exercitum. Mummolus vero omnes thesauros diripiens, vniuersos in diuersis occuluit locis: dataque sequentis luce diei, hostibus portas vrbis aperuit: qui in tantam cædis exarsere insaniam, vt etiam sacerdotes Domini ad ipsa iugularent altaria, reliquosq; ciuium cum ipsa concre- *Conuenæ diripiuntur.* marent vrbe. Quorum dux Leudegisilus clam ad principem Guntrannum nuntios miserat, super traditores ciuitatis eius exquisituros iudicii sententiam. Ille cunctos gladio puniri præcepit, *vt huiusmodi ausus de regno tolleretur Francorum, ne quis scilicet Tyrannis in reliquum suffragari auderet.* Quo cognito, Cariulfus cum Waddone è castris fuga lapsi sunt. Mummolus quosdam ad arma concurrere cernens, & super se irruere eos velle intelligens, ad tabernaculum Leudegisili recta graditur via, incusans fidem sibi pollicitam infringi. Cui Leudegisilus: *Ego* (inquit) *progressus cuncta* *Proditorum iusta Nemesis.* *mitigabo.* Et his dictis prolato extra limen ostii pede, signum suis, vt Mummolum cum Sagittario episcopo morti traderent, dedit. Illis iussa facere maturantibus, pueri Mummoli eo præcipiente, aditum domus defensare nitebantur; donec dominus eorum armis se muniret. Sed aliquibus eorum letho occubentibus, aliis vulneratis, Mummolus armatum se ostio obiicit, & aduersarios omni virtutis conamine cædens, exinde remouit.* Quos dum loco cedentes incaute insectatur, egressus domum à lateribus circunuenitur, confixusque telis concidit exanimis. cuius casu Sagittarius, quondam Episcopus, turbatus dum staret stupens, quidam ad eum: *vt quid* (ait) *Episcope hic ac si amens consistis? Quin potius operto, ne agnoscaris, capite festinus syluam pete.* Cui dum Pontifex parens plantas fugæ commendasset, quidam velociter gradienti caput, cum operimento eum assecutus, abstulit. Leudegisilus ad sua cum victore exercitu regredi festinans, dum milites nequaquam à rapina coerceret, cuncta, per quæ transitus fuit, vastata reliquit.

De Rigundis ad matrem reuectione.

CAP. LXXII.

His diebus Fredegundis Cuppanem cubicularium suum Tholosam direxit, exploraturum, quonam pacto erga filiam suam res sese haberent. Cui etiam hoc commisit mandati, vt quocunque valeret ingenio, eam ad patrium reueheret solum. Qui dictis obaudiens Tholosam petiit. Reginæque filiam in magna humiliatione constitutam offendit: & ad matrem, quam celerrime potuit, deuexit.

De Mummoli rebus fisco addictis, & Italia diluuio magno & pestilentia

CAP. LXXIII.

GVntrannus vero thesauros Mummoli sibi exhiberi pręcipiens, vxori eius, propter nobilitatem, qua pollebat generis, ea quæ per arrhabonem meruerat concessit. Fuerunt autem in thesauris memorati ducis talenta auri XXX. argenti ducenta. Quæ omnia Guntrannus, & Childebertus nepos eius, partiti, Clotharium extra partem constituerunt. Ea tamen quæ Guntranno regi euenerant, ab ipso vtilitatibus Dei Ecclesiarum distributa sunt. Oblatus quoque est ei ex familia iam dicti principis, inter memorata xenia homo tam immensi corporis, vt aliorum statum † hominum trium excederet mensura pedum. Eo tempore, Authario super Longobardos regnante, fuit aquæ diluuium in finibus Venetiarum, & Liguriæ, & cæteris regionibus Italię, quale post Noe tempora creditur non fuisse. In hac valida aquarum procella intantum apud vrbem Romam Tiberis fluuius excreuit, vt aquæ eius super muros vrbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Subsecuta est statim hanc inundationem grauissima pestilentia, quam inguinariam appellant. Quæ primum papam Pelagium perculit, & sine mora extinxit: denique pastore interempto, se in populum extendit.

† i. staturam.

Italiæ inundatio.

Gregor. M. Dialog. 3. c. 19.

Inguinaria lues inf. c. 86.

De beati Gregorii in papam electione, & Anglorum seu Britannorum ad fidem catholicam conuersione

CAP. LXXIV.

QVum igitur tanta tribulatio miseram quateret Vrbem, beatus Gregorius, qui tunc Leuita erat, & sub pontifice Pelagio apocrisiarii functus officio, a cunctis generaliter Papa electus est. In cuius ordinatione cum nihil aliud quam iussio principis deesset (non enim licebat tunc temporis quemlibet in Romana ciuitate ad pontificatum promoueri, absque iussione principis Constantinopolitani) vir Domini Gregorius legatum ad Mauritium direxit Imperatorem, obsecrans ne populo in sui electione præberet assensum. Cuius literas Præfectus Vrbis interceptas disrupit, & consensum populi Imperatori transmisit. Qui valde gauisus, quod locum aptum largiendi honoris Diacono, olim sibi amicitiæ familiaritate charissimo, reppererisset (nam filium imperatoris de sacro fonte susceperat) eum absque dilatione ordinari præcepit. Ordinatus autem tam cautum, tamque humilem, se in omni sua præbuit actione, vt (sicut ex gestis siue scriptis eius dignosci potest) vix vllus in successoribus eius, illi inueniri possit similis in flore eloquentiæ, ac puritate doctrinæ, vel etiam in sanctitate vitæ. Tunc temporis idem beatus Gregorius Augustinum & Mellitum, necnon Ioannem, cum aliis seruis Dei ad Britannias dirigens, suis eos literis, Episcopis ac Regibus Francorum (per quos illis transeundum erat) commendauit.* Quorum prædicatione nationem Anglorum ad Christi fidem conuersam esse in tantum gauisus est, vt in libris Moralium huius rei faciens mentionem, inter cætera de fructu bonorum operum suorum gratulans, diceret: *Ecce (ait) lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat quam barbarum frendere: nunc in Dei laudibus Hebræum nouit Alleluia resonare.*

Electio Pontif. de voluntate Imp.

Gregorius repudiat pontificatum.

Augustinus. Mellitus. Ioannes.

** Lib. 7. Registri. epist. 8. & seqq.*

Anglorum conuersio.

De

De Mummoli supplicio: de aeris intemperie: Leudegisili patriciatu: Theodeberti ortu: & aquarum in Burgundia inundatione

CAP. LXXV.

ANno XXV. regni Guntranni, Mummolus patricius rebellionis conuictus, iussu ipsius Regis Senonis † villa iugulatur. Eius vero vxor Sidonia, cum omni thesaurorum copia, à Dōmulo domestico ac Wandalmaro cameræ regis præfecto Guntranno præsentatur. [*al. Senonia.*]

Anno XXVI. eiusdem principis, exercitus Hispanias petens, insolita aeris temperie grauatus, infecto negotio est regressus.

Vicesimo autem septimo anno regni ipsius, Leudegisilus ab eodem Guntranno patricius in Prouincia ordinatur. Natus quoque est Chideberto regi filius, nomine Theodebertus. [*Theobertus 3. natus.*]

Eo anno nimia inundatio aquarum in Burgundia fuit, egressaque sunt flumina terminos suos. Signũ vero apparuit in cœlo globus igneus, qui, cum maximo tonitrus fragore, scintillans in terram decidit. Ipso quoque anno Siagrius comes, ex præcepto Guntranni, Constantinopolim ad componendam cum Imperatore pacem profectus, inibi fraude patriciatum assumere voluit. Quæ res cœpta quidem est, sed ad effectum minime deducta. Levvigildus etiam Hispaniæ rex moriens, Richaredo filio regnum reliquit. [*alias fratri.*]

De Theodorici filii Childeberti natiuitate, & ipsius Childeberti in regni successione, confirmatione

CAP. LXXVI.

ANno XXVIII. supra memorati regis, ipsi principi nunciatur, Childeberto suo nepoti alterum natum esse filium, nomine Theodoricum. Vnde eum cum Brunechilde, matre eius, ad se euocans, iterum hæredem regni sui testamento ipsum fore designauit. Acta sunt hæc loco nuncupato Andalao: quo soror simulque vxor Childeberti affuerunt, multique è Francia & Burgundia potentes: vt palam omnibus daretur agnosci, Childeberto, post auunculi sui Guntranni funus, regnum Burgundiæ deberi. [*Theodoricus. Anno DLXXXVI. Extant apud Greg. Tur. lib. 9. cap. 20.*]

De primatibus Childeberti læsæ maiestatis conuictis: & de Autharis Langobardi cum Theudelinda nuptiis, Recharedique Hispani fide Catholica, & de exercitu Burgundionum in Hispaniam misso

CAP. LXXVII.

EO tempore, Setace, Chingus † & Boso, Guntrannus, Vrsio quoq; ac Hirtefredus, optimates Childeberti regis, eo quod eum tractassent perimere, ipso ordinante peremti sunt. Sed & Leudefredus, Alemannorum dux offensam antedicti Regis incurrens, fuga elapsus ne morti adiudicaretur, latuit, & Vncelenus loco ipsius dux substitutus est. Porro apud Baioariam post Charibaldum, Thassilo a Childeberto rex † ordinatus est: qui mox cum exercitu Sclauorum prouinciam introiens, parta victoria ad solum proprium cum maxima remeauit præda. Fuit autem Charibaldus (cuius nunc mentionem fecimus) socer Autharis regis Longobardorum ex Theudelinda [*al. Setacechingus. Leudfridus Dux Aleman. f. Dux. Autharis. Theudelinda.*]

i. legati. filia sua. Quam memoratus Autharis per semetipsum, sub specie legatarii † profectus, in domo paterna contemplatus est, eamque adamauit, & postmodum sibi in matrimonium iunxit. Rechardus. Quo tempore Recharedus, rex Gothorum, non patris Lewigildi perfidiam, sed fratris Herminigildi fidem sectatus Catholicam, prius à Leandro episcopo baptizatur secretius: deinde omnes libros sectæ Arrianæ apud Toletum vno in loco adunari præcipiens, igne cremauit: & Gothos ad veræ fidei vnitatem adduxit. Anno XXIX. regni Guntranni iterato exercitus Burgundionum Hispaniam ingreditur: sed negligentia Bosonis, militiæ principis, grauiter Gothorum gladiis necatis quibusdam è suis, vix ad patriam est regressus.

De tunica Domini inconsutilis inuentione: de Luna obscuratione: & prælio cum Britannis, in quo alter Francorum ducum desideratus est, alter cui mulcta postea indicta est misere inops factus

CAP. LXXVIII.

TRicesimo vero sæpe dicti principis anno, fama per totos Francorum diuulgauit fines, tunicam Domini nostri Iesu Christi (quæ ei in passione sublata est, & vni militum sorte tradita, iuxta illud Prophetæ vaticinium, *quia super vestem meam miserunt sortem*) inuentam esse profitente quodam Simone, Iacobo patre progenito. Psal. 21. Tunica Domini inconsutilis. Qui per duas fere hebdomadas pœnis affectus, tandem professus est ipsam tunicam in ciuitate Zaphat, procul à Hierosolymis, in arca marmorea positam esse. Quam Gregorius Antiochenus, & Thomas Hierosolymitanus, Ioannes quoque Constantinopolitanus episcopus, cum aliis multis Pontificibus, triduano completo ieiunio cum deuotione maxima transtulerunt: ac in loco quo crux Dominica veneratur posuerunt, cum ipsa, in qua prius fuerat, marmorea arca. Quæ tantæ leuitatis, dum efferretur, fuisse visa est, vt nullum onus portantes sentirent. Eo anno Luna obscurata est: & inter Francos ac Britannos super fluuium Wiscon † bellum ortum, vbi Wisnona. Peppelenus. Bippelenus dux Francorum, factione Ebrecharii alterius ducis, à Britonibus iugulatur. i. propinquis. Vnde post Ebrecharius mulctam, quam lex parentibus † interfecti soluendam esse præcepit, reddere coactus, ad inopiæ malum deuolutus est.

De Autharis Langobardi legatione ad Reges Francorum, & morte

CAP. LXXIX.

ANno XXXI. Guntranni regis, Theodefredus dux Vltraiuranus moritur: eique Wadalmarus succedit. Interea rex Langobardorum Autharis, legationem verbis pacificis ad Guntrannum regem dirigit. A quo iidem legati iocunde suscepti, & ad Childebertum sunt directi, vt per eius nutum pax cum gente Langobardorum firmaretur. Dumque legati Autharis regis in Francia morarentur, rex Autharis apud Ticinum veneno (vt tradunt) accepto moritur: statimque à Langobardis nuncius mittitur ad Childebertum regem Francorum, qui Autharis regis mortem eidem nunciaret, pacemque ab eo expeteret. Quod ille audiens legatum amice quidem suscepit, pacem vero in posterum se daturum promisit. Post aliquot tamen dies cum promissa pace dimisit.

De Theudelinda Autharis vidua, Agilulfo nubente

CAP. LXXX.

Ago R. Longob. DEfuncto Authari, Theudelinda regina, quæ satis placebat Langobardis, permissu eorundem Agilulfum (qui & Ago dictus est) ducem Tauriniacium, virum stre-

strenuum ac bellicosum,& sibi maritum,& Langobardorum genti regem elegit. Ad hanc Reginam sapientissimus papa Gregorius quatuor Dialogi sui libros,quos *De vita Sanctorum* scripserat, direxit: sciens eam & Christi fidei deditam, & in bonis actibus esse præcipuam.

De monasterii in Casino direptione & de eclipsi solis.

Circa hæc tempora,cœnobium beati patris Benedicti,quod in castro Cassino situ͂ est, a Langobardis noctu inuaditur. Qui vniuersa diripientes, ne vnum quidē Monachū tenere potuerunt: vt prophetia venerabilis Benedicti patris,quam longe ante præuiderat,impleretur: qua dixit, *Vix apud Deum obtinere potui, vt ex hoc loco mihi animæ cederentur.* Fugientes porro ex eodem cœnobio Monachi Romam petierunt,secum codicem sanctæ Regulæ,quam præfatus pater composuerat,& quædam alia scripta,necnō pondus panis & mensuram vini,ac quicquid ex supellectili subripere potuere,deferētes. Monasterii autem Cassiniensis,post B.Benedictum,Constantinus,post hunc Simplicius,deinde Vitalis, ad extremum Bonitus, congregationem rexit: sub quo hæc destructio facta est. *Greg. M. l. 2. Dial. cap. 17.*

Anno XXXII. regnante Guntranno, ita à mane vsque ad medium diem Sol minoratus est, vt tertia pars ex ipso vix appareret. *Solis deliquium. de quo & Greg. Tur. lib. 9. c. 21. & de Glor. Mart. c. 76.*

De Guntranni regis obitu, & claustrali institutione.

CAPVT LXXXI.

ANno XXXIII. eiusdem regis,ipse Rex corpore exemptus,terrenum (vt creditur) regnum pro cœlesti commutans,in ecclesia S.Marcelli Cabilonis sepultus est.Hāc deniq; Basilicā ipse (vt præfati sumus) diuino succensus amore, in suburbio quidē prædictæ ciuitatis,sed in territorio Segonum,saltuque Brexio studiosissime ædificauit: vbi monachos aggregans,monasterium construxit, quod pluribus prædiis facultatibusq; ditauit: Synodum XL. Episcoporum aggregari præcipiens,vt ordo psallendi, qui in loco sanctorum Agaunensium,temporibus Sigismundi regis ab Auito & cæteris Pontificibus illius temporis institutus fuerat,in cœnobio quod ipse fabricarat teneretur, effecit. Qui videlic. ordo etiam ad sepulchrum S. Martini antiquitus celebratur: & à B. Germano in monasterio sancti Vincentii † seruari iussus: nec nō in monasterio sancti Dionysii (vt post declarabitur) à Dagoberto rege agi præceptus: & à nobis cuiusmodi essent exquisitus, taliter se habere est repertus. In diebus nanque æstiuis sex Antiphonæ binis Psalmis explicabantur. porro toto Augusto, propter crebras festiuitates, manicationes fiebant. (*Manicare* autem mane surgere dicitur) in Septembri vero septem Antiphonæ canebantur, distributis vnicuiq; binis Psalmis. In Octobri octo, cum ternis Psalmis. In Nouembri nouem, cum ternis itidem Psalmis. In Decembri decem, cum ternis similiter Psalmis. Verū in Ianuario ac Februario, vt possibilitas sinebat. Hoc tamen obseruantes, ne minus a duodecim Psalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas. Ad sextam tamē sex Psalmi cum Alleluia: ad duodecimam duodecim, idq; cum Alleluia, psallebantur, sed de his ista sufficiant. Fuit autem Guntrannus in bonitate præcipuus, in eroganda pauperibus alimonia largifluus. Christi sacerdotibus se humilem præbens, Leudis † suis beneuolum, gentibus externis pacatum. Talibus itaque pollens virtutibus, multis nationibus eius laudes præcinentibus, præsens regnum Childeberto nepoti suo relinquens, ipse ad supernum migrauit †.

Ordo psallendi.

† nunc S. Germani à Pratis.

Manicare. Luc. 21. in fine.

† i. subditis.

† 28. Martii. Martyrolog.

De Childeberto vltionem de patre & patruo in Fredegundem meditante.

CAPVT LXXXII.

CHildebertus duorum regnorum vallatus præsidiis, vltionem patris & patrui, quos factione Fredegūdis perisse certis habebat compertum indiciis, meditabatur. Cō-

gregatis igitur cunctis Austrasiis, & de regno Burgundiæ auxiliaribus validis, Gundoaldum ac Wintrionem duces his præficit, mandatque vt terram hostilem petentes, prædas agant, incendia spargant, captiuos quamplures abducant. Qui è Campania Remensi digressi, pagum Suessionicum vastaturi, aggrediuntur. Cum interim Fredegundis, euocatis qui sibi parebant Francis, ascito etiam Landerico (qui tutor à Gunttrāno, vt meminimus, Clothario filio suo datus fuerat) facta concione sic vniuersos alloquitur, & præ se puerum gestans, rogat, *ne infantiam Regis pupilli contemnentes, hostibus depopulandos agros relinquant: meminerintque se non contemptum pueritiæ promisisse, sed venerationem maiestati regiæ. Fouerent porro honorem, quem conferendum in cunis adhuc posito æstimauissent: ne in matura ætate vacuus potestatis, plenus ignominiæ Rex remaneret. Se certe, quibus posset modis, remunerationi pro filio non defuturam: quæ spectatrix cunctorum ac testis vniuscuiusque vel ignauiæ, vel virtutis, in eminentiori constituta loco desuper pugnam spectaret.* Cumque his exhortationibus, muneribus quoque, eos ad belli certamina reddidisset animosiores, ad extremum intulit: *Ne* (ait) *quempiam vestrum multitudo deterreat aduersariorum: si aperta congrediamini fronte, inueni fallendi eos viam, quæ vobis pariat victoriam. Vos tantum sequimini me præuiam: & quæ Landericum, vicem regis agentem, me suggerente videritis facere, vos quoque eadem facite.* Placuit cunctis quod dixerat Regina, & ex consilii sententia, Regem adhuc matris sugentem vbera, ferrata sequuntur agmina. Intempesta nocte surgens exercitus, syluam Landerico ducente est ingressus: qui arrepta securi, ramum præcidit arboris, suspensumque tintinabulum collo equi cui insidebat ferens, hortatur socios, vt suum omnes sequantur exemplum. Qui certatim arborum præcisis ramis, arreptisque vna tintinabulis (factum imitati ducis) matutini hostilibus astitere castris. Interea Fredegundis Clotharium filium suum propriis gestans vlnis, vsq; ad locum certaminis armatum præcedebat exercitum: vt miseratio eos infantis accēderet, quem, si victi forent, captiuum de Rege facturi videbantur. Sed vnus hostium, qui cum sociis prætendebat munia vigiliarum, clara nec dum luce eos conspiciēs aduentare, & rem prorsus ignorans, conuersus ad socium, *Quænam est*, ait, *hæc quam contemplor sylua, cum hesterno vespere hic nulla apparerent vel minima virgulta?* Cui socius: *Tu* (inquit) *pridianas adhuc ructans epulas, vinoque solutus, obliuioni mandasti: proxima saltu & opportuna nos equis nostris inuenisse pascua. Nunquid non audis tintinabula, pascentium equorum collis dependentia?* Mos quippe antiquis inoleuerat Francis, & maxime Austrasiis, vt pascentibus equis tintinabula imponerent: quo, si forte longius in pascendo oberrassent, eorum sonitu dignosci possent. Dum igitur vigiles, hos atque huiusmodi inter se serunt sermones, sylua, quæ prius apparuerat condensa, decidentibus ramis fronde quidem rarissima, sed armorum nitore videbatur densissima. Turbatis itaque custodibus, & quid agerent hæsitantibus, superueniente exercitu, cum adhuc fessi multo superioris diei labore quiescerent, alii in suis stratis, alii expergefacti, sed somno soluti pœnas dabant. Cæsi multi mortales, reliqui in fugam vertuntur. Ipsi Duces, ascensis equis, vix discrimen euasere mortis. Landericus Wintrionem frustra sequi conatus, velocis equi rapido vectum cursu minime valuit assequi. Parta tanta ac tam insperata victoria, Fredegundis cum filio Clothario, & cum armatorum maximo cuneo, Remensem inuadit Campaniam: replens omnia incendio & sanguine. Vastabantur cuncta die noctuque: exurebantur ædificia: diripiebantur patrimonia: perimebantur quicunq; erant habiles ad bella: infirmi seruabantur ad seruitutis officia. Vbi cædibus ac rapinis satisfactum, Fredegundis suum Suessionas reduxit exercitum. Acta sunt hæc in pago Suessionico, in loco nuncupato Trueco.

Campania Remensis.

Sup. c. 68. Infans in cunis præficitur prælio.

Stratagema Fredegundis.

Tintinabula equorum.

De mutua Francorum Brittonumque cæde: de Waruorum excitio: Gripponis legatione: & Francorum in Italiam expeditione.

CAPVT LXXXIII.

ANno secundo cum regnum suscepisset Burgundiæ Childebertus, exercitus Francorum simul ac Brittonum, in mutuum inhiantes interitum, mutua semet cæde prosternunt.

Sequen-

Sequenti anno multa in cœlo signa sunt ostensa: & apparuit stella cometes. Eo anno exercitus Childeberti cum Varnis †, qui rebellare tentabant, conflixit: quos etiã pene vsq; ad supremum exitio dedit. Hac etiam tempestate Grippo legatus Childeberti, cũ à Cõstãtinopoli remeasset, & eidem Regi quomodo honorifice ab Imperatore Mauritio susceptus foret nunciasset, & quod iniurias, quas apud Carthaginem perpessus fuerat, Imperator ad voluntatem Childeberti se vltum ire promisisset, Childebertus iterato viginti duces cum lecta in Italiam dirigit pube, ad delendam Langobardorum gentem: è quibus Andoaldus, & Olo, atq; Cedinus, eminentiores fuere. Sed Olo, cum improuide ad Bilitionis castrum accessisset, iaculo sub mamilla sauciatus cecidit, & mortuus est. At vero Andoaldus & sex Duces Francorum ad Mediolanenses venientes, in campestribus castra posuerunt. Quo loco Imperatoris legati ad eos venerunt, nunciantes adesse exercitum in adiutorium eorum: dicentesque, *Quia post triduum vna cum eis veniemus: & hoc vobis erit signum, Cum videritis villæ huius, quæ in monte est sita, domos incendio concremari, fumumque vsque ad cœlos conscendere, noueritis nos cum cohortibus, quas pollicemur, aduentare.* Sed expectantes Francorum Duces diebus sex iuxta placitum, nullum ex his quos legati promiserant venisse conspexerunt. Cedinus autem cum tredecim Ducibus lęuam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, à quibus etiam sacramenta exegit. In Tridentino quoq; territorio, decem castella à Francis diruta, & commanentes in eis vniuersi ducti captiui. Pro Ferruge vero castro intercedentibus episcopis Ingenuino Sauionensi, & Agnello Tridentino, data est redemptio, per caput vniuscuiusque viri solidus vnus, vsque ad summam sexcentorum solidorum. Interea Francorum exercitus, cum esset tempus æstiuum, propter inconsueti aëris incommoditatem, dysenteriæ morbo grauiter laborabat. Cumque per trium curricula mensium Italiam peruagaretur, neque Regem, quem perditum venerat, attingere valeret, eo quod se intra Ticinensem vrbem clausisset, aëris (vt diximus) intemperantia infirmatus, ad propria rediit.

Cometes. *alias, Vatnis, forte sunt VVerini.* *Grippo.* *Greg. Tur. 10.c.2.*

De Childeberti & vxoris interitu, & filiorum eius Theodeberti & Theodorici successione.

CAPVT LXXXIV.

ANno quarto regni Burgundiæ à Childeberto suscepti, paterni vero regni vicesimo tertio, ætatis porro suæ XXV. idem rex Childebertus cum vxore propria (sicut fertur) vi veneni extinguitur. Hic est Childebertus filius Sigeberti, qui etiam *Iunior* dictus est. Cui successerunt duo filii sui, adhuc pueruli, sub tutela auiæ Brunichildis constituti, & Theodeberto quidem, regnum Austrasiorum, quod pater Childebertus à genitore suo Sigeberto sibi relictum acceperat: Theodorico autem, regnum Guntranni, quod Childebertus iure adoptionis tenuerat, sorte obuenit. Qui & sibi sedes in his locis, in quibus & priores constituere reges. Ad hos fratres, & ad auiam eorum Brunechildem, extant epistolæ beati Gregorii Romani pontificis †, Augustinum, quem Anglis Saxonibus destinauerat Episcopum illis commendantis: in quibus idem vir Domini, petenti memoratæ Reginæ †, fatetur se reliquias beatorum Apostolorum Petri & Pauli misisse.

Diuisio regni inter filios Childeberti. *lib. 5. Registri, epist. 58. seq.* *lib. 5. ep. 15.*

De Hunnorum in Thoringiam irruptione, & Agilulfi seu Agonis legatione in Franciam

CAPVT LXXXV.

TVnc temporis Huni (qui & Auares dicuntur) à Pannonia egressi, in Thoringiam, bella grauissima cum Francis gesserunt. Qui tamen a Brunichilde, seu ab eius nepotibus, accepta pecunia redierunt ad propria.

Huni. Auares Hungari.

Agnellus episcopus.

Ago quoque rex Langobardorum, causa eorum qui ex castellis Tridentinis captiui à Francis ducti fuerant, Agnellum Tridentinum episcopum in Franciam misit. Qui exinde rediens, aliquantos secum captiuos, quos Brunichildis ex proprio redemerat, reuocauit. Euum etiam dux Tridentinorum à præfato principe missus, pro obtinenda pace ad Gallias perrexit: Qua impetrata ad Italiam reuersus est.

De Fredegundis grassatione & morte, Quintrionis cæde, Coleni patriciatu, Inguinaria peste, & piscium præ feruore fluuii decoctione, & VVarnecharii liberalitate

CAPVT LXXXVI.

Fredegundis mors. nunc S. Germani. Quintrionis cædes. Colenus Patricius. Inguinaria. Pisces in fl. decocti. VVarnecharii liberalitas.

EO igitur anno quo Childebertus vita decessit, Fredegundis regina, cum filio Clothario, superioris victoriæ elata triumpho, Parrhisios & reliquas vrbes ritu peruasit barbarico. Quorum exercitus super Theodebertum & Theodoricum reges irruēs, adunatas ab ipsis militares copias loco nominato *Latophao* graui cæde labefactauit, reliquosque in fugam egit. Anno secūdo regni Theodeberti ac Theodorici, Fredegundis regina senex & plena dierum defuncta est, ac in Basilica sancti Vincentii † in suburbio Parrhisiensi sepulta. Anno tertio supradictorum regum, Quintrio dux, instigāte Brunichilde, interficitur. Sequenti abhinc anno Colenus, genere Francus, Patricius ordinatur. His diebus, apud Massiliam & reliquas Prouinciæ ciuitates, nascentibus in hominum inguinibus, seu delicatioribus locis, quibusdam glandulis in modum nucis, maxima generata est mortalitas.

In lacu quoque Dunensi, in quem Arula flumen influit, aqua feruens adeo ebulliuit, vt multitudinem piscium decoctam ad litus proiiceret. Warnecharius autem, maior domus regis Theodorici, moriens omnes facultates suas in alimonias pauperum distribuit.

De Brunichildis casu, mirabilique errore & gratitudine in Pauperem ductorem, deque prodigiis cœlestibus

CAPVT LXXXVII.

Pauper fit episcopus Altissiodorensis. Prodigia cœlestia.

PORRO Brunichildis à Theodeberto nepote suo, & proceribus, qui ei parebant, de regno Austrasiorum expulsa, & à quodam paupere in Marciacensi campania sola inuenta & cognita, ipsa petente ab eo ad Theodoricum alterum nepotem suum est deducta. Theodoricus auiam Brunichildem, eo quo digna erat honore susceptam, secum quoad vixit fecit manere. Pauper, quo ductore sæpefata vsa fuerat Regina, ob huius vicissitudinem beneficii Altissiodorensem adeptus est episcopatum.

Anno quinto memoratorum Regum, iterum ea, quæ superioribus annis, apparuere signa, globi scilicet ignei, in partibus Occidentis per cœlum currentes, instar multitudinis astrorum.

De crudelissimo Regum inter se conflictu: & Angeli visione: Clothariique fuga & damno

CAPVT LXXXVIII.

THEODEBERTUS itaq; ac Theodoricus, conceptam iamdudum contra Clotharium, patruelem suum, rixam tandem parturiunt, & adnitente auia Brunichilde, super fluuium Aruennam, nec procul à Doromello vico, cum eo prælio confligunt: ibique

tanta

tanta strages ex vtrisque partibus, & maxime ex Clotharii parte, facta est, vt fluuius ipse humanis oppletus corporibus, suos nequiret explere cursus. In ea pugna Angelus Domini euaginatum astans, visus est tenuisse gladium. Clotharius suos immanissime sterni conspiciens, in fugam vertitur, & per Milidunum † castrum in insula Sequanæ situm, Parrhisios properat. Theodebertus & Theodoricus post terga fugientem secuti, ciuitates regni eius magna ex parte euertentes, ciues seruituti subiiciunt. Coactus Clotharius tenorem pacti ab hostibus propositi, inuitus licet, firmauit, vt inter Ligerim & Sequanam, vsque ad mare Oceanum limitemq; Brittonum, dilataretur Theodorici regnum: & inter Sequanam & Isaram † ducatus integer Denteleni, itemque vsque ad mare, Theodeberto cederet. Duodecim tantum pagi, inter Sequanam & Isaram vsque ad maris Oceani litora, Clothario remanserunt.

hod. Melun. — *alias, Isram.*

De Cathini cæde, Sigeberti ortu, Agilæ nece, Vasconum domatione, Adoaldi Langobardi sublimatione, strage apud Saxones

CAPVT LXXXIX.

ANno sexto regni Theodeberti, necnõ & Theodorici, Cathinus dux Theodeberti interficitur. Sequenti abhinc anno, Theodorico ex concubina nascitur filius, nomine Sigobertus. Et Egila patricius nullis culpis exstantibus, sed sola suggerente cupiditate, per consilium Brunichildis est peremptus, facultatesque eius fisco associatæ. Eo tempore Theodebertus ac Theodoricus Wascones domuerunt, Ducemq; super eos, nomine Genialem, instituerunt. His diebus, leuatus est Adoaldus † Rex super Langobardos Mediolani in circo, in præsentia patris sui Agilulfi † regis, astantibus legatis Theodeberti regis Francorum, & desponsata est eidem regio puero, filia regis Theodeberti, & firmata est pax perpetua, cum Francis. Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus, magna strages ab vtrisque partibus facta est.

Cathinus caditur. — *Sigobertus* — *Egila cades.* — *VVascones domantur.* — *alias Adoloaldus.* — *Aliulfi.*

De inuentione corporis B. Victoris: de Etherii Lingonensis archiepiscopi obitu: de Childeberti minoris ortu: Desyderii episcopi deiectione, & Dommili surrogatione, ac solis eclipsi

CAPVT XC.

BEatus vero Enchonius †, pontifex Maurienensis, corpus S. Victoris (qui Solodori vna cum sancto Vrsio passus † fuerat) hoc modo inuenit. Quadam nocte in sua ciuitate quiescentem, reuelatio diuina per visum ammonuit, vt surgens quantocyus ad ecclesiam, quam Sedeleuba quondam Burgundionum regina in suburbano Genabẽsi † construxit, iret: ibi, in medio Basilicæ, esse designat locum quo corpus sanctum esset humatum. Cumque Episcopus Genabensem † festinus adisset vrbem, assumptis secum Rustico & Patricio antistitibus, triduano peracto ieiunio, nocte sequẽti, eo loci quo gloriosi Martyris quiescebant membra, lux cœlestis apparuit. Tunc hi tres Domini sacerdotes, eleuato quo tegebatur lapide, inuenerunt sanctum in arca argentea iacentem. Cuius facies, septemplicitet quam cuiuslibet viuentis hominis, diuino irradiata resplendebat fulgore. Huic tam mirandæ egregii Martyris inuentioni interfuit Theodoricus princeps: qui loco illi maximam portionem facultatis Warincharii † contulit: quam ille (vt præfati sumus) eleemosynis delegauerat erogandam. Ad sepulchrum denique beatissimi Victoris, Christi potentia multa exinde miraculorum ostendit signa. Eo anno Etherius Lingonensis archiepiscopus obiit: ordinatusque est Secundinus loco ipsius.

alias Echonius. — *vlt. Septemb. Anno 608. Sigebert.* — *hod. S. Geruais.* — *hod. Geneuensem.* — *alias, VVarnicharii.* — *Archiepiscopus Lingonensis.*

Anno octauo regni Theodeberti, ex concubina nascitur ei alter filius, auum Childebertum nomine referens. Synodus etiam Cabillonæ collecta, Desyderium Viennẽ-

ſem epiſcopum deiecit: eoque factione Brunichildis & Aridii Lugdunenſis pontificis, qui Secundino ſucceſſerat, in exilium acto, ſubrogatus eſt Dommilus † in ſacerdotale officium. Eo anno eclipſis Solis facta eſt.

alias Dommulus.

De Corbi qui comes palatii euaſit ortu: Bertoaldi interitu: & Protadii Brunichildis amatoris inſolentia: & regum conflictu

CAPVT XCI.

Bertoaldus.

Protadius.

ANno nono memorati regis, iterato ei filius naſcitur nomine Corbus, comes palatii ipſius principis. Tunc temporis Bertoaldus erat vir ſapiens & cautus, moribus Regis congruus, in prælio fortis, ac in commiſſo fidelis. Protadius vero quidam erat, genere Romanus, Brunichildi cauſa ſtupri familiariſſimus, & ob id in pago Vltraiurano, poſt Wandalmarum, ab ea Dux conſtitutus. Creſcente itaque conſuetudine vitii, creuit ſimul & deſiderium honoris augmentandi. Tacite ergo hoc præmeditata conſilium, præſumpſit nepotem orare ſuum, vt interficeret Bertoaldum, & maiorem totius regiæ domus conſtitueret Protadium. Tum forte Bertoaldus, a Theodorico cũ trecentis in Neuſtriam, vt partem regni eius tueretur, directus viris, à Renanno † villa venationi operam dabat. Quo comperto, Clotharius filium Meroueum & Landericum ducem, datis in adiumentum viris ſtrenuis, ad opprimendum Bertoaldum dirigit. Bertoaldus hoſtes ſuper ſe, certis nuntiis id deferentibus, irruere velle cognoſcens, & ſe ad reſiſtendum viribus imparem fore ſciens, terga vertens Aurelianos ſe confert: ibique à beato Auſtreno eiuſdem vrbis epiſcopo ſuſcipitur. Landericus ante portam ciuitatis Aurelianenſis exercitu deducto, Bertoaldum ad pugnam egredi prouocabat. Cui Bertoaldus: *Numeroſo*, ait, *vallatus milite confidis me cum paucis tibi non poſſe reſiſtere: verum (ſi placet) nos duo ſingularis ineamus certamina pugnæ, procul ſuſpenſa armatorum multitudine, & rei euentum expectante: nullius adſit ſolatium ſatellitis: ſolius expectetur examen iuſti iudicis.* Recuſante Landerico congredi, Bertoaldus iterato dixit ei: *Quia formido te nunc prohibet mecum manum conſerere, proximum eſt vt domini noſtri, pro tuis auſis temerariis, quibus præſumpſiſti præripere partem regni domini mei Regis, inter ſe decernant cum armatorum cuneis. Tunc (ſi placebit †) ego & tu vermiculatis adoperti veſtibus, inter conferta congrediamur agmina: ibi & meæ probrum ignauiæ, & virtutis tuæ poteris documenta perſentiſcere.* Has conditiones non renuente Landerico, vtrique quædam ſibi adinuicem, ſi a cœpto deſiſterent, imprecati ſunt maledicta. Hæc dum in die feſtiuitatis ſancti Martini geſta fuiſſent, & Theodoricus pro certo agnouiſſet, quod pars regni ſui à Clothario peruaſa foret, ipſa die qua Incarnati Verbi natiuitas à cunctis fidelibus deuote colitur, promouet exercitum, & apud Stampas † ſuper fluuium Iunna, contra Clotharium, qui haud ſegnius parabat occurrere, aciem dirigit. Sed dum arctus eſſet Iunnæ fluminis tranſitus, antequam totum Theodorici pertranſiret agmen, initum eſt certamen. Inter confertiſſimas igitur, ac in mutuam inhiantes perniciem phalanges, Bertoaldus nominatim Lãdericum vocitare, & vt ſecum iuxta placitum congrederetur, non ceſſabat prouocare. Quod dum Landericus abnueret, ac paulatim loco cederet, Bertoaldus ad ſolum ſubeundæ mortis affectum inſurrexit: & quia iam cognitum habebat, quod Brunichildis eum à priſtino honoris gradu deiicere, ac Protadium pro eo moliretur conſtituere, melius iudicauit cum decore bello oppetere, quam reliquum quod ſupereſſe poterat, vitæ cum dedecore ducere. Dum itaque palantia ſtudet impulſare agmina, oppreſſionemque in cedentes hoſtes facere, occurrentes quoque mucrone ſterneret, vnus a multis circundatus oppreſſuſque extinguitur. In eo prælio Meroueus filius Clotharii capitur: Landericus cum Clothario in fugam vertitur: Theodoricus victor Parrhiſios ingreditur. Poſt hæc Theodebertus cum Clothario Compendium venit: exercitus vero eorum illæſus ad propria rediit.

alias, Arenanno.

Gall. Si vous plaiſt.

Bertoaldus Landericum ad ſingulare certamen prouocat.

hod. Eſtampes.

De Protadii Romani (qui factus est magister seu maximus domus regiæ) auaritia fœda, ob quam omnibus euasit inuisus, & tandem à proceribus est interfectus, & Reges reconciliati: deque successione Claudii Romani viri prudentis

CAPVT XCII.

ANno decimo regni Theodorici, iuxta voluntatē Brunichildis, ex præcepto Theodorici Protadius Maior domus constituitur. Qui quum sensu argutissimus, ac in consiliis haberetur cum primis strenuus, sæua tamen illi inerat contra locupletes cupiditatis macula, fiscum volenti replere, ac seipsum ditare: deniq; nobilitatem insectando Burgundiæ, omnes cupiens sibi subiicere, res eorum conabatur iniuste auferre, ne quis sibi posset honorem quo fruebatur subripere. Quapropter non valebat quilibet potentum reperiri, qui eius vellet familiari colloquio vel amicitia frui. Sed dum Brunechildis, veteris inimicitiæ recordatione, vindictam meditaretur expulsionis † suæ, (*De qua sup. cap. 87.*) moneretq; Theodoricum thesauros patris de manu Theodeberti quærere (asserens, *illum non Childeberti, sed cuiusdam hortulani, filium fuisse*) Protadius cœpit Regem ad hæc peragenda studiosius commonere. Tandem Theodoricus cum exercitu profectus, apud Cariciacum castra posuit, paratus in crastinum cum fratre cōgredi: qui haud procul cum valida Austrasiorum consederat manu. Interea Leudi Theodoricum hortari ceperunt, *vt fratri reconciliaretur, nec vanissimæ cupiditati postponeret decus germanitatis.* Protadius contra, vehementer resistere, dicens, *pacem fieri non oportere.* Animaduertētes cæteri proceres eum solum esse, qui consiliis eorum refragaretur, alterutrum sermocinabantur opportunius fore vnum tradere morti, quam totum exercitum periclitari. Opportune Rex exercitationis gratia, tentorio egressus, rumore ferente, comperit quosdam Protadium velle perimere: & proripere sese volens, vt eos ab iniuriis memorati viri remoueret, à suis prohibitus ac vi detentus, mittit quendam, Vncelenum nomine, qui principibus factionis, iussionis suæ auctoritate, tales interdiceret † ausus. (*alias, indiceret. f. inhiberet.*) Tunc Vncelenus ad eos veniens, qui iam tabernaculum Regis circundederant, quo Protadius vna cum Petro, medicinæ artis perito, ad tabulas ludens sedebat, taliter infit: *Iubet dominus meus Rex Theodoricus, vt interficiatur Protadius paci contrarius.* Post quod verbū certatim omnes tentorium gladiis conciderunt, & Protadium inibi peremerunt. (*Protadius interimitur.*) Theodoricus licet à suis coactus, cum fratre Theodeberto pacificatur: & vtrorumq; exercitus saluus ac integro numero, ad sua regreditur. Anno XI. regni Theodorici subrogatur Protadio maior domus quidā Claudius, itidem Romanus genere: homo prudens, fide plenus, iocundus in fabulis, prouidus in cunctis: sed sagina corporis valde grauis. (*Claudius Maior domus.*) Qui prædecessoris sui territus exemplis, amicitiam cum vniuersis seruans, lenem se ac fauorabilem præbebat. His diebus defuncto Scubilione cœnobii sancti Vincentii abbate, Desyderius ei successit in regimine.

De vltione quam Brunichildis de inimicis Protadii cepit: deque Desyderii episcopi lapidatione.

CAPVT XCIII.

ANno XII. regni Theodorici, Vncelenus, qui fallacia sua Protadio causa mortis extiterat, insidiis Brunichildis pede truncatus, rebusque suis expoliatus, egens est redditus. Wolfus quoque patricius eo, quod in necem iam dicti consensisset Protadii, in Farmiaco villa suggerente Brunichilde, iussu Theodorici interficitur. Natus etiam est ex concubina Theodorici filius, nomine Meroueus: quem rex Clotharius de sacro fonte leuauit. Porro sæpe dictus rex Theodoricus, persuasionibus Aridii

Desyderius Viennensis episcopus. Lugdunensis episcopi, ac auiæ suæ Brunichildis deceptus, S. Desyderium Viennensem pontificem exilio reuocatum lapidari præcepit. Ad cuius tumulum miracula crebertime sunt ostensa.

De Hermeberga filia regis Hispaniæ infaustis cum Theodorico nuptiis

CAPVT XCIV.

Ebroinum. TVnc temporis Theodoricus Aridium præsulem, Rocconem & Eborinum † præfectos equorum, ad Bertricum regem Hispaniæ direxit: qui filiam illius, coniugio sibi sociandam poscerent, & si pater vellet, iusiurandum præberent, *Quod diebus vitæ suæ eam regio non priuaret honore.* Cui Bertricus gaudens annuit, puellamque Legatis tradidit. Quam Theodoricus lætus accipiens, primum vnice dilexit: (hæc tamen maleficiis Brunichildis virum non cognouit) deinde, faciente eadem auia sua, Theodoricus Hermembergam (id quippe nomen virgini) thesauris expoliatam abire præcepit ad Hispaniam. Hac de re indignatus Bertricus, ad Clotharium regem (Theodorici ex patruo genitum) misit Legatos, qui eum ad belli societatem, expositis iniuriæ causis, inclinarent. Vbi ille votis eorum visus est satisfecisse, cum missis ipsius ad Theodebertum recta proficiscuntur via. Hunc quoque auxilio sibi affuturum cognoscentes, recta ad Agonem Langobardorum regem, cum supra memoratorum legatis regum, iter dirigunt: vt ii quatuor reges super Theodoricum irruentes, eum vita simul & regno priuarent, & vindictam contumeliæ regi Hispanorum illatæ sumerent. Cumq; Theodorico perlatum fuisset, huiusmodi consilium illos contra se struere velle, despectui habuit, vt futile. Legatus vero Bertrici cuncta pro quibus venerat se autumans impetrasse, ad Hispaniam nauali rediit euectione.

De Columbani Hyberni in dicendo libertate, & miraculis: Regisque resipiscentia simulata: Bobiique cœnobii constructione: & Columbani transitu

CAPVT XCV.

Columban. REgni Theodeberti ac Theodorici anno XIV. B. Columbanus ab Hybernia Oceani insula progressus, primum à Theodeberto suscipitur; demum, propter confluentiũ ad se populorum multitudines, inde migrans & solitariam agere vitam cupiens, ad regnum Theodorici transiit, atque in loco cui *Luxouium.* Luxouium nomen est, a præfato Rege habitare est iussus. Ad quem visitandum dum frequenter Rex adueniret, ac a viro Dei, *cur relicto legitimæ coniugis matrimonio, adulterinis deseruiret commixtionibus?* argueretur, illeq; ad obediendum eius salutaribus monitis aurem cordis inflecteret, auia Brunichildis vipereis antiqui hostis inflammata incitamentis, aduersus S. Columbanum commoueri cœpit acrius. Sed sanctus vir illius malitiæ obuiam ire parans, ad eam in Bruchariacho villa commorantem properat. Cui Regina cum nepotibus suis Theodorici filiis occurrens, orabat, vt regiam prolem benediceret. At ille ait, *nequaquam illos regalia sceptra suscepturos, eo quod de Lupanaribus emerserint.* Regina indignata, pueros præcepit abire, & ipsa post paululum est secuta. Viro autem Domini ad propria egredi festinante, & regiæ aulæ limen pede tangente, subito fragore totius mota est domus fabrica. *Brunihildis obduratio.* Sed nefandissimæ mulieris mens non est commota: immo maiori iracundiæ igne succensa. Verebatur enim quod omni extorris dignitate pelleretur à regno, si Rex posthabitis meretriciis delinimentis, alicuius regalis fœminæ potiretur coniugio. Interdixit igitur egressum & regressum a monasterio tam sancto viro, quam fratribus cum eo manentibus: præcipiens suis optimatibus vicina cœnobio loca colentibus, ne quempiam exire permitterent, vel progressum hospitio susciperent. Denuo vir sanctus, vt eam a tanta moneret desistere pertinacia, ad palatium

perre-

perrexit. Eo forte die Theodoricus cum auia sua in Spinsia residebat villa: nuntiaturq; ei hominem Dei pro foribus stare, nec in hisdem ædibus hospitare velle. Tunc Rex iram Domini sibi imminere veritus, melius dixit esse virum Dei opportunis subsidiis honorare, quam Deum ex seruorum eius offensa ad iracundiam prouocare. Iussit ergo regio cultu quæcunq; erãt victui necessaria parari, & domini famulo per ministros proprios deferri. Quod dum illi maturato implessent, B. Columbanus seuero (vt erat) vultu respiciens in eos, inquirit quid sibi ista velint? Dictum ab eis est, alimenta esse in suos suorumq; vsus à rege directa. Quibus ille, *Non* (inquit) *teste scriptura accepta sunt Deo impiorum munera: itaque non oportet eius seruos suscipere, quæ ipse probatur odisse.* Post hoc verbum vasa cuncta in frusta disrupta, vinum ac sicera solo fusa, cæteraq; separatim sunt dispersa. Pauefacti regii ministri, ad Regem reuersi rei gestæ ordinem promunt. Rex nimio terrore perculsus, diluculo cum auia ad virum Dei properat: precantur de commissis veniam: pollicentur in reliquum actorum suorum emendationem. His pacatus promissis ad monasterium rediit. Verum hæc pollicitatio nullius efficacis protulit fructum operis. Nam Theodoricus in cœno luxuriæ (vt ante consueuerat) est obuersatus: & Brunichildis animus semel nequitia imbutus, a persecutione beati viri nequaquam est immutatus: quin potius eo vsq; processit spiritus immanitatis ferox, vt nepoti suaderet sanctum Dei in oppidum Vesuntionum exilio relegari: indeq; reuersum vsq; ad maris Britannici litora deduci, vt transfretato freto, nunquam de cætero Galliarum reuiseret arua. Cumque vir Domini, secundum sui propositum animi, deliberasset ad patrium solum nullo modo regredi, per regnum Theodeberti ad Italiam transiens, cœnobium, quod Bobium dicitur, construxit: plenusque sanctitatis ac dierum migrauit ad Dominum.

Regis resipiscentia.

Bobium ædificatur.

Theodoricus metu fratris cum eo paciscitur

CAPVT XCVI.

ANno xv. regni sui Theodebertus aliqua sibi de fratris Theodorici possessionibus adiungere parans, cum in se excitauit. Veruntamen prouido prudentium cõsilio virorum electus est locus, cui Saloissa † cognomen, vt fratres ad destinatum locum cũ paucis, sed Franciæ primoribus, conuenientes quæ pacis essent eligerent. Ibi Theodoricus cum decem millibus tantum virorum, Theodebertus vero cum magna Austrasiorum affuit manu: bello, etiam si frater petitis annueret, turbare pacem volẽs. Theodoricus tantæ multitudinis contemplatione perterritus, quæ ille cupiebat, quanuis non sponte concessit. Conuentus fratrum huiusmodi fuit: *Vt Alesatio, & Sugitensi* †, *Turonensi quoque, ac Campanensi, comitatu Theodoricus cederet: & ad Theodebertum ius omnium horum transiret.* Inde cum gratia, sed simulata, discessum est: ac se inuicem salutantes, vterque ad sua regna sunt regressi.

olim Saletio, hod. Selta. prope Rhenũ.

f. Suitensi.

De Alemannorum in Vltraiuranos grassatione

CAPVT XCVII.

HIs diebus Alemãni Veneticorum fines ingressi, Vltraiuranos Cambeleno & Herpino ducibus sibi obsistere conatos acie superant: ac vsque ad refugia montium persecuti, prosternunt. Dehinc, nullo inquietante, Iuranum saltum peruagantur, cædibus ac incendiis cuncta per quæ transibant, replentes: captiuisque plurimis abductis, cum spoliis & ingenti præda redierunt ad propria.

Alemanni Vltraiuranos superant Iuranus saltus.

De Theodorici consiliis, & Theodeberti infami coniugio: de Berto Leunisio: & Apologo eius de lupo: & regum conflictu

CAPVT XCVIII.

THeodoricus acceptas iniurias vlcisci desiderans, cum suis tractabat, quo pacto

fratrem opprimeret. Eo anno Theodebertus Bilechildem (quam Brunechildis à mercatoribus emptam, eo quod foret forma egregia, illi dederat coniugem) interemit puellam, Theudechildem nomine sibi accipiens in vxorem. Theodoricus (vt præfati sumus) Theodebertum infestis insectans odiis, ad Clotharium mittit, qui velut ex persona sua dicerent: *Contumeliis à fratre affectus, reddere ei quæ meretur cogito, si te illi non affuturum auxilio cognouero. Quapropter ego rogo te, quietum manere, nil adiumenti illi ferentem: pollicens, si victor euasero, regnumque cum vita ab eo quiuero auferre, ducatum Dentileni, quem ipse tibi iniuste sublatum retinet, me tuæ remissurum potestati.* Huic petitioni † assentiente Clothario, Theodoricus anno XVII. regni sui mense Maio, vniuersos ditionis suæ ad bella promptissimos Lingonis coadunari præcipiens, ac per Vernonam castrum (tum temporis ædificari cœptum) iter faciens Tullum deuenit. Ibi obuium habens Theodebertum, cum supplemento militiæ Austrasiorum, non dubitauit conserere manum: in campania † nanque Tulensi aduersus fratrem congressus, exercitum eius grauiter attriuit. Euasit tamen Theodebertus, & fugiens prælio, per Metensem vrbem, saltumque Vosagum, Coloniæ ciuitatis receptacula petiit. Theodoricus fratrem persequi e uestigio festinans, beatum Leunisium Magontiacensem antistitem obuium habuit: à quo huiusmodi monita percepit: *Inchoatis*, inquit, *insiste, & ad perfectum, iuuante Deo, istius attinges operis. Rustica refert fabula, lupum catulos suos ad prædam ducentem, eos ad se in montem vocasse, taliaque mandata dedisse: Neminem, ait, quæ vobis filii expediant per alienos quærere scitote, nisi per paucos qui ex vestro sunt genere. Vnde vos moneo susceptà non deserere munia, & victus inuestigare necessaria.* His suggestionibus Theodoricus, haud segnis executor, paruit: præcipue sciens eum suæ fauere vtilitati, & Theodeberti stultitiæ aduersari. Transitaque Ardenna, Tulliacum † vsque accessit. Theodebertus interea, qui fugam parauerat, distulit. Nam Saxones cæterasque superioris Germaniæ gentes, in sui solatium sollicitatas bello, in supra nominato opponit loco: & certatum est acriter, quoad Theodebertus restitit. Renitebatur enim, quamuis exercitus eius more pecorum obtruncaretur. Vbi vero ipse, pondus prælii pati non valens, fuga sibi consuluit, auersi sunt omnes qui constiterant pugnaturi. Quorum maxima pars incerta fuga dispersa extinguitur: residui Coloniam versus, cum Rege festinanter properant. In prima pugnæ congressione, tanta vtriusque partis animositate concursum est, vt cadauera interfectorum, præ multitudine comprimentium se populorum, non valentia ad terram ruere, quemadmodum equis insederant, vna cum viuis circunferrentur. At postquam phalanx victa, hostibus terga nudauit sua; viarum strata, necnon syluarum deuia, corporibus mortuorum sunt repleta. Theodorico vbi factum est indicium Theodebertum euasisse, incentiuum accelerandi itineris accessit: vt conficiendi belli impendium putaret, si dux & populus bello promptior interciperetur †. Adueniens itaq; cum suis in Ribuariorum fines sese immisit, occurrentia quæque deuastans vel exurens. Cuius terræ incolæ ad eum venere rogatum, *Ne ob vnius culpam dissidium pararet eis, quos suos fore sciret* [illegible]. Quibus ille: *Non* (inquit) *vobis, sed Theodeberto, interitus paratur: cuius caput, si meam promereri vultis gratiam, vos necesse est auferre, aut ipsum viuum, vinctumque ad me perducere.* Illi regiam Coloniæ introgressi, Theodeberto taliter locuti sunt: *Sic* (inquiunt) *mandat Theodoricus frater tuus; Si* (ait) *recipere meruero thesauros paternos, quos Theodebertus à* [illegible] *iniuste retinet peruasos, proprias festinus repedabo domos. Ideo te hortamur, domine Rex, vt portione quæ ei debetur reddita, nostra eum non sinas infestare domicilia.* His Theodebertus dictis credulus, ac pro vero prolata arbitratus, locum quo regalis continebatur gaza, pariter cũ ipsis est ingressus. Eo igitur perscrutante, quid fratri opportunius, sine sui damno, posset restituere, vnus è circunstantibus, euaginatum gladium ceruici eius illidens, caput abstulit, ac per muros Coloniæ circuntulit. Quod cernens Theodoricus, ipsa confestim vrbe potitus, regias inuasit opes, & primates ciuitatis in [illegible] iurare compellens, dum in Basilica sancti Gerionis sacramenta exigeret, visum illi fuit, quendam pugno suo se in latus percussisse. Et conuersus ad suos, *Obseruate,* ait, *ad ostia, ne quis egrediatur: eo quod ignorem, quis horum Ribouariorum †, periurio obnoxiorum, me vulnerare conatus sit.* obseruantibus autem his, à cubiculariis, veste remota latus Regis inspectum, nullumq; vulnus est inuentum: Solummodo signum quoddam.

Marginal notes: al. pactioni. — Champaigne, i. planities. — Apologus de lupo. — al. Tulbiacū, hod. Zulich. — al. interficeretur. — E gestis Frā cor. c. 38 f. 78 — Theodebertus Rex perimitur. — al. Ribuariorum, Gall. Ribaroles.

dam apparuit purpureum: quod ego reor citæ mortis fuisse indicium. Compositis ex sententia rebus, inde cum multis spoliis progressus, secum abduxit filios fratris sui, cum filia quæ specie nitebat decora. Dum Mettos aduenisset, repperit auiam suam Brunechildem inibi obuiam sibi venisse. Quæ arreptis Theodeberti filiis, eos sine mora neci tradidit: & minorem quidem natu, Merouemm nomine, in albis adhuc positum, lapidi illisum innocentem coëgit exhalare spiritum. Regnauit itaque Theodoricus annis XVII. Quidam vero auctores † scripserunt, Theodebertum post illam Theodorici victoriam, suamque ærumnam, Rhenum transisse: & Theodoricum, capta Colonia, Bertarium cubicularium suum ad comprehendendum eum misisse: à quo comprehensus, atque ad Theodoricum perductus, indumentisque regiis exutus, Cabillonas dicitur in exilium fuisse relegatus. Ob recompensationem quoque tam præclari operis, Bertarius equum eius cum stratura regia fertur a Theodorico percepisse.

Brunichildis crudelitas.

Fredegar. c. 38. in hac editione fol. 131.

De Clothario ducatum recipiente: & ira Theodorici in eum

CAPVT XCIX.

CLothario, iuxta pactum quod cum Theodorico (eo quo supra memorauimus modo) pepigerat, Ducatus Denteleni suo restituitur domino. Vnde Theodoricus, cernens Austrasiorum sibi parere regnum, indignatione nimia permotus, Clothario per legatos mandat, *Vt se de memorato ducatu remoueat. Quod nisi efficiat, se ad vindicandam illatæ contumeliæ iniuriam, quibus posset non defuturum modis.*

De Theodorico fratris filiam procante, & ob id à Brunechilde increpito: deque eius in Brunechildim ira: & Brunechildis, quæ eum veneno sustulit, in eundem crudelitate

CAPVT C.

INterea dum Mettis moraretur Theodoricus, amore filiæ fratris Theodeberti (quam Coloniæ captiuauerat) deperire cœpit. Quam dum sibi copulare vellet, ab auia, ne hoc faceret, prohibebatur. Cui ille, *Et quid*, ait, *incurram offensionis, si illam vxorem duxero?* Ad hæc Brunechildis: *Non* (inquit) *est fas fratre progenitam, te habere coniugem.* Ad hæc Theodoricus, vt audiuit, felle commotus, tali ei respondit modo: *Nonne tu Deo odibilis, cunctisque inuisa bonis, mihi dixeras, cum fratrem non esse meum † ? vt quid imposuisti mihi tam graue onus fratricidii?* & euaginato ense voluit eam percutere: Quæ à circunstantibus erepta, ac manibus domo elata †, mortis quidem euasit discrimen, sed nepoti dolos parauit temeritate fœminea. Nam egredienti è balneo, per manus ministrorum, pecunia corruptorum, veneni porrexit poculum. Quo hausto, vt pœnitens scelerum quæ gesserat, vitæ sortitus est terminum, quam criminibus fœdauerat. Tradunt vero memorati scriptores †, eum apud præfatam vrbem Mettensem, dum contra Clotharium expeditionem agere meditaretur, dysenteriæ morbo interiisse, octauo decimo regni sui anno.

Sup. cap. 92.

alias, elapsa.

Fredeg. c. 39 fol. 132.

An. 618.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QVARTVS.

De Clotharii cum nothis Theodorici, instinctu Brunechildis super successione in regnum, certatione: & Brunechildis exitio

CAPVT I.

Desumta à Fredegarii c. 40. hac edit. fol. 132.

XTINCTIS, & varia sorte obeuntibus, tot Francorum Regibus, a quibus per quinquaginta ferme & vnum regnatum est annos; solus legitimæ successionis hæres Clotharius (Chilperico patre genitus) è regia stirpe videbatur relictus, in quem regnandi ius potissimum transfundi oporteret. Brunechildis tamen moliebatur, si posset, Sigebertum Theodorici filiũ regno præponere Austrasiorũ. Quatuor nanq; Theodoricus ex pellicib. susceperat filios, quorum ista sunt nomina: Sigebertus, Chorbus, Childebertus atq; Meroueus. Sed quia erant materno latere minus nobiles, regni quoq; gubernaculis æstimabãtur fore impares. Simul quia & Brunechildis electo vno ad speciem regnandi, non potestatem summæ regi, sed sollicitudinem sibi reseruare velle intelligebatur: & primates Franciæ tãto tempore fœmineo dominatui dedignabantur subiici. Vnde, adnitẽtibus Arnulpho atque Pipino Austrasiæ primoribus, Clotharius Captonnacum † vsque accessit. Brunechildis in Warmatia residens, eius audito aduentu, ad eum dirigit, obtestans, vt de regno Theodorici quod filiis reliquerat secederet. Clotharius respondit, *Conuentum nobilium debere eam aggregare Francorum, & communi tractatu de communibus consulere rebus: se vero iudicio illorum in omnibus pariturum, nec præceptis promisit obstaturum.* Brunechildis verbis se decipi animaduertens, misso in Thoringam Sigeberto Theodorici primogenito, gentes etiam quæ trans Rhenum habitant, ad belli societatem inuitare tentabat: cum quo & Warnarium maiorem domus, ac Alboinum è proceribus Austriæ præeminentissimum, dirigendos curauit. Verum Warnarium suspectum habens, quod ad Clotharium transitum meditaretur, directis post eorum tergum literis, Alboino puniendum mandauit. Alboinus lectos apices scindens ad terram proiecit. Qui tamen à quodam familiarium Warnarii inuenti, ac in tabula cera lita † transcripti, eidem sunt ostensi. Quibus ille visis, periculum sibi imminere perpendens mortis, colligere sese, ac præparare animo cœpit, quo pacto Theodorici filiis deletis, regnum Clothario vna secum contraderet. Primo itaque nationes, ad quas ad supplementum belli accersendas directus fuerat, ab eis alienauit. Deinde cum Brunechilde ac Sigeberto Burgundiam ingressus, vniuersos primates, simul cum Pontificibus ipsius gentis, in suam deduxit sententiam, secreto apud eos huius rei vsus verbo. Et quia omnes superbiam Brunechildis simul & crudelitatem exosam habebant, se voluntati eius polliciti sunt non defuturos. His itaque patratis, nuntios ad Clotharium misit, & vt cum exercitu aduentaret mandauit, spondens se, si ei integra fide securitas vitæ ac honoris concederetur, regnum Burgundionum pariter cum Austrasiorum vniuersa militia traditurum. Venienti itaque Sigeberto cum Burgundionibus, in campania Catalaunensi super fluuium Axonam occurrit Clotharius cum Neustrasiis, habens secum complures Austrasios, inter quos Aretheus patricius, Rucco & Sigoaldus, necnon Eudilanus † duces. Igitur dum vtrinque armatorum cunei ad prælium parati constitissent, Warnarius cum suis (iuxta quod constituerat) signo dato è pugna, ante congressum, discessit. Eadem fecere, quibus par inerat pugnandi affectus. Clotharius post eos paulatim iter faciens (vtpote qui nullum eorum perdere gestiebat, quos suos fore confidebat) ad

Theodorici nothi.
Sigebertus
Chorbus.
Childebertus, alias Theodebertus.
Meroueus.
Arnulphus.
Pipinus.
al. Caput-Laci.
VVarnarius
legend. t. c. lita affixi & tr.
Fredegar. c. 41.
Fredegar. c. 42.
al. Eudilanus

Atarim vſque fluuium (qui nunc Sagonna † dicitur) peruenit: captiſque tribus Theodorici filiis, Sigeberto, Chorbo atque Merouco (nam quartus nomine Childebertus, pernicis equi ſubſidio vſus prælio elapſus, nuſquam poſtmodum eſt repertus) ad vicum Riona, ſuper Vincennam flumen ſitum, rediit: ibique inſtantia Warnarii & cæterorum procerum ei fauentium, Brunechildis cum Theudelina Theodorici germana, de pago Vltraiurano ad villam vrbanam ab Herpone regalium præpoſito equorum protracta, Clothario præſentatur. In cuius conſpectu Clotharius Sigebertum ac Chorbum, eius nepotes Theodorico progenitos, iugulari iuſſit. Merouenm vero, cui ipſe pater ſpiritualis in baptiſmo fuerat datus, Ingobodo graphioni commendans, in Neptricum † perduci, atque ibi nutriri clementiſſime mandauit. Porro Brunechildem præſentari ſibi præcipiens, aſtante multitudine exercitus, qui non ſolum ex Neuſtria, verum etiam ex Auſtria & Burgundia conuenerant, accepta authoritate, quo minus odia tegerent, quæ aduerſus eam iamdiu animo conceperant, per triduum diuerſis eam tormentis affici, cameloque impoſitam per totum circumduci exercitum iubet. Ad poſtremum reputans ei, quod X. Reges Francorum, eius partim conſilio, partim manu, vel etiam maleficio extincti eſſent, ſic eam alloquitur: *Vt quid inter mulieres maledicta, ac peſſimarum exquiſitrix artium, in tantam erupiſti pertinaciam, vt non erubeſceres tam multiplicem præclaræ ſtirpis ſubuertere generationem. Peribis igitur crudeli pœnarum exemplo, quæ non expauiſti tam ingenti te vocari facinore parricidam. Nam, (vt de cæteris ſileam) Sigebertum meum patruum, tuum vero virum, nouimus tuo conſilio vſum contra fratrem inſurrexiſſe ſuum: propter quod in improuiſum incurrit interitum. Merouens quoque frater ex patre meus, tui cauſa à genitore odio habitus, nefandiſſimo crudelitatis genere eſt interfectus. Quid autem memorem Chilpericum, meæ natiuitatis parentem? quem (vt fertur) per directos apparitores morte affeciſti, nil tale verentem. Nequeo ſine lachrymis tantum exitum referre patris, ærumnaſque meæ explicare orbitatis: fraternas acies, alternaque bella, quæ profanis decertata ſunt odiis, reuoluere pudet: quæ tu, totius aulæ procella, excitans in mutuam necem nepotes animaſti tuos, vt frater fratrem interimeret, nec iuſta commoueretur mentis compaſſione. Theodoricus denique, tuis credulus perſuaſionibus, quod Theodebertus eius non eſſet germanus, effuſor extitit fraterni ſanguinis: cum iam pridem Merouei ex ſe geniti, cruore pollutas gereret manus. Theodeberti filium, in albis nouæ regenerationis adhuc conſtitutum, à te ad petram alliſum, notum eſt cum fratre innocentem exhalaſſe ſpiritum. Illud non omittendum recens piaculum, videlicet Theodoricum maleficio tuo veneno necatum: atque eius filios, vt aduerſum me bella mouerent perſuaſos, tres ex ipſis, ac ſi reos, neci eſſe traditos. Silere malo innumerabiles ducum ſtrages, quæ vtrum iuſte an iniuſte fuerint perpetratæ, non eſt iſtius temporis explicare, dummodo vos dulciſſimi commilitones, & præeminentes Franciæ primores, decernatis cui ſubiaceat ſupplicio tanti obnoxia ſceleris.* Acclamantibus cunctis, in auditis eam debere ſubiici pœnis, iubet indomitum exhiberi equum, crineſque miſerrimæ reginæ, cum brachiis caudæ eius conligari, ac demum ad curſum concitari. Sicque in primo impetu currentis equi calcibus cerebrum diſperſum. Reliqua vero membra, per aſpera quæque ſentibus rupibuſve protracta loca, diſſipata ſunt. Hunc Brunichildis exitum tulit, mulier in cædibus propinquorum maxime exercitata: quibus extinctis poſſeſſionem eorum, quaſi ſpolium, ſuis iunxerat. Cui ſecundæ res ſuperbiam augebant, vt muliebris impotentia ſupra modum ſeſe extolleret. Nec tamen ex toto ita vecors extitit, quin Dei ac Sanctorum eius memorias, a prædeceſſoribus ſtructas, venerabiliter excoleret, ipſaq;, nouas fabricando, deuote multiplicaret. Nam in ſuburbano Laudunenſi Baſilicam in hororem ſancti Vincentii conſtruxit: & apud Auguſtidunum aliam ſancto dedicari iuſſit Martino: vſa neceſſariis ad hoc opus miniſteriis venerabilis viri Siagrii, prædictæ vrbis Epiſcopi. Multis quidem & aliis in locis, ſub nomine ſancti Martini magnificas fundauit eccleſias: illum ſibi præ cæteris adiutorem fore confidens, & confidendo expoſcens. Ædificia ſane ab ipſa conſtructa vſq; in hoc tempus durantia, oſtenduntur tam innumera, vt incredibile videatur ab vna muliere, & in Auſtria † tantummodo & Burgundia regnante, tanta in tam diuerſis Franciæ partibus conſtrui potuiſſe. Ea autem cum filio & nepotibus gubernante regnum, apud Gallias, diuinæ virtutis gratia irradiati, fulſerunt vt luminaria, Etherius Lugdunenſis Archiepiſcopus, Siagrius Auguſtidunenſis, Deſyderius Viennenſis, Aunarius Altiſſiodorenſis, cum

hod. la Saune.

Sigeberti & Chorbi cædes.

i. Neuſtriam

Brunechildis exitus triſtis & ſcelera.

Lucan.

Albati catechumeni.

Brunechildis opera.

alias Auſtraſia.

Viri ſanctitate clari.

fratre Austreno Aurelianensi, Lupus Archiepiscopus Senonensis, & Columbanus abbas.

De Austresigilo præsule sancto, falso accusato & miraculose purgato: deque eius sanctitate.

CAP. II.

AVstresigilus quoque Bituricensis archiepiscopus, qui sub rege Guntranno diu in palatio conuersatus, mappam ei ad extergendas præbere consueuerat manus. Hic quadam vice à quodam pessimæ mentis homine falso accusatus, quædam absque iussione Principis scripta confecisse, dum id sedulo denegaret, iubetur à Rege, armis obiecta repellere. Qui diluculo surgens, dum per puerum omnem suorum apparatum armorum deferri fecisset in campum, & ad exorandum Dominum ecclesiam beati Marcelli expeteret, obuianti pauperi & eleemosynam roganti, trientem tribuit, sicque orationi incubuit, nec defuit orationi effectus. Nam dum cum Rege ad locum certaminis properaret, occurrit eis nuntius, dicens, *Aduersarium eius, dum ad designatum occurrere festinaret locum, equo corruisse, vitaque terminum incurrisse.* Tunc Rex ad beatum conuersus virum, *Lætare*, inquit, *amantissime iuuenis, quia Dominus defensor tuus est, ne tibi nocere possit inimicus.* Post hæc cathedram episcopalem sortitus, admirandis in mundo virtutum enituit bonis.

Vita eius apud Sur. Tomo 3. sub 20. Maii.

De Mauritii imperatoris cum filiis cæde: deque eiusdem moribus prauis & pœnitentia salutari cœlitus reuelata per Anachoretas Ægypti: & de Philippici gestis

CAP. III.

DVm hæc Galliarum in partibus geruntur, Mauritius Augustus postquam vno ac viginti annis rexit imperium, cum filiis Theodosio, Tyberio & Constantino, à Foca, qui fuit strator † Prisci patricii, occiditur. Fuit autem vtilis reipublicæ: denique contra hostes dimicans sæpe victoriam obtinuit. Huni quoque, qui & Auares appellantur, eius virtute deuicti sunt. Hic medio imperii sui tempore, dum diuinæ legi contrarias præceptiones ederet, & à beato Gregorio frequenter ammonitus †, eas corrigere nollet, imino eidem viro Dei quia factis non poterat, verbis iniurias irrogare non desisteret, tali meruit à Domino redargutione coerceri. Quidam monachico schemate adopertus Constantinopoli degens, exemptam vagina spatham à porta ciuitatis vsque ad statuam gladiatoris, quæ in medio fori erat posita, perferens, pronuntiauit, *Imperatorem gladio puniendum.* Quod Augustus audiens, valde pertimuit: vocatumque quendam præfectorii ordinis virum sibi familiarissimum, ad Sanctos in superioris Ægypti eremo manentes, cum xeniis cereorum ac thymiamatum misit: omni cum deuotione deposcens, *vt pro se Domini exorarent clementiam.* Ipse quoque pias conditoris sui aures, die noctuque non desiit precibus pulsare: ac, vt sua in præsenti potius vita puniret peccamina, nec seruaret ea ad subeunda perpetui ignis incendia, non destitit implorare. Rediens porro Præfectus à Sanctis solitariis, imperatori nunciauit dicens; *Incolæ solitudinis sancti viri dixerunt mihi, quod humilitatis tuæ preces exaudiens Deus, sempiterna quidem non te priuaret gloria, veruntamen huius temporalis honorem, quo fueris, imperii, cum magna a te auferret ignominia.* Gauisus est Imperator, quia etsi transitoria non effugeret mala, non perderet tamen præparata iustis præmia. Ac ipsum etiam tali voluit superna visione consolari dignatio. Quadam nocte, alto depressus sopore,

alias flator.

Lib. 2. Registri epist. 61. & 64.

Omen mortis Mauritii imperatoris.

Visio eiusdem.

pore vidit se æneę Saluatoris imagini, quæ ante fores palatii posita erat, assistere: & vox ex ipso incarnati Verbi charactere audita est, dicens; *date Mauritium:* & apprehendentes eum quidam ignotæ formæ & claritatis ministri, statuerunt ante præsentiam loquentis. Voxque iterum sonuit, interrogans illum, *Quid magis eligeret, vtrum in isto sæculo quæ nequiter egerat recipere, an futuro ea seruare examini.* Cui Mauritius: *O Iesu*, inquit, *bone, qui humanum genus tuo redemisti sanguine, iube me nunc potius male commissa luere, & venturi iudicii diem non formidare: immo electorum tuorum participem fac esse.* Tunc quæ loquebatur; *Tradatur* (ait) *Mauritius, Focæ militi, cum vxore & duobus filiis.* Euigilans Imperator à somno, & visionem secum ipse reuoluens, aduocare iussit Philippicum generum suum, quem aliquando arripiendæ tyrannidis insimulatione suspectum habuerat. Ille consummatã erga se Cæsaris iram esse pertimescens, valedicens coniugi, tanquam amplius eam non visurus, ad aulam properat. Cui Mauritius occurrens, ad genua eius prouoluitur, obsecrans vt quæ contra eum, falsa cogente suspicione, indigne commiserat, ea ille propter Dominum benigne remitteret. Stupefactus Philippicus, & quid sibi vltra spem accidisset admirans, Augustum de terra leuauit: & vt ipse ei magis remitteret, si quam aduersus eum malitiam retineret, orauit. Cui Mauritius: *Tu magis*, inquit, *indulge, & si quispiam in exercitu sit honoribus functus, qui vocetur Focas, edicito:* narrauitque ei omnem ex ordine visionem. Philippicus vero respondit, nullum se militum nosse, qui Focas diceretur nomine: Esse vero inter gregarios stratorem Prisci patricii, vocabulo Focam, atque eidem viro formidolosam inesse temeritatem. Ad hæc Cæsar: *Si quidem est formidolosus, & sanguinarius.* Paucis interim interiectis diebus, irruere in eos, qui pactionem statutam transgressi, Romanas sibi attributas incessebant custodias, volens iter cum exercitu arripuit. Porro in terra hostili constitutus, cum milites furto ac rapinis abstinere compelleret, nec tamen largiretur consueta stipendia, sed insuper in desertis transigere hyberna cogeret tempora, non minimum in se excitauit seditionis. Hac etenim offensi acerbitate veteris viri militiæ, conferre secum cœpere, & indigne ferre, Imperatorem qui nullo Romanæ stirpis nobilitaretur parente, tã nequiter ipsos opprimere velle. Nec se diutius perpeti posse externum tyrannum, cum haberent in exercitu dignum Romani generis imperii gubernatorem. Hæc secum milites vociferantes, verbis adoriuntur Focam tunc Centurionem: rogant vt Romani imperii suscipiat gubernaculum. Qui eorum præceptis obaudiens, purpuram induit. Quo præcognito, Mauritius animi desperatione resolutus, cessit rebus aduersum se fluentibus, & in quandam insulam mari contiguam aufugit. In qua ab apparitoribus, quos Focas ad eum persequendum direxerat, gladio cum vxore ac duobus filiis percussus, etiam mortẽ temporali impleuit somnium suum. *Mauritii imperatoris interitus.*

De Pontificum Romanorum successione: & ecclesiæ Romanæ primatu

CAP. IV.

Beatissimus autem Papa Gregorius, comperto quod Focas potiretur imperio, ad eum † siue ad eius Augustani Leuntiam direxit epistolam, verbis gratulationis refertam. Ipsius principis tempore, idem dilectus Domini Gregorius de præsentis vitæ laboribus ad ęternam demigrans requiem, Sabiniano sedem reliquit põtificalem. Qui post annum & menses quinq. obiens mortem, Bonifacio sedem reliquit. Eo post octo menses & dies duodecim † vita decedente, subrogatur alter Bonifacius ad sedem pontificalem. Hic à præfato Augusto petiit, & impetrauit, Vt *sedem Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ, caput esse omnium Ecclesiarum statueret*: quia ecclesia Constantinopolitana *primam se omnium Ecclesiarum* scribebat. Ipse quoque princeps, alio † Papa Bonifacio rogante, iussit in veteri fano, quod *Pantheon* vocabant, abolitis Idolorum sordibus, Basilicam beatæ ac perpetuæ virginis Mariæ & omnium Martyrum fieri: vt vbi quondam omnium, non dicam Deorum, sed Dæmonum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum.

Registri 11. epist. 36.

alias dies XXII.

al. præfato.

PANTHEON hod. S. Mariæ Rotunda.

De Cachani Auaris seu Huni cum Gisulfo Langobardo bello: Deque Romildæ amoribus infelicibus

CAP. V.

alias Auarū. etiam hod. CHAN. Corippus: Rex Auarum Chagan, debellans intima mundi.

EA tempestate Rex Auarorum †, quem sua lingua appellant *Cachanum* †, cum Foroiulianis Langobardis bello confligens, ducem ipsorum, nomine Gisulfum, cum plurimis suorum interfecit. Cuius ducis vxor (vocabulo Romilda) obsidentis se, in memorata vrbe, Cachani regis pulchritudinem admirata, ei ciuitatem tradidit stupri mercede sibi pollicita. Quam idem Rex, capta vrbe populoque eius captiuato, vna propter iusiurandum quod dederat nocte, ac si in matrimonium accepit. post hæc duodecim Auaribus eam tradidit, qui vicissim sibi succedentes ea, vti vili scorto, abusi sunt. Ad postremum, palum in medio campo configi præcipiens, eam in acumine eius inseri mandauit, cum huiusmodi exprobrationis verbo: *Talem*, inquit, *merita es virum habere, dignum profecto posterorum memoria.* Idem Rex proditionis eius exemplum reliquit: qui etsi proditionem amplexus est, proditionis tamen auctorem sibi displicuisse monstrauit: illud forte pertimescens, ne quæ proximis nō pepercerat, ipsi, si eius potiretur amplexibus, minime parceret. igitur dira proditrix patriæ, tali exitio periit: quæ amplius suæ libidini, quam ciuium & consanguineorum saluti prospexit. Cuius filiæ (non matris luxuriam, sed castitatis amorem secutæ) ne ab Auaris contaminarentur, crudas pullorum carnes sibi inter mammas sub fascia posuerunt, vt earum ex calore corporis putrefactarum fœtore, Auaros a sui commixtione remouerent. Quod & factum est. Nam quicunque eas obscœno volebat attactu contingere, fœtoris repulsus immanitate, procul recedebat, cum execratione dicens, *omnes Langobardas fœdidas esse.* Quarum vna Alemannorum regi, alia dicitur Baioariorū principi postea nupsisse: dignas pro seruata pudicitia nuptias sortitæ. Filii vero eius quos ex prescripto Gisulfo viro suo susceperat, vastata vrbe, ascensis equis dum fugę se committunt, minimus illorum † ab vno ex hostilibus cuneis, qui velocius cæteris cucurrerat, capitur. Quem dum propter pusillitatem corporis, is qui eum ceperat interimere voluisset, magisque ad seruiendum sibi, propter egregiam formam seruare elegisset (erat enim ipse puer micantibus oculis, lacteoque crine exornatrix eum natura donauerat) ducere ad castra cœpit. At puer ingentes animos angusto in pectore versans, & se captiuum trahi ingemiscens, paruum quo iuxta suam ætatem accinctus erat gladium (vt eius assuesceret vsum) vagina exemptum, nisu quo valuit ceruici se trahentis illisit. Quo terræ prostrato, conuerso equo, retrogrado calle ad fratres regressus, non modico lædificauit gaudio. Nunc iam ad nostræ reuertamur ordinem historiæ.

Vindicta in fœminam ob proditionem.

Grimoaldus. inf. c. 32.

Iuuenis ingens factum.

De Clotharii regis & Monarchæ in Francia gestis

CAP. VI.

IGitur rex Francorum Clotharius, trigesimo regni sui anno postquam regnare cœperat, patre defuncto Monarchiam regni adeptus, Warnarium, cuius instantia regnum Burgundiæ fuerat adeptus, Maiorem domus in ipso constituit regno: dato ei sacramento, *ne cuncto quo viueret tempore successorem acciperet.* Austrasiis vero Radonem quendam, probabilis vitæ virum, eodem honoris gradu donatum præfecit. Vltraiuranis quoque Erponem genere Francum patricium instituit. Qui dum quæ pacis sunt diligeret, malorum deprimens nugacitatem ab ipsis pagensibus, † instinctu Alethei patricii, & Leudemundi Sedunensis episcopi, perimitur. Tunc temporis

Fredegar. c. 43.

i. sub ditis, pagi incolis.

poris Clotharius ad villam cui nomen est Maurelegico *, cum Berthetrude regina accedens, iustitiæ obtentu multos inique agentes gladio puniri iussit.

Maurelegiū, in Alsatia, hod. Marley. Fredeg. c. 44

Leudemundus autem Sedunensis pontifex, monitu Alethei ad Berthetrudem veniens reginam, & eam secretius aduocans, vt thesauros suos Sedunum transferret, hortatur, dicens, optime se nosse, Clotharium eo anno de sæculo migraturum, Aletheumque esse paratum suam vxorem relinquere, & Reginam cum regno assumere, eo quod esset ipse Aletheus è nobili Burgundionum prosapia. Regina hæc audiens, & se talem, cui talia suaderentur, æstimatam esse grauiter ferens, rapido se in cubiculum proripuit cursu. Leudemundus intelligens verborum suorum calumniam se subiturum, per vrbem Sedunum ad Abbatem Austrasium Luxouio † properat, vt per eius preces indulgentiam Regis mereretur. Quod & factum est. nam promissa impunitate ad sedem suam redire permissus est. Aletheus iussu Clotharii Massolacum villam veniens, in conspectu procerum causam dicere iussus, dum se obiectis purgare nequiret criminibus, capitali sententia est damnatus.

Sedunum. hod. Sitten, vbi curia episcopalis.

ho. Luxeu.

Massolacum.

Anno trigesimo quarto regni sui, Clotharius Warnarium Palatii comitem, de regno Burgundiæ, cum vniuersis Pontificibus seu primatibus ad se Bonogilum villam euocans, dando, siue petitionibus eorum annuendo, cunctos sibi fidelissimos effecit.

De tributo quod Langobardi Francis pependerunt

CAP. VII.

EXigit nunc locus, referre quemadmodum Langobardi duodecim millia solidorum, tributi nomine, regibus Francorum per multa soluerint annorum curricula: vel etiam qua de causa duas ciuitates, id est, Augustam & Seusium, dominationi cesserunt Francorum. Defuncto (vt supra ostensum est) Cleph rege nobilissimo, duces super Langobardos creati irruptione in Gallos facta, greges captiuorum simul cum præda abegerunt. Ob cuius præsumptionis temerarios ausus, prædictas vrbes à partibus Guntranni regis perdiderunt. ex communi autem tractatu, duodecim legatos ad imperatorem Mauritium mittentes, pacem cum eo fecerunt. Alios quoque eiusdem numeri legatos, ad Guntrannum & Childebertum destinauere, qui amicitiam & societatem eorum efflagitantes, duodecim millia solidorum se ei soluturos fore, vice sua sponderent: hoc præcipue ipsis missis suis in mandatis tradentes, vt quorum propensiorem in fœdera amicitiarum aduerterent beneuolentiam, eorum quam maxime vnire sibi studerent concordiam. Tandem audita vtriusque partis sententia, patrocinio se commisere Francorum: tradita insuper Guntranno regi valle Ametegis cognomine. Sicque vsque ad tempora Agilulfi regis sui, memorata soluêre tributa. Qui electos gentis suæ legatos, his nominibus, Agnulfum †, Pompeium ac Cautonem, ad Clotharium direxit Francorum principem: poscens vt vectigal, quod ei singulis dependebat annis, remitteret. Hii circumuentis pecunia quos intimos consilio Regis esse cognouerant (datis videlicet vnicuique mille solidis) vsque ad tria millia solidorum obtulerunt, Regi ipsi triginta sex millia solidorum simul cum precibus, & ita remisso solitæ pensionis onere, redierunt ad propria.

Fredegar. c. 45.

alias Agilulfum.

De Berthetrudis reginæ obitu, & Sichildis matrimonio, ac filio Hairberto. Et de Dagoberti in societatem regni assumptione

CAP. VIII.

ANno trigesimo sexto eiusdem principis, Berthetrudis regina moritur: quam vnico amore Clotharius dilexerat, & omnes Leudi † bonitatem eius cernentes vehementer amauerant. Post cuius obitū Clotharius rex aliam accepit coniugē, nomine

Fred. c. 46. i. subditi, vasalli.

al. Haribertum.

Sichildem: de qua habuit filium nomine Hairbertum †. Anno trigesimonono regni sui, Clotharius Dagobertum filium suum, ex Berthetrude regina susceptum, consortem regni fecit: eumque super Austrasios Regem instituit, retinens sibi, quod Ardenna & Vosagus, versus Neustriam ac Burgundiam excludebant. Hac etiam tempestate, Desyderio abbate monasterii Germani diem obeunte, Gauscio successit in regimen.

De Samone inter Sclauos rege constituto, eiusque successu & prole

CAP. IX.

Fredegar. c. 48. — *Winidi, die Wenden. Sclaui.*

ANno quadragesimo principatus Clotharii, homo quidam, nomine Samo, natione Francus de pago Senonico, multos negociatorum mercandi causa in Sclauorum patriam (qui etiam Winidi dicuntur) secum deduxit. Sclaui iamdudum Hunis (qui & Auares dicuntur) subiecti, dominationis eorum iugum detrectare tentabant. Siquidem cum primum vectigalia eis, vti dominis, penderent, praeliantium castra tutarentur, fugientibus auxilia ad resistendum subministrarent, tantas ab ipsis sibi illatas tolerabant contumelias, vt non homines hominibus, sed feras crederes quibuslibet vilibus imperitare iumentis. Nam inter caetera quae crudeliter (dictu quoque horrendum) in eos exercebant, vnum illud nefandum, cunctisque antea seculis inauditum erat scelus, quod quasi hyematuri, eorum adeuntes domicilia, vxores ipsorum suis assumebant socias stratis. Verum illi qui de coniugibus Sclauorum & Hunis erant geniti, hoc malum, quod vitrici eorum diu fuerant perpessi, nolentes perpeti, immane contra dominos & patres suos excitauere bellum. Ad quod Samo cum sociis, adiumento Winidis futurus forte profectus est: factaque congressione Winidi Hunnos superant. In hoc certamine Samo cum suis praeclarum militiae documentum dedit, praerupto nanque sese periculo dans, plurimos hostium destruxit. Hoc successu Samo à Sclauis ad regnandum expetitus, eo quod egregia eius delectarentur fortitudine, de negociatore Rex constitutus, per triginta sex annos strenue regnum gubernauit, aduersum innumeros bellorum tumultus, quae cum Auaris gessit: In quibus semper, prudenti astutia vsus victor extitit. Habuit quoq; duodecim ex genere Winidorum vxores: ex quibus duodecim filios † ac quindecim genuit filias.

alias XXII. filios.

De Adoaldo Langobardorum rege, & eius successore: deque Gundeberda regina

CAP. X.

Fredeg. c. 49 — *alias Adaloadus.* — *al. Agiulfi.* — *alias Theudelinda.*

ADoaldus † autem, Agilulfi † (qui & Ago dictus est) Langobardorum regis filius, patri in regnum succedens, dum decē annis cum matre Theudelina † regnasset, à quodam Eusebio nomine, qui ab imperatore Constantinopolitano ad eum directus legatus fuerat, post balneum potione accepta, in amentiam vertitur. Cumq; ipsius Legati persuasionibus, duodecim Langobardorum optimates iussisset perimi, a caeteris regno pellitur. In cuius locum, Arioaldum Taurinatium ducem, cui Gundeberga Adoaldi regis germana in coniugium conuenerat, substituerunt. Quae videlicet Regina, cum & specie decora, & bonitate polleret mentis praecipua, nec castitatis careret gratia, quadam die quendam Adalulfum vocabulo, non infimo inter Langobardos ortum loco, sibi obsequentem, quod optimae esset formae, coeperat laudare. Ille Reginam in sui autumans exarsisse amorem ad aurem ei infit: *Quia* (dicens) *tuae placuit beneuolentiae, meum statum laude tua efferre, placeat quaeso me sodalem stratus assumere.* Hoc verbum illa haud perfunctorie ferendum arbitrata, in faciem eius expuit. Qui, veritus si ipse rem non proderet, Reginam cuncta propalaturam, Regem adiit: asserens se, si tutus ad narrandum concederetur locus, rem necessariam ei reseraturum. & secedente Rege

al. Adaloaldum. — *Fredeg. c. 50. & seq.* — *Adalulfi perfidia.*

seorsum

ſeorſum cum eo, vera falſis hoc cœpit obnubilare modo. *Taſo* (ait) *Tuſcanæ rector prouinciæ, per triduum iam cum Regina ſermonē tuæ ſerit perditionis: vt illa te veneno perdat: & ipſum ſibi maritum aſſumat.* His Rex credulus, coniugem in caſtro Italiæ recluſit, cui nomen Amello. Quo comperto, Clotharius per internuntios Arioaldum arguere cœpit: non rectè illum egiſſe dicens, quod Reginam, & ex regio genere Francorum exiſtentem, ſine examinatione legali, dehoneſtamento dignam æſtimauiſſet huiuſmodi. Qui dum iuſtam ſe habere cauſam vinculorum vxoris fateretur, vnus legatorum, Anſoaldus nomine, tali Regem interpellat ſermone. Facile, inquit, examen huius rei tibi probabitur, ſi facultas familiarium reginæ detur alicui, bello cum criminatore contendere. Quod dum ille conceſſiſſet, ſimulque approbaſſet, & Adalulfum, quo minus propoſita abnueret, deſperatio ſalutis compelleret, Aribertus quidam Reginæ conſobrinus, hominem, vocabulo Pittonem, vice ſua præliaturum aduerſus Adalulfum dirigit: à quo idem criminator ſine mora victus, gladioq; eſt punitus. Gundeberga regina poſt tres ferme recluſionis ſuæ annos, ad priſtinam regni eſt regreſſa dignitatem.

Calumniator Reginæ, duello victus

De Dagoberti regis Auſtraſiorum prudentia, & Rodoaldi inſolentia

CAP. XI.

Regni Clotharii anno quadrageſimo primo, cum Dagobertus rei ſummam in Auſtria† ſtrenue gubernaret, & quendam Rodoaldum maioribus apud Auſtraſios clarum, adhortante beatiſſimo Arnulfo pontifice ac Pipino maiore domus, honoribus extuliſſet, cœpit idem vir mutata inſaniens mente, iracundiam in ſe Regis prouocare. Nam direptioni rerum ſtudens alienarum, ſuperbiæ deditus, elationis plenus, locum detrahendi inuidentibus ſibi dedit. Qua de cauſa exaſperatus Dagobertus, interficere eum moliebatur. Vnde territus Rodoaldus ad Clotharium ſe contulit: obſecrās, vt ſuam apud filium vitam obtinere dignaretur. Clotharius viſo filio, inter alia, ne Rodoaldum interimeret precatur: Dagobertus promittit, eum, ſi quæ male geſſerat corrigeret, ſpem vitæ habere poſſe. Sed cum Treueros vna cum Dagoberto Rodoaldus acceſſiſſet, nulla extante mora, iuſſu Regis ipſius ante oſtium cubiculi regalis à Bertario Scarponenſi capite truncatur.

Fred. c. 52. *alias, Auſtraſia.* *Pipinus.*

De Dagoberti cum Gomatrude coniugio: & cum patre Clothario diſceptatione, ac eorum pacificatione ſuper regno Auſtraſio

CAP. XII.

Anno quadrageſimo ſecundo regnante Clothario, Dagobertus omni ornatu cultuque regio fultus, iuſſu patris Clippiacum, haud procul Parthiſiis, venit: ibique germanam Sichildis reginæ, Gomatrudem nomine, in coniugium ei pater tradidit. Die vero tertio nuptiarum, grauis inter patrem ac filium orta eſt diſſentio. Petebat enim Dagobertus reddi ſibi ſolidatum†, quod ad Auſtraſium pertinebat regnum. Clotharius autem contradicebat, nil ei volens ex hoc concedere. Tandem eliguntur duodecim Franci (è quibus vnus extitit vir Deo placitus, Arnulphus Metenſium antiſtes) quorum ſalubri conſilio pater pacatus cum filio, reddidit ei quæ poſtulabat. Hoc tantum exinde quod citra Ligerim, vel in regione quam Prouinciam cognominant ſitum eſt, ſuæ ditioni retinuit.

Fred. c. 53.

i. integrum Auſtraſium regnum.

De Sisebodi regis Hispaniæ virtute & fide: & Cantabriæ per eum subactione, & regni Gothorum per hoc dilatatione

CAP. XIII.

alias Berterico. Sisebodus rex. Francio. Cantabria.

IN Hispania ea tempestate humanis rebus Berterico † exempto, Sisebodus ei successit in regno. Qui bello strenuus, consilio bonus, ac præ cæteris retroactis Hispaniæ regibus fide promptus, Cantabriam, olim dominantibus Francis possessam, sibi subiugauit. Denique dux Francio, qui eidem prouinciæ aliquandiu præfuit, tributa Regibus Francorum persoluebat. Quo mortuo eandem regionem milites imperatoris Constantinopoli residentis, quibus contra exteras (vt prælibauimus) nationes custodiendi limitis Hispaniæ erat mandata sollicitudo, peruaserunt. vi hanc (vt nunc præmisimus) Sisebodus eis abstulit, multasque vrbes maritimas capiens, ad solum vsque destruxit. Cumque ab eius exercitu, milites in præfatis inuenti ciuitatibus obtruncarentur, Sisebodus pia commotus miseratione, volens plerosque eripere neci, ad se confugiendi fiduciam dabat, eosdemque pollicita impunitate, vt sibi fuga consulerent hortabatur: ingemiscensque aiebat; *Væ mihi misero, cuius regni temporibus tanta humani sanguinis fit effusio.* Dilatatum itaque est Gothorum Hispaniam incolentium regnum, per littora maris vsque ad Pyrenæi iuga montis.

De Vvarnarii morte, & incestis Godini filii eius cum nouerca sua nuptiis: & eiusdem repudio, & repudiatæ furore ac fraude in Gogonem: & de Gogonis iuramento fidelitatis in multis templis præstando, eiusque nece. Item de Palladii Sedecique exilio, & de Bosonis cæde

CAP. XIV.

Fred. c. 54. Warnarii mors. Nuptiæ incestæ.

ANno quadragesimo tertio Clotharii regis, Warnarius palatio regni Burgundiæ præpositus diem clausit extremum. Cuius filius Godinus, animi vanitate commotus, nouercam suam duxit vxorem. Qua diuinæ legis iniuria Rex impulsus Clotharius, Arnoberto duci imperat, Godinum vt quantocyus interimat. Godinus formidinis grauamine pressus, relicta Burgundia in Austriam transiens, a Dagoberto intercessionem implorauit, vt patrem ab executione præcepti seuerioris ad molliora inflecteret. Nec Dagobertus detrectauit. Clotharius, ægre licet oranti tamen filio concessit, vt contuitu honoris, quem Warnarius pater Godini gesserat, & remunerãdæ sedulitatis eius in Regem supremæ gratia, necis sententia mitigaretur. Ea videlicet ratione, vt Godinus vxorem, quam contra Canonũ decreta duxerat, abiiceret. Qua repudiata, acceptaq; vitæ securitate, Burgundiam repetiit. Sed mulier multo aliter quam sperari posset, iniuriam sibi illatam inæquanimiter ferens, delatoria aduersus Gogonem † vsa fraude, Regem adiit, & in medium huiusmodi detulit scenam, quod si in Regis præsentiam Gogo † adueniret, eum gladio perimere deliberasset. His Rex credulus, securitatem vitæ ac salutis honorisq; sui, a Gogone † sacramento exegit. Qui dum insistentibus Chranulpho & Wandalberto domesticis regis, in basilica S. Medardi Suessionis, atq; sancti Vincentii Parrhisiis, iusiurandum præbuisset, *nullas se insidias Regi machinaturum*, neque sic ei fides adhiberetur, compellitur à memoratis viris in ecclesia sancti Aniani Aurelianis, necnon sancti Martini Turonis, eadem iterare sacramenta. Cumque voluntati regiæ satisfacturus ad iam dicta properaret loca, insidiis memoratorum virorum,

Muliebris fraus. Godinum.

Godinus. Godino.

Gogonis iuramentum.

virorum, Rege id non abnuente, apud Carnotinos in conuiuio cum plurimis suorum, repugnare quidem volentium sed minime valentium nefandissime iugulatur.

Eo anno Palladius quidam, eiusque filius Sedocus Tolosatium episcopus, incusante Auiano duce quod rebellionis Wasconum fuissent conscii, in exilium truduntur. Boso etiam ex Audoleno patre genitus, indigena Stampensis, ex præcepto Clotharii, stuprum cum regina Sichilde commissum ei reputantis, à Barneberdo † interficitur duce.

Palladii Sedocique exilium.
Bosonis cædes.
† alias, Arneberdo.

De successore Vvarnarii præfecti aulæ Burgundiæ per Clotharium & regulos ac proceres regni consultatio: & seditione oborta ob cædem Hermarii ab Agniano factam

CAP. XV.

Clotharius autem potentiores omnes optimatum Burgundiæ, Trecas conuenire iubens, de successore Warnarii cum eis agebat, sollicitus scrutator quem vellent rectorem palatii à Rege sibi præfici. Illis porro dicentibus, *nullius præter Dei & Regis, se velle pati dominium*, Rex gratanter verba eorum suscipiens, desiderio quoq; satis fecit.

Anno XLIX. regni Clotharii, filiorum regis ac proximorum præsulum quoque Galliæ Clippiaci concilium congregat: vt, quæcunque pacifica regno vel vtilitati Ecclesiæ congruerent, statuerentur. Inter primores itaque Franciæ qui conuenerant, quidam Hermarius gubernator palatii Ariberti filii Regis, simulque baiulus † à pueritia, Agniano * super se irruente, perimitur. Is erat Saxo genere, vnusque ex optimatibus aulæ regiæ. Qua de re graui orta seditione, pene vsq; ad mortes his insurrexerat, nisi Clotharius, agnita causa, tumultũ repressisset auctoritate regia. Nam Agniano copiam secedendi in montem cui *Marcomirus* † nomen est, attribuit, iuncto non paruo pugnatorum numero, qui ei, si ita res exigeret, præsidio forent. Brunulfus vero auunculus Ariberti, frater videlicet Sichildis reginæ, collecta nobilium & sociorum manu, Agnianum debellare tentabat. Quod agnoscens Clotharius, Leudos qui maxime indignabantur pro iniqua tanti viri nece, ad se euocat edicitque, si se habere inoffensum vellent, ne in bellum prodeant. Eoque modo reuocato eorum impetu, prælium intestinum quieuit.

Fred. c. 55.
Hermarii cædes.
† i. pædagogus.
** alias Aginano.*
† al. monte Mercuri.

De Clotharii iunioris obitu: miraculosaque per diuum Sulpitium à febribus sanatione: deque eiusdem Sulpitii vitæ sanctitate. Et beati Eligii aurifabri innocentia & opera

CAP. XVI.

Monarchiæ susceptæ anno XVI. paterni autem regni XLIV. Clotharius Rex moritur: atque in suburbano Parrhisiorum, in Basilica sancti Vincentii †, sepelitur. Hic Clotharius *Iunior* appellatus est, propter auum suum simili nomine, cum adiectione tamen Senioris, dictum: qui primus etiam dici potest, isto existente secundo, necnon subsequente altero: De quo in posterioribus declarabitur.

Fred. c. 56.
Clotharii Iunioris obitus. Ar. 6, 1.
† hod. S. Germani.

Hunc vero Clotharium beatus Sulpitius (tunc quidem Archidiaconus, postmodum autem Bituricensium episcopus) anteriori tempore à graui liberauerat febrium incommodo, septem prius dierum consummato ieiunio. Fuit autem patiens, literis eruditus, timoris Dei plenus, pauperibus necessaria tribuens, Ecclesiarum Domini atque sacerdotum vtilitati consulens. Veruntamen subdola malignantium versutia sub

B. Sulpitius Bituricensis episcopus.
Cuius vita Tomo 1. Surii sub Ianuar.

B. Lupus. reptum est ei, vt beatum Lupum præsulem Senonum, à sede propria expulsum, in exilium mitteret. Qui vir tantæ sanctitatis fuisse palam ex gestorum scriptis suorum ostẽditur, vt quadam die celebranti ei sacra missarum solennia, cælitus gemma in sanctũ prolapsa sit calicem. Denique Rex pœnitens facti, ab exilio eum iussit reduci, & ad se perduci. A quo commissorum postulata impetrataq; venia, muneratum eum remisit ad sua. *B. Eligius aurifaber.* Beatus quoque Eligius aurifex probatissimus, relicto patrio Lemouicini territorii solo, ad eundem Regem transiens, sellam auream regiæ dignitati congruam fabricandi, ab eo præceptum pariter & impensas accepit: & puras ab omni cupiditatis macula gerens manus, quæ ad vnius opificii susceperat vsum, in duo diuisit: & vnam quidem non minoris magnitudinis, quam iussus fuerat, perfectam reddidit. Quod vero ex attributis sibi auri sumptibus superfuit, ne negligens perderet, vel suæ concupiscentiæ satisfaciendo retinere videretur, in minorem conflauit. Qua re Princeps perspecta laudatum illum ac remuneratum, palatii iubet incolere domicilia. Sed do his ista sufficiant.

De Dagoberti post annunciatam sibi Clotharii mortem studiis: & Ariberti ac Brunulfi contra eum factione. Deque Corporum Dionysii & sociorum inuentione miraculosa: necnon & Sadregisilo locum tenente in Aquitania

CAP. XVII.

Fredeg. c. 57 FAma itaque defuncti Clotharii ad Dagobertum peruenerat, more ingenii humani, cui satis est vbi capita acceperit, cætera non requirere. Quapropter Dagobertus lectos è regno Austrasiorum quos fidentiores repperit, in Neustriam & Burgundiam dirigit, vt ducum siue pontificum, ipsarum gentium, sibi gratiam sociarent. Id ab omnibus cum lætitia susceptum: eo quod cognoscerent regnum ei deberi. Remenses Dagobertum aduenientem primi suscipiunt, inibi principibus memoratarum nationum cum summo gaudio confluentibus. Ardebat Aribertus, frater eius, aliquid sibi publicorum committi munerum: pari modo Brunulfus frater Nantildis † reginæ, *al. Sichildis.* Ariberti auunculus, paulatim ambiendo quosque potentiores, efficere moliebatur, vt spreto Dagoberto, rerum omnium summa nepoti suo committeretur. Verum illi parandæ sibi potentiæ magis intentum, quam communi vsui, arbitrati, & quod esset ingenio remissior, declinandum æstimauere. Dagobertus tamẽ optatis potitus, Brunulfo dignam factis vicissitudinem postmodum restituere curauit. Compositis vero erga se rebus, & studiis omnium qui rem militarem vel administrabant, vel circa suum imperium conspirabant, tactus corde atque respectu fraternæ compassionis ad miserationem inflexus, amicorum consilio, fratrem ex parte consortem regni fecit. Collataque ei prouincia, quæ à ripa Ligeris Wasconiam versus, extenditur vsque ad Pyrenæi *Ariberti portio.* iuga montis, qui Galliam ab Hispania discerminat: pactum etiam cum eo scripto pepigit; *Vt priuato contentus habitu, nil amplius de paterno sperare deberet regno.* Qui vbi potestatem adeptus est, sedem regni Tholosam eligens, sensu non (vt putabatur) tardus, verum natura acris ad obeunda negotia, statim ingenio suo materiam inuenit. *al. quarto.* Anno enim tertio † postquam regnare cœperat, totam Wasconiæ terram subegit, at- *al. Austrasia* que regnum suum latius effecit. Vniuersa autem Austria † cum Burgundia, Neustria quoque, dominio parebant Dagoberti. *Dagoberti Regis actus. extant alicubi in Bibl. Gallica.* Cuius actus licet à nonnullis separatim digesti habeantur: tamen ne eos facta eius lateant, apud quos præfata non inuenitur scriptura, ea nos libuit perstringere. Dagobertus quippe a Clothario genitore venerabili viro, Arnulfo Metensi pontifici ad erudiendũ traditus, pueritiæ annos in studiis exercuit literarum: adolescentiam vero suam venatibus (quem morem Francorum principibus sæpe fati sumus fuisse familiarem) assuefaciens, agere ceruum quadam die in- *Venatio Francica.* stituit. Qui facile, industria equitum, ac sagacitate inuentus canum, ea velocitate qua

illud

illud animal vti consueuit, syluas & montes, & si qua etiam occurrere flumina transiens, in vicum cui Catuliacus vocabulum est, cursu defertur: in hoc vico ædicula erat, quæ corpora Martyrum Dionysii ac sociorum eius tegebat, in quam se ceruus tuto reperto confert confugio. Canes e vestigio eum secuti, nec ingredi apertis ianuis valentes, ostiatim oblatrabant. Adueniens Dagobertus rem spectaculo admiratur dignam. Finitimos deinde rumor istius miraculi, & præcipue Dagobertum, ad reuerentiã sollicitat Sanctorum. Præterea Clotharius quendam Sadregisilum nomine, rebus sub se tractandis præfecerat, Aquitaniæ ducatu specialiter ei commisso. Hic itaq; Regis filiũ, superbia qua tumebat, despicere contendens, prospere eum agere non æquo ferebat animo. Excusatio sane erat iuuenilis ætatis, ne tumorem ex subiectione principũ contraheret. Forte Clotharius venatum iuit: ac nõ paruo terrarum spacio à filio seiunctus, opportunitatem præbuit, vt ducem ad cõuiuium accersitum, & contumaciæ redargutum, Dagobertus flagellis cædi, barbæq; amputatione deturpari præciperet. Audacis itaq; facti conscius, latebra qua se insequente ceruum confugisse viderat, ipse quoque se recipit. Post hæc Clotharius rediens, ducis comperta contumelia, ex se genito multa furibundus interminans, mittit qui eum accersirẽt, dignas pro commissis vt lueret pœnas. Interea Dagoberto coram Martyribus humili corde prostrato, somnoque oppresso, assistens quidam, venerando iocundus vultu, ne timeat edicit: eumque non solum præsenti periculo, verum æterno liberandum supplicio, & insuper solio regni donandum spondet, si tantummodo memorias eorundem Sanctorum se ornaturum iri promittat. Nec fides promissis defuit: Nempe vt non vana (quibus sæpe ludificamur) somnia fuisse intelligeret, hi qui missi ad eum a sacra æde abducendum fuerant, cum non plus vno miliario a sanctuario abessent, progredi diuina vltra prohibentur virtute. Redeunt confusi: eique à quo directi erant, quæ pertulêre nunciant. Ille eos inertiæ simul & infidelitatis arguens, dirigit alios qui quod illi neglexerant implerent. Quos similia passos, quasi nati fautores despiciens, per semetipsum filium à sepulchris Martyrum auellere cupiens ibat. Sed quia non minus in Reges, quam in alios homines Dei præualet potentia, qui alios arguerat inertes, fit ipse iners. Tandem agnoscens Christi ac seruorum eius potestatem, indulget veniam, filioque redit in pacem. Sicque abeundi accepta licentia, ædi beatæ succedit, ac precibus deuotis gloriosos Martyres ad sui suffragium inuitat. Dagoberto tamen (vt postea claruit) nullus locus iucundior fuit.

De hum. nec. sup. c. 18.

Miraculum à B. Dionysio ostensum.

De Dagoberti cum Bertoaldo Saxonum duce periculoso prælio: & Clotharii subuentione mirifica: ipsiusque Bertoaldi fugientis nece.

Sumtum è Gestis Francor. c. 41. Æneadis fol. 80.

CAP. XVIII.

AVstrasiis vero Francis rex institutus à patre, aduersus Saxones, qui rebellare tentauerant arma mouit: transgressusque Rhenum, cum Bertoaldo Saxonum duce pugna commissa, ense percussus in caput, decisos cum parte galeæ crines patri per armigerum mittit, & vt sibi antequam cunctus corruat exercitus, in auxilium properet mandat. Forte fortuna affuit: Clotharius enim venationis gratia Longolariam† syluam petierat: vbi accepto periculorum filii nuntio, graui exagitatus dolore, raptis quos in promptu habebat iuuenibus, ad alios etiam vt se sequerentur directis legatis, breui tempore longum iter emensus (nam & noctibus viam carpebat) ad filium vsque peruenit, & ea quidem nocte fixis super Wiseram fluuium tentoriis quieuerunt. Mane autem facto, dum Franci plausus ac voces lætitiæ pro aduentu regis Clotharii ederent, Bertoaldus Saxoniæ dux super ripam fluminis prælium prætolans, audito tumultu, interrogat, *Et quid tantus in Francorum castris oritetur tumultus:* dictum est ei, *Clotharium aduenisse Regem, atque ob id diem festum agere Francos.* At hic ad hæc, *falsa* (ait) *spe de-*

al. Longolarium.

cepti præ timore desideria somniant sua. Nam Regem, quem secum gratulantur manere, certa ferente fama nos compertum habemus vita iam defunctum. Clotharius citeriori armatus superstans littori, dum talia superbe profantem audiret, nil dicens, quo maior taciturnitate sua hostibus incuteretur timor, celerrime galea nudauit caput. Erat quippe eius cęsaries pulchra canitie variata, in cuius aspectu ab aduersariis maxime dignoscebatur. Denique statim à Bertoaldo agnitus, incongrua percepit responsa, in hunc modum à præfato contrariæ partis duce prolata. *Tu ne* (dixit) *hic mutu* † *aderas bestia?* Tunc Rex huiusmodi commotus conuitio, & vltra quam dici possit exardescens ira, capiti reposita casside, calcaribus equum versus eum impulit, vt transmeato flumine se de inimicis suis vlcisceretur: Franci itidem, iniuria ducis permoti, atque eius exemplo animati, flumen natantes transibant, sequentes Regem: qui fugienti Berthoaldo infestus insistebat. Grauabatur sane ad insequendum, & pondere armorum, & quod dum transnataret fluuium, aqua sinum eius necnon ocreas repleuerat. Bertoaldus tamen recedendo clamabat ad Regem, *non æquo & bono illum esse intentum, qui se persequeretur; sed quod sola hæc ageret laudis cupidine ductus, qui tanti æstimaretur, vt sequestratus à suis, hostem terga dare sibi compelleret. Verendum vero, ne hæc res in contrarium versa, ipsum potius pessundaret.* Ista autem dum diceret, fugere non cessabat: & sæpe se eius seruum, illum vero suum fatebatur dominum. *Viderique iniustum, vt vel seruus à clementissimo Domino, vel dominus à seruo, licet inuito ac coacto, perimatur.* Verum Clotharius callide hæc eum prosequi sciens, nec ea quæ dicebantur curans, tandem pernicitate equi, quo vehebatur, eum assecutus interemit. Sublatoque eius capite, ad filium & cæteros Francos (qui tristes, eo quod eum consequi nequirent, eius saluti timentes, post eum iter pro posse accelerabant) regreditur: indeque releuatis mœstitia eorum animis, vna cum eis Saxoniam ingressus, ita depopulatus est eam, vt nullum in ea hominem viuentem relinqueret, qui longitudinem spatæ quam tunc forte gerebat excessisset. Et Clotharius quidem hoc taliter egit.

f. mortua: quia modo dixerat, defunctum.

Clotharii iam senis vigor.

De Dagoberti post mortem patris in Burgundiam, vt oppressos erigeret, profectione: & reliqua peregrinatione: deque eiusdem repudiata coniuge, cum vestali matrimonio: & de consiliariis eius bonis, Arnulfo episcopo, Pipino & Chunberto episcopo

CAP. XIX.

Rursus è Fredegario c. 58.

DAgobertus autem, eo defuncto, totius regimen nactus gentis, in Burgundiam ea propositi intentione proficiscitur, vt oppressis & calumniam sustinentibus iustitiam exercendo, subueniret. Ex cuius aduentu fiducia bonis, maximeque pauperibus orta: seditiosos vero, atque rapinis intentos, formido grauis incesserat, ac quædã mentium consternatio. Qui vbi Lingonas attigit, pauperibus ac viduis se adeundi facultate concessa, vnicuique, absque vllius acceptione personæ, quod suum erat, legibus solui fecit: æquitate seruata, quam diligit altissimus. Post hæc Diuionem castrum adiit, paria ibidem acturus †: indeque Cabillonas profecturus, balneum matutinus ingreditur, præcipiens Amalgario & Arneberto ducibus, Willebaldo quoque patricio, vt Brunulfum Ariberti fratris sui auunculum, propter infidelitatem sibi suspectum, interficerent. Deinde a Cabilonensi vrbe per Augustidunũ, Altissiodorum iter dirigẽs: post per Senonum ciuitatẽ Parrhisios deuenit: & Romuliaco villa constitutus, Gomatrudem reginam (nouercæ suæ Sichildis germanam) eo quod esset sterilis, cõsilio quorumdam Francorum relinquens, Nantildem quandam puellam, a monasterio raptã, in matrimonium sibi iunxit. Vsque ad id temporis consilio beati Arnulfi, Metensis vrbis Pontificis, necnon Pipini, in regno Austrasiorum Maioris domus officium gerentis, vsus est: ideoque tam strenuus tamque efficax in administrando apparebat

al. accelerãs.

Arnulfus. Pipinus.

regno,

regno, vt circumpositæ nationes eius vererentur nomen, ſuaque auxilia in ſubiiciendis exteris ſponderent gentibus fide promptiſſima. At vero poſt diſceſſum præfati Antiſtitis, conſiliis iam dicti Pipini, & Chuniberti vrbis Coloniæ præſulis obaudiens, ſuggerentibus eis, æquitati ac iuſtitiæ operam dabat.

De Dagoberti ex Ragnetrude filio: qui dum à beato Amando baptizaretur reſpondit Amen: & poſtea in auaritiam fœdam lapſu, ſpoliationeque templi diui Hilarii: ac libidine eiuſdem: ſed reſipiſcentia conſilio Pipini

CAPVT XX.

PORRO VIII. anno regni ſui, cum (more Regibus aſſueto) ſuperiores Franciæ partes peruagaretur, mœſtuſque eſſet quod filium non progeneraret, qui poſt ſe regnaret, puellam quandam Ragnetrudem nomine thalamo ſibi ſociauit: ex qua filium eo anno ſuſcepit. Quem dum poſtmodum in Aurelianenſi vrbe, venerabilis vir Amandus Traiectenſium epiſcopus iuxta morem fidelium præſignaret, aſſiſtente genitore pariterq; Ariberto Aquitaniæ rege, finita oratione, & nullo è tanta exercitus multitudine *Amen* reſpondente aperuit Dominus os pueri (qui non pluſquam XXX. à natiuitate expleuerat dies) ac audientibus cunctis reſpondit *Amen*. Statim igitur S. Antiſtes eum regenerauit: quem † Aribertus rex de ſacro fonte leuauit. Magnus ex hoc facto ſtupor cum exultatione, non tam Reges quam vniuerſos repleuit circumaſtantes. *Fredeg. c.59.* *Infans fatur AMEN.* *Aibertum.*

Exinde Dagobertus, dum patriam ſæpe ſtudet Neuſtriam inuiſere & regnũ, prioris oblitus bonitatis, non ſolum Eccleſiarum, verum etiam quorumq; locupletium inhiãs rebus, improbus effectus eſt prædo. Nam inter alia eccleſiarum Galliæ ſpolia, ex occaſione Baſilicæ diui Dionyſii exornandę, direptas valuas fuſili ære fabrefactas, à templo S. Hilarii Pictauenſis fertur abſtuliſſe. Quas dum per Oceanum in Sequanam deuehi iuſſiſſet, vt per eam Parrhiſios vſq; duceretur, vna earum fluuio abſorpta, nec poſtmodum dicitur fuiſſe reperta. Luxuriæ tam ineffrænatæ ſe tradidit, vt exceptis tribus, quæ cum nomine cultu etiam fulciebantur regio, plurimus concubinarum illi obſequeretur numerus. Auerſum itaq; cor eius à Deo fuiſſe æſtimabatur, prorſuſq; abalienatum, niſi in ſemet reuerſus, peccata ſua eleemoſynis redimere deliberaſſet. Erat in regno eius Pipinus, de potentiſſimis Auſtraſiorum, familiaritati eius inhærens: qui oderat improbos, nec ſe miſcebat flagitioſis. Hunc quidam malignantium, Dagoberto adorſi ſunt facere odioſum. Sed Domini protectus clementia (cuius in obſeruanda iuſtitia ſectabatur præcepta) & inſidias paratas euaſit, & Regi vtilia ſuadendo fideliſſimus apparuit. Cui cohærebat alter, Ega nomine, in conſilii ſalubritate & in principis haud diſſimilis familiaritate. Is erat ex Neuſtria, non mediocri præditus potentia. *Fredeg. c.60.* *Hilarii S. Valua.* *Luxuria regis.* *Pipini probitas.* *Fredeg. c.61.* *Ega.*

De legatis ad Imperatorem: & de Imperatorum Focæ & Heraclii geſtis, & ſucceſſibus Heraclii in Choſdrohem Perſarum Tyrannum: eiuſque nece: cruciſque dominicæ receptione

CAPVT XXI.

TVnc temporis Seruatius & Paternus, qui legatione functi fuerant, ad Heraclium Focæ ſucceſſorem, regreſſi Dagoberto ſe præſentarũt, dicentes, *pacem ſe cũ Heraclio firmaſſe perpetuam*. Denique Focas Imperator ab vniuerſo deſertus ſenatu (quaſi peruerſa inſaniens mente, opes imperii in mare proiiceret, dicens ſe muneribus Neptunum placare velle) ab Heracliano tunc Aphricæ præfecto perimitur. Atque Heraclius, Heracliani filius, ei in imperium ſubſtituitur. Anno IX. poſtquam purpura ſe induerat, hic Heraclius multas prouincias à Perſis peruaſas Reipublicæ † reſtituit, alias- *Fredeg. c.62. & ſeq.* *i. Imperio Rom.*

Chosdrohes. Fred. c. 64. Crucis dominica pars.

que grauiter labefactatas vindicauit. Chosdrohe enim princeps Persarum, cuncta per quæ transibat vastando, Hierosolymam venit: atque inter cæteras ecclesiasticas seu populares manubias, partem salutiferæ crucis quam ibi Helena mater Constantini quondam Augusti reliquerat, asportauit. Traditoque filio suo regno, ipse in argentea turri (quam ad hos vsus parauerat) aureo residens solio, vexillum nostræ redemptionis, quasi collegam regni, è latere constituit. Quod vbi Heraclio nunciatum est, cum valida militum manu Persidem petens, obuiam habuit Chosdrohes filium, cum maxima Persarum phalange, quæ eum, metu coacta Tyranni, non voluntate ducta mundi prosequebatur. Et conspirantibus vtriusque partis studiis, Imperator cum Persarum ductore singularem aggressus est pugnam: proposita lege, *Ne quis de vtroque exercitu progrederetur, qui duci suo auxilium ferret: Quod si quis infringere decretum præsumeret, ab ipso principe suo, succisis poplitibus, vicino immergeretur flumini.* Diu igitur animoseque congressione facta, Heraclius ad aduersarium, *Vt quid* (ait) *tui hoc quod constituimus præuaricant pactum?* Ille reflexa ceruice, vt videret quis suorum se veniret iuuaturum, ab Heraclio percussus equo deiectus est mortuus. Statim Persæ supplices se Heraclio subdunt. Qui cum suis ad vlteriora progressus, Chosdrohem in memorato repperit fano residentem, & iuxta eum dominicam crucem: Quem dum interrogaret, *Vtrum Christi fidem suscipere, & salutare lignum* (quod, licet indignus honorifice tamen iuxta suum tractauerat modum) *vellet adorare*; illeque responderet nullatenus id se facturum, Heraclius cum ilico interfecit, peruagatusq; vniuersam Persidem, filium Chosdrohe paruulum (quem cum eo inuenerat) baptizari præcipiens, eidem præponit: & argentum quidem turris exercitui, aurum vero restaurationi deputans Ecclesiarum, cum multimoda præda ac VII. elephantis, assumpta etiam Saluatoris cruce, Hierosolymam, indeque Constantinopolim remeauit.

Heraclii stratagema. (marginal note beside "gressione facta, Heraclius ad aduersarium")

De Heraclii forma: & præsagii quo se à circumcisis pellendum viderat errore: nam Iudæos propterea persequebatur è Franciaque pellendos curauit: cum à Sarrhacenis fuerit pellendus. de eorum itaque agitur prælio & Heraclii morte.

CAPVT XXII.

Fredegar. c. 65.

FVit autem vultu decorus, visu hilaris, mediocris statura, egregiæque fortitudinis: qui & leones sæpe in arena, & plures solus interfecerit. Cumque literis abunde esset instructus, ad vltimum Astrologus efficitur. Agnoscens itaque in signis syderum, imperium suum à circuncisa gente vastandum, & autumans id de Iudæis fuisse præmonstratum, per internuncios Dagobertum rogauit regem Francorum, vt cunctos Iudaicæ stirpis, qui in prouinciis illi subiectis manebant, Christianos fieri præciperet: Eos vero qui nollent, aut exilio aut morte damnari. Quod Dagobertus volens efficere, omnes qui noluerunt baptisma suscipere, procul a finibus eliminans Franciæ. Porro Heraclio non de Iudæis, sed de Sarrhacenis fuerat præostensum. Agareni siquidem (qui & Sarrhaceni) gens perfida, ab Abraham eum origine ritum trahens circumcisionis, à radice Caucasi montis progressa, terras Heraclii populatum venerunt. Contra quos lecta militum manus a Cæsare directa, grauiter est ab hostibus cæsa. Nam centum quinquaginta millia ex militibus interisse referuntur. Spolia cæsorum victores rapta Augusto per legatos recipienda miserunt. At ille qui vltionem potius meditaretur, non solum oblata respuit, verum ipsa legatione Alanos in adiutorium sui, reseratis portis quas Alexander magnus Caspio monti imposuerat, ad centum quinquaginta ferme armatorum millia pretio eduxit. Sarrhacenorum duo duces erant, qui ducenta millia armis instructa in bella ducebant. Cumque vterque exercitus procul a se inuicem castra posuisset: nocte quæ diem belli præcedebat, subito in castris Græcorum quinquaginta duo millia pugnatoru exanimata in stratis reperta sunt. Quæ de re reliqui

Iudæi expelluntur Francia. Agareni. Fredegar. c. 66. Strages insignis. Alanorum eruptio. Exercitus ingens.

qui metu perculsi, in diuersa fugerunt: regnum suum depopulandum aduersariis relinquentes. Qui, quasi accepta iniuria quod obuiare ausi hostes fuissent, vehementius vastationi institerunt. Tantæ cladis nuntio Heraclius accepto, diffidens se posse resistere, cum iam illi maiore prope Asiæ parte peruasa Hierosolymam infestare disponerent, in morbum incidit: & procedente in deterius corporis ægritudine, vsque ad languorem animæ, videlicet in Eutychis delapsus est sectam. Sociata quoque iure connubii sororis suæ sibi filia, XXVI. susceptæ potestatis anno diem clausit vltimum. Cui successit Heraclona filius, cum matre Martina. Hic etiam duobus annis rerum summa potitus, fratri Constantino iura reliquit imperii.

Heraclii in hæresim lapsi mors.

Heracleonas Imp.

De morte Ariberti regis Aquitaniæ, & eius filii Chilperici: deque negociatoribus Francis male à Sclauis acceptis: & de legatione ad Samonem Sclauorum regem: & prælio cum eis commisso, eiusque exitu Francis infelici

CAPVT XXIII.

ANno IX. Dagoberti regis, Aribertus frater eius, Aquitaniæ rex, moritur, relinquens paruulum filium nomine Chilpericum: qui non diu rebus humanis superfuit. Opinio mortis eius Dagoberto ascribebatur. Qui eius comperta morte, Barentum ducem ad peruadendum eius regnum, vel ad thesauros sibi adducendos, direxit. Barentus vero graue dispendium exinde fecisse memoratur.

Fredeg. c. 67

Barentus.

Eo tempore, commutatores mercium ex Francia, Sclauorum ingressi patriam, à Sclauis rebus expoliati suis, & qui resistere tentauerant interfecti sunt. Quapropter quidam, Sicharius vocabulo, missus à Dagoberto ad Samonem memoratæ gentis principem, postulaturus de commissis iustitiam, dum sciret se a Samone nolle videri, vestibus quibus Sclaui vtebantur, ne agnosceretur, indutus, conspectibus se offert Regis præsentiam suam refugientis: & quæ sibi in mandatis tradita fuerant prolocutus, ait non debere eum contemptui habere gentem Francorum, eo quod ipse, ac populus ei subiectus, obnoxii forent seruitutis Dagoberto eorum Regi. His verbis Samo prouocatus ad iram respondit se cum populo suo, simul & terra, Dagoberto libentissime pariturum, *Si tamen* (inquit) *disposuerit nobiscum amicitias conseruare.* Ad hæc Sicharius: *Non est* (ait) *possibile, vt serui Christi cum canibus fœdera iungant.* Et respondente Samone, Quandoquidem vos seruos profitemini esse Dei, & nos eius sumus canes, ideo ea quæ vos nequiter contra eius geritis voluntatem vt inutiles famuli, nobis frequenter conceditur morsibus ipsa vlcisci, statim eiectus est Sicharius de conspectu ipsius. Qua exasperatus Dagobertus contumelia, lectas ex Austria dirigit militares copias, ad debellandam † Winidorum gentem. Quibus fuere auxilio Alemanni cum Rotberto duce, necnon & Langobardi. Qui in ea, qua congressi parte victoriam adepti, plurimum captiuorum ad propria redeuntes abduxerunt numerum. Austrasii vero Franci Winidos, qui in Vogastro se confugerant castrum, obsidione clauserunt. Quam dum segniter amministrarent, irruentibus super se hostibus grauiter afflicti, castra cum tentoriis deserentes aufugerunt. Hac victoria Winidi animosiores redditi, in Thoringam & circumiacentes Francorum terras sese effundunt: ita vt Deruanus dux, qui vrbibus præerat Sclauorum, quæ vsque ad id tempus Francis paruerant, desperatis rebus se ad cæteros transferret Sclauos. Enimuero non tam virtute Winidorum hæc clades accidit Francis, quantum ignauia Austrasiorum. Alioqui vindictam quam sub Clothario in Saxones, hanc ipsam sub Dagoberto in Sclauos exercuissent.

Fredeg. c. 68.

Samo rex Sclauorum.

† VVinidorum

al. Vogastro.

Franci vincuntur.

De contentione inter Auares Hunos & Bulgaros de Rege deligendo: & de Bulgaris expulsis à patria, & Franciam inuadere parantibus, vna nocte cæsis

CAPVT XXIV.

Fredeg. c.72. HIs diebus inter Auares cognomento Hunos, & eos qui Bulgari dicuntur magna surrexit contentio, cui deberetur regni successio, vtrum ex Bulgaris orto, an ex Auarum semine procreato. Lis vsque ad arma deducta, Hunis victoriam peperit. Victi Bulgari, & à propriis exules terris, Dagobertum expetunt regem Francorum, poscentes vacantem tellurem sibi concedi ad habitandum. Ille hyematum eos in Baioariam dirigit: donec cum amicis deliberaret, quid de eis ageret. Quibus per domos Baioariorum hospitantibus, Rex habito cum familiaribus tractatu (veritus ne quid noui molirentur) euocatis Baioariis hoc dedit in mandatis, *Vt vnusquisque eum, qui apud se hospitaretur, cum coniuge ac liberis contrucidaret.* *Bulgari cæduntur.* Quod factum est: & vna nocte, quæ tam crudeli operi designata erat, omnes neci traditi sunt.

De regibus Hispanis, & bello eis à Dagoberto per Burgundiones illato: & de Missorii postulatione & direptione: ac recompensatione.

CAPVT XXV.

Fredeg. c.73. al. Suintila. POrro apud Hispaniam defuncto Sisebodo rege clementissimo, Sentila † successit in regno. Qui dum multa in suos crudelia exerceret, quidam Sisenandus, haud ignobilis Hispaniensis, ad Dagobertum se contulit, rogans auxiliari eum sibi, quo Sentilam Hispania expelleret. Dagobertus vniuersam regni Burgundionum militiã proficisci eo iubet, auxilium Sisenando laturam. Igitur vbi in Hispaniam diuulgatum est, ad subsidium sui Sisenandum ducere exercitum, illico cuncti Sentilam, iamdudum sibi odiosum, deserunt, ac illum alterum bello aptiorem, sine pugna secuti, sublimant in regnum. *Henrici Hispan. regis & Bertram. Guesclini simile exemplum.* Abundantius & Venerandus duces cum exercitu tantum Tholosano, Cæsaraugustam vsque Sisenandum prosecuti sunt: Vbi nobiles Gothorum se ei tradiderunt: & ipsi ab eo donis munerati, ad propria redierunt. Post hoc Dagobertus directis Amalgario & Venerando legatis, poscebat promissa sibi solui. Spoponderat enim Sisenandus, se ei missorium aureum ex thesauris Gothorum daturum, quem olim Torsimodus (qui apud Gothos regnauerat) ab Aëtio Romanorũ patricio dono acceperat. *Missorium aureum, i. patina ingens.* Quem dum legatis Rex libenti animo tradidisset, Gothi speculati quod per illos transeundum foret iter, missorium diripiunt, nec eum publicis passi sunt auferri ærariis. Quamobrem Sisenandus postea Dagoberto regi, pro recompensatione missorii, ducenta millia solidorum annumerauit argenti. Quos Dagobertus Basilicæ sancti Dionysii largitus est: in cuius constructione quantum liberalitatem ostenderit suam, in sequentibus declarabitur.

De bello quod in Sclauos parauit Dagobertus, à Saxonibus ob tributi leuationem ficte suscepto: sed à Sigeberto filio regis feliciter gesto

CAPVT XXVI.

Fredeg. c.74. Scara Teutonica vox, ein Schaar. ANno autem decimo postquam præfatus Dagobertus regnare cœperat, memor malitiæ Sclauorum in suos, collegit lectam e Franciæ bellatoribus scaram, quam

nos turmam vel cuneum appellare possumus. Cui properāti ad capiendam vltionem ex inimicis, occurrere Saxonum legati, spondentium se fore vindices contumeliarum quæ Francis illatæ erant, si tributo q; regiis exhibebāt vsibus, leuari meruissent. Quingentas namq; vaccas inferendales a Clothario seniore, Clodouei filio Chilperici patre, regiæ mensæ inferre iussi fuerant: Quæ ideo *inferendales* dicebantur, eo quod singulis inferrentur annis. Dagobertus vero, sapienti Austrasiorum consilio, petita non abnuit, eo videlicet pacto, vt per succedentia semper tempora, Francorum limitem sibi vicinum Saxones contra aduersantium defensarent incursus. Hoc pactum sacramento quidem super arma (vt eis mos erat iurantibus) firmatum: sed nulla efficacia factorum est stabilitum; licet censu quem soluere solebant, liberati essent.

Gall. esquadron. *Tributum quod Saxones Francis soluebant.* *Inferendales Isidor.*

Sequenti etiam anno, cum assiduis Sclauorum incursionibus Thoringia laboraret, collato cum Pōtificibus ac seniorib. gentis consilio, Dagobertus filium suum Sigebertū Austrasiis præposuit, vt fungeretur rectoris munere cū regni honore. Tutores duos filio delegauit, Chunibertum Campaniæ præsulem, & Adalgisum palatii rectorem. Thesaurum etiam eis sufficientem tribuit: & quæcunq; concessit, testamento cuncta inseri, ac sigilli impressione signari mandauit. Deinceps quandiu Sigebertus vixit, studio ac industria Austrasiorum irruptiones refrænatæ sunt Winidorum. *Fredeg. c. 75.*

De Clodouei filii Dagoberti ortu: & de regnorum inter Sigebertum & eum per patrem diuisione: & de Denteleni Ducatu recepto

CAPVT XXVII.

ANno XII. regis Dagoberti, eidem de regina Nantilde nascitur filius nomine Clodoueus: qui & *Hludouicus* inuenītur nuncupatus. Vnde Rex, suggerentibus iis qui vtilitatibus regni consulere videbantur, æqua lance inter hos duos filios regnum diuidere statuit. Sigebertum itaque seniorem ex liberis, Austriæ (vt prælibatum est) regem instituit: Clodoueum vero minorem natu, pari dignitate Neustriæ ac Burgūdiæ præfecit: Restituto etiam ducatu Denteleni, qui vsque ad illud tempus ab Austrasiis iniuste retinebatur possessus. Quod quamuis Austrasii ægre tulerunt, metu tamen Dagoberti & ad præsens confirmauerunt, & in posterum stabile fore promiserunt. *Fredeg. c. 76.*

De Sadregisili ducis nece: & filiorum eius ob ignauiam & paternæ cædis negligentiam exhæredatione. Et de bello in Vascones feliciter gesto, præterquam quod Arembertus dux perierat

CAPVT XXVIII.

ANno XIII. regnante Dagoberto, Sadregisilus dux Aquitanorum à quibusdam hominibus, gladiatorio aduersus eum animo insurgentibus, trucidatus est. Hic est Sadregisilus quem à Dagoberto, adhuc in pueritiæ annis constituto, superior † declarauit sermo flagellis cæsum barbæ rasione deturpatum. Cuius filii cum vltores potuissent fieri effusi sanguinis paterni, maluerunt viuere desides ac otiosi, quam perurgendo armis homicidas, cruorem exigere interfecti. Idcirco in publico Francorum conuentu, à quibusdam proceribus secundum leges Romanas (quæ sanciunt, *à paterna eos decidere hæreditate debere, qui noluerint interfecti necem vindicare*) omnibus paternis expoliati sunt bonis, atque inanes relicti. E quorum possessionibus, multas Dagobertus tribuit ecclesiæ sancti Dionysii obsequia curantibus. *† Sadregisilus. Sup. cap. 17.*

Anno XIV. Dagoberti, dum ei nuntiatum fuisset Vascones à suo imperio deficere velle, exercitum Burgūdionum cum XII. ducibus eo dirigit. Qui commissa cum hostibus pugna eosdem acie superarunt, & multos ex eis captiuos ducentes, terram eorum rapinis ac incendio desolauerunt. Denique cum summa felicitate totus ad propria rediisset illæsus exercitus, ni dux Arembertus, cum maxima parte nobilium, *Fredeg. c. 78.*

& etiam veteranorum, ex his quos secum duxerat in valle Robola, à Vasconibus fuisset interfectus. Huius tanta multitudinis quæ Vasconiam bello subegit, licet multis rectoribus vteretur, princeps fuit † Audoenus: qui multis in præliis sub Theodorico inuentus est strenuus: cui prærogatiua omnis de summis reseruabatur rebus. Ad quem accedentes Vasconum primores, rogauerunt parci sibi, promittentes se Dagoberto regi præsentaturos, & de quibus arguerentur, satisfacturos. Hæc ille allegata sine dolo intelligens, exercitum vnde venerat reduxit.

Andonius.

De legatione ad Iudicahilem Britanniæ regem: cum quo Eligius vir bonus fœdus pactus est: deque Iudicahilis Audoenique religiositate

CAPVT XXIX.

His ita patratis, legatio à Dagoberto ad Iudicahilem regem Britanniæ dirigitur: vt quæ Britanni † contra Francos male gesserant emendarent: alioqui vniuersas copias, quæ è Vasconia redierant, comminatus est se Britonum finibus immissurum. Asciscitur ad hanc Eligius exequendam legationem, spectatæ (vt præostensum est) fidei vir. Qui plurima cum Iudicahile allocutus de pace, non solum vt Francorum obtemperaret Regi persuasit, verum in Clippiacum villam, vbi tunc Dagobertus morabatur, Regem secum perduxit. vbi memoratus princeps & correctionem commissorum, & subiectionem sui Britanniciq; populi obtulit: ac pacem perpetuam cum eo iniit. Cumque Dagobertus ad curanda (iuxta morem) epulis regalibus corpora se contulisset, Iudicahil palatio egressus ad domum Dadonis referendarii (qui & Audoenus dictus) eo quod religiosæ vitæ testimonium haberet, perrexit, ibique pransus est. Erat enim ipse Iudicahil religiosus valde, audieratque prædictum Dadonem studium sanctæ conuersationis habere. In crastinum valedicens Dagoberto regi, præmiisque regalibus ab eo donatus, in regnum suum est regressus.

Britones.

De Dagoberti in Ecclesias munificentia. Et de concione eius in concilio procerum regni: deque testamento & donationibus eius

CAPVT XXX.

Fredeg. c. 79.

Eo anno, rex Dagobertus omnibus circumpositis gentibus nationibusque sibi subiugatis, paceque per circuitum facta, ad pietatem intendit. Vtque se gratum [illegible] [illegible]stibus in se supra modum fluentibus beneficiis, demonstraret, vniuersas pene Galliæ Ecclesias, patrimonii sui hæredes instituit. Conuocatisque filiis, ac turba amicorum, generale indixit placitum in loco nuncupato Bigargio. Ad quod propere conuenientibus cunctis Franciæ primoribus, x. Kal. Maias Rex solio residens aureo, hoc apud eos disseruit modo. *Causa modo, mihi amantissimi filii, & quicunque adestis Francorum potentes, vtilis ac fructuosa visa est vos conuocandi intentio, vt de his quæ pro rem[illegible] [illegible] instituí, non ego solus mihi applauderem. Qui [illegible] caduca gerimus corpora, [illegible] mortales, magna nobis (si dissimulare nolumus) [illegible] indicta probitatis necessitas. [illegible]) minus fuerimus intenti, non solum corruptionem quam speramus corporum, [illegible] æternitatem animarum perpetuis tradamus incendiis. [illegible] ego reminiscens, [illegible] præmia, & præparata iniquis supplicia, memor etiam [illegible] testamentum [illegible] decreui, [illegible] omnes regni nostri Sanctorum Basilicas isto tempore [illegible], hæredes faciam [illegible] quæ eis à nobis traditæ sunt rerum. Constitui etiam quatuor fieri [illegible] exemplaria, & ea manibus [illegible] firmare, non tantum meis, sed etiam filiorum meorum Sigeberti ac Hludouici, quos hodie Re[illegible]stituo, vestris quoque qui astatis sanctissimi Pontifices, necnon gentis nostræ principes. E quibus [illegible] Lugduni in Gallia, aliud Parrhisiis, tertium Mettis in archiuis Ecclesiarum custodienda [illegible]rigimus.*

Concio Dagoberti.

rigimus. Quartum autem, quod præ manibus habemus, in thesauris nostris adseruari præcipimus. Cumque, post depositam à nobis carnis sarcinam, vnusquisque Præsulum, qui locis præcepto inscriptis præfuerint, sibi assignata susceperint, rogamus & obtestamur per terribile domini nostri Iesu Christi nomen, vt memoriam nostri tribus in hebdomada diebus, per sequentes annos faciant. Ac pro requie animæ nostræ, sacrificium offerant salutare: nomenque nostrum, quasi perpetuum tenentes memoriale, libro inserant vitæ.

Huius exemplar partim hic inserere studuimus: quatenus piissimi principis pateſcat quantus erga Deum ſanctoſque fuerit deuotionis affectus. Est autẽ huiuſmodi. *In nomine Trinitatis Domini Dei omnipotentis, Apostolicis patribus, pontificibus videlicet, ac Abbatibus, & reliquis sacerdotibus intra regnum nostrum consistentibus, Dagobertus rex Francorum. Quantum intellectualis sensus humani potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in huius sæculi luce ac fugitiuo gaudio lucrari, quam quod de reb. transitoriis, locis venerabilib. quis studeat in alimoniam pauperum impendere: quatenus qui fragilitatem naturæ generaliter patiuntur, priusquam subitanea transpositio eueniat, pro salute animæ inuigilent: vt non inueniatur quisquam imparatus, vel sine aliquo respectu discedat e sæculo. Quin potius, dum propriæ libertatis iure subsistit, ex caducis substantiis intra æterna tabernacula vitam studeat mercari perpetuam: vt inter iustorum consortium desiderabilem valeat locum adipisci*, &c. Item que post pauca. *Itaque nobis sana mente sanoque concilio placuit, & (vt diximus) deuotio diuina nos admonuit, vt pro salute nostra & pro æterna retributione conscribendum præciperemus testamentum: & pro immutabili beneficio quatuor vno tenore firmauimus instrumenta: & quicquid vbique per loca Sanctorum contulimus, inibi simili annotatione contexuimus. Ex quibus vnum Lugdunum Galliæ dereximus: Aliud vero Parrhisiis in archiuo ecclesiæ commendauimus* (vt supra dictum est.) Deinde subiungitur: *Donamus igitur ad Basilicam sancti Vincentii Parrhisiis, vbi sepulturam, quandoquidem Deus iusserit, habere disponimus, donatumque in perpetuum esse decreuimus, villam cognominatam Cumbis †, in pago Parrhisiaco: quam Vrsa filia Aldonis tenuit. Pari modo ad Basilicam sancti Petri Apostoli Parrhisiis, vbi sancta Genouefa requiescit in corpore, villam Drauernum in Brigeio †. Ad Basilicam vero diui Dionysii item Parrhisiis, vbi cum sociis suis requiescit, villam Brannatem in Brigeio. Ad Basilicam dominæ sanctæ Columbæ, & domini sancti Lupi Senonis, villam Grandencampum in Gaustinensi* † & cætera, quæ ibi plura continentur. Ad vltimum vero intulit: *Vos autem boni filii, considerantes primum naturæ religionem, cuius gratia etiam bestias ligat, Manete fratres. Nolite exuere quo onerati estis: deinde reuerentiam meæ patrem vestrum: qui rogare malo, cum possem iubere, vt statuta nostra inconuulsa seruetis, sicut vestra à successoribus vestris seruari voletis: profecto scientes, quod si à nobis sancita contempta habueritis (quod non arbitror) pari modo & vestra à posteris contemnentur decreta.* His dictis, & cunctis longæuam ei felicemque optantibus in hoc sæculo vitam, ac in futuro manentem, salutatis omnibus cœtum dimisit, vt rediret vnuſquiſque ad ſua.

Testam. Dagob. — Donatio Dagob. — hod. Cumbs — hod. Cu... huille — al. Gu... — hod. G... nois. — Religio seu necessitudo naturæ. — Vellei. Paterc. lib. 1. c. 19

De fide præstita Francis à Vasconibus: & de Abbatibus sancti Germani

CAPVT XXXI.

QVintodecimo vero regni sui anno, omnes fere seniores Vasconiæ, cum Amando duce, ad eum Clippiacum venerunt: eiusque formidantes præsentiam, in oratorium sancti Dionysii confugerunt. Quos etsi dignos morte iudicauerat, respectu tamen Sanctorum quorum expetierant memoriam, eis indulsit vitam. Qui sacramento fidem dantes, *Se de cætero fideles Dagoberto, ac reliquis post eum Regibus fore Francorum*, ad patriam suam permissi sunt redire. Vascones subiecti Francis.

His diebus vita decedente Ganscione sancti Germani abbate, Germanus regiminis locum suscepit. Abbates S. Germani.

De Grimoaldi regis Langobardorum gestis: & fratrum eius cæde: deque Constantino imperatore (qui & Constans dictus est) Beneuentum obsidente: & de crudelitate eius & exitio & Mezentii tyranni: deque Constantii imperio

CAPVT XXXII.

DAgoberto igitur pacifice apud Gallias regnante, Langobardis Grimoaldus præerat: qui extincto Godiberto Ariberti regis filio, & eius fratre Berthariro Italia pulso, regnum arripuerat. Hic est Grimoaldus, de quo præfati sumus quod prædicta euersa vrbe, Auarem, a quo captiuus adhuc puer ducebatur (vt dictum est) occiderat. Cuius fratres Tasonem ac Caconem, Gregorius Romanorum patricius, in ciuitate Opitergina dolosa fraude peremit. Nam promittens Tasoni, quod barbam eius præscindēs (iuxta morem antiquorum) eum sibi adoptaret in filium, cū fratre ac paucis fidelium ad se venire suasit: ingredientiq; vrbem portas post tergum claudi præcipiens, milites armatos qui eum interficerent direxit. Quod vbi qui ingressi erāt animaduerterunt, vltimū sibi vale dicentes, per plateas ciuitatis dispersi obuios quosq; trucidabant. Maximaque edita strage, tandem pauci à pluribus circumuenti, obtruncantur. Gregorius itaq; qui spoponderat se barbam Tasoni abscissurum, non solum barbam, verum & amputauit eius caput. veruntamen ne periurus diceretur, barbæ quoq; summitatem inaniter præcidit. Quapropter Grimoaldus regno potitus, Opitergium funditus euertit in vltionē fratrum inibi peremptorum. Cuius temporibus Constantinus Augustus, qui & Constans dictus est, Langobardos Italia pellere cupiens, transmeato Adriatico mari Beneuentum obsedit. Vnde subito aduentu Grimoaldi territus, discessit, relicto cum exercitu quodā ex optimatibus nomine Saburro, qui cum Grimoaldo prælio confixit. Tunc vnus è Langobardis, vocabulo Amalongus, qui regium contum solitus erat ferre, quēdam Græculum eodem conto percussum, è sella equitatoria super caput suum eleuās, reliquos perterrefactos fugere compulit. Talia agnoscens Imperator, iracundiam corde conceptam in suos (hoc est Romanos) conuertit, moxq; Romam pertendit: & a Vitaliano papa honorifice susceptus, primo quidem die obtulit B. Petro pallium auro textum, in crastinum vero, & per XII. continuos dies quibus ibi resedit, omnia quæ fuerant antiquitus in ornamentum ciuitatis ex ære instituta, deponi iussit: in tantum vt etiam Basilicam B. Mariæ (*Pantheon* antiquitus vocatam) discooperiret, tegulasq; ex ære factas exinde auferret, easque cum aliis ornamentis Constantinopolim transmitteret. Qui tamen, vbi Siciliam attigit, meritas tantarum iniquitatum pœnas luit. Nam eiusdem insulæ incolas, Calabriæq; ac Sardiniæ atque Aphricæ afflictionibus tam grauissimis attriuit, vt vxores à maritis & filii a parentibus separati, duram cogerentur perpeti seruitutem: Itaq; Imperator suis, quam hostibus, infestior, a mulieribus † eius sæuitiā execrantibus, in balneo interficitur. Post quem Mezentius in Sicilia tyrannidem arripuit. Quo pari modo sine mora punito, capiteq; eius Constantinopolim perlato, Constantinus, Constantini (de quo præmisimus) filius, decem & septem annis Romani tenuit gubernacula imperii. Sane patris eius temporibus, Vitalianus papa Theodorum archiepiscopum & Adrianum abbatem in Britanniam direxit, ad corroborandam, quam beatus Gregorius in Anglorum gente seuerat, fidei Christianæ segetem.

Sup.c.5. — *Adoptio per barbam.* — *Opitergium deletum.* — *Sup.c.4.* — *† al. militibus.* — *Constantini Imperatoris exitus.*

De Dagoberti laudabili obitu & sepultura: ac ædis diui Dionysii ædificatione & ornatu

CAPVT XXXIII.

POrro inclytus rex Francorum Dagobertus annis XVI. gloriose functus regni administratione, in Spinogilo (villa super fluuium Sequanā sita, haud procul à Parisi-

sius

ſiis) conſtitutus, profluuio ventris laborare cœpit: indeque obſequentium manibus ad Baſilicam ſancti Dionyſii delatus, dum ſe incommodo vltimæ ægritudinis ad mortem vrgeri intellexiſſet, Egam conſiliarium ſuum ſumma cum celeritate ad ſe venire mandauit: ſeque diſceſſurum è præſenti ſeculo intimans, vxorem ſuam Nantildem ac filium Clodoueum eius tuitioni commiſit, & vt ſecundum prudentiam ſibi à Deo conceſſam filium enutriret, pieque regnum diſponeret, ammonuit. Cæteris etiam optimatibus ac pontificibus Neuſtriæ ac Burgundiæ accerſitis, filio eos, eiſque filium commendans, XIV. Kal. Februarii diem clauſit extremum. Cuius corpus conditum aromatibus, ſepultum eſt in eccleſia ſancti Dionyſii, in dextro latere ſepulchri ipſius martyris. *An. 645* Denique (vt ſupra oſtenſum eſt) cum ſe ornatum ire illius memoriam ſociorumque eius pollicitus eſſet, templum eius condidit vniuerſis, quæ in Gallia tūc temporis erant, excellentius. Nullumque impenſis ſtatuens modum, marmoreis illud columnis, ſimilique venuſtauit pauimento, immenſo ædificandi ſumptu, & exquiſito fabricatum decore. *Aedes diui Dionyſii.* Nec minor illi in aliis quoque ornatibus intentio. Nam veſtibus auro textis & palliis holoſericis, totum interiorem circumdedit templi ambitum. Ordinem pſallentium vti apud ſanctum Martinum Turonis, necnon apud ſanctum Mauritium Agaunis, & apud ſanctum Germanum Parrhiſius agebatur, inibi inſtituit: *Idem ſup. 3. c. 80.* prædia vero tam innumera fratribus in eodem loco Deo famulantibus, ſiue matriculariis Eccleſiæ, contulit, vt deuotio animi eius plurimis admirabilis eſſet. Fuit etenim idem rex Dagobertus admodum cautus, ingenio illuſtus, circa beneuolos & ſibi fideles manſuetus: rebellibus autem ac perfidis valde terribilis. *Dagoberti præconia.* Exercitiis corporis, maximeque venationi deditus: atque in omni agilitate corporea ſtrenuus: peritia quoque atque virtute in bello præualidus.

De viſione facta Anachoritæ ſuper ſtatu Dagoberti regis defuncti: & quid proſit templorum ornatio & obſit ſpoliatio

CAPVT XXXIV.

CÆterum eo tempore quo terminum ſortitus eſt vitæ quidam illuſtris Anſoaldus nomine, defenſor Pictauenſis eccleſiæ, partes peragrabat Siciliæ. Qui dum euectu reuerteretur nauali, appulit ad quandam breuem inſulam, præſentia ac meritis cuiuſdam ſolitarii qui Ioannes dicebatur redimitam. A quo, dum de ſalute animæ cum eo ſermocinaretur, interrogatus, *Vtrum regem Dagobertum cognouiſſet?* illeque ſe eum optime noſſe reſpondiſſet, rurſum à ſene rogatus mores vitamque Regis expoſuit. Cui ſenex: *Cum* (ait) *multa vigiliarum ac ieiuniorum ſimulque ſenectutis fatigatione depreſſus, paululum membra ſopori dediſſem, aſtitit mihi quidam* [illegible] *decore canitie, monens vt propere ſurgerem, & pro Dagoberti regis anima, quæ eadem* [illegible] *hora, Domini exorarem clementiam. Quod cum facere maturato curaſſem,* [illegible] *haud procul in pelago deformes truculenta facie Dæmones, vinctum regem Dagobertum per* [illegible] *maris agitantes, inflictiſque inſuper verberibus ad Vulcania loca trahentes.* [illegible] *inter agitationes & verbera, quorundam Sanctorum* [illegible] *Cum repente aperto cœlo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia,* [illegible] *deſcendiſſe* [illegible] *decore nitentes mirabili. Requirere cœpi ab eis, qui eſſent. Qui dixerunt ſe eſſe illos quos Dagobertus ad ſuum vocauerat auxilium, Dionyſium videlicet ac Mauritium martyres, necnon Martinum confeſſorem. Hi ereptam Dæmonibus animam ſecum ad æthera* [illegible] *canentes hunc pſalmum, Beatus quē elegiſti & aſſumpſiſti Domine, habitabit in atriis tuis.* *Vulcani antrum.* Hæc vir ille venerabilis Ioannes, Anſoaldo retulit ſe vidiſſe. *Pſal. 64.* Quæ ille in Gallias reuerſus, ſancto Audoeno narrauit: qui ea, in vna conſcripta charta [illegible] poſteris reliquit in ordinem hiſtoriæ digerenda. Ex qua re datur intelligi, nullo modo a Sanctis ornatum contemni, quem ad eorum memorias deuoti conferunt viri. Quamquam enim quorundam calumniatorum, & cuncta deuorare cupientium hæc vox [illegible] *vel Sanctis eius proſunt aurum, ſiue argentum* [illegible]*, ſeu parietes* [illegible]*,* non tamen ſine cauſa vltione puniti ſunt diuina. Balthaſar vaſa de templo Dei [illegible] in turpes conuertens vſus, vel *Daniel. 5.*

2. Machab. 3.9. Heliodorus, ærarium Dei diripere conatus, Antiochus, quia Hierosolymitanæ vrbis templum altissimo consecratum expoliauit, postmodum scatens vermibus expirauit. Dagobertus vero eos specialius Sanctos sibi auxiliari poscebat, quorum Basilicas plus cæteris seopibus ditasse meminerat.

De Clodouei sub Ega iusto principatu: & paradisi Romani pauimento. Et de Gothorum in Hispania regibus Tolga & Rusicindo

CAPVT XXXV.

Fredeg. c. 80. al. Hludouicū. Ega. Gall. estoit blasmè.

AT vero Dagoberto defuncto, eius filius Clodoueus (quem & Hludouicum † diximus fuisse nominatum) cum matre Nantilde in partes cœpit regnare Neustriæ & Burgundiæ, Ega consiliario palatium cum regno gubernante. Qui patientiæ deditus, abundans opibus, iustitiæ erat cultor eximius, & genere claro oriundus. Tantūmodo blasphemabatur † a pluribus, quod esset auaritiæ deditus: Qui tamen res pauperum, quæ sub Dagoberto peruasæ & fisco fuerant iniuste sociatæ, possessoribus cum omni reddidit integritate.

Paradisus. vul. le Paruis. His diebus dominus Papa Romanæ Ecclesiæ locum, qui Paradisus dicitur, ante Basilicam beati Petri Apostoli, candidis & magnis marmoribus mirifice strauit.

Fredeg. c. 82. Apud Hispanias mortuo Sisenando, Tolga filius eius petente patre rex creatus est. Cumque Gothi pueritiam Regis aucupati, more sibi assueto multimoda committerent scelera, Cintasindus quidam Gothorum præminentissimus, Tolga regno pulso ac clerico fieri coacto, regnum arripuit. Qui agnoscens consuetudinem gentis, quā in interficiendis siue pellendis habebant Regibus, plurimos ex eis quos huic vitio sciuit deditos neci tradidit: ita vt de potentioribus quidem ducentos, de plebe vero quingentos ferme interficeret, residuos exilio condemnaret. Ipse autem cum quiete regno potitus fuisset, filium Rusincindum, viuens Regem instituit. Hic de malis quæ gesserat pœnitentiam agens, eleemosynasque multas faciens, nonagesimo (vt fertur) vitæ anno diem clausit.

De Thesauri regii diuisione: & consiliis Pipini Sigeberto datis

CAPVT XXXVI.

Fredeg. c. 85.

QVoniam quidem superius demonstrauimus, quo ordine vitæ superstes Dagobertus inter liberos suos regnum diuiserit: nunc intimandum, quo pacto post illius excessum inter ipsos eius sint partiti thesauri. Igitur Pipinus, qui sub Dagoberto assidue cū aliquibus ex Austria primoribus palatium incoluerat, eo obeunte ad Sigebertum se confert: iunctoque cum Chuniberto pontifice (vt pridem) amicitiarum fœdere, vtilia cum eo Regi memorato min strabat consilia. Ex quorum sententia Sigebertus ad Clodoueum dirigit fratrem, qui debitam sibi portionem ex paternis posceret thesauris. Ad quam redhibendam certus cum loco designatur terminus. Statuta ergo die, Chunibertus cum Pipino vsque Compendium † villam regiam accessit: ibique, procurante Ega Clodouei regis palatium gubernante, omnis thesaurorum Dagoberti supellex, in speciebus variis, muneribusque antea abditis prolata, ac inter fratres æqua est lance diuisa: tertia parte tamen, ex omnibus quæ Dagobertus adquisierat, postquam Nantildem sibi sociauerat, ipsi Reginæ seruata. Partem Sigeberti Chunibertus & Pipinus ad ipsum pertulerunt.

hod. Compiegne.

De

De Egæ morte: & Erchinoaldi præfectura: & Ermenfridi homicidio

CAPVT XXXVII.

Fredeg. c. 83. & seq.

ANno tertio regni Clodouei, Ega præfectus palatii in Clippiaco villa, febre vexatus, moritur. Post cuius discessũ, Erchinoaldus, Dagoberti regis ex genitrice consanguineus, maior domus in Neustria est institutus. Qui humilis, pacificus, cunctisq; virtutum bonis existens ornatus, sacerdotes Domini diligẽdo verebatur: & ipse ab eis, & ab vniuersis optimatibus diligebatur. Ante paucos sane dies obitus Egani, Ermenfredus quidam, qui eius duxerat filiam, Arnulfum † comitem apud Albiodorum vicum in Mallo † interfecit. Quapropter graue suarum rerum, permittente pariter ac iubente Nantilde, à propinquis Arnulphi passus est dispendium. Ipse quoque à rege sibi metuens, Remis in Basilica sancti Remigii per multos resedit dies.

An. Dom. 648. Erchenbaldus. al. Ainulphum. i. foro publico.

De Pipini morte à multis fleta: & filii eius post multam contentionem & factionem successione in præfectura

CAPVT XXXVIII.

EVoluto anno Pipinus diem obiit, maximum Austrasiis relinquens luctũ causa mortis suæ generatum, eo quod propter animi mansuetudinem, & iustitiæ seruatam æquitatem, ab vniuersis diligeretur. Cuius filius Grimoaldus, strenuus admodum iuuenis, propter egregia patris merita, populo simul & principibus valde erat charus. At vero quidam Otho, Berone genitus patre, sperabat se comitem palatii fieri posse, eo quod baiulus † fuerat regis Sigeberti in eius tenera ætate. Idcirco dum Grimoaldum paulatim despicere, nec iam odium aduersus eum conceptum velare, immo crebro contemptu sese manifestum cœperat demonstrare aduersarium, Grimoaldus paternæ amicitiæ prærogatiua Chuniberto pontifici iamdudum fœderatus, moliebatur Othonem pellere palatio. Sed cum id nequisset explere, exosum eum Leutherio Alemannorum effecit duci: à quo idem Otho decimo † Sigeberti regis anno interfectus est, & Grimoaldus in locum patris, maior domus in Austriæ regno institutus.

Pipini obitus. Grimoaldus F. Fredeg. c. 86. i. rector, educator. al. decimo octauo.

De Flaucato maiore domus Burgundiæ, & simultate eius cum VVillebaldo

CAPVT XXXIX.

Fredeg. c. 89

ANno quarto regni sui, Clodoueus cum Nantilde matre Aurelianos †, caput regni Burgundiæ, petiit. Vbi aduenientes pontifices ac optimates ipsius gentis, & se dominio Clodouei tradentes, Nantildis humanissime tractauit: vtque filio fidem seruarent, admonuit. Quorum consilio Flaucatum, Francia oriundum, præfectum instituit palatii, sociata ei nepte sua Ragnoberta in matrimonium. De cætero Erchinoaldus & Flaucatus (quorum vnus Neustriæ, alter Burgundiæ post Regem præerat aulæ) dextras sibi mutuæ societatis adinuicem dederunt, vt in communi tractatu parique consensu, quæ pacis essent sectantes, iustitiæ & æquitatis iura in subditis custodirent. E quibus Flaucatus in Burgundiam transiens, commissa sibi munia impigre curabat. Cuius restitit conatibus Willebaldus Vltraiuranus patricius: qui generis nobilitate, & opum affluentia sese extollens, despectui ducebat illi subiici, aut eius parere præcept s. Flaucatus tamen id sibi dissimulans cognitum, mense Maio ad generale placitum, cum Clodoueo Cabilonis agi decretum properare non distulit. Quo etiam Willebaldus cum inuidioso satis agmine, & quod minari bellum videretur, pertendit. Nec palatium ingredi voluit, metuẽs videlicet ne à Flaucato incautus opprimere-

An. Dom. 649. al Arelate, caput regni. VVillebaldus.

tur. Quod vbi Flaucatus animaduertit, palatio egressus eum interficere voluit. Cui sese frater Amalbertus obuium tulit, & à Willebaldi, ei frustra resistere parantis, nece distulit. Exinde Flaucatus rimabatur opportunitatem, vt de Willebaldo vltimam sumeret vltionem.

De Nantildis Reginæ obitu: VVillebaldi cæde: & Flaucati paulo post morte non immerita.

CAPVT XL.

EO anno Nantildis regina est defuncta, atque in ecclesia sancti Dionysii in eodem quo Dagobertus sepulchro posita. Ipsoq; anno Clodoueus ab vrbe Parrhisiorum cum Erchinoaldo & Flaucato ducibus, ac nonnullis Franciæ primatibus, mense Septembri progressus, per Senonas & Altissiodorum ad Augustidunensem profectus est ciuitatem: indeque ad Willebaldum nuntium dirigit, mandans vt quantocyus ad se veniret. Ille quamuis cauendum sibi esse à præparatis insidiis non ignoraret, periculosum tamen arbitratus Regi non obedire, dictis quidem paruit, quæ non audebat refellere, sed valida armatorum vallatus multitudine aduentabat. Cui occurrit Ermenricus quidam, cum aliis ex numero nobilium à Rege directus, vt eum sine cunctatione ad palatium debere properare hortaretur, simulque vt fidem daret, cum nil læsionis in eundo vel redeundo perpessurum. Cuius verbis non ex toto derogans credulitatem, ibat: Quem etiam donis vberioribus honorauit, & vt se ad ciuitatem præcederet, rogauit. Veruntamen nec sic sufficienter sui securus, Agilulfum Valentiæ præsulem ac Wisconem comitem ad regiam præ se ire iubet aulam, & quæ de eo agerentur agnoscere, agnitaque ad se velociter referre. Hos Flaucatus in vrbe detineri fecit: & ipse maturius surgens cum suis, ciuitate relicta, aduersus Willebaldum præliaturus iter arripuit. Auxilio ei erant Erchinoaldus dux cum Neustrasiis: Amalgarius & Ramelenus non ignobiles iuuenum, quos comitabatur haud spernenda multitudo satellitum: E quibus Ramelenus & Amalgarius, cum sibi obsequentibus, Flaucato in acie auxilium tulere, cætera multitudine procul stante, ac euentum belli præstolãte. Nuntius hostilis aduentus præcurrens, dubitationem ademit Willebaldo †. Qui hortatus socios, ne incruentam victoriam aduersariis esse sinerent, excepit aduenientes. In prima autem fronte ipse mortuus prosternitur, quippe sui iam contemptu vitæ prodigus, & desperatione salutis totum se in hostem effundens. Bertarius quoque partium Flaucati, dum aduersarios vehementer vrget, obuiauit cuidam Madalulfo Burgundioni olim sibi familiaritate notissimo. Qui Bertarium sese vocantem, sibique quod si ad se veniret, eum saluum certamine liberaret, pollicentem, & ad eum protegendum clypeum eleuantem, ingratus beneficii conto percussit in pectus. Cuius filius Aubedo, patris excitus periculo, ad eum cucurrit, aduersiq; Madalulfi pectus lancea transuerberauit: & cunctos, qui suum appetierant patrem, aut percussit, aut in fugam egit. Sicque genitorem suum, licet grauiter vulneratum, nati pietas custodiuit, ne imminentem experiretur mortem. Ii vero qui noluerant bello interesse, conspicientes Flaucatum iam iamque superiorem conflictu fore, tentoria Willebaldi & sociorum eius peruadentes, quicquid supellectilis in eis reperiere, abstulerunt: equos quoque peremptorum per diuersa vagantes abegerunt. Postero die Flaucatus Augustiduno egressus Cabillonas venit, sequentique die, quo vrbem ingressus est, eadem ciuitas fortuito conflagrauit incendio. Flaucatus febre vexatus, in scapha per Ararim Diuionem castrum deuectus, ibi exhalauit spiritum: & in Basilica sancti Benigni est sepultus. Creditum est à plurimis hos duos viros, Flaucatum videlicet & Willebaldum, dignas meritorum suorum luisse pœnas: eo quod multis irretiti essent periuriis, quæ datis adinuicem per loca Sanctorum sacramentis, commiserant.

Fredeg. c. 90

† al. manifestum reddidis VVilleb.

VVillebaldi cædes.

Bertarii vulnus.

De

De Clodouei in pauperes erogatione: Concione: & Templi ac cœnobii Dionyſiani ab epiſcopali ſubiectione exemptione: & de viris ſanctis qui intererant ac piis eorum operibus

CAP. XLI.

ANno decimoquarto ſuſcepti regiminis, Clodoueus Rex argentum, quo genitor ſuus abſidem ſuper ſepulchra martyrum Dionyſii Ruſtici ac Eleutherii prominentem operuerat, auferri mandauit, & Argulfo loci illius Abbati tradi, vt ipſe illud egenis & neceſſitatem patientibus (quia fames eo tempore totam pene occupauerat Franciam) diſpartiret. Et quia idem locus ſub poteſtate conſtitutus erat adhuc Parrhiſiaci pontificis, tale quid idem Deo amabilis princeps excogitauit. *An. Dom. 659. aut 660.*

Anno enim decimoſexto, ex quo ſceptra ſuſceperat regalia, Pontifices & totius gentis Principes Clippiacum conuenire iubens, mediuſque inter eos ſolio reſidens, hoc habuit ſermonis exordium. *Quanquam* (inquiens) *Francigenæ ciues, terreni nos cura principatus ammonuerit, publicis vos conſultores rebus aduocare: tamen prius nobis conuenit, ea quæ Dei & Sanctorum eius ſunt diſponere, vt poſtmodum ea quæ noſtra ſunt, dante Deo ex ſententia cedant. Ille enim qui per ſemetipſum polliceri dignatus eſt, dicens; Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis, nobis ſuis obtemperantibus præceptis ſua conferet promiſſa. Requiramus itaque quæ ſunt placita Sanctis, in regno iam conſiſtentibus æterni patris, & cuncta nobis euenient proſpera in terris, ſi ea curauerimus adimplere factis. Intentionem igitur noſtri cordis vos, ſacerdotes, qui Dii vocati eſtis, & filii excelſi omnes, attendite & audite, & auditam, ſi approbaueritis, vna nobiſcum ad effectum adducere elaborate. Noſtri itaque deuotio hæc extat animi, vt monaſterium patroni noſtri Domini Dionyſii, in quo ipſe cum conſortibus teſtimonii veritatis requieſcit humatus, & piæ memoriæ genitores noſtri (dominus videlicet Dagobertus, ac domina Nantildis) ſe ſepelire mandauerunt, ab omni ſoluamus dominio mortalium: quatenus Abba vel fratres eo loco commanentes, poſſeſſiones a parentib. noſtris ſiue ab aliis fidelib. Chriſtianis ſibi traditas, abſque vllius dominantis inquietudine poſſidentes, pro ſalute noſtra ac ſtatu regni noſtri liberius Deum deprecentur. Huic autem noſtræ ſuggeſtioni conſentit venerabilis vir Landericus, Parrhiſiacæ vrbis præſul: in cuius diœceſi cœnobium illud ſitum eſt, & cui vſque ad præſens tempus ſubiectum fuit. Hanc ergo libertatem ſerui Dei inibi conſtituti dum fuerint adepti, nulliuſque præter Dei ac Sanctorum eius noſtrumque (cui etiam tota natio Francorum paret) fuerint perpeſſi dominatum, ſciant ſe, debito tali, genitoribus noſtris & nobis, eiſque qui noſtro (vt ſperamus) per Dei gratiam orientur ex ſemine, fore obnoxios, vt pro noſtra eorumque quos memorauimus præſenti ac futura requie, non deſinant Deum exorare.* Hæc Regem pro concione locutum, circumſiſtentes poſtquam auſcultauerunt intente, in laudibus eius proclamantes, manſura ei optauere gaudia. *Matth. 6.* *Pſal. 81.*

HVic conuentui interfuere prope omnes Gallicani Epiſcopi: inter quos quidam ſancti extiterunt viri, quos ſancta Eccleſia dignis effert honoribus, eo quod ad eorum ſepulchra variis vexati ſanentur infirmitatibus, id eſt beatus Audoenus, & ſanctus Rado frater ipſius, atque dominus Eligius, cum beato Sulpitio, nec non ſancto Euchenrio. E quibus beatus Audoenus (qui & Dado dictus eſt) referendarius fuit regis Dagoberti, filiuſque præcellentiſſimi viri Antharii. Qui referendarius ideo eſt dictus, quod ad eum vniuerſæ publicæ deferrentur conſcriptiones, ipſeque eas annulo Regis ſiue ab eo ſigillo ſibi commiſſo, muniret ſeu firmaret. Cui fuerunt duo fratres, Ado ſcilicet & Rado. Ado itaq; ſpretis ſecularibus pompis, conſtruxit monaſterium in ſaltu Vodrenſi † ſuper Matronam fluuium, quod nominauit * *Iotrum*: in quo ipſe ſub regula abbatis Columbani, Deo vſque ad diem ſeruiuit vltimum. Rado quoque zelo fraterni ſtudii animatus, dum theſauris præeſſet regalibus, & ipſe in paterna hæreditate ædificauit cœnobium, quod ex proprio nomine vocauit *Radolium*. Porro beatus Audoenus, ne impar in bonis operibus videretur ſuis eſſe fratribus, ipſe etiã fabricauit *Audoenus. Rado. Eucherius. Dado. Referendarius. i. Cancellarius. Ado. for. Iedrenſi. * Iodrum, hod. Ioarre. Nobile puellarum Cœnobium. Rado.*

monasterium intra Brigensem saltum, quod Hierusalem ab eo quidem est nominatum: sed à fluuiolo, super quem est situm, *Resbascense* † nunc dicitur cœnobium. Hos fratres ad tam præclara exercitia, exemplo sanctissimi reor excitatos esse Eligii. Ille enim dum in palatio gratam Deo & hominibus ageret vitam, à rege Dagoberto petierat condonari sibi villam in pago Lemouicino sitam, Solemniacum cognominatam. in qua & monasterium construxit, & congregationem Deo seruientium monachorum statuit.

ho. Rebaiz. *S. Eligius.*

Hactenus liber Floriacensis monasterii sancti Benedicti supra Ligerim, gesta Francorum recitat. Quæ vero sequuntur, non Aimoini, verum alterius cuiusdam Historiographi sunt: nec vnius quidem tantum, verum duorum. Nam & obitus sepulturaque Dagoberti regis & alia pleraque præciso nimium rudique stylo repetuntur. Et cum ad Caroli Martelli gesta ventum est, politiori magisque Latina oratione tum illius tum cæterorum gestæ res explicantur.

Idem testatur fide m.s. Cl. Faulchet. lib. 4. Fr. Antiquit. c. 6.

FINIS.

ADEL-

ADELMI BENEDICTINI, VEL SECVNDVM ALIOS ADEMARI Monachi, Annales Francorum Regum, PIPINI, KAROLI MAGNI, HLVDOVICI PII, per annos continuos LXXXVII.

Nonnullis de Cœnobio S. Germani, ab eius familiæ Monacho interspersis.

DCCXLI.



HOc anno Carolus † Maior Domus diem obiit, tres filios heredes relinquens, Carlomannum scilicet, Pipinum, atque Grifonem. Quorum Grifo, qui cæteris maior natu erat, matrem habuit nomine Suuanahildem, neptem Odilonis Baioariorum ducis. Hæc illum maligno consilio ad spem totius regni concitauit, in tantum, vt sine dilatione Laudunum † ciuitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret. Qui, celeriter exercitu collecto, Laudunum obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt: atque inde ad regnum ordinandum, ac prouincias, quæ post mortem patris à Francorum societate desciuerant, recuperandas, animos intendunt: & vt in externa profecturi, domi omnia tuta dimitterent, Carlomannus Grifonem sumens fratrem, in nouo castello, quod iuxta Arduennam situm est, custodiri fecit: in qua custodia, vsq; ad tempus, quo idem Carlomannus Romam profectus est, dicitur permansisse.

† *Martellus dictus.*
† *hod. Laon.*

De Pipini & Carlomanni expeditione in Aquitaniam: & regni diuisione: & Alemanniæ deuastatione: & Odilonis Baioarii Saxonumque oppreßione & deditione dupla

DCCXLII.

HOc igitur quod supra significatum est, scilicet quod Carolus princeps Lanfredum abbatem sancti Germani, legationis causa in Aquitaniam miserit, replicemus. Idem nanque Abbas ab Hunoldo, ipsius Aquitaniæ patricio, quasi explorator, tribus cum semis annis † inuitus detinetur. Carlomannus itaque & Pipinus Francorum regno potiti, primo Aquitaniam recipere volentes, contra Hunoldum ipsius prouinciæ Ducem, cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur: & capto quodam castello quod Lucas † vocatur, priusquam ex ea prouincia secederent, regnum quod communiter habuerunt, diuiserunt inter se in loco qui vocatur Vetus Pictauis †. Pace itaque peracta cum Hunoldo, Lanfredus absoluitur: eodemque anno, postquam domum regressi sunt, Carlomannus Alemanniam, quæ & ipsa à Francorum societate defecerat, cum exercitu ingressus ferro & igni vastauit.

† *al. tribus semis annis.*
† *hod. Loches.*
† Le viel Poictiers.

DCCXLIII.

Carlomannus & Pipinus iunctis copiis, contra Odilonem ducem Baioariorum profecti sunt: prælioque commisso exercitum eius fuderunt: & postquam inde reuersi sunt, Carlomannus solus in Saxoniam profectus est, & castrum quod diciur Hoscoburg † cepit: & Theodoricum Saxonem, illius loci primarium, in deditionem accepit.

al. Ochsenburg.

DCCXLIV.

Iidem fratres Carlomannus & Pipinus, iuncta manu, Saxoniam rursus ingressi sunt, prædictumque Theodoricum iterum in deditionem acceperunt.

De Carlomanni monachatu: & monasterio in Italia.

DCCXLV.

HOc anno, Carlomannus, quod diu ante præmeditatus est, patefecit fratri suo Pipino: scilicet secularem conuersationem se velle dimittere, & in habitu monachico Deo seruire. Propter hoc dimissa expeditio est anni præsentis, ad vota Carlomanni perficienda: & iter illius disponendum. Nam Romam proficisci statuerat: & Pipinus vacabat dans operam, vt frater honorifice ac decenter illo, quo desiderabat, perueniret.

DCCXLVI.

Carlomannus Romam profectus, dimissa seculari gloria, habitum mutauit: & in monte Soracte †, monasterium in honorem sancti Siluestri ædificauit: vbi quondam tempore persecutionis, quæ sub Constantino imperatore facta est, sanctus Siluester latuisse fertur: ibique aliquandiu commoratus, meliori consilio, hoc loco dimisso, ad monasterium sancti Benedicti in Samnia prouincia, iuxta Cassinum castrum constitutum, Deo seruiturus venit. Ibique monachicum habitum suscepit.

al. Soraptc. Monasteriū S. Siluestri.

De Pipini & Grifonis fratrum discordia: & de legatione Francorum ad Regem qui Franciæ præesset constituendum: & de Pipini maioris domus inunctione & obitu

DCCXLVII.

FRater Carlomanni & Pipini, nomine Grifo, Pipino fratri suo subiectus esse nolens, quamuis sub illo honorifice viueret, collecta manu in Saxoniam profugit: collectoque Saxonum exercitu, super fluuium Ouacram, in loco qui dicitur *Orheim* †, consedit. At Pipinus cum exercitu Francorum per Toringiam profectus, contra fratris dolos, Saxoniam ingressus est: consedit que super fluuium Nuslaham †, in loco qui vocatur Skahumgi †: prælium tamen non est inter eos commissum, sed ex placito discesserunt.

al. Horheim. al. Missaha. al. Schaningc. inf. An. 784.

DCCXLVIII.

Grifo Saxonum fidei diffidens, Baioariam petiit: & de copiis quæ de Francia ad eum confluebant, ipsum ducatum in suam redegit potestatem, & Hiltrudem in deditionem accepit. Sunithgerum ad auxilium sibi venientem suscepit. Hæc cum ad Pipinum perlata fuissent, cum maximo exercitu in Baioariam profectus est, fratremque suum

suum Grifonem, cum omnibus qui eum ipso vel ad ipsum venerant, cepit: Tassilonem in ducatum restituit: domumque reuersus, Grifonem, more Ducum, duodecim comitatibus donauit. Sed ille tali beneficio contentus non erat. Nam eodem anno ad Waifarium ducem Aquitaniæ profugit. *Ducatus habebat 12. comitatus.*

DCCXLIX.

Richardus † Wiziburgensis episcopus, & Fulradus capellanus, missi sunt Romam ad Zachariam papam, vt consulerent Pontificem, de causa Regum qui in illo tempore fuerunt in Francia: qui nomen tantum Regis, sed nullam potestatem regiam habebant. Per quos prædictus Pontifex mandauit, *Melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret:* dataque auctoritate sua iussit Pipinum regem institui. *al. Burchardus.*

DCCL.

Hoc anno, secundum Romani pontificis sanctionem, Pipinus Rex Francorum appellatus est: & ad huius dignitatem honoris vnctus sacra vnctione, manu sanctæ memoriæ Bonifacii archiepiscopi & martyris: & more Francorum, eleuatus in solium regni Suessionis ciuitate. Hildericus vero qui falso Regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est. Regnauit autem Pipinus Rex annos XV. menses IV. & dies XX. Tenuerat vero ante principatum & Maioratum domus, annis X. ab obitu patris sui vsque ad susceptionem regni. *PIPINVS REX.* *Childericus tonditur.*

De Pipini regis Austrasiorum successibus in Saxonia: & Stephani Papæ & Carlomanni fratris ad eum aduentu: & de eiusdem inunctione: Et de sancti Germani apparitione & translatione.

DCCLIII.

HOc anno Pipinus rex cum exercitu magno Saxoniam ingressus est: & quamuis Saxones ei obstinatissime resisterent, pulsi tamen cesserunt. At ipse vsque ad locum qui dicitur Rum †, qui est super fluuium Wisuram, accessit. In qua expeditione Hildegarius archiepiscopus interfectus est, in monte qui dicitur Duburg *. Reuertente vero Rege de Saxonia, nuntius venit de morte fratris sui Grifonis, qui in Vasconiam profugerat, & à quo & qualiter fuisset interemtus. Eodem anno Stephanus Papa venit ad Pipinum regem, in villam quæ vocatur Carisiacus: suggerens ei, vt se & Romanam Ecclesiam, ab infestatione Langobardorum defenderet. Venit & Carlomannus frater Regis iam monachus factus, iussu Abbatis sui, vt apud fratrem suum precibus Romani pontificis obsisteret. Inuitus tamen hoc fecisse putatur: quia nec ille Abbatis sui iussa contemnere, nec Abbas ille præceptis regis Langobardorum, qui ei hoc imperauit, audebat resistere. *al. Riml.* *Hildegarii & Grifonis cædes.* **al. Viburg.*

DCCLIV.

Stephanus Papa, postquam à rege Pipino ecclesiæ Romanæ defensionis firmitatem accepit, ipsum sacra vnctione ad Regiæ dignitatis honorem consecrauit, & cum eo duos filios eius, Carolum & Carlomannum: mansitque hyberno tempore in Francia. Eodem anno Bonifacius archiepiscopus Magontiensis, in Frisia verbum Dei prædicans, à paganis interfectus, martyrio coronatus est. *Bonifacius martyr.*

Sequenti anno venerabilis Lanfredus, Abbas cœnobii sancti Germani Parrhisiensis, gloriosissimum regem Pipinum adiit: significans sibi per reuelationem ostensum, & commonitum ab ipso

S. Germani translatio.

ſancto pontifice Germano, quatenus ſacratiſsima eius membra, de oratorio ſancti Symphoriani, in quo ducentis circiter vel eo amplius annis iacuerat, intra maioris Eccleſiæ aulam transferri deberent. Audiens hoc glorioſiſsimus Deique cultor rex Pipinus, gaudio gauiſus est magno. Conuocatiſque vniuerſis regni ſui præſulibus, eis myſterium ſibi reuelatum declarauit: qualiterque tantum perficere negotium deberet, ſolerti ab eis indagine perquiſiuit atque tractauit. Omnibus vero id collaudantibus, die conſtituta glorioſiſsimus Rex præfatus, vna cum multitudine antiſtitum ac procerum turba, aſsiſtentibus filiis ſuis regibus (Carlomanno videlicet, atque Carolo, qui poſtea Magnus dictus eſt, tunc ſeptenni puerulo) ſacratiſsima membra reuerendiſsimi antiſtitis Germani, intra maiorem Baſilicam cum digno honore tranſpoſuerunt. Prædictus autem glorioſiſsimus Pipinus rex, pro oſtenſis in tranſpoſitione ſanctiſsimi pontificis cælitus gauiſus miraculis, ipſa die quandam villam nuncupatam Palatiolum, ſitam in Pago Parrhiſiaco, ſancto Pontifici perpetuo habendam regali præcepto contradidit.

Carolus magnus ſeptennis.

De Pipino Aiſtulphum Langobardorum ad reſtitutionem eorum, quæ eccleſiæ Romanæ erant, cogente. De Carolomanni monachi obitu: & Aiſtulphi ſubacti dolo & morte.

DCCLV.

Pipinus rex, inuitante atque ſuggerente prædicto Romano Pontifice, propter iuſtitiam beati Petri Apoſtoli à rege Langobardorum exigendam, Italiam cum valida manu ingreditur. Reſiſtentibus Langobardis, & clauſtra Italiæ tuentibus, ad ipſas montium clauſuras † acerrime pugnatum eſt: cedentibuſque Langobardis, omnes copiæ Francorum quamuis difficilem viam non magno labore ſuperarunt. Haiſtulphus Langobardorum rex manū conſerere non auſus, in ciuitate Papia à rege Pipino obſeſſus eſt. Qui ante obſidionem non ſoluit, quam firmitatis cauſa, pro reddenda ſanctæ Romanæ eccleſiæ iuſtitia, obſides quadraginta recepiſſet. Datis vero quadraginta obſidibus, promiſſiſq; iureiurando firmatis, ipſe quidem in regnum ſuum regreſſus eſt, & Stephanum Papam, cum † Fulrado presbytero capellano, & non minima Francorum manu, Romam remiſit. Carlomannus autem monachus frater Regis, qui cum Bertrada regina in Vienna ciuitate remanſit, priuſquam Rex de Italia reuerteretur, febre correptus, diem obiit: cuius corpus, iuſſu Regis, ad monaſterium ſancti Benedicti, in quo monachicum ſuſceperat habitum, relatum eſt.

m. ſ. cluſas.

al. Florato.

DCCLVI.

Aiſtulphus vero Rex Langobardorum, quanquam anno ſuperiore obſides dediſſet, & de reddenda ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iuſtitia, tam ſe quam optimates ſuos iureiurando obſtrinxiſſet, nihil de promiſſis opere compleuit. Propter hoc Pipinus rex iterum cū exercitu Italiam intrauit: & Aiſtulphum in Papia ciuitate ſe includentem obſedit: & obſidione ad impletionem promiſſorum ſuorum compulit: redditamque ſibi Rauennam, & Pentapolim, & omnem Exarchatum ad Rauennam pertinentem, ad ſanctum Petrum tradidit. Atque his peractis, in Galliam eſt reuerſus. Haiſtulphus autem poſt abſceſſum eius, cum meditaretur, quomodo non tam impleret promiſſa ſua, quam doloſe ea quæ impleta fuerant commutaret, in venatione de equo ſuo caſu prolapſus eſt, atque ex hoc ægritudine contracta, intra paucos dies viuendi terminum fecit. Cui Deſyderius, qui Comes ſtabuli eius fuerat, ſucceſſit in regnum.

Rauenna extat inſcriptio, huius rei teſtis.

Deſyderius Rex Long.

De Constantini muneribus ad Pipinum perlatis: & fide quam illi Taxillo Baioariorum Dux dederat: & Saxonum deditione. De ortu & obitu Pipini iunioris.

DCCLVII.

COnstantinus Imperator misit Pipino regi multa munera, inter quæ & organum, quæ ad eum Compendium † perlata sunt: vbi tunc populi sui generalem conuentum habuit. Illuc & Tassilo, Dux Baioariorum, cum primoribus gentis suæ venit: & more Francorum, in manus regis in Vassaticum †, manibus suis semetipsum commendauit: fidelitatemque tam ipso regi Pipino, quam filiis eius Carolo & Carlomanno, iureiurando supra corpus sancti Dionysii promisit: & non solum ibi, sed & super corpus sancti Martini, & sancti Germani, simili sacramento, *fidem se prædictis dominis diebus vitæ suæ seruaturum esse pollicitus.* Similiter & omnes primores ac maiores natu Baioarii, qui cum eo in præsentiam Regis peruenerunt, *fidem se Regi & filiis eius seruaturos*, in prædictis venerabilibus locis promiserunt.

hod. Compiegne.
al. Vasallum

DCCLVIII.

Pipinus rex cum exercitu Saxoniam aggressus est: & quamuis Saxonibus validissime resistentibus, & munitiones suas tuentibus, pulsis prælio propugnatoribus per ipsum, quo patriam defendere conabantur, vallum intrauit: commissisque passim præliis, plurimam ex ipsis multitudinem cecidit: coëgitque vt promitterent, *Se omnem voluntatem illius esse facturos, & annis singulis, honoris causa, ad generalem conuentum equos trecentos pro munere daturos.* His itaque compositis, & more Saxonico, vt rata esse deberent, confirmatis, in Galliam sese cum exercitu suo recepit. *His diebus venerabili Lanfredo abbate decedente, Guichardus † ecclesiæ sancti Germani abbas præficitur.*

al. Wichardus.

DCCLIX.

Natus est Pipino regi filius, quem suo nomine Pipinum vocari voluit: sed puer immatura morte præuentus, tertio post natiuitatem suam anno decessit. Hoc anno celebrauit Rex natalem Domini in Langdare †: & Pascha in Iopila: neque extra regni sui terminos aliquod iter fecit.

al. Lonclare.
al. Londare.

De bello in Vvaifarium Aquitaniæ ducem moto: & eius pacatione: & innouatione ac vrbium captione: Carolique magni tyronicio.

DCCLX.

WAifarius dux Aquitaniæ cum res quæ in sua potestate erant, & ad Ecclesias, sub manu Pipini regis constitutas, pertinebant, rectoribus ipsorum venerabilium locorum reddere nollet, ipsumque Regem pro his se per Legatos suos commonentem, audire contemneret, contumacia sua ad suscipiendum contra se bellum concitauit. Nam Rex contractis vndique copiis, Aquitaniam ingressus, bello se res & iustitias Ecclesiarum exacturum pronuntiauit. Cumque in loco qui Tedoad † vocatur, positis castris consedisset, Waifarius bello certare non ausus, missa ad Regem legatione spondet, *se imperata facturum: Ecclesiarum possessiones & res debitas redditurum: obsides qui imperarentur daturum.* Dedit etiam de primoribus gentis duos, Adalgarium & Itherium: & hoc facto commotum contra se Regis animum adeo mitigauit, vt

al. Tedo.

ſtatim bello deſiſteret. Nam acceptis obſidibus, qui ad fidem promiſſionibus faciendam dati ſunt, Rex bello abſtinuit: domumque reuerſus, dimiſſo exercitu, in villa Cariſiaco hyemauit: in qua & natalem Domini & Paſcha celebrauit.

DCCLXI.

Waifarius autem Dux, quanquam obſides dediſſet, ſacramenta iuraſſet, ſatius tamen ratus ſi de illato ſibi anno ſuperiore bello vltionem exigeret, exercitum ſuum qui Francorum poſſeſſiones popularetur, vſque Cabillonem † ciuitatem fecit accedere. Quod cum Pipino regi, generalem conuentum agenti in villa Duria, fuiſſet nunciatum, coactis vndique auxiliis, cum magno belli apparatu Aquitaniam ingreſſus eſt. Quædam oppida atque caſtella manu cepit. In quibus præcipuâ fuere, Borbonum †, Cantilla, Clarus mons. † Quædam ſe victori vltro dediderunt, maximeque Aruernorum Caſtella, quæ tunc bello premebantur. Rex tamen cuncta quæ extra munitiones inuenit, ferro & igni deuaſtans, poſtquam ad Lemouicas † oppidum venit, reuerſus eſt: & in villa Cariſiaca hybernis habitis, natalem Domini ac Paſcha celebrauit. In hac expeditione fuit cum Rege, primogenitus eius filius Carolus: ad quem poſt patris obitum, totius imperii ſumma conuerſa eſt.

hod. Chaalon. — *al. Burbonis. al. Clarmontis.* — *hod. Limoges.*

De bello Aquitanico: in quo Biturica vrbs capta: & altero in quo Taſsilo defecit: deque hyeme aſperrima.

DCCLXII.

Pipinus rex ſuſcepto à ſe bello finem imponere cupiens, iterum Aquitanicam prouinciam cum magnis copiis intrat. Captaque Biturica ciuitate, & caſtello Toarcis reuertitur: hyemauitque in villa Gentiliaco: atque in ea natalem Domini, ac Paſchalis feſti ſolennia celebrauit.

DCCLXIII.

Redeunte anni congruó tempore, conuentu Niuernis habito, & contractis vndique copiis rex Pipinus Aquitaniam repetit: & omnia quæ extra munitiones erant, ferro & igni depopulatus, vſque Carduciam † oppidum acceſſit. Inde cum integro exercitu, in Franciam ſe recepturus, per Lemouicinos † regreditur. De qua expeditione Taſſilo Baioariæ dux, ægritudine per dolum ſimulata, in patriam reuerſus eſt, firmatoque ad defectionem animo, ad Regis ſe conſpectum vlterius venturum abiurauit. Rex dimiſſo in hyberna exercitu, ad hyemandum in villa Longdare † conſedit: atque ibi natalem Domini ac Paſcha celebrauit. Facta eſt autem eo tempore tam valida atque aſpera hyems, vt immanitate frigoris, nullæ præteritorum annorum hyemi videretur conferri.

al. Cadurciam. hod. Cahors. — *al. Lemouicam.* — *Taſſilonis dolus.* — *al. Lonclare.* — *Hyems acerrima.*

DCCLXIV.

Rex Pipinus, diſtracto in diuerſa animo propter duo bella, videlicet Aquitanicum iam olim ſuſceptum, & Baioaricum propter Taſſilonis ducis defectionem ſuſcipiendum, populi ſui generalem conuentum habuit in Wormatia ciuitate: dilataq; in futurum expeditione, illo anno in Francia domi ſe continuit: hyemauitq; in villa Cariſiaco, atq; in ea natalem Domini & ſanctum Paſchalis feſti ſolenne celebrauit. Eclipſis Solis facta eſt pridie † nonas Iunii hora ſexta.

Eclipſis ſolis. al. 11. Non.

DCCLXV.

Hoc anno rex Pipinus domi ſe continuit: neq; propter Aquitanicū bellum, quamuis non-

uis nondum finitum, regni sui terminos egressus est: sed generalem populi sui conuentum in Actiniaco villa, Hyberna vero Aquisgrani habuit: vbi & natalem Domini & Pascha celebrauit.

DCCLXVI.

Pipinus rex ad conficiendum Aquitanicum bellum, conuentu Aurelianis habito, in Aquitaniam profectus: destructum à Waifario Argentomagum castrum reædificauit: dispositoque ibi, necnon in Bituricaciuitate, Francorum præsidio, regreditur: natalemque Domini Salmontiaci, Pascha vero Gentiliaci celebrauit.

De controuersia Græcorum & Roman. super Trinitate, & imaginibus Sanctorum. Et de bello Aquitanico in quo Pipinus Tolosam cepit, & anno sequenti castella plurima. De sororum ac matris & neptium Vuaifarii ad Pipinum adductione: Vuaifarii cæde: Pipini morbo & obitu.

DCCLXVII.

ORta quæstione de sancta Trinitate, & de Sanctorum imaginibus, inter Orientalem & Occidentalem ecclesiam (id est Romanos & Græcos) rex Pipinus, conuentu in Gentiliaco villa congregato, Synodum de ipsa quæstione habuit: eoque peracto, ad bellum prædictum conficiendum, post natalem Domini in Aquitaniam proficiscitur: & per Narbonem iter agens, Tolosam aggressus cepit. Albiensem, & Gauuldensem † pagos in deditionem accepit: & Viennam reuersus, postquam ibi & Paschalis festi sacra peregit, & exercitum à labore refecit, iam prope æstate confecta mense Augusto ad reliquias belli profectus est: & Bituricam veniens, conuentum (more Francico) in *campo* egit: & inde iter agens, ad Garomnam fluuium peruenit: castella multa atque speluncas, in quibus se hostium manus plurima defensabat, cepit: inter quæ præcipua fuere castra, Scoralia, Tormina, Petrotia. Reuersus Bituricam, exercitum in hyberna dimisit: ipse ibi considens natalem Domini celebrauit. Eo anno Paulus Papa Romanus defunctus est: cuius rei nuntius ibi ad Regem peruenit.

De trinitate & imaginibus sanctorum quæstio. — *al. Gauuldanum.* — *al. Torimna.* — *Pauli Papæ obitus.*

DCCLXVIII.

Rex Pipinus, cum primum ad bellum gerendum tempus congruum esse vidit, euocato vndique exercitu, ad ciuitatem Sanctonicam contendit. Captoque in itinere Rumstanno †, cum ad vrbem prædictam venisset, mater & soror & neptis Warnarii ducis ad conspectum eius adductæ sunt. Quas cum pie susceptas seruari iussisset, ad Garomnã fluuium proficiscitur: vbi ei Erouuicus † cum alia prædicti ducis sorore occurrit in loco qui Montes vocatur, seque & illam Regi tradidit. Rebus igitur aliquot prospere gestis, Rex reuertitur: & in castello, quod dicitur Fels †, Pascha celebrauit. Acceptaque secum vxore sua Bertruda †, atque familia sua, iterum ad vrbem Sanctonicam venit. Dimissaque ibi vxore & familia, cum omnibus copiis ad persequendum Waifarium ducem animum intendit: nec prius destitit, quam aut caperet aut interficeret rebellantem. Interfecto igitur duce Waifario in territorio Petragorico, confectoque (vt sibi videbatur) Aquitanico bello, Sanctonas reuersus est. Cumque ibi aliquantulum temporis moraretur, ægritudine decubuit. In ipsa tamen valetudine Turonos delatus, apud sancti Martini memoriam orauit. Inde cum Parrhisios venisset, VIII. Kal. Octob. diem obiit. Cuius corpus in Basilica beati Dionysii martyris humatum est. Filii vero eius Carolus & Carlomannus consensu omnium Francorum Reges creati: & Carolus in ciuitate Nouimo †, Carlomannus Suessionis, insignia regni susceperunt. Carolusque (qui maior natu erat) Aquisgranum † profectus, ibi natalem Domini, & in Rothomagensi † ciuitate Pascha celebrauit.

al. Rimistaino. — *al. Orouuicus.* — *al. Sels.* — *al. Bertrada.* — *Waifarii cædes.* — *Pipini ægritudo. Mors. 768.* — *al. Nouiomo. hod. Aachen* — *al. Rotomago.*

De Caroli magni in Hunoldum successu: & cum fratre reconciliatione per matrem. De Carlomanni obitu: & vxoris eius fuga.

DCCLXIX.

POstquam hi duo fratres succedentes regnum inter se partiti sunt, Aquitania prouincia, quæ in sortem maioris natu Caroli regis cesserat, remanentibus in ea transacti belli reliquiis, conquiescere non potuit. Nam Hunoldus quidam regnum affectans, prouincialium animos ad noua molienda concitauit: contra quem, quia ipsi † eadem prouincia sorte obuenerat, Rex Carolus cum exercitu profectus est. Sed cum fratris auxilium habere non posset (qui procerum suorum prauo consilio, ne id faceret, impediebatur) colloquio tantūmodo cum eo habito in loco qui Duasdiues vocatur, fratre in regnum suum remeante, ipse in Engolisinam † ciuitatem Aquitaniæ proficiscitur: & inde contractis vndique copiis, fugientem vndique Hunoldum persequitur: paulumque abfuit quin caperet. Sed ille notitia locorum, in quibus Regis exercitum latere poterat, liberatus est: dimissaque Aquitania Vasconiam petiit, tutum se ibi fore arbitratus. Erat tunc Vasconensis dux Lupus nomine: cuius fidei se Hunoldus committere non dubitauit. Ad quem Rex missa legatione, iubet sibi perfugam reddi, ea conditione mandata, *Vt si dicto non obediret, sciret se bello Vasconiam ingressurum, neque inde prius digressurum, quam illius inobedientiæ finem imponeret.* Lupus minas Regis pertimescens, Hunoldum & vxorem eius sine cunctatione reddidit, & se quoque quæcunque imperarentur facturum spopondit. At Rex, donec legati quos miserat reuerterentur, castellum quoddam iuxta Dornoniam † fluuium, vocabulo Frontiacum, ædificat. Reuersis igitur legatis, reducto perfuga, ædificato castello, in regnum suum regreditur: celebrauitque natalem Domini in villa Duria: & Pascha apud sanctum Lambertum, in vico Leodico.

al. Ipse cui eadem. — *al. Egolisinani.* — *Lupus Vasco* — *Dordoniam.* — *Vicus Leodicus.*

DCCLXX.

Dominus Carolus Rex habuit conuentum generalem in Wormatia ciuitate. Bertrada vero mater Regum, cum Carlomanno minore filio apud Salutias locuta pacis causa, in Italiam proficiscitur. Peractoque propter quod illuc profecta erat negotio (nam propter filiam Desiderii regis Langobardorum expetendam in matrimonium filio suo regi Carolo ierat) adoratis etiam Romæ sanctorum Apostolorum liminibus, ad filios in Galliam reuertitur. Carolus autem Rex natalem Domini Mogontiæ, sanctumque Pascha in villa Haristallio celebrauit.

DCCLXXI.

Peracto, secundum morem, generali conuentu, super fluuium Scaldem † in villam Vallenschenarum † rex Carolus ad hyemandum proficiscitur. Cunque ibi aliquandiu moraretur, Carlomannus frater eius pridie Nonas Decemb. decessit in villa Salmonciaca: & Rex ad capiendum ex integro regnum animum intendens, in Carbonacum villam venit. Ibi Wilharium episcopum Sedunensem, & Fulradum capellanum †, & alios plures sacerdotes, Comites etiam atque primates fratris sui (inter quos vel præcipui fuere Warinus & Adhalardus) ad se venientes suscepit. Nam vxor eius, & filii cum parte optimatum, in Italiam profecti sunt. Rex autem profectionem eorum in Italiam quasi superuacuam † patienter tulit: celebrauitque natalem Domini in Attiniaco, & Pascha in Haristallio.

Scaldim. — *al. Valentianas.* — *Carlomannus moritur.* — *al. Fulradum presbyterum.* — *al. Suspectã.*

DC

De Saxonum à Carolo magno subactione: & idoli illorum destructione: deque prioris coniugis repudio: & secundæ matrimonio. Item de legatione Adriani Papæ ad ipsum: & de expeditione in Desiderium quem Ticini obsedit suscepta.

DCCLXXII.

ROmæ Stephano Papa defuncto, Adrianus in pontificatu successit. Rex vero Carolus congregato apud Wormaciam generali conuentu, Saxoniam bello aggredi statuit: eamque sine mora ingressus, ferro & igni cuncta depopulatus, Eresburgum castrum cepit: Idolumque quod *Irminsul* à Saxonibus vocabatur, euertit. In cuius destructione cum eodem loco per triduum moraretur, cõtigit vt, propter continuam cœli serenitatem, exsiccatis omnibus illius loci riuis ac fontibus, aqua ad bibendum inueniri non posset. Sed ne diutius siti confectus laboraret exercitus, diuinitus factum creditur vt quadam die cum (iuxta morem) tempore meridiano cuncti quiescerent, iuxta montem qui castris erat contiguus, tanta vis aquæ in concauo eiusdem torrentis eruperit, vt cuncto exercitui sufficeret. Tunc Rex idolo destructo, ad Wisaram † fluuium accessit: ibiq; à Saxonibus duodecim obsides accepit: inde in Franciam reuersus, in villa Haristallio & natalem Domini & sanctam Paschalis festi solennitatem celebrauit. Hoc anno etiam dominus Carolus rex repudiauit filiam Desiderii regis Langobardorum, anno postquam eam matris hortatu duxerat vxorem: & Hildegardem de gente Sueuorum, præcipuæ nobilitatis fœminam, in matrimonium accepit.

Irminsul idolum Saxonum. — *Visurgis.* — *Repudium filiæ Desiderii regis. Hildegardis nuptiæ.*

DCCLXXIII.

Adrianus Papa cum insolentiam regis Desiderii, & Langobardorum oppressionem ferre non posset, decreuit vt legationẽ ad Carolum regem Francorum mitteret, eumque sibi atque Romanis, aduersus Langobardos, opem ferre rogaret: & quia id terreno itinere per Italiam fieri non poterat, cum quem miserat legatum, nomine Petrum, nauim conscendere & Massiliam vsque per mare ire, atque inde terreno itinere in Franciam fecit peruenire. Qui cum ad Regem in Theodone villa † (vbi tunc hyemauerat) peruenisset, & ei legationis suæ causam aperuisset, eadem qua venerat via Romam regressus est. Rex vero rebus quæ inter Romanos ac Langobardos gerebantur diligenti cura pertractatis, bellum sibi cum Langobardis pro defensione Romanorum suscipiendum ratus, commoto Francorum exercitu, Gebennam † Burgundiæ ciuitatem iuxta Rhodanum sitam venit: ibique de bello suscipiendo deliberans, copias quas secum adduxerat diuisit: & vnam partem cum Bernardo patruo suo per montem Iouis † ire iussit. Alteram ipse ducens, per montem Cinisium Italiam intrare contendit, superatoque Alpium iugo, Desiderium regem frustra sibi resistere conantem citra congressionem fugauit: Ticinoq; inclusum obsedit: & in oppugnatione ciuitatis (quia difficilis erat) totum hyberni temporis spatium, multa moliendo, consumsit.

hod. Thionville. — *Genuam. m.s.i. Ginanam.* — *hod. Montjou.*

De Saxonum rebellione & perfidia, miraculosaque ab incendio templi repulsione. De Ticini deditione: Desiderii captiuitate: & Saxonum à Carolo subactione.

DCCLXXIV.

CVm hæc in Italia geruntur, Saxones per opportunam absentiam Regis nacti occasionẽ, contiguos sibi Hassorũ terminos ferro & igni populantur. Cumq; in eo loco *Hassi.*

hod. Frislar.

qui nunc *Frideslar* † ab incolis nominatur, Basilicam à Beato Bonifacio martyre dedicatam incendere molirentur, atque hoc efficere casso labore conarentur, immisso sibi diuinitus pauore subitaneo, turpi trepidatione confusi domum fugiendo reuertuntur. At Rex dimisso, ad obsidionem atque ad expugnationem Ticini, exercitu, orandi gratia Romam proficiscitur: & cum peractis votis inde ad exercitum fuisset reuersus, fatigatam longa obsidione ciuitatem ad deditionem compulit. Quam cæteræ ciuitates secutæ, omnes se Regis ac Francorum potestati subdiderunt. At Rex subacta, & pro tempore ordinata Italia, in Franciam reuertitur, captiuum ducẽs Desiderium regem. Nam Adalgisus filius eius, in quo Langobardi multum spei habere videbantur, desperatis patriæ rebus, relicta Italia in Græciam ad Constantinum Imperatorem se contulit: ibique in Patriciatus ordine atque honore consenuit. Rex autem domum regressus, priusquam eum Saxones venisse sentirent, tripertitum in eorum regiones misit exercitum: qui incendiis ac direptionibus cuncta deuastans, compluribus etiam qui resistere conati sunt interfectis, cum ingenti præda reuersus est. & celebrauit præfatus gloriosus Rex Natalem domini, in villa quæ dicitur Carisiacus, similiter & Pascha.

Ticinum, quæ nunc Papia dicitur.

Desiderius capitur.

DCCLXXV.

Cum Rex in villa Carisiaca hyemaret, consilium iniit, vt perfidam ac fœdifragam Saxonum gentem bello aggrederetur: & eo vsq; perseueraret, dum aut victi Christianæ religioni subiicerentur, aut omnino tollerentur. Habitoq; apud Duriam villã generali conuentu, Rheno quoque transmisso, cum regni viribus Saxoniam petiit: & primo statim impetu Sigiburgum castrum, in quo Saxonum præsidium erat, pugnando cepit. Eresburgum aliud castrum, à Saxonibus destructum, muniuit: & in id Francorum præsidium posuit. Inde ad Wisaram fluuium veniens, in eo loco qui Brunesberg vocatur congregatam multitudinem offendit, quæ eum transitu fluminis arcere conabatur, sed frustra. Nam in prima congressione pulsi, fugatiq; sunt: & magnus eorum numerus, ibidem interfectus est. At Rex amne traiecto, cum parte exercitus ad Ouacrum fluuium contendit: vbi ei Hessi, vnus ex primoribus Saxonum, cum omnibus Ostfalais occurrens, & obsides quos Rex imperauerat dedit, & sacramentum fidelitatis iurauit. Inde regresso, cum in pagum qui *Buki* vocabatur peruenisset, Angarii cum suis primoribus ei occurrerunt: & sicut Ostfalai, iuxta quod imperauit, obsides ac sacramenta dederunt. Interea pars exercitus, quam ad Wisaram dimisit, in eo loco qui *Hudbeki* vocatur, castris positis, incaute se agendo, Saxonum fraude circumuenta atq; decepta est. Nam cũ pabulatores Francorũ, circa nonam diei horam reuerterentur in castra, Saxones eis, quasi & ipsi eorum socii essent, sese miscuerunt, ac sic Francorum castra ingressi sunt: dormientesq; ac semisomnes adorti, non modicam incautæ multitudinis cædem fecisse dicuntur. Sed vigilantium ac viriliter resistentium virtute repulsi, castris excesserunt: & ex pacto, quod inter eos in tali necessitate fieri poterat, discesserunt. Quod cum Regi fuisset relatum, quanta potuit celeritate adcurrens, fugientium terga insecutus magnam ex eis prostrauit multitudinem: & tum demum Westfalaorum obsidibus acceptis, ad hyemandum in Franciam reuertitur.

Sigiburgus capitur.

Brunesburg.

Saxonum subactio.

Ostfalai.

Buki pagus.

Franci circumuenti.

Westfalai, qui nunc Westfali.

De Langobardorum & Saxonum rebellione, & iterata subactione. Et simulata deditione & baptizatione: deque Ibnalarabi Sarraceni ad Regem aduentu.

DCCLXXVI.

Rege domum reuertente, nuntiatur Rodgandum † Langobardorum, quem ipse Foroiuliensibus ducem dederat, in Italia res nouas moliri, & iam complures ad eum ciuitates defecisse. Ad quos motus cõprimendos cum sibi festinandũ iudicaret, strenuissimum quemque suorum secum ducens, raptim in Italiam proficiscitur. Rodgando, qui regnũ affectabat, interfecto, ciuitatibus quoq; quæ ad eum defecerant sine dilatio-

al. Hruodgandum.

dilatione receptis, & in eis Francorum Comitibus conſtitutis, eadem qua venerat via velociter reuerſus eſt. Cui vix Alpes tranſgreſſo occurrere, qui nuntiarent Eresburgum caſtrum à Saxonibus expugnatum, ac præſidium Francorum, quod in eo poſuerat, expulſum. Sigisburgum aliud caſtellum oppugnatum quidem, ſed non captum: eo quod ii qui in eo cauſa præſidii fuerant conſtituti, facta eruptione incautos atque oppugnationi intentos Saxones à tergo inuaſerunt: & apparente manifeſtiſſime gloria Domini ſupra domum Eccleſiæ (nam viſum eſt paganis, quod inſtar duorum ſcutorum igneorum, colore rubro flammantium & agitantium, ſupra ipſam eſſe Eccleſiam) plurimis eorum interfectis, reliquos non ſolum oppugnationem dimittere, ſed & fugere compulere: palanteſque ac diſperſos Lippiam vſque fluuium perſecuti ſunt. Hæc cum Regi delata fuiſſent, conuentu apud Wormaciam habito, Saxoniam ſine mora ſtatuit cum exercitu eſſe petendam. Contractis ingentibus copiis, tanta celeritate ad deſtinatum à ſe in Saxoniam locum peruenit, vt omnes hoſtium conatus, quibus ei reſiſtere parabant, illa feſtinatione præuerteret. Nam ad fontem Lippiæ veniens, vniuerſam illius perfidi populi multitudinem, velut deuotam ac ſupplicem, & quam erroris ſui pœniteret, veniam poſcentem inuenit. Cui cum & miſericorditer ignouiſſet, & eos qui ſe Chriſtianos fieri velle affirmabant baptizari feciſſet, datis & acceptis pro fide ſeruanda fraudulentis eorundem promiſſionibus, obſidibus quoque, quos imperauerat, receptis, Eresburgo caſtro (quod dirutum erat) reſtaurato, alioque caſtello ſuper Lippiam conſtructo, & in vtroque non modico præſidio relicto, ipſe in Galliam reuerſus, natalem Domini in Hariſtallio, & Paſcha Nouiomagi celebrauit.

Viſum mira | *Saxonum ſubactio.*

DCCLXXVII.

Rex prima veris aſpirante temperie Nouiomagum profectus eſt: & poſt celebratam ibidem Paſchalis feſti ſolennitatem, propter fraudulentas Saxonum promiſſiones, quibus fidem adhibere non poterat, ad locum qui Padrabunno † vocatur, generalem populi ſui conuentum habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus eſt. Eo cum veniſſet, totum perfidæ gentis ſenatum ac populum, quem ad ſe venire iuſſerat, morigerum ac fallaciter ſibi deuotum inuenit. Nam cuncti ad eum venerunt, præter Widichindum vnum ex primoribus Weſtfalaorum: qui multorum ſibi facinorum conſcius, & ob id Regem veritus, ad Sigefridum Danorum regem profugerat. Cæteri qui aduenerant, in tantum ſe Regis poteſtati permiſere, vt ea conditione tunc veniam accipere mererentur: *vt ſi vlterius ſua ſtatuta violarent, & patria & libertate priuarentur.* Baptizata eſt ibidem ex eis maxima multitudo, quæ ſe, quamuis falſo, Chriſtianam velle fieri promiſerat. Venit eodem in loco ac tempore ad Regis præſentiam de Hiſpania Sarracenus quidam, nomine Ibnalarabi †, cum aliis Sarracenis ſociis ſuis, dedens ſe ac ciuitates quibus eum rex Sarracenorum præfecerat. Idcirco Rex peracto memorato conuentu, in Galliam reuerſus, natalem Domini in Duniaco † villa, Paſcha vero in Aquitania apud Caſſinoilum celebrauit. In qua villa natus eſt ei filius ex Hildegarde regina: quem ex ſacro fonte Hludouicum nominauerunt.

hod. Paderborn. | *Saxonum ſimulata deditio.* | *Sigefridus Danorum rex.* | *Baptizantur Saxones.* | *al. Benalarabi.* | *al. Ducciaco MS. Ducciaco.*

De Caroli magni in Hiſpaniam felici traiectione, & infelici reditu per inſidias Vaſconum: De Saxonum graſſatione & cæde per Francos orientales.

DCCLXXVIII.

TVnc Rex perſuaſione prædicti Sarraceni ſpem capiẽdarum quarundam in Hiſpania ciuitatum haud fruſtra concipiens, ſuperatoq; in regione Vaſconum Pyrenęi montis iugo, primo Pompelonem † Nauarrorum oppidum aggreſſus in deditionẽ accepit: Inde Iberum amnem vado traiiciens, Cæſarauguſtam præcipuam illarum partiũ ciuitatem acceſſit. Acceptiſque, quos Ibnalarabi & Abuthaur, quoſque alii quidam

Pompeiopolis olim. | *Cæſarauguſta. hod. Saragoſſa.*

Sarraceni dederunt, obſidibus, Pompelonem reuertitur, cuius muros, ne rebellare poſſet, ad ſolum vſque deſtruxit: ac regredi ſtatuens Pyrenæi ſaltum ingreſſus eſt: in cuius ſummitate Vaſcones, inſidiis collocatis, extremum agmen adorti, totum exercitum magno tumultu perturbant: & licet Franci Vaſconibus tam armis quam animis præſtare viderentur, tamen & iniquitate locorum & genere imparis pugnæ, inferiores effecti ſunt. In hoc certamine plurimi aulicorum, quos Rex copiis præfecerat, interfecti ſunt: & direpta impedimenta. Hoſtis propter notitiam locorum, ſtatim in diuerſa dilapſus eſt. Cuius vulneris accepti dolor, magnam partem rerum feliciter in Hiſpania geſtarum in corde Regis obnubilauit. Interea Saxones, velut occaſionem nacti, ſumptis armis ad Rhenum vſque profecti ſunt. Sed cum amnem traiicere non poſſent, quicquid à Duitia † ciuitate, vſque ad flumen Moſellæ vicorum villarumq; fuit, ferro & igni depopulati ſunt. Pari modo ſacra prophanaque peſſundata: nullum ætatis, aut ſexus, ſeu ſacrarum Virginum, diſcrimen hoſtis ira fecerat: vt liquido appareret eos, non prædandi, ſed vltionem exercendi gratia, Francorum terminos introiſſe. Cuius rei nuntium cum Rex apud Altiſſiodorum ciuitatem accepiſſet, extemplo Francos Orientales atque Alemannos ad propulſandum hoſtem feſtinare iuſſit. Ipſe, cæteris copiis dimiſſis, Heriſtallium villam, in qua hyemare conſtituerat, petiit. At Franci & Alemanni, qui contra Saxones miſſi erant, magnis itineribus ad eos ire contendunt, ſi forte in finibus ſuis eos inuenire poſſent. Sed illi, re peracta, reuertebantur ad ſua. Quorum veſtigia ſecuti, qui à Rege miſſi fuerunt, in pago Haſſiorum, ſuper fluuium Adernam †, iter agentes inuenerunt: eoſque ſtatim in ipſo fluminis vado adorti, tanta ſtrage cecidere, vt ex ingenti multitudine ipſorum, vix pauci domum fugiendo perueniſſe dicantur.

Vaſconum inſidia. — *Francorum ſtrages.* — *Saxonum rebellio.* — *hod.* Deutz, *à regione Agrippinæ.* — *Franci orientales.* — *hod.* Die Eder. — *Saxonum cædes.*

De Hildebrandi ducis ad Regem aduentu: deque Regis in Saxones expeditione: & VVeſtfalaorum in deditionem acceptione. De alia in Saxones expeditione, & ficta eorum baptizatione. De peregrinatione Romam vſque: & filiorum eius coronatione. Taxillonis deditione.

DCCLXXIX.

AT Rex de Heriſtallio, vbi hyemauerat, & vbi natalem Domini ac ſanctum Paſcha celebrauerat, prima veris temperie mouens, Compendium venit. Et cum inde, peracto propter quod venerat negotio, reuertiſſet, occurrit ei Hildebrandus dux Spoletanus cum magnis muneribus in villa Wirciniaco: quem & benigne ſuſcepit, & muneribus donatum in ducatum ſuum remiſit. Ipſe, animo ad Saxonicam expeditionem intento, Duriam venit: habitoq; (iuxta morem) generali conuentu, Rhenum in eo loco qui Lippia vocatur, cum exercitu traiecit. Cui cum Saxones in quodam loco qui *Buocholt* vocatur, vana ſpe ducti, reſiſtere tentarent, pulſi fugatique ſunt: & Rex Weſtfalaorum regionem ingreſſus, omnes eos in deditionem accepit: inde ad Wiſuram veniens, caſtris poſitis in loco nomine Nudufulli †, ſtatiua per aliquot dies habuit. Ibi Angarii & Oſtfalai venientes, & obſides dederunt, & ſacramenta iurauerunt. Quibus peractis, Rex trans Rhenum in Wormatiam ciuitatem hybernatum ſe recepit.

Hildebrãdus dux. — *Saxonum cædes.* — *VVeſtfalaorũ deditio.* — *al. Medufulli.* — *al. Medufulli.*

DCCLXXX.

Inde cum primum temporis opportunitas adridere viſa eſt, iterum cum magno exercitu in Saxoniam profectus eſt. Tranſienſque per caſtrum Eresburgum, ad fontem Lippiæ venit: vbi caſtrametatus, per aliquot dies eſt moratus. Inde ad orientem itinere conuerſo, ad Ouacrum fluuium acceſſit. Cui cum ibi omnes orientalium partium

rium Saxones (vt iusserat) occurrissent, maxima eorum multitudo, in loco qui Oreheim † appellatur, solita simulatione baptizata est. Profectus inde ad Albiam, castrisque in eo loco, vbi Ora & Albia confluunt, ad habenda statiua collocatis, tam ad res Saxonum, qui citeriorem, quam ad Sclauorum, qui vlteriorem fluminis ripam incolunt, componendas operam impendit. Quibus tunc pro tempore ordinatis atque dispositis, in Franciam reuersus est: initoque concilio, orandi ac vota soluendi causa, Romam statuit proficisci: sumptisque secum vxore ac liberis, sine mora in Italiam profectus est, celebrauitque natalem Domini Ticini, atque ibi residuum hyemis manendo compleuit.

Saxones baptizantur. *† al. Horheim* *Sclaui.*

DCCLXXXI.

Inde Romam veniens honorifice ab Adriano Papa susceptus: & cum ibi sanctum Pascha celebraret, baptizauit idem Pontifex filium eius Pipinum: vnxitque eum in regem: vnxit etiam & Hludouicum fratrem eius: quibus & coronam imposuit. Quorum maior, id est Pipinus, in Langobardia, minor vero, id est Hludouicus, in Aquitania, Rex constitutus est. Rege vero Roma digresso, ac Mediolanum veniente, Thomas eiusdem vrbis Archiepiscopus baptizauit ibi filiam eius, nomine Gislam, & de sacro fonte suscepit. Quibus gestis, in Franciam reuersus est. Sed cum Romæ esset, conuenit inter ipsum atque Adrianum pontificem, vt simul legatos mitterent ad Tassilonem Baioariæ ducem, qui eum commonerent de sacramento, quod Pipino regi & filiis eius ac Francis iurauerat: scilicet, *vt subiectus & obediens eis esse deberet.* Electi ac directi sunt in hanc legationem, de parte Pontificis Formosus ac Damasus episcopi, & de parte Regis Riculfus diaconus atq; Eburhardus magister pincernarum. Qui cum, quæ iussi erant, cum memorato Duce locuti essent, in tantum cor eius emollitum est, vt diceret se statim velle ad Regis properare præsentiam, si sibi tales obsides darentur, sub quibus de sua salute dubitare nulla esset necessitas. Quibus datis, sine cunctatione apud Wormatiam ad Regem venit: sacramentum, quod iubebatur, iurauit: obsides XII. qui imperabantur, sine mora dedit: quos Sindbertus Reginensis episcopus, de Baioaria in Carisiacum ad conspectum Regis adduxit. Sed idem Dux domum reuersus, non diu in ea quam promiserat, fide permansit. Rex autem in eadem villa hyemem transigens, & natalem Domini & Pascha eodem in loco celebrauit.

Legati ad Tassilonem Baioarium. *Taxillonis deditio.* *Taxillonis defectio.*

Hisdem diebus defuncto Guichardo abbate cœnobii sancti Germani, Robertus in regimine substituitur.

De Saxonico adhuc bello: & Sclauorum motu: & Francorum orientalium temeritate & strage ingenti: & vltione quam de Saxonibus sumpsit Carolus magnus.

DCCLXXXII.

Æstatis initio, cum iam propter pabuli copiam exercitus duci poterat, in Saxoniam eundum, & ibi (vt in Francia quotannis solebat) generalem conuentum habendum censuit. Traiectoque apud Coloniam Rheno, cum omni Francorum exercitu ad fontem Lippiæ venit: & castris positis, per dies non paucos ibidem moratus est. Vbi inter cætera negotia, etiam legatos Sigefridi regis Danorum, & quos ad se † Caganus & Iugurrus principes Hunorum, velut pacis causa miserunt, & audiuit & absoluit. Cumque conuentu completo, trans Rhenum in Galliam se recepisset, Widikindus, qui ad Normannos profugerat, in patriam reuersus vanis spebus Saxonum animos ad defectionem concitauit. Interea Regi nunciatum est, quod Sorabi, qui campos inter Albiam & Salam interiacentes incolunt, in fines Thoringorum ac Saxonum (qui eis erant contermini) prædandi causa fuissent ingressi, & direptionibus & incendiis quædam loca vastassent: qui statim accitis ad se tribus ministris suis, Adal-

Sigefridus Danus. *† Cacanus.* *VVidikindus* *Sorabi, Sclaui.*

giſo Camerario, & Geilone comite ſtabuli, Worado comite palatii, præcepit, vt ſumptis ſecum orientalibus Francis atque Saxonibus, contumacium Sclauorum audaciã, quanta poſſent celeritate comprimerent. Qui cum, iuſſa facturi, Saxoniæ fuiſſent fines ingreſſi, comperer unt Saxones ex conſilio Widikindi, ad bellum Francis inferendum eſſe præparatos. Omiſſoque itinere quo ad Sclauos ituri erant, cum orientalium Francorum copiis, ad locum in quo Saxones audierant congregatos, ire contendunt. Quibus in ipſa Saxonia obuiauit Theodoricus comes, propinquus Regis cum his copiis, quas, audita Saxonum defectione, raptim in Ribuaria congregare potuit. Is feſtinantibus legatis conſiliũ dedit, vt primo per exploratores vbi Saxones eſſent, vel quid apud eos ageretur, ſub quanta fieri poſſet celeritate cognoſcerent. Tum, ſi loci qualitas pateretur, ſimul eos adoi irentur. Cuius conſilio collaudato, vna cum illo vſque ad montem qui *Suntal* appellatur, in cuius Septentrionali latere Saxonum caſtra erant poſita, peruenerunt. In quo loco cum Theodoricus caſtra poſuiſſet: ipſi (ſicut cum eo conuenerant) quo facilius montem circuire poſſent, tranſgreſſi Wiſuram in ipſa fluminis ripa caſtra poſuerunt: habitoq; inter ſe colloquio, veriti ſunt ne in nomen Theodorici victoriæ fama tranſiret, ſi eum in eodem prælio ſecum haberent. Ideo ſine illo cum Saxonibus congredi decernunt: ſumptiſque armis, non quaſi ad hoſtem in acie ſtantem, ſed quaſi ad fugientium terga inſequenda ſpoliaque diripienda, prout quemque velocitas equi ſui tulerat, qua Saxones pro caſtris in acie ſtabant, vnuſquiſque eorum ſumma feſtinatione contendit. Quo cum eſſet male peruentum, male etiam pugnatum eſt. Nam commiſſo prælio, circunuenti à Saxonibus, pene omnes interfecti ſunt. Qui tamen euadere potuerunt, non in ſua vnde profecti ſunt, ſed in Theodorici caſtra, quæ trans montem erant, fugiendo peruenerunt. Sed maior Francis, quam pro numero iactura fuit: quia legatorum duo Adalgiſus & Geilo, comitum quatuor, aliorumque clarorum atque nobilium vſque ad viginti, interfecti, præter cæteros qui hos ſecuti, potius cum eis perire, quam poſt eos viuere maluerunt. Cuius rei nuntium cũ Rex accepiſſet, nihil ſibi cunctandum arbitratus, collecto feſtinanter exercitu, in Saxoniam proficiſcitur: accitiſque ad ſe cunctis Saxonum primoribus, de auctoribus factæ defectionis inquiſiuit: & cum omnes Widikindum huius ſceleris auctorem proclamarent, eum tamen tradere nequirent (eo quod is, re perpetrata, ad Nortmannos ſe contulerat) cæterorum qui perſuaſioni eius morem gerentes tantum facinus peregere, vſque ad 4500. traditi: & ſuper Alarum † fluuium, in loco qui Fredi † vocatur, iuſſu Regis omnes vna die decollati ſunt. Huiuſmodi vindicta patrata Rex in Theodonem villam in hyberna conceſſit, ibique natalem Domini & Paſcha, more ſolito, celebrauit.

Suntal.

Francorum temeritas.

Francorum orientalium ſtrages.

Carolus in Saxoniam.

Quatuor millia quingenti Saxonum caeſi. al. Alarum. al. Ferdi.

De Hildegardis reginæ obitu: Caroli in Saxoniam expeditione: & ingenti Saxonum ſtrage duplici. Deque Caroli matrimonio cum Faſtrada natione Franca: aut (vt ſcriptum comperi) Fauca: & Bertradæ obitu.

DCCLXXXIII.

ADridente veris temperie, cum ad expeditionem Saxonicam ſe præparaſſet (nam de omnimoda eorum defectione ad eum perlatum fuerat) priuſquam de memorata villa moueret, Hildegardis regina vxor eius deceſſit pridie Kal. Maii. Cuius funeri poſtquam more ſolenni iuſta perſoluerat, in Saxoniam (ſicut diſpoſitum habebat) duxit exercitum. Cumque Saxones in eo loco qui Theothmelli † vocatur, ad pugnam ſe præparaſſe comperiſſet, ad eos quanta potuit celeritate contendit. Commiſſoque cum eis prælio, tanta eos cæde proſtrauit, vt de innumerabili eorum multitudine, perpauci euaſiſſe dicantur. Cumque de loco prælii, ad Padrabunnum ſe cum exercitu recepiſſet, atque ibi caſtris poſitis, partem exercitus, quæ adhuc de Francia venire debuerat, opperiretur; audiuit Saxones in finibus Weſtfalaorum ſuper fluuium Haſam ad hoc congregari, vt ibi cum eo, ſi veniſſet, acie confligerent. Quo nuntio commotus,

Hildegardis obitus.

Saxonũ ſtrages ingens. hod. Detmolde.

ctus, adunatis quæ tum ad se venerant, quasque ante secum habebat Francorum copiis, ad locum quo aggregati erant, sine dilatione profectus est. Congressusque cum eis, eadem qua & prius felicitate dimicauit. Cæsa est eorum infinita multitudo, spoliaque direpta. Captiuorum quoque magnus abductus est numerus. Inde victor ad orientem iter conuertit: primoque vsque ad Wisuram, deinde vsque ad Albiam, cuncta deuastando peragrauit. Inde reuersus in Franciam, duxit vxorem filiam Radulfi comitis, natione Francam, nomine Fastradam: ex qua duas filias procreauit. Eodem anno defuncta est bonæ memoriæ mater regis, Bertrada, I V. Idus Iulii. ipse in Heristallio villa, ibidem hyematurus, consedit: ibique natalem Domini ac sanctum Pascha celebrauit.

Altera strages. *Fastrada à Carolo ducitur.* *Bertrada obit.*

De Caroli magni & filii eius in Saxones expeditione iterata, & in eos victoria.

D C C L X X X I V.

CVm primum oportunitas temporis aduenit, ad reliquias belli Saxonici conficiendas, Rex animo intento, cum exercitu in loco qui *Lippia* vocatur, Rhenum traiecit: & vastatis Westfalaorum pagis, venit ad Wisuram. Cumque in eo loco qui *Huculbi* dicitur, castris super fluuium positis, consedisset, vidit se in Aquilonares Saxoniæ partes (sicut statuerat) propter nimias aquarum inundationes, quæ tum subito ex iugitate pluuiarum acciderant, transire non posse. Idcirco iter in Toringiam cõuertit, & filium suum Carolum cum parte exercitus, in Westfalaorum finibus sedere iussit. Ipse per Thoringiam iter agens, venit in campestria Saxoniæ, quæ Albiæ atque Salæ fluminibus adiacent. Depopulatisque orientalium Saxonum agris, ac villis incensis, de Schannico † (hoc enim erat nomen loci) in Franciam regressus est. Carolus vero filius eius, cum ei iter agenti in pago Daigno † iuxta Lippiam fluuium, Saxonum occurrisset exercitus, commisso cum eis equestri prælio, felici ac prospero euentu dimicauit. Nam magno eorum numero interfecto, cæteris in diuersa fugatis, victor ad patrem Wormatiam reuersus est. Rex autem congregato iterum exercitu, in Saxoniam profectus est: celebratoque in castris natalitio Domini die super Ambram fluuium in pago Huthagoe †, iuxta castrum Saxonum quod dicitur Skidroburg, ad locum, vocabulo Rum † quo Wisura & Waharna confluunt, populabundus accessit. Cumque eum vlterius progredi tam hyemalis temporis asperitas, quam aquarum inundatio, prohiberet, in Eresburgum castrum in hyberna concessit.

al. Schanningi. MS. Schahningi. *sup. An. 747 Draigni. Saxonũ strages recens.* *MS. Huetsagoe.* *al. Rimi.*

De noua recens Caroli magni in Saxones expeditione, & VVidikindi sociorumque eius deditione & baptismo: de Francorum orientalium in Regem conspiratione: & eius sedatione.

D C C L X X X V.

CVm ibi hyemare decreuisset, accitis atque adductis ad se vxore ac liberis, relictoq; cum eis intra eadem castra satis fido ac firmo præsidio, ipse cum expedita manu ad Saxonum pagos vastandos ac villas diripiendas egressus, inquietam satis hyemem, vbique discurrendo & cuncta cædibus atque incendiis permiscendo, tam per seipsum quam per Duces quos miserat, Saxonibus reddidit. Cumque huiusmodi vastationibus, per totum hyberni spatium temporis, omnes fere Saxonum regiones ingenti clade affecisset: transacta tandem hyeme, & adductis ex Francia commeatibus, publicum populi sui conuentum, in loco qui *Padrabunno* vocatur, more solenni, habuit. Ac peractis his quæ ad illius conuentus rationem pertinebant, in pagum, vocabulo Bardengoum †, proficiscitur: ibique audiens Widikindum ad Albionem esse, intrans

al. Bardengoo.

al. Alpinam *Amalvvinus.* *Coniuratio Francorum Oriental.*

Albinam † Saxonum regionem; primo eis per Saxones, vt omissa perfidia ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cœpit. Cumque ipsi, facinorum suorum conscii, Regis fidei committere se dubitarent, tandem accepta ab eo, quam optabant, impunitatis sponsione, atque impetratis, quos sibi dari precabãtur, suæ salutis obsidibus, quos eis Amalwinus (vnus aulicorum à Rege missus) adduxerat, cum eodem ipso ad eius præsentiam in Attiniacum villam venerunt, atque ibi baptizati sunt. Nam Rex, postquam ad eos accersendos memoratum Amalwinum direxit, in Franciam reuersus est. Quieuitque illa Saxonicæ perfidiæ peruicacitas per annos aliquot: ob hoc maxime, quoniam occasiones deficiendi ad rem pertinentes inuenire non potuerunt. Facta est eodem anno trans Rhenum apud orientales Francos, aduersus Regem immodica cõiuratio: cuius auctorem, Hardradum comitem fuisse constabat. Sed huius indicium cito ad Regem delatum est: eiusque sollertia, tam valida conspiratio, citra vllum grande periculum, in breui conquieuit; auctoribus eius, partim priuatione luminum, partim exilii deportatione, condemnatis.

De Britonum subactione: & Beneuentanorum deditione.

DCCLXXXVI.

Angli Saxones Britanniam inuadunt. *Britanni Britanniam minorem occupant. Tributarii.* *Beneuentum.* *Aragissus Dux.* *Salernum.* *Legatio Cõstantini Imp. pro filia Caroli R.*

CVm & hyemis tempus expletum, & sanctum Pascha in Attiniaco villa fuisset à Rege celebratum, exercitum in Britanniam ac maritima mittere constituit. Nam cũ ab Anglis ac Saxonib. Britannia insula fuisset inuasa, magna pars incolarum eius mare traiiciens, in vltimis Galliæ finibus, Venetorum & Corosolitarum regiones occupauit. Is populus à Regibus Francorum subactus ac tributarius factus, impositum sibi vectigal, licet inuitus, soluere solebat. Cumque eo tempore dicto audiens non esset, missus illuc regiæ mensæ præpositus Audulfus, perfidæ gentis contumaciam mira celeritate compressit, Regique apud Wormatiam & obsides quos acceperat, & complures ex populi primoribus adduxit. Rex pace vndique parta, statuit Romam proficisci, & partem Italiæ, quæ nunc Beneuentana vocatur, aggredi: conueniens esse arbitratus vt illius regni residuam portionem suæ potestati subiiceret: cuius caput, in capto Desiderio rege, maioremque partem, in Langobardia iam subacta, tenebat. Nec diu moratus, sed contractis celeriter Francorum copiis, in ipsa hyemalis temporis asperitate Italiam ingreditur. Cumque in Florentia, Tuscorum ciuitate, natalem Domini celebrasset, quanta potuit celeritate Romam ire contendit. Quo cum venisset, ac de profectione sua in Beneuentum, tam cum Adriano pontifice, quam cum suis optimatibus deliberasset, Aragissus dux Beneuentanorum, audito eius aduentu, compertaq; in terram suam intrandi voluntate, propositum eius auertere conatus est. Misso enim Runoldo, maiore filio suo, cum muneribus ad Regem, rogare cœpit ne terram Beneuentanorum intraret. Sed ille longe aliter de rebus inchoatis faciendum sibi iudicans, retento secum Runoldo, cum exercitu suo Capuam, Campaniæ ciuitatem, accessit: ibique castris positis consedit, inde bellum gesturus, ni memoratus Dux intentionem Regis salubri consilio præuenisset. Nam relicta Beneuentana vrbe, quæ caput illius terræ habetur, in Salernum, maritimam ciuitatem, velut munitiorem se cũ suis contulit. Missaque legatione vtrosque filios suos Regi obtulit: promittens, *se ad omnia quæ imperarentur, libenter obediturum.* Cuius precibus Rex annuens, diuini etiam timoris respectu, bello abstinuit: & minore Ducis filio, nomine Grimoldo, obsidatus gratia suscepto, maiorem patri remisit: accepit insuper à populo XI. obsides, misitque legatos qui & ipsum Ducem, & omnem Beneuentanum populum, per sacramenta firmarent. Ipse post hæc cum legatis Constantini Imperatoris, qui propter petendam filiam suam ad se missi fuerant, locutus est: atque illis dimissis, Romam reuersus, sanctum Paschale festum magna cum hilaritate celebrauit.

De Taxillonis fraudulenta legatione concordiæ gratia cum Carolo magno: eiusque ad veram deditionem coactione.

DCCLXXXVII.

CVm adhuc Rex Romæ ageret, Tassilo dux Baioariæ misit legatos suos, Arnum videlicet episcopum, & Hunricum abbatem, ad Adrianum Papam: petens, vt inter Regem atque illum, mediator pacis fieri dignaretur. Nec Pontifex precibus eius censuit abnuendum. Sed quanta potuit instantia, apud Regem intercedere, curauit, vt inter eos pax & concordia, ex suę Apostolicæ auctoritatis ammonitione atque interuentione, proueniret. Cui cum Rex idem se magnopere velle respondisset, simulque à legatis memorati Ducis inquireret, quam huius pacationis firmitatem facere deberent, responderunt, *sibi de hac re nihil esse commissum, nec se de hoc negotio aliud facturos, quam vt responsa Regis atq; Pontificis domino suo reportarēt.* Quorū verbis Papa cōmotus, velut fallaces ac fraudulentos anathematis gladio statuit feriēdos, si ab olim Regi promissa fide discederent, atque ita infecto negocio pacis reuersi sunt. Rex autem adoratis sanctorum Apostolorum liminibus, votisq; solutis, apostolica benedictione percepta, in Frāciam reuersus est: & cum vxorem suam Fastradam, filiosque ac filias, & omnem comitatum quem apud eos dimiserat, Wormatię inuenisset, generalem populi sui conuentum ibi habere statuit. In quo cum omnia quæ in Italia gesserat, coram optimatibus suis narrādo, commemorasset, & ad extremum de legatis Tassilonis, qui ad se Romæ venerant, mentio facta fuisset; iniit consilium, vt experiretur quid Tassilo de promissa sibi fidelitate facere vellet: congregatoq; ingenti exercitu, atq; in tres partes diuiso, Baioariā petere constituit. Cumq; Pipinum filium cum Italicis copiis in Tridentinam vallem venire iussisset, orientales quoq; Franci, ac Saxones (vt iussi fuerant) ad Danubium, in loco qui *Pferinga* vocatur, accessissent: ipse cum exercitu quem secum duxerat, super Lechum † fluuium, qui Alemannos & Baioarios dirimit, in Augustæ ciuitatis suburbano consedit: inde Baioariam cum tam valida manu proculdubio petiturus, nisi Tassilo sibi ac populo suo, ad Regem veniendo consuluisset. Nam videns se vndique circumsessum, venit supplex, ac veniam de antegestis sibi dari precatus est. Sed & Rex, sicut erat natura mitissimus, supplici ac deprecanti pepercit. Acceptisq; ab eo, præter filium eius Theodonem, aliis (quos ipse imperauit) XII. obsidibus, & populo terræ per sacramenta firmato, in Franciam reuersus est. & in suburbano Mogontiacensi, in villa quæ vocatur *Ingilinheim* †, quia ibi hyemauerat, & natalem Domini & Pascha celebrauit.

Lycus fl. Der Lech.

hod. Ingelheim.

De Taxillone maiestatis conuicto, & in monachum cum Theodone filio attonso: deque Hunorum quos illi exciuerant tumultu & repulsione duplici à Baioariis facta: deque eorum cæde & submersione. Item de Constantini principis in Carolum ira, & in Beneuentanos infelici bello.

DCCLXXXVIII.

CVm in eadem villa generalem populi sui Rex conuentum fieri decreuisset, ac Tassilonem ducem, sicut & cæteros vassos suos, in eodem conuentu adesse iussisset, atque ille (vt ei fuerat imperatum) ad Regis præsentiam peruenisset, crimine maiestatis a Baioariis accusatus est: obi[illegible], quod, postquam filium suum obsidem Regi dederat, suadente coniuge [illegible], quæ filia Desiderii regis Langobardorum fuit, & post patris ex[illegible] semper extitit) in aduersitatem Regis, & vt bellum contra Fra[illegible], Hunorum gentem concitarat. Quod

Maiestatis crimen.

Liutberra consilium [illegible]

verum fuisse, rerum in eodem anno gestarum probauit euentus. Obiiciebantur ei & alia complura & dicta & facta, quæ non nisi ab inimico & irato, fieri vel proferri poterant: quorum ne vnum quidem inficiari cœpit. Sed noxæ conuictus, vno omnium assensu, vt maiestatis reus, capitali sententia damnatus est. Sed clementia Regis, licet morti addictum, liberare curauit. Nam mutato habitu in monasterium missus est: vbi tam religiose vixit, quam ipsum libenter intrauit. Similiter & Theodo filius eius tonsus est, & monasticæ conuersationi mancipatus. Baioarii quoque, qui perfidiæ ac fraudis eorum consocii & consentanei fuisse reperti sunt, exilio per diuersa loca relegantur. Huni vero, sicut Tassiloni promiserunt, duobus exercitibus comparatis, vno marcham Foroiuliensem, altero Baioariam aggressi sunt, frustra. Nam in vtroque loco victi, fugatique sunt: & multis suorum amissis, cum magno damno ad loca sua se receperunt. Quam iniuriam velut vindicaturi, iterum Baioariam maioribus copiis petierunt. Sed in prima congressione pulsi a Baioariis, & innumera eorum multitudo cæsa: multi etiam ex eis, qui per fugam euadere conati Danubium tranare voluerunt, gurgitibus absorpti sunt.

Taxillo læsæ maiestatis conuictus fit cum filio monachus. Baioarii in exiliū acti. Hunorum tumultus.

Interea Constantinus Imperator propter negatam sibi Regis filiam iratus, Theodorum patricium, Siciliæ præfectum, cum aliis ducib. suis fines Beneuentanorum vastare iussit. Qui cum imperata exequerentur, Grimoldus (qui eodem anno post mortem patris dux Beneuentanus à Rege datus est) & Hildebrandus, dux Spoletanorum, cum copiis quas congregare potuerunt, in Calabria eis occurrerunt, habentes secum legatum regis Winnigisum (qui postea in ducatu Spoletano Hildebrando successit) commissoque prælio immodicam ex eis multitudinem ceciderunt: ac sine suo, suorumque graui dispendio victores facti, magnum captiuorum ac spoliorum numerum in sua castra retulerunt. Rex autem in Baioariam profectus, eandem prouinciam cum suis terminis ordinauit, atque disposuit: atque inde regressus, in Aquisgrani palatio suo, vbi hyemauerat, diem Domini natalitium & sanctum Pascha, more solenni, celebrauit.

Baioaria fit prouincia Francorum.

De Sclauorum quadam natione bellicosa & populosa, qui VVelatabi, seu VViltzi, & (vt alii scribunt) Vultzi dicebantur, subactione per Carolum Magnum: deque palatii eius conflagratione.

DCCLXXXIX.

NAtio quædam Sclauorum est in Germania, sedens super littus Oceani, quæ propria lingua Welatabi, Francica autem† Wiltzi vocatur. Ea Francis semper inimica, & vicinos suos, qui Francis vel subiecti vel fœderati erant, odiis insectari, belloque premere ac lacessere solebat. Cuius insolentiam Rex diutius sibi non ferendam ratus, bello eam aggredi statuit. Comparatoque ingenti exercitu, Rhenum apud Coloniam traiecit. Inde per Saxoniam iter agens, cum ad Albiam peruenisset, castris in ripa positis amnem duobus pontibus iunxit. Quorum vnum ex vtroque capite vallo muniuit, & imposito præsidio firmauit. Ipse fluuio transito, quo constituerat exercitum duxit: ingressusq; Wiltzorum terram, cuncta ferro & igni vastari iussit. Sed gens illa, quamuis bellicosa & in sua numerositate confidens, impetum exercitus regii diu sustinere non valuit. Ac proinde cum primum in ciuitatem Dragamutinam ‡ ventum est, is qui cæteris Wiltzorum regulis, & nobilitate generis & auctoritate senatus longe præeminebat, extemplo cum omnibus suis ad Regem de ciuitate processit, obsides qui imperabantur dedit, fidem se Regi ac Francis seruaturum iureiurando promisit. Quem cæteri Sclauorum primores ac Reguli omnes secuti, se Regis ditioni subdiderunt. Tum ille subacto illo populo, & obsidibus quos dare iusserat acceptis, eadem via qua venerat ad Albiam regressus est: & exercitu per pontem reducto, rebus quoque ad Saxones pertinentibus, secundum tempus dispositis, in Franciam reuersus est. & in Warmatia ciuitate & natalem Domini & Pascha celebrauit.

Vultzi.

Dragauuiti habet MS.

DCCXC.

DCCXC.

Hoc anno nullum iter exercitale à Rege factum: sed in Warmatia residens, legatos Hunorum & audiuit, & suos vicissim ad eorum principes misit. Agebatur inter eos de confinibus regnorum suorum, quibus in locis esse deberent. Hęc contentio atq; altercatio, belli quod postea cum Hunis gestum est, seminarium & origo fuit. Rex autem, ne quasi per ociũ torpescere ac tempus terere videretur, per Mœnum fluuiũ ad Saltz † palatium suum in Germania, iuxta Salam fluuium constructum, nauigauit: atque inde iterum per eundem amnem, secunda aqua Warmatiam reuersus est. Cumq; ibi hyemaret, ipsum palatium, in quo conuersabatur, casu accidente, nocturno incendio concrematum est: ibi tamen permanens, & natalem Domini & Pascha, more solenni celebrauit.

Hunnorum cellimonium.
† hod. Langen-Saltz.
VVormatiensis. Palatii incendium.

De expeditione Francorum in Hunos (qui nunc Hungari dicuntur) victoriosa: sed peste equorum calamitosa.

DCCXCII.

TRansacta verna temperie, circa æstatis initium Rex de Warmatia mouens, in Baioariam profectus est: ea meditatione, vt Hunis factorum suorum vicem redderet, vtque eisdem quanto celerius posset bellum inferret. Comparatis igitur ad hoc ex omni regno suo quam validissimis copiis, & commeatibus congregatis, bipertito exercitu iter agere cœpit. Cuius partem Theodorico comiti & Meginfrido Camerario suo, committens, eos per Aquilonarem Danubii ripam iter agere iussit. Ipse cum alia parte quam secum retinuit, Australem eiusdem fluminis ripam, Pãnoniam petiturus, occupauit, Baioariis cum commeatibus exercitus, qui nauibus deuehebantur, per Danubium secunda aqua descendere iussis. Ac sic inchoato itinere, prima castra super Anisum posita sunt. Nam is fluuius inter Baioariorum atque Hunnorum terminos medius currens, certus duorum regnorum limes habebatur. Ibi supplicatione Letaniarum per triduum facta, *vt id bellum prosperos ac felices haberet euentus*, tum demum castra mota, & bellum genti Hunorum à Francis indictum est. Pulsis igitur Hunorum præsidiis, ac destructis munitionibus (quarum vna super Cambum fluuium, altera iuxta Comagenos ciuitatem in monte Cumeoberg vallo firmissimo extructa erat) ferro & igni cuncta vastantur. Cumq; Rex, cum eo quem ducebat exercitu, vsq; ad Arrabonis fluenta venisset, transmisso eodem fluuio, per ripam eius vsq; ad locum, in quo is Danubio miscetur, accessit: ibique per aliquot dies statiuis habitis, per Sabariam reuerti statuit. Alias vero copias quibus Theodoricum & Megintridum † præfecerat, per † Begaminos via qua ierant reuerti præcepit. Sic peragrata ac deuastata magna parte Pannoniæ, cum incolumi exercitu Frãcorum in Baoariam se recepit. Saxones autem & † Frisones cum Theodorico & Megnifrido per Begaminos (vt iusserat) domum regressi sunt. Facta est hæc expeditio sine omni rerum incommodo: præter quod in illo, quem Rex ducebat, exercitu tanta equorum lues exorta est, vt vix decima pars. de tot millibus equorum, remansisse dicatur. Ipse autem cum dimissis copiis, in Regimum † ciuitatem, quæ nunc † *Reganesburg* vocatur, venisset, & in ea hyematurus consedisset, ibi natalem Domini & Pascha celebrauit.

Expeditio in Hunos.
Maginfridũ. Beramneos. MS. Bethamneos. i. Bohemes. Phrygiones.
Lues equorũ maxima.
al. Reginũ. Regensburg.

De Feliciana hæresi sopita, & coniuratione Pipini in patrem detecta per Fardulfum: cui cœnobium S. Dionysii in præmium datum: deque apparatu ad Hunicum bellum.

DCCXCII.

ORgellis ciuitas est in Pyrenæi montis iugo sita: cuius episcopus, nomine Felix, natione Hispanus ab Elipando Toleti episcopo per literas consultus, *Quid de hu-*

De humanitate Chri-

ſi Felicis hæreſis.

manitate ſaluatoris Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti ſentire deberet, vtrum, ſecundum id quod homo eſt, proprius, an adoptiuus Dei filius credendus eſſet ac dicendus? valde incaute atq; inconſiderate, & contra antiquam Eccleſiæ doctrinam, adoptiuum non ſolum pronuntiauit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum Epiſcopum libris, quanta potuit pertinacia prauitatem intentionis ſuæ defendere curauit. Huius rei cauſa ductus eſt ad palatium Regis (is tunc apud Reginum Baioariæ ciuitatem, in qua hyemauerat, reſidebat) vbi congregato Epiſcoporum conſilio, auditus eſt, & erraſſe conuictus, ad præſentiã Adriani pontificis Romani miſſus: vbi etiam coram ipſo in Baſilica B. Petri Apoſtoli, hæreſim ſuam damnauit atq; abdicauit. Quo facto, ad ciuitatem ſuam reuerſus eſt. Rege vero ob id æſtatem agente, facta eſt contra illum coniuratio à filio ſuo maiore (nomine Pipino) & quibuſdam Francis: qui ſe crudelitatem Faſtradanæ reginæ ferre non poſſe aſſerebant, atque ideo in necem Regis conſpirauerant. Quæ cum per Fardulfum Langobardum detecta fuiſſet, ipſe ob meritum fidei ſeruatæ, monaſterio S. Dionyſii donatus eſt. Auctores vero coniurationis, vt rei maieſtatis, partim gladio cęſi, partim patibulis ſuſpenſi, ob meditatum ſcelus tali morte mulctati ſunt. Rex autem propter bellum cum Hunis ſuſceptum in Baioaria ſedens, pontem naualem, quo in Danubio ad id bellum vteretur, ædificauit: ibique natalem Domini & ſanctum Paſcha celebrauit.

Abdicatio. *Coniuratio Pipini in patrem.* *Fardulfus.* *Pons naualis*

De foſſa ingenti opere manuali incaſſum propter triſtes nuntios ducta.

DCCXCIII.

CVm Rex bellum à ſe inchoatum conficere cuperet, & Pannoniam iterum petere conſtituiſſet, allatum eſt ei copias, quas Theodoricus comes per Phriſiam ducebat, in pago Hrinſtri † iuxta Wiſuram fluuium à Saxonibus eſſe interceptas atque deletas. Cuius rei nuntio accepto, magnitudinem damni diſſimulans, iter in Pannoniam intermiſit: & cum ei perſuaſum eſſet à quibuſdam qui id ſibi compertum eſſe dicebant, quod ſi inter Radantiam † & Alomonam † fluuios, eiuſmodi foſſa duceretur, quæ eſſet nauium capax, poſſet percommode a Danubio in Rhenum nauigari, (quia horum fluuiorum alter Danubio, alter Rheno † miſcetur) confeſtim cum omni comitatu ſuo ad locum venit: ac magna hominum multitudine congregata, totum Autumni tempus in eo opere conſumpſit. Ducta eſt itaque foſſa inter prædictos fluuios duum millium paſſuum longitudine, latitudine trecentorum pedum: ſed incaſſum. Nam propter iuges pluuias, & terram, quæ paluſtris erat, nimio humore naturaliter infectam, opus quod fiebat conſiſtere non potuit. Sed quantum interdiu terræ a foſſoribus fuerat egeſtum, tantum noctibus humo iterum in locum ſuum relabante ſubſidebat. In hoc opere occupato Regi, duo valde diſplicentia de diuerſis terrarum partibus adlata ſunt. Vnum erat Saxonum omnimoda defectio: alterum quod Sarraceni Septimaniam ingreſſi, prælioque cum illius limitis cuſtodibus atq; comitibus conſerto, multis Francorum interfectis, victores ad ſua regreſſi eſſent. Quibus rebus commotus, in Franciam reuerſus eſt. Celebrauitque natalem Domini apud ſanctum Chilianum, † iuxta Mœnum fluuium. Paſcha vero ſupra eundem fluuium in villa Franconouurd, in qua & hyemauerat.

MS. HRinſtri *quæ alias Regen [illegible] vel Re[illegible] [illegible] Altmo[illegible] [illegible] Aicmuhl. al. [illegible] [illegible]. Foſſa ingens ducta, irrito conatu. Nuntii duo triſtes.* *i. Herbipoli.*

De ſolenni hæreſis Felicianæ condemnatione, & concilii Conſtantinopolitani reuocatione: deque Saxonum rebellantium iterata bis deditione: & Hunorum legato.

DCCXCIV.

REx propter condemnandam hæreſim Felicianam, æſtatis initio (quando & generalem populi ſui conuentum habuit) conſilium epiſcoporum ex omnibus regni ſui

Felicianæ hæreſeos damnati.

fui prouinciis, in eandem villam conuocauit. Affuerunt etiam in eadem Synodo, & legati fanctæ Romanæ ecclefiæ, Theophylactus & Stephanus epifcopi, vicem tenentes eius à quo miffi funt, Adriani Papæ. In eo concilio & hærefis memorata condemnata eft, & liber contra eam, communi Epifcoporum auctoritate, compofitus, in quo omnes propriis manibus fubfcripferunt. Synodus etiam quæ ante paucos annos Conftantinopoli fub Helena & Conftantino filio eius congregata, & ab ipfis non tantum feptima, verum etiam Vniuerfalis eft appellata, vt nec Septima nec Vniuerfalis diceretur, habereturque quafi fuperuacua, in totum ab omnibus abdicata eft. Mortua eft ibi & Faftrada regina, & Mogontiaci apud fanctum Albanum fepulta. Quibus peractis, Rex bipertito exercitu Saxoniam petere ftatuit: eo videlicet modo, vt ipfe cum dimidia parte copiarum ab Auftrali parte intraret, Carolus vero filius eius, cum alia medietate Rhenum apud Coloniam traiiceret, & in eandem regionem ab occidente veniret. Quo facto, licet Saxones in campo qui Sinetfeldus † vocatur, quafi prælium cum Rege commiffuri, confediffent, ibique aduentum eius opperirentur, amiffa victoriæ fpe, quam fibi falfo paulo ante pollicebantur, ad deditionem omnes conuerfi funt: victique fine prælio, Regis victoris poteftati fe fubdiderunt: dederuntque obfides, & iureiurando *fidem Regi feruare fe velle* promiferunt. Sic omiffo prælio, & Saxones domum reuerfi funt, & Rex tranfmiffo Rheno in Galliam fe recepit: & cum Aquafgrani veniffet, ibidem hybernis habitis, & natalem Domini & Pafcha celebrauit.

Synodus Conftantinopolitana reuocata & abdicata.

Saxonicum bellum innouatum.

M.S. Sinetfeld.

Saxonū recens deditio.

DCCXCV.

Quanquam Saxones æftate præterita & obfides dediffent, & fecundum quod iuffi erant facramenta iuraffent: Rex tamen illorum perfidiæ non immemor, conuentum generalem trans Rhenum in villa Culfeftein †, quæ fuper Mœnum circa † Magontiacam vrbem fita eft) more folenni habuit. Atque inde cum exercitu Saxoniam ingreffus, pene totam populando peragrauit. Cumque in pagum Bardengum † perueniffet, & iuxta locum qui † *Bardembumh* vocatur pofitis caftris, Sclauorum quos ad fe venire iufferat expectaret aduentum, fubito ei nunciatum eft, Wizinum regem Abroditorum, cum Albiam traiiceret, in difpofitas a Saxonibus infidias in ipfo flumine incidiffe, & ab eis effe interfectum. Quod factum animo eius ad Saxones citius debellandos, velut quofdam ftimulos addidit, & in odium perfidæ gentis amplius excitauit. Terra igitur magna ex parte vaftata, & obfidibus quos dare [illegible] Franciam [illegible]rfus eft. In hac expeditione, dum caftra fuper [illegible] runt ad eum [illegible]ati de Pannonia: vnus ex primoribus Hunorum [illegible] [illegible] † [illegible]ur. Is & fuum aduentum fignificauit, & fe Ch[illegible] [illegible] A[illegible] veniens (ficut & anno fuperiore [illegible] [illegible] & [illegible]

Ad Coft. heim.

al. contra Maguntiam.

MS. Bardengoe.

Bard. vvik vel, Bardenvvich.

VVizini cædes.

De L[illegible] ad Carolum [illegible] [illegible] & de S[illegible] [illegible] Hunnorum quæ regia [illegible]

DCCXCVI.

ROmæ Adriano defuncto, Leo pontificatum fu[illegible] ues confeffionis fancti Petri, ac vexillum Rom[illegible] Regi mifit: rogauitque vt aliquem de fuis optimat[illegible] lum Romanum ad fuam fidem atque fubiectionem [illegible] eft ad hoc Angilbertus, abbas fancti Richarii mona[illegible] ctum Petrum, magnam partem thefauri quem He[illegible] Hunorum regia (quæ *Rhingus* † vocabatur) eodem [illegible] mifit. Reliquum vero inter optimates & aulicos, cæ[illegible]

liberali manu distribuit: atque his expletis, ipse cum exercitu Francorum Saxoniam petiit. Pipinum vero filium suum, cum Italicis ac Baioariis copiis, in Pannoniam ire iussit: & ipse quidem Saxonia ex magna parte vastata, ad hyemandum Aquasgrani reuertitur. Pipinus autem Hunis trans Tizam fluuium fugatis, eorumque regia (quæ ab eis vt dictum est *Rhingus* † vocatur, à Langobardis ex toto destructa, direptis pene omnibus Hunorum opibus, ad patrem Aquisgrani hyberna habentem venit: ac spolia regni, quæ secum detulit, eidem præsentauit. Tudun etiam ille, de quo superius mentio facta est, fidem dictis suis adhibens, ibidem ad Regem venit: ibique cum omnibus qui secum venerant, baptizatus ac remuneratus, post datum fidei seruandæ sacramentum domum rediit. Sed in promissa fidelitate diu manere noluit: nec multo post perfidiæ suæ pœnas dedit. Rex vero (vt dictum est) Aquisgrani in hybernis considens, ibi & natalem Domini & Pascha celebrauit.

Saxonia rursus vastata. *Regia Hunorum secunda spoliatio.* *al. Hringus.*

De Barcinona per deditionem Zatis recepta: Osca obsessa: Saxonia vastata à Carolo illic hybernante, & legatos audiente.

DCCXCVII.

Barcino vetus, hod. Barcelona. *Zatis.* *Osca.*

Barcinona ciuitas in limite Hispanico sita, quæ alternante rerum euentu, nunc Francorum, nunc Sarracenorum ditioni subiiciebatur, tandem per Zatim Sarracenum, qui tunc eam inuaserat, Regi reddita est. Nam is æstatis initio Aquasgrani ad Regem venit, seque cum memorata ciuitate spontanea deditione illius potestati permisit. Qua recepta, Rex filium suum Ludouicum ad obsidionem Oscæ cum exercitu misit: & ipse (more solito) ad contundendam perfidæ gentis contumaciam, Saxoniam vastaturus intrauit. Nec prius destitit, quam omnes terminos eius peragrasset. Nam vsque ad vltimos fines eius, qua inter Albim & Wisuram Oceano alluitur, accessit. Inde regressus cum Aquasgrani venisset, ibique Abdellam Sarracenum, filium Ibinmaugæ † regis, de Mauritania ad se venientem suscepisset, legatumque Nicetis † Patricii (qui tunc Siciliam procurabat) nomine Theoctistum, literas Imperatoris de Constantinopoli missas deferentem audisset, consilium iniit, vt propter Saxonicum bellu conficiendum, in ipsa regione hyemaret. Sumpto igitur secum comitatu suo, Saxoniam petiit: castrisque super Wisuram positis consedit: & locum castrorum *Herstallium* † vocari iussit: qui locus ab incolis vsque in præsens ita nominatur. Exercitum vero, quem secum adduxit, per totam Saxoniam in hyberna dimisit. Illuc Pipinum de Italia, & Ludouicum de Hispanica, expeditione regressos ad se venire iussit: ibi legatos Hunorum, cum magnis muneribus ad se missos, audiuit & absoluit. Ibi legatum Hadefonsi regis Asturiæ atque Galliciæ, dona sibi deferentem, suscepit. Inde iterum Pipinum ad Italiam, Ludouicum ad Aquitaniam, remisit, cum quo & Abdellam Sarracenum ire iussit. Qui postea (vt ipse voluit) in Hispaniam ductus, & illorum fidei, quibus se credere non dubitauit, commissus est. Rex autem in Saxonia residens, ibi & natalem Domini & Pascha celebrauit.

Abdella. *al. Ibinmauge.* *al. Niceta.* *al. Herstell.*

De Saxonum Transalbianorum in legatos Regis sæuitia, eorumque ab Abodritis clade: Legatis Helenæ & Hadefonsi: muneribusque eorum & datis & acceptis: & de Balearium populatione.

DCCXCVIII.

Saxonum sæuitia in legatos.

Cum iam ver appeteret, nondum tamen, propter inopiam pabuli, exercitus de hybernis produci potuisset; Saxones transalbiani occasionem nacti, legatos Regis qui ad eos ob iustitias faciendas missi erant, comprehensos interficiunt: paucis eorum,

qui [illegible]

quasi ad redimendum, seruatis: trucidantes cum cæteris & Godescalcum Regis legatum, quem ille ante paucos dies ad Sigefridum regem Danorum miserat. Is cum eodem tempore reuerteretur, ab huius seditionis auctoribus interceptus atque occisus est. Quibus acceptis, Rex grauiter commotus, congregato exercitu in loco cui Mitidam † nomen, super Wisuram castra posuit: atque in fœdifragos ac desertores arma corripuit: & vltor necis legatorum suorum, quicquid Saxoniæ inter Albiam & Wisuram interiacet, totum ferro & igni vastauit. Transalbiani autem superbia elati, eo quod Regis legatos impune occidere potuerunt, arreptis armis contra Abodritos proficiscuntur. Nam Abodriti auxiliares Francorū semper fuere, ex quo semel ab eis in societatem recepti sunt. Quorum dux Thasco, cognito Transalbianorum motu, eis cum omnibus copiis suis, in loco qui Suentana vocatur, occurrit: commissoque prœlio, ingenti eos cæde prostrauit. Nam in prima congressione quatuor millia eorum cecidisse, narrauit legatus Regis Eburis nomine, qui in eodem prœlio fuit, & in Abodritorum acie dextrum cornu tenuit. Fusi igitur fugatique, & multis suorum amissis, cum magna calamitate ad loca sua reuersi sunt. At Rex in Franciam regressus, cum Aquisgranum venisset, primo legatos Hirenæ Imperatricis, ad se Constantinopoli missos, audiuit. Nam Constantinus filius eius propter morum insolentiam, à suis comprehensus & excæcatus est. Quibus petentibus Sisimum †, fratrem Tarasii Constantinopolitani episcopi, olim in prœlio captum, domum redire permisit. Legati fuere Michael cognomento Ganglianus, & Theophilus presbyter de Blachernis. Post quorum absolutionem, venerant de Hispania legati Hadefonsi regis, Basilicus scilicet & Froia, munera deferentes, quæ ille de manubiis (quas victor apud Olysseponam ciuitatem a se expugnatam ceperat) Regi mittere curauit: Mauros videlicet septem, cum totidem mulis atque loricis. quæ licet pro dono mitterentur, magis tamen insignia victoriæ videbantur. Quos Rex & benigne suscepit, & remuneratos honorifice dimisit. Insulæ Baleares, quæ nunc ab incolis earum Maiorica & Minorica vocitantur, à Mauris pyraticam exercentibus deprædatæ sunt. Rex vero Aquisgrani hyemauit, & ibi natalem Domini & Pascha celebrauit.

Godescalci cædes. — *m.s. Minda.* — *Abodriti.* — *Saxonum clades.* — *Legati Hirenes Aug.* — *Constantinus excæcatus.* — *al. Sisinnii.* — *Legati Hispani.* — *Baleares direpta.*

De Leonis pontificis per Romanos clade miserabili: ereptione & ad Carolum regem aduentu & restitutione in dignitatem pristinam: Caroli in Saxonia expeditione: legatis Siciliæ: nece fortium bellatorum Geroldi & Erici: de Guidonis seu Vuidonis comitis rebus in Brittones bene gestis: deque Maurorum cæde: Oscæ deditione: donariis ab Hierosolymis missis.

DCCXCVIIII.

ROmæ dum Leo Papa cum Letania processurus, de Laterano ad ædem beati Laurentii, quæ *Ad craticulam* vocatur, equo sedens pergeret, in insidias a Romanis dispositas iuxta eandem Basilicam incidit: vbi equo deiectus, & erutis oculis (vt aliquibus visum est) lingua quoq; amputata, nudus ac semiuiuus in platea relictus est. Deinde iussu eorū qui huius facti auctores fuere, in monasterium sancti Herasmi martyris, velut ad curandum, missus, Albini cuiusdam cubicularii sui cura noctu per murum dimissus, a Winigiso duce Spoletano (qui audito huiusmodi facinore Romam festinus aduenerat) susceptus ac Spoletum deductus est. Cuius rei nuncium cum Rex accepisset, ipsum quidem, vt vicarium sancti Petri & Romanum pontificem, cum summo honore ad se præcepit adduci: iter tamen suum quod in Saxoniam facere constituerat, non omisit. Habito itaque generali conuentu super Rhenum in loco qui Lippia vocatur, ibique in castris considens, Pontificis ad se properantis præstolatur aduentum. Misit interea Carolum filium suum ad Albim cum

Vide Anast. Bibliothecar.

parte exercitus, propter quædam negotia cum Wilcis & Abodritis disponenda, & quosdam Saxones de Nordluidis † recipiendos. *al. Nordliuus.* Cuius reuersionem cum expectat, venit Pontifex, & valde honorifice ab eo susceptus est. Mansitque apud eum dies aliquot: & cum ei cuncta propter quæ venerat intimasset †, *Signis quidem, si lingua carebat.* iterum Romam cum magno honore per legatos Regis, qui cum eo missi sunt, reductus, atque in locum suum restitutus est. Quo dimisso, Rex paucos ibidem dies moratus, legatum Michaelis patricii de Sicilia, nomine Danielem, ad se missum absoluit. Accepit etiam tristem nuntium de Geroldi & Erici interitu. *Geroldi cædes.* Quorum alter, Geroldus videlicet, Baioariæ præfectus, commisso cum Hunis prælio occidit. Alter vero, id est, Ericus, post multa prælia & insignes victorias, apud Tarsaticam † Lyburniæ ciuitatem *Erici cædes. al. Tarsaticã.* insidiis oppidanorum interceptus, atque interfectus est. Rebus autem Saxonum, pro rerum opportunitate, dispositis, Rex in Franciam reuersus est: & cum Aquisgrani hyemaret, Wido comes ac præfectus Britannici limitis, *Guido comes. Britonum subactio.* qui eodem anno cum sociis comitibus totam Britonum prouinciam perlustrauerat, arma Ducum qui se dedidere, inscriptis singulorum nominibus, detulit. Videbatur enim quod ea prouincia tum esset ex toto subacta: & fuisset, nisi perfidæ gentis instabilitas cito animum aliorsum, more solito, conuertisset. *Maurorum spolia.* Allata sunt & signa, quæ occisis in Maiorica Mauris prædonibus erepta fuerunt. & Azan Sarracenus præfectus Oscæ, *Azan se dedit.* claues vrbis cum aliis donis Regi misit, promittens eam se dediturum, si opportunitas eueniret. Sed & Monachus quidam de Hierosolyma veniens benedictionem & reliquias de loco resurrectionis Dominicæ, *Reliquiæ dono missæ.* quæ Patriarcha Regi miserat, detulit: & Rex natalem Domini in eodem palatio residens celebrauit: ac Monachum reuerti volentem absoluens, Zachariam quendam presbyterum de palatio suo cum eodem ire iussit: cui & donaria sua ad illa veneranda loca deferenda commisit.

De piratis Nordmannis: & Caroli Turonos profectione religiosa: Liutgardæ coniugis eius ibidem obitu. de conuentu Magontiaco, profectione Regis in Italiam ac Romam: & inibi gestis: de purgatione Pontificis: donis patriarchæ Hierosolymitani, Caroli coronatione cum applausu populi, & Imperatoris Augustique appellatione: animaduersione in pontificis violatores: de Spoleti actis, terræmotu quo templa vrbesque corruerunt: de pestilentia: legatis Persarum & donis: Barcinonæ & Zatis captione: & Theatinæ ciuitatis cum Roselino: deque Isaaci Iudæi cum elephanto reditu.

DCCC.

REdeunte verna temperie, medio fere Martio, Rex Aquisgrano digressus, littus Oceani Gallici perlustrauit: & in ipso mari, quod tunc pyratis Nordmannicis erat infestum, classem instituit, præsidia disposuit: Pascha in Centulo † apud sanctum *in Picardia, S. Richier.* Richarium celebrauit. Inde iterum per littus maris iter agens, Rothomagum ciuitatem venit: ibique Sequana amne transmisso, Turonos ad sanctum Martinum orationis causa profectus est: moratusque est ibi dies aliquot, propter aduersam Liutgardæ coniugis valetudinem: *Liutgardæ obitus.* quæ ibidem & defuncta & humata est. Obiit autem pridie Nonas Iunias. Inde per Aurelianos, ac Parrhisios, Aquisgranum reuersus est: & mense Augusto inchoante Magontiam veniens, generalem conuentum ibidem habuit, & iter in Italiam condixit: *Rex in Italiam.* atque inde profectus cum exercitu, Rauennam venit: *Rauennam.* ibique septem non amplius dies moratus, Pipinum filium suum cum eodem exercitu in terram Beneuentanorum ire iussit: mouensque Rauenna simul cum

Anconam. Romam. Nomentum.

cum filio, Anconam vſque peruenit. Quo ibi dimiſſo, Romam proficiſcitur. Cui cum pridie quam illuc veniret, Leo Papa apud Nomentum occurriſſet, & cum magna cum veneratione ibidem ſuſcepiſſet; poſt cœnam, qua ſimul refecti ſunt, illo ibi manente, Pontifex ad Vrbem præceſſit: & in craſtinum, in gradibus Baſilicæ beati Petri Apoſtoli cum epiſcopis & vniuerſo clero conſiſtens, aduenientem, equoque deſcendentem, Deo laudes dicendo & gratias agendo, ſuſcepit, & cunctis pſallentibus, in Eccleſiam eiuſdem beatiſſimi Apoſtoli, Deum glorificans atque magnificans, introduxit. Facta ſunt hæc VIII. Kalend. Decembres. Poſt VII. vero dies, Rex concione vocata, cur Romam veniſſet, omnibus patefecit: Et exinde quotidie, propter quæ venerat facienda, operam impendit. In quibus vel maximum, vel difficillimum erat, quod primum inchoatum eſt, de inueſtigandis videlicet quæ Pontifici obiiciebantur criminibus. Qui tamen poſtquam nullus eorundem criminum probator eſſe voluit, coram omni populo in Baſilica beati Petri Apoſtoli Euangelium ferens, ambonem conſcendit, inuocatoque nomine ſanctæ Trinitatis, de obiectis ſe criminibus iurando purgauit. Eadem die Zacharias presbyter, quem Rex Hieroſolymam miſerat cum duobus Monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem miſit, Romam venit: qui benedictionis gratia, claues Dominici ſepulchri ac loci caluariæ, cum vexillo detulerunt: quos Rex benigne receptos, per aliquot dies ſecum detinuit: & redire volentes, remuneratos abſoluit.

Pontif. purgatio.

Munera de ditia Patriarcha Hiero.

DCCCI.

Caroli Magni coronatio. Applauſus. Adoratio. Huc vide Ioſeph. Stephan. de oſcul. ped. Pontif. pag. 93. Animaduerſio in ſacrilegos Pont. violatores.

Ipſe autem die ſacratiſſima natalis Domini, ad miſſarum ſolennia audienda, Baſilicam beati Petri Apoſtoli quum fuiſſet ingreſſus, & coram altari, vbi ad orationes ſe inclinauerat, adſiſteret, Leo Papa coronam capiti eius impoſuit, cuncto populo Romano acclamante; *Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Poſt quas laudes, ab eodē Pontifice (more antiquorum principum) adoratus † eſt, ac deinde, omiſſo Patricii nomine, *Imperator* & *Auguſtus* appellatus. Poſt paucos vero dies iubente ipſo, ii qui eundem Pontificem anno ſuperiore depoſuerunt, in iudicium adducti, & habita de eis quæſtione, ſecundum legem Romanam, vt maieſtatis rei, capite damnati ſunt: pro quibus tamen, Papa pio affectu apud Imperatorem interceſſit: nam & vita, & membrorum integritas, eis conceſſa eſt: cæterum, pro facinoris magnitudine, exilio deputati ſunt. Huius facinoris fuere principes, Paſchalis nomenclator, & Campulus Sacellarius, & multi alii Romanæ vrbis habitatores nobiles, qui ſimul omnes eadem ſententia damnati ſunt. Ordinatis deinde Romanæ vrbis, Apoſtolicique cætus, totiusq; Italiæ, non tantum publicis, ſed etiam eccleſiaſticis & priuatis rebus (nam tota hyeme nil aliud fecit Imperator) miſſaque iterum in Beneuentanos expeditione, cum Pipino filio ſuo ipſe poſt Paſcha VII. Kalend. Maii Roma profectus, venit Spoletum. Ibi dum eſſet, pridie Kal. Maii hora noctis ſecunda terræmotus maximus factus eſt: quo tota Italia grauiter concuſſa eſt. Quo motu, tectum Baſilicæ beati Pauli Apoſtoli magna ex parte, cum ſuis trabibus, decidit, & in quibuſdam locis, vrbes monteſque ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum fluuium, & in Gallia & in Germania, tremuerunt: peſtilentiaque propter mollitiem hyberni temporis [illegible]ta eſt. Imperator de Spoleto Rauennam venit: & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit: ibi nunciatur ei, legatos Aaron regis Perſarum portum Piſanum intraſſe: quibus obuiam mittens, inter Verſellas & Eboreiam eos ſibi fecit præſentari. Vnus ex eis erat Perſa de oriente, legatus prædicti Regis (nam duo fuerant) alter Sarracenus de Aphrica, legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in foſſato præſidebat: qui Iſaac Iudæum, quem Imperator ante quadriennium ad memoratum regem Perſarum cum Lanfrido & Sigiſmundo legatis ſuis miſerat, reuerſum cum magnis muneribus nunciauerunt: nam Lanfridus ac Sigiſmundus ambo in eodem itinere defuncti ſunt. Tum ille miſit Erchembaldum notarium ſuum in Liguriam, ad claſſem parandam, qua Elephas & ea quæ cum eo afferebantur, ſubueherentur. Ipſe vero celebrato die natalis ſancti Ioannis Baptiſtæ apud Eboreiam, Alpes tranſgreſſus in Galliam

Spoleti acta. Terræmotus magnus. Templorum vrbiumque ruina. Legati Perſarum. Legati Imperatoris. Elephas dono miſſus.

Barcino capitur cum Zati. Teate capitur cum Roselino. Isaaci Iudaei cum Elephante reditus.

reuersus est. Ipsa æstate capta est Barcinona ciuitas in Hispania, iam biennio obsessa: Zatim præfectus eius, & alii complures Sarraceni comprehensi: & in Italia Teate ciuitas similiter capta & incensa est, eiusque præfectus Roselinus comprehensus. Castella, quæ ad ipsam pertinebant ciuitatem, in deditionem accepta sunt. Zatim & Roselinus vna die ad præsentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt. Ipsius anni mense Octobri Isaac Iudæus de Aphrica cum Elephanto regressus, portum Veneris intrauit: & quia propter niues Alpes transire non potuit, Versellis hyemauit. Imperator Aquisgrani in palatio natalem Domini celebrauit.

De fœcialibus Hirenes & Caroli imperatoris: de Isaaci appulsu cum Elephanto: Ortonæ & Luceriæ deditione: Transalbianorum Saxonum vastatione: Grimoaldi & Vuinigisi factis: terræmotu, & legatis Constantinopolitanis, rebusque ab eis gestis.

DCCCII.

Iesse & Helingaudus. Isaaci aduentus. Abulabaz elephas. Ortona. Luceria. Saxones. Grimaldus. Winigisus.

HIrena Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum, nomine Leonem Spatarium, propter pacem confirmandam inter Francos & Græcos. Et Imperator vicissim propter id ipsum, absoluto illo, misit Iesse Ambianensem Episcopum & Helingaudum comitem Constantinopolim, vt pacem cum ea statuerent. Celebratum est Pascha Aquisgrani in palatio. Ipsius anni mense Iulio, XIII. Kalen. Augusti. venit Isaac cum Elephanto, & cæteris muneribus quæ à rege Persarum missa sunt: & Aquisgrani omnia Imperatori detulit. Nomen Elephanto erat Abulabaz. Ortona ciuitas in Italia in deditionem accepta. Luceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit: præsidiumque nostrorum in ea positum. Imperator æstatis tempore in Arduenna venatibus indulgens, misso in Saxoniam exercitu Transalbianos Saxones vastauit. Grimoaldus Beneuentanorum dux, in Luceria Winigisum comitem Spoleti, qui præsidio præerat, aduersa valetudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit: captumque honorifice habuit. Imperator Aquisgrani natalem Domini celebrauit.

DCCCIII.

Terræmotus. Nicephori Imp. legati.

Hac hyeme, circa ipsum palatium, & finitimas regiones, terræmotus factus est: & subsecuta est mortalitas. Wiginisus à Grimoaldo redditus est: & missi Imperatoris, Cõstantinopoli reuersi sunt: & venêre cum eis legati Nicephori imperatoris, qui tunc Rempub. regebat: Nam Hirenam, post aduentum legatorum Franciæ, deposuerunt. Quorum nomina fuerunt, Michael episcopus, Petrus abbas, & Calistus candidatus: qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluuium Sala, in loco qui dicitur *Saltz*: & pactum faciendæ pacis, in scripto susceperunt: & inde dimissi, cum epistola Imperatoris Romani regressi, atq; Constantinopolim reuersi sunt. Imperator autem in Baioariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Decembri mense Aquisgranum reuersus est: ibique natalem Domini celebrauit.

De Saxonibus victis, & in Franciam missis: de Godefridi Danorum regis ad Carolum itinere intercepto: de Leonis Papæ ad eundem aduentu, & causa eius.

DCCCIV.

al. Wimodi. Saxones in Franciam transmissi.

IMperator Aquisgrani hyemauit: æstate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albiam & in Wihinuodi habitabant Saxones, cum mulieribus & infantibus,

bus, transtulit in Franciam: & pagos Transalbianos Abodritis dedit. Eodem tempore Godefridus rex Danorum venit cum classe sua, necnon & omni equitatu regni sui, ad locum qui dicitur Sliesthorp, in confinio regni sui & Saxoniæ. Promiserat enim se ad colloquium Imperatoris venturum: sed consilio suorum inhibitus, propius non accessit. Imperator autem super Albim fluuium sedebat, in loco qui dicitur Holdunstet: & missa ad Godefridum legatione pro perfugis reddendis, medio Septembri Coloniam venit: dimissoque exercitu, primo Aquasgrani, deinde Arduennam venit: & venationibus indulgens, Aquasgrani reuersus est. Medio Nouembri allatum est ei Leonem Papam natalem Dominicum cum eo celebrare velle, vbicunque hoc contingere potuisset. Quem statim misso ad sanctum Mauritium Carolo filio suo, honorifice suscipere iussit: ipse obuiam illi in Remorum ciuitatem profectus est: ibique susceptum, primo in Carisiacum villam, vbi natalem Domini celebrauit, deinde Aquasgrani perduxit: & donatum magnis muneribus, per Baioariam ire volentem, deduci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc fuit. Perlatum erat ad Imperatorem æstate præterita, Christi sanguinem in ciuitate Mantua fuisse repertum: propter hoc misit ad Papam, petens vt huius famæ veritatem perquireret. Qui accepta occasione exeundi, primo in Langobardiam, quasi pro inquisitione prædicta, profectus est, indeque arrepto itinere subito ad Imperatorem vsque peruenit. Mansitque apud illum dies VIII. & (sicut dictum est) Romam repedauit.

Godefridus Danus. Sliestorff. Inf. an. 808.

Leonis pont. ad Carolum aduentum.

Sanguis Christi Mantuæ repertus.

De Cacani (sic enim Paulus Diaconus scribit) seu Cagani aut Capcani Hunorum regis nomine: Theodori ad Carolum aduentu & petitione, & obitu, & successoris Cagani seu Capcani postulatis. de Bechonis Sclauorum ducis cæde.

DCCCV.

NON multo post, Caganus † princeps Hunorum, propter necessitatem populi sui Imperatorem adiit: postulans sibi locum dari ad habitandum, inter Sabariam & Carnuntum: quia propter infestationem Sclauorum, in pristinis sedibus esse non poterat. Quem imperator benigne suscepit. Erat enim Caganus Christianus, nomine Theodorus, & precibus eius annuens, donatum redire permisit. Qui rediens ad populum suum, pauco tempore transacto diem obiit: & misit Caganus vnum de optimatibus suis petens sibi honorem antiquum, quem Caganus apud Hunos habere solebat: cuius præbuit precibus Imperator assensum, & summam totius regni, iuxta priscum eorum ritum, Caganum habere præcepit. Eodem anno misit exercitum suum, cum filio suo Carolo, in terram Sclauorum, qui vocantur Behemi: qui omnem illorum patriam depopulatus, ducem illorum nomine Bechonem occidit: & inde regressus in Vosegum syluam, ad patrem venit in loco qui dicitur Campus. † Nam Imperator Iulio mense Aquisgrani profectus, per Theodonis villam atque Mettos † transiens, Vosegum petiit: ibique venationi vacans, post reuersionem exercitus, ad Rhumericum † castellum profectus, ibi aliquantum temporis moratus, ad hyemandum in Theodonis villa † palatio suo consedit: ibi ad eum ambo filii sui, Pipinus & Ludouicus, venerunt: celebrauitque ibi natalem Domini.

al. Capcanus.

Cacani Huni postulatio.

Cacani mors.

Sclaui Behemi.

m. s. Camp.

al. Metas.

al. Numeriti.

hod. Thionuille, *German.* Diedenhouen.

De Delmatarum legatione: Venetiæ Delmatiæque per Carolum Magnum ordinatione: Maurorum incursatione: Pompilonensium & Nauarrorum ad fidem Christianam conuersione: Classe Nicephori in Delmatiam missa: & mira legatorum à Perside reuersione.

DCCCVI.

Delmatarum legati. al. Delmatarum. Venetiæ Dalmatiæq; ordinatio. Regni viuo Carolo diuisio. Einhardus. Thrudonis. Nouiomagum. Sorabi Sclaui. m.s. Mildauch. m.s. Beeheim. Mauri Corsicam infestantes pelluntur. Hadumarus cadit. al. Tarnisiam.

STatim post natalem Domini, venerunt Willerus & Beatus duces Venetiæ, necnon & Paulus dux Iaderæ, atque Donatus eiusdem ciuitatis episcopus, legati Dalmatarum †, ad præsentiam Imperatoris, cum magnis donis: & facta est ibi ordinatio ab Imperatore, de Ducibus & populis tam Venetiæ quam Delmatiæ. Illisque absolutis, conuentum habuit Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum, de pace constituenda & conseruanda inter filios suos, & diuisione regni facienda in tres partes: vt sciret vnusquisque illorum, quam partem tueri & regere debuisset, si superstes illi eueniret. De hac partitione & testamentum factum, & iureiurando ab optimatibus Francorum confirmatum: & constitutiones causa conseruandæ pacis factæ: atque hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni papę vt his sua manu subscriberet, per Einhardum missa. Quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. Imperator dimisso vtroque filio in regnum illis deputatum, Pipino scilicet & Ludouico, de villa † Theodonis per Mosellam & Rhenum secunda aqua Nouiomagum nauigauit: ibique sanctum Quadragesimale ieiunium, & sacratissimam Paschæ festiuitatem celebrauit. Et inde post nonnullos dies Aquisgrani veniens, Carolum filium suum in terram Sclauorum, qui dicuntur Sorabi & sedent super Albim fluuium, cum exercitu misit. In qua expeditione, Mileduochus † Sclauorum dux interfectus est: duoque castella ab exercitu ædificata, vnum super ripam fluminis Salæ, alterum iuxta fluuium Albim. Sclauisque pacatis, Carolus cum exercitu regressus, in loco qui dicitur Silli, super ripam Mosæ fluminis, ad imperatorem venit. Missa est & manus de Baioaria & Alemannia atque Burgundia, sicut anno superiore, in terram Beehemi †: vastataque terræ non minima portione, absque vllo graui incommodo regressa. Eodem anno in Corsicam insulam, in Mauros qui eam vastabant, classis de Italia a Pipino missa est. Cuius aduentum Mauri non expectantes, abscesserunt. Vnus tamen nostrorum, Hadumarus comes ciuitatis Genuæ, imprudenter contra eos dimicans, occisus est. In Hispania vero Nauarri & Pampilonenses, qui superioribus annis ad Sarracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Classis à Nicephoro Imperatore, cui Nicetas patricius præerat, ad recuperandam Delmatiam mittitur: & legati, qui ante fere quatuor annos ad regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti, ad Taruisiani † portus receptaculum, nullo aduersariorum sentiente, regressi sunt. Imperator celebrauit natalem Domini Aquisgrani.

De Lunæ solisque eclipsibus: & Iouinianæ stellæ mirabili apparitione: de aciebus seu facibus in cœlo visis: de stella Mercurii visa in Sole ab auctore operis, ne vanus putetur. de muneribus miris Thomæ Patriarchæ & de Maurorum strage.

DCCCVII.

Eclipsis lunæ. Iouis stella per lunam transit.

ANno superiore IV. Nonas Septembres fuit eclipsis Lunæ: tunc stabat Sol in XVI. parte Virginis, Luna autem in X V I. parte piscium. Hoc anno pridie Kal. Febr. fuit

fuit Luna XVII. quando stella Iouis, quasi per eam transire visa est: & III. Idus Febr. eclipsis Solis meridie stante vtroque sydere in XXV. parte Aquarii. Iterum IV. Kal. Martii fuit eclipsis Lunæ: & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis. & Sol stetit in XI. parte Piscium: & luna in XI parte Virginis. Nam & stella Mercurii XVI. Kalen. April. visa est in Sole, quasi parua macula nigra paululum superius medio centro eiusdem syderis: quæ à nobis octo dies conspicitur: sed quando primum intrauit, vel exiuit, nubibus impedientibus minime notare potuimus. Iterum mense Augusto XI. Kal. Septemb. eclipsis Lunæ facta est, hora noctis tertia, Sole posito in V. parte Virginis & luna in V. parte Piscium. Sicq; ab anni superioris Septembrio, vsq; ad anni præsentis Septembrium, ter Luna obscurata est, & Sol semel.

Eclipsis solis. Eclipsis lunæ. Mercurii stella visa. Eclipsis lunæ.

Ratbertus legatus† Imperatoris, qui de oriente reuertebatur, defunctus est: & legatus regis Persarum nomine Abdella, cum Monachis de Hierusalem qui legatione Thomæ patriarchæ fungebantur (quorum nomina fuere Georgius & Felix) ad Imperatorem peruenerunt, munera deferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miserat: videlicet Papilionem & tentoria atrii, miræ magnitudinis & pulchritudinis: erant enim omnia bissina, tam tentoria quam & funes eorum, diuersis tincta coloribus. Fuerunt præterea munera præfati Regis, pallia serica multa & preciosa, & odores atq; vnguenta, & balsamum, necnon & horologium ex aurichalco, arte mœchanica mirifice compositum: in quo XII. horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant: additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras, completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ, totidem fenestras, quæ prius apertæ erant, claudebant: Necnon & alia multa erant in ipso horologio, quæ nunc enumerare longum est. Fuerunt præterea inter prædicta munera, cãdelabra duo ex aurichalco miræ magnitudinis & proceritatis: quæ in Aquensi palatio ad Imperatorem delata sunt. Imperator legatum & Monachos, per aliquantum tempus secum retinens, in Italiam direxit, atque eos tempus nauigationis expectare iussit. Eodemq; anno Burchardum comitem stabuli sui, cum classe misit in Corsicam: vt eam à Mauris qui superioribus annis illuc prædatum venire consueuerant, defenderet. Qui iuxta consuetudinem suam, de Hispania egressi, primo ad Sardiniam appulsi sunt: ibique cum Sardis prælio commisso, & multis suorum amissis (nam tria millia ibi cecidisse perhibentur) in Corsicam recto cursu peruenerunt. Ibi iterum in quodam portu eiusdem insulæ, cum classe cui Burchardus præerat, prælio decertauerunt: victique ac fugati sunt amissis XIII. nauibus, & plurimis suorum interfectis. Adeo illo anno in omnibus locis aduersa fortuna fatigati sunt, vt ipsi sibi hoc accidisse testati sint, eo quod anno superiore, contra omnem iustitiam, de Patalaria† insula LX. monachos asportatos in Hispania vendiderunt. Quorum aliqui per liberalitatem Imperatoris, iterum ad sua loca reuersi sunt. Niceta patritius, qui cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pipino rege, & induciis vsque ad mensem Augusti constitutis, statione soluta, Constantinopolim regressus est. Hoc anno Imperator Pascha Aquisgrani celebrauit: necnon & natalem Domini.

[a'] al. missus. Abdellæ legati munera miranda. Horologium artificiosum. Candelabra. Burchardus Comes stabuli. Maurorum in Sardinia cædes. In Corsica strages. [a'] al. Patelaria. Maurorum scelus in monachos. Niceta Constantinop. reditus.

De Godefridi Danorum regis in Abodritos & Sclauos conatibus: & Caroli iunioris resistentia. Danorum munimento contra Francos. Leone Pontifice: & eius in Britanniam legatis.

DCCCVIII.

Hyems mollissima ac pestilens fuit in illo tempore: vereque inchoante Imperator Nouiomagum profectus: transactoque ibi Quadragesimali ieiunio, celebrato & sancto Pascha, iterum Aquasgrani regressus est: & quia nuntiabatur Godefridum Regem Danorum, in Abodritos cum exercitu traiecisse, Carolum filium suum ad

Pestilentia. Nouiomagum. Godefridus Danor. rex in Abodritos.

Albiam, cum valida Francorum & Saxonum manu misit: iubens vesano Regi resistere, si Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Sed ille statiuis per aliquot dies in littore habitis, expugnatis etiam & manu captis aliquot Sclauorum castellis, cum magno copiarum suarũ detrimento reuersus est. *Drasco. Godelaibus.* Nã licet Drasconem ducẽ Abodritorum, popularium fidei diffidentem, loco pepulisset, Godelaibum, alium ducem, dolo captum patibulo suspendisset, Abodritorum duas partes sibi vectigales fecisset; optimos tamen militum suorum, & manu promtissimos, amisit: & cum eis filium fratris sui, nomine Reginoldum, qui in oppugnatione cuiusdam oppidi, cum plurimis Danorum primoribus interfectus est. Filius autem Imperatoris Carolus, Albiam ponte iunxit: & *Liuones. Smeldingi.* exercitum cui præerat, in Liuones & Smeldingos (qui & ipsi ad Godefridum regem defecerant) quanta potuit celeritate transposuit: populatisque circumquaque eorum agris transito iterum flumine cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit. Erant *Vultzi.* cum Godefrido in expeditione prædicta Sclaui, qui dicuntur Vultzi: qui propter antiquas inimicitias quas cum Abodritis habere solebant, sponte se copiis eius coniunxerunt. Ipsoque in regnum suum conuertente, cum præda, quam ab Abodritis capere potuerunt, & ipsi domum regressi sunt. Godefridus vero priusquam reuerteretur, *Emporium Reric.* destructo emporio (quod in oceani littore constitutum lingua Danorum *Reric* dicebatur, & magnam regno illius commoditatem, vectigalium persolutione, præstabat) *al. Sliesthorp sup. an. 804.* translatisque inde negotiatoribus, soluta classe, ad portum qui *Liesthor* † dicitur cum vniuerso exercitu venit. Ibi per aliquot dies moratus, limitem regni sui qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo vt ab orientali maris sinu *al. Lestarhsalt.* (quem illi *Ostarksalt* † dicunt) vsque ad occidentalem oceanum, totam Egidoræ fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret, *Danorum munimentum.* vna tantum porta dimissa, per quam carra & equites emitti & recipi possent. Diuiso itaque opere inter duces copiarum, domum reuersus est. Interea rex Norddanhumbrorum † *al. Nordadanhumbrorum.* de Britannia insula, nomine Eardulfus, regno & patria pulsus, ad Imperatorẽ, dum adhuc Nouiomagi moraretur venit: & patefacto aduentus sui negotio, Romam proficiscitur: Romaque rediens, per legatos Romani Pontificis, & domini Imperatoris, in regnum suum reducitur. *Leo III.* Præerat tunc temporis ecclesiæ Romanæ Leo tertius: cuius legatus ad Britanniam directus est, Aldulfus diaconus de ipsa Britannia, natione Saxo: & cum eo ab *Legati.* Imperatore missi duo Abbates, Rotfridus notarius, & Nantharius abbas de sancto Aldomaro. Imperator vero ædificatis per legatos super Albim fluuium duobus castellis, præsidioque in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquisgrani hyemauit: natalemque Domini & sanctum ibidem Pascha celebrauit.

De classe Constantinopolitana Venetias missa: Dertosa ab Ludouico rege obsessa. De Nortdanhumbrorum regis reductione in regnum. De Legatorum reditu. Danorum regis motu. Quæstione de Spiritus sancti processione. Trasconis cæde. Aureoli obitu. Amoromi deditione oblata: & eclipsi Lunæ.

DCCCIX.

Classis Constantinopol. al Comiaclum. Classis Constantinopoli missa, primo ad Delmatiam, deinde Venetiam appulsa est. Cumque ibi hyemaret, pars eius Connaclum † insulam accessit: commissoq; prælio contra præsidium quod in ea dispositum erat, victa atque fugata in Venetiam recessit. Dux autem qui classi præerat, nomine Paulus, cum de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi sibi hoc esset iniunctum, apud Pipinum Italiæ regem agere moliretur, *Obelerius à S. obelisco vocatur.* Willhareno & Beato, Venetiæ ducibus, omnes conatus eius impedientibus, atque ipsi etiam insidias parantibus, cognita illorum fraude discessit. At in occiduis partibus, dominus Ludouicus rex cum exercitu Hispaniam ingressus, Dertosam ciuitatem, in ripa Iberi fluminis sitam, obsedit: consumptoq; in oppugnatione

tione illius aliquãto tempore, postquam eam tam cito capi non posse vidit, dimissa obsidione, cum incolumi exercitu in Aquitaniam se recepit. Postquam Ardulfus, rex Nordanhumbrorum, reductus est in regnum suum, & legati Imperatoris atq; Pontificis reuersi sunt: *Nordanhumbrorum rex.* vnus ex eis, videlicet Aldulfus, à pyratis captus est (cæteris sine detrimento traiicientibus) ductusq; ab eis in Britanniam, à quodam Cenulfi regis homine redemptus est, Romamq; reuersus. In Tuscia Populonium, ciuitas maritima, à Græcis *Populoniũ.* qui Orobitæ † vocantur deprædata est. *al. Orobiota.* Mauri quoq; de Hispania Corsicam ingressi, in ipso sancto Paschali sabbato ciuitatem quandam diripuerunt, & præter Episcopum, & paucos senes, atq; infirmos, nihil in ea reliquerunt. Interea Godefridus rex Danorũ *Godefridus Danus.* per negotiatores quosdã mandauit, *se audisse quod Imperator ei fuisset iratus, eo quod in Abodritos anno superiore duxit exercitũ, & suas vltus est iniurias*: addens, *velle se purgare ab eo quod obiiciebatur: fœderis ruptionem ab illis fuisse inchoatam prius, quam à se bellum.* Petebat etiam, *vt conuentus comitum Imperatoris, atq; suorum, iuxta terminos regni sui ad Albim fieret: in quo res inuicem gestæ proferri, & emendatione digna inter partes enumerari † possent.* *f. emendari.* Non abnuit Imperator, colloquiumq; trans Albim habitum cum primoribus Danorum; in loco qui dicitur *Badenfliot*: multisq; hinc & inde prolatis atq; enumeratis rebus, negotio penitus infecto discessum est. *Badenfliot.* Trasco vero dux Abodritorum, postquam filium suũ postulanti Godefrido obsidem dederat, *Trasco.* collecta popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos suos Vultzos aggressus, agros eorum ferro & igni vastat: regressusq; domum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam ciuitatẽ expugnat: *Smeldingi.* atq; his successibus, omnes qui ab eo defecerãt, ad suam societatem redire coëgit. His ita gestis, Imperator de Arduenna Aquasgrani reuersus, mense Nouembrio consilium habuit de processione Spiritus sancti: quam quæstionem Ioannes quidam monachus Hierosolymis primo commouit. *Quæstio de processione Spiritus sancti.* Cuius definiendæ causa, Bernharius episcopus Wormacensis, & Alahardus abbas monasterii Corbeiæ, Romam ad Leonem papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem consilio de statu Ecclesiarum, & conuersatione eorum qui in eis Deo seruire dicuntur: nec aliquid tamen definitum est, propter rerum (vt videbatur) magnitudinem. Imperator autem, quum ei multa de iactantia & superbia regis Danorum nuntiarentur, statuit trans Albim fluuium ciuitatem ædificare, Francorumque in ea ponere præsidium. *Motus in Danos.* Cumq; ad hoc per Galliam atq; Germaniam homines congregasset, armisq; ac cæteris ad vsum necessariis rebus instructos, per Frisiam ad locum destinatum pergere iussisset, Trasco dux Abodritorum in emporio Reric, ab hominibus Godefridi per dolum interfectus est. *Trasco perimitur.* Sed Imperator, postquam locum ciuitati construendæ fuerat exploratus, Egbertum comitem huic negotio exequendo præficiens, Albim traiicere, & locum iussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis vocabulo *Esesfelth* †: *m.s. Esfelt. hod. Eichsfeld.* & occupatus est ab Egberto, & comitibus Saxonicis, circa idus Martias, & muniri cœptus. Aureolus comes, qui in commercio Hispaniæ atq; Galliæ, trans Pyrinæum contra Oscam & Cæsaraugustam residebat, defunctus est: *Aureolus comes.* & Amoroz præfectus Cæsaraugustæ atq; Oscæ, *Amoroz.* locum eius inuasit: & in castellis illius præsidia disposuit: missaq; ad Imperatorem legatione, sese cum omnibus quæ habebat, in deditionem illi venire velle promisit. Eclipsis lunæ contigit VII. Kal. Ianuarii.

De Amoroz præfecti oblatis. Maurorum in Sardiniam & Corsicam irruptione. Motibus in Venetos, Delmatas, Danos, Frisones, quos Dani vicerunt. De Godefridi Danorum regis (quem Saxo Gotricum appellat) iactantia & cæde. Pipini obitu. Boum lue. Eclipsibus. Amoroz pulsione.

DCCCX.

AMoroz Cæsar Augustæ præfectus, postquam Imperatoris legati ad eum peruenerunt, petiit vt colloquium fieret, inter ipsum & Hispanici limitis custodes: *Amoroz.*

promittens se in eo colloquio, cum suis omnibus, in Imperatoris ditionem esse venturum. Quibus licet Imperator vt fierent annuisset, multis interuenientibus causis remansit infectum. *Maurorum irruptio.* Mauri de tota Hispania maxima classe comparata, primo Sardiniam, deinde Corsicam appulerunt: nullo in ea inuento præsidio, insulam pene totam subegerunt. *Pipini in Venetos motus.* Interea Pipinus rex, perfidia ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terra marique iussit appeti. Subiectaque Venetia, ac ducibus eius in deditionem acceptis, eandem classem ad Delmatiæ littora vastanda misit. *In Dalmatas.* Sed quum Paulus Cephaleniæ præfectus, cum orientali classe ad auxilium Delmatis ferendum aduentaret, regia classis ad propria regreditur. Rhodtrudis † *al. Hruodtrud.* filia Imperatoris, quæ natu maior erat, VIII. Idus Ianu. diem obiit. *Caroli in Danos.* Imperator vero Aquisgrani adhuc agens, & contra Godefridum Regem expeditionem meditans, nuntium accepit classem ducentarum nauium, *Normannorum in Frisiam.* de Nortdmannia in Frisiam appulsam: totasque Frisiaco littori adiacentes insulas esse vastatas: iamque exercitum illum in continenti esse: ternaque prælia cum Frisonibus commisisse: *Dani Frisiones vicerunt.* Danosque victores tributum victis imposuisse: & vectigalis nomine centum libras argenti a Frisonibus iam esse solutas: Regem vero Godefridum domi esse: & reuera ita erat. Qui nuntius Imperatorem adeo concitauit, vt missis in omnes circumquaque regiones, ad congregandum exercitum, nuntiis, ipse sine mora palatio exiens, primum quidem classi occurrere, deinde transmisso Rheno flumine, in loco qui Lippia vocatur, copias quæ nondum conuenerant statuit opperiri. Vbi dum aliquot dies moraretur, elephas ille quem ei Aaron Rex Sarracenorum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alaram fluuium contendit: castrisque iuxta confluentem eius, qua Wisuræ flumini coniungitur, positis, in vanum Godefridi regis præstolatur aduentum. *Godefridi iactantia.* Nam Rex ille vanissima spe victoriæ inflatus, acie se cum Imperatore congredi velle iactabat. Sed dum Imperator in memorato loco statiua haberet, diuersarum rerum nuntii ad eum deferuntur. Nam & classem quæ Frisiam vastabat, domum regressam: & Godefridum regem à quodam suo satellite interfectum. *Cædes.* Castellum, vocabulo *Hohbuoki*, Albiæ flumini appositum, in quo Odo legatus Imperatoris & orientalium Saxonum erat, à Vultzis captum: *Pipini obitus.* & Pipinum filium eius, regem Italiæ, VIII. Idus Iulias de corpore migrasse: duasque legationes de diuersis terrarum partibus, vnam de Constantinopoli, alteram de Cortuba, pacis faciendæ causa, aduentare narratur. Quibus ille acceptis, disposita pro temporis conditione Saxonia, domum reuertitur. *Boum lues.* Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt pene nullus ex tanto exercitu superesset, quin omnes vsque ad vnum interirent: & non solum ibi, sed & super omnes Imperatori subiectas prouincias, illius generis animalium mortalitas immanissime grassata est. *Legati Nicephori & Abuzalis.* Imperator Aquasgrani veniens, mense Octobrio memoratas legationes audiuit: pacemque cum Nicephoro imperatore, & cum Abalaze † *al. Abulaz.* rege Hispaniæ fecit. Nam Nicephoro Venetiam reddidit: & Henricum comitem, olim à Sarracenis captum, Abuzale remittente, recepit. *Eclipses.* Eo anno Sol & Luna bis defecerunt, Sol VII. Idus Iunii, & pridie Kalend. Decemb. Luna XI. Kalend. Iul. & XVIII. Kalend. Ianuar. Corsica insula a Mauris vastata est. Amoroz ab Adirama filio Abuzalis, de Cæsaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. *Hemmingus Danus.* Godefrido Danorum rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius, in regnum successit, & pacem cum Imperatore fecit.

De Legatis pacis ad Nicephorum à Carolo missis: De pace cum Hemmingo Danorum rege, & de primoribus vtriusque. De tribus exercitibus in tres partes à Carolo missis, & prosper reducibus: Pharo, id est, turri ad Bononiam (quam Bolloniam vocant) constituta: & classe Gandaui instaurata: Legatis Danorum, & Hunorum, Auarum, Sclauorum. Deque Caroli filii Imperatoris obitu nuntiato.

DCCCXI.

DCCCXI.

ABsoluto atque dimisso Arsafio Spathario (hoc erat nomen legato Nicefori imperatoris) eiusdem pacis confirmandæ gratia, legati Constantinopolim ab Imperatore mittuntur, Haido episcopus Baslensis, Hugo comes Turonicus, & Aio Langobardus de Foroiulii: & cum eis Leo quidam Spatharius, natione Siculus, & Willeri † dux Veneticorum. Quorum alter ante annos decem Romam ad imperatorem, cum ibi esset, de Sicilia profugit: & redire volens in patriam remittitur. Alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad dominum suum duci iubetur. Condicta inter Imperatorem & Hemmingum Danorum regem pax, propter hyemis asperitatem quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantum iurata seruatur: donec redeunte veris temperie, & apertis viis quę immanitate frigoris clausę fuerunt, congredientibus ex vtraque parte vtriusque gentis (Francorum scilicet & Danorum) decem primoribus super fluuium Egidoram, in loco qui vocatur Clatis, vicissim secundum ritum ac morem suum, sacramentis iuratis, pax confirmatur. Primores autem de parte Francorum hi fuere, Walachus comes filius Bernardi, Burchardus comes, Mirocus comes, Vado comes, Bernardus comes, Egebertus comes, Theodoricus comes, Abo comes, Ostdagus comes, Wigmannus comes. De parte vero Danorum, in primis fratres Hemmingi, Hancum & Angandeo. Deinde cæteri honorabiles inter suos viri, Offredus cognomento Turd mulo, & Warsteinus, & Suonius †, & Vrmius, & alius Offridus filius Heiligeni, & Offredus de Sconaouue, & Hebbi, & Aouus. Imperator vero pace cũ Hemmingo firmata, & placito generali, secundũ consuetudinẽ, Aquisgrani habito, in tres partes regni sui totidem exercitus misit: vnũ trans Albiam in Liuones: qui & ipsos vastauit, & castellũ Hohbuoki, superiori anno à Vultzis destructũ, in ripa Albiæ fluminis restaurauit. Alterum in Pannonias, ad controuersias Hunorum finiendas. Tertium in Brittones, ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes, rebus prospere gestis, incolumes regressi sunt. Ipse autem interea Imperator, propter classem, quam anno superiore fieri imperauit, videndum, ad † Bononiam ciuitatem maritimã, vbi eædem naues congregatæ erant, accessit: Pharumque ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam, restaurauit: & in summitate eius nocturnum ignem accendit: & inde ad Scaldim fluuium veniens, in loco qui vocatur Gand, naues ad eandem classem ædificatas aspexit: & circa medium Nouembrium Aquasgrani venit. Obuiauerunt ei venienti legati Hemmingi regis, Aouus & Hebbi, munera Regis & verba pacifica deferentes. Fuerunt etiam Aquisgrani aduentum eius expectantes qui de Pannonia venerunt, Camzanci princeps Auarum, & Tudim, & alii primores, ac duces Sclauorum circa Danubium habitantium: qui à ducibus copiarum, quæ in Pannoniam missæ fuerunt, ad præsentiam principis iussi venerunt. Interea Carolus filius domini Imperatoris, qui maior natu erat, pridie Nonas Decembres diem obiit: & Imperator Aquisgrani hyemauit.

Legati ... Pax cum Dano. Primores Francor. Proceres Danorum. Exercitus tres. Liuones. Huni. Brittones. Bononiam. Pharus. Gandauum. Legati Danorum. Caroli filii mors.

De Hennungi seu Hemmigi obitu: & regni Danorum inter hæredes contentione & cæde: De Harioldi seu Haraldi & Ragenfredi Danorum regno. De Nicephori obitu. Michaelis successione: & legatis pacis. Classe Maurorum in Corsicam & Sardiniam aduentante. Nortmannorum in Scotia strage. De pace cum Abulamo Sarraceno, cum Beneuentanis, cum Vultzis & Danis.

DCCCXII.

NEc multo post Hemmingus Danorum rex defunctus nunciatur. Cui cum Sigifridus nepos Godefridi regis, & Amilo † nepos Herioldi & ipsius, succedere vo-

Hemmingi obitus. al. Anulo.

Hæredum cædes. al. Reginfridum. Nicephorus obit. Michael Imp. Legati pacis. Basileum. i. Regem. Bernardus. Classis Maurorum. Nortmannorum à Scottis strages. Pax cum Sarracenis. Beneuentanis. Vulzis. Eclipsis.

luissent, neque inter eos, vter regnare deberet, conuenire potuisset, comparatis copiis, & commisso prælio ambo moriuntur. Pars tamen Amilonis adepta victoria fratres eius, Harioldum & Ragenfridum †, Reges sibi constituunt. Quam necessario pars victa secuta, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prælio decem millia DCCCC XL. viri cecidisse narrantur. Niceforus Imperator post multas & insignes victorias, in Mœsia prouincia commisso cum Bulgaris prælio moritur: & Michael gener eius factus Imperator, Legatos domini imperatoris Caroli, qui ad Nicephorum missi fuerunt, & Constantinopoli suscepit & absoluit: cum quibus & legatos suos direxit, Michaelem scilicet episcopum & Arsafium atque Theognostum protospatharios: & per eos pacem à Niceforo inceptam confirmauit. Nam Aquisgrani, vbi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscipientes, more suo, id est, græca lingua, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum & Basileum appellantes: & reuertendo Romam venientes, in Basilica sancti Petri Apostoli, eundem pacti seu fœderis libellum à Leone papa denuo susceperunt. Quibus dimissis, imperator generali conuentu Aquisgrani solenniter habito, Bernardum filium Pipini nepotem suum in Italiam misit: & propter famam classis, quę de Aphrica & de Hispania, ad vastandam Italiam, ventura dicebatur, Walanem filium Bernardi patruelis sui, cum illo esse iussit, quoadusque rerum euentus securitatem nostris afferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit. Classis etiam Nordmannorum Hyberniam Scottorum insulam aggressa, commissoque cum Scottis prælio, parte non modica Nordmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reuersa est. Pax cum Abulaz rege Sarracenorum facta. Item cum duce Beneuentanorũ Grimoaldo: & tributi nomine XXV. millia solidorum auri a Beneuentanis soluta. Expeditio facta ad Vultzos, & ab eis obsides accepti. Harioldus & Ragenfridus, reges Danorum, missa ad Imperatorem legatione pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. *Robertus Abbas sancti Germani monasterii vita decessit. Irunno quoque prudentissimus vir, loco eius successit.* Hoc anno idibus Maii post meridiem Solis eclipsis fuit.

De legatione ad Michaelem imperatorem Constantinopolo. De Ludouici in consortium imperii assumptione: Bernardi in regnum Italiæ: de consiliis causa reformationis ecclesiæ: De pace cum Nordmannis Danis, & de Danorum gestis: De insidiis Mauro positis & earum vltione & strage: De Michaelis imperatoris monachatu: Leonis imperio & Bulgarorum fuga.

DCCCXIII.

Legati. Ludouicus consors imperii. Bernardus rex Italiæ. Concilia reformatoria. Nortmanni, qui Nortvvegi nunc dicuntur.

IMperator Aquisgrani hyemauit: & incipiente verna temperie, Amalharium Treuerensem episcopum, & Petrum abbatem monasterii Nonantulas, propter pacem cum Michaele imperatore confirmandam Constantinopolim misit. Ac deinde, habito generali conuentu, euocatum ad se apud Aquasgrani filium suum, Ludouicum Aquitaniæ regem, coronam illi imposuit, & imperialis nominis consortem fecit Bernardumque nepotem suum, Pipini filii sui filium, Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoq;, eius iussu, super statu Ecclesiarum corrigendo, per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt. Quorum vnum Magontiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillonis, quintum Arelati congregatũ est: & constitutionũ quæ in singulis factæ sunt, collatio coram Imperatore in illo conuentu habita. Quas qui nosse voluerit, in supradictis quinq; ciuitatibus inuenire poterit: quamquam & in archiuo Palatii exemplaria illarum habeantur. Missi sunt de hoc conuentu quidã Francorum & Saxonum primores, trans Albim fluuium ad confinia Nordmannorum, qui pacẽ secundum petitionem Regum illorũ facerent, & fratrem eorum redderent. Qui cũ pari numero (nam sexdecim erant de primatibus Danorum) in loco deputato occurri-

currissent, iuramentis vtrinq; factis pax confirmata, & Regum frater eis redditus eſt: Qui tamen eo tempore domi non erant, ſed ad Weſtarfoldam cum exercitu profecti. Quæ regio vltima regni eorum, inter Septentrionem & Occidentem ſita, cōtra Aquilonem Britanniç ſummitatem reſpicit: Cuius principes ac populus, eis ſubiici recuſabant. Quibus perdomitis, cum reuerſi eſſent, & fratrem ab Imperatore miſſum recepiſſent, filii Godefridi regis & ex primoribus Danorum non pauci, qui iamdudum relicta patria apud Sueones exulabant, comparatis vndiq; copiis bellum eis intulerunt: & cōfluentibus ad ſe paſſim ex omni Danorum terra popularium turmis, commiſſo prælio, etiam regno non multo eos labore pepulerunt. Mauris de Corſica ad Hiſpaniam cum multa præda redeuntibus, Irmingarius comes Emporitanus in Maiorica inſidias poſuit, & octo naues eorum cepit: in quibus quingentos, & eo amplius, Corſos captiuos inuenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Thuſciæ ciuitatem, & Niceam prouinciæ Narbonenſis, vaſtauerunt. Sardiniam quoque aggreſſi, commiſſoque cum Sardis prælio, pulſi ac victi & multis ſuorum amiſſis receſſerunt. At Michael imperator Bulgaros bello appetens, haud proſperis ſucceſſibus vtitur: ac proinde domum reuerſus, depoſito diademate monachus efficitur: in cuius locum Leo Bardæ patricii filius, imperator conſtituitur. Crumas rex Bulgarorum, qui Nicephorum Imperatorem ante annos duos interfecit, & Michaelem de Mœſia fugauit, ſecundis rebus elatus, cum exercitu vſque ad ipſam Conſtantinopolim acceſſit: & iuxta portam ciuitatis caſtra poſuit. Quem mœnibus vrbis obequitantem Leo imperator, eruptione facta, incautum excepit, & grauiter vulneratum fugiendo ſibi conſulere, ac in patriam turpiter redire, coegit.

Weſtarfolda. *Sueones.* *Inſidiis capti Mauri.* *Centumcellæ. Nicea.* *Mauri victi.* *Michael Imp. fit monachus.* *Leo Imp.* *Crumas Bulgarus fugatur.*

De Caroli magni ad ſuperos tranſitu, & Ludouici ſucceſſoris eius geſtis: & legationibus ad Imperatores vltro citroque miſſis: Beneuentanorum tributo: Danorum regum conflictu: & Harioldi ſeu Haraldi confugio.

DCCCXIV.

DVm Carolus Imperator Aquiſgrani hyemaret, anno ætatis fere ſeptuageſimo primo, regni autem XLVII. ſubactæque Italiæ XLIII. ex quo vero Imperator & Auguſtus appellatus eſt anno XIV. V. Kalend. Febrarias rebus humanis exceſſit. Cuius rei nuntium cum Ludouicus filius eius, in Aquitania apud Theoduadum villam (vbi & ipſe tunc hybernabat) plurimis deferentibus accepiſſet, triceſimo poſtquam id acciderat die Aquaſgrani venit: ſummoque omnium Francorum conſenſu ac fauore patri ſucceſſit, & ad ſuſcepti regni adminiſtrationem cura conuerſa, primo legationes gentium, quæ ad patrem venerant, auditas abſoluit: alias deinde ſimili modo ad patrem quidem miſſas, ad ſe vero venientes, ſuſcepit: inter quas præcipua fuit legatio de Conſtantinopoli directa. Nam Leo Imperator qui Michaeli ſucceſſerat, dimiſſo Amalhario epiſcopo & Petro abbate (qui ad Michaelem quidem miſſi, ad ſe autem venerunt) legatos ſuos, Chriſtophorum Spatharium & Gregorium diaconum, cum eis ad dominum Carolum, & per eos deſcriptionem & confirmationem pacti ac fœderis miſit. Quibus ſuſceptis atque dimiſſis, dominus Ludouicus legatos ſuos, Nordbertum Regienſem epiſcopum, & Richonium Pictauium comitem, ad Leonem Imperatorem ob renouandam ſecum amicitiam & prædictum pactum confirmandū direxit. Habitoque Aquiſgrani generali populi ſui conuentu, ad iuſtitias faciendas, & oppreſſiones populorum releuandas, legatos ad omnes regni ſui partes dimiſit. Bernardum regem Italiæ, nepotem ſuum, ad ſe euocatum, muneribus donatum in regnum remiſit. Cum Grimoaldo Beneuentanorum duce pactum fecit atq; firmauit, eo modo quo & pater, ſcil. vt Beneuentani tributum, annis ſingulis, ſeptem millia ſolidū darent. Tūc duos ex filiis ſuis Hlotharium in Baioariā, Pipinum in Aquitaniā miſit. Harioldus & Regnifridus reges Danorū, qui anno ſuperiore a filiis † Godefridi victi & regno pulſi fuerunt, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt: in quo conflictu, & Regnifri-

Caroli M. tranſitus. *Ludouicus Imp.* *Legationes.* *† Gotrici.*

dus & vnus de filiis Godefridi, qui maior natu erat, interfectus est. Quo facto, Hariol-dus rebus suis diffidens, ad Imperatorem venit, & se in manus illius commendauit. Quem ille susceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus expectare, iussit: quo ei, sicut petierat, auxilium ferre posset.

De expeditione Ludo. Imperatoris in Danos, & eorum inter se conflictu: de coniuratione in Leonem pontific. maximum, de legatione & donis Sardorum: de fœdere cum Sarracenis icto prius rupto: de terræmotu graui & inundatione Rheni: Romanorumque in Leonem Pontificem sæuitia.

DCCCXV.

IVssum est ab Imperatore, vt Saxones & Abodriti ad hanc expeditionem præpararẽtur: tentatumque in illa hyeme duabus vicibus, si Albia transiri potuisset: sed mutatione subita, aëris mollitie glacie fluminis resoluta, negotium remansit imperfectum: donec tandem, hyeme transacta, circiter medium fere Maium mensem, opportunum proficiscendi tempus adrisit. Tunc omnes Saxonici comites omnesque Abroditorum copiæ, cum legato Imperatoris Balderico (sicut iussum erat) ad auxilium Harioldo ferendum, trans Egidoram fluuium in terram Nordmannorum vocabulo Sialandiam perueniunt: & inde profecti septimo tandem die in littore Oceani castra ponunt: ibique statiuis triduo habitis, cum filii Godefridi (qui contra eos magnis copiis & ducentarum nauium classe comparata, in insula quadam tribus milibus a continenti separata residebant) congredi non auderent, vastatis circunquaque vicinis pagis, & acceptis popularium obsidibus XL. ad Imperatorẽ in Saxoniam reuersi sunt. Ipse Rex, tunc temporis, in loco qui dicitur Padrebrunno† generalem populi sui cõuentum habebat. Ibi ad eum orientalium Sclauorum primores & legati venerunt. Sed antequam illuc veniret, & cum adhuc domi esset, allatum est ei quosdam de primoribus Romanorum, ad interficiendum Leonem Papam, in ipsa vrbe Roma conspirasse: Ac deinde, cum huius causæ indicium ad pontificem esset delatum, omnes illius factionis auctores, illius iussu fuisse trucidatos. Quod cum moleste ferret, ordinatis tunc Sclauorum & Harioldi rebus, ipsoque in Saxonia dimisso, cum ad Franconofurd palatium venisset, Bernardum regem Italiæ nepotem suum, qui & ipse cum eo in Saxonia fuerat, ad cognoscendum quod nuntiabatur, Romam mittit. Is cum Romam venisset, ægritudine decubuit: res tamen quas comperer[illegible], per Geroldum comitem, qui ad hoc ei legatus fuerat datus, Imperatori significauit. Quem legati Pontificis, Ioannes episcopus Syluæ candidæ, & Theodorus nomenclator, & Sergius dux, subsecuti, de his quæ domino suo obiiciebantur, per omnia Imperatori satisfecerunt. Legati Sardorum de Carali ciuitate, dona ferentes, venerunt. Pax quæ cum Abulaz rege Serracenorum facta, & per triennium seruata erat, velut inutilis, rupta, & contra eum iterum bellum susceptum est. Nordbertus episcopus & Riconius comes de Constantinopoli regressi, descriptionem pacti, quod Leo Imperator eis dederat, detulerunt. Qui inter cætera, terræmotum grauissimum, mense Augusto per continuos quinq; dies, ibi contigisse retulerunt; quo & ipsius Vrbis ædificia complura cecidisse, & aliarum ciuitatum populos ruinis oppressos esse testati sunt. Sed & in Gallia Santonis, ciuita[te] Aquitaniæ, mense Septembri dicitur tremuisse. Rhenus fluuius Alpinis imbribus auctus, vltra solitũ exundauit. Romani cum Leonem Papam ægritudine decubuisse viderent, collecta manu, omnia prædia † quæ idem Pontifex in singularum ciuitatum territoriis nouiter cõstruxit primo diripiunt, deinde immisso igne cremant: Tum Romã ire statuunt, & quę sibi erepta querebãtur, violenter auferre. Quo comperto, Bernardus Rex missa manu, per Winigisum ducem Spoletanum & seditionem illam sedauit, & eos ab incepto desistere fecit: queq; gesta erant, per legatos suos Imperatori nuntiauit.

al. Sinlendi.

Nordmannorum regio.

Paderburne.

Conspiratio in Leonem Papam.

Legati Sardorum.

Fœdus cum Sarracenis violatur.

Terræmotus

Rheni excrementum.

Domocultas Inf. vita Lud. Pii, eod. anno.

DC

De expeditione in Sorabos Sclauos: de Vasconum coniuratione subacta: de Stephano Papa Remis Ludouicum conueniente: & de Legatis Hispaniæ.

DCCCXVI.

Hyeme transacta, Saxones & orientales Franci expeditionem in Sorabos Sclauos, qui dicto audientes non erant, facere iussi, imperata strenue compleuerunt: & contumacium audaciam non magno labore compresserunt. Nam vna ciuitate expugnata, quicquid in ea gente rebelli videbatur, subiectione promissa, côquieuit. Vascones qui trans Garomnam & citra Pyrenæum montem habitant, propter sublatum ducem suum, nomine Sigiwinum (quem Imperator ob nimiam eius insolentiam, ac morum prauitatem, inde sustulerat) solita leuitate commoti, coniuratione facta, omnimoda defectione desciuerunt. Sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti, vt tarda eis deditio & pacis impetratio videretur. Interea dominus Leo papa, anno pontificatus sui circiter XXI. v. Kalend. Iunii, de corpore migrauit. Stephanusque diaconus in locum eius electus atque ordinatus est. Nondumque duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quam maximis poterat itineribus ad Imperatorem venire côtendit: missis interim duobus legatis, qui quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent. Quod vbi Imperator audiuit, Remis ei statuit occurrere. Missisque obuiam his qui eum illo deducerent, aduentum eius præueniens, cum magno eum ibidem honore suscepit. Qui statim Imperatori aduentus sui causam insinuans, celebratis, ex more, missarum solenniis cum diadematis impositione coronauit. Multis deinde inter eos muneribus & datis ac acceptis, conuiuiisque opipare celebratis, & amicitia vicissim firmissimo robore constituta, aliisque vtilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ pro temporis opportunitate dispositis, Pontifex Romam, Imperator Compendii palatium petiit, ibi commoratus, legatos Abodritorum, & de Hispania legatos Abdirahmam, filii Abulaz, regis ad se missos suscepit. Completisque ibi XX. vel eo amplius diebus, Aquisgrani ad hyemandum profectus est.

Sclaui subacti. *Vasconum coniuratio.* *Stephanus pont.*

De causa legationis Abdirahmani Sarraceni, & Imperatoris Græci, ac Harioldi Dani: De eclipsi Lunæ, & cometa: Stephaniq; pont. obitu: De porticus in Imperatorem ruina: Lotharii in consortium imperii assumptione: Deque legatis Leonis imperatoris: De Abodritorum defectione & eius causa: & de tyrannde Bernardi regis Italiæ: & coniurationis eius capitibus.

DCCCXVII.

Legati Abdirahmam filii Abulaz regis Sarracenorum de Cæsaraugusta, missi pacis petendæ gratia venerunt: & Compendii, ab Imperatore auditi, Aquasgrani eum præcedere sunt iussi. Quo cum Imperator peruenisset, legatum Leonis imperatoris de Constantinopoli, pro Delmaticorum causa missum, nomine Nicephorum, suscepit. Quem etiam, quia Cadolachus (ad quem illorum confinium cura pertinebat) non aderat, & breui tamen venturus putabatur, aduentum illius iussit opperiri. Quo veniente, ratio inter eum & legatum Imperatoris, de quæstionibus quas idem detulit, habita est: & quia res ad plurimos & Romanos & Sclauos pertinebat, neque sine illorum præsentia fieri posse videbatur, illo decernenda differtur. Missusque est ad hoc, cum Cadalone & prædicto legato, in Delmatiam Albigarius Mirochi nepos. Legati etiam Abdirahmam, cum tribus mensibus detenti essent, & iam de reditu desperare cœpissent, remissi sunt. Filii quoque Godefridi regis Danorum, propter assiduam

Legati Hispani & Constantinopolitani.

Legatio Danorum. Herioldi infeſtationem, miſſa ad Imperatorem legatione pacem petunt, eamque à ſe ſeruandam pollicentur. Sed cùm hæc ſimulata magis quam veracia viderentur, velut inania neglecta ſunt, & auxilium contra eos Herioldo datum. Luna nonis Februariis, *Eclipſis.* hora noctis ſecunda, defecit: & Cometes in ſigno Sagittarii apparuit.

Steph. Papa. Paſchal. pon. Interea Stephanus papa, tertio poſtquam Romam venerat menſe, ſed nondum exacto, circiter VIII. Kalend. Februarii diem obiit. Cui Paſchalis ſucceſſor electus, poſt completam ſolenniter ordinationem ſuam, & munera & excuſatoriam Imperatori miſit epiſtolam: in qua ſibi non ſolum nolenti, ſed etiam plurimum renitenti, pontificatus honorem velut impactum aſſeuerat. Miſſa tamen alia legatione, pactum quod cum prædeceſſoribus ſuis factum fuerat, & ſecum fieri & firmari rogauit. Hanc legationem Theodorus nomēclator & detulit, & ea quæ petierat impetrauit. Feria quinta, qua cœna Domini celebratur, cum Imperator ab eccleſia peracto ſacro officio remearet, *Porticus ſeu veſtibuli ruina in imperatorem.* lignea porticus per quam incedebat (cum & fragili materia eſſet ædificata, & tunc marcida & putrefacta, quæ contignationem & tabulatum ſuſtinebant, tranſtra pondus aliquod ferre non poſſent) incedentem deſuper Imperatorem, ſubita ruina, cum XX. & eo amplius hominibus qui vna ibant, ad terram vſque depoſuit. Qui caſus cum pleroſque ex his qui ſimul deciderant grauiter affeciſſet, illi tamen nihil aliud læſionis intulit, præter quod capulo gladii quo accinctus erat, pectoris pars ſiniſtra cōtuſa eſt, & auris dextra in parte poſteriore vulnerata, femur quoque dextrum cuiuſdā ligni pondere iuxta inguina colliſum. Sed inſtantia medicorum qui ei curam adhibebant, ſumma celeritate conualuit. Nam viceſima poſtquam id acciderat die Nouiomagum profectus, venatu ſeſe exercebat. Vnde reuerſus, generalem populi ſui conuentum *Lotharius fit conſors Imperii.* Aquiſgrani, more ſolito, habuit: in quo filium ſuum primogenitū Lotharium, coronauit, & nominis atque imperii ſui ſocium ſibi conſtituit. Cæteros Reges appellatos, vnum Aquitaniæ, alterum Baioariæ præfecit. Conuentu peracto, cum Voſegi *Legati Imp. Conſtātinop.* ſaltum venandi gratia peteret, obuios habuit legatos Leonis Imperatoris. Quos cum in Ingilenheim palatio, iuxta Magontiacam ciuitatem audiſſet, ac legationem eorum non aliam eſſe, niſi quam Nicephorus eiuſdem Imperatoris legatus proxime attulerat, *Abodritorū defectio.* comperiſſet, celeriter abſolutos dimiſit, & quo tendebat proficiſcitur. Nuntiataque defectione Abodritorum & Sclaomiri, Comitibus tantum qui iuxta Albim in præſidio reſidere ſolebant, vt terminos ſibi commiſſos tuerentur, per legatum mandauit. Cauſa defectionis erat, quod regiam poteſtatem, quam Sclaomirus eatenus poſt mortem Thraſconis ſolus ſuper Abodritos tenebat, cum Ceadrago filio Thraſconis partiri videbatur. Quæ res illum tam grauiter exacerbauit, vt affirmaret ſe nunquam poſthac Albim fluuium tranſiturum, neque ad palatium venturum. Statim miſſa trans mare legatione, iunxit amicitias cum filiis Godefridi: & vt exercitus in Saxoniam Tranſalbianam mitteretur impetrauit. Nam & claſſis eorum per Albiam vſque ad Eſelfeldē *MS. Gluomi* caſtellum venit, quæ totam Sturiæ fluminis ripam deuaſtauit: & Gluomus † cuſtos Normannici limitis, pedeſtres copias ducens, ſimul cum Abodritis terreſtri itinere ad ipſum caſtellum acceſſit. Quibus cum noſtri fortiter reſtitiſſent, omiſſa caſtelli oppugnatione diſceſſerunt.

Interea cum Imperator venatione peracta de Voſego Aquaſgrani reuerteretur, *Bernardus tyrannidem affectat.* nuntiatum eſt ei Bernardum nepotem ſuum Italiæ regem, quorundam prauorum hominum conſilio tyrannidem meditatum, iam omnes aditus quibus ad Italiam intra- *MS. clauſas.* tur (id eſt excluſas †) impoſitis firmaſſe præſidiis: atque omnes Italiæ ciuitates in illius verba iuraſſe. Quod ex parte verum, ex parte falſum erat. Ad quos motus comprimendos, cum ex tota Gallia atque Germania congregato ſumma celeritate magno exercitu, Imperator Italiam intrare feſtinaſſet, Bernardus rebus ſuis diffidens, maxime quod ſe à ſuis quotidie deſeri videbat, armis depoſitis apud Cabillonem ſe Imperatori tradidit. Quem cæteri ſecuti, non ſolum armis depoſitis ſe dediderunt, verum vltro & ad primam interrogationem omnia vti geſta erant aperuerunt. Huius coniurationis principes fuere, Eggideo inter amicos regis primus, & Reginhardus camerarius eius, & Reginharius Meginharii comitis filius. Cuius maternus auus, Hardradus, olim in Germania, cum multis ex ea prouincia nobilibus, contra Carolum Imperatorem coniurauit. Erant præterea & alii multi præclari & nobiles viri, qui in eodem ſcelere de-

prehenſi

prehensi sunt: inter quos & aliqui Episcopi, Anselmus Mediolanensis, & Wolfoldus Cremonensis, & Theodulfus Aurelianensis.

De sententia in coniuratos lata, & eius executione: de Britonum rebellium punitione: Irmingardis obitu: eclipsi Solis: De legatis Beneuentanis & aliis auditis.

DCCCXVIII.

DEtecta fraude & coniuratione patefacta, ac seditiosis omnib. in potestatem suam redactis, Imperator Aquasgrani reuertitur. Transactoq; Quadragesimali ieiunio, paucis post sanctum Pascha diebus coniurationis auctores (qui superius nominati sunt) simul & Regem, iudicio Francorum capitali sententia condemnatos, luminib. tantum iussit orbari: Episcopos synodali decreto depositos, monasteriis mancipari. Cæteros (prout quisq; vel nocentior vel innocentior apparebat) vel exilio deportari, vel detõdi atq; in monasteriis cõuersari. Atq; his ita dispositis, ipse cum maximo exercitu Britanniam aggressus, generalem conuentum Venedis † habuit. Inde memoratam prouinciã ingressus, captis rebelliũ munitionibus, breui totam in suam potestatem non magno labore redegit. Nam postquam Mormanus †, qui in ea parte, solito Britonibus more regiam sibi vindicauerat potestatem, ab exercitu Imperatoris occisus est, nullus Brito inueniebatur qui resisteret, aut qui imperata facere, obsidesue qui iubebantur, dare renueret. Qua expeditione completa, cum Imperator dimisso exercitu, Andegauos ciuitatem esset reuersus, Irmingardis regina coniunx eius, quam proficiscens ibi ægrotantem dimiserat, duobus diebus post quam ipse ad eam venit, morbo inualescente, v. nonis Octobris decessit. Eclipsis Solis contigit VIII. Idus Iul. Imperator per Rothomagum & per Ambianos & Camaracum, Aquasgrani ad hybernandum reuersus, cũ Heristallium venisset, obuios habuit legatos Sigonis ducis Beneuentanorum, dona ferentes, eumq; de nece Grimaldi ducis, antecessoris sui, excusantes. Erant ibi & aliarum nationum legati, Abodritorum videl. ac Bornæ ducis Guduscanorum & Tunotianorum †: qui nuper à Bulgarorum societate desciuerant, & ad nostros fines se contulerant. Simul & Liudewici ducis Pannoniæ inferioris: qui res nouas moliens, Cadolachum comitem & marchæ Foroiuliensis præfectum crudelitatis atque insolentiæ accusare conabatur. Quibus ibi auditis atque dimissis, Imperator Aquasgrani ad hyemandum profectus est.

Animad-sio in coniuratos.
hod. Vẽnes.
al. Murmanus.
al. Normannus.
In Britãnos.
Irmingardis obitus.
Eclipsis.
al. Timotianorum.
al. Cadolaunus.

De Sclaomiro ad Ludouicum Imp. adducto, & in exilium misso: similiter & de Lupo in exilium misso: Ecclesiastici status reformatione: Judith vxore Imperatoris: Liudevviti rebellione: Cadolachi obitu: Balderici victoria: Bornæ conatibus: Vasconum pacatione: Harioldi seu Haraldi Dani in Daniam profectione.

DCCCXIX.

SClaomir Abodritorum rex, ob cuius perfidiam vlciscendam exercitus Saxonum & Orientalium Francorum eodẽ anno trans Albiam missus fuerat, per præfectos Saxonici limitis & legatos Imperatoris qui exercitui præerant, Aquasgrani adductus est. Quem cum primores populi sui, qui simul iussi venerant, multis criminib. accusarent, & ille rationabili defensione sibi obiecta refellere nõ valeret, exilio condemnatus est, & regnum Ceadrago Thrasconis filio datum. Simili modo & Lupus Centulli Wasco (qui cum Berengario Tholosæ & Warino Aruerni comite eodem anno prælio conflixit, in quo & fratrem Garsandum singularis amentiæ hominem amisit, & ipse nisi sibi fugiendo consuluisset, prope interitum fuit) cum in conspectum Imperatoris

Sclaomirus rex in exiliũ mittitur.
Lupus exulat.

venisset, ac de perfidia, cuius à memoratis comitibus immaniter accusabatur, se purgare non potuisset, & ipse temporali est deportatus exilio. Couentus Aquisgrani post Natalem Domini habitus: in quo multa de statu Ecclesiarum & monasteriorum † tractata atque ordinata sunt: Legibus etiam Capitula † quædam pernecessaria, quia deerant, conscripta atque addita sunt. Quo peracto Imperator inspectis plærisque nobilium filiabus, Huelpi comitis filiam nomine Iudith duxit vxorem. Itemque conuentus mense Iulio apud Ingilenheim palatium habitus. Exercitus de Italia in Panoniã, propter Liudewici rebellionem, missus. Verum rebus parum prospere gestis, infecto pene negotio regressus est: & Liudewitus superbia elatus, legatos quasi pacem petendo, ad Imperatorem misit: conditiones quasdam proponens, ad quarum concessionẽ, ea quæ iuberentur se facturum pollicebatur. Quas cum Imperator non reciperet, aliasque ei per suos legatos proponeret, permanendũ sibi in inchoata perfidia, velut optimum iudicans: missis circunquaque legatis vicinas iuxta se gentes ad bellum sollicitare curauit. Timocianorum quoque populum, qui dimissa Bulgarorum societate, ad Imperatorem venire ac ditioni eius se permittere gestiebat, ne hoc efficeret ita intercepit, ac falsis persuasionibus illexit, vt omisso quod facere cogitabat, perfidiæ illius socius & adiutor existeret. Exercitu vero de Pannonia reuerso, Cadolach dux Foroiuliensis febre correptus in ipsa marcha decessit. Cui cum Baldericus esset subrogatus, & in Carantinorum regionem, quæ ad ipsius curam pertinebat, fuisset ingressus, obuium ibi habuit Liudewici exercitum. Quem iuxta Drauum fluuium iter agentem parua manu aggressus, pluribus interfectis & auertit, & de illa prouincia fugauit. Borna vero dux Delmatiæ, cum magnis copiis ad Colapium † fluuium Liudewico ad se venienti occurrens, in prima congressione à Guduscanis deseritur: auxilio tamen prætorianorum suorum protectus euasit. periit in eo prælio Dragamosus † socer Liudewici: qui in exordio defectionis, relicto genero, Bornæ se coniunxerat. Guduscani domum regressi, iterum à Borna subiguntur. At Liudewicus occasionem nactus, cum valida manu Decembrio mense Delmatiam ingressus, ferro & igni cuncta deuastauit. Cui cum Borna se penitus imparem conspiceret, omnia sua castellis inclusit, & ipse cũ delecta manu nunc à tergo, nunc a latere insistens, Liudewici copias & noctu & interdiu, quacunque poterat, lacerauit. Neq; eum in sua prouincia impune versari permisit. Ad extremum, graui damno affectum, regione sua coegit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis, & trecentis vel eo amplius camelis † captis, præter sarcinas & spolia diuersi generis direpta. Quæ qualiter gesta fuerint, per legatos suos Imperatori nunciare curauit. At in partibus occiduis Pipinus Imperatoris filius, iussu patris, Vasconiam cum exercitu ingressus, sublatis ex ea seditiosis, totam eam prouinciam ita pacauit, vt nullus in ea rebellis aut inobediens remansisse videretur. Harioldus quoque, iussu Imperatoris ad naues suas per Abodritos reductus in patriam, quasi regnum ibi accepturus, nauigauit. Cui se duo ex filiis Godefridi, quasi vna cum eo regnum habituri, sociasse dicuntur, aliis duobus patria expulsis. Sed hoc dolo factum putatur.

Imperator conuentu dimisso, primo Cruciniacum †, deinde Bingiam veniens, secunda aqua Confluentem vsque per Rhenum nauigauit: inde Arduennam venandi gratia proficiscitur: venatorio quoque exercitio (more solenni) ibidem exacto, Aquasgrani ad hyemandum reuertitur.

Conuentus Aquisgran. Extant hæc, edita Coloniæ.1549. Edita per P. Pith. — Liudevviti rebellio. — Timotiani. — Borna conatus. — al. Colampium. — al. Dramogasus. — al. Caballis. — Vasconum pacatio. — Harioldus in Daniam. — hod. Creutzenach.

De expeditione in Liudevvicum Bornæ consilio. Beræ in singulari pugna oppreßione: Liudevvici in castellum receptione: de fœdere cum Abulamo icto & rupto: de Nortmannis pyraticis à Flandris & Sequanæ ostiis pulsis, Aquitaniam vero prædatis: pestilentia tetra: aeris & imbrium intemperie graui, & eclipsi Lunæ.

DCCCXX.

MEnse Ianuario conuentus ibidem habitus: in quo de Liudewici defectione deliberatum est, vt tres exercitus simul, ex tribus partibus, ad deuastandam eius regionem,

gionem, atq; ipſius audaciam coercendam mitterentur. Borna quoque primo per legatos, deinde ipſe veniens, quid ſibi facto opus eſſe videretur ſuggeſſit. In eo conuentu Bera comes Barcinonæ, qui iam diu fraudis & infidelitatis à vicinis ſuis inſimulabatur, cum accuſatore ſuo equeſtri pugna confligere conatus, vincitur. Cumque, vt reus maieſtatis, capitali ſententia damnaretur, parſum eſt ei miſericordia Imperatoris, & Rothomagum in exilium deportatus eſt. *Duellum.*

Tranſacta hyeme, vt primum herba pabulum iumentis præbere potuit, tres illi exercitus contra Liudewicum mittuntur. Quorum vnus de Italia per Alpes Noricas, alter per Carãtanorum prouinciã, tertius per Baioariam & Pannoniam ſuperiorem, intrauit: & duo quidẽ, id eſt dexter & ſiniſter, tardius ingreſſi ſunt: eo quod vnus Alpium tranſitu, hoſtium manu reſiſtente, prohibebatur: alter & lõgitudine itineris, & Drauo flumine, quod traiiciendum erat, impediebatur. Medius aũt qui per Carantanos intrabat, quãquam in trib. locis ei reſiſteretur, feliciore vſus fortuna, ter hoſte ſuperato, Drauo etiã tranſmiſſo, celerius ad loca deſtinata peruenit. Contra hæc Liudewicus nihil molitus, munitione tantũ caſtelli, quod in arduo monte cõſtruxerat, ſe ſuoſq; continuit: & nec belli nec pacis, vel per ſemetipſum vel per legatos, vllum cum eis ſermonẽ habuiſſe dicitur. *Liudevviti in caſtellum receptio.* Exercitus vero poſtquam in vnum cõuenerunt, totã pene regionem ferro & igni deuaſtantes, haud vllo graui damno accepto, domum reuerſi ſunt. Is tamẽ qui per Pannoniam ſuperiorem iter fecerat, in tranſitu Draui fluminis, ex locorum & aquarum inſalubritate, ſoluti ventris incommodo grauiter affectus eſt: & pars eius nõ modica hoc morbo cõſumpta eſt. Ii tres exercitus, de Saxonia & orientali Francia, & Alemannia & Baioaria quoque, atq; Italia cõgregati ſunt. Quibus domum reuerſis, Carniolẽſes† qui circa Sauum fluuium habitabant, & Forojulienſibus pene contigui ſunt, Baldrico ſeſe dediderunt. *al. Carniolenſes.* Idem & pars Carãtanorum, quæ ad Liudewici partes à nobis defecerat, facere curauit. Fœdus inter nos & Abulamum regem Hiſpaniæ conſtitutum, & neutræ parti ſatis proficuum, cõſulto ruptum, bellumq; aduerſus eum ſuſceptum eſt. *Fœdus cum Abulamo. al. Abalaz.* In Italico mari octo naues negociatorum, de Sardinia ad Italiam reuertentium, a piratis captæ ac demerſæ ſunt. De Nortmannia vero tredecim piraticæ naues egreſſæ, primo in Flandrenſi littore prædari molientes, ab his qui in præſidio erant repulſæ ſunt: vbi tamen ab eis, propter cuſtodum incuriam, aliquot caſæ viles incenſæ, & paruus pecoris numerus abactus eſt: *Normanni piratæ à Flandrenſib. deprehenſi.* In oſtio Sequanæ ſimilia tentantes, reſiſtentibus ſibi littoris cuſtodibus, quinque ſuorum interfectis irritæ receſſerunt. Tandem in Aquitanico littore proſperis vſæ ſucceſſibus, vico quodam, qui vocatur Bundium, ad integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reuerſæ ſunt.

Hoc anno, propter iuges pluuias & aerẽ nimio humore ſolutum, magna incõmoda contigerunt. Nam & hominum & boum peſtilentia tã immanis longe lateq; graſſata eſt, vt vix vlla pars totius regni Francorum, ab hac peſte immunis atq; intacta poſſet inueniri. *Peſtilentia.* Frumenta quoq; & legumina imbrium aſſiduitate corrupta, vel colligi non poterant, vel collecta computreſcebant. *Anni intemperies.* Vinum etiam, cuius paruus prouentus eodem anno fuit, propter caloris inopiam acerbum & inſuaue fiebat. In quibuſdam vero locis, de inundatione fluminum aquis in plano ſtagnantibus, autumnalis ſatio ita impedita eſt, vt penitus nihil frugum ante vernã temperiem ſeminaretur. Luna defecit VIII. Kal. Decemb. hora noctis ſecunda. *Eclipſis lunæ* Imperator poſt actum Cariſiaci conuentum, autumnalemque venationem (ex more) completam, Aquaſgrani reuerſus eſt.

De bello in Liudevvicum & Hiſpanos conſultatione. De confirmata regni inter filios diuiſione: Põtificis legatis: Bornæ obitu: Leonis Imp. cæde: Fortunati epiſcopi fuga: Lotharii Hymenæis: Ludouici Imp. in coniurationis conuictos clementia: de rebus Danicis: Sclaomiri aut Sclaomiris obitu: de anni intemperie, & hyemis aſperitate.

DCCCXXI.

COnuẽtus menſe Februario Aquiſgrani habitus: & in eo de bello Liudewitico tra- *De bello conſultatio.*

ctatum: ac tres exercitus ordinati, qui futura æſtate perfidorum agros, per vices vaſtarent. Simili modo de marcha Hiſpana conſtitutum: & hoc illius limitis præfectis imperatum.

Nouiomagū

Iterumque conuentus, menſe Maio Nouiomagi habendus condictus eſt, comites qui illuc venirent deputati. Eo dominus Imperator, poſt feſti Paſchalis expletionem, per Moſam nauigauit: ibique conſtitutam annis ſuperioribus, atque conſcriptam, inter filios ſuos regni partitionem recenſuit, ac iuramentis optimatum, qui

Legati Paſchalis pon.

tunc adeſſe poterant, confirmauit. Suſceptiſque ibidem Paſchalis Romani pontificis legatis, Petro videlicet Centūcellenſi epiſcopo & Leone nomenclatore, eiſdemq; celeriter abſolutis, Comitibus etiā qui aderant ad expeditionem Pannonicam deſtinatis, ipſe paululum ibidem remoratus, Aquaſgrani reuerſus eſt: & poſt paucos dies per Ar-

h. Rumersberg.

duennam iter faciens, Treueros ac Mettos venit: indeq; Rumerici caſtellum † petens, reliquum æſtiui caloris & autumni dimidium exercitatione venatoria, in Voſegi ſaltu

Borna obit.

atque ſecretis, exegit. Interea Borna dux Delmatiæ atque Lyburniæ ex hac luce migrauit: & petente vniuerſo populo, atque ipſo etiam Imperatore conſentiente, nepos

MS. Ladaſclauus.

illius nomine Ladislaus † ſucceſſor ei conſtitutus eſt. Allatum eſt & de morte Leo-

Leo Imp. caſus.

nis Conſtantinopolitani Imperatoris, quod conſpiratione quorundam optimatum ſuorum, & præcipue Michaelis Comitis domeſticorum, in ipſo palatio ſit interēptus: Qui ſuffragio ciuium, & prætorianorum militum ſtudio, infulas imperii ſuſcepiſſe di-

vel, Veneticorum.
Inſ. an. 824

citur. Fortunatus patriarcha Gradenſis †, cum a quodam presbytero ſuo (nomine Tyberio) apud imperatorem fuiſſet accuſatus, quod Liudewicum ad perſeuerandum in perfidia qua cœperat hortaretur, eumque ad caſtella ſua munienda, artifices & murarios mittendo, iuuaret, & ob hoc ad palatium ire iuberetur, primo velut iuſſionem impleturus, in Iſtriam profectus eſt: inde ſimulato reditu ad Gradum ciuitatem (nullo ſuorum, præter eos cum quibus hoc tractauerat, ſuſpicante) nactus occaſionem clam enauigauit: veniensq; Iaderam ciuitatem Delmatiæ, Ioanni præfecto prouinciæ illius fugæ ſuæ cauſas aperuit: Qui cum ſtatim naui impoſitum Conſtantinopolim miſit.

hod. Thionuille.

Medio menſe Octobrio, conuentus generalis apud Theodonis villam †, magno populi Francorum frequentia celebratur: in quo domnus Lotharius, primogenitus domni Imperatoris Ludouici, Irmingardem Hugonis comitis filiam, ſolenni more duxit vxorem. Illuc etiā legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ, Theodorus Primicerius ac Florus, ſuper iſta cum magnis venere muneribus. Affuerunt & Comites in eodem conuentu iam de Pannonia regreſſi: qui depopulata deſertorum & Liudewico adhærentium vniuerſa regione, cum nullus eis copiam pugnandi feciſſet, domum regreſſi ſunt. Eminuit in hoc placito piiſſimi Imperatoris miſericordia ſingularis, quam oſtendit ſuper eos, qui cum Bernardo nepote ſuo in Italia contra caput & regnum ſuum coniura-

Ludouici Imp. in coniuratos pietas.
Adalhardū. al. Bernhardum.

uerunt. Quibus ibi ad præſentiam ſuam venire iuſſis, non ſolum vitam & membra conceſſit, verum etiam poſſeſſiones, iudicio legis in fiſcum redactas, magna liberalitate reſtituit. Adhalardum † quoque de Aquitania (vbi exulabat) euocatum, Corbeiæ monaſterii, vt prius fuerat, Abbatem ac rectorem eſſe iuſſit. Cum quo & Bernardum fratrē eius reconciliatum, eidem monaſterio reddidit. Completiſque his quæ ob regni vtilitatem inchoauerat, & ſacramento quod apud Nauiomagum pars optimatum iurauerat, generaliter conſummato, ipſe Aquaſgrani reuertitur: filium autem Lotharium, poſt nuptias ritu ſolenni celebratas, ad hyemandum Warmatiam miſit. De parte Da-

Harioldus in partē regni receptus.

norum omnia quieta eo anno fuerunt: & Harioldus à filiis Godefridi in ſocietatem regni receptus. Quæ res tranquillum inter eos huius temporis ſtatum feciſſe putatur. Sed quia Ceadragus, Abodritorum princeps, perfidiæ & cuiuſdam cum filiis Godefri-

al. Fictæ.
Sclaomiri obitus.
Anni intemperies.

di factæ † ſocietatis notabatur, Sclaomir æmulus eius in patriam remittitur. Qui cum in Saxoniam veniſſet, ægritudine decubuit, perceptoque baptiſmatis ſacramento defunctus eſt. Autumnalis ſatio, iugitate pluuiarum, in quibuſdam locis impedita eſt: cui hyems in tantum prolixa ſucceſſit & aſpera, vt non ſolū minores riui ac mediocres fluuii, verum ipſi maximi ac famoſiſſimi amnes, Rhenus videl. ac Danubius, Albiſque ac

Hyems aſperrima.

Sequana, cæteraque per Galliam atq; Germaniam Oceanum petētia flumina, adeo ſolida glacie ſtringerentur, vt tricenis, vel eo amplius, diebus plauſtra huc atque illuc commeantia, velut pontibus iuncta, ſuſtinerent. Cuius reſolutio, non modicum villis iuxta Rheni fluenta conſtitutis damnum intulit.

De cespite prodigiose sublato, & de aggere prodigiose eiecto: de VVinnigisi ducis monachatu & obitu: Ludouici pœnitentia publica: Ludevvici ad Sorabos perfugio & perfidia: De castro à Saxonibus ædificato: de gestis in Hispania: expeditione in Britones: Lotharii in Italiam missione: Pipini nuptiis: & legatis orientalibus.

DCCCXXII.

IN regione Thuringorum, quodam in loco iuxta flumen, cespis† longitudine pedum quinquagenum, latitudine quatuordenum, altitudine sesquipedali, de terra, sine manibus & præcisus & sublatus est: & ab eo loco in quo sumptus est, vigintiquinque pedum spatio distans inuentus est. Item in parte orientali Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco, iuxta lacum qui dicitur Aruseus†, in modum aggeris terra intumuit, & limitem vnius leucæ longitudine porrectum, sub vnius noctis spatio, absque humani operis molimine, ad instar vallis subrexit. Winnigisus dux Spoletanus iam senio confectus, habitu sæculari deposito, monasticæ cōuersationi se mancipauit. Ac non multo post, tactus corporis infirmitate decessit. In cuius locum Suppo, Brixiæ ciuitatis comes substitutus est. Dominus Imperator consilio cum Episcopis & optimatibus suis habito, fratribus (quos inuitos tonderi iussit) reconciliatus est: & tam de hoc facto, quam etiam de his quæ erga Bernardum filium fratris sui Pipini, necnon & his quæ contra Adhalardum abbatem (vt supra dictum est) & fratrem eius Gualachum† gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit: Quod tamen in eodem conuentu, quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in præsentia totius populi peregit: in quo quicquid similium rerum vel à se, vel à patre suo, factum inuenire potuit, summa deuotione emendare curauit. Exercitus de Italia, propter Liudewiticum bellum conficiendum, in Pannoniam missus est. Ad cuius aduentum, Liudewicus, Siscia ciuitate relicta, ad Sorabos (quæ natio magnam Delmatiæ partem obtinere dicitur) fugiendo se contulit: & vno ex Ducibus eorum, à quo receptus est, per dolum interfecto, ciuitatem eius in suam redegit ditionem. Misit tamen ad exercitum Imperatoris legatos suos: quibus ad eius præsentiam se venire velle promisit. Saxones interea iussu Imperatoris, castellum quoddam trans Albiam, in loco cui Delbende nomen est, ædificant, depulsis ex eo Sclauis qui illud prius occupauerant: præsidiumque Saxonum in eo positum est, contra incursiones illorum. Comites marchæ Hispanicæ trans Sicorim fluuium in Hispaniam profecti, vastatis agris, & incensis compluribus villis, & capta non modica præda, regressi sunt. Simili modo post æquinoctium autumnale, à comitibus marchæ Britannicæ, in possessionē cuiusdam Britonis qui tunc rebellis extiterat, nomine Wihomarcus, expeditio facta: & omnia ferro & igni vastata sunt. Peracto conuentu qui Attiniaci habebatur, dominus Imperator venandi gratia Arduennam petiit: Lotharium vero filium suum in Italiam misit. Cum quo Walachum monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adhalardi abbatis, & Gerungum ostiariorum magistrum, vna direxit: quorum consiliō & in re familiari, & in negotiis ad regni commoda pertinentibus, vteretur. Pipinum autem in Aquitaniam ire præcepit. Quem tamen prius filiam Teutberti, comitis Matricensis, in coniugium fecit accipere: & post nuptias celebratas, ad occiduas partes proficisci. Ipse vero peracta autumnali venatione, trans Rhenum, ad hyemandum in loco qui Franconofurd appellatur, profectus est: ibique generali conuentu cōgregato, necessaria quæque, ad vtilitatem orientalium partium regni sui pertinentia, more solenni, cum optimatibus quos ad hoc euocare iusserat, tractare curauit. In quo conuentu, omnium orientalium Sclauorum, id est Abodritorum, Soraborum, Vultzorum, Bohemiorum †, Moramorum †, Prædenecentorum, & in Pannonia residentium Auarum, legationes cum muneribus ad se directas audiuit. Fuerunt

Arborem dicit Sabellic. in fine Ennead 8.
MS. Arnseo.
Winnigisus fit monachus obitque.
Suppo dux.
al. Valahun.
Ludouici Imp. reatus.
Liudevviti ad Sorabos fuga perfidiaque.
Delbende.
Hispania res.
Expeditio in Britones.
Lotharius.
Pipinus.
Francofurdens. conuentus.
Orientales Slaui.
al. Behaimorum.
al. Marvanorum.

in eodem conuentu & legationes de Normannia, tam de parte Harioldi, quam filiorum Godefridi. Quibus omnibus auditis ac dimissis, ipse in eodem loco, constructis ad hoc opere nouo ædificiis, sicut dispositum habuerat, hyemauit.

De conuentu orientalibus Francis indicto: Disceptatione fratrum duorum de regno Vultzorum: Accusatione passiua Ceadragi Abodritorum principis: Lotharii Romam accessione: & insignium Imperii susceptione: Drogonis rectoratu: Liudevviti morte: de Theodorii & Leonis primi apud Papam officii excæcatione & capitali supplicio: & de authoris eius per Imperatorem inquisitione: de Paschalis purgatione suspecta: Ceadragi & Harioldi Compendium usq; accessu: de prodigiis & anni intemperie & pestilentia.

DCCCXXIII.

Orientalis Francia.

MEnse Maio conuentus in eodem loco habitus: in quo non vniuersi Franciæ primores, sed de orientali Francia, atque Saxonia, Baioaria, Alemannia, atque Alemanniæ contermina Burgundia, & Rheno adiacentibus regionibus, adesse iussi sunt. In quo, inter cæteras Barbarorum legationes, quæ vel iussæ, vel sua sponte, venerunt, duo fratres Reges videl. Vultzorum, controuersias inter se de regno habentes, ad præsentiam Imperatoris venerunt (quorum nomina sunt Milegastus & Celeadragus) Erãt iidem filii Liubi regis Vultzorum: qui licet cum fratribus suis regnum diuisum teneret, tamen propterea quod maior natu erat, ad eum totius regni summa pertinebat. Qui cum commisso cum orientalibus Abodritis prælio interisset, populus Vultzorum filium eius Milegastum, quia maior natu erat, regem sibi constituit. Sed cum is secundum ritum gentis commissum sibi regnum parum digne administraret, illo abiecto, minori fratri regium honorem deferunt. Quam ob causam ambo ad præsentiam Imperatoris venerunt: quos quum audisset, & gentis voluntatem proniorem in iunioris fratris honorem agnouisset, statuit vt is delatam sibi à populo suo potestatem haberet: ambos tamen muneribus donatos, & sacramento firmatos, in patriam remisit.

Vultzorum fratrum disceptatio.

Ceadragus accusatur.

Accusatus est in eodem placito, apud Imperatorem, Ceadragus Abodritorum princeps, quod se erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad Imperatoris præsentiam iam diu venire dissimulasset. Propter quod ad eum legati directi sunt: cum quibus ille, iterum quosdam ex primoribus gentis suæ ad Imperatorem misit: perque illorum verba promisit, *Se ad proximum hyemis tempus ad illius præsentiam esse venturum.*

Lotharius Rom. venit.

Lotharius vero cum secundum patris iussionem in Italia iustitias faceret, & iam se ad reuertendum de Italia prçpararet, rogante Paschali papa Romam venit & honorifice ab illo susceptus, in sancto Paschali die, apud sanctum Petrum & regni coronam, & Imperatoris atque Augusti nomen accepit. Inde Papiam regressus, mense Iunio ad Imperatorem venit. Qui cum Imperatori de iustitiis in Italia à se partim factis, partim inchoatis fecisset iudicium, missus est in Italiam Adhalardus comes palatii, iussumque est vt Mauringum Brixiæ comitem secum assumeret, & inchoatas iustitias perficere curaret.

Drogo rector Mettensis ecclesiæ.

Drogonem fratrem eius, sub canonica vita degentem, rectorem constituit Mettensis ecclesiæ, clero eiusdem vrbis consentiente atque eligente: cumque ad pontificatus gradum censuit promoueri. In eodem conuentu, tempus & locus alterius conuentus habendi condictus est, Nouember videl. mensis, & Compendii palatium. Peractoq; placito & dimissis primoribus, cum Imperator iam inde digredi statuisset, allatũ est ei de interitu Liudewici: quod relictis Sorabis, cum in Delmatiam ad Liudewislum† auunculũ Bornæ ducis peruenisset, & aliquantũ temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius esset interfectus. Nunciatũ est etiã Theodorum S. Romanę ecclesiæ primiceriũ, & Leonem nomenclatorem generũ eius in patriarchio Lateranensi primo excæcatos, ac deinde fuisse decollatos: & hoc eis ob hoc cõtigisse, q; se in omnibus fideliter erga partes Lotharii, iuuenis Imperatoris, agerẽt. Erant & qui dicerent, vel iussu, vel consilio, Paschalis põtificis rem fuisse pͥpetratam: ad q; explorandum ac diligenter

Ludemubslum. Theodori Leonisque interitus.

genter inuestigandum, missi sunt Adalungus abbas monasterii sancti Vedasti, & Hunfridus comes Curiensis. Sed antequam illi fuissent profecti, venerunt legati Paschalis pontificis, Ioannes episcopus Syluæ candidæ, & Benedictus archidiaconus sanctæ sedis Apostolicæ, rogantes Imperatorem vt illam infamiam à Pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur. Quibus cum ille iuxta quod ratio postulabat respondisset, eosque dimisisset, prædictos legatos suos ad inuestigandam rei veritatem (sicut prius disposuit) Romam ire præcepit. Ipse vero reliquum æstatis tempus in pago Warmacensi, ac deinde in Arduenna sylua transigens, peracta autumnali venatione, ad Kal. Nouemb. (sicut condixerat) Compendium venit. *Paschalis purgatio suspecta.*

Legati Romam venientes, rei gestæ certitudinem assequi non potuerunt: quia Paschalis pontifex & se ab huius facti communione, cum magno Episcoporum numero, iureiurando purificauit, & interfectores prædictorum hominum, quia de familia sancti Petri erant, summopere defendens, mortuos velut maiestatis reos cōdemnauit, iureque cæsos pronunciauit: atque ob hoc, cum prædictis, qui ad eum missi fuerant legatis, Ioannem Syluæ candidæ episcopum, & Sergium Bibliothecarium, Quirinum quoque subdiaconum, ac Leonem magistrum militum, ad Imperatorem misit. Qui cum tam per illos, quam per suos legatos, de sacramento Pontificis & excusatione reorum, comperisset, nihil sibi vltra in hoc negotio faciendum ratus, memoratum Ioannem episcopum & socios eius, ad Pontificem dato conuenienti responso, remisit.

Ceadragus Abodritorum princeps, pollicitationibus suis adhibens fidem, cum quibusdam primoribus populi sui Compendium venit: dilatique per tot annos aduentus sui rationem, coram Imperatore non improbabiliter reddidit. Qui licet in quibusdam causis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum suorum, non solum impunitus, verum muneribus donatus, ad regnum redire permissus est. Venerat & Harioldus de Normannia, auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patria pellere minabantur. Ob cuius causam diligentius explorandam, ad eosdem filios Godefridi Theotharius & Ruodinandus comites missi fuerunt: qui & causam filiorum Godefridi, & statum totius regni Normannorum diligenter explorantes, aduentum Harioldi præcesserunt: & Imperatori, omnia quæ in illis partibus comperire potuerunt, patefecerunt. Cum quibus & Ebbo Remorum archiepiscopus, qui consilio imperatoris & auctoritate Romani pontificis, prædicandi gratia ad terminos Danorum accesserat æstate præterita, & multos ex eis ad fidem venientes baptizauerat, regressus est. *Ceadragus Compendium venit.* *Harioldi petitio.* *Nordmanni Dani.* *Ebbo fidem Danis prædicat.*

Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur: in quibus præcipua fuerunt, in Aquensi palatio terremotus, & in territorio Tullensi iuxta villam Commerciacū puella quædam annorum fere duodecim, ab omni cibo per decem menses abstinens. Et in Saxonia in pago qui vocatur Fiuhsazi † viginti tres villæ igne cœlesti concrematæ, & fulgura sereno atque interdiu de cœlo cadentia: At in territorio † Comensi Italiæ ciuitatis, in vico Grabadona in ecclesia sancti Ioannis Baptistæ imago sanctæ Mariæ, puerum Iesum suo gremio continens ac Magorum munera offerentium, in absida eiusdem ecclesiæ depicta, & ob nimiam vetustatem iam pene abolita, tāta claritate per duorum dierum spatia effulsit, vt omnem splendorem nouæ picturæ, suæ venustatis pulchritudinem cernentibus penitus vincere videretur. Magorum tamen imagines, præter munera quæ offerebant, minime claritas illa irradiauit. Et in multis regionibus fruges grandinis vastatione deletæ: atque in quibusdam locis, simul cum ipsa grandine, veri lapides atque ingentis ponderis decidere visi. Domus quoque de cœlo tactæ: hominesque ac cætera animalia passim fulminum ictu, præter solitum, crebro exanimata dicuntur. Secuta est ingens pestilentia atque hominum mortalitas, quæ per totam Franciam immaniter vsquequaque grassata est, & innumeram hominum multitudinem diuersi sexus & ætatis, grauissime sæuiendo consumpsit. *Puella inedia addit. ref. an. 825.* *al. Scethsazi.* *Cometensi.* *Picturæ subito splendor.* *Grandinis vis.* *Pestilentia.*

De Bulgarorum regis legatione: hyemis asperitate: Lunæ eclipsi: Supponis & Paschalis obitu: Eugenii electione: Lotharii gratulatione: Britonica expeditione: Michaelis Imp. legati: Venetorum patriarcha: consultatione super imaginum è templis deletione: De Abodritorum querela in Bulgaros: de comitibus Spoletanis: Vasconum strage: & ducum captione per insidias: de Romanorum per Lotharium correctione, & glaciei è cœlo casu.

DCCCXXIV.

Bulgarorum legatio.

REx vero Bulgarorum, velut pacis faciendæ gratia, legatos ad Imperatorem cum literis misit. Quos ille cum audiisset, ac literas quæ allatæ fuerant legisset, rei nouitate (non immerito) permotus ad explorandum diligentius insolitæ, & nunquam prius in Franciam venientis, legationis causam, Machelinum quendam de Baioaria, cum ipsis legatis ad memoratum regem Bulgarorum direxit.

Hyems prolixa.

Interea hyems aspera valdeque prolixa facta est: quæ non solum cætera animalia, verum etiam homines quosdam immanitate frigoris extinxit.

Eclipsis Lunæ.

Luna defecit pridie Non. Martii hora noctis secunda.

Obitus Supponis.

Suppo dux Spoletanus decessisse nuntiatur. Interea legati Romani pontificis Romam regressi, eundem valida infirmitate detentum ac morti proximum inuenerunt: qui etiam, paucis post aduentum illorum exactis diebus, vita decessit.

Eugenius papa.

In cuius locum cum duo per contentionem populi fuissent electi, Eugenius tamen archipresbyter, tituli sanctæ Sabinæ, vincente nobilium parte, subrogatus atque ordinatus est. Cuius rei nuntium cum Quirinus subdiaconus (vnus ex his qui priori legatione fungebantur) ad Imperatorem detulisset, conuentu circiter VIII. Kalend. Iulii pronunciato, atque Compendii habito, ipse ad Britannicam expeditionem per se faciendam animo intento, Lotharium filium imperii socium, Romam mittere decreuit: vt vice sua functus, ea quæ rerum necessitas flagitare videbatur, cum nouo Pontifice populoque Romano statueret atque firmaret.

Lotharius Romam it.

Et ille quidem ad hæc exequenda, post medium Augustum in Italiam profectus est: Imperator vero iter, quod in Britanniam facere parauerat, propter famem, quæ adhuc prævalida erat, vsque ad initium Autumni aggredi distulit.

Pipinus Redonas venit. hod. Renes.

Tum demum adunatis vndique omnibus copiis Redonas ciuitatem, terminis Britanniæ contiguam, venit: & inde diuiso in tres partes exercitu suo, duobus scilicet partibus filiis suis, Pipino & Ludouico, traditis, tertiaque secum retenta, Britanniam ingressus, totam ferro & igni deuastauit.

Britones victi.

Consumptisque in hac expeditione quadraginta, vel eo amplius diebus, acceptis quoque à perfido Britonum populo quos imperauerat obsidibus, ad Rothomagensem ciuitatem, vbi coniugem se opperiri iusserat, ad XV. Kalend. Decemb. reuersus est.

Legati Michaelis Imp. & Venetorum.

Nam & illuc legatos Michaelis Imperatoris, qui ad eum mittebantur, sibi occurrere iussit. Cum quibus & Fortunatus patriarcha Veneticorum regressus, ad eius venit præsentiam. Sed legati Imperatoris literas & munera deferentes, pacis confirmandæ causa se missos esse dicentes, pro Fortunato nihil locuti sunt.

De imaginum Sanctorum deletione.

Inter cætera tamen ad legationem suam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt: propter quæ se Romam ire, atque Apostolicæ sedis præsulem consulere debere dixerunt. Quos cum legatione eorum audita ac responso reddito, absolueret, Romam vt se velle dicebant, ducere iussit. Fortunatum etiam de causa fugæ ipsius percontatus, ad examinandum eum Romano pontifici direxit. ipse Aquisgrani, vbi hyemare statuerat, profectus est. Quo cum venisset, & ibi Natalem Domini celebrasset, allatum est ei, quod

Legati Bulgarorum, & Abodritorum, Pradenecenti.

legati Bulgarorum essent in Baioaria. Quibus obuiam mittens, ipsos quidem vsque ad tempus congruum ibidem fecit opperiri: cæterum legatos Abodritorum, qui vulgo *Pradenecenti* vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adiacentem incolunt,

colunt, qui & ipsi aduentare nuntiabantur, illico venire permisit. Qui cum de Bulgarorum iniqua infestatione quererentur, & contra eos auxilium sibi ferri deposcerent, domum ire, atq; iterum ad tempus Bulgarorum legatis constitutum, redire iussi sunt. Suppone apud Spoletum (sicut dictum est) defuncto, eundem ducatum Adalhardus comes palatii, qui Iunior vocabatur, accepit. Qui cum vix quinque menses eodem honore potitus esset, correptus febre decessit. Cui cum Moringus Brixiæ comes successor esset electus, nuntio honoris sibi deputati accepto, lecto decubuit, & paucis interpositis diebus vitam finiuit. Æblus & Asinarius comes cum copiis Vasconum ad Pampilonem missi, cum peracto iam sibi iniuncto negocio reuerterentur, in ipso Pyrenæi montis iugo, perfidia Montanorum in insidias deducti ac circumuenti, capti sunt, & copiæ quas secum habuêre pene vsque ad internecionem deletæ: & Æblus quidem Cordubam missus: Asinarius vero eorum misericordia qui eum ceperant, quasi qui consanguineus eorum esset, domũ redire per missus est. Lotharius vero iuxtà patris mandatum Romam profectus, ab Eugenio pontifice honorifice suscipitur. Cui cum iniuncta sibi patefecisset, statum populi Romani, iamdudum quorundam peruersitate præsulum deprauatum, memorati Pontificis beneuola assentione ita correxit, vt omnes qui rerum suarum direptione grauiter fuerant desolati, de receptione bonorum suorum, quæ per illius aduentum (Deo donante) prouenerat, magnifice sint consolati.

Adalhardus comes Spoletanus.

Æblus & Asinarius in insidiis capti.

Lotharius Rom. corrigit.

Hoc anno paucis ante solstitium æstiuale diebus in territorio Augustidunensi, aëre in tempestatem subita mutatione conuerso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur: cuius longitudo quindecim, latitudo septem, crassitudo duos pedes habuisse dicitur.

Fragmen ingens glaciei decidit superne.

De Bulgarorum legatione audita: de astu & perfidia ac cæde Britanni hominis seditiosi: de legatis Danorum: de puella stupenda abstinentia ab omni alimento, & instaurata comestione.

DCCCXXV.

SAcro Paschali festo solenniter Aquisgrani celebrato, arridente etiam verna temperie, Imperator venandi gratia Nouiomagum profectus, legatos Bulgarorum circa medium Maium Aquasgrani venire præcepit: nam tum illuc reuerti statuit, habiturus ibi conuentum, quem de Britannia regressus, eo se tempore ibidem habere velle optimatibus indicauerat. Quo cum peracta venatione fuisset reuersus, Bulgaricam legationem audiuit: Erat enim de terminis ac finibus inter Bulgaros ac Francos constituendis. Affuerunt in eodem conuentu pene omnes Britanniæ primores: inter quos & Wihomarcus: qui perfidia sua & totam Britanniam conturbauerat, & obstinatione stultissima, ad memoratam expeditionem illo faciendam Imperatoris animũ prouocauerat. Tandem saniori vsus consilio, ad fidem Imperatoris (vt ipse dicebat) venire nõ dubitauit. Cui cum Imperator & ignosceret, & muneribus donatum, vna cum cæteris gentis suæ primoribus, domum ire permitteret, promissam fidem (vt prius consueuerat) gentili perfidia commutauit, vicinos suos incendiis & direptionibus in quantum potuit infestare non cessans, donec ab hominibus Lamberti comitis in domo propria circumuentus atque interfectus est. Imperator vero audita Bulgarorum legatione, per eosdem, qui ad eum missi fuerant, legatos Regi eorum missis literis prout videbatur respondit: dimissoque conuentu, in Vosegum ad Rumericum montem venandi gratia profectus, filium suum Lotharium ex Italia regressum, ibique ad se venientem suscepit. Ac peracta venatione Aquasgrani rediens generalem populi sui conuentum more solenni mense Augusto habuit: in quo conuentu, inter cæteras legationes quæ de diuersis partibus venerunt, etiam filiorum Godefridi de Nordmannia legatos audiuit: ac pacem, quam iidem sibi dari petebant, cum eis in marcha corũ, mense Octobrio confirmari iussit. Cõpletisq; omnibus negotiis, quæ ad

Legati Bulgarorum.

Wihomarci Britanni astus & perfidia.

Legati filiorum Godefridi Nordmanni.

illius conuentus rationem pertinere videbantur, Nouiomagum cum filio maiore ſeceſſit: minorem vero filium ſuum, Ludouicum, in Baioariam direxit. Ipſe autem autumnali venatione completa circa hyemis initium Aquaſgrani reuerſus eſt. In territorio Tullenſi iuxta Commerciacum villam, puella quędam annorum circiter duodecim, poſt ſacram communionem quam in Paſcha de ſacerdotis manu ſumendo perceperat, primo pane, deinde aliis omnibus cibis & potibus abſtinendo, intantum ieiunaſſe perhibetur, vt nulla penitus corporis alimenta percipiens, ſine omni victus deſiderio plenum triennium compleuerit. Cœpit autem ieiunare anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXIII. (ſicut in ipſius anni deſcriptione ſuperius annotatum) & hoc anno, id eſt, DCCCXXV. circa Nouembris menſis initium, peracto ieiunio, eſcam ſumere, ac more cæterorum mortalium manducando, viuere cœpit.

Puella inedia triennalis.

Apud Math. Paris ſub anno 1225. alia ſeptennium.

De Bulgari poſtulatis: Conſultatione ſuper bello in Sarracenos ſuſcipiendo: Legatorum auditione: Ceadragi à ſuis accuſatione: Harioldi cum vxore & liberis baptizatione: Baldrici de Bulgaris denuntiatione: de organorum artifice: Aizonis ſceleribus & fuga: de Abodritorum legatis & rectoribus remiſſis: de reliquiis S. Sebaſtiani ad abbatem ſancti Dionyſii miſſis: & miraculis innumeris ad earum præſentiam factis: de Cœnobii S. Germani apud Parrhiſios abbate & ædificatore.

DCCCXXVI.

Cvm regi Bulgarorum legati ſui quid egerint renuntiaſſent, iterum eum quem primo miſerat, ad Imperatorem cum literis remiſit: rogans vt ſine morarum interpoſitione, terminorum definitio fieret: vel ſi hoc non placeret, ſuos quiſque terminos, ſine pacis fœdere, tueretur. Cui Imperator, quia fama erat Bulgarorum regem à ſuo quodam optimate aut regno pulſum aut interfectum, reſpondere diſtulit: illoque expectare iuſſo, propter famæ certitudinem comperiendam Bertricum † palatii comitẽ, ac Baldricum & Geroldum comites & Auarici limitis cuſtodes, in Carantanorum prouinciam, miſit. Qui cum reuerſus nihil certi, ſuper iis quæ fama vulgauerat, reportaſſet, Imperator legatum ad ſe vocatum ſine literis remeare fecit. Interea Pipinus rex, filius imperatoris (vt iuſſus erat) cum ſuis optimatibus & Hiſpanici limitis cuſtodibus, circiter Kalend. Febr. Aquaſgrani (nam ibi tunc Imperator hyemauerat) venit. Cum quibus cum de tuendis contra Sarracenos, occidentalium partium finibus eſſet tractatum, atque diſpoſitum, Pipinus in Aquitaniam regreſſus, æſtatem deputato ſibi loco tranſegit: Imperator vero medio menſe Maio Aquiſgrani egreſſus, circiter Kal. Iul. ad Ingilenheim † venit: habitoq; ibi conuentu non modico, multas & ex diuerſis terrarum partibus miſſas legationes audiuit & abſoluit: inter quas præcipua cæteriſq; præeminens erat, legatio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Romanæ videlicet eccleſiæ: qua fungebantur Leo Centumcellenſis epiſcopus & Theophylactus nomenclator: & de partibus tranſmarinis, Dominicus abbas de monte Oliueti: legati quoque filiorum Godefridi regis Danorum, pacis ac fœderis cauſa directi, & de Sclauorum regionibus, quidam Abodritorum primores, Ceadragum ducem ſuum accuſantes. Accuſabatur & Tungo † vnus de Soraborum primoribus, quod & ipſe dicto audiens non eſſet. Quorum vtrique denunciatum eſt, quod ſi medio Octobrio ad Imperatoris generalem conuentum venire diſtuliſſent, condignas perfidiæ ſuæ pœnas eſſe daturos. Venerunt & ex Britonum primoribus illi, quos illius limites cuſtodes adducere voluerunt. Eodem tempore Harioldus cum vxore & magna Danorum multitudine veniens Magontiacum, apud ſanctum Albanum cum his quos ſecum adduxit baptizatus eſt: multiſq; muneribus ab Imperatore donatus, per Friſiam qua venerat via, reuerſus eſt. Veritus autem piiſſimus Imperator, ne ob tale factum negaretur ei habitatio ſoli natu-

Bulgari poſtulata.

al. Baldricũ.

Conſultatio contra Sarracenos.

al. Ingilunheim. hod. Ingelheim.

al. Tungle.

Harioldus cum vxore & liberis baptizatur.

naturalis, dedit ei quendam comitatum in Frisia cuius vocabulum est Ruistri †, quo se suosque, si necessitas exigeret, tuto recipere posset. *[al. Riustri. al. Hristuri.]* Baldricus vero & Geroldus comites ac Pannonici limitis præfecti, in eodem conuentu affuerunt, & adhuc de motu Bulgarorum, aduersus nos, nil se sentire posse testati sunt. *[Baldrici legatio.]* Adduxit vero Baldricus domino Imperatori presbyterum quendam, Georgium nomine, bonæ vitæ hominem, qui se promitteret organum more posse Græcorum componere. *[Georg. presb. organorum artifex.]* Quem Imperator gratanter suscepit: & quia Deus illi, quæ ante se inusitata erant regno Francorum, attribuebat, gratiarum actiones reddidit, ac Tanculfo sacrorum scriniorum prælato commendauit, publicisque stipendiis curare iussit, & ea quæ huic operi necessaria forent præparare mandauit. Condictoque ac pronunciato ad medium Octobrium generali conuentu, cæteris omnibus more solenni absolutis, ipse trans Rhenum ad villam, quæ Saltz vocatur, cum suo comitatu profectus est. Ibique ad eum legati Neapolitanorum venerunt, atque inde accepto responso, ad sua regressi sunt. Ibi ad eius notitiam perlatum est de fuga ac perfidia Aisonis: quomodo fraudulenter Ausonam † ingressus, & a populo illo quem dolo deceperat receptus, totam ciuitatem destruxit: castella eiusdem regionis, quæ firmiora videbantur, communiuit: missoque ad Abdiramam regem Sarracenorum fratre suo, auxilium quod petebat, iussu eiusdem Regis contra nostros accepit. *[Aizonis fuga & scelera. al. Ausoniam.]* Sed Imperator licet huius rei nuntium grauiter ferret, nihil tamen inconsulte gerendum iudicans, consiliariorum suorum aduentum statuit opperiri. Transactaque autumnali venatione, ad Kalend. Octobris, per Mœnum fluuium, vsque ad Franconofurd, secunda aqua nauigauit: inde ad Ingilinheim medio Octobrio veniens, generalem ibi (vt condictum erat) populi sui conuentum habuit: in quo & Ceadragum Abodritorum ducem, necnon & Tunglonem, qui apud eum perfidiæ accusabantur, audiuit: & Tunglonem quidem, accepto ab eo filio eius obside, domum redire permisit. *[Abodritorum rectores remissi.]* Ceadragum vero, cæteris Abodritis dimissis secum retinuit: missisque ad populum Abodritorum legatis, si eum vulgus regnare vellet, perquirere iussit. Ipse autem Aquasgrani, vbi hyemare constituerat, profectus est. Cumque legati, quos ad Abodritos miserat, reuersi, nuntiassent variam gentis illius super Rege suo recipiendo sententiam, meliores tamen ac præstantiores quosque de illius receptione concordare, acceptis ab eo, quos imperauit, obsidibus, in regnum suum eum fecit restitui. Dum hæc aguntur, Hilduinus Abbas beati Dionysii monasterii, Romam monachos petitionis suæ baiulos, ad Eugenium sanctæ sedis Romanæ misit præsulem: flagitans ossa beatissimi Sebastiani martyris sibi transmitti. Cuius desiderio dominus Apostolicus satisfaciens, per prædictos missos sacratissimi Christi martyris misit exuuias: quæ religiosissime à prædicto viro exceptæ V. Idus Decemb. atque interim cum loculo vectatorio, vt allatæ sunt, apud Suessonam ciuitatem iuxta corpus beati Medardi sunt positæ. *[Reliquiæ S. Sebastiani.]* Quibus ibi consistentibus, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum, per diuinam gratiam in nomine eiusdem beatissimi Martyris enituit, vt à nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enuntiari. Quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, vt humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset dominum nostrum Iesum Christum (pro quo idem beatissimus martyr passus esse dignoscitur) omnia quæ vult facere posse per diuinam omnipotentiam: in qua illi omnis creatura in cœlo & in terra subiecta est. Ipse autem venerabilis Abbas præfatus Hilduinus, inter plurima quę ei Augustali benignitate cōmissa fuerant monasteria, habebat procurationem cœnobii nobilis in prospectu vrbis Suessorum, quod Clotharius quondam rex Francorum, filiusque eius Sygebertus, in honorem beatissimi Medardi confessoris Christi magnis construxerant sumptibus: in quo & eius sacratissima tumulauerant membra. *[Hilduinus Abbas.]* Simili modo prædictus Abbas post decessum * Irminonis, regebat locum sancti Vincentii leuitæ & martyris in suburbano vrbis Parrhisiacæ: vbi preciosus Christi confessor Germanus requiescit: quod Childebertus rex quondam Francorum inclytus, frater prædicti regis Clotharii, ædificauit. *[* Irimnonis.] [Cœnobii S. Vincentii, nunc S. Germani de Pratis, abbas & ædificator.]*

De motu Hispanico compresso: & Aizonis sceleribus: Abumarnani ibidem grassatione: prodigiis cœlestibus: Danorum ac Bulgarorum motibus: Paparum obitibus: legatis Imperatoris Graci: & tralatione corporum beatorum Marcellini & Petri per Heinardum.

DCCCXXVII.

Helisachar Legatus. *Aizonis facinora.* *al. Berani.*

IMperator Helisacharem presbyterum & abbatem, & cum eo Hildebrandum atque Donatum comites, ad motus Hispanicæ marchæ componendos misit. Ante quorũ aduentum, Aizo Sarracenorum auxilio fretus, multa eiusdẽ limitis custodibus aduersa intulit: atq; assiduis incursionibus in tantum fatigauit, vt quidam illorum relictis quæ tueri debuerant castellis, recederent. Defecit ad eum & filius Beræ † nomine Willemundus, necnon & alii complures nouarum rerum gentilitia leuitate cupidi: iunctiq; Sarracenis ac Mauris, Ceritaniam & Vallensem rapinis atq; incendiis quotidie infestabant. Cumq; ad sedandos ac mitigandos Gothorum atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos, Helisachar abbas cum aliis ab Imperatore missus, multa & propria industria & sociorum consilio prudenter administrasset; Bernardus quoq; Barcinonæ comes, Aizonis insidiis, & eorum qui ad eum defecerant calliditati ac fraudulentis machinationibus, pertinacissime resisteret, atq; eorum temerarios conatus irritos efficeret, exercitus à rege Sarracenorũ Abdiramano ad auxilium Aizoni ferendum missus, Cæsaraugustam venisse nuntiatur: supra quem Abumarnam † Regis propinquus dux cõstitutus, ex persuasionibus Aizonis haud dubiam sibi victoriã pollicebatur. Contra quem Imperator filium suũ Pipinum, Aquitaniæ regem, cum immodicis Francorum copiis mittens, regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, nisi ducum desidia quos Francorum exercitui præfecerat, tardius quã rerum necessitas postulabat, is quem ducebant ad marchã † venisset exercitus. Quæ tarditas in tantum noxia fuit, vt Abumarnam vastatis Barsionensium ac Gerundensium agris, villisq; incensis, cunctis etiam quæ extra vrbes inuenerat direptis, cũ incolumi exercitu Cæsaraugustam se prius reciperet, quam à nostro exercitu vel videri potuisset. Huius cladis præsagia credita sunt, visæ multoties in cœlo acies, & illi terribiles nocturnæ coruscationis in aëre discursus. Imperator autem duobus conuentibus habitis vno apud * Niumagam (propter falsas Honrici †, filii Godefridi regis Danorum, pollicitationes, quibus se illuc ad Imperatoris præsentiam venturum promiserat.) altero apud Compendium (in quo & annua dona suscepit, & iis qui ad marcham Hispanicam mittendi erant, quid vel qualiter agere deberent, imperauit) ipse intra Compendium & Carisiacum, cæteraq; iis vicina palatia, vsq; ad hyberni temporis initium conuersatus est. Interea reges Danorum, filii videlicet Godefridi, Herioldum de consortio regni eiicientes, Nordmannorum finibus excedere compulerunt. Bulgari quoq; Sclauos in Pannonia sedentes, misso per Drauum nauali exercitu, ferro & igni vastauerunt: & expulsis eorum ducibus, Bulgaricos super eos rectores constituerunt.

al. Abumarum. *i. collimitiã.* *Abumarnani grassatio.* ** Nouiomagum.* *al. Hobrici.* *Danorum motus.* *Bulgarorum motus.*

Eugenius Papa mense Augusto decessit: in cuius locum Valentinus diaconus à Romanis electus & ordinatus, vix in pontificatu vnum mensem compleuit. Quo defuncto, Gregorius presbyter tituli S. Marci electus, sed non prius ordinatus est, quam legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis esset, examinauit. Legati Michaelis Imperatoris de Constantinopoli ad Imperatorem, quasi propter fœdus confirmandum, missi, Septembrio mense Compendium venerunt. Quos ille ibi benigne receptos, & audiuit, & absoluit. Ipso tempore Heinardus †, sui temporis prudentissimus virorum, sanctæ deuotionis incitatus ardore, Romam misit: & corpora sanctorum Marcellini & Petri, annuente Papa, in Franciam fecit transuehi: & valde decenter in proprio territorio, propriisq; sumptibus, recondidit. Quorum meritis, hactenus, ibi Dominus multa operatur virtutum miracula.

Gregorius 4. *Heinardus, qui al. Einhardus.* *Marcellini & Petri corpora delata. Vide Tom. 7. Surii ad 2. Iunii.*

De

De animaduersione in duces Hispanicæ expeditionis: & in Baldricum Foroiuliensem: de legatis ad Michaelem imperatorem missis: & à Pontifice missis: de Danorum inter se motibus: & cum Francis quos castris exuerunt, & de eiusmodi facti deprecatione & purgatione: De Bonifacii comitis egregio facinore: de Lunæ eclipsi & prodigio cælesti.

DCCCXXVIII.

CONuentus Aquisgrani mense Februario factus est: in quo cum de multis & aliis causis, tum præcipue de his quæ in marcha Hispanica contigerunt, ratio habita: & legati qui exercitui præerant, culpabiles inuenti: & iuxta merita sua, honorum amissione mulctati sunt. Similiter & Baldricus dux Foroiuliensis, cum propter eius ignauiam, Bulgarorum exercitus terminos Pannoniæ superioris impune vastasset, honoribus quos habebat priuatus, & marcha quam solus tenebat, inter † quatuor Comites diuisa est. Halitgarius Camaracensis episcopus, & Aufridus abbas monasterii Nonantulæ, Constantinopolim missi, a Michaele imperatore (sicut ipsi inde reuersi retulerunt) honorifice suscepti sunt. Imperator Iunio mense ad Ingelinheim † villam venit: ibique per aliquot dies placitum habuit. In quo cum de filiis suis, Lothario & Pipinio, cum exercitu ad marcham Hispanicam mittendis consilium iniisset, & id quomodo fieret ordinasset; missos etiam Romani pontificis, Quirinum primicerium ac Theophylactum nomenclatorem qui ad eum illo venerant, audita illorum legatione dimisisset, ad villam † Franconofurd profectus est: ibiq; aliquadiu moratus, Wormatiam venit: atq; inde Theodonis villam perrexit: de quo loco Lotharium filium suum, cum magnis Francorum copiis, ad Hispanicam marcham direxit. Qui cum Lugdunum venisset, consedit: opperiens nuntium, qui se de Sarracenorum aduentu faceret certiorem. In qua expectatione cum Pipino fratre colloquitur: & comperto quod Sarraceni ad marcham venire aut timerent, aut nollent, redeunte ad Aquitaniam fratre, ipse ad patrem Aquasgrani reuertitur.

Baldricus Dux Foroiul. — *P. Pith. legit, in ter quatuor.* — *Legati.* — *Ingilunheim* — *Francfordiam.*

Interea cum in finibus Nordmannorum, tam de fœdere inter illos & Francos confirmando, quam de Herioldi rebus, tractandum esset, & ad hoc totius pene Saxoniæ comites, simul cum marchionibus illo conuenissent, Herioldus rerum gerendarum nimis cupidus, condictam & per obsides firmatam pacem, accensis ac direptis aliquot Normannorum villis, rupit. Quod audientes filii Godefridi, contractis subito copiis, ad marcham veniunt: & nostros in ripa Egidoræ fluminis sedentes, ac nihil tale opinantes, transito flumine adorti, castris exuunt, eisq; in fugā actis cuncta diripiunt, ac se cum omnibus copiis suis in sua castra recipiunt. Deinde inito consilio, vt vltionem huius facti præuenirent, missa legatione ad Imperatorem, quam inuiti & quanta necessitate coacti id fecerint, exposuerunt: se tamen ad satisfactionem esse paratos: & hoc in Imperatoris esse arbitrio, qualiter ita fieret emendatum, vt de reliquo inter partes pax firma maneret. Bonifacius comes, cui tutela Corsicæ insulæ tunc erat commissa, assumpto secum fratre Berchario, necnon & aliis quibusdam comitibus de Thuscia, Corsicam atq; Sardiniam parua classe circunuectus, cum nullum in mari piratam inuenisset, in Aphricam traiecit: & inter Vticam & Carthaginem egressus, innumeram incolarum multitudinem subito congregatam offendit: cum qua & præliū conseruit, & quinquies, vel eo amplius, fusam fugatamq; profligauit: magnaq; Aphrorum multitudine prostrata, aliquantis etiā sociorum per temeritatem amissis, in naues suas se recepit: atque hoc facto ingentem Aphris timorem incussit. Luna Kalend. Iul. primo diluculo, in occasu suo defecit. Similiter & VIII. Kal. Ianuar. id est in Natali Domini, media nocte obscurata est. Ferunt in regione Vasconiæ trans Garomnam fluuium, in pago Aginensi, annonam† de cœlo pluisse, similem frumento, sed paululū breuiora

Dani Gallos castris exuunt. — *Danorum deprecatio.* — *Bonifatii comitis bonum facinus.* — *Lunæ eclipsis.* — *Prodigia.* — *al. Mannam*

ac rotundiora grana habentem: de qua domino Imperatori allatum est ad Aquisgranense palatium. Imperator circa festum sancti Martini, Aquasgrani ad hyemandum venit: ibique positus, totum hyberni temporis spatium, in diuersis conuentibus ob necessaria regni negotia congregatis, impendit.

De terramotu & venti violentia: de falso Danici motus rumore: de Imperatoris exercitatione: & historiæ repetendæ ratione & auctoribus.

Terramotus. *Ventus vehemens.* *Inde dictæ, Aix la chapelle.*

POst exactam hyemem, in ipso sancto Quadragesimali ieiunio, paucis ante sanctum Pascha diebus Aquisgrani terræmotus noctu factus: ventusque tam vehemens coortus, vt non solum humiliores domos, verumetiam ipsam sanctæ Dei genitricis Basilicam (quam *Capellam* vocant) tegulis plumbeis tectam, non modica ex parte denudaret. Imperator vero in diuersis occupationibus vsque ad Kalend. Iulii Aquisgrani moratus, tandem ad generalem conuentum Warmatiæ habendum, cum comitatu suo mense Augusto statuit proficisci. Sed priusquam inde promoueret, nuntium accepit Nortmannos velle Transalbianam Saxoniæ regionem inuadere, atque exercitum eorum, qui hoc facturus esset, nostris finibus appropinquare. Quo nuntio commotus, misit in omnes Franciæ partes: & iussit vt cum summa festinatione, tota populi sui generalitas post se in Saxoniam veniret, indicans simul velle se apud Nouesium, medio circiter Iulio, Rhenum transire. Sed vbi vana esse comperit, quæ de Nortmannis fama consperserat, sicut prius dispositum habebat, medio mense Augusto Warmatiam venit: ibique habito generali conuentu, & oblata sibi annua dona more solenni suscepit, & legationes plurimas, quæ tam de Roma & Beneuento, quam de aliis longinquis terris ad eum venerant, audiuit atque absoluit. Lotharium quoque filium suum, finito illo conuentu, in Italiam direxit: ac Bernardum comitem Barcinonæ, qui eatenus in marcha Hispaniæ præsidebat, camerarium in palatio suo constituit. Aliis etiam causis, quæ ad illius placiti completionem pertinere videbantur, congruo modo dispositis atque completis, populoque ad sua ire dimisso, ipse ad Autumnalis venationis exercitationem in Franconofurd villam profectus est. Qua transacta, ad hyemandum Aquasgrani reuersus est: vbi festum sancti Martini, ac festiuitatem beati Andreæ Apostoli, necnon & ipsum sacræ Dominicæ Natiuitatis diem, cum magna lætitia & exultatione celebrauit.

Nortmannorum Danorum motus.

Warmatiensis conuentus.

VITA

VITA ET GESTA KAROLI COGNOMENTO MAGNI, FRANcorum regis fortissimi, & Germaniæ suæ illustratoris, authorisque optime meriti, per EGINHARTVM illius quandoq; alumnum, atque scribam adiuratum, Germanum, incipiunt fœliciter.



VITAM & conuersationem, & ex parte non modica res gestas, domini & nutritoris mei KAROLI, excellentissimi & merito famosissimi Regis, postquam animus scribere tulit, quanta potui breuitate complexus sum, operam impendens, vt de iis quæ ad meam notitiam peruenire potuerunt, nihil omitterem, neq; prolixitate narrandi noua quæque, fastidientium animos offenderem: si tamen vllo modo vitari potest, vt noua scriptione non offendantur, qui vetera, & à viris doctissimis atque disertissimis confecta monumenta fastidiunt. Et quamuis plures esse non ambigam, qui otio ac literis dediti, statum æui præsentis non arbitrentur ita negligendum, vt omnia quæ nunc fiunt, velut nulla memoria digna, silentio atque obliuioni tradantur; potiusque velint, amore diuturnitatis allecti, aliorum præclara facta qualibuscunque scriptis inserere, quam sui nominis famã posteritatis memoriæ nihil scribendo subtrahere: tamen ab huiusmodi descriptione non existimaui temperandum, quando mihi cõscius eram, nullum ea veracius quam me scribere posse, quibus ipse interfui, quæque præsens oculata (vt dicitur) fide cognoui, & vtrum ab alio scriberentur nec ne, liquido scire non potui: Satiusque iudicaui eadem cum aliis velut communiter literis mandata memoriæ posterorum tradere, quam Regis excellentissimi, & omnium sua ætate maximi, clarissimam vitam, & egregios, atque nostri temporis hominibus vix imitabiles actus, pati obliuionis tenebris aboleri. Suberat & alia non irrationabilis causa, quæ vel sola sufficere posset, vt me ad hæc scribenda compelleret: nutrimentum videlicet in me impensum, & perpetua, postquam in aula eius conuersari cœpi, cum ipso & liberis eius amicitia, qua me ita sibi deuinxit, debitoremque tam viuo quam mortuo constituit, vt merito ingratus videri & iudicari possem, si tot beneficiorum in me collatorum immemor, clarissima & illustrissima hominis optime de me meriti gesta silentio præterirem: patererque vitam eius quasi qui nunquam vixerit, sine literis ac debita laude manere. Cui scribendæ atque explicandæ non meum ingeniolum (quod exile & paruum, imo nullum pene est) sed Tullianam par erat desudare facundiam. En tibi librum præclarissimi & maximi viri memoriam cõtinentem, in quo pręter illius facta, non est quod admireris: nisi forte quod homo barbarus in Romana locutione perparum exercitatus, aliquid decẽter aut cõmode Latine scribere posse putauerim, atque in tantam impudentiam proruperim, vt illud Ciceronis putarẽ contemnendum, quod in primo Tusculanarum libro, cum de Latinis scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur: *Mandare quenquam*, inquit, *literis cogitationes suas, quas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & literis.* Poterat quidem hæc oratoris egregii sententia me à scribendo deterrere, nisi animo præmeditatum esset, hominum iudicia potius experiri, & scribendo ingenioli mei periculum facere, quam tanti viri memoriam, mihi parcendo, præterire. *i. Germanus.*

GEns Merouingorum,de qua Franci reges ſibi creare ſoliti erant,vſque in Hildericũ regẽ,qui iuſſu Stephani Romani pontificis depoſitus ac detonſus,atq; in monaſteriũ truſus eſt,duraſſe putatur:quę licet in illo finita poſſit videri,tamen iamdudũ nullius vigoris erat,nec quicquã in ſe clarũ,pręter inane REGIS vocabulũ præferebat: Nã & opes & potentia regni penes palatii præfectos,qui *Maioreſdomus* dicebãtur,& ad quos ſumã imperii pertinebat,tenebãtur:neq; Regi aliud relinquebatur,q̃ vt regio tãtũ nomine contentus,crine profuſo,barba ſubmiſſa,ſolio reſideret,ac ſpeciẽ dominãtis effingeret,legatos vndecunq; venientes audiret,eiſq; abeuntib. reſponſa (quæ erat doctus,vel ẽt iuſſus) ex ſua velut poteſtate redderet:cum pręter inutile Regis nomen, & precariũ vitæ ſtipendiũ,q; ei præfectus aulæ,prout videbatur,exhibebat, nihil aliud proprii poſſideret,quã vnã præparui reditus villam,in qua domũ,& ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes,atq; obſequium exhibentes,paucæ numeroſitatis habebat. Quocunq; eundũ erat,carpento ibat,q; bubus iunctis,& bubulco ruſtico more agente trahebatur: ſic ad palatiũ,ſic ad publicũ populi ſui conuentũ(qui annuatim ob regni vtilitatẽ celebrabatur)ire,ſic domũ redire ſolebat. At regni adminiſtrationẽ, & omnia quæ vel domi vel foris agenda ac diſponẽda erãt,Præfectus aulæ procurabat. Quo officio tũ cũ Hildericus deponebatur, Pipinus pater KAROLI regis iã velut hæreditario iure fungebatur.

Carolus Martellus.

Nam pater eius Karolus,qui Tyrannos per totã Franciã dominatum ſibi vendicantes oppreſſit,& Sarracenos Galliã occupare tentãtes,duob. magnis prœliis,vno in Aquitania apud Pictauium ciuitatẽ, altero iuxta Narbonã apud Byrrã fluuiũ ita deuicit,vt in Hiſpaniã eos redire cõpelleret,eundẽ magiſtratũ à patre Pipino ſibi dimiſſum egregie adminiſtrauit.

Præfectura Palatii.

Qui honor non aliis à populo dari cõſueuerat quã iis qui & claritate generis,& opũ amplitudine cæteris eminebant. Hunc cum Pipinus pater KAROLI regis ab auo & patre ſibi & fratri Karolomanno relictum ſumã cum eo concordia diuiſum,aliquot ãnis velut ſub Rege memorato tenuiſſet;frater eius Karolomannus(incertũ quib. de cauſſis,tamen videtur q; amore conuerſationis contemplatiuæ ſuccenſus) operoſa tẽporalis regni adminiſtratione relicta,Romã ſe contulit in otium:ibiq; habitu pmutato,monachus factus,in mõte Soracte apud eccleſiã beati Sylueſtri cõſtructo monaſterio,cũ fratrib. ſecũ ad hoc venientibus,per aliquot ãnos optata quiete perfruitur. Sed cũ ex Francia multi nobiliũ ob vota ſoluẽda Romã ſoleñiter cõmearent,& cũ velut dominũ quondã ſuum præterire nollent,otiũ quo maxime delectabatur,crebra ſalutatione interrũpentes,locũ mutare cõpellunt. Nã huiuſcemodi frequentiam cum ſuo propoſito officere vidiſſet, relicto monte, in Samnium prouinciam ad monaſterium S. Benedicti,ſitum in caſtro Caſſino ſeceſſit,& ibi quod reliquũ erat temporalis vitæ,religioſe conuerſando cõpleuit. Pipinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto palatii Rex conſtitutus, cum per XV. annos aut eo amplius Francis imperaret,finito Aquitanico bello,quod contra Waifarium ducem Aquitaniæ ab eo ſuſceptum per continuos IX. annos gerebatur,apud Pariſios morbo aquæ intercutis diem obiit: ſuperſtitibus liberis KAROLO, & Karolomanno, ad quos ſucceſſio regni diuino nutu peruenerat. Franci ſiquidem facto ſolenniter generali

Diuiſio regni Franciæ.

conuentu, ambos ſibi Reges conſtituunt,ea conditione præmiſſa, vt totum regni corpus ex æquo partirentur:& KAROLVS eam partem quam pater eorum Pipinus tenuerat,Karolomannus vero eam cui patruus eorum Karolomannus præerat,regendi gratia ſuſciperet. Suſceptæ ſunt vtrinque conditiones & pars regni diuiſi iuxta modum ſibi propoſitum ab vtroq; recepta eſt:manſitque iſta quamuis cum ſumma difficultate concordia, multis ex parte Karolomanni ſocietatem ſeparare molientibus, adeo vt quidã etiã eos bello cõmittere ſint meditati. Sed in eo plus ſuſpicionis quã periculi fuiſſe ipſe rerum exitus approbauit,cum defuncto Karolomanno,vxor eius cũ filiis,& quibuſdã qui ex optimatũ eius numero primores erãt,Italiã fuga peteret:& nullis exiſtentib. cauſis,ſpreto mariti fratre,ſub Deſyderii regis Langobardorũ patrociniũ ſe cũ liberis ſuis offerret. Karolomannus quidẽ poſt adminiſtratum cõmuniter biennio regnũ morbo deceſſit. KAROLVS autẽ fratre defuncto, conſenſu omniũ Francorum rex conſtituitur. De cuius natiuitate atq; infantia, vel etiã pueritia, quia neq; ſcriptis vſquã aliquãdo declaratũ eſt,nec quiſquã modo ſupereſſe inuenitur, q horũ ſe dicat habere notitiã,ſcribere ineptũ iudicãs,ad actus & mores cęteraſq; vitę illius partes explicãdas ac de-

ac demonſtrandas,omiſſis incognitis tranſire diſpoſui:ita tamen vt primo res geſtas & domi & foris,deinde mores & ſtudia eius, tum de regni adminiſtratione & fine narrando,nihil de iis quæ cognitu vel digna vel neceſſaria ſunt prætermittam.

Omnium bellorum quæ geſſit,primo Aquitanicum à patre inchoatum, ſed nondū finitum,quia cito peragi poſſe putabatur,fratre adhuc viuo & auxiliū ferre rogato, ſuſcepit:& licet eum frater promiſſo fruſtraſſet auxilio,ſuſceptā expeditionem ſtrenuiſſime exſecutus,non prius incepto deſiſtere,aut ſuſcepto labori cedere voluit, quā hoc quod efficere moliebatur,perſeuerantia quadam perfecto fine concluderet. Nam & Hunoldum qui poſt Waifarii mortem Aquitaniam occupare,bellumq; iam pene peractum reparare tentauerat, Aquitaniam relinquere,& Waſconiam petere coëgit. Quē tamen ibi conſiſtere non ſuſtinens,tranſmiſſo amne Garomna Lupo Waſconum duci per legatos mandat,vt perfugā reddat:quod ni feſtine faciat,bello eum ſe expoſtulaturum. Sed Lupus ſaniori vſus conſilio,non ſolum Hunoldum reddidit,ſed etiā ſeipſum cum prouincia cui præerat,eius poteſtati ſubmiſit. Cōpoſitis in Aquitania rebus, eoq; bello finito,regni quoq; ſocio iā reb. humanis exemto,rogatu & precibus Adriani Romanę vrbis epiſcopi exoratus,bellum contra Langobardos ſuſcepit:quod prius quidē & à patre eius,Stephano papa ſupplicante,cum magna difficultate ſuſceptum eſt:quia quidā ex primorib. Francorum,cum quib. cōſultare ſolebat,adeo voluntati eius reniſi ſunt,vt ſe Regem deſerturos,domumq; redituros libera voce proclamarent. Suſceptū tamen bellum eſt contra Haiſtolfum † regem,& celerrime cōpletum. Sed licet ſibi & patri belli ſuſcipiendi ſimilis,ac potius eadē cauſa ſubeſſe videretur,haud ſimili tamen & labore certatum,& fine conſtat eſſe cōpletum. Pipinus ſiquidē Haiſtolfum paucorum dierū obſidione apud Ticinum cōpulit & obſides dare, & erepta Romanis opida atq; caſtella reſtituere,atq; vt reddita non repeterentur,ſacramento fidem facere. KAROLVS vero poſt inchoatum à ſe bellum non prius deſtitit,quā & Deſyderium regem (quē longa obſidione fatigauerat)in deditionē ſuſciperet,& filium eius Adalgiſum, in quem ſpes omnium inclinatę videbantur,nō ſolum regno,ſed etiā Italia decedere cōpelleret,omnia Romanis erepta reſtitueret,Ruodgauſum† Foroiuliani ducatus prefectum res nouas molientē opprimeret,totamq; Italiā ſuæ ditioni ſubiugaret,ſubactæq; filium Pipinum Regem imponeret. Italiam intranti,quā difficilis Alpium tranſitus fuerit,quantoq; Francorum labore inuia montium iuga, & eminentes in cœlū ſcopuli, atq; aſperæ cautes ſuperatæ ſint,hoc loco deſcriberem,niſi vitę illius modū,potius quā bellorum quæ geſſit euentus memoriæ mandare, præſenti opere animo eſſet propoſitum. Finis tamen huius belli fuit ſubacta Italia, & rex Deſyderius perpetuo exilio deportatus,& filius eius Adalgiſus Italia pulſus,& res à Langobardorum regibus ereptæ, Hadriano Romanæ eccleſiæ rectori reſtitutæ. Poſt eius finem Saxonicum,q; quaſi intermiſſum videbatur,repetitum eſt,quo nullum neq; prolixius neq; atrocius,Francorumq; populo laborioſius ſuſceptū eſt. Quia Saxones(ſicut oēs fere Germaniam incolentes nationes)& natura feroces & cultui Dæmonum dediti,noſtræq; religioni contrarii,neq; diuina neq; humana iura vel polluere,vel tranſgredi,inhoneſtum arbitrantur. Suberant & cauſæ,quæ quotidie pacē conturbare poterant; termini videlicet noſtri & illorum pene vbiq; in plano contigui, præter pauca loca, in quib. vel ſyluæ maiores,vel montium iuga interiecta,vtrorunq; agros certo limite diſterminant:in quib. cædes & rapinæ & incendia viciſſim fieri non ceſſabant: Quibus adeo Franci ſunt irritati,vt iā non vices reddere,ſed apertum cōtra eos bellum ſuſcipere dignum iudicarent. Suſceptum eſt igitur contra eos bellum, quod magna vtrinq; animoſitate, tamē maiore Saxonum quam Frācorum damno, per continuos trigintatres annos gerebatur. Poterat ſiquidem citius finiri, ſi Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu eſt,quoties ſuperati,ac ſupplices Regi ſe dediderint,imperata facturos polliciti ſint,obſides qui imperabantur abſq; dilatione dederint,legatos qui mittebantur ſuſceperint: aliquoties ita domiti & emolliti,vt & cultum Dæmonum dimittere,& Chriſtianæ religioni ſe ſubdere velle promitterent. Sed ſicut ad hæc facienda aliquoties proni,ſic ad eadem peruertenda ſemper fuere præcipites:nec ſit ſatis æſtimare,ad vtrum horum faciliores verius dici poſſint:quippe cū poſt inchoatum cum eis bellum, vix annus vllus exactus ſit,quo nō ab eis huiuſcemodi facta ſit permutatio. Sed magnanimitas Re-

† al. H[illegible]ulfum.

† Hruodgauſum.

Saxones Germani.

OO 2

gis, ac perpetua tam in aduersis quam prosperis mentis constantia, nulla eorum mutabilitate vel vinci poterat, vel ab iis quę agere cœperat, defatigari. Nam nunquã eos huiuscemodi aliquid perpetrantes, impune ferre passus est, quin aut ipse per se ducto, aut per comites suos misso exercitu, perfidiam vlcisceretur, & dignam ab eis pœnam exigeret: donec omnib qui resistere solebant profligatis, & in suam potestatem redactis, decem hominum millia ex iis qui vtrasq; ripas Albis fluminis incolebant, cũ vxoribus *Colonia Saxonum.* & paruulis sublatos transtulit, & huc atq; illuc per Galliam & Germaniã multimoda diuisione distribuit. Eaq; conditione à Rege proposita, & ab illis suscepta, tractum per tot annos bellum constat esse finitum, vt abiecto Dæmonum cultu, & relictis patriis cerimoniis, Christianæ fidei atq; religionis sacramẽta perciperent: & Francis adunati, vnus cum eis populus efficerẽtur. Hoc bello, licet per multũ temporis spatiũ traheretur, ipse non amplius cũ hoste quam bis acie conflixit: semel iuxta montem qui *Osneggi* dicitur, in loco *Theotmelli* nominato: & iterum apud Hasam fluuium, & hoc vno mense paucis quoq; interpositis diebus. His duobus prælijs hostes adeo profligati ac deuicti sunt, vt vlterius Regẽ neq; ꝓuocare, neq; venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, auderent. Plures tamen eo bello tã ex nobilitate Francorum, quã Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt: tandemq; anno tricesimotertio finitũ est. Cum interim tot ac tanta in diuersis terrarum partibus bella contra Francos & exorta sint, & solertia Regis administrata, vt merito intuentib. in dubiũ venire possit, vtrum in eo aut laborũ patientiam, aut fœlicitatẽ potius mirari conueniat. Nã biennio ante Italicum hoc bellũ sumpsit exordium: & cum sine intermissione gereretur, nihil tamen ex iis quæ alicubi erant gerẽda dimissum, aut vlla in parte ab æque operoso certamine cessatum est. Nam rex omnium, qui sua ætate gentibus dominabantur, & prudentia maximus, & animi magnitudine præstantissimus, nihil in iis quæ vel suscipienda erant vel exsequẽda, aut propter laborẽ detrectauit, aut propter periculũ exhorruit: Verum vnũquodq; secundũ suã qualitatẽ & subire & ferre doctus, nec in aduersis cedere, nec in prosperis falso blandienti Fortunæ assentire solebat. Cũ enim assiduo ac pene continuo cũ Saxonib. bello certaretur, dispositis per cõgrua confiniorũ loca pręsidiis, Hispaniam quã maximo poterat belli apparatu aggreditur: saltuq; Pyrenei superato, omnib. quæ adierat opidis atq; castellis in deditionẽ acceptis, saluo atq; incolumi exercitu reuertitur: Præter quod in ipso Pyrenei iugo Wasconicã perfidiã parumper in redeundo contigit experiri: Nam cũ agmine longo, vt loci & angustiarum situs per- *Wasconia.* mittebat, porrectus iret exercitus, Wascones in summi montis vertice positis insidiis (est enim locus ex opacitate syluarũ, quarũ maxima est ibi copia, insidiis ponendis oportunus) extremã impedimentorũ partem, & eos qui nouissimo agmine incedentes subsidio pręcedentes tuebantur, desuper incursantes, in subiectã vallem deiiciunt: cõsertoq; cum eis prælio, vsq; ad vnum omnes interficiunt: ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ iam instabat, protecti, summa cum celeritate in diuersa disperguntur. Adiuuabat in hoc facto Wascones & leuitas armorum, & loci in quo res gerebatur situs. Econtra Francos & armorũ grauitas, & loci iniquitas, per omnia Wasconibus reddidit impares. In quo prælio Eggihardus regiæ mensæ præpositus, Anshelmus comes palatii, & Ruotlandus Britanici littoris præfectus, cum aliis cõpluribus interficiuntur. Neq; hoc factũ ad præsens vindicari poterat: quia hostis re perpetrata ita *Britones Aremorici.* dispersus est, vt ne fama quidẽ remaneret, vbinã gentiũ quęri potuisset. Domuit & Britones, qui ad occidentẽ in extrema quadã parte Galliæ super littus Oceani residentes, dicto audientes non erant: missa in eos expeditione, qua & obsides dare, & quæ imperarentur se facturos polliceri coacti sunt. Ipse postea cũ exercitu Italiã ingressus, ac per Romã iter agens, Capuã Campaniæ vrbẽ accessit: atq; ibi positis castris bellũ Beneuentanis, ni sese dederent, cõminatus est. Pręuenit hoc dux gẽtis Aragisus, filios suos Rumoldũ & Grimoaldũ cũ magna pecunia obuiã Regi mittens, rogat vt filios obsides susciperet, seq; cũ gente imperata facturũ pollicetur: præter hoc solũ, si ipse ad conspectũ *i. fortitudinis.* venire non cogeretur. Rex vtilitate † gentis magis quã animi eius obstinatione considerata, & obsides sibi oblatos suscepit, eiq; vt ad cõspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit: vnoq; ex filiis, qui minor erat, obsidatus gratia retento, maiorem patri remisit: legatisq; ob sacramenta fidelitatis a Beneuentanis exigenda atque

susci-

ſuſcipienda cum Aragiſo dimiſſis, Romam redit: conſumptiſque ibi Sanctorum in veneratione locorum aliquot diebus, in Galliam reuertitur. Baioaricum deinde bellum & repente ortum, & celeri fine completum eſt: quod ſuperbia ſimul ac ſocordia Taſſilonis ducis excitauit: Qui hortatu vxoris (quæ filia Deſyderii regis erat, ac patris exiliū per maritum vlciſci poſſe putabat) iuncto fœdere cum Hunis, qui Baioariis ſunt ab oriente contermini, non ſolum imperata non facere, ſed bello regē prouocare tentabat. *Baioarii Hunni.* Cuius contumaciā, quia nimia videbatur, animoſitas Regis ferre nequiuerat; ac proinde copiis vndiq; contractis, Baioariam petiturus ipſe ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu. *Lycus fl.* Is fluuius Baioarios ab Alemannis diuidit: Cuius in ripa caſtris collocatis, prius quam prouinciam intraret, animū Ducis per legatos ſtatuit experiri: Sed nec ille pertinaciter agere vel ſibi vel genti vtile ratus, ſupplex ſe Regi permiſit: obſides qui imperabantur dedit, inter quos & filium ſuum Theodonem: data inſuper fide cum iuramento, quod ab illius poteſtate nemini defectionem ſuadenti aſſentire deberet. Sicq; bello quod quaſi maximum futurum videbatur, celerrimus eſt finis impoſitus. Taſſilo tamen poſtmodum ad Regem euocatus, neq; redire permiſſus, neq; prouincia quam tenebat vlterius Duci, ſed Comitibus ad regendum cōmiſſa eſt. His motibus ita compoſitis, Sclauis, qui noſtra conſuetudine Willzi, proprie vero, hoc eſt ſua elocutione Welatabi dicuntur, illatū eſt bellum: *Wiltzi. Welatabi.* in quo & Saxones velut auxiliares inter cæteras nationes, quæ Regis ſigna iuſſæ ſequebantur, quanquam ficta & minus deuota obedientia militabant. Cauſa belli erat, quod Abotritos, qui cū Francis olim fœderati erant, aſſidua incurſione laceſſebant, nec iuſſionibus coërceri poterant. Sinus quidam ab occidentali oceano orientem verſus porrigitur, longitudinis quidē incōpertæ, latitudinis vero quæ nuſquā centum milia paſſuū excedat, cū in multis locis contractior inueniatur. Hunc multæ circūſedent nationes, Dani ſiquidē & Sueones (quos Nordmannos vocamus) & ſeptentrionale littus, & oēs in eo inſulas tenent. *Nordmanni.* At littus Auſtrale Sclaui & Aiſti, & aliæ diuerſæ incolunt nationes: inter quos vel præcipui ſunt, quib. tūc à Rege bellū inferebatur, Welatabi: quos ille vna tantū, & q̄ per ſe geſſerat expeditione ita cōtudit ac domuit, vt vlterius imperata facere minime renuendū iudicarent. Maximum omniū quæ ab illo geſta ſunt bellorū, prȩter Saxonicum, huic bello ſucceſſit, illud videlicet q, contra Auares ſiue Hunos ſuſceptū eſt: quod ille & animoſius quā cætera, & longe maiori apparatu adminiſtrauit. Vnam tamen per ſe in Pannoniam (nā hanc prouinciam ea gens tum incolebat) expeditionem fecit: *Pannonia Hunnorum.* cæteras filio ſuo Pipino ac Præfectis prouinciarū, Comitibus etiā atq; legatis perficiendas cōmiſit. Quod cum ab iis ſtrenuiſſime fuiſſet adminiſtratū, octauo tandē anno cōpletum eſt. Quot prȩlia in eo geſta, quantū ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo regia Cagani † erat, ita deſertus, vt ne veſtigium quidē in eo humanæ habitationis appareat. *al. Kagan.* Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit: omnis pecunia, & congeſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt: Neq; vllum bellum contra Francos exortū humana poteſt memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti ſint: quippe cū vſq; in id temporis pene pauperes viderentur, tantū auri & argēti in regia cōpertum, tot ſpolia precioſa in prȩliis ſublata, vt merito credi poſſet, hoc Francos Hunis iuſte eripuiſſe, quod Huni prius aliis gentib. iniuſte eripuerunt. Duo tantum ex procerib. Francorum eo bello perierunt, Ericus † dux Foroiulianus, in Liburnia iuxta Tarſaticā maritimā ciuitatē inſidiis oppidanorum interceptus, *al. Herricus.* & Geroltus Baioariæ præfectus in Pannonia, cū contra Hunos prȩliaturus aciem inſtrueret, incertum à quo, cum duob. tātum qui eum obequitantē ac ſingulos hortantē comitabātur, interfectus eſt. Cæterum incruentū pene Francis hoc bellū fuit, & proſperrimum exitum habuit, tametſi diutius ſua magnitudine traheretur: Poſt quod & Saxonicum ſuæ prolixitati conuenientē finem accepit. Boëmanicum quoq; & Liuonicū †, quæ poſtea exorta ſunt, diu durare nō potuerunt: *al. Liconicū. al. Lilonicum.* quorū vtrunq; ductu Karoli iunioris, celeri fine cōpletum eſt. Vltimum quod contra Nordmannos (qui Dani vocātur) primo piraticā exercentes, deinde maiori claſſe littora Gallię atq; Germanię vaſtantes, bellū ſuſceptū eſt. Quorum rex Godefridus adeo vana ſpe inflatus erat, vt totius ſibi Germaniæ promitteret poteſtatem. *Godfridus Rex Dan.* Friſiā quoq; & Saxoniā haud aliter atq; ſuas prouincias æſtimabat: Iā Abotritos vicinos ſuos in ſua ditionem redegerat, iā eos ſibi vectigales fecerat:

ſ. aula, ſedes. Iactabat etiã ſe breui Aquaſgrani, vbi Regis comitatus † erat, cum maximis copiis aduecturum. Nec dictis eius quãuis vaniſſimis omnino fides abnuebatur, quin putaretur tale aliquid inchoaturus, niſi feſtinata fuiſſet morte præuentus: Nã à proprio ſatellite interfectus, & ſuæ vitæ, & belli à ſe inchoati finẽ accelerauit. Hæc ſunt bella quæ Rex potentiſſimus per annos XLVII. (tot enim annis regnauerat) in diuerſis terrarũ partibus ſumma prudentia atq; fœlicitate geſſit: Quib. regnũ Francorum, q̃ poſt patrẽ Pipinum magnum quidẽ & forte ſuſceperat, ita nobiliter ampliauit, vt pene duplũ illi adiecerit. Nã cum prius nõ amplius quã ea pars Galliæ quæ intra Rhenũ & Ligerim, Oceanũq; & mare Balearicum iacet, & pars Germaniæ quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumq; ac Salam fluuiũ, (qui Turingos & Sorabos diuidit) poſtea à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur: & præter hæc Alemanni atq; Baioarii ad regni Francorũ poteſtatẽ pertinerent; ipſe per bella memorata primo Aquitaniã & Vaſconiam, totumq; Pyrenei montis iugum, & vſq; ad Hyberum amnem, qui apud Nauarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecãs, ſub Dertoſæ ciuitatis mœnia Balearico mari miſcetur; deinde Italiam totam, quæ ab Auguſta Prætoria vſq; in Calabriam inferiorem (in qua Græcorum ac Beneuentanorum conſtat eſſe confinia) decies centum & eo amplius *Saxonia modica pars eſt Germaniæ.* paſſuum milibus longitudine porrigitur: Tum Saxoniam (quæ quidẽ Germaniæ pars non modica eſt & ei quæ a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum longitudine poſſit eſſe conſimilis) Poſt quam vtranq; Pannoniam, & oppoſitam in altera Danubii ripa Daciam, Hiſtriam quoq; & Liburniam atq; Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus (quas ob amicitiam & iunctum cum eo fœdus, Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit) deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Viſtulam fluuios, Oceanumque & Danubium poſitæ, lingua quidem pene ſimiles, moribus vero atq; habitu valde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, vt eas tributarias effecerit: Inter quas fere præcipui ſunt Welatabi, Sorabi, Abotriti, Boëmanni, cum iis nanque conflixit; cæteras quarum multo maior eſt numerus, in deditionem ſuſcepit. Auxit etiam gloriam regni ſui, quibuſdam Regibus ac *al. Hadefonſum.* gentibus per amicitiam ſibi conciliatis: Adeo nanq; Adelfonſum † Galetiæ atq; Aſturicæ regem ſibi ſocietate deuinxit, vt is cum ad eum vel literas vel legatos mitteret, nõ aliter ſe apud illum quam *Proprium ſuum* appellari iuberet. Scotorum quoque reges ſic habuit ad ſuam voluntatem per ſuam munificentiam inclinatos, vt eum nunquam aliter quam *Dominum* ſeque *Subditos* ac *Seruos* eius pronunciarent. Extant epiſtolæ ab eis *Aaron Perſa.* ad eum miſſæ, quibus huiuſmodi affectus eorum erga illum indicatur. Cum Aaron rege Perſarum, qui, excepta India, totum pene tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, vt is gratiam eius omnium qui in toto orbe terrarum erant, Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ſolumq; illum honore ac munificentia ſibi colendũ iudicaret: ac proinde cũ legati eius, quos cum donariis ad ſacratiſſimũ domini ac Saluatoris noſtri ſepulchrum locumq; reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, & ei domini ſui voluntatem indicaſſent, non ſolum quæ petebantur fieri permiſit, ſed etiam ſacrum illum & ſalutarem locum, vt illius poteſtati aſcriberetur conceſſit: & reuertentib. legatis ſuos adiungens, inter veſtes & aromata, & cæteras orientalũ terrarum opes, ingentia illi dona direxit, cum ei paucos ante annos eum, quem tunc ſolũ habebat, ro- *Byzantini Impp.* ganti mitteret elephantem. Imperatores etiam Conſtantinopolitani Nicephorus, Michael & Leo, vltro amicitiam & ſocietatẽ eius expetentes, complures ad eum miſere legatos: cum quibus tamen propter ſuſceptum a ſe IMPERATORIS nomen, & ob hoc ei quaſi qui imperium eis eripere vellet, valde ſuſpectum, fœdus firmiſſimum ſtatuit, vt nulla inter partes cuiuslibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & *Francorum vis.* Græcis Francorum ſuſpecta potentia: Vnde & illud Græcum extat prouerbium: Τὸν Φραγκὸν φίλον ἔχεις, γείτονα οὐκ ἔχεις. Qui cum tantus in ampliando regno & ſubigendis exteris nationibus exiſteret, & in huiuſmodi occupationibus aſſidue verſaretur, opera tamen plurima ad regni decorem & vtilitatem pertinentia, diuerſis in locis inchoauit, quædã etiam conſummauit: Inter quæ præcipua fere non immerito videri poſſunt, baſilica *Capella Aquiſgr.* ſanctæ Dei Genitricis Aquiſgrani opere mirabili conſtructa, & pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorum paſſuum lõgitudinis (nã tanta eſt ibi fluminis latitudo) *Pons Mogũt.* qui tamen vno ante quã decederet anno, incendio conflagrauit, nec refici potuit pro-

pter

pter festinatum eius decessum: quanquam in ea meditatione esset, vt pro ligneo lapideum restitueret. Inchoauit & palatia operis egregii, vnum haud longe a Moguntiaco, iuxta villam cui vocabulum est Ingilenheim: alterum Nouiomagi super Vuahalē fluuium, qui Batauorum insulam à parte meridiana præterfluit. *Ingelheim. Niumagen.* Præcipue tamen ædes sacras vbicunque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, Pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, vt restaurarentur imperauit, adhibens curam, vt imperata perficerent. Molitus est & classem contra Nordmannos, ædificatis ad hoc nauibus iuxta flumina, quæ & de Gallia & Germania septentrionalem influunt oceanum: & quia Nordmanni Gallicum littus atq; Germanicum assidua infestatione vastabant, per omnes portus & ostia fluminum, qua naues recipi posse videbantur, stationibus & excubiis dispositis, ne qua hostis exire posset, tali munitione prohibuit. Fecit idem à parte meridiana in littore prouinciæ Narbonensis ac Septimaniæ, toto etiam Italiæ littore vsq; Romā, contra Mauros nuper piraticā exercere aggressos: ac per hoc nullo graui dāno vel a Mauris Italia, vel Gallia atq; Germania à Nordmannis dieb. suis affecta est: præter quod Centumcellæ ciuitas Hetruriæ per proditionem à Mauris capta atq; vastata est. Et in Frisia quædam insulæ Germanico littori contiguæ, à Nordmannis deprædatæ sunt. Talem eum in tuendo & ampliando simulque ornando regno fuisse constat. Cuius animi dotes, & summam in qualicunque, & prospero & aduerso euentu constantiam, cæteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia, hinc dicere exordiar.

Post mortem patris cum fratre regnum partitus, tanta patientia simultates & inuidiam eius tulit, vt omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo prouocari potuisset. Deinde cum matris hortatu filiam† Desyderii regis Langobardorū duxisset vxorem, *Luibergam.* incertum qua de causa post annum repudiauit, & Hildigardim de gente Sueuorum præcipuæ nobilitatis fœminā, in matrimonium accepit: de qua tres filios, Karolum videl. Pipinum & Ludouicum, totidemq; filias, Rotdrudim †, Bertam & Gislam genuit. *al. Hrutrudam.* Habuit & alias filias tres, Thedradam †, Hildrudim & Rothaidem: *al. Theodoradam.* duas de Fastrada vxore, quæ de orientalium Francorum, Germanorum videlic. gente erat: tertiam de concubina quadam, cuius nomen modo memoriæ non occurrit. Defuncta Fastrada, Luidgardim Alemannā duxit, de qua nihil liberorum tulit. Post cuius mortem quatuor habuit concubinas, Mathalgardim scil. quæ peperit ei filiam nomine Rothildim: Gersuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adeldrudis nata est: & Reginam quæ ei Drogonem & Hugum genuit, & Adelluidam, ex qua Theodericum procreauit. Mater quoque eius Bertrada in magno apud eum honore consenuit: Colebat enim eam cum summa reuerentia, ita vt nulla vnquam inter eos sit exorta discordia, præter in diuortio filiæ Desyderii regis, quam illa suadente acceperat. Decessit tandē post mortem Hildegardis, cum iam tres nepotes suos, totidemq; neptes in filii domo vidisset: quā ille in eadem Basilica qua pater situs est apud sanctum Dionysium, magno fecit honore humari. Erat ei vnica soror nomine Gisla à puellaribus annis religiosæ conuersationi mancipata, quam similiter vt matrem magna coluit pietate. quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo quo conuersata est monasterio decessit. Liberos suos ita censuit instituendos, vt tam filii quam filiæ primo liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios quamprimum ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venatibus exerceri fecit: Filias verò lanificio assuescere, coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Ex iis omnibus duos tantum filios & vnam filiam, prius quam moreretur, amisit. Karolum qui maior natu erat, & Pipinum, quem Regem Italiæ præfecerat, Rotdrudim quæ filiarum eius primogenita, & Constantino Græcorū Imperatori desponsata erat: Quorū Pipinus vnum filium suū Bernhartum, filias aūt quinque, Adelhaidem, Atalam, Gundradam, Bertaidem ac Theodoradam superstites reliquit: In quibus Rex pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cum filio defuncto nepotē patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecisset. Mortes filiorum ac filiæ pro magnanimitate, qua excellebat, minus patienter tulit, pietate videlicet, qua non minus insignis erat, compulsus ad lacrymas. Nunciato etiam sibi Adriani Pontificis obitu, quem in amicis præcipuum habebat, sic fle-

uit, ac ſi fratrem aut chariſſimum filium amiſiſſet. Erat enim in amicitiis optime temperatus, vt eas & facile admitteret, & conſtantiſſime retineret: colebatque ſanctiſſime quoſcunque hac affinitate ſibi coniunxerat. Filiorum & filiarum tantam in educando curam habuit, vt nunquam domi poſitus ſine ipſis cœnaret, nunquam iter ſine illis faceret: Adequitabant ei filii, filiæ vero pone ſequebantur: quarum agmen extremum ex ſatellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cum pulcherrimæ eſſent, & ab eo plurimum diligerentur, mirum quod nullam earum cuiquam aut ſuorum, aut exterorum nuptum dare voluit: ſed omnes ſecum vſque ad obitum ſuum in domo ſua retinuit: dicens, *ſe earum contubernio carere non poſſe*: ac propter hoc, licet alias fœlix, aduerſæ Fortunæ malignitatem expertus eſt: quod tamen ita diſſimulauit, ac ſi de eis nunquam alicuius probri ſuſpicio orta vel fama diſperſa fuiſſet. Erat ei filius nomine Pipinus, ex concubina editus (cuius inter cæteros mentionem nullam fecimus) facie quidem pulcher, ſed gibbo deformis: is cum pater bello contra Hunos ſuſcepto in Baioaria hyemaret, ægritudine ſimulata, cum quibuſdam è primoribus Francorum qui cum vana promiſſione regni illexerant, aduerſus patrem coniurauit: quem poſt fraudem detectam, & damnationem coniuratorum, detonſum in cœnobio Prumia religioſæ vitæ iamque volentem vacare permiſit. Facta eſt & alia prius contra eum in Germania valida coniuratio: cuius authores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen exilio deportati ſunt: neque vllus ex eis interfectus eſt, niſi tres tantum, qui cum ſe ne comprehenderentur ſtrictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidiſſent, quia aliter coërceri non poterant, interempti ſunt. Harum tamen coniurationum Faſtradæ reginæ crudelitas cauſa & origo extitiſſe creditur. Et idcirco in ambabus contra Regem conſpiratum eſt: quia vxoris crudelitati conſentiens, à ſuæ naturæ benignitate ac ſolita manſuetudine immaniter exorbitaſſe videbatur. Cæterum per omne vitæ ſuæ tempus ita cum ſummo omnium amore atque fauore & domi & foris conuerſatus eſt, vt nunquam ei vel minima iniuſtę crudelitatis nota a quoquam fuiſſet obiecta. Amabat peregrinos, & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam: adeo, vt eorum multitudo non ſolum palatio, verumetiam regno non immerito videretur oneroſa: Ipſe tamen pro magnitudine animi huiuſcemodi pondere minime grauabatur: cũ etiam ingentia incommoda laude liberalitatis, ac bonæ famæ mercede compenſaret. Corpore fuit amplo atque robuſto, ſtatura eminẽti, quæ tamen iuſtam non excederet: nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem eius conſtat habuiſſe figuram: Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari: vnde formæ authoritas ac dignitas tam ſtanti quam ſedenti plurima adquirebatur. Quanquam ceruix obæſa & breuior, venterque proiectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas: Inceſſu firmo, totaque corporis habitudine virili: Voce clara quidem, ſed quæ minus corporis formæ conueniret: Valetudine proſpera, præter quod antequam decederet, per quatuor annos crebro febribus corripiebatur: ad extremum vno etiam pede claudicaret: & tunc quidem plura arbitratu ſuo quam medicorum conſilio faciebat: quos pene exoſos habebat, quod ei in cibis aſſa, quibus aſſuetus erat, dimittere, & elixis aſſueſcere ſuadebant. Exercebatur aſſidue equitando ac venando, quod illi gentilitiũ erat: quia vix vlla in terris natio inuenitur, quæ in hac re Francis poſſit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens: cuius adeo peritus fuit, vt nullus ei iuſte valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquiſgrani regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis vſque ad obitum perpetim habitauit: & non ſolum filios ad balneum, verum optimates & amicos, aliquando etiam ſatellitum & cuſtodum turbam inuitauit, ita vt nõnunquam centum vel eo amplius homines vna lauarentur. Veſtitu patrio, hoc eſt Francico vtebatur: ad corpus camiſiam lineam, & fœminalibus lineis induebatur: deinde tunicam, quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibialia: tum faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat: & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio ſemper accinctus, cuius capulus ac baltheus aut aureus aut argenteus erat: aliquoties & gemmato enſe vtebatur: quod tamen non niſi in præcipuis feſtiuitatibus, vel ſi quando exterarum gentium legati veniſſent, faciebat. Peregrina vero

to indumēta quamuis pulcherrima reſpuebat, nec vnquam eis indui patiebatur: excepto quod Romæ ſemel Adriano pōtifice petente, & iterum Leone ſucceſſore eius ſupplicante, longa tunica & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis, induebatur. In feſtiuitatibus veſte auro texta, & calciamentis gemmatis, & fibula aurea ſagum aſtringente: diademate quoq; ex auro & gemmis ornatus, incedebat: aliis autem diebus habitus eius parum à cōmuni ac plebeio abhorrebat. In potu & cibo temperās, ſed in potu temperantior: quippe qui ebrietatem in qualicunq; homine, nedum in ſe ac ſuis, plurimum abominabatur: Cibo enim non adeo abſtinere poterat, vt ſæpe quereretur, noxia eſſe ſuo corpori ieiunia. Conuiuabatur rariſſime, & hoc præcipuis tantum feſtiuitatibus, tunc tamen cum magno hominū numero. Cœna quotidiana quaternis tantum ferculis præbebatur, præter aſſam, quam venatores verubus inferre ſolebant, qua ille libentius quam vllo alio cibo veſcebatur. Inter cœnādum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei hiſtoriæ, & antiquorum Regum geſta. Delectabatur & libris ſancti Auguſtini, præcipue iis qui *De ciuitate Dei* prætitulati ſunt. Vini & omnis potus adeo parcus in bibendo erat, vt ſub cœnam raro plus ter biberet. Æſtate poſt cibum meridianum pomorum aliquid ſumens, ac ſemel bibens, depoſitis veſtibus ac calciamentis, velut noctu ſolitus erat, duabus aut tribus horis quieſcebat. Noctibus ſic dormiebat, vt ſomnum quater aut quinquies, non ſolum expergiſcendo, ſed etiam deſurgendo interrumperet. Cum calciaretur aut amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam ſi Comes Palatii litem aliquam diceret, quæ ſine eius iuſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci iuſſit, & velut pro tribunali ſederet, lite cognita ſententiam dixit. Nec hoc tantum eo tempore, ſed etiam quicquid ea die cuiuslibet officii agendum, aut cuiquam miniſtrorum iniungendum erat, expediebat. Erat eloquentia copioſus & exuberans, poteratque quicquid vellet apertiſſime exprimere. Nec patrio † tantum ſermone contentus, ſed & peregrinis *i. Francico.* linguis ediſcendis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, vt æque illa ac patria lingua orare ſit ſolitus: Græcam vero melius intelligere quam pronunciare poterat: Adeo quidem facundus erat, vt etiam didaſcalus appareret. Artes liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis afficiebat honoribus. In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum diaconum ſenem audiuit, in cæteris diſciplinis Albinum cognomento † Alcuinum, item Diaconem, *al. Alcuinū.* de Britania, Saxonici generis hominem, virum vndecunque doctiſſimum præceptorem habuit: apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipue tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimum & temporis & laboris impertit. Diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſyderum curſum curioſiſſime rimabatur. Tentabat & ſcribere, tabulaſque & codicillos ad hoc in lectulo ſub ceruicalibus circunferre ſolebat, vt cum vacuum tempus eſſet, manum effigiendis literis aſſuefaceret: Sed parum ſucceſſit labor præpoſterus, ac ſero inchoatus. Religionem Chriſtianam, qua ab infantia fuerat imbutus, ſanctiſſime & cum ſumma pietate ac veneratione coluit, ac propter hoc plurimæ pulchritudinis Baſilicam Aquiſgrani extruxit, auroque & argento & luminaribus, atque ex ære ſolido cancellis & ianuis ornauit. Ad cuius ſtructuram cum columnas & marmora aliunde habere non poſſet, Roma atque Rauenna deuehenda curauit. Eccleſiam mane & veſperi, nocturnis item horis & ſacrificii tempore, quando eum valetudo permiſerat, impigre frequentabat: curabatque vt omnia quæ in ea gerebantur, cum quam maxima fierent honeſtate, æditLuos commonens, nequid indecens aut ſordidum aut inferri, aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vaſorum ex argento & auro, veſtimentorumq; ſacerdotalium tantam in eo copiam procurauit, vt in ſacrificiis celebrandis ne ianitorib. quidem qui vltimi eccleſiaſtici ordinis ſunt, priuato habitu miniſtrare neceſſe fuiſſet. Legendi atque pſallendi diſciplinam diligentiſſime emendauit: erat enim vtriuſque admodum eruditus: quanquam ipſe nec publice legeret, nec niſi ſubmiſſim & in commune cantaret. Circa pauperes ſuſtentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci *eleemoſynam* vocant, deuotiſſimus, vt qui non in patria ſua ſolum & in ſuo regno eam facere curauerit, verum trans maria in Syriam & Ægyptum atque Africam,

Ierosolymas, Alexandriam atque Carthaginem, vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat: ob hoc maxime transmarinorum Regum amicitiam expetens, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac releuatio proueniret. Colebat præ cæteris sacris & venerabilibus locis apud Romam ecclesiam beati Petri Apostoli, in cuius donaria magna vis pecuniæ tam auri quam argenti, nec non & gemmarum, ab illo congesta est: multa & innumera Pontificibus munera missa. Nec ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam vt vrbs Roma sua opera suoq; labore veteri polleret authoritate: & ecclesia sancti Petri non solum per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus ecclesiis esset ornata ac ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra XLVII. annorum quibus regnauerat spacium, quater tantum illo votorum soluendorum ac supplicandi causa profectus est. Vltimi aduentus sui non solum hæ fuere causæ, verumetiam quod Romani Leonem multis affectum iniuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus extraxit. Quo tempore IMPERATORIS & AVGVSTI nomen accepit: quod primo tantum auersatus est, vt affirmaret se eo die quamuis præcipua festiuitas esset, ecclesiã non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Inuidiam tamen suscepti nominis, Constantinopolitanis † Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis proculdubio longe præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epistolis *Fratres* eos appellando. Post susceptum imperiale nomen cum aduerteret multa legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diuersas) cogitauit quæ deerant addere, & discrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere: Sed de his nihil aliud ab eo factum est, quam quod pauca Capitula & ea imperfecta Legibus addidit. Omnium tamen nationum quæ sub eius dominatu erant, iura quæ scripta non erant, describere, ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, scripsit memoriæque mandauit. Inchoauit & Grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam iuxta patriam linguam vocabula imposuit: cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim appellationibus propriis insigniuit, cum prius nõ amplius quam vix quatuor ventorum vocabula inueniri possent. Et de mensibus quidem Ianuarium appellauit *VVindermonot*, Februarium *Hornung*, Martium *Lentzmont* †, Aprilem *Ostermanot*, Maium *Wunnemonot*, Iunium *Prachmanot*, Iulium *Hevvmonet*, Augustum *Arnmanot* †, Septembrem *Herbstmonet* †, Octobrem *Wynmanot*, Nouembrem *Wyndumanot*, Decembrem *Heiligmanot* appellauit. Ventis vero hoc modo nomina imposuit, vt Subsolanum vocaret *Ostrovvyndt*, Eurum *Ostsundroni*, Euroaustrum *Sundostren*, Austrum *Sundren*, Austroafricum *Sundvvestren*, Africum *Westsundren*, Zephyrum *Westren*, Corum *Westnordren*, Circium *Nordvvestren*; Septentrionem *Nordren*, Aquilonem *Nordostren*, Vulturnum *Ostnordren*. Extremo vero vitæ tempore cum iam & morbo & senectute premeretur, euocatum ad se Ludouicum Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildegardis superetat, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorũ consilio, consortem sibi totius regni, & Imperialis nominis hæredem constituit: impositoque capiti eius diademate, *Imperatorem* & *Augustum* iussit appellari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus qui aderant magno cum fauore: nam diuinitus ei propter regni vtilitatem videbatur inspiratum: Auxitq; maiestatem eius hoc factum, & exteris nationibus non minimum terroris incussit. Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quanquam senectute confectus, non longe à regia Aquensi venatum proficiscitur: exactoq; in huiuscemodi negotio quod reliquum erat Autumni, circa Calend. Nouemb. Aquasgrani reuertitur: Cumque ibi hyemaret mense Ianuario febre valida correptus, decubuit. Qui statim (vt in febribus solebat) cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, vel certe mitigari: Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci *pleuresim* vocant, illoque adhuc inediam retinente, neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo post-

quam

Imp. Aug.

Romanis, M S.

Lentzinmaneth. Arnotmanot. Mutumanot.

quam decubuit die sacra communione percepta, decessit. Anno ætatis suæ LXXII. & ex quo regnare cœperat XLVII. v. Calend. Febr. hora diei tertia. Corpus more solenni lotum & curatum, & maximo totius populi planctu Ecclesiæ illatum atque humatum est. Dubitatum est primo vbi reponi deberet, eo quod ipse viuus de hoc nihil præcepisset: Tandem omnium animis sedit nusquam eum honestius tumulari posse, quam in ea Basilica quam ipse propter amorem Dei & domini nostri Iesu Christi, & ob honorem sanctæ & æternæ Virginis genitricis eius proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem, qua defunctus, die: arcusque super tumulum deauratus cum imagine & titulo extructus: & titulus ille hoc modo descriptus est: SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS KAROLI, MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII. FELICITER TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS, ANNO DOMINI DCCCXIV. INDICTIONE VII. V. CALEND. FEBRVARII. Appropinquante vero finis termino complura fuere præsagia, vt non solum alii, sed & ipse hoc minitari sentiret. Per tres continuos vitæque termino proximos annos & Solis & Lunæ creberrima defectio, & in Sole macula quædam atri coloris septem dierum spacio visa. Porticus quã inter Basilicam & regiam operosa mole construxerat, die Ascensionis Domini subita ruina vsq; ad fundamenta collapsa. Item pons Rheni apud Moguntiacum, quem ipse per decem annos ingenti labore & opere mirabili è ligno ita construxit, vt perenniter durare posse videretur, ita tribus horis fortuitu † incendio cõflagrauit, vt præter quod aqua tegebatur, ne vna quidem hastula ex eo remaneret. Ipse quoque cum vltimam in Saxoniam expeditionem cõtra Godefridum regem Danorum ageret, quadã die cum ante exortum Solis castra egressus iter agere cœpisset, vidit repente delapsam cœlitus cum ingenti lumine facem à dextra in sinistram per serenum aera incurrere: cunctisq; hoc signum quid portenderet mirantibus, subito equus quẽ supersedebat deorsum capite merso decidit, eumq; tam grauiter ad terrã elisit, vt fibula sagi rupta, baltheoq; gladii dissipato, à festinantib. qui aderant ministris exarmatus sine adminiculo leuaretur. Iaculum quoq; ꝙ tũc forte manu tenebat, ita elapsum est, vt viginti vel eo amplius pedũ spacio lõge iaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis palatii tremor, & in domib. vbi cõuersabatur, assiduus laqueariorũ crepitus: Tacta etiã de cœlo in qua postea sepultus est Basilica, malumq; aureũ quo tecti culmẽ erat ornatũ, ictu fulminis dissipatum, & supra domũ pontificis, quæ Basilicæ contigua erat, proiectum est. Erat in eadẽ Basilica in margine coronæ, quæ inter superiores & inferiores arcus interiorẽ ædis partẽ ambiebat, synopide scriptũ, continens quis auctor esset eiusdẽ templi, cuius in extremo versu legebatur, PRINCEPS KAROLVS: notatum a quibusdam eodẽ quo decessit anno, paucis ante mortem mensibus, eas quæ *princeps* exprimebant literas ita esse deletas, vt penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut dissimulauit aut spreuit, ac si nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret. Testamenta instituit, quibus filias, & ex cõcubinis liberos ex aliqua parte sibi hæredes faceret: sed tarde inchoata perfici non poterant. Diuisionem thesaurorum, pecuniæ ac vestium, aliæq; supellectilis coram amicis & ministris suis, annis tribus antequam decederet fecit: contestatus eos, vt post obitum suum a se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret: quidque ex iis quæ diuiserat fieri vellet, breuiario comprehendit, cuius ratio ac textus talis est.

IN nomine Domini Dei omnipotentis Patris Filii & Spiritus sancti. Incipit descriptio atque diuisio quæ facta est à gloriosissimo atq; piissimo domino KAROLO Imperatore Augusto, Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi DCCCXI. anni vero regni eius in Francia XLIII & in Italia XXXVI. Imperii aũt XI. Indictione IV. quã pia consideratione facere decreuit, & Domino annuente perfecit, de thesauris suis atq; pecunia quæ in illa die in camera eius inuẽta est: in qua illud præcipue præcauere voluit, vt non solum eleemosynarũ largitio, quæ solẽniter apud Christianos de possessionibus eorũ agitur, pro se quoq; de sua pecunia ordine atq; ratione perficeretur: sed etiam vt hæredes sui omni ambiguitate remota, quid ad se pertinere deberet liquido cognoscerent, & sine lite atque cõtentione sua inter se competenti partitione diuidere possent. Hac igitur intentione atq; proposito omnem suppellectilem atq; substantiam suam tam in auro quam in argento, gemmisq; & ornatu regio, quæ (vt dictum est) illa die in camera eius inueniri poterat, primo quidem trina diuisione partitus est: deinde

al. forti.

easdem partes subdiuidendo, de duabus partibus XXI. partes fecit, & tertiam integram reseruabit. Et duarum quidem partium in XXI. partes facta diuisio tali ratione consistit, vt quia in regno illius Metropolitanæ ciuitates XXI. esse noscuntur, vnaquæque illarum partium ad vnamquamque Metropolim per manus hæredum & amicorum suorum eleemosynæ nomine perueniat, & archiepiscopus qui tunc illius ecclesiæ rector extiterit, partem quæ ad suam Ecclesiam data est suscipiēs, cum suis suffraganeis partiatur, eo scil. modo, vt pars tertia suæ Ecclesiæ sit, duæ vero partes inter suffraganeos diuidantur. Harum diuisionum quæ ex duabus primis partibus factæ sunt, & iuxta Metropolitanarū ciuitatum numerum XXI. esse noscuntur, vnaquæque ab altera sequestrata semotim in suo repositorio cum superscriptione ciuitatis cōdita iacet. Nomina vero Metropoliticarum ciuitatum ad quas eadem eleemosyna vel largitio data est, hæc sunt. Roma, Rauenna, Mediolanum, Forumiulii, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Iuuausum, (quæ & Saltzburgum) Treueris, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rotomagus, Remis, Arelas, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Vnius autem partis quam integram reseruari voluit, talis est ratio, vt illis duabus in supradictas diuisiones distributis & sub sigillo reconditis, hæc tertia in vsu quotidiano versaretur, velut res quam nulla voti obligatione à dominio possidentis alienatā esse constaret: & hoc tam diu, quoadusque vel ipse mansisset in corpore, vel vsum eius sibi necessarium iudicaret: post obitum vero suum aut voluntariam secularium rerum carentiam eadem pars quatuor subdiuisionibus secaretur: & vna quidem earum supradictis XXI. partibus adderetur, altera à filiis ac filiabus suis, filiisque ac filiabus filiorum suorum, assumpta, & iusta ac rationabili inter eos partitione diuideretur: Tertia vero consueto Christianis more, in vsum pauperum fuisset erogata: Quarta simili modo nomine eleemosynæ in seruorum & ancillarum vsibus palatii famulantium sustentationem distributa veniret. Ad hanc tertiam totius summæ portionem, quæ similiter vt cæteræ ex auro & argento constat, adiungi voluit omnia ex ære & ferro, aliisque metallis, vasa atque vtensilia, cum armis & vestibus, aliaque preciosa aut vilia ad varios vsus facta supellectile, vt sunt cortinæ, & stragula, tapetes, fulcra †, coria, sagmata, & quicquid in camera atque vestiario eius eo die fuisset inuentum, vt ex hoc maiores illius partis diuisiones fierent, & erogatio eleemosynæ ad plures peruenire posset. Capellam, id est ecclesiasticum ministeriū, tam id quod ipse fecit atque congregauit, quam quod ei ex paterna hæreditate prouenit, vt integrum esset, neque vlla diuisione scinderetur ordinauit: Si qua autem inuenirentur aut vasa aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquido constaret eidem capellæ ab eo collata nō fuisse, hæc qui habere vellet, dato iustæ æstimationis precio, emeret & haberet. Similiter & de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregauit, statuit vt ab iis qui eos habere vellent, iusto precio fuissent redemti, precium in pauperes erogatum. Inter cæteros thesauros atque pecuniam tres mensas argenteas, & auream vnam præcipue magnitudinis & ponderis esse constat: de quib. statuit atque decreuit, vt vna ex iis quæ forma quadrangula, descriptionem vrbis Constantinopolitanæ continet, inter cætera donaria quæ ad hoc deputata sunt, Romam ad Basilicam beati Petri Apostoli deferatur: & altera quæ forma rotunda, Romanæ vrbis effigie figurata est, episcopo Rauennatis ecclesiæ conferatur: Tertiam quæ cæteris & operis pulchritudine & ponderis grauitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus connexa, totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione complectitur; & auream illam quæ quarta esse dicta est, in tertiæ illius, & inter hæredes suos atque in eleemosynam diuidendæ partis augmentum esse constituit. Hanc constitutionem atque ordinationem coram Episcopis, Abbatibus, Comitibusque, qui tunc præsentes esse potuerunt, quorumque hic nomina scripta sunt, fecit atque constituit. Episcopi, Hildeboldus, Richolfus, Arnoldus, Wolfarius, Bernoinus, Laidradus, Ioannes, Theodulfus, Iesse, Hetto, Waltgaudus. Abbates; Fridogisus, Adalungus, Engilbertus, Irmino. Comites; Walach, Meginher, Othulfus, Stephanus, Vnruocus, Burchardus, Meginhardus, Hatto, Richuuinus, Eddo, Erchangarius, Geroldus, Bero, Hildegern, Hrocolfus. Hæc omnia filius eius Ludouicus, qui diuina ei iussione successit, inspecto eodem Breuiario, quam celerrime poterat, post eius obitum summa deuotione adimplere curauit.

al. filtra.

VITA

VITA HLVDOVICI PII IMP. KAROLI M. F.

Incerto auctore, sed tamen coætaneo, & Astronomiæ perito.

Hactenus pro Libro Quinto AIMONII *credita & edita, sed plenius in collectione P. Pithæi Francicorum: cuius singulas paginas hic annotare visum est.*

De Caroli Magni Regis ac Imperatoris clarissimi pietatis studio: Pyrenæi iugi superatione: infausto ob insidias reditu: Hildegardæ partu: Præfectorum constitutione: deque priuilegio S. Germani de Pratis nunc dicti, & alio dono

CAPVT I.



AMOSISSIMVS Regum, nullique suo tempore postponendus *Pith. 338.* Carolus, cum post obitum paternum, fratrisque Carlomanni infaustum occubitum, populi regnique Francorum suscepisset vnicum gubernaculum, inuincibile sibi arbitratus est affore salutis prosperitatisque suffragium, si Ecclesiæ paci concordiæque adminiculans, pacificos quidem sub vnione fraterna arctius vinciret: rebelles æqua seueritate percelleret: necnon & oppressis à Paganis opem ferret: sed & ipsos Christiani nominis inimicos, ad agnitionem confessionemque veritatis quoquo modo perduceret. His igitur conatibus, regni sui auspicia dedicans, & Christo tuenda & corroboranda committens, postquam res Franciæ, prout libuit & vtile iudicauit, Deo annuente composuit, ad Aquitaniam transiit recidiua bella meditantē: & Hunoldo, quodam tyranno, auctore iam iamq; in arma ruentem, bello aggressus est. Eius ergo terrore coactus est idem Hunoldus, & Aquitaniam linquere, & fugæ subsidio vitam, delitescendo atque oberrando, seruare. His peractis, & rebus tam publicis quam priuatis pro opportunitate dispositis, reliquit Hildegardam nobilissimam piissimamq; reginam *Hildegardis.* in villa regia, cuius vocabulum est Casinogilus, gemina grauidam prole: & transiit Garomnam fluuium Aquitanorum & Vasconum conterminum *Garumna fl.*: quam regionem iamdudum in deditionem susceperat, Lupo principe se & sua ejus nutui dedente. Ibidem etiam quæ opportunitas vtilitasque dictauit explicitis, statuit, Pyrenæi montis superata difficultate ad Hispaniam pergere, *P 339.* laborantique Ecclesiæ, sub Sarracenorum acerbissimo iugo, Christo fautore suffragari. Qui mons cum altitudine cœlum pene contingat, asperitate cautium horreat, opacitate syluarum tenebrescat, angustia viæ vel potius semitæ commeatum, non modo tanto exercitui, sed paucis admodum pene intercludat *Pyrenæi altitudo & difficultas.*: Christo tamen auxiliante, prospero est emensus itinere. Neque enim Regis animus, Deo nobilitante, generosissimus, vel impar Pompeio, vel segnior esse curabat Annibale: qui cum magna sui suorumque fatigatione & perditione, iniquitatem huius loci olim euincere curarunt. *Pompeius.* *Annibal.* Sed hanc facilitatem transitus (si dici fas est) fœdauit hostis † infidus, incertusq; For- *al. deest, hostis.*

tunæ ac vertibilis successus. Dum enim quæ agi potuerunt in Hispania, peracta essent, & prospero itinere reditum esset, infortunio obuiante extremi quidam in eodem monte regii cæsi sunt agminis. Quorum quia vulgata sunt, nomina † dicere supersedi. Rediens ergo reperit coniugem Hildegardam, binam edidisse prolem masculinam. Quorum vnus immatura morte præreptus, antè pene mori quam sub luce viuere cœpit: alter prospero euentu materno fusus vtero, infantilibus nutriebatur impendiis. Nati sunt autem anno incarnationis domini nostri Iesu Christi septingentesimo septuagesimo octauo. Sed eum qui viuidam promittebat qualitatem, cum per baptismatis sacramentum renasci contigisset, Hludouicum vocitari patri placuit: eique regnum, quod sibi nascendo dicauerat, contradidit. Sciens porro Rex sapientissimus atque perspicacissimus Carolus, Regnum esse veluti corpus quoddam, & nunc isto, nunc illo incommodo iactari, nisi consilio & fortitudine, velut quibusdam medicis, sanitas accepta tutetur, Episcopos quidem modo quo decuit sibi deuinxit: ordinauit autem per totam Aquitaniam Comites Abbatesque, necnon alios plurimos (quos *Vassos* vulgo vocant) ex gente Francorum: quorum prudentiæ & fortitudini nulla calliditate, nulla vi obuiare fuerit tutum: eisque commisit curam regni, prout vtile iudicauit, finium tutamen, villarumque regiarum ruralem prouisionem: & Bituricæ ciuitati primo Humbertum, paulo post Sturminium præfecit comitem: Porro Pictauis Abbonem: Petragoricis autem Widbodum: Sed & Auernis Iterium: necnon Wallagiæ Bullum: sed & Tholosæ Corsonem: Burdegalis Siguinum: Albigensibus vero Haimonem: porro Lemouicis Hrotgarium. Quibus rite peractis, Ligerim cum reliquis trāsmeauit copiis, & Lutetias, quæ alio nomine *Parrhisii* † vocātur, sese recepit.

Rolandus, Oliuerius, &c. Hildegarda partus. Anni salutis 778. Ludouicus. Regnum. Vassi. Præfectorū constitutio. Parrisius.

Tunc eius adiit præsentiam venerabilis Robertus, abbas cœnobii sancti Vincentii sanctique Germani: petens quatenus præceptum immunitatis ipsius Ecclesiæ, quod olim dominus Pipinus genitor eius fecerat, ipse sua benignitate confirmaret. Quod non solum fecit, sed etiam nouum sua præceptione descriptum sigillo suæ regiæ maiestatis firmauit. Est autem huiusmodi. *Carolus gratia Dei rex Francorum & Langobardorum, atque patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, seu iunioribus nostris. Si opportuna beneficia ad loca sanctarum Ecclesiarum, vel sacerdotibus præstare non desinimus, hoc proculdubio ad æternam nobis beatitudinem retribuendam profuturum confidimus. Igitur cognoscat magnitudo seu vtilitas vestra, qualiter venerabilis vir Rotbertus Abbas de Basilica sancti Vincentii vel domini † Germani, vbi ipse pretiosus corpore requiescit, clementiam regni nostri accessit: & præceptum domini & genitoris nostri bonæ memoriæ Pipini regis, nobis ostendit relegendum: vbi repperimus insertum, qualiter propter nomen Domini beneficium præstitisse cognoscitur, vt annis singulis quocunque, in regno nostro, negotiantes ipsius sancti loci pergere velint (sicut ipse Rotbertus abbas mercari † videtur) tam ad luminaria comparanda, quam pro reliqua necessitate, discurrentes, tam extra Ligerim quam intra, vel in Burgundia etiam, in Aquitania, vel in Prouincia, seu in Francia, necnon & in Austria, quocunque in regna (Christo propitio) nostra pergere voluerint, nullum theloneum vel de sarcinis, aut de carricatione †, neque de nauigio, vel de qualibet redhibitione, exinde ad partem fisci nostri, missi Abbatis discurrentes persoluere quicquam debeant. Propterea præsenti præcepto decernimus (quod perpetualiter mansurum esse iubemus) vt non per vllos portus, neque per ciuitates, tam Vtrodomo †, quam Aurelianis, vel Ambianis, neque in Traiecto, neque in Dorstade, vel Neomago †, neque per omnes pontes, vel ad sanctam Maxentiam, siue Parrhisius, siue Ambianis, neque in Burgundia, vel in pago Trecasino, neque in Senonico, vel per omnes ciuitates vbicunque in nostro (propitio Christo) regno, aut pagis, vel territoriis, theloneus exigatur, nec de [illegible]li, vel de carrali, neque de saumi, seu de trana †, cuectione, vel Rotaticum, vel pontaticum, [illegible] pulueraticum, nec salutaticum, nec cispitaticum, vel vllam redhibitionem, quam fiscus [illegible] inde possit sperare, nec vos aut iuniores vel successores nostri ab eisdem requiratis seu exigatis: sed omnia hæc, propter nomen Domini, ipse Abbas, vel successores eius, seu memorata ecclesia sancti Vincentii vel domini Germani, habeant indultum: vt ad luminaria ipsius sancti loci proficiat in augmentis. Adiungimus etiam theloneum illum, quem Gerhardus comes apud Villam nouam, in curte sancti Germani visus fuit recipere, quia in nostrum redit ius, vt deinceps ad partem sancti Germani ipse theloneus cum omni integritate, in nostra eleemosyna, ad luminaria ipsius sanctæ Ecclesiæ recipiatur absque alicuius refragatione. Quam vestra auctoritate, sancti Pontifices nostri ac proceres, perpetuis temporibus valitura, manu propria, signatione nostri sigilli, studuimus roborare. Data [illegible] I. Kal. Aprilis [illegible]*

Priuilegium & immunitas S. Germani de Pratis. al. Domni. al. Mitti videtur. Gal. Charroy. al. in Rodomo, i. Rotomago. quod & Nouiomagum. f. traba.

no

no XI. regni nostri: & quinto patriciatus nostri. Actum Haristallio in palatio: redintegratum vero Parrhisiis. Contulit & gloriosus rex Carolus Ecclesiæ prædictorum Sanctorum tali infra scripto aliud beneficium. *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanus, omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris. Quicquid locis venerabilibus ob amorem Domini, & opportunitatem seruorum Dei, beneuola deliberatione concedimus, hoc nobis ad æternam beatitudinem vel remedium animæ nostræ pertinere confidimus. Quapropter compertum sit omnium vestrorum magnitudini, qualiter donamus ad monasterium sancti Germani, quod est prope Parrhisiorum ciuitatem constructum (vbi ipsius preciosum corpus quiescit humatũ, quod venerabilis vir Robertus abbas in regimine habere videtur) donatumq; ad eundem sanctũ* **Donatio noua.** *locum, & fratribus ibidem degentibus, esse volumus, hoc est villam nostram nuncupatam Madriolas, in pago Milidunensi super fluuium Sequanæ, cum omni integritate ad eam pertinente vel aspiciente, sicuti à longo tempore & nunc iuste & rationabiliter ad eandem visum est pertinuisse, vel sicut moderno tempore Autbertus comes per nostrum beneficium tenere videtur, id est, cum terris, domibus, ædificiis, accolis, mancipiis, vineis, campis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarũ decursibus, mobilib. & immobilibus; & portum qui est intra pagum Senonicũ & Milidunensem, à Balsiaco, vil-* **Inter.** *la præfati S. Germani, vsq; monasteriolum S. Mauricii ex vtraq; ripa fluminis Sequanæ, cuiuscunque sit terra: ita vt nullus inibi portum vel aquam habeat, nisi iam dicta potestas almi Germani, neque Theloneum, aut Rotaticum seu Vultaticum, Cepistaticum, ripaticum, vel salutaticum, cuiquam accipere liceat: mercatum quoque, omniaque ex omnibus quicquid dici aut nominari potest, ad integrum ad ipsum sanctum locum, eiusque rectoribus ac monachis, a die præsenti tradimus perpetualiter possidendum. Propterea hanc præceptionem auctoritatis nostræ conscribere iussimus, per quam omnino statuentes decernimus quod circa ipsum Abbatem vel rectores ipsius Ecclesiæ perpetualiter volumus esse mansurum, vt nullus de iudiciaria potestate, aut de parte fisci nostri, aut qualiscunque persona, de prædicta villa Madriolis, vel quicquid ad eam attinet, ipsum Abbatem vel monachos in eodem monasterio consistentes inquietare, vel contra rationis ordinem per calumniam ingerere præsumat. Sed ab hodierna die Rectores ipsius monasterii eam habeant, teneant, atque possideant: quatenus melius delectet iam dictum Abbatem, & ipsos monachos, pro nobis vxoreque nostra, filiis, nec non pro stabilitate regni nostri, Domini misericordiam attentius deprecari. Et vt hæc auctoritas firma habeatur, vel nostris & futuris temporibus melius conseruetur, manu propria subter eam decreuimus roborare, & de annulo nostro iussimus sigillari. Data nonis Nouem. anno XIX. Regni nostri, & patriciatus XIII. Warmatiæ in palatio feliciter.*

De Caroli magni ad Vrbem profectionis causis: & filii eius Ludouici benedictione: de Ludouici in Aquitania regno: Caroli cum Saxonibus conflictu: Ludouici in habitu Vasconico patri occursu: de Vasconis perfidia

CAPVT II.

POst non multum sane tempus incidit ei desiderium dominam quondam orbis videre Romam, principisque Apostolorum, atque doctoris gentium, adire limina, seque suamque prolem eis commendare: vt talibus nitens suffragatoribus, quibus cœli terræque potestas attributa est, ipse quoque subiectis consulere, perduellionumque, si emersissent, proteruiam proterere posset: ratus etiam non mediocre sibi subsidium conferri, si à vicario eorum, cum benedictione sacerdotali, tam ipse quam & filii eius, regalia sumerent insignia. Quæ res Deo prosperante, pro voto cessit. Ibidem Ludouicus eius filius, cunarũ adhuc vtens gestatorio, benedictione regnaturo congrua, & regali insignitus est diademate, per manus venerandi Adriani antistitis. Peractis autem omnib. quæ Romæ agenda visa sunt, rex Carolus, cum filiis & exercitu, pacifice Franciam repetiit: filiumque suum Ludouicum regem, regnaturum in Aquitaniam misit, præponens illi baiulum † Arnoldum, aliosque ministros ordinabiliter decenterq; cōstituens, tutelæ congruos puerili. Qui vsque Aurelianam ciuitatem cunali est euectus gestamine. Sed ibi congruentibus eius æuo armis accinctus, equo impositus in Aquitaniam est (Deo annuente) transpositus. Quo dum non multis moratur annis, idem

P. 340. P. 341. † i. educatorē.

Carolus in Saxones.

gloriosus rex Carolus assiduos durosque Saxonibus inferebat referebatque cõflictus. Inter quæ cauens ne aut Aquitanorum populus propter eius longum abscessum insolesceret, aut filius in tenerioribus annis peregrinorum aliquid disceret morum, quib. difficulter expeditur ætas semel imbuta, misit & accersiuit filium, iam bene equitantem, cum omni populo militari, relictis tantum Marchionibus, qui fines regni tuentes, omnes si forte ingruerent, hostium arcerent incursus. Cui filius Ludouicus pro sapere & posse obedienter parens, occurrit ad patris præsentiam, habitu Vasconum cum coæuis sibi pueris indutus, amiculo scilicet rotundo, manicis camisiæ diffusis, cruralibus distentis, calcaribus caligulis insertis, missile manu ferens: hæc enim delectatio voluptasque ordinauerat paterna. Mansit ergo cum patre inde vsq; ad Herisburg cum eo vadens, vsque quo Sol ab alto declinans axe, ardorem æstiuum autumnali condescensione temperaret. Cuius extremo tempore, licentia à patre accepta, hyematum in Aquitaniam rediit. Ea tempestate Chorso dux Tholosanus, dolo cuiusdam Vasconis, Adelerici nomine, circunuentus est, & sacramentorum vinculis obstrictus: sicq; demum ab eo absolutus. Sed huius næui vlciscendi gratia, rex Ludouicus & proceres, quorum consilio respublica Aquitanici administrabatur regni, conuentum generalẽ constituerunt in loco Septimaniæ, cuius vocabulum est Mors Gothorum. Accitus autem idem Vasco, conscius facti sui venire distulit, donec obsidum interpositione fretus, tandem occurrit. Sed eorundem obsidum periculo nihil passus, insuper muneribus donatus, nostros reddidit, suos recepit: & ita recessit.

Vasconum hab. tus.

Adelerici scelus. P. 341.

Mors Gothor. vt Pollentia Claudiano, memorabile bustum Barbariæ.

De Adelerici exilio: Ludouici militari ensis accinctu, & in Italiam profectione ac reditu: deq; Pipini rebellione: de hybernis regiis: de Annona militibus negata: Albigensium à tributo leuatione: deque stipendiaria annona à Carolo inhibita

CAPVT III.

P. 342.

AEstate vero subsequente, iussu patris, Ludouicus rex Warmatiam simpliciter, nõ expeditionaliter, venit: & cum eo in hybernis perstitit: vbi iam dictus Adelericus ante Reges dicere causam iussus, atq; auditus, purgare obiecta volens, sed non valens, proscriptus atque inreuocabili est exilio deportatus. Chorsone porro à ducatu Tholosano, ob cuius incuriam tantum dedecus regi & Francis acciderat, remoto, Wilihelmus pro eo subrogatus est. Qui Vascones (vt sunt natura leues) propter euentum supradictum valde elatos, & propter mulctationem Adelerici nimis repperit efferatos: quos tamen tã astu quã viribus breui subegit: illiq; pacem imposuit nationi. Rex vero Ludouicus eodem anno Tholosæ placitum generale habuit: ibiq; consistenti Abutaurus Sarracenorum dux, cum reliquis regno Aquitanico conlimitantibus, ad eum nuntios misit, pacem petens & dona regia mittens. Quibus secundum voluntatem Regis acceptis, nuntii ad propria sunt reuersi. Interea anno hunc sequente, patri regi rex Ludouicus apud Engelheim occurrit, inde Rauesbourgum † cum eo abiit. Ibique ense, iam appellens adolescentiæ tempora, accinctus est, ac deinde patrem in Auaros exercitum ducentem vsque ad Cuneberg comitatus, iussus est reuerti, & vsque ad reuersionem paternam cum Fastrada manere regina. Itaque cum ea hyemem exegit imminentem, patre in expeditione cœpta permanente. At vero ipso ab expeditione Auarica remeante, accepit ab eo mandatum in Aquitaniam redeundi, & fratri Pipino suppetias, cum quantis posset copiis, in Italiam pergendi. Cui obediens, in Aquitaniã autumni tempore redit: omnibusq; quæ ad tutamen regni pertinent ordinatis, per montis Cinisii asperos & flexuosos anfractus, in Italiam transuehitur: atque Natalem Domini Rauennæ celebrans, ad fratrem venit. Cui coniunctus, iunctis viribus Beneuentanam prouinciam ingrediuntur: cuncta obuia populantur: castro vno potiuntur. Hyeme autem transacta, vna ad patrem prospere regrediuntur: vno tamen audito offuscãte eorum plurimã alacritatem: eo q. compererunt fratrẽ suũ naturalem Pipinũ, contra cõmunem patrem rebellionem meditantem, pluresq; nobilium huius sceleris conscios

Adelerici exilium.

Vasconum subiectio.

al. Hrauesburg. P. 343.

Mons Cinisius.

Pipini rebellio.

conscios atque irretitos esse pessundandos. Concite ergo pergentes, ad patrem in Baioaria agẽtem venerunt, in loco cuius est vocabulum Saltz: & ab eo gratissime sunt recepti. Quicquid autem superfuit æstatis, autumni & hyemis, cum patre Rege rex Ludouicus exegit: magnopere enim curabat Rex pater, ne regem filium aut nutrimenta honesta laterent, aut externa inhærescentia in aliquo dehonestarent. Qui cum primo vere à patre dimitteretur, interrogatus est ab eo, cur *Rex cum esset, tantæ tenuitatis esset in re familiari, vt nec benedictionem quidem nisi ex postulato sibi offerre posset?* didicitque ab illo, quia priuatis studens quisque primorum, negligens autem publicorum, peruersa vice dum publica in priuata vertuntur, nominetenus dominus factus, sit omnium pene indigus. Volens autem huic obuiare necessitati, sed cauens ne filii dilectio apud optimates aliquam pateretur iacturam, si illis aliquid per prudentiam demeret, quod per inscientiam contulerat, misit illi legatos suos, Willebertum scilicet Rothomagensis postea vrbis archiepiscopum, & Richardum comitem, villarum suarum prouisorem: præcipiens, *Vt villæ quæ eatenus vsui seruierant regio, obsequio restituerentur publico.* Quod & factum est. Quibus receptis, Rex & prudentiæ suæ monstrauit continuo documentum, & misericordiæ (quæ illi genuina probatur) patefecit affectum. Nam ordinauit qualiter in quatuor locis hyberna transigeret: vt tribus annis exactis, quarto demum anno hyematurum se quisque eorum susciperet locus: Theoatuadum scilicet palatium, Cassinogilum, Andiacum, & Eurogilum. Quæ loca, quando quartum redibatur ad annum, sufficientem regio seruitio exhibebant expensam. Quibus prudentissime ordinatis, inhibuit à plebeis vlterius annonas militares (quas vulgo *foderum* † vocant) dari: & licet hoc viri militares ægre tulerint, tamen ille vir misericordiæ, considerans & præbentium penuriam, & exigentium crudelitatem, simul & vtrorumque perditionem, satius iudicauit de suo subministrare suis, quam sic permittendo copiam rei frumentariæ, suos irretiri periculis. Quo tempore Albigenses tributo, quo in dando vino & annona grauabantur, sua liberalitate releuauit. Habebat autem tunc temporis Meginarium secum, missum sibi à patre, virum sapientem & strenuum, gnarumque vtilitatis & honestatis regiæ. In tantum autem Regi patri hæc placuisse dicuntur, vt hac imitatione, stipendiariam in Francia interdiceret annonam militarem dari, & alia plurima corrigi iuberet, congratulans felicibus filii profectibus.

P.344. *Hyberna regia IV.* *Annona militibus negata.* *Gall. Fourrage.* *Albigensiũ à tributo leuatio.* *P.345.*

De legatorum auditione: Harmingardæ nuptiis: De Aquitaniæ munimentis constructis: De Saxonica expeditione, ad quam Ludouicus vocatus: Deque Barcinonica per Ludouicum expeditione: Oscani agri vastatione: Deque Saxonum subactione post XXXIII. annorum bella

CAPVT IV.

SEquenti porro tempore Tholosam venit Rex & conuentum generalem ibidem habuit: Adefonsi Galleciarum principis legatos, quos pro amicitia firmanda miserat, cum donis suscepit, & pacifice remisit. Necnon & Bahaluc Sarracenorum ducis, qui locis montuosis Aquitaniæ proximis principatum gerebat, legatos pacem petentes & dona ferentes suscepit, & remisit. Quo tempore, veritus ne corporis natiuo superatus calore, in multimodos luxuriæ raperetur anfractus, cum consilio suorum Harmingardam †, futuram reginam, claris ortam natalibus, vtpote filiam Nigranni † comitis, sibi sociauit. Ordinauit autem illo tempore in finibus Aquitanorum, circunquaque, firmissimam tutelam. Nam ciuitatem Ausonam, castrum Cardonam, Castaserram, & reliqua oppida olim deserta, muniuit, habitari fecit, & Burrello comiti, cum congruis auxiliis, tuenda commisit. Hyeme transacta, misit ad illum pater Rex, vt ad se contra Saxones euntem, cum populo quo posset veniret. Qui ire non differens, ad eum Aquisgrani venit: & cum ipso ad Fremersheim,

Legati Galleciani & Bahaluci. *al. Hirmingardam.* *al. Ingranni.* *Munimenta Aquitaniæ constructa.* *De Saxonica expeditione.*

p. 346.

vbi placitum generale habuit, super ripam Rheni perrexit. In Saxonia cum patre vsque ad festum sancti Martini perdurauit. Inde à Saxonia cum patre exiit: & in Aquitaniam, magna hyemis exacta parte, concessit. Succedente vero æstate rex Carolus ad eum misit, mandans vt secum in Italiam proficisceretur. Sed mutato consilio, iussus est domi manere.

Expeditio Barcinonica. *Oscani agri vastatio.* *Expeditio Saxonica.* *Nussiam. hod. Neuss. Ostfala.* *Saxonicum Bellum XXXIII. annorum.* *P. 347.* *† Verdunum*

Rege autem Romam pergente, ibidemque infulas imperatorias suscipiente, rex Ludouicus Tholosam abiit iterum: atque inde in Hispaniam contendit, cui Barcinonæ appropinquanti, Zaddo dux eiusdem ciuitatis, iamque subiectus, occurrit, nec tamen ciuitatem dedidit. Quam transgrediens Rex, & Ilerdæ superueniens, subegit illam atque subuertit. Qua diruta, & cæteris municipiis vastatis ac incensis, ad Oscam vsq; processit. Cuius agros segetibus plenos manus militaris secuit, vastauit, incendit: & quæcunq; extra ciuitatem sunt reperta, incendio depascente sunt consumpta. Quibus expletis imminente iam hyeme ad propria rediit. Redeunte porro tempore æstiuo, imperator gloriosissimus Carolus Saxoniam petiit, mandans filio vt & ipse, tanquam in eadem terra hyematurus, se subsequeretur. Quod ipse agere festinans, ad Neusciam † venit: Rhenum ibidem transiit: patri concurrere accelerabat. Sed antequam ad eum veniret, nuntius obuiauit paternus in loco cuius vocabulum est Ostfaloa, cum mandatis ne plus in ambulando fatigaretur: quin potius loco sibi opportuno castra metaretur: & se redeuntem ibidem opperiretur. Tota enim gente subacta Saxonum, victor Carolus imperator iam redibat. Cui cũ filius occurrisset, multo cum amplexatu deosculans plurima illum gratiarum actione & laude extulit: vtilitatemq; obsequelæ illius sæpe iterando, felicem se tali filio prædicauit. Finito tandem diutino atque cruentissimo Saxonico bello, quod (vt ferunt) triginta trium annorum tempus occupauit, Ludouicus rex à patre dimissus, in regnum proprium ad hyberna sese cũ suis collegit. Hyeme porro transacta, Carolus imperator tempus opportunum nactus, vt pote ab externis quiescens bellis, cœpit circumire loca regni sui mari contigua. Quod dum Ludouicus rex comperisset, Rothomagum misso legato Hademaro, petiit eum in Aquitaniam diuertere, & regnum quod sibi dederat inuisere, & ad locum qui Cassinogilus vocatur, venire. Cuius petitionem pater honorabiliter suscepit, & gratias filio egit: petita tamen negauit, & vt sibi Turonis occurreret mandauit. Quo filius veniens, gratulabunde ab eo nimis susceptus, & in Franciam redeuntem Vernum † vsque prosecutus est. A quo digrediens, in Aquitaniam est regressus.

De Addonis Barcinonensium ducis captiuitate: de Vasconum rabie & eius vindicta: de Barcinonæ oppugnatione à Ludouico rege: de Barcinonæ oppugnatione exercitu tripertito: & eius oppugnatione seu captione: & Ludouici ad patrem regressione

CAPVT V.

Addo capitur. *Vasconum furor.* *Barcinonæ oppugnatio.*

ÆState hanc sequente, Z Addo dux Barcinonensis suasus est à quodam sibi (vt putabat) amico, Narbonam vsque procedere. Qui comprehensus Ludouico regi est adductus: & patri Carolo itidem perductus. Ipso tempore Ludouicus rex, coacto populo regni sui Tholosæ, de his quæ agenda videbantur tractans, deliberabat: Burgundione nanque mortuo, comitatus eius Fedentiacus Liutardo est attributus. Quam rem Vascones moleste ferentes, in tantam erupere petulantiam, vt etiam hominum illius, alios ferro perimerent, alios igni comburerent. Quo vocati, cum primum venire detrectarent, quoquo modo ad caussam dicendam venerunt: & pœnas debitas pro talibus ausis dederunt, ita vt quidam (talionis lege) igni conflagrarent. His peractis, succedente tempore visum est Regi & consiliariis eius, vt ad Barcinonam oppugnandam ire deberent. Diuisoque in tres partes exercitu, vnam quidem Ruscellioni ipse permanens secum retinuit: alteri obsidionem vrbis

iniun-

iniunxit, cui Rostagnus comes gerundæ præfuit: tertiam autem ne forte obsidentes urbem, obsiderentur, in medio sedere permisit. Obsessi interea intra urbem, Cordubam miserunt, auxiliumque poposcerunt: rex vero Sarracenorum, protinus auxiliatum eis exercitum direxit. Venientibus porro his qui missi fuerant Cæsaraugustam, relatum est eis de exercitu, in via sibi obuiam constituto. Erat autem ibi Wilhelmus primus signifer, Hademarus, & cum eis validum auxilium. Quod illi audientes, in Astures † sese verterunt. Quibus recedentibus nostri ad socios vrbem obsidentes reuersi sunt. Et illis iuncti tamdiu vrbē, obambientes & nullum ingredi aut egredi permittentes, vexarunt, donec famis acerbitate coacti sunt, & vetustissima ostiis coria detrahere, & in cibū infelicissimū vertere. Alii aūt mortem infelicissimæ proponentes vitæ, è muris semet præcipites mittebāt. Aliqui vero spe animabantur inani, cogitantes q; Franci, hyemis asperitate, à ciuitatis cohiberentur obsidione. Sed hanc illorū spē abscidit prudentium consilium virorum. Aducta enim vndecunq; materie, cœperunt extruere casas veluti in hybernis ibidem mansuri. Quod cernentes ciuitatis habitatores, ab spe deciderunt, & ad desperationem vltimam versi, suum principem tradiderunt, & Zadonis cognatum (quem pro eo constituerant) nomine Hamur, & se ac ciuitatem, concessa facultate secedendi, dediderunt: hoc modo. Cum enim longa fessam obsidione nostri tenerent vrbem, & iamiam capiendam aut tradendam crederent, honesto (vt decebat) vsi consilio Regem vocant, vt vrbs tanti nominis gloriosum nomen Regi propagaret, si illam eo præsente superari contingeret. Suggestioni huic admodum honestæ Rex assensum præbuit. Venit ergo ad exercitum suum vrbem vallantem: atque indesinenti oppugnatione sex hebdomadibus pertinacissime perdurauit, & tandem superata victori manus dedit. Tradita ergo & patefacta ciuitate, primo quidem die custodes illuc Rex destinauit. Ipse autem ab eius ingressu abstinuit, donec ordinaret qualiter condigna Deo gratiarum actione, cupitam atque susceptam victoriam eius nomini consecraret. Antecedentibus ergo eum in castrinum & exercitum eius sacerdotibus & clero, cum solenni apparatu & laudibus hymnidicis, portam ciuitatis ingressus, & ad Ecclesiam sanctæ & victoriosissimæ Crucis, pro victoria sibi collata gratiarum actiones Deo acturus, est progressus.

P.348. *Asturas.* *Obsessio & fames dira.* *Barcinonæ deditio.* *P.349.*

Porro post hæc, Bera comite ibidem ob custodiam relicto cum Gothorum auxiliis, hyemandi gratia ad propria remeauit: Cui pater, comperto quod ei imminere videbatur à parte Sarracenorum periculo, fratrem Carolum suffragaturum mittebat. Eique Lugduni agenti, & ad fratris adiutorium properanti, nuntius Regis fratris occurrit: captam ciuitatem nuntiauit, & ne longius fatigaretur edixit. Qui ab eodem loco regrediens, ad patrem est reuersus. Rege porro Ludouico in Aquitania hybernum exigente tempus, pater Rex eum madauit venire ad suum colloquium Aquasgrani, in purificatione sanctæ Mariæ genitricis Dei. Cui occurrens, & quousque placuit cum eo commorans, Quadragesimæ tempore rediit.

De Hispanica expeditione repetita, & eius spoliatione: ac Iberi & Cingæ per Gallos transitu, & Maurorum per eosdem cade.

CAP. VI.

SVccedente æstate, cum quanto visum est bellico apparatu in Hispaniam proficiscitur: profectusque per Barcinonam, & veniens Tarraconam, quos ibidem repperit cepit: alios fugauit: vniuersaque loca, castella, municipia, vsque Tortosam vis militaris excidit, & flamma vorax consumpsit. Interea in loco, cuius vocabulum est Sanctæ Columbæ, diuisit copias suas in duas partes: maiorem partem secum contra Tortosam ducens: porro Hisembardum, Hademarum, Beram, Burellum cum reliquis expeditissime ad superiora dirigens: vt Ibero flumine transito, dum hostes in sedibus securi residerent ab istis insidiis, ex improuiso eos aggrederentur,

Hispania vastatio. *P.350.* *S. Columba.*

Iberi & Cingae transmissio. *Villa Rubea.* *Vallis Ibana.* *P.351.*

aut certe turbata regione, in pauorem soluerentur. Igitur Rege Tortosam tendente, memorati viri tandiu prope superiores Iberi partes noctibus euntes, & diebus syluarum lustra sectantes, obambulauerunt, vsquequo Cingam & Iberum natando pariter transierunt. In quo itinere sex dies transigentes, septima transmearunt. Qui vbi omnes incolumes euaserunt, terram hostium latissime vastauerunt, & vsque villam eorum maximam, quae Villa Rubea vocatur, peruenerunt: Vnde praedam magnam nimis sustulerunt, vtpote improuisis hostibus & nihil vnquam tale suspicantibus. Quibus gestis, iis qui euadere potuerunt, hanc plagam longe lateque nuntiantibus, collecta est Sarracenorum Maurorumque multitudo non minima: & eis obuia constitit, ad ostium vallis, quae dicitur Vallis Ibana. Cuius vallis natura est, vt ipsa in profundo iacens, hinc inde praeruptis atque altis cingatur montibus, quam nisi Dei prouidentia intrare prohibuisset, nostri absque pene vllo hostium labore, lapidum ictibus poterant interire, vel in manus inimicorum deuenire. At dum illi viam praestruunt, nostri autem aliorsum viam apertiorem planioremque petunt, reputantes Mauri haec nostros non ob sui tantum custodiam, sed metu potius eorum facere, à tergo eos insequuntur. Porro autem nostri praedam post se relinquentes facies hostibus nudauerunt, & acriter restiterunt, Christoq; iuuante ipsos terga vertere compulerunt. Quos autem apprehenderunt, necauerunt: & laeti ad prędam quam reliquerant redierunt. Ac tandem post dies viginti suae digressionis, ad Regem alacres paucissimis suorum amissis redierunt. Rex autem Ludouicus suos laetanter recepit: & terra hostili vsquequaque vastata, domum rediit.

De nauium contra Nortmannos aedificatione: & Hispanicae expeditionis resumptione: Gallorum stratagemate: Iberi iterata traiectione, & subtili per fimum equinum hostilis aduentus deprehensione: Abaidi Mauri fuga praecipiti, & Maurorum caede: Item de Tortosae vrbis deditione facta. Ludouico regi qui tunc aderat

CAP. VII.

Nauium contra Nortmannos aedificatio. *Silidam. f. Scaldim.* ** Ingobertum.* *Expeditio Hispanica repetita.* *P.352. Stratagema.* *Iberi traiectio.*

SEquenti vero tempore veris, rex Ludouicus expeditionem in Hispaniam parauit. Sed pater, ne per semetipsum illuc pergeret, eum impediuit. praeceperat nanque tunc temporis fabricari naues, contra Northmannicas incursiones, in omnibus fluminibus quae mari influebant. Quam curam etiam filio iniunxit super Rhodanum, & Garomnam, & Silidam †. Attamen misit ei legatum suum Vigoberrum *, qui filii praesentiam praeferret, & vice amborum, contra hostes exercitum duceret. Rege autē in Aquitania remanente ob supradictam causam, exercitus eius itinere prospero Barcinonam venit: ibique habito inter se consilio, qualiter hostibus clandestina possent superuenire irruptione, inuenerunt hunc modum: scilicet, vt naues transuectorias fabricantes, vnamquanque earum in quaternas partirentur partes, quatenus pars quaterna cuiusque, duobus equis vel mulis vehi posset: & praeparatis clauis & marculis facile coaptari valerent, pice vero & cera ac stupa praeparatis, mox vt ad flumen veniretur, compagum iuncturae obcludi possent. Sic itaque instructi, maxima pars eorum cum praedicto legato Ingoberto Tortosam petierat. At vero ii qui ad opus supradictum sunt deputati (Bademarus scilicet, Bera & reliqui) trium dierum emenso itinere (erant enim sine saumariis) coelo pro tecto vtentes, igni ne fumo deprehenderentur, renuntiantes, syluis se die occulentes, nocte quantum posse dabatur iter agentes, quarto die Ibero compactis nauibus ipsi quidem sunt transpositi, equos autem natatui commiserunt. Quod factum magnum voto eorum pepererat effectum, nisi fuisset acerrime deprehensum. Cum enim Abaidus dux Tortosae, transitu nostros prohi-

prohibiturus littora Iberi obsideret fluminis, & illi quos supra diximus, superiora illius modo prædicto transmitterent, Maurus quidam lauandi gratia flumen ingressus, fimum à flumine vidit ferri equinum: Quo viso (sicut sunt nimiæ calliditatis) adnatans, fimumque comprehendens & naribus admouens, exclamauit; *Cernite* (inquiens) *o socii, moneo, quam caute. Nam hoc stercus non onagri est, vel cuiusquam animantis herbidis assueti pastibus. Enimuero equina hæc esse constat egesta: quæ certum est hordeum fuisse, & ob hoc equorum vel mulorum pabula, ideoque cautius vigilate. Nam in superioribus fluminis huius (vt cerno) nobis parantur insidiæ.* Extemplo duos suorum conscensis speculatum dirigunt equis: Qui nostris visis, quod verum erat Abaido renuntiant. At illi timore coacti, omnibus quæ castrensis habitatio habuit posthabitis atque dimissis, fugæ se commiserunt: omniumque relictorum nostri potiti, in eorum papilionibus illa sunt nocte hospitati. Sed Abaidus collecta multa manu hostium, eis postridie præliaturus occurrit. Nostri tamen diuino freti auxilio, licet impares multoque numero inferiores, tamen hostes fugere compulerunt: multaque eorum strage viam fugientium repleuerunt. Et eò vsque manus ab eorum cæde non continuerunt, donec Solis dieique lumine recedente & vmbra noctis terram occupante, lumina stellarum noctem solatura succederent. His gestis Christo fauente, ad suos sese magno cum gaudio & opibus collegerunt. Diu etiam simul obsessa vrbe domum repedarunt.

Subtilis deprehensio hostium. *Abaidi fuga.* *P. 353.* *Maurorum cædes.*

Porrò anno huic proximo Hludouicus rex per semetipsum Tortosam repetere statuit, habens secum Heribertum, Lintardum †, Hisembardum, validumque Franciæ supplementum. Quò perueniens, adeò illam arietibus, mangonibus †, vineis, & cæteris instrumentis lacessiuit & protriuit muralibus, vt ciues illius à spe deciderent, infractosque † suos aduerso Marte cernentes, claues ciuitatis traderent, quas ipse cum multo fauore post attulit patri. Quæ res magnum Sarracenis & Mauris, pro talibus gestis incussit metum: verentibus ne singulas ciuitates par sors inuolueret. Reuersus est igitur Rex à ciuitate, post quadraginta dies inchoatæ obsidionis: & in proprium se contulit regnum.

Lintardum. mangonis. *i. valde fractos.* *Tortosæ deditio.*

De Oscæ obsidione, & quorundam temerario ausu & omnium re infecta reditu: de Vasconum defectione & subactione: De Pyrenæi iugi transitu: Vasconum perfidia subtiliter deprehensa: De regis Ludouici pietate, & Cleri in Aquitania reformatione, Monasteriorum plurimorum reparatione & ædificatione: Iustitia regis Ludouici: & patris congratulatione

CAP. VIII.

At post anni instantis excursum, exercitum ordinauit: & Oscam cum legato patris Heriberto mittere statuit. Quo peruenientes qui missi fuerant, ciuitatē obsederunt: obuios quosq; aut viuos comprehenderunt, aut in fugam coactos cōpulerunt. Sed dum contra vrbem sedentes ignauiori se, quam decuit, studio resoluunt, imprudentes ac leues aliqui iuuenum propius muros accedētes, verbis quidem eos qui propugnaculis prę̨sidebāt, primū lacessere, dein missilib. incessere tentāt. Oppidani vero contemnentes præsentiū paucitatem, absentium metientes perseram occursionem, apertis prosiliunt portis. Pugnatum hinc inde est: cæsi sunt ab vtraq; parte: & tādem illi in ciuitatem sese receperunt, isti autem ad castra māsuri redierunt. Protracta igitur obsidione, peracta vastatione, & quæcunque visa sunt contra inimicos agenda, ad Regem sunt reuersi: qui eo tempore in syluis venationum occupabatur studiis: erat enim tempus Autumni perextremum. Receptis ergo suis ab expeditione præmissa redeuntibus, Rex hyemem sequentē in suis consistens pacifice exegit. At succedēte æstate,

Oscæ obsidio. *Iuuenum Gallorum audacia.* *P. 354.*

accito populi sui generali conuentu, retulit eis rumorem sibi delatum, quod quædam *Vasconum defectio.* Vasconum pars iampridem in deditionem suscepta, nunc defectionem meditata in rebellionem assurgeret: ad quorum reprimendam peruicaciam ire publica vtilitas postularet. Hanc Regis voluntatem omnes laudibus prosequuntur: nec talia in subditis contemnenda, sed potius seuerissime resecanda testantur. Moto igitur & disposito, *Aquæ Sextiæ hod. Aix.* prout oportuit, exercitu, Aquas villam peruenit: & vt ad se venirēt, qui infidelitatis in- *Vasconum deditio.* simulabantur, iussit. Sed illis venire retractantibus, ad eorum vicinia deuenit, cunctaque eorum depopulari manū militarem permisit. Ad vltimum cunctis quæ ad eos pertinere videbantur consumptis, ipsi supplices venerunt: & tandem veniam perditis omnibus, magno pro munere meruerunt. *Pyrenæi transitus.* Superato autem pene difficili Pyrenæarum Alpium transitu, Pampilonam descendit: & in illis quam diu bonum visum est moratus locis, ea quæ vtilitati tam publicæ quam priuatæ conducerent ordinauit. *Vasconum perfidia. P.315.* Sed cum per eiusdem montis remeandū foret angustias, Vascones natiuum assuetumq; fallendi morem exercere conati, mox sunt prudenti astutia deprehensi, consilio capti, atque cautela vitati. Vno enim eorum, qui ad prouocandum processerat, comprehenso atq; appenso, reliquis pene omnibus vxores aut filii sunt erepti, vsquequo eo nostri peruenirent, quo fraus illorum nullam Regi vel exercitui posset inferre iacturam. His gestis, in propria Rex populusq; eius Deo propitio concessit.

Et Regis quidem ab ineunte ætate, sed tunc quam maxime circa diuinum cultum, *Ludouici pietas.* & sanctæ Ecclesiæ exaltationē, piissimus incitabatur animus: ita vt non modo Regem, sed ipsius opera potius eum vociferarentur Sacerdotem. Nam totius Aquitaniæ qui videbatur clerus, antequam ei crederetur (vtpote sub Tyrannis agens) magis equitationi, *Cleri reformatio.* bellicæ exercitationi, missilium librationi, quam diuino cultui operam dare nouerat. Regis autem studio vndecunque adductis magistris, tam legendi quam cantandi studium, necnon diuinarum & mundanarum intelligentia literarum, citius quam credi poterat coaluit: præcipue tamen affectu illorum ducebatur, qui sua pro Domini amore cuncta relinquentes, contemplatiuæ curabant fieri participes vitæ. Nam antequam Aquitania sub eo regnaret, collapsus erat in ea huiuscemodi ordo. At sub eo adeo conualuit, vt etiam ipse aui fraternum Carlomanni imitari gestiens memorabile exemplum, ipse quoq; theoricæ comprehendere niteretur culmina vitæ. Sed huius voti ne compos fieret, obicem se præbuit refragatio patris, vel potius diuinæ nutus voluntatis: quæ tantæ pietatis virum, noluit sub suæ cura solius salutis delitescere. sed *P.316.* potius per eum, & sub eo, multorum salutem adolescere. Et quidem multa (vt dictum est) ab eo sunt in eius ditione reparata, immo ædificata monasteria: sed præcipue *Monasteria instaurata aut ædificata per Ludou. Pium.* hæc, Monasterium sancti Filiberti, Monasterium sancti Florentii, Monasterium Karroffi, Monasterium Concas, Monasterium sancti Maxentii, Monasterium Menatæ, Monasterium sancti Magniloci, Monasterium Musciacum, Monasterium sancti * Sa- ** Sabini. Noalli, in Pictauia.* uini, Monasterium Masciacum, Monasterium Nobiliacum †, Monasterium sancti Theotfridi, Monasterium sancti Pascentii, Monasterium Dosoræ, Monasterium Solenniacum, Monasterium puellare sanctæ Mariæ, Monasterium puellare sanctæ Radegundis, Monasterium de Vera, Monasterium de Vtera in pago Tholosano, Monasterium Vadala in Septimania, Monasterium Anianæ, Monasterium Galiinæ, Mo- *al. in Rabine.* nasterium sancti Laurentii, Monasteriū sanctæ Mariæ quod dicitur Nirubiue †, Monasterium Caunas: & cætera plurima: quibus veluti quibusdam lychnis, totum decoratur Aquitaniæ regnum. Hoc eius exemplum non modo Episcoporum multi, sed & laicorum quam plurimi æmulati, collapsa restaurabant & noua certabant monasteria *Iustitiæ regis splendor.* instituere: quod cernere oculis est. In tantam denique res publica felicitatē Aquitanici profecerat regni, vt proficiscente quo libet Rege, vel in palatio residente, vix aliquis reperiretur, se conquerens aliquid iniuste perpessum. Tribus enim diebus Rex, per *P.317.* singulas hebdomadas, rei iudiciariæ intererat. Quadam tempestate misso Archambaldo commentariensi, Imperator dum ei quædam ferenda filio, referendaq; commisisset, & ille ordinationem hanc (vt viderat) rediens patri retulisset, adeo exultasse di- *Caroli de Ludouico F. gaudium.* citur, vt præ nimia alacritate lachrymis fluxerit, & circumstantibus dixerit, *O* (inquit) *socii, victos nos gratulemur ab iuuenis huius senili sagacitate.* Vnde quia seruus fuit Domini fidelis in commisso, prudens in augmentando sibi tradito talento, constitutus est potestatem habens in cuncta patrisfamilias domo.

De rerum summa per mortem fratrum ad Ludouicum spectante: quam tamen ne patri suspectus esset, adire Ludouicus noluit: paulo post tamen à patre vocatus Imperii insignia ab eo suscepit

CAP. IX.

PEr idem autem tempus mortuo iampridem Pipino Italiæ rege, nuperrime autem Carolo itidem fratre res humanas relinquente, spes vniuersitatis potiundę in eum assurgebat. Quum enim ab eo missus esset, pro quibusdam necessariis patrem consulturus, Gerricus Capis prælatus, isque in palatio moraretur, præstolans perlatorum responsum, monitus est tam à Francis quam à Germanis diceret regi vt ad patrem veniret, eique propius assisteret: videri sibi dicentes, *Quod cum pater iam in senilem vergeret ætatem, & acerbe ferret liberorum infortunatam defectionem, citam illius hæc portenderent corpoream solutionem.* Quod Gerricus cum Regi, Rex vero consiliariis, retulisset, quibusdam & pene omnibus visum est salubre suggestum. Sed Rex altiori consilio, ne forte per hoc se patri suspectum redderet, agere distulit: hæc tamen Diuinitas, pro cuius timore & amore facere id noluit (vt sibi moris est amatores sui sublimius, quam cogitari potest, nobilitare) prudentius ordinauit. Pacem porro petentibus his quos bello fatigare solitus erat, Rex articulo duorum annorum præstituto, libenter indulsit. Interea Imperator Carolus considerans suam senectutem ad finem deuexam, & verens ne forte subtractus rebus humanis confusum relinqueret regnum, quod erat, Deo donante, nobiliter ordinatum (scilicet ne aut externis quateretur procellis, aut intestinis vexaretur scissionibus) misit ad filium, eumque ab Aquitania euocauit. Quem venientem clementer suscepit: tota æstate secum tenuit: de bis quibus eum indigere putauit instruxit: qualiter videlicet sibi viuendum, regnandum, regnum ordinandum, & ordinatum tenendum foret, monuit. Et tandem imperiali eum diademate coronauit, & rerum summam penes eum futuram esse, Christo fauente, innotuit. Et hoc peracto negotio, reditum ad propria concessit. Qui mense Nouembri à patre regrediens Aquitaniam repetiit.

Ludouico defunctis fratribus rerum summa decernitur.

Ludouici prudentia.

Caroli imperatoris prudentia. P. 358.

Ludouicus imperio præficitur.

De Caroli imperatoris morte & filii successione: & missis ab eo ad purgandam & puniendam infamiam sororum: quorum Vuarmarius ab Hodoino cæsus, & Lambertus grauiter vulneratus est: De Ludouici in imperio confirmatione: De testamento Caroli & eius executione: Mulierum exclusione: Legatorum auditione: Iustitiæ administratione: Ordinum regularium & Benedictinorum regulis: De clericis manumittendis priusquam sacerdotium adeant: De sumptibus Ecclesiasticorum & præcipue monachorum sancti Germani: eorumque publico instrumento

CAP. X.

PAter vero, veluti morti propinquus, crebris & peregrinis vrgeri cœpit incommodis. Nam mors, veluti quibusdam nuntiis, aduentum suum iam iamque futurum, talibus prænuntiabat indiciis. Tandem itaque vitiis passionum inter se compugnantibus, & valentiam eius inpugnantibus, naturę imbecillitas cessit, & lecto decubuit. Et in dies atque in horas propinquior morti, prout voluit suis scripto distributis,

Carolus decumbit.

diem vltimum clausit: Francorumque regno pene ineluctabilem luctum reliquit. At vero in eius successore veridica probata est scriptura: quę in talibus tribulantium consolans animos dicit;

Eccles.30.

Mortuus est vir iustus, & quasi non est mortuus: similem enim sibi reliquit filium hæredem. Obiit autem V. Kalend. Februarias idem piissimus imperator

Annus mortis, 814.

Carolus Anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCXIV. Quo in tempore Ludouicus Imperator concilium populo generale quasi quodam indixerat præ-

P.359.

sagio in purificatione sanctæ Dei genitricis Mariæ, in loco cuius vocabulum est Theothuadus. Defuncto autem patre piæ recordationis, missus est Rampo ad eum ab eis qui sepulturam eius curarunt, liberis scilicet & proceribus palatinis, vt & mortem eius mature cognosceret, aduentumque suum nullo modo comperendinaret. Qui cum Aurelianam deuenisset ad vrbem, Theodulfus eiusdem vrbis Episcopus (vir vndecunqne doctissimus) causam eius aduentus persensit, & velocissime misso tabellario Imperatori innotescere studuit: hoc tantummodo ei suggerendum iubens, vtrum præstolaretur venientem in vrbem, an in itinere aliquo sibi occurreret venturo ad vrbem. Quam causam ille protinus commentatus agnouit, & ipsum venire ad se iussit. Inde alium atque alium huiusce rei tristes suscipiens nuntios, post quintum diem ab eodem loco pedem mouit, & cum tanto, quantum passa est angustia temporis, popu-

Wala suspectus.

lo iter arripuit. Timebatur enim quam maxime Wala, summi apud Carolum Imperatorem habitus loci: ne forte aliquid sinistri contra Imperatorem moliretur. Qui tamen citissime ad eum venit: & humillima subiectione se eius nutui, secundum consuetudinem Francorum, commendans subdidit. Post cuius ad Imperatorem aduentum, æmulati eum omnes Francorum proceres, certatim gregatimque ei obuiam ire certabant. Tandemque ad Haristallium prospero peruenit itinere: & die tricesimo post quam ab Aquitania promouit palatio, feliciter Aquisgrani pedem intulit. Moue-

Neuus i. macula domus imperialis, filiæ lasciuæ. P.360.

rat autem eius animum iamdudum, quamquam natura mitissimum, illud quod à sororibus illius in contubernio exercebatur paterno: quo solo domus paterna inurebatur næuo. Cui mederi volens incõmodo, silens & cauens ne quod per Odilonẽ & Hiltrudẽ olim acciderat, reuiuisceret scandalũ: misit Walam & Warnariũ necnon & Lãbertum, sed & Ingobertũ, qui Aquisgrani venientes, talibus, ne accidere possent, cautela prospicerent: & quosdam, stupri immanitate & superbiæ fastu, reos maiestatis, caute ad aduentũ vsq; suum asseruarent (nam aliqui eorum cum supplices veniam inter iter agendum poposcissent, emeruerunt) simul & pręcipiens, vt populus ibidẽ consistens, absq; metu semet ibidẽ opperiretur venturum. At vero Warnarius comes, inscio Wala & Ingoberto, accito nepote Lamberto Hodoinum, iam dicto obnoxium crimini, ad se venire mandauit, quasi comprehendendum & regię vindictæ obiectandum. Cuius ille insidias (vtpote a mordente acriter conscientia monitus) præuidit: & quia declinare detrectauit, & ipse experiri meruit, & ipsi Warnario vltimam cladem importauit. Nam ad eum (sicut ille mandauerat) veniens & ipsum Warnarium confecit, & Lambertum cruris læsione non pauco tempore debilem reddidit, & ad vlti-

Warnarii cædes.

mum ipse confossus gladio interiit. Quæ cum nuntiata Imperatori fuissent, animum illius à misericordia exitium flexit amici: intãtum, vt Tullius quidam talium, qui pene iam Imperatoris clementia venia dignus videbatur, luminum amissione mulctaretur.

Ludouicus confirmatur in imperio. Iusta instaurantur Carolo. P 361. Testamenti executio.

Venit ergo Imperator Aquasgrani in palatium: & à propinquis atque multis Francorum millibus cum multo fauore est receptus, imperatorq; secundo declaratus. Quibus expletis, studiosis sepulturæ paternæ gratias egit: ac propinquis luctus acerbitate confectis, consolationis congruæ contulit leuamen. Sed & quod deerat inferiis genitoris, promptissime suppleuit. Nam recitato paterno testamento, nihil relictum est paternorum bonorum, quin secundum eius partiretur præceptionem: nihil enim ab eo intestatum est relictum. Sed quod Ecclesiis distribuendum censuit, metropolitanorum subdiuisit superscriptione nominum: quarum partes fuere viginti & vna. Quod autem ornatui conducebat regio; posteriori reliquit ætati. Statuit etiã quid, secundum morẽ Christianorum, filiis filiorumq; filiis & filiabus, necnon & seruis ancillisq; regalibus, sed & in commune quod omnibus distribueretur pauperibus. Quæ cuncta dominus imperator Ludouicus, vt scripta relegit, executione operis compleuit.

His

His peractis, Imperator omnem cœtum (qui permaximus erat) fœmineum palatio excludi iudicauit, prçter paucissimas quas famulatui regali congruas existimauit. Sororum autem quæque in sua, quæ à patre acceperat, concessit. Quæ autem necdum tale quid consecutæ erant, ab Imperatore meruerunt, & ad imperata sese verterunt. Post hæc Imperator legatos ad patrem destinatos, ad se autem venientes, susceptos diligenter audiuit, dapsiliter curauit, sumptuose muneratos remisit. Eodem anno generalem conuentum Aquasgrani habuit: & per vniuersas regni sui partes, fideles ac creditarios à latere suo misit, qui ęqui iuris tenaces existentes peruersa corrigerent, omnibusq; cõgruum ius æquo libramine penderēt. Bernardum etiam nepotem suum, iamdudum regem Italiæ, ad se euocatum, & obedienter parentē, amplis muneribus donatum ad propriū remisit regnum. Beneuentanorum itidem principē Grimoaldum, non quidem venientem, sed oratores suos mittentem pacto sacramentis constrinxit, vt singulis annis septem millia solidorum auri arcæ inferret publicæ. Eodem etiam anno duorum filiorum suorum alterum quidem Lotharium in Baioariam, Pipinum vero in Aquitaniam misit: tertium autem Ludouicum puerilibus adhuc consistentem in annis secum detinuit. *Sed hæc iam superius dicta supprimantur.*

Mulierum à palatio exclusio. Legati auditi. P. 362. Iustitia administratio. Bernardus. Grimoaldus Tributum Beneuentanum. Filiorum dimissio. Verba compilatoris.

Hoc etiam tempore Saxonibus atq; Frisonibus ius paternæ hæreditatis, quod sub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, imperatoria restituit clementia: Quod alii liberalitati, alii assignabant improuidentiæ: eo q, hæ gentes naturali assuefactæ feritati, talibus deberent habenis coerceri, ne scilicet effrenes in perduellionis ferrentur procacitatem. Imperator autem eos sibi arctius vinciri ratus, quo eis beneficia largiretur potiora, non est spe sua deceptus. Nam post hæc easdem gentes semper sibi deuotissimas habuit. *Sed ea quæ iam dicta sunt omittentes, reliqua prosequamur.*

Saxonibus Frisonibusq; ius hæreditarium restitutum. P. 363.

DCCCXVII.

Imperator generalem habuit conuentum Aquisgrani: in quo quantum feruoris circa diuinum cultum pectoris gestaret in arca, toto declarauit adnisu. Congregatis enim Episcopis nobilissimoq; S. Ecclesiæ clero, fecit componi ordinariq; librum, *canonicæ vitæ normam* gestantem: in quo totius illius ordinis perfectio continetur, sicut recultus † ipse fatetur. In quo etiam inseri iussit cibi potusq;, atq; omnium necessariorum summam: vt omnes tam viri quam sanctimoniales sub hoc ordine Christo seruientes, nullis præpediti necessitatibus, libera seruitute Domino omnium militare meminissent. Quem librū per omnes ciuitates & monasteria, canonici ordinis, sui misit imperii, per manus missorum prudentium, qui illum in omnibus supradictis facerent transcribi locis, debitaq; atq; conscripta exigerent stipendia ministrari. Quæ res magnum Ecclesiæ contribuit exultationis tripudium, & piissimo Imperatori, debita cum laude, immortale monimentum. Itidemq; constituit idem Deo amabilis imperator, Benedictū abbatē, & cū eo strenuæ monachos per omnia vitæ, qui per omnia monachorū euntes redeuntesq; monasteria, vniformē cunctis traderent monasteriis (tā viris quam sanctimonialibus fœminis) viuendi secundum regulam S. Benedicti incōmutabilē morem.

P. 368. Pietatis studia. Canonicorum norma edita Colon. † al reclusus. Benedictinorum regula.

Defuncto quoque Irminone, Hilduinus beati Germani ecclesiæ abbas prçficitur. Considerans etiam piissimus Imperator, non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ seruituti, sed & multorum auaritiam abuti ministerio ecclesiastico ad proprium quæstum, statuit vt quicunque ex seruili conditione (conciliante scientia & morum probitate) ad ministerium asciscerentur altaris, primum manumittantur à propriis dominis, vel priuatis vel ecclesiasticis, & tunc demum gradibus initiantur altaris. Volens etiam vnamquanque Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per huiuscemodi inopiam cultus negligerentur diuini, inseruit prædicto edicto, vt super singulas ecclesias mansus tribueretur vnus, cum pensatione legitima & seruo atque ancilla. Vt autem patescat, qualiter per singula cœnobia ordinauerit stipendia monachorum, hic subdidimus quomodo proprio edicto, victualia cœnobitarum assignauerit sancti Parrhisiensis Germani. Est autem huiusmodi. *In nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, Ludouicus & Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperatores Augusti. Si ea quæ fideles Imperii nostri, pro statu & vtilitate ecclesiarum ac seruorum Dei, fideliter ac deuote ob Dei amorem in locis sibi commissis statuerunt, nostris confirmamus edictis, hoc nobis proculdubio ad æternam beatitudinem, & totius regni à Deo nobis commissi tutelam,*

Abbates S. Germani. Clerici manumittendi. Diploma donationis victus monachorum S. Germani.

mansurum esse credimus & retributorem Dominum in futuro habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis Hildninus monasterii sancti Vincentii ac sancti Germani abbas, necnon & sacri Palatii nostri Archicapellanus, nostræ suggessit serenitati, quod pro Dei omnipotentis amore, & futuro eiusdem congregationis cauendo periculo, ne aliqua successorum suorum negligentia aut paruitate, ordo futuris temporibus perturbaretur monasticus, stipendia eorum quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, necnon & quasdam villas specialiter necessitatibus illorum deseruiendas constituisset ac deputasset; atque per literarum seriem & largitionis suæ chartam sua aliorumque bonorum hominum manibus roboratam, eis concessisset ac delegasset: quatenus nulla occasione, nec reipublicæ seruitio, quisquam ex successoribus suis impedimentum in futuro inferre posset, pro quo à via rectitudinis, & obseruatione regulari, oberrare necesse esset: sed deputatis sibi rebus & stipendiis contenti, absque necessitate & inopia regularem normam tenere, & sine præuaricatione, quantum humana sinit fragilitas, obseruare quiuissent. Vnde humiliter petiit ac postulauit Celsitudinem nostram, vt pro rei firmitate super eandem constitutionem, auctoritatis præceptum nostræ, pro diuino intuitu ac ipsorum Sanctorum reuerentia, fieri iuberemus: per quod deinceps stabilis & inuiolata permaneret. Nos vero petitioni illius (quia necessaria & rationabilis erat) aurem accommodantes, & qua voluntate ac ratione talia clementiæ nostræ suggereret, perspicue intelligentes, veluti postulauerat fieri adiudicamus. Quapropter statuimus atque iubemus, secundum quod in illius ordinatione continetur, vt dentur eis annis singulis de tritico puro modii mille quadringenti & quadraginta: & in susceptionem hospitum modii centum octoginta, quæ simul sunt modiorum mille sexcenti viginti: de vino modiorum duo millia. De legumine modiorum centum octoginta. De caseo pensas centum sexaginta. De pinguedine aut modii viginti, aut porci quinquaginta, quales meliores inuenire possunt. De butiro modiorum quatuor. De melle carrada vna ex modiis octo, sicut ex censu de villa Lucarias persoluitur: & mensalem de duodecim villis melle & cera, id est vnoquoque mense sextaria quatuor mellis: & ceræ libras duas. De sale modiorum centum. Volatilia cum ouis de duobus festis, id est Pascha, & natiuitate Domini. Ad vestimenta etiam, & omnes eorum necessitates secundum regularem institutionem procurandas, constituimus illis easdem villas, quas ipse per suam concessionem eis visus est condonasse, id est, Antoniacum† cum ipsa capella, vel quicquid ad suum opus præsentialiter habuit, vel quicquid inde homines per precarias tenent, vel quicquid per beneficium illius aliqui adhuc habent, & illic pertinere videtur. vt post eorum discessum, ad vsus fratrum reuertantur. Alteram, cuius vocabulum est Cella quæ dicitur Villaris, cum omnibus appendentiis suis quantum ipse præsenti tempore ad suum opus illic habuit: & quicquid homines per precarias, & per beneficia illius tenent, & illic pertinere videntur. Tertiam quæ vocatur Matriolas† cum omni integritate sua. Quartam quæ vocatur Cadcantus†. Quintam, cuius vocabulum est Nouigentus† cum omni integritate. Sextam, cuius vocabulum est Spinogilum† cum ipsa capella, & quicquid inde ad suum opus habuit. Septimam [illegible] qui vocatur Valedronis. Octauam quæ dicitur [illegible]† [illegible] Has ergo villas, cum appendentiis & redditibus suis vt diximus ad omnes eiusdem congregationis, tam infirmorum quam senum, necessitates fulciendas & sustentacula mortalis vitæ ministranda, Imperiali auctoritate & indulgentia per hoc præceptum confirmationis nostræ, sicut prædictus venerabilis Abba in sua confirmauit constitutione, stabili iure eis concedimus ac confirmamus. Præcipientes, vt nullus Abba per successiones, quod salubri egit consilio, subtrahere aut minuere audeat, aut ad vsus suos retorqueat, aut alicui in beneficio tribuat: sed neque seruitia ex eis exactet, neque paraueredos, aut expensas ad hospitum susceptiones recipiat: neque vllas in aliqua re exactiones inde exigat, absque ineuitabili necessitate præter mensuras in principali Ecclesia beati Germani in ponte Parisius longo a tempore dispositas. Et si augeri adiudicauerit, & numerum monachorum in maius augeri, amplificari pecunia maiori licentiam habeat. Hæc enim (vt putamus) ad [illegible] centum viginti Monachorum sufficiunt: distrahendi autem, aut minuendi eas, quas pro [illegible] statuimus [illegible], nequaquam præsumat. Sed si facere præsumpserit, & post discessum [illegible], hanc nostram confirmationem quam supradicti venerabilis viri Hilduini rogatu constitutione [illegible]mus, violare voluerit, querela ad successores nostros, qui tunc temporis nobis superstites fuerint, deueniat, [illegible] auctoritate nostra, statuta nostra defendant, & suæ auctoritatis præcepto confirment: qualiter futuris temporibus fratres in cœnobio supradicto regulam beati Benedicti seruantes, absque perturbatione libere Deo deseruire queant, nobisque merces exinde in perpetua [illegible]. Et vt hæc auctoritas, quam ob amore Dei & animæ nostræ remedium statuimus [illegible]

Antoi-gny.

La Celle pres Suresnes.

Maroles. Cachant. Nogent lartaud. Espiney & le Breul pres la petite riuiere d'Orge. Esmans.

CXX. Monachi.

[illegible]

vigorem, & deinceps inconuulsa valeat perdurare, manus nostræ subscriptione eam subter firmauimus, & annulo nostro sigillare iussimus. Data Idib. Ianuar. anno, Christo propicio, XVI. Imperii domini Hludouici serenissimi Augusti, Indictione septima. Actum Aquisgrani, palatio regio, in Domini nomine feliciter.

Christi 830

De Ludouici modestia, & cleri per eum à luxu sæculari abstinentia: Abodritorum motu compresso: De Ludouici cum Iudith nuptiis: cum fratribus reconciliatione & pœnitentia: Ducum ob rem in Hispania male gestam depositione: & Baldrici depressione, Berhardique erectione

CAP. XI.

HÆc erat sancti Imperatoris exercitatio, hic quotidianus ludus, hæc palæstrica agonia, spectante Deo, quo eius vita in sancta doctrina & operatione clarius emiteret: qui in pomparum sublimitate constitutus, imitando Christum humilitate altius eminebat. Deniq; tunc cœperunt deponi ab Episcopis & clericis cingula, baltheis aureis & gemmeis cultris onerata, exquisitæque vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui. Monstro enim simile ducebat, si ecclesiasticæ deputatus familiæ, conaretur aspirare ad secularis ornamēta gloriæ. At vero non tulit hanc sanctā Deoq; dignam Imperatoris deuotionem humani generis inimicus, vndiq; se impetentem, & ab omnibus Ecclesiæ ordinibus sibimet bella indicentē: sed cœpit totis virium copiis se expugnantem oppugnare, & per membra sua, Christi fortissimum bellatorem vi & astu quo potuit lacessere. Nam his rite ordinatis, postquam Imperator in eodem placito filium primogenitum Lotharium, Imperatorem appellari & esse voluit, & duorum filiorum suorum, Pipinum in Aquitaniam, Ludouicum in Baioariam misit (vt scilicet sciret populus cuius deberet potestati parere) statim ei Abodritorum defectio nunciatur: qui cū filiis Godefridi amicitias iungentes, Saxoniam Transalbianam vexabant: contra quos Imperator sufficientes copias dirigens, eorum motus Deo fauente compressit. *Verum hæc superius iam digesta latius, sufficiat hic tantummodo prælibasse.*

P.369. Ludouici modestia. Cleri in cultu continentia. Abodritorū defectio.

Eodem itidem tempore defuncta Hirmengarde regina (vt iam supra notauimus) monitu suorum vxoriam meditabatur inire copulam. Timebatur enim a multis, ne regni vellet relinquere gubernacula. Tandemq; eorum voluntati satisfaciens, & vndecunq; adductas procerum filias inspiciens, Iudith filiam Welponis nobilissimi comitis in matrimonium duxit.

P.373. Iudith ducitur à Ludo.

Sequenti quoq; tēpore dominus Imperator conuentum generalem coire iussit, in loco cuius vocabulum est Attiniacus: in quo conuocatis ad concilium Episcopis, Abbatibus, spiritualibusque viris, necnon & regni sui proceribus, primo quidem fratribus reconciliari studuit, quos inuitos attonderi fecerat: Deinde omnibus quibus aliquid læsuræ intulisse videbatur. Post hæc autem palam se errasse confessus est & imitatus Theodosii imperatoris exemplum, pœnitentiam spontaneam suscepit, tam de his, quàm quæ in Bernardum nepotem (vt supra relatum est) gesserat proprium: & corrigens si quid talium vel à se, vel à patre suo gestum reperire alicubi potuit, eleemosynarum etiam largitione plurimarum, sed & seruorum Christi orationum instantia, necnon & propria satisfactione, adeo Diuinitatē sibi placare studebat, quasi hæc quæ legaliter super vnumquemque decurrerant, sua gesta fuerint crudelitate.

P.377. Fratrum reconciliatio. Ludouici pœnitentia.

Cum igitur conuentus habitus esset publicus Aquisgrani, vbi cum in aliis tum maxime feruebat res (vt supra dictum est) in marcha † Hispanica nuper ignominiose peracta. Hac ventilata & enucleatissime inuestigata, ii reperti sunt huius culpæ auctores qui ab Imperatore præfecti sunt duces. Hos ergo solummodo honoribus adēptis, luere iussit imperator culpam huius ignauiæ. Itidem Baldrico duci Foroiuliensi dum obiiceretur, & probatum esset, eius ignauia & incuria vastatam à Bulgaris regionem nostram, pulsus est ducatu: & inter † quatuor comitatus est eiusdem potestas dissecta. Et quidem Imperatoris animus natura misericordissimus, semper peccan-

P.387. Gall. frontiere. Ducum ob rem male gestam depositio. Baldricus. P. Pith. legit, in ter quatuor

tibus misericordiam prærogare studuit. At vero ii quibus talia præstita sunt, quomodo clementia illius abusi sunt in crudelitate, post pauca patebit, cũ claruerit quomodo P.390. pro vitæ beneficio, summam ei, quantum in se fuit, importauerint cladem. Statuit itaque Imperator Warmatiam, ad celebrandum populi generalem conuentum mense Augusto properare: in quo conuentu comperiens clandestinas circa se, eorum quos vitæ reseruauerat machinationes more cancri serpere, & multorum animos, quasi per quosdam cuniculos, sollicitare, statuit sibi contra eos quoddã propugnaculum erigere. P.391. al. Bernhardum. Nam Berhardum †, eatenus Hispaniæ partium & limitum comitem, cameræ suæ præfecit: quæ res non seminarium discordiæ extinxit, sed potius augmentum creauit. Sed cum nec dum ii qui tali peste tabescebant, vulnus suum detegere possent (vtpote quibus nulla copia ad peragendum quę concupierant suppeteret) in aliud hæc differre tempus statuerunt: Imperator autem, his vt opportunitas dictabat explicitis, Rhenum transiit: Franconofurd villam petiit: ibiq; quandiu bonum visum est, & hyeme propinquantia frigora fuerunt, venationi indulsit: ac deinde circa festum sancti Martini ad Aquasgrani se vertit. Ibique & ipsam festiuitatem, & sancti Andreæ, necnon & Natiuitatis Dominicæ cum reliquis, vt decebat, peregit celebriter.

De seditiosorum in Ludouicum conspiratione: & eiusdem apud Pipinum criminatione: Iudith reginæ in monasterium intrusione: Lotharii aduentu in Franciam. Heriberti excæcatione: Odonis exilio: Hilduini abbatis eiectione: Coniuratorum mitissima animaduersione: & Iudith purgatione.

CAPVT XII.

DCCCXXIX.

Seditiosorum coniuratio. Circa tempus porro Quadragesimale, cum imperator loca mari circumiacentia peragraret, factionis iniquæ principes vltra ferre non valentes, occultatum diu vulnus detegunt. Nam primũ inter se primores fœdere quodam coniurant: Deinde sibi minores aggregant, quorum pars mutationis semper cupida, more canum auiumque rapacium, alienum detrimentum suum quærunt fieri suppletionis augmentum. Suggestio fraudulenta. Freti ergo multitudine & assensu plurimorum, filium Imperatoris Pipinum adeunt, prætendentes abiectionẽ sui, Bernhardi insolentiam morum, & cæterorum despectionem: asserentes etiam eum (quod dictu nefas est) thori incestatorem paternum. Porro patrem adeo quibusdam elusum præstigiis, vt hæc non modo non vindicare, sed nec P.392. auertere posset. Oportere ergo dicebant bonum filium indigne ferre dedecus paternum: restituere patrem & menti & dignitati: & quod hæc agentem non solum fama prosequeretur virtutis, sed etiam amplificatio regni terrestris: hoc prætexebant nomine culpam. His ergo allectus incitamentis iuuenis, cum eis & suorum multis copiis al. Wermeriam. per Aurelianensem vrbem, sublato inde Odone & restituto Matfrido, Werimbriam vsque venerunt. At vero Imperator, vt eorum conspirationem contra se & vxorem Berhardumque obstinatissime conperit feraliter armatam, Berhardum quidem fugæ al. Lauduni. præsidio se committere permisit; Vxorem autẽ Laudini † esse, & in monasterio sanctæ Mariæ consistere voluit; ipse autem Compendium petiit. Porro ii qui cum Pipino Werimbriam venerunt, misso Warino & Lamberto aliisq; quam plurimis, Iudith reginam ex ciuitate monasteriique basilica eductam ad se vsque perduci fecerunt. Quã vsque adeo, intentata post diuersi generis pœnas morte, adegere vt promitteret se (si copia daretur cum Imperatore loquendi) persuasuram, *Quatenus Imperator abiectis armis comisque recisis monasterio sese conferret, se etiam imposito velo capiti iisdem facturam.* Quam rem quanto plus cupiebant, tanto facilius crediderunt. Missis enim cum ea suorum aliquibus, ad Imperatorem vsque deduxerunt. Cui cum ille secretius secum loquendi licentiã præstitisset, permittente illo, vt mortẽ euadere posset, ipsa velum suo

capiti

capiti superposuit: de attonsione porro sua, Imperator tēpus deliberandi poposcit. Tāto enim Imperator, aliis benigne semper viuens, iniusto odio laborabat, vt cæderet eos vitæ ipsius, qui nisi illius beneficio viuerent, iuste & legaliter vita caruissent. Redeunte ergo ad se Regina, aliis quidem malis temperarunt, adclamatione autem consentientis vulgi exilio eam deportari, & in monasterio sanctæ Radegundis iusserunt retrudi. Circa Maium porro mensem filius Imperatoris Hlotharius ex Italia venit, eumq; Cōpendii reperit. Ad quem venientem tota se illa cōtulit factio Imperatoris inimica. Ipse tamen nihil tunc temporis patri intulisse visum est dedecoris: probauit autem quæ gesta erant. Deniq; Heribertus Berhardi frater luminum amissione mulctatus est contra votum Imperatoris, Odo consobrinus illius *armis ablatis* exilio deportatus, tanquā eorum quæ Berhardo & Reginæ adclamabantur, consocii & fautores. In talibus ergo consistens solo nomine Imperator, æstatem transegit.

Iudith fit monialis. *P. 393.* *Lothari aduentus.* *Heribertus excæcatur.* *Odonis exilium.*

DCCCXXX.

Cum autem instaret autumnalis temperies, ii qui Imperatori contraria sentiebant, alicubi in Francia cōuentum fieri generalem volebant. Imperator autē clanculo obtinebatur, diffidens quidē Francis, magisq; se credens Germanis. Obtinuit tamen sententia Imperatoris, vt Neomagum populi conuenirent. Verens porro ne multitudo contrariorū, superaret paucitatem fidelium suorum, iussit vt vnusquisq; ad idem veniens placitum, simplici vteretur cōmeatu. Præcepit etiam comitem Lambertū, finium sibi deputatorum custodiam habere: Helisachar item Abbatem iustitias direxit facturum cum eo. Tandem ergo Neomagum † ventum est: omnisq; Germania eo confluxit Imperatori auxilio futura. Imperator autē volens adhuc vires aduersariorum attenuare, Hilduinum abbatem culpans interrogauit, *cur cum simpliciter venire iussus sit, hostiliter aduenerit?* Qui cum negare nequiret, continuo ex palatio exire iussus est, & cum paucissimis hominibus iuxta *Patris-Brunnam* in expeditionali hyemare tabernaculo. Walach Abbas iussus est ad monasterium redire Corbeiæ, ibiq; regulariter obseruari. Hæc cū hii qui imperatori aduersaturi erant peruiderent, ad desperationem vltimam infracti† viribus sese verterunt. Deniq; per totam noctem coeuntes, atq; ad habitaculū Lotharii imperatoris filii conuenientes, hortabantur aut bello confligendum, aut aliquo secedendum absq; imperatoris voluntate. In qua deliberatione cū expendissent noctē, mane Imperator filio mandat, *ne inimicis communibus credat, sed ad se tanquàm ad patrem filius veniat.* Quibus ille auditis, licet dehortantibus qui circa illum erant, ad patrem venit. A quo nō est aspera increpatione inuectus, sed modesta lenitate correptus. Ingresso autem illo inter penetralia regiæ domus, Diaboli instigatione vulgus contra se cœpit furere, processissetque furor vsq; ad mutuam cædem, nisi imperatoria prospexisset prudentia. Dum enim illi inter se tumultuantes pene in væsanum ruerent furorem, Imperator ad cunctorum, cum filio, processit aspectum. Quo facto omnis illa conquieuit feralis commotio: Imperatoria enim audita oratione, omnis facessit popularis tumultus. Post hæc Imperator omnes illos huius impiæ conspirationis principes, sub priuata custodia præcepit adseruari. Quos postea ad iudicium adductos, cum omnes iuris censores filiiq; Imperatoris, iudicio legali, tanquam reos maiestatis, decernerēt capitali sententia feriri, nullum ex eis permisit occidi: sed vsus (vt multis visum est) leniori quam debuit pietate, sibi tamen consueto benignitatis & clementiæ more, laicos quidem præcepit locis oportunis adtonderi, clericos vero in conuenientibus itidem monasteriis custodiri. His peractis, ad hyemandū Imperator Aquasgrani secessit. Habuit autem per idem tempus secum semper Lotharium filium suum. Misit interea in Aquitaniam, coniugemq; reuocauit, fratrisq; illius Conradum & Rodulfum iamdudum attonsos. Quam tamen coniugis honore non est dignatus, donec se legali pręscripto modo ab obiectis purgaret. Quod postquam gestum est in purificatione S. Mariæ, cunctis diiudicatis ad mortem, vitam concessit. Ac Lotharium in Italiam, Pipinum in Aquitaniam, Ludouicum in Baioariam ire permisit: ipse vero Quadragesimale tempus, Paschæq; solennitatem, in eodem loco celebrauit.

hod. Nimeger, ad ripas Rheni. *Hilduinus consilio eiicitur.* *Paderborn.* *P. 394.* *† valde fracti.* *Lotharii ad patrem accessus.* *Vulgi tumultus.* *Animaduersio mitis in coniuratos.* *P. 395.* *Iudith purgatio.*

De transmarinorum legatorum muneribus: Berhardi purgatione & prouocatione ad singulare certamen: Pipini castigatione à patre & fuga eius: Baioariæ motu: Berhardi depositione: Pipini custodia & temporis intemperie.

CAP. XIII.

DCCCXXXI.

PAschalibus ergo peractis solennibus, ad Ingelinheim Imperator perrexit. Ipso denique tempore, consuetæ non immemor misericordiæ (*quæ sicut de se ait Iob, ab initio creuit cum illo & de vtero matris videtur cum ipso egressa*) eos quos dudum exigentibus meritis per diuersa deputauerat loca, euocatos bonis propriis restituit: & si qui adtonsi fuerant, vtrum sic manere an in habitum redire pristinum vellent, facultatem contribuit. *Cap. 31. Ablegatorũ & attonsorum reuocatio.* Dehinc Imperator in partes Rumetici montis per *Vosegum* transit: ibique piscationi atque venationi quam diu libuit indulsit, & filium Lotharium in Italiam direxit. *Legati transmarini.* Porro autumni tempore in Theodonis villam conuenire generaliter suum populum præcepit: in quo loco tres legati Sarracenorum, à transmarinis venere partibus (quorum duo Sarraceni, vnus Christianus fuit) afferentes suæ grandia munera patriæ, odorum scilicet diuersa genera & pannorum. Qui pace petita & accepta, remissi sunt. *P. 396.* Affuit etiam & Berhardus, qui modo prædicto fugiendo se saluans, diu in finibus Hispaniæ exulauerat. Is ergo Imperatorem adiens, modum se purgandi ab eo quærebat more Francis solito, scilicet crimen obiicienti semet obiicere volens, armisque impacta diluere. *Duellum.* Sed cum accusator (licet quæsitus) deesset, cessantibus armis, purgatio facta est iuramentis. *Pipini insolentia.* Præceperat porro Imperator, vt huic placito filius eius interesset Pipinus: sed ille conuentui semet subtraxit: post placitum autem aduenit. Imperator autem volens & hanc inobedientiam, plurimamque in eo castigare morum insolentiam, secum eum morari iussit, & vsque Natalem Domini, secum Aquisgrani tenuit. *Pipini fuga.* Sed ille vltra suum se velle teneri grauatus, fugam capessit & inscio patre in Aquitaniã cõcessit. Imperator vero in hybernis (vt cœperat) Aquisgrani permansit.

DCCCXXXII.

Hyemis sane rigore transacto, & vernali successu reducto, nuntiatum est Imperatori quosdam excitatos motus in Baioaria: ad quorum compressionem festinus abiit, ad Ausburgum † vsque peruenit: insurgentia sedauit: continuo rediit: conuentumque publicum Aurealianis fieri iussit: ibique sibi Pipinum occurrere mandauit. *Baioaria motus. al. Hamburg* Qui licet inuitus, occurrit. Sed considerans Imperator quorundam malorum consilia hominum, filii animos tam minis quam promissionibus ad deteriora festinantium peruertere, maximeque Berhardum verens (cuius consilio vti tunc Pipinus dicebatur) qui & ipse tunc in Aquitania morabatur, Ligeri transmeato cum commeatu suo, ad Iucuntiacum venit palatium in territorio Lemouico situm. *Berhardus suspectus.* Quo ventilata vtriusque causa, Berhardus quidem cum insimularetur infidelitatis, nec tamen vsque ad congressionem probator procedere vellet, honoribus est priuatus; Pipinum vero propter morum correptionem prauorum, sub custodia priuata Treueros perduci iussit. *P. 397. Exauctoratur.* Quo cum duceretur, & indulgentius haberetur, a suis custodiæ noctu subducitur & vsque ad Imperatoris ab Aquitania reditum, quaqua versum valuit & voluit peruagatur. *Pipinus custodia tenetur.* Et tunc quidem Imperator inter filios suos Lotharium atq; Carolum, quandam diuisionem regni constituit. *Regni diuisio.* Quæ tamen ingruentibus impedimentis (quæ dicenda sunt) pro voto minime cessit: & opportuno tempore visum est Imperatori ab Aquitania secedere. Sed post paucum tempus, idem ad festum sancti Martini populum conuocauit, filiumque Pipinum fugientem, ad se quoquo modo reuocare voluit,

sed

Hyems dura.

ſed ille id refugiebat. Aſperrima hyemis incubuit inclementia, primo quidem pluuiarum inundantia plurimarum, deinde humectationem terræ glaciali aſtringente rigore: quæ adeo noxia fuit, vt ſubtritis pedibus equinis, rarus quiſque foret qui vectatione equorum vteretur. Fracto ergo multo exercitu laboris incommodo, & improuiſo excurſu Aquitanorum ſubinde, & moleſte ferente, ſtatuit Imperator ad villam, cuius vocabulum eſt *Reſtis*, venire, ibique Ligeris amne tranſmeato, in Franciam hyematum redire. Quod & fecit, licet minus honeſte quam decuit.

Filiorum Ludouici in ipſum arma. Gregorii Papæ in Franciam aduocatio, & aduocationis cauſa: de Judith exilio: Ludouici captiuitate, indicta pœnitentia, inſignium & armorum exutione: de Ludouici beneuolis, & armis à diuerſis pro eo ſumptis: de eiuſdem reſtitutione, & vxoris reuerſione.

CAPVT XIV.

DCCCXXXIII.

Filiorum in patrē arma. *1.Corint. 15.* *P. 398.* *Gregorii papa in Franciam aduocatio.* *Nota de regis excommunicatione.*

HVmano porro generi paciique contrarius Diabolus, nequaquam ab infeſtatione Imperatoris feriabatur, ſed per ſatellitum ſuorum verſutias, filios ſollicitabat: perſuadens illis quod pater eos vltro perdere vellet, non conſiderātibus quod qui mitior omnib. eſſet externis, immanis non poterat effici ſuis. Sed quia corrumpunt mores bonos colloquia mala, & lapidum etiam duritiam mollis aquæ guttula ſæpius illiſa terebrare ſolet, tandem ad id ventum eſt, vt filios Imperatoris in vnum cum copiis quibus poterāt & coire facerent, Gregoriumq; Papam aduocarent, ſub ornatu quaſi qui patri ſolos filios recōciliare deberet, & poſſet. rei tamen veritas poſt claruit. Imperator è cōtrario, menſe Maio Warmatiam venit cum valida manu: ibiq; quid agendum ſibi foret, diu deliberauit. Miſſiſq; deſtinatis, Bernardo ſcil. epiſcopo cū reliquis, filios hortabatur ad ſe redeundum. Sed & Papam Romanæ ſedis conueniebat, ſi more præceſſorū aderat ſuorum, cur tantas necteret moras non ſibi occurrendo? Cū vero rumor vſquequaq; diffuſus, ferret de cæteris q, verum erat, de Papa vero Romano quod ideo adeſſet, vt tā Imperatorem quā Epiſcopos excōmunicationis irretire vellet vinculis, ſi qui inobediētes eſſent ſuæ, filiorumq; Imperatoris voluntati, parum quid ſurripuit epiſcopis, Imperatoris præſumptio audaciæ, aſſerentibus, *nullo modo ſe velle eius volūtati ſuccumbere: ſed ſi excōmunicaturus adueniret, excōmunicatus abiret, cum aliter ſe habeat antiquorū auctoritas Canonū.* Tandem ergo vētum eſt, in feſtiuitate ſancti præcurſoris Chriſti Ioannis, in locum qui ab eo quod ibi geſtū eſt, perpetua eſt ignominia nominis notatus, vt vocetur *Campus mentitus:* Quia enim ii qui fidem Imperatori promittebant, mentiti ſunt, locus in quo id contigit, teſtis nequitiæ in ſuo nomine remanſit. Cum aūt haud procul inde aciebus ordinatis cōſiſterent, iamiamq; ruendum in arma putaretur, nunciatum eſt Imperatori aduenire Papam Romanum. Quem venientem, in ipſa acie Imperator conſiſtens ſuſcepit, licet indecentius quam debuit: imputās ei, quod ipſe ſibi talem ſuſceptionem præparauerit, qui inuſitato modo ad ſe venerit. Ductus autem Papa in habitationē caſtrenſem, multis aſſertionibus perdocuit ſe tantum iter nō ob aliud ſuſcepiſſe, niſi quia dicebatur, quod inexorabili contra filios diſcordia laboraret: ideoque pacem in vtranque partem ſerere velle. Audita vero parte Imperatoris, manſit cum eo aliquot diebus. Remiſſus autem ab Imperatore ad filios, vt pacem mutuam necteret. cum pene omnis populus, partim donis abſtractus, partim promiſſis illectus, partim minis territus, ad eos populumque cum eis conſiſtentem more torrentis deflueret, nequaquam, vt fuerat iuſſus, eſt redire permiſſus. Tot ergo copiis inibi adductis, & Imperatori ſubductis, adeo defectio in dies inualuit, vt in feſtiuitate ſancti Pauli plebeii contra Imperatorem, adulando filios eius, irruptionem facere minarentur.

P. 399. *Aduentus Papa cauſa.*

Quibus Imperator viribus obniti non valens, filiis mandauit, *ne se populari exponerent direptioni.* Cui remandant, vt castris relictis ad se veniat: se autem maturrime obuiam ipsi processuros. *[Patris filiorumque occursus.]* Quibus altrinsecus sibimet occurrentibus, Imperator filios admonuit, equis desilientes & sibi occurrentes, vt promissionis suæ memores, tam sibi quam filio & vxori illibata quæ olim promiserant conseruarent. Quos congrue respondentes osculatus est, & ad castra illorum est profectus. Quo peruenienti vxor subducitur, & ad Ludouici tabernacula conuertitur, ipsum vero Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, & cum paucissimis in papilione ad hoc deputato consistere fecit. *[Ludouicus custoditur. Imperium diuiditur.]* Præter hæc autem, iam populo iuramentis obstricto imperium inter fratres terna sectione partitur. *[Iudith exulat.]* Vxor patris à Ludouico rege recepta, exilio iterum deportatur in ciuitatem Italiæ Tartonam. Gregorius Papa talia cernens, cum maximo mœrore Româ regreditur: & duorum fratrum, Pipinus in Aquitaniam, Ludouicus in Baioariam reuertitur. *[P. 400.]* Porro Lotharius patre assumpto, & seorsum cum deputatis equitante atque priuatim manente, in Merlegium † villam deuenit: ibique prout libuit commorans, & quæ visa sunt ordinans, ac populum absoluens, sed & conuentum populo Compendii indicens, Vosagum per Mauri monasterium transiit, & Mediomatricum (quæ alio nomine Mettis vocantur) peruenit. Qua vrbe relicta, Viridunum † appulit, & Suessionû vrbem adiit. Ibique in monasterio sancti Medardi patrem sub arcta custodia esse præcepit: & Carolo Prumiæ commendato, nec tamen attonso, ipse venationi institit donec autumni tempore, id est Kalend. Octob. sicut constitutum erat, patrem secum ducens Compendium venit. Ibique consistenti, legatio Constantinopolitani Imperatoris, Marcus archiepiscopus Ephesi & Protospatharius Imperatoris, ad patrem missa occurrit: munera sibi deputata obtulit, patri missa subtraxit. Quam ille, licet ad patrê missa, ad se tamen venientem suscepit, audiuit: tragœdiamque reportantem, pene inauditam, remisit. In eodem conuentu cum multi insimularentur deuotionis in filium, quidam verbis simplicibus, quidam iuramentis obiecta diluerunt. Miseratio tamen huiuscemodi rei & talis rerum permutatio, exceptis auctoribus, omnes habebat: vnde verentes, sceleris conspiratores inauditi, ne versa vice retrolapsa ferrentur quæ gesta erant, callido (vt sibi visum est) cum aliquibus Episcoporum vtuntur argumento, vt pro his de quibus iam pœnitudinem gesserat Imperator, iterum publica pœnitentia, armis depositis irreuocabiliter quodammodo Ecclesiæ satisfacere iudicaretur: cum nec forenses quidem leges contra vnam culpam semel commissam, bis inueniât vindictam: & nostra lex habeat, non iudicare Deum bis in idipsum. Cui iudicio pauci contradixere: plures assensum præbuere: maxima pars (vt assolet in talibus) ne primores offenderent, verbotenus consensere. Adiudicatum ergo cum absentem & inauditum, nec confitentem, neque conuictum, ante corpus sancti Medardi confessoris & sancti Sebastiani martyris arma deponere, & ante altare ponere cogunt: pullaque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectum quoddam retrudunt. Expleto hoc negotio, festo sancti Martini populus licentia accepta, pro talibus gestis mœstus ad propria reuertitur. Lotharius autem patrem suum secum ducens, Aquasgrani hyematum regreditur. Intra huius hyemis durationem, gregatim populi tam Franciæ quam Burgundiæ, necnon & Aquitaniæ, sed & Germaniæ coeuntes, calamitosis querelis de Imperatoris infortunio querebantur: & quidam in Franciam Eggebardus † comes & Willelmus Comes stabuli, quos poterant sibi in vnione voluntatis de restituendo Imperatore coadunabant. A Germania porro Hugo abbas in Aquitaniam missus a Ludouico, & ab eis qui illuc confugerant (a Drogone scilic. Episcopo & reliquis) Pipinum in hoc ipsum instigabat. Porro Berhardus & † Warinus in Burgundia consistentem populum suasionibus accendebant, promissionibus alliciebant, iuramentis astringebant, & in vnum velle fœderabant

Margin notes: hod. Marley in Alsatia. — hod. Mets. — hod. Verdun. — Ludouicus sub custodia tenetur. — Legatio Constantinop. — Tragica materia. — P. 401. — Ludouico iterum pœnitentia indicitur. — Arma deponit. — Populi querela. — al. Eggardus. — Ludouico fauentes. — Guarinus aut Werinus. — P. 402.

DCCCXXXIV.

Hyeme autem exacta, & vere iam roseam faciem prætendente, Lotharius patre assumpto per pagum Hasbaniensem iter arripuit, & Parrhisiorum vrbem petiit: vbi obuiam sibi fore cûctos fideles præcepit. Cui Eggebardus comes & alii alius pagi proceres,

teres, cum magna coacta manu, obuiam pro liberatione Imperatoris pugnaturi, processerunt: Peruenissetque res ad effectum, nisi piissimus Imperator cauens & multorum periculum simul & proprium, ab hoc incepto, præcepto & obtestatione eos inhibuisset. Tandem ergo peruentum est ad monasterium sancti Dionysii martyris. Pipinus vero ab Aquitania cum maxima manu exiens, & ad Sequanam vsque veniens, cum pontes destructi nauesque alto demersæ transitum prohibuissent, substitit. Porro Warinus & Berhardus comites, plurimis sociorum ex Burgundiæ partibus coactis, ad Matronam fluuium † vsque peruenerunt, & ibi partim atrocitate atq; intemperie aëris retardati, partim pro colligendis sociis suspensi, in villa Bonogilo & iis quæ circumiacent prædiis aliquot consedere diebus. Instabat sane sanctæ Quadragesimæ tempus. Cuius hebdomada prima, feria quinta, missi sunt ab illis legati, Rebaldus abbas & Gautselmus comes, ad Lotharium filium Imperatoris, postulantes vt eis absolutus custodiæ vinculis Imperator redderetur. Quorum si pareret postulationi, ipsi quoque ei, causa apud patrem salutis & honoris, olim dispositi forent: Sin aliter, etiam si necesse esset cum sui periculo eum requisituri, & resistentibus sibi in hac re, cum armis Deo iudice essent obuiaturi. Sane huic mandato respondet Lotharius filius imperatoris, nullum mortalium plus se vel compati paternæ calamitati, vel congaudere prosperitati: nec debere sibi imputari culpam senioratus † sibi ablati, cum ipsi eum destituissent ac prodidissent: atque carceralem næuum iure sibi inhiberi †, cum constaret hoc actum iudicio episcopali. Cum hac ergo satisfactione, prædicti remissi sunt legati ad eos qui se miserant: & præcepit vt Warinus comes, & Odo, necnon & Fulgo, & Hugo abbates, ad se venirent: quatenus cum eis deliberaretur, quomodo petitio eorum impleri posset. Præcepit etiam iisdem Lotharius, vt missi sibi in crastinum dirigerentur, qui tempus aduentus prædictorum ab eo cognoscerent virorum, & sic ad condictā diem sibi occurrerent, de causa supradicta tractaturi. Etenim mutato consilio, cum his qui eius fauore ducebantur, relicto patre in monasterio sancti Dionysii, ipse Burgundiam petiit, Viennam vsque peruenit: ibidemque statiua facere delegit. At vero ii qui cum Imperatore remanserant, eum ad recipiendas imperatorias hortabantur infulas. Sed Imperator quanquam modo quo prædictum est Ecclesiæ eliminatus communione, nequaquam tamen præproperæ voluit acquiescere sententiæ. Sed Dominica quę in crastinum aduēit, in ecclesia sancti Dionysii, episcopali ministerio voluit reconciliari: & per manus Episcoporum armis consensit accingi. In quā re tanta exultatio excreuit populi, vt etiam ipsa elementa viderentur & iniuriam patienti compati, & releuato congratulari. Etenim vsque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum vis, pluuiarumque vehementia, vt extra solitum, aquarum superexcresceret abundantia, flatusq; ventorum inperuiabiles redderet fluminum alueos. Sed in illius absolutione ita quodammodo coniurasse visa sunt elementa, vt mox & vēti sæuientes mitescerent, & cœli facies in antiquam & multo tempore inuisam, serenitatem rediret. Imperator ergo ab eo loco iter cœpit: sed nequaquam filium persequi abeuntem, licet multis hortantibus, voluit. Inde ergo Namtogilum, ac post venit Carisiacum villam regiam: vbi consistens opperiebatur filium Pipinum, & eos qui trans Maternam residebant: Sed & eos qui trans Rhenum, ad Ludouicum filium eius confugium fecerant: sed & ipsum filium, qui ad eum veniebat, Ludouicum. Quo consistenti medio Quadragesimæ tempore, arridente etiam lætitia ipsius diei & officii, & hortante cantilena ecclesiastica ac dicente, *Lætare Hierusalem, & diem festum agite omnes qui diligitis eam*, maxima multitudo fidelium suorum ibidem occurrit, congratulans lætitiæ communi. Quos Imperator benigne suscipiens, & pro fidei integritate gratias agens, Pipinum quidem filium in Aquitaniam cum lætitia dimisit, cæteros autem ad loca sibi congrua redire lætus permisit. Ipse autem Aquasgrani peruenit: ibique Iudith Augustam, ab Italia reducentibus Rataldo episcopo & Bonifacio, sed & Pipinum recepit filium. Porro Carolum iamdudum secum habebat.

Armati pro Imperatore.

hod. la Marne.

P.403.

i. dominationis.

al. iniuri.

Ludouicus restituitur pristinæ dignitati.

P.404.

Auræ mutatio.

Iudith reuersio.

De Neustriæ, id est Nortmanniæ incubatoribus: & clade quam Imperatoriis militibus cum Odonis cæde intulerunt: de Cabilloni munitione, obsidione, deditione, direptione, flagratione, & Basilicæ S. Georgii miraculosa conseruatione: Procerum capitali supplicio. Gerbergæ submersione: Lotharii deditione, & Ludouici pietatis & iustitiæ operibus

CAPVT XV.

DCCCXXXV.

IBidem Paschæ solennitatem cum solita deuotione peregit: post cuius celebritatem, per Ardennam syluam venatione sese exercuit: & post sanctæ Pentecostes festiuitatem, in partes Romerici montis venationi atque piscationi operam dedit. Sane recedente filio Imperatoris Lothario à patre, & in partes prædictas abeunte, remanserant in Neustriæ partibus Lambertus comes & Matfridus, cæterique quamplurimi, qui easdem partes propria vi tenere nitebantur. Quam rem ægre ferentes Odo comes & alii multi Imperatoris fauentes partibus, contra eos arma corripiunt: eosque pellere illis nitebantur locis, aut certe cum eis congredi. Quæ res cum segnius quam decuit administraretur, & minus caute circunspiceretur, non minimam eis intulit calamitatem. Dum enim ex insperato illis hostes superuenerunt, illi autem minori quam res postulabat cautela vterentur, insistentibus terga hostibus nudauerunt: ibique & ipse Odo, cum fratre interiit Willelmo, plurimisque aliis: cæteri salutem in fugæ subsidio posuerunt. Quo negotio peracto, hii qui victoria potiti sunt, cum neque ibi consistere posse satis tutum videretur, neq; Lothario se iungere valerent, verentes ne aut ibi consistētibus Imperator superueniret, aut certe ad suos properantibus in itinere obuiaret, ad Lotharium quantocyus mittunt, vt eis suppetias ferret, quos tanti discriminis circumuallaret metus. Qui audito eorum periculo & rebus gestis, eis deliberauit succurrere.

Neustriæ (quæ nunc Normānia est) occupatores. Pub. 405.

Odonis cædes

Qua tempestate Warinus comes, cum plurimis sociis, castrum Cabillonum vtcunque communiuit: vt si quid ab aduersariarum partium studiosis moliretur noui, sibi suisque foret receptaculo, ac munitioni. Quod cum compertum Lothario foret, improuisus illuc aduenire disposuit: quod tamen facere nequiuit. Aduenit tamen, & oppidum circundedit: quæ vero in circuitu ciuitatis erant, incendio consumpta sunt. Pugnatum est acriter diebus quinque, & tandem ad deditionem primum vrbs recepta est, postea autem, versa vice, crudelium more victorum, primo quidem direptionib. Ecclesiæ vastatæ, thesauri deprædati, & communes sunt direptæ copiæ. Ad vltimum vero ciuitas voraci depasta est incendio: præter vnam Basilicam paruam, quæ stupendo miraculo, cum hincinde cincta fuerit sæuientibus & lambentibus flammis, tamen non potuit aduri. Fuit autem consecrata Deo, in honorem beati Georgii martyris. Nec tamen Lotharii voluntas fuit vt ciuitas succenderetur. Adclamatione porro militari, post captam vrbem Gozselinus comes, itemque Samila comes, necnon & Madallenius vasallus dominicus, capite plexi sunt. Sed & Gerberga, filia quondam Willelmi comitis, tanquam venefica aquis præfocata est. Quæ dum geruntur, Imperator cum filio Ludouico Lingonum † ciuitatem aduenerat: in qua vibe huiuscemodi suscepit nuntium, qui eum valde reddidit mœstum: & Lotharius quidem eius filius, a Cabillono iter suscepit ad Augustidunum: indeque Aurelianam peruenit ad vrbem: deinde in pagum Cenomannicum, in villam cuius vocabulum est Matualis, deuenit. At Imperator cum suis, maximisque copiis, simul & Ludouico filio, eum prosequitur. Quo audito, Lotharius tamque receptus suis, non multo interuallo a patre castra fixit:

Cabillonū. hod. Chalon

P. 426.

Diripitur. Incenditur.

Miraculum de basilica B. Georgii.

Proceres capite plexi.

† hod. Lĩgres.

Lotharii profectio.

ibique

ibique quatuor diebus legatis intercurrentibus moratum est. Quarta sane nocte, Lotharius cũ suis omnib. referre pedem in posteriora cœpit. Contra quem pater Imperator compendioso itinere obambulabat, vsquequo peruentum est ad fluuium Ligerim prope castrum Blesense †, quo Ciza fluuius Ligeri confluit. Quo positis hinc inde castris, occurrit etiam patri Pipinus filius cum quanto potuit apparatu militari. Fractus ergo viribus Lotharius, supplex ad patrem venit. Quem ille coercitum verbis, & obligatum tam ipsum quam proceres eius, quibus voluit sacramentis, in Italiam remisit: oppilatis angustiis itinerum quæ in Italiam transmittunt, ne quis transire posset sine licentia custodientium. Quibus peractis, Aurelianos vsque cum filio peruenit Ludouico: ibique tam filio, quam aliis, reditu ad propria indulto, Parrhisios ipse venit. Habuit autem eo tempore, circa festum sancti Martini, conuentum generalem in Attiniaco palatio: vbi cum multa perperam molita purgare decreuisset tam in ecclesiasticis quam in publicis rebus, tum præcipue fuerunt ista. mandauit filio Pipino per Hermoldum abbatem, res ecclesiasticas quæ in regno eius erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restitui. Legatos † etiam per ciuitates & monasteria transmisit, statumque ecclesiasticum pene collapsum, in antiquum statum erigi iussit. Itemque præcepit vt nuntii per singulos comitatus irent, qui immanitatem prædonum atque latronum quæ inaudita emerserant, cohiberent: & vbi eorum maior vis incubuerat, etiam eorum comites vicinos, & Episcoporum homines, ad tales euincendos & proterendos sibi asciscerent: & de his singulis, sibi in proximo placito generali, Wormatiam renuntiarent: quod futurum transacta hyeme, & suadente vernali gratia, indixit. Transegit ergo Imperator maximam partem hyberni temporis Aquisgrani. Indeque profectus est ad Theodonis villam, ante Natalem Domini: quam festiuitatem Mettis cum suo fratre Drogone celebrauit.

Blois. *Pipini aduentus.* *Lotharius supplex in Italiam remittitur.* P.407. *al. missos.*

De Ebonis episcopi degradatione, & Agoberti archiepiscopi depositione: & plenaria Ludouici Imperatoris restitutione, & cum vxore ac VVula reconciliatione: eiusque pia in filium Lotharium, vt à spoliatione ecclesiæ desisteret, dehortatione: & procerum Lotharii per pestem absumptione

CAPVT XVI.

SAne solennitatem purificationis sanctæ Mariæ, in eadem Theodonis villa † agendam constituit: vbi etiam populus, cui præceptum fuerat, occurrit. Quo consistẽs, contra quosdam Episcopos de sui deiectione conquerebatur. Sed cum quidam in Italiam confugissent, quidam vocati obedire noluissent, solus Ebo eorum qui impetebantur affuit. Qui cum rationis reddendæ causa super talibus vrgeretur, causabatur se solum, relictis omnibus in quorum præsentia hæc facta fuerant, vrgeri. At vero cum cæteri Episcopi obtenderent necessitatem præsentiæ, excusarent autem voluntatem innocentiæ, idem Ebo, tandem moleste ferens talibus extædiari, consilio petito aliquorum Episcoporum, ipse in se quandam confessionem prædicauit, confirmauitq; se & indignum sacerdotio, & inreuocabiliter eo abstinere iudicauit: quod & Episcopis, & per eos imperatori, contradidit. Quo facto Agobertus † Lugdunensis episcopus, qui euocatus ad satisfactionem venire distulit, cum ter esset euocatus, ab Ecclesia remotus est præsulatu: cæteris (vt diximus) in Italiam fugientibus. Sequenti vero dominica quæ sacræ Quadragesimæ initium præcedebat, in Mettensem ciuitatem dominus Imperator, sed & Episcopi, necnon & populus vniuersalis illius conuentus, venit, & inter missarum celebrationem, septem Archiepiscopi septem reconciliationis ecclesiasticæ orationes super eum cecinerunt: atque omnes populi, hoc viso, pro plenaria restitutione Imperatoris, multas Deo gratias reddiderunt. Postq; omnia

hod. Thiõuille. Germ. Diedenhoue. P. 408. *Ebo sacerdotio cedit.* *al. Agoardus* *Ludouicus ecclesiæ reconciliatur.*

Theodonis villam tam dominus Imperator, quam qui eius populus erant, reuersi sunt: & dominico sacro † Quadragesimæ tempore inchoante, vnumquenque ad propria redire præcepit. Ipse autem Quadragesimæ tempus ibidem exegit: sed & Paschæ solennitatem Mettis celebrauit.

vel Fronfaste.

DCCCXXXVI.

Post solennitatem porro Paschalem atque Pentecostes venerabilem diem, ciuitatem Vangionum (quæ nunc Wormatia vocatur) secundum condictum, ad celebrandum conuentum generalem, adiit: vbi ei etiam filius Pipinus occurrit: nec Ludouicus alter ei filius defuit. More autem suo, Imperator nequaquam conuentum istum a publica vtilitate vacare passus est: diligenter namque in eo examinare studuit, quid quique legatorum † in diuersas partes directi egerint. Et quia aliqui Comitum in reprehensione & exterminatione latronum segnes reperti sunt; diuersis sententiis eorum segnitiem condigna inuectione castigauit: filiosque opprimentes bonos, & quos merito ab oppressione releuarent, corripiens interminatus est etiam seueriorem in eos se libraturum sententiam, qui huic admonitioni non essent obtemperaturi.

Wormatia Vangionum. P. 409. — *al. missorum.* — *Animaduersio in oppressores bonorum ac dissimulatores.*

DCCCXXXVII.

Cumque ab hoc placito populum dimitteret, & sequens in Theodonis villa post Pascha constituisset, ad hyemandum Aquasgrani se contulit: filioq; suo Lothario mādauit, vt nobiles quosque suorum ad eundem locum dirigeret: quatenus reconciliationis mutuæ inter se & illum, ratio inuestigaretur. Augusta Iudith cum cōsiliariis Imperatoris, cognito quod valetudo bona (vt videbatur) Imperatoris corpus mox destitueret, & mors ingrueret, & sibi & Carolo filio periculum immineret, nisi aliquem fratrum sibi asciscerent, coniectantesque nullum filiorum Imperatoris tam conuenientem huic rei sicut Lotharium, hortati sunt Imperatorem, vt ad eum nuntios pacificos mitteret, & ad hoc ipsum inuitaret. Qui vt paci semper studens, semperque dilector pacis atque amator vnitatis, quærebat non modo filios, sed & inimicos sibi charitate vniri, libenter assensus est. In condicta porro villa, & in tempore præfinito, affuere missi a filio, quos ipse præcepit, plurimi: inter quos etiam Wala primus affuit. Causa autem prædicta ventilata, atq; ad calcem perducta, Imperator cum coniuge reconciliari voluit: primum ipsi Walæ dimissis quæcunque in eum commiserat delictis, multa alacritate & benignitate cordis, mandauit per eum & cæteros filio missos, *vt quantocyus veniret: Quod si faceret, consultissime sibi futurum sciret.* Qui redierunt, & filio rem retulerunt. Sed ne mandatum Imperatoris ad effectum perduceretur, morbus febrisque intercessit: & Walam quidem rebus humanis abduxit, Lotharium vero lectulo deiiciens, maximo tempore languere fecit. Imperator vero clementissimus natura, vt filium aduersa valetudine correptum audiuit, per nuntios fidelissimos (scilicet Hugonem fratrem suum, sed & Adalgarium comitem) cum visitauit, atque eius omnia incommoda rescire studuit: imitatus videlicet beatum Dauid, qui multis inuectionibus lacessitus à filio, mortem tamen eius ægerrime tulit. At vero postquam desæuiente languore conualuit, nunciatum est Imperatori de eo, quod conditiones sacramentorum dudum promissas irrumperet: maximeque Ecclesiam sancti Petri, quā tam auus eius Pipinus quam pater eius Carolus, necnon & ipse in tutelam susceperant, homines eius crudelissima clade vexarent. Quæ res animum illius mitissimum adeo exasperauit, vt quodāmodo extraordinarie (vt videbatur) legatos dirigeret: nullum pene ad tantum iter conficiendum spacium tribuens, misit ad Lotharium, commonens, ne talia fieri permitteret: monens vt memor esset, quod quando ei regnum Italiæ donauit, etiam curam sanctæ Romanæ Ecclesiæ simul commisit: & quam ab aduersariis defensandam susceperat, nequaquam a suis diripi permitteret: Commonens etiam sacramentorum ab eo nuper promissorum, ne forte obliuiscens aut paruipendens, Diuinitatem offenderet: quod sibi non impune futurum non ignoraret: Simul & iubens parare sibi stipendiarias annonas statiuasque congruas, per omne iter quod Romam transmittit dicebat

P. 410. Recōciliatio Ludouici cū coniuge. Wala. — *Wala mors.* — *2. Reg. 18.* — *Lotharium præmonet pater.* — *P. 411.*

cebat enim ſe limina Beatorum Apoſtolorum inuiſere velle. Quod ne fieret, irruptio Nordmannorum in Friſiam impediuit. Ad quorum inſolentiam comprimendam pergens, miſit ad Lotharium Fulconem abbatem & Richardum comitem, necnon & Adrebaldum abbatem: Quorum Fulco & Richardus reſponſum ſibi ab Lothario referrent, Adrebaldus porro Romam pergeret, Gregorium Papam de neceſſariis conſulturus, & voluntatem Imperatoris cæteraque ſibi iniuncta perlaturus. Sed Lotharius de his conuentus, necnon & de rebus quarundam Eccleſiarum ablatis quę in Italia ſunt, quibuſdam annuit, quædam ſe non poſſe ſeruare reſpõdit: & Fulco quidem atque Richardus Imperatori à Friſia, poſt fugam Nordmannorum, reuertenti talia nunciant in Franconofurd palatio: vbi ipſe autumnalem exercens venationem, hyematum Aquaſgrani ſeſe conuertit. At vero Adrebaldus Romam (vt iuſſum ſibi fuerat) peruenit: Gregorium Papam ægrotantem repperit, & maxime fluxu ſanguinis: qui licet ſenſim, continue tamen ex naribus effluebat. Sed tanta animi alacritate & gaudio, ad verba Imperatoris, & compaſſionem eius recreatus eſt, vt profiteretur ſe pene incommoditatis propriæ oblitum. Itaque & miſſum ad ſe opulentiſſime curauit apud ſe conſiſtentem, & ditiſſime munerauit recedentem: mittens cum eo duos Epiſcopos, *P. 412.* Petrum Centumcellenſis vrbis, & Georgium regionarium Romanæ vrbis ſimul epiſcopum. Lotharius porro vt audiuit memoratorum Epiſcoporum ad dominum Imperatorem aduentum, miſit Leonem (qui tum apud illum magni loci habebatur) Boniam: qui magno intentato terrore, vltra progredi Epiſcopos prohibuit. Adrebaldus tamen, epiſtolam Imperatori deſtinatam ab eis occulte ſuſcepit: & cuidam ſuorum, ſub obtentu mendici, quouſque Alpes tranſiret, ferendam commiſit: ac poſt Imperatori porrexit. Ea tempeſtate quanta lues mortalis, populum qui Lotharium ſecuti ſunt inuaſerit, mirabile eſt dictu: in breui enim, id eſt à Kal. Septembribus vſque ad feſtum ſancti Martini, hi primores eius vita exceſſerunt, Ieſſe olim Ambianenſis epi- *Peſtis acerba.* ſcopus, Helias Trecaſſinæ vrbis epiſcopus, Walo Corbienſis monaſterii abbas, Matfridus, Hugo, Lambertus, Godefridus, itemque filius eius Godefridus. Agumbertus *Procerum mors.* comes Pertenſis, Borgaretus quondam præfectus venatoribus regalibus. Sed & Richardus vix euaſit: Nam poſt non multum & ipſe moritur. Hi enim erant, quorum deceſſu dicebatur Frácia nobilitate orbata, fortitudine (quaſi neruis ſuccisis) euirata, prudentia (his obeuntibus) euacuata. Sed illis ſubrutis, oſtendit Deus quam ſalubre, quam laudabile ſit, obſeruari quod ex ore eius probatur procedere; *Non glorietur* (inquiens) *Ierem. 9.* *ſapiens in ſapientia, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitiis ſuis.* Sed & Imperatoris animum quis miretur digne, quanta hunc temperantia diuina gubernauerit clementia. Etenim hoc ſuſcepto nuntio nihil in ſe exultauit, nec morte inimicorum lætatus eſt, ſed pugno pectore tunſo, lachrymiſque oculis oppletis, Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus eſt. Hoc eodem tempore Britonum impetus eſt mo- *P. 413.* tus: ſed tam facile conquieuit, quam Imperator in eum ſpem poſuit: cui veraciſſime *Britones.* dicitur; *Subeſt enim tibi, Domine, cum volueris, poſſe.*

De reſtitutis Eccleſiæ per Pipinum per eundem ablatis: de Lugdunenſis & Viennenſis epiſcoporum diſceptatione: de cauſa Gothica nomine Berhardi & Beringarii agitata: de diri cometæ apparitione, & prudenti Ludouici regis ſuper eo reſponſione: de Caroli filii Ludouici ex Iudith inſignibus, & Neuſtriæ adeptione: Berhardi accuſatione peculatus: de altero comite: & Pipini obitu

CAPVT XVII.

IN ipſis etiam diebus in quibus purificatio beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ celebratur, conuentus quidam magnus, ſed præcipue Epiſcoporum, Aquaſgrani con-

uenit: in quo cum de aliis vtilitatibus Ecclesiæ necessariis, tum præcipue de his rebus quæstum est, quas Pipinus & sui multis intulerunt Ecclesiis. Nam Hilduinus ibi affuit Abbas, vtpote sacri capellanus palatii, conquerens de quibusdam prædiis pertinentibus ad ecclesiam sancti Parrhisiensis Germani, sitis in Aquitania, quæ Pipinus rex eidem abstulerat ecclesiæ. Ob quam rem imperialis auctoritatis commonitorium, & communis ordinatur consilii: quibus commoneretur Pipinus & sui, cum quanto sui periculo res ecclesiasticas peruaserint. Quæ res prosperum suscepit exitum. Nam Pipinus monita pii patris sanctorumque virorum libenter suscipiens, obedienter paruit: & omnia inuasa restitui, etiam per annuli sui scripto impressionem, huiusmodi constituit: *Pipinus Gratia Dei rex Aquitanorum: Si locis venerabilibus Deoque dedicatis opem ferimus, eorumque syncerissimis famulatoribus congrua beneficia præstamus, atque ab intrinseca incursione & inquietudine regali auctoritate eos immunes efficimus, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter capiendam profuturum aliquando credimus. Nouerit itaque sagacitas seu vtilitas fidelium nostrorum, tam præsentiũ quam & futurorum, quia adierunt nos monachi sancti Germani eximii confessoris iuxta Parrisius ciuitatem, quibus præest Hilduinus venerabilis Abba, & humiliter deprecati sunt mansuetudinem culminis nostri, vt villas eiusdem Ecclesiæ sancti Germani quæ infra ditionem regni nostri consistunt, quarum hæc sunt vocabula, Vernogilus, Cixiacus, Lixiniacus, Noueridus, Casiliacus, Quinciacus, Villa Buslana, cum omnibus appendentiis earum, quas partim pia sanctaque memoriæ dominus & auus noster Karolus inuictissimus Augustus in sua eleemosyna eidem reddidit Ecclesiæ, partim in processu temporum dominus & genitor noster Hludouicus serenissimus Imperator eisdem fratribus perpetualiter confirmauit, & ad stipendia eorundem Monachorum in integrum deputauit. Nos quoque ob amorem & honorem Christi similiter per nostrum præceptum easdem confirmaremus villas, vt eorum sumptibus ac stipendiis per nostram inde confirmationem deseruirent. Nos vero eorum petitioni, ob diuini cultus amorem, & animæ nostræ salutem, libenter annuimus, & hoc nostræ regiæ potestatis præceptum fieri decreuimus. Per quod & statuimus, & perpetuo mansurum fore Domino adiuuante volumus, vt eædem villæ cum omnibus ad eas iuste legaliterque pertinentibus vel aspicientibus, in aui nostri & genitoris necnon & nostra eleemosyna, in vsus vel stipendia memoratæ Ecclesiæ monachorum tam præsentium quam & futurorum confirmatæ permaneant. Ita videlicet vt absque vllius, cuiuslibet ordinis vel potestatis, in regno nostro degentis inquietudine & præiudicio, sub eorum dominio, disponente & ordinante ipsius Ecclesiæ Abbate, omni tempore teneant atque possideant: quatenus cum cæteris rebus sibi deputatis huius nostri beneficii iuuamine suffragati, liberius & expeditius omnipotentis Dei misericordiam pro memorato auo & genitore nostro, necnon & nobis, coniuge, proleque totiusque regni statu iugiter exorent. Illud etiam ad cumulum mercedis nostræ pertinere non ambigimus, vt easdem villas sub tuitionis nostræ immunitate consistere faceremus. Quapropter præcipimus atque iubemus vt nullus Iudex publicus, vel quilibet ex iudiciaria potestate, aut vllus ex fidelibus nostris tam præsentibus quam & futuris, in easdem villas, vel in eadem loca quæ eis iuste & legaliter subiecta sunt, ad causas audiendas, vel freda aut tributa aut telonea exigenda, aut mansionaticos vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos, quam seruos ibidem commanentes distringendos, nec vllas redibitiones, aut illicitas occasiones ingeri audeat, aut ea quæ supra memorata sunt exigere præsumat. Sed liceat rectoribus ipsius Ecclesiæ atque Monachis, easdem villas cum omnibus ad eas iuste pertinentibus vel aspicientibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius iudiciariæ potestatis inquietudine, quieto vel libero ordine possidere, atque pro memoratis genitoribus nostris, nostræq; coniugis prolisque incolumitate, seu etiam totius regni à Deo nobis collati, eiusdemque clementissima miseratione per immensum conseruandi stabilitate, cœlestem deprecari opem. Et quicquid de præfatis villis, iuxta legis mundanæ censuram, ius fisci exigere poterat ad integrum eidem concessimus Ecclesiæ: vt monachis ibidem Deo famulantibus, ad Dei seruitium peragendum, nostræ mercedis causa augmentum sit & supplementum. Et vt hoc à fidelibus nostris melius credatur & diligentius conseruetur, manu propria subterfirmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Data IV. Id. Aug. Anno XVII. Imperii domini Hludouici serenissimi Augusti, & XV. regni nostri, actum in Amziaci villa.*

Pipinus ecclesiæ ablata reddit. P. 413.

Villæ quondam S. Germani, quarũ hodie nullã possidet.

Prosi-

DCCCXXXVIII.

PRoximum huic placito conuentum Imperator in pago Lugdunensi habuit, tempore æstiuo, in loco qui vocatur Stranacus, cum Pipino & Ludouico filiis. Nam quod Lotharius non affuit, inualentia ægritudinis supradictæ obstitit. In eo causam Ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eo quod Episcopi dudum illarum, Agobardus quidem episcopus Lugdunensis iussus ad rationem non venerat reddendam, Bernhardus autem Viennensis affuerat quidem, sed rursus fugam inierat. Sed hæc quidem res imperfecta remansit propter absentiam Episcoporum. Sed & causa Gothorum ibidem ventilata est: quorum alii partibus Berhardi fauebant: alii fauore ducebantur Beringarii, Huronici quondam comitis filii. Sed Beringario immatura morte præuento, apud Berhardum potestas Septimaniæ quam maxima remansit, legatis illuc missis, qui ea quæ indigebant correptione, in meliorem componerent statum. His peractis, & iam filiis populoque dimissis, Imperator, autumnali venatione peracta, ad festum sancti Martini Aquasgrani rediit, & hyemem ibidem exegit: Natalemque Domini, item Paschalem solennitatem, iuxta morem debitum & sibi semper familiarissimum, ibidem celebrauit.

Stramiacus.
Disceptatio inter Lugdunensem & Viennensem ecclesias.
Causa Gothorum.
P.414.

DCCCXXXIX.

At vero mediante festiuitate Paschali, dirum semper ac triste portentum, ibidem comete sydus in signo Virginis apparuit, in ea parte eiusdem signi, qua penulam eius subter caudam serpentis similiter coruumque confringunt. Quod cum non more errantium septem syderum Orientem versus peteret, per viginti quinque dies (quod mirum est dictu) idem sydus & Leonis & Cancri necnon & Geminorum transiens signa, in capite Tauri tandem sub aurigæ pedes igneum globum iubarumque prolixitatem deposuit: quas vsquequaque porrexerat antea. Quam rem cum primum Imperator talium studiosissimus conspexisset, constitit: & antequam quieti membra committeret, accito quodam, itemque me qui hæc scripsi, & qui huius rei scientiam habere credebar, percontari studuit, Quid super ea mihi videbatur? Cui cum tempus peterem quo faciem syderis considerarem, ac per hæc rei veritatem inuestigarem, & cognitam in crastinum nuntiarem, Imperator ratus (quod erat verum) tempus me redimere velle, ne cogerer triste aliquid respondere, *Perge* (inquit) *in mœnia huic domui contigua, & nobis quæ prospexeris nuncia: noui enim à me hanc stellam nequaquam præterita vespera visam, vel à te monstratam: Sed scio hoc signum cometarum esse, de quo iam præteritis locuti sumus diebus: Quid autem tibi portendere videatur, edicito.* Cumque aliqua dixissem, & tacuissem: *Vnum est* (inquit) *quod adhuc silentio premis: Mutationem enim regni, mortemque principis*, hoc monstrari portento dicunt. Cumque ego testimonium Prophetæ in medium protulissem, quo dicitur; *A signis cœli ne timueritis, quæ pauent gentes*, ille sola vsus magnanimitate & prudentia, *Non alium*, inquit, *timere debemus, præter illum qui nostri & huius creator est syderis: sed eius clementiam non satis mirari & laudare possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores & impœnitentes, talibus dignatur admonere indiciis. Quia ergo & me & omnes communiter hoc tangit ostentum, omnes pro posse & sapere ad meliora festinemus: ne forte misericordiam illo prærogante & nostra impœnitudine impediente, nos illa inueniamur indigni.* His dictis, & ipse paulisper mero indulsit, & omnibus id facere iussit, & vnumquenque ad sua se colligere præcepit: noctemque illam (vt relatum nobis est) pene peruigilem, ac Dei laudibus & obsecrationibus oneratã luci superuenienti præsentauit. In cuius crepusculo ministros aulicos vocauit, & eleemosynas quam largissime pauperibus, ac seruis Dei tam Monachis quam Canonicis, porrigi iussit: missarumque solennia per quoscunque potuit celebrari fecit: non tantum sibi metuens, quantum Ecclesiæ sibi creditæ prospiciens. Quibus rite dispositis, vti ordinauerat, venatum in Ardennam perrexit: quod (vt dicebat) vltra solitum ei prosperrime cessit, omniaque quæ illo tempore illi placuere, prospero euentu cucurrerunt. Præterea insistente Augusta & ministris palatinis, quandam partem Imperator filio suo dilectissimo Carolo Aquis-

Cometes semper à rũ portentum.
P.415.
Sapiens Ludouici super cometa dictũ.
P.416.

grani tradidit. Sed quia inofficiosa remansit, à nobis quoque silentio premitur. Quam rem auditam cum fratres eius ægre tulissent, mutuum inicre colloquium: Sed nil se contraire posse videntes, & cœptum dissimulantes, motum patris, qui ex hoc accidisse videbatur, facillime composuere. In his Imperator tota æstate consistens, indixit generalem conuentum autumni temporis (id est Septembrio mediante) in Carisiaco. In quo loco & tempore, filius eius Pipinus ab Aquitania ad eum venit: & ipsi conuentui interfuit. Vbi dominus Imperator filium suũ Carolum armis virilibus, id est ense, cinxit: corona regali caput insigniuit, partemque regni quam homonymus eius Carolus habuit, id est Neustriam, ei attribuit. Itaque dominus Imperator inter filios, quantum sibi possibile fuit, coagulo beneuolentiæ firmato Pipinum in Aquitaniam, Carolum autem in portionem regni ipsi attributam dimisit: & præsentes quidem Neustriæ prouinciæ primores Carolo & manus dederunt, & fidelitatem sacramento obstrinxerunt: absentium autem quisque postea itidem fecit.

Carolus insignia accipit regalia. Neustria præficitur.

In eodem loco & tempore pene omnes Septimaniæ nobiles affuerunt, conquerentes aduersus Berhardum ducem illarum partium, eo quod satellites illius reb. tam ecclesiasticis quam priuatis, absque vllo respectu diuino humanoque, pro libito abuterentur. Vnde petierunt vt dominus Imperator sub protectionis suæ eos susciperet munimine, & post hæc tales missos in eandem terram dirigeret, qui & potestate & prudentia, de ablatis æquo libramine penderent, & auitam eis legem conseruarent. Ad quod peragendum missi sunt, secundum postulationem eorum & domini Imperatoris electionem, Bonifacius comes & Donatus itidem comes, sed & Adrebaldus Flammacensis † monasterii abbas. His rite peractis, Imperator ab eo loco diuertit: & venationi autumnali iuxta morem operam dedit: & ad tempora hyemalia exigenda se Aquasgrani collegit. Qua hyeme idque Kalend. Ianuar. sæuus cometæ ignis in signo apparuit Scorpii, non multo post Solis occubitum. Cuius minacem vultum non multo post excessus Pipini est subsecutus.

Berhardus accusatur.

P. 417.

† al. Flauiniacensis.

Cometes. Pipini obitus

De Lotharii in conuentum VVarmatianum aduentu: & cum patre conciliatione: & de Imperii diuisione ibidem facta

CAPVT XVIII.

DCCCXL.

INterea Iudith Augusta, consilii quod pridem cum consiliariis aulicis cæterisque regni Francorum nobilibus inierat, nequaquam immemor, persuasit Imperatori, quatenus ad Lotharium filium suum legatos mitteret, qui eum ad patrẽ inuitarent, ea conditione, vt si fratris sui Caroli dilector & adiutor tutorque & protector esse vellet, veniret ad patrem, & sciret se ab eo omnium perperam gestorum indulgentiam adepturum, simul & medietatem imperii, excepta Baioaria, consecuturum. Quæ res tam Lothario, quam suis, per omnia vtilis visa est. Venit ergo iuxta condictum, ad VVarmatiam post Paschæ solennitatem: quem pater cum multa alacritate suscepit: & dapsiliter suos curare præcepit: & sicut mandauerat vniuersa peregit: intantum, vt et datis triduo induciis, vniuersum imperium suum cum suis ipse diuideret, si ita liberet: ita tamen vt partium electio penes Imperatorem & Carolum facienda maneret: Sin aliter vero, partitionem Imperatori & Carolo faciendam relinqueret. Itaque Lotharius cum suis diuisionem regni domino Imperatori pro suo libitu committunt: affirmantes se hanc diuisionem nequaquam exequi posse, propter ignorantiam locorum. Igitur Imperator æquo (vt suis sibique visum est) libramine omne suum diuisit imperium: præter Baioariam, quam Ludouico reliquit, atque ideo in partem eorum nemini cessit. His peractis, & filiis vniuersoque populo euocatis, data sibi optione Lotharius a fluuio Mosa Australem sibi tenendam delegit partem: occiduam vero Carolo fratri habendam reliquit: & vt haberet, coram cuncto populo se velle verbo signauit. Imperator ergo lætabatur in his: & cunctus populus talibus factis applaudens, omnia sibi placere dicebat. At vero Ludouici animum non parum hæc gesta læserunt. Imperator porro pro his gestis gratias Deo referebat: filiosque monebat,

Lotharii ad conuentum Warmatianũ accessus.

P. 418.

Imperii diuisio.

se

vt vnanimes essent, & se mutuo tuerentur: & Lotharius quidem iunioris fratris curam gereret, cuius se spiritualẽ esse patrem meminisse deberet: Carolus autem tanquam patri spirituali, & fratri seniori, debitum deferret honorem. Cumque hæc tanquam veræ pacis peregisset amator, & inter fratres mutuam dilectionem, & inter vtriusque filii populum, quantum sibi posse datum est, alternum seuisset amorem, lætus Lotharium in Italiam lætum dimisit, multis ditatum muneribus, donatum benedictionibus paternis, & monitum, *ne oblinisceretur saltem nuper à se promissorum.* Egit ergo Natalis Domini atque Paschæ celeberrimæ solennitates.

De Ludouici iunioris ob dictam diuisionem motu bellico, & eiusdem per patrem castigatione: Aquitanorum de principe habendo tumultu: de Ludouici iunioris in Germania contra patrem motu: de eclipsi Solis maxima: Ludouici Imperatoris ægritudine, & piis in ea operibus: de eiusdem legationibus & memorabili transitu, sepultura, & tempore ac annis Mundi: de bello per eclipsim figurato, inter filios Ludouici in Burgundia commisso: & Caroli Calui regni & imperii adeptione.

CAPVT XIX.

DCCCXLI.

LVdouicus vero audiens huiusmodi patris erga fratres suos voluntatem, & regni inter eos diuisionem, non tulit. Ideoque quicquid regni trans Rhenum fuit sibi vindicandum statuit. Quod cum Imperatori delatum esset, in transactam festiuitatem Paschalem differendum iudicauit. Qua peracta, nequaquam procrastinandum in talib. ratus, cum multis viribus Rhenum quidem Magontiamq; transiit, & †Treniros venit: ibiq; aliquandiu ob colligendum consedit exercitum. Quo exacto, vsq; Hodonnam † perrexit: ibiq; filius, quanquam inuitus, supplex venit, & increpatus ab eo, male se egisse confessus, emendaturumq; se perperam gesta professus est. At Imperator consueta & sibi semper amica vtens mansuetudine, & filio indulsit, & eum verbis primum (vt dignum fuit) paululum asperis increpauit, post autem lenioribus delinitum in regno reliquit: atq; in redeundo, Rhenum, in loco qui Confluens † dicitur, transmeauit, in Ardenna venationem solitam peracturus: in qua cum exerceretur, nuntii ad eum certissimi venerunt, affirmãtes (quod verum erat) aliquos Aquitanorum suam expectare sententiam, qualiter res ordinaretur Aquitanici regni: alios autem indigne ferre, eo quod audierint Carolo idem à patre traditum regnum. Nam Imperatore de talibus solicito, Ebroinus nobilissimus Pictauensis episcopus Flateram aduenit: nuntians tam se quam cæteros primores eiusdem regni, Imperatoris expectare voluntatem, & imperantis exequi velle iussionem. Erant enim in hac cõspirantes voluntate maximi quiq; procerũ: quorum eminentes erãt, ipse Ebroinus venerabilis episcopus, Reginardus comes, Gerardus itidem comes & gener quondam Pipini, necnon & Rotharius similiter comes Pipini gener: sed & alii complures erant horum sequentes voluntatem, & nullo poterant pacto seiungi. At vero altera pars populi, quorum vel maximus fuit Euienus † quidam, assumentes filium quondam Pipini regis, Pipinum itidem nomine, quaquauersum poterant vagabantur (sicut moris talibus est) prædationi atque tyrannidi operam dantes. Precabatur ergo præfatus antistes Ebroinus Imperatorem, ne in longum differret hunc morbum serpentem: sed mature mederetur per suum aduentum incommodo tali, antequam tanta lues plurimos inficere posset. Imperator porro præfatum episcopum in Aquitaniam, cum multis gratiarum actionibus, remisit, dans ei regimen abbatiæ sancti Germani Parthisiensis (nam Hilduinus abbas vita decesserat) Et quæ visa sunt suis fidelibus mandauit: & vt sibi autumni tempore aliqui eorum Cabillonum

Ludouicus contra partitionem regni conatus.

P. 419.

al. Triburas

al. Bodonnam

hod. Coboalentz.

Aquitanorum disceptatio.

P. 420.

al. Emenus.

occurrerent, imperauit: Eo enim generalem indixit conuentum. Nullus porro succenseat Imperatori, quod dictante crudelitate nepotem suum regno priuare voluerit: cum ipse morem gentis natiuum nouerit, vtpote connutritus illis: & quia *[Aquitanorum vitia. Sup.c.3.8.]* leuitatis atque aliis studentes sunt vitiis, grauitati atque stabilitati penitus renunciarunt: & vt talem Pipinum patrem eius facere possent, pene omnes qui ob custodelam illius missi erant, sicut sibi olim à patre Carolo dati fuerant, ab Aquitaniæ finibus eliminauerunt. Post quorum abscessum, quanta & qualia emerserint malorum vitiorumque monstra, & publica & priuata in eodem regno, moderna quoque præsentium studia, repræsentant. Volebat piissimus Imperator pie & rationabiliter educari puerum, ne vitiis prostitutus, nec sibi nec aliis præesse & prodesse postea posset: cogitans illud, quod quidam, qui filiis in teneriori ætate adhuc positis tradere regnum nollet, taliter se excusasse legitur; *Ego non quod inuideam ex me genitis, honorifice eos haberi veto, sed quia noui hæc adolescentibus studia, ferociæ nutrimenta suggerere.* *[P.421.]* Imperator, vti condixerat, tempore autumnali Cabillonensem petiit vrbem. & tam ecclesiastica quam publica suo more disposuit. Deinde ad regni Aquitanici ordinationem sese conuertit. Mouit nanque ab eodem loco, cum Regina, & filio Carolo, & valida manu: & Ligeri amne transmisso, Aruernorum vrbem petiit. Ibique fideles suos occurrentes, benigne (iuxta morem solitum) suscepit, & Carolo suo filio, cum solitis sacramentis, commendari fecit. Quosdam qui occursum debitum fidelitatemque sibi impendere denegarunt, & insuper latrocinando cum exercitui obambulabant, & quascunque poterant prædas exercebant, comprehensos legali iussit subdere quæstioni.

Hæc eo agente, natalis Domini festiuitas rediit: eandemque solennitatem Pictauis cum debito & solito celebrauit honore: ibidemque moranti, & quæ vtilitas poscebat disponenti, nuntius illi aduenit, dicens, Ludouicum filium suum, assumptis *[Ludouici iunioris in Alemanniam motus.]* quibusdam Saxonibus atque Thoringis secum, Alemanniam inuasisse. Quæ res maximum ei peperit incommodum. Etenim cum iam senili grauaretur ætate, & phlegmatis abundantia (quæ hyeme augmentatur) vltra solitum pulmo eius grauaretur, pectusque quateretur, accessit etiam hic tristis nuntius, cuius relatu adeo affectus est amaritudine (quamuis esset pene vltra humanum modum natura mitissimus, fortitudine magnanimus, pietate cautissimus) vt in apostema pituita excrescens duresceret, & intra vitalia vlcus lethale concresceret. Inuictus tamen eius animus, dum turbari tali peste Ecclesiam Dei, populumque Christianum vexari comperit, nec fastidio cessit, *[P. 422.]* nec dolori fractus succubuit. Sed postquam sanctum Quadragesimale ieiunium, cum vxore & filio Carolo inchoauit, aduersus hanc tempestatem sedandam se obiicere tulit: & qui solitus erat hoc tempus Psalmorum decantatione, orationum instantia, mis- *[Quadragesimalia studia]* sarum celebratione, eleemosynarum liberalitate, cum summa deuotione totum reddere solenne, vt vix vno aut duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret, nunc propter discordiam fugandam, pacemque reuocandam, nullum diem habere voluit feriatum. Pastoris enim boni sequens exemplum, pro vtilitate gregis sibi commissi, non refugiebat etiam proprii corporis perpeti iacturam. Vnde non ambigendum est, ei redditum præmium, quod ita laborantibus promisit se daturum maximus Pater princepsque pastorum. Cum maxima igitur fatigatione, impugnantibus valetudinem suam præmissis casibus, peruenit imminente sacratissima Paschali solennitate Aquasgrani: ibique eam cum solita deuotione celebrauit.

DCCCXLII.

Qua explicita, cœptum accelerauit explere negotium. Nam Rheno transmeato, *[Ludouici Imp. ad pacandos Germaniæ motus studium.]* Thoringiam continuato itinere petiit: vbi Ludouicum morari per id tempus didicit. In qua cum eum conscientia morari non pateretur (vtpote iam patre propinquante) rebusque diffideret, salutem in fugæ subsidio posuit, redempto enim itinere, per Sclauorum † terram in propria rediit. *[† Bohemorũ.]* Quo illo redeunte, Imperator generalem conuentum in vrbe Vangionum (quæ nunc Warmatia dicitur) congregari præcepit. Et quia res Ludouici taliter se habebant, Carolus autem filius eius cum matre in Aquitania versa-

versabatur, Imperator ad filium suum Lotharium in Italiam misit, iubens vt eidem placito interesset: quatenus cum eo de hac re & de aliis deliberaret. Quo in tempore deliquium Solis contigit, tertia die Letaniæ maioris insolito modo: in tantum enim lucis recessu, tenebræ præualuerunt, vt nihil à noctis veritate differre viderentur. Stellarum nanque ratus ordo ita cernebatur, vt nullum sydus hebetudinem lucis solaris pateretur: quin potius Luna, quæ se ei aduersam præbuerat, paulatim Orientem petendo, corniculatim illi lumen à parte Occidentali restitueret, in morem sui quando prima vel secunda cernitur, & sic per augmenta totam venustatem tota rota reciperet. Quod prodigium licet naturæ adscribatur, tamen lamentabili exitu consummatum est. Portendebatur enim per hoc, maximum illud lumen mortalium, quod in domo Dei supra candelabrum positum omnibus lucebat (piissimę recordationis Imperatorem dico) maturrime rebus humanis subtrahendum: mundumque, eius abscessu, in tenebris tribulationum relinquendum. Cœpit ergo fastidio tabescere, & nauseanti stomacho ad cibum potumque intendere, crebris suspiriis vrgeri, singultibus quati, ac per hoc virtute destitui. Natura enim suis deserta comitibus necesse est vt victa fatiscat. Quod cernens iussit sibi parari habitacula æstiua, atque expeditionalia, in insula quadam contigua Magontiæ ciuitati: ibique viribus desertus lectulo sese committit. Porro quis eius explicet pro Ecclesiæ statu sollicitudinem, vel pro eius concussione mœrorem? Quis enarrare lachrymarum flumina, quæ pro acceleratione diuinæ fundebat clementiæ? non enim se recessurum dolebat: sed quod futurum nouerat, gemebat, dicens, *se miserum, cuius extrema talibus clauderentur miseriis.* Aderant autem eius consolationi venerabiles Antistites, & alii serui Dei quam plurimi: inter quos erant, Iethi venerabilis Treuerorum archiepiscopus, Otgarius Maguntiæ similiter archiepiscopus, sed & Drogo frater domini Imperatoris Mettensis episcopus, necnon sacri palatii archicapellanus. Quem quanto sibi propinquiorem nouerat, tanto ei familiarius sua omnia & semet credebat. Per eum quidem quotidie confessionis suæ munus, sacrificiumque spiritus contribulati & cordis humiliati (quod Deus non despicit) offerebat. Cibusque eius erat solummodo per quadraginta dies Dominicum corpus: laudante eo iustitiam Dei, & dicente, *Iustus es, Domine, vt quia Quadragesimæ tempus non ieiunans exegi, saltem coactus idem tibi ieiunium exoluam.* Iussit autem eidem venerabili fratri suo Drogoni, vt ministros cameræ suæ ante se venire faceret: & rem familiarem quæ constabat in ornamentis regalibus, scilicet coronis, & armis, vasis, libris, sacerdotalibusque vestibus, per singula describi, iuberet. Cui prout sibi visum fuit, quid Ecclesiis, quid pauperibus, postremo quid filiis largiri deberet edixerat, Lothario scilicet & Carolo: & Lothario quidem coronam, ensem auro gemmisque redimitum eo tenore habendum misit, vt fidem Carolo & Iudith seruaret, & portionem regni totam illi conseruaret & tueretur, quam Deo teste & proceribus palatii ille secum & ante se largitus ei fuerat. His rite peractis, gratias Deo egit, quod nihil superesse proprium cognouit. Inter hæc dum tam venerabilis antistes Drogo, quam cæteri Pontifices in cunctis quæ agebantur Deo grates persoluerent (vtpote quia videbant, quod eum quem chorus virtutum semper comitatus fuerat, nunc perseuerantia subsequens, quasi causa hostiæ totum eius sacrificium vitæ Deo prorsus acceptum reddebat) vnum erat quod gaudium eorum obfuscabat. Verebantur enim ne forte filio Ludouico implacabilis esse vellet, scientes quod vulnus frequenter incisum, aut cauterio adustum, acerbiorem sustinenti propagaret dolorem: sisi tamen de eius inuicta patientia, qua semper vsus est, per Drogonem fratrem eius (cuius verba spernere nolebat) animum eius leniter pulsant. Qui primum quidem amaritudinem sui monstrauit animi: At vero parumper deliberans, & viribus quantuliscunque collectis, enumerare conabatur, quot & quantis ab eo afflictus sit incommodis, & quid contra naturam & Domini præceptum talia agendo commeruerit. *Sed quia ipse* (inquit) *ad me venire satisfacturus nequit, ego quod meum est, vobis testibus & Deo, omnia quæ in me peccauit, illi remitto. Vestrum autem erit illum monere, vt si ego illi toties perperam gesta indulsi, ille tamen sit non obliuiscatur: qui canos paternos deduxit cum dolore ad mortem, & in talibus communis patris Dei præcepta minasque contemsit.* His peractis & dictis (erat enim vespere Sabbati) præcepit, vt ante se celebrarentur vigiliæ nocturnæ: & ligno sanctæ crucis pectus

Eclipsis solis maxima. P.423.

Ludouici Imp. lectus morbus.

Ludouici pia studia & opera in extremis. P.424.

Legata filiis a Lud. Imp.

P.425.

suum muniretur: & quandiu valebat, manu propria tam frontem quam pectus eodem signaculo insignibat. Si quando autem lassabatur, per manus fratris sui Drogonis nutu id fieri poscebat. Mansit ergo tota illa nocte omnis virtutis corporeæ inops, solius sobrietatis animi compos. Postero die, qui erat Dominicus, iussit ministerium altaris præparari, & per officium Drogonis missarum officia celebrari: necnon per manus eius iuxta morem, communionem sacram sibi dari: & posthæc cuiusdam potiunculæ calidæ haustum præberi. Quo paululum prælibato, precatus est fratrem & simul astantes, vt curandis operam darent corporibus: se tandiu præstolaturum, quandiu illi refici possent. Instante autem migrationis articulo, iuncto pollice cum articulis (hoc enim facere consueuerat, si quando fratrem nutu vocabat) Drogonem accersiuit. Quo veniente, & reliquis Sacerdotibus, verbis quibus potuit & nutibus semetipsum commendans, benedici petiuit: & quæ solent agi, in egressu (sicut mihi plures retulerunt) conuersa facie in sinistram partem, indignando quodammodo, virtute quanta potuit dixit bis *Hutz, Hutz,*† quod significat foras, foras. Vnde patet quia malignum spiritum vidit: cuius societatem nec viuus nec moriens habere voluit. At vero eleuatis ad cœlum oculis, quanto huc minacius intuebatur, tanto illuc lætius intendebat: ita vt nihil à ridente differre videretur. In talibus ergo vitæ præsentis terminum sortitus, ad requiem feliciter (vt credimus) commigrauit: quia veraciter dictum est à veridico doctore, *Non potest male mori qui bene vixerit.* Decessit autem XII. Kalend. Iulii, anno vitæ suæ sexagesimo quarto: & Aquitaniæ quidem præfuit per annos triginta septem, Imperator autem viginti septē. Anima porro emissa †, corpus eius Drogo, frater Imperatoris & episcopus Mettensis, cum aliis Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Vassis dominicis, plurimaque frequentia tam cleri quam populi, sumptis Imperatoris reliquiis, cum magno honore Mettos transportari: & in Basilica sancti Arnulfi, quo & mater eius condita erat, nobiliter sepeliuit. Obiit autem anno Domini DCCCXL. Eodem anno facta est eclipsis Solis, feria quarta ante ascensionem Domini, hora diei nona, pridie Nonas Maii. Vertente autem anno, in die Ascensionis Domini fit bellum Fontaneum in Burgundia à quatuor filiis ipsius Ludouici, Carolo scilicet Lothario, Ludouico, & Pipino: vbi multus effusus est sanguis humanus. Ex quibus Carolus, qui appellabatur Caluus, regnum Francorum, & postmodum imperium Romanum obtinuit. Lotharius vero partem Franciæ sibi vendicauit, quæ vsque in hodiernum diem ex suo nomine, Lotharii regnum appellatur. Ludouicus autem Burgundiam sibi vendicauit, vnctusq; est in Regem. Pipinus autem Aquitaniam possedit.

[Margin notes: P. 426. — Memorabilis Ludouici migratio. — al. Hors, Hors. — Anni regni Ludouici. — al. recedente. — P. 426. hic desinit. — Locus sepulturæ. — Eclipsis solis. — Bellum inter fratres in Burgundia gestum. — Carolus Caluus rex Frācorum & Imper. — Lotharingia.]

De Nortmannorum in Parrhisiacos sæuitia & ducis eorum miraculoso per S. Germanum interitu: De translatione sancti Vincentii: & Georgii ac Aurelii martyrum

CAPVT XX.

DCCCXLVI.

Nortmannorum irruptio.

ANno DCCCXLVI. gens Nortmannica Galliam irrumpens, Parrhisios vsque venit: monasteriumque beati Germani Parrhisiis depopulata est. Quorum dux Ragenarius nomine, sub Principe Borico hanc deuastationem peragens, dum ante dictum principem suum Boricum se iactaret opulentissimum regnum Caroli adquisisse, & monasterium almi Germani deuastasse, & quod ibi maiorem mortui quam viui numerum haberent, nullumque sibi restitisse præter Germanum senem mortuum, continuo virtutem beati viri expertus concidit, ac post triduum expirauit: nec solum ipse, verum etiam & cæteri raptores & violatores sancti loci, dysenteriæ morbo perierunt.

Miraculum per S. Germanum in morte Ragenarii.

Translatio S. Vincentii.

Anno DCCCLV. diuina reuelatione corpus beati Vincentii à Valentia Hispaniæ ciuitate, per quendam monachum, Andaldum nomine, deportatum est. & apud

apud monaſterium beati Benedicti, quod Caſtrum vocatur ſitum in pago Albienſi, conditum.

Anno DCCCLVIII. defuncto Ebroino antiſtite atque abbate, ſucceſſit Hilduinus ſecundus in abbatiæ regimine. Cuius temporibus ſanctorum martyrum Georgii & Aurelii corpora, à duobus monachis eccleſiæ ſancti Germani delata Corduba, in præfato cœnobio ſancti pontificis ſunt condita.

Tranſlatio Georgii & Aurelii. Hic quadam deſunt. vide Ranchin. 1. Var.c.11.

De ægritudine ac interitu Lotharii regis: & de Caroli Calui ad regnum Lotharii electione, cum denunciationibus & formulis verborum ad electionem pertinentium, & eiuſdem Caroli coronatione

CAP. XXI.

Lotharius autem Roma lætus promouens, vſque Lucam ciuitatem venit: vbi febre corripitur, graſſante clade in ſuos, quos ſub oculis ſuis coaceruatim mori conſpiciebat: ſed iudicium Dei intelligere nolens vſque Placentiam VIII. Idus Auguſti peruenit: ibiq; Dominica die ſuperdiurnans, circa horam nonam inopinate exanimis pene effectus eſt: & obmuteſcens, in craſtinum hora diei ſecunda moritur: & à paucis ſuorum qui à clade remanſerant, in quodam monaſteriolo ſecus ipſam ciuitatem terræ mandatur. Quod Carolus apud Siluanectenſem ciuitatem degens (vbi tam ipſe quã vxor eius theſauros, quos in quibuſcunq; rebus habuerant, per loca ſancta in ſuã eleemoſynam diſpenſantes, a Piſtis reuerſi, Domino de cuius manu illos acceperant reddiderunt) non incerto comperiens nuntio, ab ipſa ciuitate mouens Attiniacum venit. Vbi à quibuſdam Epiſcopis, & ab aliquibus primoribus regni quondam Lotharii, legatos directos ſuſcepit, vt ibi reſideret, & in regnũ quod Lotharii fuerat nõ intraret, donec frater ſuus Ludouicus rex Germaniæ, ab expeditione hoſtili de Winidis (cum quib. præſenti & præterito anno ſæpe comminus ſui congredientes, aut nihil aut parũ vtilitatis egerunt, & damnum maximũ retulerunt) reuerteretur, & in palatio Engilinheim reſidens ad eum nuntios ſuos dirigeret, & ei mandaret quo & quando ſimul conuenirent, & de regni ipſius diuiſione tractarent. Plures autem ſaniore conſilio illi mandauerunt, vt quantocyus, quoquo modo poſſet, vſq; Mettos properare ſatageret: & ipſi tam in itinere, quam ad ciuitatem ipſam, ei occurrere maturarent. Quorum cõſilium Carolus acceptabilius, & ſibi ſalubrius eſſe intelligens, iuxta eorum ſuggeſtionem agere feſtinauit: & veniens vſque Viridunum†, plurimos de eodem regno, ſed & Haidonem ipſius ciuitatis Epiſcopum, ſibi ſe commendantes ſuſcepit. Indeq; in Mettenſem vrbem Nonis Septemb. veniens, Aduentium ipſius ciuitatis epiſcopum, & Franconem Tungrenſem præſulem, cum multis aliis in ſua commendatione ſuſcepit: ſicque V. Idus ipſius menſis ab Epiſcopis qui affuerunt, coeuntibus omnibus in Baſilica ſancti Stephani, hæc quæ ſequuntur denuntiata & geſta fuêre hoc modo.

Lotharii morbus. *Lotharii mors & ſepultura.* *Winidi.* *Verdun.*

Anno incarnationis Dominicæ DCCCLXVIII.† Indictione ſecunda V. Idus Septemb. Mettis in eccleſia ſancti Stephani martyris, hæc quę ſequuntur capitula Aduentius, ipſius ciuitatis Epiſcopus, coram rege & Epiſcopis qui affuerunt, publice populo & ſcripto & verbis denuntiauit.

al. DCCCLIX.

Vos ſcitis, fratres, & multis in plurimis regnis eſt cognitum, quantos & quales euentus tempore ſenioris noſtri, quem hactenus habuimus, pro cauſis notiſſimis communiter ſuſtinuimus: & quanto dolore quantaque anguſtia, de illius infauſta morte nuper cordibus perculſi ſumus: vnde vnicum refugium & ſingulariter ſalubre conſilium, Rege & Principe noſtro deſtituti ac deſolati, nobis omnibus eſſe conſiderauimus, vt ieiuniis & orationibus ad eum nos conuerteremus, qui eſt adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, & cuius eſt conſilium ac regnum, & (vt ſcriptum eſt) cui voluerit dabit illud, & in cuius manu corda ſunt Regum, & facit vnanimes habitare in domo ſoluens medium parietem, & faciens vtraque vnum, deprecantes ipſius miſericordiam, vt daret nobis Regem ac principem ſecundum cor ſuum: qui in iudicio & iuſticia nos in omni

Forma denuntiationis in cœtu maiorum & epiſcoporum.

ordine ac professione regeret, saluaret atque defenderet, pariter voluntatem & corda omnium nostrum vnanimiter in eum inclinaret atque vniret: quem ipse ad salutem totius Ecclesiæ & populi prædestinatum habebat, secundum misericordiam suam. Quia denique ille qui voluntatem timentium se facit, & deprecationes eorum exaudit, in concordi vnanimitate prælegit hunc regni huius heredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, dominum videlicet præsentem hunc principem nostrum Carolum, vt nobis præsit & prosit. videtur nobis, si vobis placet, vt (sicut posthæc vobis manifestabimus) signo certissimo demonstremus illum à Deo electum, & nobis datum principem: vt eidem largitori Deo ex suis beneficiis non simus ingrati, sed gratiarum actiones illi referentes, quatenus & eum nobis datum principem ad salutem & defensionem suæ sanctæ Ecclesiæ, & ad auxilium atque profectum omnium nostrum, cum pace & tranquillitate nobis conseruet diutius, & nos fideli deuotione illi obsequentes, atque obseruatione fruentes, sub illius administratione in suo gubernet seruitio. At si illi placet, & necessarium vobis videtur: hortamur vt ex eius ore audiamus, quod à Christianissimo rege fideli & vnanimo huius populi vnicuique in ordine suo conuenit audire, ac deuota mente suscipere.

Caroli Calui electio.

Post hæc rex Carolus hæc, quæ sequuntur, per se in eadem Ecclesia cunctis qui affuerunt denunciauit. *Quia sicut isti venerabiles Episcopi, vnius ex ipsis voce dixerunt, & certis indiciis ex nostra vnanimitate monstrauerunt, & vos acclamastis me Dei electione ad vestrā saluationem & profectum atq; regimen & gubernationem huc aduenisse, sciatis me honorem & cultum Dei atq; sanctarum Ecclesiarum Domino conseruare adiuuante, & vnumquenque vestrum, secundum sui ordinis dignitatem & personam, iuxta meum scire & posse honorare & saluare, & honorabiliter saluatum tenere velle: & vnicuiq; in suo ordine, secundum sibi competentes tam ecclesiasticas quam mundanas, legem & iustitiam conseruare: in hoc vt honor regius & potestas, ac debita obedientia atque adiutorium ad regnum mihi à Deo datum continendum & defendendum, ab vnoquoq; vestrum, secundum suum ordinem & dignitatem, atq; possibilitatem mihi exhibeatur, sicut antecessores vestri, iuste, fideliter & rationabiliter meis antecessoribus exhibuerunt.* At post Hincmarus Remorum archiepiscopus, hęc quæ sequuntur capitula, iubente ac postulante Aduentio ipsius ciuitatis episcopo, & cæteris episcopis Treuerorum prouinciæ (Haitone scilicet ecclesię Viridunensis episcopo, & Arnulfo Tullensium antistite) conniuentibus † prouinciæ Remorum episcopis, coram Episcopis & Rege, cunctis qui affuerunt in eadem Ecclesia, publice denuntiauit.

Denuntiatio ac promissio Caroli Calui.

al. conhibentibus.

Denuntiatio. Hincmari episcopi Remensis & Treuerensis episcoporum societas.

Ne alicui forte videatur incongrue, ac præsumptuose me ac prouinciæ nostræ venerabiles coepiscopos facere, quoniam de altera prouincia, ordinationi & causis huius prouinciæ nos immiscemus, sciat nos contra canones sacros non agere: quoniam Remensis & Treuerensis ecclesiæ in hac regione Belgica, cum sibi commissis ecclesiis sorores & comprouinciales habentur, sicut auctoritas ecclesiastica & antiquissima demonstrat consuetudo: ac per hoc vnanimi consensu & synodalia iudicia exercere, & quæ à sanctis Patribus constituta sunt, debent concorditer custodire: hac priuilegii conditione seruata, vt qui prior de Remensi & Treuerensi episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur. Et lex diuinitus instituta præcepit dicens: Si transieris per messem amici tui, colligens spicas manu confricabis ad manducandum: falce autem non metas. Messis est populus, vt Dominus monstrat in Euangelio dicens, Messis quidem multa, operarii autem pauci: Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Quia vos pro nobis Episcopis orare debetis, vt vobis digna possimus loqui. Messis amici est populus in prouincia alteri Metropolitano commissa: Vnde vos hortando (quasi manu operis confricando) ad Dei voluntatem & vestram salutem, in corpus vnitatis Ecclesiæ valemus & debemus traiicere: in parochianos autem prouinciarum aliis metropolitanis commissarum, falcem iudicii non mittimus: quia nec est vnde, nec nostrum esse consideramus. Est & alia causa: quia isti venerabiles domini & confratres nostri, prouinciæ istius Episcopi, non habentes metropolitanum episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut & in specialibus nostris causis, nos fraterna charitate iubent & commonent agere. Est ne ita, domini fratres? Et responderunt ipsi Episcopi, *Ita est. Præter ea quæ dominus Episcopus & frater noster Aduentius, vobis ex sua & cæterorum nostrorum, & suorum fratrum ac venerabilium Episcoporum voce dixit, in hoc etiam animaduertere potestis voluntatem Dei esse, vt præsens dominus & Rex noster (qui in partem regni quam hactenus tenet & tenuit, & nobis ac Ecclesiis nostris & populo sibi commisso vtiliter præest & præfuit, & salubriter prodest & profuit) inde ad hunc locum Domino ducente peruenerit, quod etiam & vos eius inspiratione confluxistis, & ipsi vos sponte commendastis: cuius instinctu, animalia omnia in arcam Noe, significantem Ecclesiæ vnitatem, nullo cogente conuenerunt. Quia sancta*

Deut. 23.

Luca 10.

sanctæ memoriæ pater suus dominus Ludouicus Pius Imperator, ex progenie Clodouei regis Francorum per beati Remigii catholicam prædicationem cum integra gente conuersi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis paruulis & mulieribus, in vigilia sancti Paschæ baptizatis, & cælitus sumpto chrismate (vnde † adhuc habemus) peruncti & in Regem sacrati exortus, per beatum Arnulfum (cuius idem Ludouicus Pius Augustus originem duxit carnis) & à Stephano Papa Romano, ante sanctæ Dei genitricis Mariæ altare Remis in Imperatorem est coronatus: & demum factione quorundam terreno imperio destitutus, vnanimitate Episcoporum, & fidelis populi, ante sepulchrum sancti Dionysii Ecclesiæ sanctæ est redditus: & in hac domo, ante hoc altare protomartyris Stephani, coronatus per Domini sacerdotes, acclamatione fidelis populi (sicut qui affuimus vidimus) corona regni est imperio restitutus. Et quia (vt in historiis sacris legimus) Reges quando regna obtinuerunt, singulorum regnorum sibi diademata imposuerunt, non incongruum videtur, si vestræ placet vnanimitati, vt in obtentu regni vnde vos ad illum sponte conuenistis, sacerdotali ministerio ante hoc altare coronetur, & sacra vnctione Domino consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Episcopus; *Agamus ergo vnanimiter Domino gratias, decantantes, Te Deum laudamus.* Et post hæc cum benedictione sacerdotali idem Rex est coronatus. Indeque Florikingas veniens quæ ordinanda sibi visa sunt ordinauit. Indeque in saltum Ardennæ, animalium venationi se contulit. Ludouicus autem frater eius, pacem sub quadam cõditione apud Winidos obtinere procurans, ad quam confirmandam filios suos cum marchionibus terræ ipsius direxerat, infirmus in Ragensburg† ciuitate remansit: & mittens missos suos ad Carolum, mandauit illi de firmitatibus†, quæ inter eos factæ fuerunt: sed & de portione regni quondam Lotharii. Vnde Carolus illi congruam responsionem mandauit.

Clodouei ciuitas conuersionum. Gall. dont. Stephan. II. Coronatio Caroli Calui. Winidorum pax. Ratispona. i. fœderibus.

De Basilio Michaelem imperatorem occidente, imperium occupante, & filiam Ludouici postulante: Deque templi diui Michaelis in monte Gargano à Sarracenis direptione

CAP. XXII.

INTEREA Basilius, quem Michael Græcorum imperator sibi in consortium imperii asciuerat, eundem Michaelem dolo interfecit: & imperium sibi asciuit. Qui patricium suum Abbaram cum CCC. nauibus, miserat, & vt Ludouico contra Sarracenos ferret suffragium, & filiam ipsius Ludouici sibi desponsatam de Ludouico susciperet, & sibi in coniugio copulandam duceret. Sed quadam occasione interueniente, disconuenit Ludouico cum eodem Patricio de filia ipsius. Vnde idem Patricius molestus Corinthum rediit. Et reuertente Ludouico ab obsidione Sarracenorum de partibus Beneuentanis, iidem Sarraceni de Baira egredientes, & hostem † Hludouici post tergum sequentes, plusquam duo millia caballorum ipsius *hostis* prædati sunt: & cũ eisdem caballis duos ex seipsis ordinantes cuneos, ad ecclesiam sancti Michaelis in monte Gargano perrexerunt: & clericos, sed & multos qui ad orationem illuc conuenerant, deprædantes, cum multa præda ad sua redierunt. Quod valde & Imperatorem, atque Apostolicum, sed & Romanos, turbauit.

Basilius Michaelem Imp. necat & imperat. i. exercitum. Templum Michaelis in Gargano à Sarracenis diripitur.



De Vvinidis victis: Rotlandi episcopi à Sarracenis captione, & pretiosa, sed dolosa (quia iam mortui) redemptione: Britonum cum Nortmannis adhuc impiis pactione: de apostata supplicio: Cœnobii S. Germani apud Parrhisios à Nortmannis direptione & incendio: & vrbium contra eos munitione.

CAP. XXIII.

Winidi vincuntur.

LVdouicus, Ludouici regis Germaniæ filius, cum Saxonibus contra Winidos (qui è regione Saxonum sunt) bellum committens, cum multa strage hominum ex vtraque parte, quoquo modo victoriam est adeptus: indeque prospere est reuersus. Rotlandus Arelatensis archiepiscopus abbatiam sancti Cæsarii apud Ludouicum imperatorem & Engilbergam non vacua manu adeptus, in insula Camaria nimis vndecunque inclytissima † (in qua res ipsius abbatiæ plurimæ coniacent, & in qua portum Sarraceni habere solebant) castellum opere tumultuario de sola terra ædificans, audito Sarracenorum aduentu in illud satis inconsulte intrauit: & applicantibus ad ipsum castellum Sarracenis, amplius quam trecentis suorum interfectis, ab eisdem Sarracenis est captus, & in eorum naues deductus est ac religatus. Vnde CL. libris argenti, & CL. mantellis, & CL. spathis, & CL. mancipiis, præter ea quæ in placito data sunt, ad redemptionem eius concessis, interea idem Episcopus in nauibus moritur XIII. Kalend. Octobris. Sarraceni autem ingeniose accelerantes de redemptione illius, quasi non possent ibi amplius immorari, si illum vellent recipere, redemptores illius redemptionem pro eo dare accelerarent, edicunt. Quod & factum est: & Sarraceni suscepta omni redemptione, miserunt eundem Episcopum sedentem in cathedra, indutum vestimentis sacerdotalibus cum quibus captus fuerat, & velut pro honore deportauerunt eum è nauibus in terram. Redemptores autem illius volentes eum alloqui, & congratulari ei, inuenerunt eum mortuum. Quem cum maximo luctu exportantes sepelierunt X. Kalend. Octobris, in sepulchro quod sibi ipse parauerat.

Rotlandus abbatiam emit.
al. ditissima.
Rotlandus episcopus captus à Sarracenis.

Salomon dux Britonum, pacem cum Nortmannis ad Ligerim residentibus, fecit: & vinum suæ partis de pago Andegauensi, cum Britonibus suis collegit. Hugo abbas & Gaufridus cum Transsequanis, confligentes cum Nortmannis ad Ligerim residentibus, LX. circiter indeinterfecerunt: & capientes quendam apostatam monachum, qui relicta Christianitate se ad Nortmannos contulerat, & Christianis infestissimus erat, decollari fecerunt. Ea tempestate, secunda irruptione Nortmanni Parrhisios venerunt, & beati Germani monasterium depopulati sunt, cellarioque fratrum igne immisso, cum præda vndecunque adquisita redierunt. Carolus vero ciuitates trans Sequanam ab incolis firmari rogauit, Cenomannos scilicet ac Thuronos: vt præsidio, contra Normannos, populis esse possent. Nortmanni autem hoc audientes, multam summam argenti, frumenti quoque & vini, ac animalium, ab incolis ipsius terræ quæsierunt, vt cum eis pacem facerent.

Britones cum Nortmannis paciscuntur adhuc infidelibus.
Nortmanni cæduntur.
Apostata supplicium.
S. Germani cœnobium diripitur.
Vrbium contra Nortmannos munitiones.

De Caroli Calui concubinatu cum Richilde: De legatis Adriani Papæ, & eius mandatis ad Carolum: De Caroli vana credulitate, de ægritudine Ludouici fratris eius

CAP. XXIV.

Hirmintrudis obitus.

CArolus in villa Duciaco, VII. Idus Octob. certo nuntio comperiens, obiisse pridie nonas Octobris Hirmintridem vxorem suam in monasterio sancti Dionysii, vbi & se-

& sepulta est, exequente Bosone filio Buuini quondam comitis hoc missaticum †, apud matrem & materteram suam, Teubergam Lotharii regis relictam, sororem ipsius Bosonis Richildem nomine, mox sibi adduci fecit, & in concubinam accepit. Qua de re eidem Bosoni Abbatiam sancti Mauritii, cum aliis honoribus, dedit: & ipse Aquasgrani in palatium, eandem concubinam secum ducens, festinare accelerauit: quatenus residuos illius partis homines, qui Lotharii fuerãt, ibi (sicut ei mandauerant) in sua diuione susciperet: denuntians se abinde in palatium, quod Gundulfi villa † dicitur, ad festum sancti Martini venturum, vt de prouincia & de superioribus partibus Burgundiæ ad se venturos suscipiat. Veniens autem Aquasgrani, nullum obtinuit quem ante non habuit: & inde (vt denuntiauerat) ad Gundulfi villam peruenit: vbi legatos Adriani papæ, Paulum & Leonem Episcopos, suscepit cum epistolis missis sibi, & præsulibus ac regni primoribus in his Galliarum partium regionibus consistentibus: in quibus continebatur, *Vt regnum quondam Lotharii, quod Ludouico Imperatori spirituali filio eius hæreditario iure debebatur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharii rediit, vel homines in eo degentes, mortalium nullus inuaderet, nullus commoueret, nullus ad se conaretur inflectere. Quod si quis præsumeret, non solum per suæ auctoritatis ministerium infirmaretur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis priuatus, cum Diabolo omnino locaretur: & si quis de Episcopis tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo fugeret vel non resistendo consentiret, non iam pastoris, sed mercenarii nomine se norit fore censendum: & quia tam non pertineret ad eum quicquam de ouibus, non pertineret ad eum consequenter de pastoralibus dignitatibus.* Cum quibus Episcopis & nuntius Ludouici imperatoris venit, nomine Boderardus, de his nihilominus satagens. Carolus autem absolutis Apostolici & Imperatoris legatis, pellectus vanis suasionibus falsorum nuntiorum, qui ei suggerebant, quod frater suus Ludouicus vicinissimus morti foret, iter in Elsatias † partes arripuit: vt Hugonem Liutfridi filium, & Bernardum & Bernardi filium, obtineret, sicut & fecit: indeq; Aquasgrani remeans, ibidem Natiuitatem Domini celebrauit.

i. nuntium. Gall. message. — *Richildis concubina.* — *Gundelfingen.* — *Legati Adriani papa. Interminatio eiusdem.* — *Nuntii falsi de agritudine Ludouici.* — *al. Elisatias.*

Anno DCCCLXX. inde ad Rorici Nortmanni colloquium, apud Nouiomagum palatium, perrexit: quem sibi fœdere copulauit: & in die festiuitatis Septuagesimæ prædictam cõcubinam suam Richildem, desponsatam atque dotatam in coniugem sumpsit: & præter spem à fratre suo Ludouico Germaniæ rege sibi nuntiantes legatos accepit, vt si quam ocyssime Aquisgrani non egrederetur, & regnum quondam Lotharii penitus non desereret, idemque regnum sicut Lotharii homines tempore obitus eius habebant, eis tenere pacifice non concederet, sine vlla retractatione illum bello appeteret. Vnde inter eos nuntiis discurrentibus, eo vsq; causa perducta est, vt vtrinque huiusmodi sacramenta fierent: *Sic promitto ex parte senioris mei Caroli, quod senior meus fratri suo Ludouico regi, talem portionem de regno Lotharii regis consentit habere, qualem aut ipsi iustiorem & æquiorem, aut communes fideles eorum inter se inuenerint: nec eum in ipsa portione, vel in regno quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet aut fors consiliabit: si frater suus Ludouicus eandem firmitatem & fidelitatem, quam ex parte senioris mei Caroli habeo promissam, seniori meo ex sua parte quandiu vixerit inuiolabiliter seruauerit.* Et hac infirma firmitate patrata, Carolus Aquisgrani egrediens, vno itinere Compendium † venit: ibique Pascha Domini celebrauit: Indeque mense Maio ad Attiniacum palatium venit: vbi & duodecim legatos fratris Ludouici, pro diuisione regni accepit: qui superciliose tam de sanitate corporis Ludouici quam de prosperitate (quia Restitium Winidum sibi diutino tempore infestissimum tam dolo quam bello captum vicerat) elati minus debito sacramenta inter eos facta duxere seruanda. Quæ diuisio multifarie multisque modis hinc atque illinc agitata, & per diuersos nuntios alterutrum directa, ad hunc finem ex Caroli mandato peruenit, vt in illud regnum quod inter eos, secundum sacramenta præstita, diuidendum erat, pacifice conuenirent, & sicut cum consensu & vnanimitate communium fidelium ipsorum inuenirent, secundum sacramenta inter eos præstita illud regnum diuiderent. Interea post de multis impetitus (præcipue autem de insubiectione regiæ potestati, & inobedientia erga suum Archiepiscopum) Hincmarus Landunensis episcopus, vt se ab impetitis expediret, in synodo Episcoporum decem prouinciarum libellum propria manu subscriptum porrexit hæc continentem. *Ego Hincmarus ecclesiæ Landunensis episcopus, à modo & deinceps do-*

Fœdus cum Rorico Nortmanno. — *Nuptiæ concubina.* — *Literæ minaces Ludouici regis.* — *Pacta regum.* — *Compiegne.* — *Legati Ludouici.* — *Caroli de regni diuisione sententia.* — *Hincmari incusatio. Purgatio eiusdem.*

mino seniori meo Carolo regi, sic fidelis & obediens, secundum ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, & Episcopus per directum † suo Regi esse debet: ac priuilegio Hincmari Metropolitani prouinciæ Remorum ecclesiæ, secundum sacros canones & decreta sedis Apostolicæ ex sacris canonibus promulgata, pro scire & posse me obediturum profiteor. Et subscripsit. Carlomannus etiam regis Caroli filius, & plurimorum monasteriorum Abbas reputatus, quoniam insidias erga patrem suum infideliter moliretur, Abbatiis priuatus in ciuitatem Syluanectensem est custodiæ mancipatus.

al. drictum. Gall. droict.

Carlomannus priuatur abbatiis.

De legatis per quos tandem regni Lotharii diuisio facta est inter Carolum & Ludouicum: & de vtriusque portione, quæ Barbaris & vulgatis exprimitur vocabulis

CAP. XXV.

Legati Caroli ad Ludouicum ob regni diuisionem.

Francofordiam.

CArolus rex legatos suos, Odonem scilicet Belgiuacorum episcopum & Odonem ac Harduinum comites, ad fratrem suum Ludouicum ad † Franconofurt dirigens, petiit vt ad regnum Lotharii diuidendum simul conuenirent: ipseque Pontigonem petens, ibidem eos legatos accepit, nuntiantes vt ipse ad Heristallium veniret, & frater eius Ludouicus ad Smarnam venturus esset: & in meditullio eorundem locorum Kal. Augusti colloquerentur: & vnusquisq; eorum quatuor Episcopos & decem consiliarios & interministeriales & vasallos XXX. tantummodo, ad idem colloquium ducerent. Quo Ludouicus pergens Flameresheim in pagum Ribuarium venit: & de quodam solario vetustate confecto, subligis fractis, cum quibusdam suorum cecidit: & aliquantulum periclitatus, in breui cōualuit: inde Aquasgrani peruenit: & discurrentibus inter vtrosq; fratres & Reges nuntiis, tandem V. Kal. Augusti ad locum colloquii conuenerunt: & hoc modo regnum quondam Lotharii inter se diuiserunt. Et hæc est portio quam sibi Ludouicus accepit.

Pith. p. 488.

Coloniam. Treueros. Vtrecht. i, Traiectum. Strasburg. i, Argentinam. Basileam. Abbatiam Suestre. Berch. Nui Monasterium. Castellum Indam. Sanctum Maximinum. Ephterniacum. Horream. sanctum Gandulfum. Fauerniacum. Polemniacum. Luxouium. Literam. Balmam. Offonis villam. Meiem. Monasterium sancti Deodati. Bodonis monasterium. Sriuagium. Romerici montem. Morbachum. sancti Gregorii Mauri monasterium. Eboresheim. Homouua. Masonis monasterium. Homburch. S. Stamphim †. Straburch. Erostein. S. Vrsi in Saladoro. Grandiuallem. Altam petram. Iustiniani † Vallem. Clusi castellum. Carnones, Heribodesheim. Abbatiam de Aquis. Homchirche. Augustchirche. Comitatum Testebrāt. Bauiam. Harmarias. Mosam subteriorem de ista parte. Item Mosam superiorem quantum de ista parte est. Lingas quantum de ista parte est. Districtū Aquense. Districtū Trectis. In Ribuariis Comitatus. V. Mogenensium. Bedagouuam. Nithacouuam. Sarachouuam subteriorem. Blesitchouua. Selme. Albechennam. Suentiscum. Calmontē. Sarachouuam superiorem. Odornense quod Bernardus habuit. Solocense. Basiniacū. Eliscouue. Warachstudingum. Emaus. Basalchouuam. In Elisatio Comitatus II. De Frisia duas partes: de regno quod Lotharius habuit, super istam portionem propter pacis & charitatis custodiam, superaddimus istam adiectionem, ciuitatem Mettensem, cum abbatia sancti Petri, & sancti Martini, & comitatu Moslensi, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis quam etiam vasallorum. De Arduenna sicut flumen Vrca surgit inter Bislaue & Tumbas, ac decurrit in Mosam: & sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes missi nostri rectius inuenerint: excepto quod de Condustrio est ad partem Orientis trans Vrcam, & abbatias Pramiam & Stabolam cum omnibus villis dominicatis & vasallorum.

Stapni. Iustinianam.

Vrca. Bislaue.

Bisontium. Vastia.

Et hæc est portio quam Carolus de eodem regno sibi accepit. Lugdunum, Vesontium †. Viennam. Tungros. Tullum. Viridunum. Camaracum. Viuarias. Vzotias †.

Montem

Montem Falconis. Sancti Michaelis. Suldum † monasterium. Sanctam Mariam in B.fintiono. Sancti Martini in eodem loco. Sancti Augentii. Sancti Marcelli. Sancti Laurentii. Lendensi †. Sennonam, abbatiam Mellam †. Molburium. Laubias. Sancti Gaugerici. Sancti Saluii. Crispinno. fossas Marilias. Humulfiurt. † Sancti Seruatii. Malinas. Ledi. Suniuacum †. Antonium. Condatum. Merrelecchi. Tichuium †. Lutrosam. Calmontem. Sanctam Mariam in Deonant. Echam. Andanam. Wasloos †. Altum montem. Comitatum Texandrum. In Brachanto comitatus IV. Cameracensem. Hamonem. Loniensem. In Hasbanio Comitatus IV. Mosam superiorem de ista parte Mosæ. Mosau subteriorem, quantum de ista parte est: Linga †, quod de ista parte est Mosæ, & pertinet ad Versatum †. Scarpomusæ. Viridunense. Dulmense. Ælon. Waurense. comitatus II. Mosnunse. †. Castritium. Condrust. De Arduenna sicut flumen Vrca surgit inter Bislane & Tombas, ac decurrit ex hac parte in Mosam: & sicut recta via ex hac parte Occidentis pergit in Hodense, secundum quod missi nostri rectius inuenerint. Tullense aliud. Odornense quod Temarus habuit. Barrense. Portense. Salmoringum. Lugdunense. Viennense. Viuarias. Vzetium. De Frisia tertiam partem. Et postridie, scilicet IV. Idus eiusdem mensis, simul iterum conuenerunt: & vale dicentes sibi mutuo, ab inuicem discesserunt. Ludouicus videlicet Aquasgrani rediens: & Carolus Liptinos vxorem suam sibi obuiam venire iubens, partem ipsius regni quam accepit, sicut placuit sibi diuisit. Indeque per monasterium sancti Quintini ad Syluacum, & inde per Carisiacum Compendium veniens, autumnalem venationem in Cotiæ saltu exercuit.

Gildini. Leudensi. Niellam. Hunulfurt. Sunriacum. Tichuinni. Waslor. Lingas. Vrosatum. Mosinunse.

De vulneris quod ex casu Ludouicus acceperit difficili curatione: de Legatis Papæ, & Imperatoris ad eum missis, & ad fratrem remissis: de Restitii Vuinidi captiuitate & excæcatione. De filiorum Ludouici discordia & paciscendi die

CAP. XXVI.

LVdouicus læsionem contusionis, quam ex supradicto casu de solario perpessus fuerat, minus necessario curari a medicis sustinens, computrescentem ab eisdem medicis secari fecit: vnde & longiori quam sperauerat tempore Aquisgrani decubuit: vbi & pene desperatus, vix mortem euasit: ibique apostolici Adriani Legatos (Ioannem & Petrum itemque Ioannem episcopos & Petrum Cardinalem Ecclesiæ Romanæ presbyterum) sed & oratores Ludouici Imperatoris (Vincbodum episcopum & Bernardum comitem) suscepit, sibi denuntiantes vt de regno Lotharii nepotis sui, quod fratri suo Ludouico imperatori debebatur, non se intromittere præsumeret: & in breui absolutos, ad fratrem suum Carolum eos direxit: & ipse mox vt aliquantulum conualuit ad Reghinsburg pergens, Restitium Winidorum regulum a Carlomanno per dolum nepotis ipsius Restitii captum, & aliquandiu in custodia detentum, post iudicium excæcari & in monasterium mitti præcepit, cuiusque filios Ludouicum & Carolum ad se venire mandauit. Qui sentientes, satagente matre, inclinatiorem voluntatem patris erga Carlomannum quam erga se, ad illum venire detrectarunt.

Vulnus Ludouici excisum. Legati Adriani papæ & Ludouici Imp. Restitius excæcatus intruditur monasterio. Filiorum Ludouici dissentio.

Ludouicus ad pla[illegible]od Franconofurt condixerat, ante Quadragesimæ initium venit: & [illegible]atis, inter eum & filios suos vtrinque factæ sunt firmitates, vt vsque ad [illegible] mensem & ipsi ex parte patris securi manere possent, & illi deu[illegible], quam inceperant dimitterent, & pacifice vsque ad [illegible] degerent. Et hoc ita patrato negotio Ludouicus ad Reghinsburg † rediit.

Paciscendi dies fratribus condicta. Reghinisburch.

De regni Lotharii noua disceptatione per legatos Papæ & Caroli regis: De Carlomanni è custodia ereptione: & subterfugio ac seditione in patrem: De Viennæ obsidione & captione: Carlomanni fraudulenta deditionis simulatione: De consciorum eius condemnatione, & excommunicatione: De honoribus in Bosonem fratrem Richildis impensis

CAP. XXVII.

CArolus peracta venatione autumnali, ad monasterium sancti Dionysii festiuitatem ipsius Sancti celebraturus perrexit: vbi ipsa die inter missarum solennia, præfatos Apostolici legatos, cum epistolis ad se & ad Episcopos regni sui directis terribiliter sibi regnum quondam Lotharii, quod fratri suo Imperatori debebatur, interdicentibus, *Legatorum minæ.* moleste suscepit: & deprecantibus eisdem Legatis cum quibusdam fidelibus suis, Carlomannum filium suum à custodia ex Syluanectensi ciuitate absoluit, & secum manere præcepit. *Carlomannus custodia eximitur.* Ipsos autem legatos Domini Apostolici & Imperatoris vsque Remos deduci fecit: & vndique plurimos fidelium suorum illuc conuenire faciens, & per octo dies ibidem immorans, eosdem absoluit: & suos oratores, *Legati regis.* Ansegisum videlicet presbyterum monasterii sancti Michaelis Abbatem, & Etharium laicum, Romam cum epistolis ad Dominum Apostolicum, sed & pannum ad altare sancti Petri de vestimentis suis aureis compositum, cum duabus coronis aureis gemmis ornatis, misit, & ipsa Lugdunum vsque peruenit. *Carlomanni perfugium & seditio.* Vnde Carlomannus noctu a patre fugiens, in Belgicam prouinciam venit: congregans secum plurimos satellites ac filios Belial, tantam crudelitatem & deuastationem secundum operationem Sathanæ exercuit, vt credi non possit, nisi ab ipsis qui eandem depopulationem viderunt atque sustinuerunt. Quod Carolus nimium ægre tulit: non tamen iter suum deseruit: sed Viennam, in qua Bertham vxorem Gerardi erat obsessurus, quantocyus adiit (nam Gerardus morabatur in altero castello) in qua obsidione circumiacentes regiones nimis fuere vastatæ. *Bertha in Vienna obsidio. Vienna deditur.* Carolus autem ingeniose inter eos, qui in Vienna erant illam custodientes, dissensionem mittens, magnam partem eorum sibi conciliauit. Quod sentiens Bertha, ad Gerardum direxit. Qui veniens Carolo ciuitatem reddidit, in quam idem Rex vigilia natiuitatis Domini intrans, natiuitatem Domini ibidem celebrauit.

Anno DCCCLXXI. Carolus Vienna in potestatem suam suscepta, à Gerardo sibi obsides dari pro aliis castellis suis missis tradendis coëgit: & tribus nauibus Gerardo datis, per Rhodanum cum sua Bertha & mobilibus suis, à Vienna permisit abscedere: & ipsam Viennam Bosoni, fratri vxoris suæ, commisit. *Vienna Bosoni traditur.* Ipseque per Altissiodorum & Senones, ad monasterium S. Dionysii quantocyus potuit venire maturauit. Quod audiens Carlomannus, cum suis complicibus ad Mosonium† perrexit, *hod. Pont à Mousson* & ipsum castellum, cum villis circumiacentibus deuastauit. Vnde quatuor nuntios suos ficte ad patrem suum direxit, mandans, *Quod sine honoribus ad illum, fidei suæ credens, venire, & Deo & illi de quibus commiserat satisfacere vellet, tantum vt eos qui cum eo erant misericorditer tractaret, qualiter salui esse valerent.* *Ficta Carlomanni submissio.* Non tamen à malo cepto vel aliquantulum destitit. Carolus autem rex ad eundem filium suum Carlomannum cum duobus ex Carlomanni nuntiis (nam alios duos secum retinuit) Gauzlinum abbatem monasterii sancti Germani, & Baldoinum Comitem ipsius Carlomanni sororium misit: mandans illi conuenientiam, qua ad eum secure posset venire, si vellet. Ipse autem Carlomannus dolose simulans ad patrē se venturum, alios nuntios impossibilia quærentes ad eū direxit. & ipse in partes Tullenses perrexit. Carolus autē iudicium quærens de talibus qui seū filium, scilicet Diaconum & Ecclesiæ sanctæ ministrum à se Domino traditum, furati fuerint, & tanta ac talia flagitia atque facinora & depopulationes in regno suo fecerint,

iudicium mortis, omnia quæ illorum erant infiscari præcepit: & ordinatis † scaris qui eundem Carlomannum cum suis complicibus à regno propellerent, iudicium episcopale de illis expetiit: & quoniam Apostolus præcipit, cum huiusmodi nec cibum sumere, eosdem Episcopi in quorum parochiis tanta mala commiserant, secundum sacros canones priuarunt communione: sicut in epistolis continetur, quas inde, iuxta sacras regulas, ad alios episcopos transmiserunt. De Carlomanno autem (quia diœceseos Senonensis erat Diaconus, & post præstita per duas vices sacramenta periurus erat, sicut pater eius publica annuntiatione omnibus qui affuerunt intimare curauit) & tantam rebellionem & infidelitatem contra illum, & tanta flagitia in regno suo commiserat, iudicium Episcoporum illius prouinciæ expetendum decreuit: & sic ad monasterium sancti Dionysii imminente Quadragesimali tempore, vsq; ad sanctum Pascha ibidem immoraturus, regreditur: & sabbato ante Palmas illuc adueniens ibi Pascha Domini celebrauit. Post Pascha obuiam Engilbergę Imperatrici (sicut ei per suos nuntios mandauerat) ad sanctum Mauritium perrexit. Sed certo compериens nuntio, eandem Engilbergam apud Trientum cum Ludouico rege Germaniæ mense Maio locuturam, a condicto deflexit itinere, & Syluacum venit. Ibiq; Adalardus, ex parte Ludouici fratris sui veniens, petiit vt cum eodē fratre suo Ludouico locuturus secus Treiectum veniret: cum idem Ludouicus Reghimsburg post emissum hostem † cum Carlomanno filio suo aduersus Winidos, Aquasgrani rediret. Carolus autē filio suo Ludouico Beusonem, fratrem vxoris eius, camerarium & ostiariorum magistrum constituit. Huic & honores Gerardi Comitis Biturigensis dedit: cum Bernardo, itemque Bernardo marchione in Aquitaniam eum misit, & dispositionem ipsius regni ei commisit: Bernardo autem Tholosæ comiti post præstita sacramenta, Carchasonem & Rhedas concedens, Tholosam remisit.

Consciorum Carlomanni cōdemnatio.

Scaræ, turmæ sunt.

Hostem, copias armatas vocat. Hispan. Hueste.

Bosonis honores.

De mutua Ludouici regis Germaniæ filiorumque circunuentione: & de eiusdem cum Engilberga imperatrice contra Carolum factione & conspiratione: De Synodo octaua Constantinopoli acta, & quæ in ea de imaginum adoratione discussa sint: de Ludouici coronatione, & Engilbergæ insolentia & rebellione: De Rorici Nortmanni in Carolum fide, & Adriani papæ obitu

CAP. XXVIII.

PRædictus autem Ludouicus rex Germaniæ filios suos Ludouicum & Carolum ad se vocans, vt eos cum Carlomanno pacificaret, dolose illis minari fecit. Sed & iidem filii sui & homines eorum, dolose nihilominus Ludouico sacramenta præbuerunt: & volens idem Ludouicus pater, vt iidem filii sui cum fratre illorum Carlomanno aduersus Winidos pergerent, obtinere non potuit: vnde hostem quam maximam potuit cum Carlomanno direxit: & ipse (vt prædictum est) apud Trientum cum Engilberga loquens, partem regni Lotharii quam contra Carolum accepit, neglectis sacramentis inter eos pactis, sine consensu ac conscientia hominum quondam Lotharii, qui se illi commendauerant, clam reddidit. vnde vtrinque sacramenta, prioribus sacramentis, quæ cum fratre suo pepigerat, diuersa & aduersa, inter eos sunt facta. Quibus patratis, Engilberga nuntium suum ad Carolum misit: mandans ei, sicut & prius, vt ad sanctum Mauritium illi occurreret. Carolus vero compertis iis quæ inter eam & fratrem suum acta fuerant, noluit illuc ire: sed nuntios suos ad eam direxit, qui nihil certi ab ea ei renuntiauerunt.

Mutua patris filiorumque circunuentio.

Ludouici et Engelberga contra Carolum factio.

Adrianus papa, secundum quod Nicolaus prædecessor eius disposuerat, legatos suos, Donatum scilicet Hostiensem episcopum, & Stephanum Nepesinum episcopū,

Legati Adriani papæ ad Basil. Imp.

& Martinum Diaconum sanctæ Romanæ ecclesiæ, ad Basilium Imperatorem & ad filios eius Constantinum & Leonem Augustos Constantinopolim direxit: cum quibus & Anastasius bibliothecarius Romanæ sedis, vtriusque linguæ, Græcæ scilicet & Latinæ peritus, perrexit: & synodo congregata (quam *Octauam vniuersalem synodum* illuc conuenientes appellauerunt) exortum schisma de Ignatii depositione, & socii ordinatione sedauerunt, sociū anathematizantes, & Ignatiū restituentes. In qua synodo de *imaginibus adorandis* aliter, quam orthodoxi doctores antea diffinierant, statuerunt: & quædam pro fauore Romani pontificis qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos Canones & contra ipsam suam Synodum, constituerunt, sicut qui eandem synodum legerit patenter inueniet. Ludouicus autē Imperator, in vigilia Pentecostes Romam apud sanctum Petrum venit: & postridie coronatus ab Adriano Papa, post celebrata missarum solennia, vna cum eo ad Lateranense Palatium, cum pompa equitando coronatus perrexit. Et exercitu collecto Roma iterum in partes Beneuentanas perrexit. Et quia primores Italiæ Engilbergam propter suam insolentiam habebant exosam, in lo[c]o illius filiā Winigisi Imperatori substituentes, obtinuerunt apud eundem Imperatorem, vt nuntium ad Engilbergam mitteret, quatenus in Italia degeret, & post illum non pergeret, sed eum in Italiam reuersurum expectaret. Ipsa autem nō obediens illius mandato, post eū ire maturauit: & Wibodum episcopum ad Carolum, quasi amicitiæ gratia, misit: putans nescire Carolum quæ inter illam & Ludouicum regem Germaniæ p[a]cta fuere. Wibodus autem ad pontem † Liadi ad Carolum venit. Nam illuc, pro quibusdam in Burgundia causis componendis, perrexerat: vbi ei nuntiatur ab hominibus Bernardi filii Bernardi, Bernardum qui Vitellus cognominabatur occisum esse, & eius honores prædicto Bernardo sunt dati.

Octaua synodus.

Imagines nō adorandas sentit hic auctor.

Ludouici Imp. coronatio.

Engilberga insolentia.

Lindi.

Carolus autem à Burgundia ad Gundulfi villam, placitum illuc antea condictum habiturus Kal. Septembribus reuertitur: vbi aliquamdiu per immoratus, cum quæ sibi visa fuere disposuisset, venandi gratia Ardennam petiit: & Octobrio mense, nauigio per Mosam vsq; Traiectum veniens, cum Rorico & Rodulpho Nortmannis (qui obuiam ei nauigio venerant) locutus, Roricum sibi fidelem benigne suscepit, & Rodulfum infidelia machinantem & superflua expetentem, dimisit inanem. Tum contra ipsius insidias, fideles suos ad munitionem parauit: indeq; per Attiniacū itinere equestri reuertens, natiuitatem Domini in monasterio sancti Medardi † celebrauit. Adrianus papa defungitur, Ioannes archidiaconus Romanæ ecclesiæ, XIX. Kalend. Ianuarias in locum illius substituitur.

Rorici Nortmanni fides.

Apud Suessionas.

Adriani papa obitus.

De Carlomanni degradatione, perniciosa consultatione, & vt excæcetur sententia

CAP. XXIX.

ANno DCCCLXXIV. quia multi erant in regno Caroli, & in aliis regnis, qui expectabant vt per Carlomannum filium eius adhuc rediuiua mala in sancta Ecclesia, in regno eius, & in aliis regnis, remergerent (de quibus regio ministerio cum consilio fidelium suorum, secundum morem prædecessorum & progenitorum suorum Regum, leges paci ecclesiæ & regni soliditati congruas promulgauit, & ab omnibus obseruari decreuit) Episcopos apud Syluanectensem ciuitatem, in qua idem Carlomannus morabatur, conuocauit: vt secundum sacros Canones, a quibus nulli (vt dicit Leo) aut negligentia aut præsumptione licet eis discedere, episcopale ministerium de illo exequerētur. Quod sane ipsi fecerunt, deponentes illum secundum sacras regulas ab omni gradu ecclesiastico, laica sibi communione seruata. Post q; factū, antiquus & callidus aduersarius illum & suos complices ad argumentum aliud excitauit: scilicet quod liberius ad nomen & ad potentatum regium conscendere posset, quia ordinem Ecclesiasticum nō haberet, & qui Episcoporum iudicio ecclesiasticū gradū amiserit, etiā tonsuram ecclesiasticā amittere licentius posset. Vnde complices illius post depo

Carlomanni degradatio.

depositionem eius ardentius se cœperunt iterum coniungere, & alios in societatem suam, etiam de aliis regnis, quos valebant abducere: quatenus vbi primum locum inuenire possent, illum a custodia (in qua seruabatur, donec videretur si se à malis suis conuertere vellet) educerent, & sibi Regem constituerent. Quapropter necesse fuit, etiam de quibus ab Episcopis iudicatus non fuerat, in medium deuocare, & secũdum sacrarum legum decreta, pro admissis suis iudicio mortis addictum, mitiori sententia (vt locum & spatium pœnitendi haberet, & grauiora admittendi locus & spatium, sicut meditabatur, non daretur) luminibus, acclamatione cunctorum qui affuerunt, orbari: quatenus perniciosa spes pacem odientium, de illo frustrata foret: & Ecclesia Dei ac Christianitas, in regno eius, cum infestatione paganorum, seditione exitiabili perturbari non posset. *Malorum cũ Carlomanno conciliabula* *Carlomannus excæcari iudicatur.*

De Diabolo qui visibiliter Carolum filium Ludouici tentauit, secutus est & vicit, victum possedit, possessum vexauit: de Beneuentanorum ad defectionem sollicitatione, & insidiis Adelgiso positis

CAPVT XXX.

LVdouicus Germaniæ rex, ante natiuitatem Domini ad Franconofurth palatium venit: ibique Natiuitatem celebrauit, & placitum suum ibidem, circiter Kalend. Febr. condixit: quo filios suos Ludouicum & Carolum, & cum aliis suis fidelibus homines, qui de regno quondam Lotharii illi se commendauerunt, præcepit venire. Et dum ibi degeret, venit ad Carolum filium eius Diabolus, transfigurans se in angelum lucis: & dixit illi, quod pater eius, qui illum causa Carlomanni fratris sui perdere moliebatur, Deum offensum haberet, & regnum in breui amitteret: & eidem Carolo Dominus illud regnum habendum dispositum haberet, & quod illud in proximo obtineret. Ipse autem Carolus timore perterritus, Ecclesiam est ingressus, quæ domui in qua iacebat adhærebat, quo cum Diabolus est insecutus: eique iterum dixit; *Cur times & fugis? nam nisi ex Deo venissem, tibi annuntians quæ in proximo sunt futura, in hanc domum Domini, te sequens non intrarem.* His & aliis blandiciis ei persuasit, vt communionem a Deo sibi missam (vt aiebat) de manu illius acciperet, sicut & fecit: & post buccellam ipse introiuit in eum Sathanas. Veniens autem ad patrem suum, & residens in concilio eius cum fratre, & aliis fidelibus, tam episcopis quam laicis patris sui, subito inuasus surrexit & dixit, *Quod seculum vellet dimittere: & quod vxorem suam carnali commertio non contigerit*, & discingens se spatha, cadere illam permisit: & cum vellet se baltheo discingere, & vestitu exuere, cœpit vexari. Comprehensus autem ab Episcopis & ab aliis viris, turbato patre, & omnibus qui affuerunt vehementi stupore perculsis, ductus est in Ecclesiam: & Liutbertus archiepiscopus induens se sacerdotalibus vestibus, missam decantare cœpit. Cum autem ventum ad locum Euangelii fuit, cœpit magnis vocibus, patria lingua VEH † clamare: & sic cõtinuis vocibus VEH illud clamauit, vsq; dũ missa celebrata fuit. Quẽ pater eius Episcopis & aliis fidelibus suis cõmittens, per sacra loca sanctorum Martyrum deduci præcepit, vt illorum meritis & orationibus a Dæmone liberatus, ad sanam mentem Domino miserante redire præualeret. Deinde disposuit illum Romam dirigere: sed quibusdam euentibus interuenientibus, iter illud dimisit. *Diaboli suggestio.* *Diabolus Carolum sequitur.* *Carolum possidet.* *† Wehe, German.*

Ludouicus Imperator Italiæ in Capua residens (mortuo iam Lamberto caluo, & appulso patricio Imperatoris Græcorum cum exercitu, in ciuitatem quæ Hydrõtum dicitur, in auxilium Beneuentanorum [illegible] censum quem imperatoribus Franciæ catenus dabant, illi persoluturos se pro[illegible]bant) quoniam aliter Adelgisum obtinere non poterat, mandauit apostolico [illegible] Adelgisi, vt ad eũ apud Capuam veniret, & sibi Adelgisum reconciliare [illegible] tentare, quod tanquam intercedente beati Petri vicario, ipsum Adelgisum [illegible]peret: de quo iurauerat, quod nunquam de *Imperator Græcus Beneuentanos tentat.*

illis partibus rediturus esset, antequam illum caperet : quum reuera virtute sua eum obtinere non posset.

De Nortmannis Andegauos occupantibus: & Carlomanni cæcati ad Ludouicum Germaniæ regem perfugio contra Carolum patrem: de Andegauorum obsidione: Rodulfi Nortmanni cæde: de VVinidorum motu, & pacatione: de Nortmannorum cum vrbe Andegauensi deditione: de hyeme niuosa, æstate sicca, & Salomonis Britonum ducis cæde.

CAPVT XXXI.

Nortmanni Andegauos occupant.

CArolus exercitum Britanniam versus denuntiat, vt Nortmanni qui Andegauos ciuitatem occupauerant, non autumarent se aduersus eos illuc iturum, nec ad alia loca, in quibus ita constringi non possent, aufugerent. Dum autem illuc pergeret, in ipso itinere nunciatum est ei, quod factione fratris sui Ludouici Germaniæ regis, Carlomannus cæcus per homines quondam suos, consentientibus duobus pseudomonachis, de Corbeia monasterio sublatus & ad Ludouicum fuerat cohibendus, ac interueniente Adalardo in suam contrarietatem perductus. Vnde non magnopere est Carolus perturbatus: sed iter cœptum peragens, cum exercitu collecto ciuitatem Andegauensem (in qua Nortmanni depopulatis quibusdam vrbibus, euersis castellis, ecclesiis & monasteriis incensis, & agris in solitudinem redactis, iam diuturno tempore residebant) obsedit, & sepe fortissima circundedit : Salomone duce Britonum vltra Meduanam fluuium, cum copiis Britonum in eius auxilio residente. Et dum Carolus rex in hoc negocio occupatus erat, Salomon filium suum, Wigonem nomine, ad eum cum primoribus Britonum misit. Qui filius eius se Carolo commendauit: & fidelitatem coram fidelibus suis illi iurauit.

Carlomanni perfugium.

Andegauorum obsidio.

Rodulphi Nortmanni cædes.

Interea Rodulfum Nortmannorum ducem, qui multa mala in regno Caroli exercuerat, in regno Ludouici cum quingentis & eo amplius complicibus suis occisum, Carolo residente secus Andegauensem ciuitatem, non incerta relatione nuntiatur. Multitudo autem locustarum per Germaniam & Gallias, maxime autem in Hispaniam adeo se effudit, vt Ægyptiacæ plagæ potuerit comparari.

Locusta.

Winidorum motus.

Ludouicus rex Germaniæ apud Mettensem ciuitatem placitum suum tenere disponens, nuntium accepit, quod nisi citissime filio suo Carlomanno in marcha contra Winidos subueniret, illum vlterius non videret. Qui statim versus Reghinsburg pergens, Carlomannum cæcum Liutberto Archiepiscopo pascendum in monasterio sancti Albani apud Magontiam commendauit: euidenti demonstrans indicio, qualiter illi displicuerunt mala quæ idem Carlomannus in sanctam Dei Ecclesiam, & in populum Christianum ac contra patrem suum egit, quandocunque vel vbicunque præualuit. Ad Reghinsburg autem perueniens, per missos suos, Winidos sub diuersis principibus constitutos, modo quo potuit sibi reconciliauit. Legatos autem ab illis qui Behim † dicuntur cum dolo missos, suscipiens in carcerem misit.

Winidorum pacatio.

Behemi, i. Bohemi.

Nortmannorum deditio.

Conditiones pacis.

Carolus ergo viriliter ac strenue obsidionem Nortmannorum in gyro Andegauensis ciuitatis exequens, adeo Nortmannos perdomuit, vt primores illorum ad illum venerint, seseque illi commendauerint, & sacramenta qualia iussit egerint, & obsides quot & quantos quæsiuit, illi dederint, vt de ciuitate Andegauensi constituta die exirent, & in regno suo quandiu viuerent, nec prædam facerent, nec fieri consentirent: petentes vt eis in quadam insula Ligeris fluuii, vsque in mensem Februarium residere & mercatum habere liceret. Et in mense Februario quicunque ex eis iam baptizati essent, & Christianitatem de cætero veraciter tenere vellent, ad eum venirent : & qui adhuc pagani Christiani fieri vellent, ipsius dispositione baptizarentur : cæteri

vero

vero ab illius regno discederent, vlterius (sicut dictum est) ad illud in malum non redituri.

Post hæc vna cum Episcopis & populo, cum maxima religionis deuotione, corpora sanctorum Albini & Lizinii, quæ effossa timore Normannorum de tumulis suis fuerãt, cum muneribus magnis suis in locis restituit. Sicq; eiectis ab Andegauorum ciuitate Normannis, cum acceptis obsidibus Carolus mense Octobrio per Cenomannos & Ebroicense oppidum, ac secus castellum nouum apud Pistas Ambianos Kalen. Nouem. peruenit. Indeque apud Audriacam villam ac circumcirca venationem exercens, ad monasterium S. Vedasti peruenit: ibiq; Natiuitatem Domini celebrauit. Anno DCCCLXXIV. hyems prolixa & fortis, & niuis tanta fuit nimietate perfusa, quantam nemo se vidisse meminerit. *Reliquiæ repositæ.* *Hyems & nix plurima.*

Carolus in purificatione sanctæ Mariæ cum suis consiliariis placitum in monasterio S. Quintini tenuit: & ieiunium Quadragesimale in monasterio sancti Dionysii peragens, ibidem Pascha dominicum celebrauit. Generale quoque placitum Idibus Iuniis, in villa Duziaco tenuit: vbi & annua sua dona accepit. Indeq; per Attiniacum, & consuetos mansionaticos † Compendium adiit. Æstas longa siccitatem fœni, & messium inopiam reddidit. *i. metata, stationes.*

Salomon dux Britonum, qui nuntiabatur interea dubiis nuntiis quandoque quidem infirmus, quandoque autem mortuus, certa relatione Carolo apud Compendium nuntiatus est hoc ordine mortuus. videlicet insecutus à primoribus Britonum Pascuitano & Vrbano atq; Wigone filio Ruulni, necnon & Francis hominibus (quos valde afflixerat) & capto ac custodiæ mãcipato filio eius Wigone, fuga lapsus in Paucherum secessit: & quoddam monasteriolum ingressus, vt se liberare valeret, circumuentus a suis, quod a nemine Britonum quicquam mali sustinere deberet, traditus est Francis hominibus, Fulgoaldo & aliis, sicque ab iis excæcatus, postridie mortuus est repertus: dignam vicem sortitus, qui dominum suum Herispoium, in Ecclesiam eius persecutionem fugientem, & inuocantem Dominum, super altare occidit. *Salomonis Britonis cædes.*

De Ludouici & Caroli regum & fratrum colloquio: Richildis abortiuo partu: de Ludouici Imperatoris Italiæ morte: & Caroli ob id in Italiam profectione, & filiorum Ludouici contra eum missorum vanis conatibus: de Ludouici in fratrem molitione, & procerum Franciæ perfidia: de Caroli à papa susceptione & coronatione: Bosonis ducatu, & nuptiis: Synodique indictione.

CAPVT XXXII.

LVdouicus rex Germaniæ ad fratrem suum Carolum, filium suum Carolum cum aliis suis missis direxit: petens vt simul loquerentur secus Mosellam. Ad quod placitum cum Carolus pergeret, ventris solutione detentus ad illud placitum, sicut fuerat condictum, peruenire non potuit. Vnde collocutio eorum, Caroli scilicet & Ludouici, secus Mosam apud Heristallium circa Kal. Decemb. fuit. De qua collocutione Carolus per monasterium sancti Quintini rediens, natiuitatem Domini Compendii celebrauit: & Ludouicus eandem solennitatem Aquisgrani agens, inde ad palatium Franconofurd vltra Rhenum rediit. *Ludouici & Caroli colloquium.*

Anno DCCCLXXV. Carolus circa initium Quadragesimæ monasterium S. Dionysii adiit: vbi & Pascha Domini celebrauit, & Richildis vxor eius noctu ante quartam feriam Paschæ aborsu filium peperit, qui baptizatus mox obiit. Illaq; dies purificationis suæ post parturitionem in eodem monasterio expectante, Carolus ad Barnium † perrexit: indeque ad Letanias celebrandas, ante Ascensionem Domini ad monasterium sancti Dionysii rediit: & in vigilia Pentecostes Compendium venit. *Baruium.*

hod. Trebes

Ludouicus ex Germania mense Maio in Triburia † placitum suum tenuit: & quia ibi quæ meditatus fuerat perficere non potuit, iterum placitum suum in mense Augusto ad eundem locum destinauit.

Ludouici Imp. Italiæ mors.

Carolus vero mense Augusto ad Duziacum secus Ardennam peruenit: vbi certo nuntio Ludouicum nepotem suum Italiæ Imperatorem obiisse comperit. Quapropter inde mouens ad Pontigonem peruenit, & quoscunque potuit de vicinis suis consiliariis obuiam sibi venire præcepit: & à quibuscunque valuit, suppetias in itinere suo accepit: & inde Lingonas peruenit: & eos quos secum in Italiam ducere prædestinauit, expectauit. Sicque Richildem vxorem suam per ciuitatem Remensem ad Syluacum remittens, & filium suum Ludouicum in partem regni, quam post obitum Lotharii nepotis sui contra fratrem suum accepit, dirigens, Kal. Septembribus iter suum incepit: & per sancti Mauritii monasterium pergens, montem Iouis transiit: & sic Italiam ingressus est.

Carolus Italiam adit.

Filii Ludouici ab eo contra Carolum missi.

Ludouicus rex Germaniæ frater eius, filium suum Carolum in Italiam, vt fratri suo aduersaretur, transmisit. Quem Carolus rex fugam arripere & inde abscedere coegit. Ludouicus autem rex Germaniæ iterum alium filium suum Carlomannum, cum quibus potuit, in aduersitatem fratris sui in Italiam direxit. Quod prænoscens Carolus rex, obuiam ei cum validiori manu perrexit. Et quia Carlomannus prænouit se patruo suo non posse resistere, pacem petens cum eo locutus est, & sacramentis vtrinque firmatis ad propria rediit. Ludouicus ergo rex Germaniæ persuadente Engilranno quondam Caroli regis camerario & domesticissimo (sed suasione Richildis reginæ ab honoribus deiecto, & à sua familiaritate abiecto) cum exercitu & filio cognomine suo Ludouico vsque ad Attiniacum venit. Ad quem obsistendum, primores regni Caroli (iubente Richilde regina) sacramento se confirmauerunt, quod non seruauerunt: sed ex sua parte regnum Caroli pessundantes hostili more deuastauere. Similiter & Ludouicus cum suo exercitu idem regnum pessundedit: Sicq; Natiuitatem Domini in Attiniaco agens, per placitamentum primorum regni Caroli deprædatione facta, cum quibusdam comitibus ex regno Caroli, qui ad eum se contulerant rediit: & per Treuerorum ciuitatem transiens, ad palatium vltra Rhenum Franconofurd peruenit: ibidemque dies Quadragesimæ & Pascha Domini celebrauit: vbi & certo nuntio Emmam vxorem suam apud Reghinsburg palatium obiisse nuper post Natiuitatem Domini comperit. Carolus autem quibusdam de primoribus ex Italia ad se non venientibus, pluribus vero receptis, Romam inuitante papa Ioanne perrexit: & XVI. Kalend. Ianuar. ab eo cum gloria magna in ecclesia sancti Petri susceptus est.

Ludouicus in Carolum venit. Procerum Franciæ perfidia.

Emma regina obit. Carolus à papa suscipitur.

Carolus Imperii accipit insignia. Boso dux Mediolanensium.

Anno DCCCLXXVI. in die Natiuitatis Domini, idem Carolus beato Petro multa & pretiosa munera offerens, in Imperatorem est vnctus & coronatus, atque Imperator Romanorum est appellatus, & Nonis Ianuar. Roma exiens Papiam rediit: vbi & placitum suum habuit: & Bosone vxoris suæ fratre Duce ipsius terræ constituto, & corona ducali ornato, cum collegis eius, quos idem Dux expetiit, in eodem regno relictis, per montem Iouis & per monasterium sancti Mauritii rediens, vt Pascha Domini apud monasterium sancti Dionysii celebrare valeret, iter accelerauit. Quod audiens Richildis degens apud Syluacum, pridie Nonas Mart. mox illi obuiam mouit: & cum summa festinatione per Remos, Catalaunos & Lingonas, vltra Vesontium in loco qui dicitur Warnarii Fontana, pridie Idus Mart. venit: cum qua Imperator per Vesontium ac Lingonas, Catalaunos & Remos ciuitates & per Compendium palatium transiens, ad monasterium sancti Dionysii peruenit: ibique Pascha Domini celebrauit. Quo accersiens legatos Apostolici, Ioannem Tuscanensem & Ioannem Aretinum atque Ansegisum Senensem, illorum consilio medio futuro mense Iulio generalem Synodum, auctoritate Apostolica & sanctione sua apud Pontigonem indixit: quo per Remos & Catalaunos ciuitates peruenit.

Synodus generalis Pontigone.

Boso filiam Imperatoris ducit.

Boso vero, postquam Imperator ab Italia in Franciam rediit, Berengarii Eurardi filii factione, filiam Ludouici imperatoris Hyrmengardem, quæ apud eum morabatur, iniquo conludio, in coniugium sumpsit.

De

De Synodi in Gallia acta celebritate: de Ansegisi ambitione ad primatum fauente Imperatore Carolo: de eiusdem Caroli insolentia: de pacto cum Ludouico fratre: de Formosi damnatione. Iterum de super primatu Ansegisi lectis literis: de Frothari Burdegalensis petitione: & de Imperatoris in habitu Græcanico luxu

CAPVT XXXIII.

VNdecimo Kalend. Iul. Indictione IX. Episcopis & cæteris quibusque clericis vestibus ecclesiastici, indutis,& domo ac sedilibus palliis† protensis,atq; in gremio synodi & prospectu imperialis sedis,lectorio † suppositis sacrosanctis Euangeliis,venit dominus Imperator Carolus in vestitu deaurato habitu Francisco, cum legatis Apostolicæ sedis in synodum: & cantoribus antiphonam, *Exaudi nos Domine*,cum versibus & *Gloria Patri* cantantibus, post *kyrie eleison*, & data oratione a Ioanne Tuscanensi episcopo,resedit dominus Imperator in synodo,& legit Ioannes Tuscanensis episcopus epistolas à domino Apostolico missas:cum quibus & legit epistolam de primatu Ansegisi Senensis episcopi,vt quoties vtilitas ecclesiastica dictauerit,siue in euocanda synodo,siue in aliis negotiis exercēdis, per Gallias & Germanias Apostolica vice fruatur †: & decreta sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiātur:& rursus quæ gesta fuerint,eius relatione (si necesse fuerit) Apostolicæ sedi pandantur:& maiora negocia ac difficiliora quæq; suggestione ipsius à sede Apostolica disponenda & enucleanda quærantur. Petentibus autem Episcopis, vt eis permitteretur ipsam legere epistolam quibus erat directa, non adquieuit Imperator: sed responsum quæsiuit ab eis,quid de his iussis Apostolicis responderent. Quorum responsio talis fuit: vt seruato singulis Metropolitanis iure priuilegii, secundum sacros canones, & iuxta decreta sedis Romanæ pontificum ex eisdem sacris canonibus promulgata, domini Ioannis Papæ Apostolicis iussionibus obedirent. Et cum Imperator & legati Apostolici satagerent, vt absolute Archiepiscopi responderent,se obedituros de primatu Ansegisi,sicut Apostolicus scripsit,aliud nisi quod prædictum est, responsum ab eis extorquere non potuerunt: excepto quod Frotharius Burdegalensis episcopus, quoniam a Burdegala ad Pictauos indeque ad Bituricum fauore Principis contra regulas se contulit, per adulationem respondit, quod Imperatori placere cognouit. Tunc motus Imperator dixit, quod dominus Apostolicus ei suas vices commisit in Synodo, & quod isdem præcepit,ille exequi studeret: & accepit ipsam epistolam inuolutam, vna cum Ioanne Tuscanensi & Ioanne Aretino, & dedit illam Ansegiso & iussit sellam plectilem poni ante omnes Episcopos Cisalpini regni sui, iuxta Ioannem Tuscanensem,qui ad dextram illius sedebat: & præcepit Ansegiso vt supergrederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sella: Remorum archiepiscopo reclamante, audientib. omnibus, *hoc factum sacris regulis obuiare*. Imperator tamen in sententia sua permansit: & petentibus Episcopis, vt liceret eis saltem exemplar sibi de epistola directa sumere, nec hoc vllo modo impetrauere: & sic soluta est Synodus in die illa. Decimo Kalend. præfati mensis iterum conuenerunt Episcopi: in quo conuentu lectę sunt epistolæ a domino Apostolico laicis missæ,& lecta est electio domini Imperatoris, ab Episcopis & cæteris Italici regni firmata: sed & capitula quæ in palatio Ticinensi constituit, ab omnibus confirmari fecit: quæ & Episcopis Cisalpinis confirmare præcepit: & sic soluta est Synodus in illa die. Quinto Nonis Iulii conuenerunt iterum Episcopi sine Imperatore: & habitæ sunt contentiones de presbyteris, ex diuersis parochiis clamantibus ad legatos Apostolici, & sic soluta est Synodus in hac die.

Synodalis celebritas. *i. tapetibus.* *i. pulpito.* *Ansegisi in primatu ambitio.* *f. fungatur.* *Caroli Imp. insolentia in synodo.* *Lecta litera confirmationis Imperatoris.*

Quarto Non. eiusdem mensis iterum conuenerunt Episcopi: & Imperator in Synodo residens audiuit oratores fratris sui Ludouici regis, Willebertum archiepiscopum Coloniæ, & Adalardum ac Menigardum comites: per quos petiit partem de regno

Pactum cũ Ludouico rege Alemannis.

Ludouici Imperatoris, filii Lotharii fratris eorum, ſicut ei competeret ex hæreditate, & illi firmatum erat ſacramento. Et legit Ioannes Tuſcanenſis epiſtolam à Ioanne papa Epiſcopis regni Ludouici directam: & dedit exemplar Willeberto archiepiſcopo, vt deferret illud præfatis Epiſcopis: & ſic ſoluta eſt præfata Synodus in illa die. Sexto Idus Iulii conuenerunt Epiſcopi: & circa horam nonam venerunt legati domini Apoſtolici, Leo epiſcopus & apocriſarius ac nepos Apoſtolici, atque Petrus Foriſempronii epiſcopus, deferentes epiſtolas Imperatori & Imperatrici, & ſalutationes Apoſtolici ad Epiſcopos: & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die.

Formoſi damnatio recitatur.

Sexto Idus Iulii conuenientibus Epiſcopis, lecta eſt epiſtola Apoſtolici de damnatione Formoſi epiſcopi, Gregorii nomenclatoris, & conſentientium eis: & præſentata ſunt Imperatori ab Apoſtolico miſſa dona: inter quæ fuerunt præcipua, ſceptrum & baculus aureus. Sed & Imperatrici dona ſunt ab eo miſſa, pallia, & armillæ cum gemmis: & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die. Pridie idus Iulii conuenerunt Epiſcopi, & miſit Imperator vicarios Apoſtolici, increpare durius Archiepiſcopos & Epiſcopos qui pridie non venerant, ſicut præcepit. Illis autem canonice rationabilem reddentibus rationem, ſopita eſt increpatio: Et lecta eſt à Ioanne Tuſcanenſi iterum epiſtola, iubente Imperatore, pro primatu Anſegiſi: & quæſita eſt ab Epiſcopis denuo

Reſponſio de primatu Anſegiſi.

inde reſponſio. Et reſpondentibus ſingulis Archiepiſcopis, *Quod veluti ſui anteceſſores illius anteceſſoribus regulariter obedierunt, ita eius decretis vellent obedire*; tunc facilius eſt illorum admiſſa reſponſio, quam fuerat in Imperatoris præſentia: & ſic iterum poſt multas contentiones de presbyteris diuerſarum parochiarum reclamantibus ad legatos

Frotharii petitio.

Apoſtolici, lecta eſt proclamatio Frotharii Burdegalenſis archiepiſcopi, quia non poterat conſiſtere propter infeſtationem paganorum in ciuitate ſua, vt liceret ei Bituricenſem metropolim occupare. Cuius petitionibus vnanimitas Epiſcoporum nullatenus adquieuit. Et iubentibus legatis Apoſtolici, vt XVII. Kalend. Auguſti conuenirēt

Carolus Imp. in veſtitu Græcanico.

Epiſcopi mane, circa horam nonam venit Imperator Græcanico more paratus & coronatus, deducentibus eum Apoſtolicæ ſedis legatis more Romano veſtitis, ad Epiſcopos eccleſiaſticis veſtimentis indutos: & cæteris ſecundum modum primæ horæ diei (quando inchoata eſt Synodus) præparatis, vt prius cantata antiphona, *Exaudi nos Domine*, cum verſibus & Gloria, *poſt kyrie eleiſon* data oratione à Leone epiſcopo, reſederunt omnes: & legit Ioannes Aretinus quandam ſcedulam ratione & auctoritate carentem. Poſt quam legit Odo Belgiuagorum epiſcopus quædam capitula, à legatis Apoſtolici & ab Anſegiſo & eodem Odone ſine conſcientia ſynodi dictata, inter ſe diſſona, & nullam vtilitatem habentia, verum & ratione & auctoritate carentia: & ideo hic non habentur ſubiuncta. Iterum mota eſt interrogatio de primatu Anſegiſi: & poſt multas ab Imperatore & legatis Apoſtolici contra Epiſcopos querimonias habitas, tãtum in nouiſſimo quãtum & in principio Synodi exinde Anſegiſus obtinuit. Poſt hæc perrexit Petrus epiſcopus Foriſempronii, & Ioannes Tuſcanenſis ad cubiculum Imperatoris: & adduxerunt Imperatricem Richildem coronatam in Synodum: & ſtante illa iuxta Imperatorem, ſurrexerunt omnes, & ſtantes quique in gradu ſuo, inceperunt laudes Leo epiſcopus & Ioannes Tuſcanenſis epiſcopus: & poſt laudes actas in dominum Apoſtolicum & dominum Imperatorem & Imperatricem & cæteros, iuxta morem, data oratione à Leone Gaumenſi epiſcopo, ſoluta eſt Synodus. Poſtea Imperator legatos muneratos Apoſtolicos, Leonem & Petrum, remiſit Romam, & cum eis Anſegiſum Senenſem epiſcopum, & Adalgarium Auguſtidunenſem epiſcopum. In-

Nortmanni baptizati.

terea baptizati ſunt quidam Nortmanni ab Hugone abbate & marchione: & propter hoc ad Imperatorem adducti: & munerati ad ſuos redierunt: & vt ante, ita & poſt modum, vt Nortmanni more pagano peregerunt. At Imperator V. Kalend. Auguſti mouit à Pontigone, & III. Kalend. venit Catalaunos: ibique propter quandam moleſtiam corporalem, moratus eſt vſque Idus Auguſti.

De

De Ludouici regis Alemannorum obitu: Nortmannorum ad Sequanam grassatione: de Ludouici iunioris, hoc est filii Ludouici defuncti religioso animo, & noua iudicii forma: de Imperatoris in eum dolo: de Imperatoris fuga, & militum ac procerum eius cæde aut captiuitate, & spoliatione turpi quidem, sed ob perfidiam principis merita: de Richildis in fuga partu. De Imperatoris donationibus impiis, quibus Abbatias dedit, & filii eius ac Richildis morte: de abbatiæ sancti Germani longa per comites Parrhisiensis peculatione.

CAPVT XXXIV.

DEcimonono Kalend. Septemb. imperator venit Remos: indeq; recto itinere venit ad Syluacum: & v. Kal. Septemb. misit legatos Apostolici, Ioannem itemque Ioannem & Odonem episcopum, cum aliis nuntiis suis ad fratrem suum Ludouicum, & filios eius, ac Episcopos atq; primores regni sui. Quibus missis, in via Imperatori Carisiaci nuntiatum est, præfatum Ludouicum regem in Franconofurd palatio v. Kalen. Septembres obiisse, & IV. Kal. eiusdem mensis in monasterio S. Nazarii sepultum fuisse. Imperator autem directis oratoribus suis ad primores regni quondam fratris sui, Carisiaco mouit: & ad Sathanacum villam peruenit: dispositum habens Mettensem ciuitatem adire, & Episcopos ac primores regni quondam fratris sui ad se venientes recipere, & repente mutato consilio perrexit Aquasgrani: indeq; Coloniam venit, & Apostolici legati cum eo: prędantibus omnibus, sine vllo diuino respectu, qui cu illo ibant. Nortmanni vero cum centum circiter nauibus magnis (quas nostrates *barcas* vocant) XVI. Kal. Octob. Sequanam intrauerunt. Quod cum apud Coloniam Imperatori nuntiatum fuisset, nihil pro hoc à negotio, quod cœperat, immutauit. Ludouicus aũt nepos eius cum Saxonibus & Thoringis, ex altera parte Rheni fluminis contra eum venit: & oratoribus ad patruum suum Imperatorem directis, benignitatem eius expetiit: quam non impetrauit. Tunc ipse ac comites eius ieiuniis & letaniis misericordiam Domini petierunt, irridentibus eos illis qui erant cum Imperatore. Ludouicus autem Ludouici regis filius, decem homines cum aqua calida, & decem cum ferro calido, & decem cũ aqua frigida, ad iudicium misit coram eis, qui cum illo erant, petentibus omnibus vt Deus in illo iudicio declararet, si per ius & æquum † ille habere deberet portionem de regno, quam pater suus illi dimisit ex ea parte, quam cum fratre suo Carolo per consentionem illius & per sacramentum accepit. Qui omnes illæsi reperti sunt. Tunc ipse Ludouicus cum suis, ad Andranacum † castrum Rhenum transiuit. Quod cum Imperatori nuntiatum fuisset, Richildem imperatricem cum Hilduino abbate & Francone episcopo ad Haristallium misit: ipse autem secus Rhenum hostiliter contra nepotem suum perrexit: præmittens ad eum nuntios, vt quosdam de suis consiliariis obuiam consiliariis suis mitteret, & tractaret de pace inter eos habenda. Quod Ludouicus humiliter & obedienter suscipiens, securus mansit, quod bello aggredi non deberet, donec ipsa conuentio finiretur. Imperator vero Nonis Octobribus dispositis scaris † suis noctu surrexit, & vexillis leuatis, per strictas & arduas vias, quin potius inuias, super nepotem suum ac super eos qui cum illo erãt subito irruere moliens, secus Andranacum peruenit: fatigatis hominibus & equis de graui & stricto itinere, & pluuia quæ super eos nocte tota effluxit. Et ecce subito nuntiatum est Ludouico & suis, Imperatorem cum valida manu hostiliter super eum venire: ipse autem cum eis quos secum habuit e regione stetit: & irruentibus Imperatoris cuneis super eos, & illis fortiter resistentibus, exercitus Imperatoris terga vertit: & fugiendo super Imperatorem venit. Sed Imperator cum paucis vix fuga lapsus euasit. Multi autem qui effugere poterant,

Ludouici regis Alemannorum obitus.

Nortmanni Sequanam intrant.

al. Si plus per drictum ille habere, &c.

Andernacũ.

i. turmis

Iusta clades Caroli Imp.

al. Sarcinæ. impediti sunt: quoniam omnes *Saugina*† Imperatoris & aliorum qui cum eo erant, sed & mercatores, & qui scuta vendentes Imperatorem & exercitum sequebantur, in angusto itinere fugientibus viam clauserunt. Fuerunt autem in ipsa congressione occisi Ragenarius & Hieronymus comites, & multi alii. Capti autem in eodem campo & sylua vicina fuerunt, Ottulfus episcopus, Gauzlinus abbas, Aledrannus comes, Bernardus comes, Adalardus comes, Ebroinus comes, & plures alii. Omnes autem sauginas† & ea quæ mercatores portabant, exercitus Ludouici accepit: & impleto dicto quod ait Propheta; *Væ qui prædaris, nam & ipse prædaberis*, omnia quæ prædatores, qui erant cum Imperatore habuerunt, sed & ipsi etiam Hludouici exercitus præda fuerunt: adeo vt qui adminiculo equorum effugere potuerunt, animas suas haberent pro spolio. Cæteri autem ita sunt a villanis despoliati, vt fœno & stramine inuoluti verenda celarent, & nudi profugerent quos insequentes occidere noluerunt, & facta est plaga magna in populo prædatore. Richildis vero audiens VII. Idus Octob. de fuga exercitus imperialis, & ipsius Imperatoris, ab Heristallio mouit: & fugiens subsequenti nocte galli cantu in via peperit filium: quem post partum homo suus ante se portans, fugiendo vsq; ad Antenacum detulit. Imperator autem VII. Idus Octob. vesperi ad monasterium S. Lamberti peruenit. Ad quem Franco & Hilduinus abbas a Richilde VI. Id. redierunt: & cum eo fuerunt, vsq; dum post Richildem ad Antennacum peruenit. Inde Duziacum adiit: vnde ad Antennacum rediit: & placitum suum in Salmontiaco XV. die post festum S. Martini condixit. Ludowicus, Ludouici regis quondã filius, de Andrunaco per Sintiacum† Aquasgrani rediit, ibiq; tribus diebus stetit: indeque obuiam fratri suo Carolo apud Confluentem venit: vbi simul locuti, Carolus versus Mettos, indeq; in Alemãniam infirmus rediit, Ludouicus vero vltra Rhenum perrexit. Carlomannus frater eorum nec ad eos, nec ad patruum suum Carolum Imperatorem (sicut mandauerat) venit, occupatus in belligeratione contra Winidos. Carolus imperator Conradum & alios primores, ad Nortmannos qui in Sequanam venerant, misit: vt quocunq; modo possent, fœdus cum eis ferirent, & ad condictum placitum ei renuntiarent. Dominus imperator Carolus ad placitum suum in Salmontiacum (sicut condixerat) venit: ibiq; homines de parte regni quondam Lotharii, quam frater suus Ludouicus contra eum acceperat, ad se post fugam de Andrunaco venientes suscepit: & quibusdam Abbatiolas, sicut erant, integras dedit, quibusdam de abbatia Martiniana†, quam diuiserat, beneficiola donauit: & sic ad se venire permisit. Copias quoq; cõtra Nortmannos, secus Sequanam vt in procinctu essent disposuit: ipse autem ad Vizinniacum† villam veniens grauiter passione pleuresis est infirmatus, adeo vt viuere desperaret. Ibique Natalem Domini celebrauit.

al. Sarcinas. Germ. Saũtoss. — *Esa. 33* — *Richildis fuga, & in ea partus.* — *hod. Sintzig* — *Confluẽtes.* — *Abbatia dono data. Marciana.* — *Virzinniacũ*

Anno incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. conualescens ex infirmitate Carolus, per Carisiacum Compendium venit. Vbi dum moraretur, filius eius, qui antequam Richildis ad Antennacum veniret in via natus fuerat, infirmatus, & a Bosone auunculo suo de fonte susceptus, Carolus nominatus defungitur: & ad monasterium sancti Dionysii sepeliendus defertur. Ea tempestate Gauzlinus abbas cœnobii sancti Vincentii sanctique Germani dominum adiit Imperatorem: petens quatenus stipendia Monachorum sub eo degentium, per priuilegii sui auctoritatem disponeret: ne per succedentia tempora, auaritia Abbatum de iis quæ auctoritas regia statuerat, aliquid mutilaret. Quod quamuis simplici animo egerit, cupiditas tamen principum Francorum subsequentium, in hac ordinatione oculum aperuit. Nam quamuis prudentissimus abbas Irmino omnium redhibitiones villarum sancti Germani (videlicet vsque ad vnum ouum, ac pullum, vel etiam *scindulam*) scripto sub vno comprehendit, & quantum Monachi in proprios vsus haberent, quantumque Abbas ad exercitum Regis vel in proprium sibi vendicaret: disposuit, tamen vigore decedente Regum, Robertus comes Parrhisiorum qui marchio Francorum vocabatur (frater vid. Odonis regis) necnon Hugomãnus, quin etiam vsq. ad tempora Roberti regis, ea quæ Abbates accipiebãt, sibi addixerunt: & statuentes Decanos Monachis, sibi nomen Abbatis vsurpauerunt: Ea vero quæ tunc sibi ex rebus ecclesiasticis vendicarunt, propriis militibus distribuerunt, & iuri ecclesiastico subtraxerunt.

Richildis filius mori. — *Comites Parrhisienses redditus abbatiæ S. Germani surripuerũt. Vide inf. c. 41.*

Est autem priuilegium huiusmodi. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*

Caro

Carolus Dei gratia Rex. Si ea quæ prædecessores nostri superna dignatione illuminati, ac suorum fidelium deuotis ammonitionibus instigati, pro statu ac vtilitate Ecclesiarum siue seruorum Dei statuere decreuerunt, nostris confirmamus edictis, hoc nobis proculdubio ad æternam beatitudinem regnique nostri tutelam profuturum esse credimus, atque exinde apud Dominum retributionem in posterum habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, ac nostris, præsentibus scilicet ac futuris, quia vir venerabilis Gorlinus Abba monasterij almi confessoris Christi Germani & sancti Vincentij martyris, necnon & Monachi eiusdem congregationis, deuotissimi oratores nostri suggesserunt serenitati nostræ, vt pro Dei amore & futuro eiusdem congregationis suffragio, ne aliqua successorum nostrorum negligentia ordo in ea monasticus futuris temporibus perturbaretur (vt sæpe manifestum est contigisse) super quasdam villas, necessitatibus eorum per proprium confirmationis præceptum genitoris nostri Hludouici serenissimi Augusti eidem congregationi deputatas, super alias etiam à memorato fideli nostro Gozlino abbate pro eorum stipendiis, quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, nostro consensu & auctoritate illis collatas, firmitatis nostræ præceptum fieri deberet, per quod tam ea quæ præ manibus habere videbantur, quam etiam ea quæ à largitate nostra in præsenti illis confirmabantur, firmius ac securius per succedentia tempora tenerent ac possiderent. Nos vero necessariis illorum petitionibus clementiæ nostræ aurem accommodantes, veluti postulauerunt fieri adiudicauimus, confirmantes eis regali testamento has villas, quarum hæc sunt vocabula, in pago Parrhisiaco Antoniacum, & Spinogilum, & villulam Caticantum. In Senonico Agmantum. In Milidunense Matriolas, quam inclytæ memoriæ auus noster Carolus ad ligna subministranda clementer memorato contulerat cœnobio, Nouigentum etiam. In Meldensi Cellsm, & in Pinciacensi quæ dicitur Villaris, & villam nihilominus supra mare, videlicet ad vestimenta & calceamenta eorum, necnon & per plures necessitates in diuersis monasterii officinis supplendis, dormitorii scilicet, cellarii, domus infirmorum, piscatoriæ quoque ac per necessaria medicinæ adiumenta, & ad viginti modia saponis picemque emendam, ad vasa vinaria componenda, & ad cæteras loci necessarias vtilitates à Decano procurandas, & insuper ad reconcinnandam vel recooperiendam domum infirmorum, cellariique & reliquarum officinarum habitacula ex antiqua constitutione Decano deputata. Insuper ad refectiones Dominicis diebus, & deputatis solennitatibus Sanctorum, fratribus amministrandas. Pro stipendiis autem victualibus, quæ eis à parte Abbatis persolui debebantur, sicut in præfato genitoris nostri præcepto continetur ac nostro, delegamus eis, vna cum consensu & voluntate Gorlini abbatis omniumque fratrum eiusdem congregationis, has villas infra scriptas, Calau in pago Stampinse, cum integritate & hospitiis suis quæ sunt in alba terra: villulam quoque Rubrum in eodem pago, Theodaxium † nihilominus cum omni integritate in Pago Parrhisiaco. Et Banniolum † in pago Senonico, cum hospitiis quæ sunt in villa quæ vocatur Campiniacus. Cubinium etiam in pago Laumense. In partibus quoque Austrasiorum in pago scilicet Albanio † villam vel abbatiam Thuinas dictam, sicut & in præcepto à genitore nostro sibi concesso nobis ostenderunt, cum omnibus appenditiis suis, quicquid in præsenti illuc prospicis, & de cætero adquirentur. Et clausum quod est situm prope monasterium ipsius sancti præsulis. Acceperunt autem has villas pro modiis frumenti mille trecentis viginti, & pro centum octoginta leguminum modiis. & pro casei pensis centum sexaginta, & pro modiis viginti adipis, & pro viginti sextariis butyri, & pro quatuor sextariis mellis, & duabus ceræ libris omni mense, pro modiis etiam salis centum, & pro bracis † viginti per duodecim modia, & pro horto tam æstate quam hyeme, qui necessarius eis habetur. Quoniam hæc omnia ab Abbate minus plene illis persoluerentur. Statuimus quoque, vt ex istis stipendiariis villis, per succedētia tempora dormitorium fratrum, & cella nouitiorum recooperiantur. Reliqua vero cœnobii ædificia de Abbatia recooperienda sunt, exceptis supra dictis à parte fratrum reemendandis. Vinum autem in potum quotidianum refectionis, ex Theodaxio & Villa noua, tam de vineis dominicis quam partionibus fratribus dari censuimus. Sin autem ex eisdem vineis ad numerum duum millium modiorum non peruenerint, tunc idem numerus ex reliquis Abbatiæ villis in fratrum & hospitum vsus in refectorio edentium, iuxta veterem consuetudinem ab Abbate percompleatur. Duobus etiam fratribus in eadem Villa noua laborantibus, quæ dari ibidem consuetudo fuit, dentur, & torcularia iuxta solitum reemendentur, & vasa vinaria præparentur, vinumque ex more ad monasterium deferant. Vineas quoque in præfata villa decreuimus ab eisdem excoli, vindemiari, à quibus olim cultæ fuerunt & vindemiatæ, siue sint indominicatæ siue in beneficium quibuslibet datæ. De melle quin etiam carriala † vna ex modiis octo cum soluta cera, sicut de villa Lucarias persolui, vsibus fratrum ab Abbate tribuantur. Prædia denique bonorum

Antoigny
Espinay
Cachant.
Elniaus
Maroles.
Nogent.
La Celle pres Suresnes.

hod Thiais.
Bagnaus prez ville neine
a. Balbasio

i. cereuisia.

al. carrada.

hominum largitate donata, vna cum clauso secus monasterio sito, eisdem fratribus stabili iure concessimus. Refectiones denique missa sancti Germani V. Kalend. Iunii & dedicatione Ecclesiæ vel anniuersario domini Childeberti regis, & festiuitate sancti Vincentii, cœna Domini, seu vigilia sancti Paschæ, & de volatilibus cum pulpastis, in natiuitate Domini tribus diebus, & in Pascha similiter tribus, inrefragabiliter eis ab Abbate eis ministrari sufficienter decreuimus. Charitates etiam in eisdem festiuitatibus ex antiquo more bis ipsis à parte Abbatis dentur. De supradictis vero villis statuimus illis in reliquis natiuitatis Domini & Paschæ diebus volatilia cum pulpastis à Decano subministrari, excepto quod Thesaurario & aliis ministerialibus facere constitutum est. Item ordinamus ipsis alias refectiones à Decano præberi, videlicet de Calau in festiuitate translationis sancti Germani, & de Theodaxio in festiuitate sancti Dionysii. Præterea decreuimus, vt de villa quæ vocatur Bospacium in pago Laudunensi, quam eisdem fratribus per regiæ auctoritatis præceptum ad locum refugii pietatis nostræ clementia misericorditer concesserat, Idibus Iunii, quando Deus nos nasci in mundo voluit, & VIII. Idus Iunii, quando Rex Regum in regno nos vngi in Regem pia dignatione disposuit, refectio eis à Decano specialiter exhibeatur. Quæ commemoratio post obitum nostrum, depositionis die cum me Dominus vniuersæ carnis viam ingredi iusserit, conuertatur. Concedimus igitur has villas in hoc nostro præcepto superius nominatas, cum Ecclesiis & appenditiis suis, cum reditibus ac mancipiis, cum precariis seu beneficiis exinde datis, cumque omnibus ad se pertinentibus, ipsius congregationis fratribus ad multiplices eorum necessitates supplendas, regali auctoritate per nostræ confirmationis præceptum stabili ac perpetuo iure concedimus atque firmamus, præcipientes regia potestate, & per sanctam inuiolabilem Trinitatem atque examen tremendi iudicii, Angelorumque ac Sanctorum omnium reuerentiam coniurantes, vt nemo Abbatum per successiones, quod nostro roboratum est edicto, subtrahere vel minuere audeat, aut ad vsus suos retorqueat, vel alicui quicquam in beneficium inde tribuat, sed neque seruitia ex eis exactet, vel parauedos aut expensas ad suas vel ad hospitum susceptiones recipiat, siue mansionaticos inde exigat, sicut nec consuetudinis vnquam fuit: Suprascripta autem ad centum viginti Monachorum vsum sunt ordinata, ex quo nil vnquam cuiquam Abbatum licebit substrahere. Augere vero si forte voluerit, multiplicatis ad vsus eorum opibus accumulentur diuini seruitii cultores. Qui vero nostro tempore aliter facere præsumpserit, & post discessum nostrum, siue quandiu adnixerimus, hanc nostram confirmationem violare voluerit, à Deo, cuius extitit contemptor, pœnis æternalibus se damnandum cognoscat. Ad corroborandum etiam nostræ celsitudinis præceptum, super eodem priuilegium Episcopale, per semet à cunctis Ecclesiæ filiis æternaliter obseruandum fieri & firmari decreuimus. Et vt hæc auctoritas, quam ob Dei amorem, ac remedium animæ nostræ statuimus atque corroborauimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconuulsa perdurare queat, manus nostræ conscriptione eam subter firmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus. Data XII. Kalend. Maii indictione quinta, XXXII. regnante Carolo gloriosissimo Rege, & in successione Hlotharii regis anno III. Actum monasterio sancti Dionysii.

De Caroli Imperatoris à summo Pontifice Romam accitu: Tributi exactione: Caroli in Italiam profectione, & synodica electione eiusdem in Imperatorem confirmatione: de Carlomanni motu in patruum: procerum in Imperatorem coniuratione, ac eius fuga: de Caroli Imp. per Iudæum intoxicatione, morte, sepultura, tralatione: ac Carlomanni ægritudine.

CAPVT XXXV.

Carolus Imp. Romā accitur.

CArolus igitur imperator Compendii, vbi Quadragesimam peregerat, Pascha Domini celebrauit: & legatos Apostolici Ioannis, Petrum episcopum Forisempronii, & Petrum episcopum Senogalliæ, suscepit: per quos tam verbis quam literis eum Apostolicus Ioannes VIII. Romam vocauit, quatenus (sicut promiserat) sanctam Romanam ecclesiam à paganis, quibus infestabatur, eriperet atque defenderet. Kalendis igitur Maii episcopos Remensis prouinciæ, sed & aliarum prouinciarum, Compendium

pendium conuocauit:&ecclesiam,quam in eodem oratorio construxerat cum multo apparatu,in sua & legatorum Apostolicæ sedis præsentia ab eisdē Episcopis consecrari fecit. Inde placitum generale Kalend. Iunii habuit: vbi per capitula, qualiter regnum Franciæ filius suus Ludouicus cum fidelibus eius & regni primoribus regeret, vsque dum ipse Roma rediret, ordinauit: & quomodo tributum de parte regni Franciæ, quam ante mortem Lotharii habuit, sed & de Burgundia, exigeretur, disposuit: scilicet vt de mansis indominicatis solidus vnus: de vnoquoque manso ingenuo quatuor denarii de censu dominico, & quatuor de facultate Mansuarii: de manso vero seruili, duo denarii de censu dominico,& duo de facultate Mansuarii. Et vnusquisq; Episcopus de presbyteris suæ parochiæ, secundum quod cuique possibile erat: à quo plurimum,quinq; solidos; à quo minimum, quatuor denarios Episcopi de singulis presbyteris acciperent, & nuntiis dominicis redderent: sed & de Ecclesiarum thesauris, prout quantitas extitit loci, ad idem tributum exoluendum acceptum fuit. Summa vero tributi fuerunt quinque millia libræ argenti ad pensam †. Illi vero tam Episcopi quam & alii, qui trans Sequanam sunt de Neustria, tributum illis Nortmannis qui in Ligeri erant, secūdum quod sibi ab eis fuit impositum, vndecunque valuerunt,reddere procurarunt. Dominus autem Imperator Carolus de Carisiaco Compendium, indeque per Suessionas ad Remensem ciuitatem: & sic iter suum per Catalaunos & Pontigonem atque Lingonas peragens, cum vxore, & maxima auri & argenti caballorumque ac facultatum aliarum copia de Francia Italiam petiit: & veniens vltra Lirim † vsque ad Vrbam, obuium habuit Adalgarium episcopum, quem mense Februario Romam direxerat pro agenda synodo à Papa Ioanne. Cuius exemplar idem Adalgarius pro munere magno Imperatori detulit. Summa vero eiusdem Synod[i] post multas & multiplices laudes Imperatoris, hæc est: *Vt electio & promotio ad imperialia sceptra anno præterito Romæ celebrata, extunc & nunc & in perpetuum firma & stabilis maneat. Quam siquis perturbare aut violare tentauerit, cuiuscunque sit ordinis, dignitatis, aut professionis, anathemate vsque ad satisfactionem teneatur omni tempore adnoxius. Patratores & incitatores huius consilii, si quidem clerici fuerint, deponantur: Laici vero & monachi, perpetuo anathemate feriantur. Vt quia Synodus anno præterito apud Pontigonem, hinc habita secus Andranacum, nil profuit, vsquequaque ista debeat præualere.* Nuntiauit etiam inter alia idem Adalgarius Imperatori, quod Ioannes papa obuiam illi Papiam veniret. Quapropter præmisit Odracum secundi scrinii notarium, Goirannum comitem, & Pipinum atque Heribertum, ad procuranda ipsius Papæ seruitia. Ipse autem festinato perrexit ire ad eum. Quem obuiam habuit apud Versellas ciuitatem: & recepto eo cum honore maximo, perrexit simul vsque Papiam: vbi eis nuntiatum est non incerta relatione, Carlomannum Ludouici fratris sui filium, cum maxima multitudine bellatorum super eos venire. Quapropter relinquentes Papiam, venerunt ad Tardunam †: & consecrata Richild[i]s a Papa Ioanne in Imperatricem mox retrorsum fugam arripuit, cum thesauro, versus Moriennam. Imperator autem aliquandiu vna cum Papa Ioanne in eisdem locis immorans, expectauit primores regni sui, Hugonem abbatem, Bosonem, Bernardum Aruernum comitem, itemque Bernardum Gothiæ marchionem, quos secum ire iusserat. At hi vna cum aliis regni primoribus (exceptis paucis, & episcopis) aduersus eum conspirantes coniurauerant, & comperiens eos non venturos, vbique [a]udierunt ipse & Papa Ioannes appropinquare Carlomannum, Imperator post Richildem fugam arripuit: & Papa Ioannes versus Romam concite festinauit. per quem Carolus Imperator Imaginem Saluatoris in cruce fixam, ex auro multi ponderis fabrefactam, & gemmis preciosis ornatam, sancto Petro direxit. Carlomannus vero mendaci nuntio audiens, quod Imperator & Papa Ioannes super eum cum multitudine maxima bellatorum venirent, & ipse fugam arripuit per viam qua venerat: sicque Deus more misericordiæ suæ conuentum illum dissoluit. Carolus autem Imperator febre correptus puluerem bibit, quem sibi nimium dilectus ac creditus medicus suus Iudæus, nomine Sedechias, transmisit, vt ea potione à febre liberaretur. Insanabili veneno hausto, inter manus portantium transito monte Cinisio, perueniens ad locum qui Brios dicitur, misit pro Richilde quæ erat apud Moriennam, vt ad eum veniret: sicut & fecit. Et vndecimo die post venenum haustum mortuus est, pridie Nonas

Tributi exactio. — *Gall. aux poids.* — *Tributum Nortmannis pensum.* — *Carolus in Italiam proficiscitur.* — *al. Iurim.* — *Synodica confirmatio electionis Caroli Imp.* — *Carlomanni motus in patruum.* — *Terdonam.* — *Procerum in Imp. coniuratio.* — *Imperatoris fuga.* — *Carlomanni stulta fuga.* — *Imperatorē Iudæus veneno inficit.* — *Caroli Imp. mors. An. 878.*

Octobres. Quem aperientes qui cum eo erant, ablatis interaneis, & infuso vino ac aromatibus quibus poterant, impositum locello cœperunt ferre versus monasterium sancti Dionysii, vbi sepeliri se postulauerat. Quem præ odore non valentes portare,

Sepultura. Tralatio.

sepelierunt eum in Basilica beati Eusebii martyris in ciuitate Vercellensi, vbi requieuit annis septem. Post hæc autem per visionem delatum est corpus eius in Franciam, & honorifice sepultum in Basilica beati Dionysii martyris apud Parrhisios. Carlomannus vero pene vsque ad mortem infirmatus, & lectica delatus ad propria, per annum ita iacuit, vt à multis fuerit desperatus.

Carlomanni infirmitas.

De Ludouici iunioris, qui Caroli erat filius, ambitione & ambitu: de Richildis in Francia rapinis: de regni insignibus ab Ludouico receptis, & coronatione eiusdem

CAPVT XXXVI.

Ludouici Caroli filii ambitio.

LVdouicus autem accepto nuntio in Audriaca villa de morte patris sui Caroli, quos potuit conciliauit sibi, dans eis Abbatias & Comitatus, ac villas, secundum vniuscuiusq; postulationem. Et iter agens per Carisiacum & Compendium vsq; Aruernum, quatenus ad sepulturam patris sui (vt putabat) apud monasterium S. Dionysii martyris perueniret: vbi audiuit patrem suum Vercellis sepultum, & regni primores tam Abbates quam Comites indignatos, quia quibusdam honores dederat sine illorum consensu, & ob id aduersum se conspirasse, repetito itinere reuersus est Compendium. Ipsi autem primores cum Richilde, diripientes omnia quæ in via illorum erant, vsq; ad Auennacum monasterium peruenerunt: & conuentum suum vsque ad montem Witmarium condixerunt: indeq; legatos suos ad Ludouicum direxerunt. Sed & Ludouicus legatos suos ad eos direxit: & discurrentibus inter eos nuntiis ad hoc peruentū est, vt Richildis & ipsi primores ad eum Compendium venirent, & suum conuentum ad Casinum in Cotia condixere. Richildis Compendium ad Ludouicum veniens in festo S. Andreæ, attulit ei præceptum, per quod pater suus illi regnum ante mortem suā tradiderat: & spatham quæ vocatur S. Petri, per quam eum de regno inuestiret: sed & regium vestimentum, & coronam, ac fustem † ex auro & gemmis. Et discurrentibus legatis inter Ludouicum & regni primores, & pactis honoribus singulis quos petierūt, VI. Idus Decemb. consensu omnium tam Episcoporum & Abbatum, quam regni primorum cæterorumq; qui affuerunt, consecratus & coronatus est in Regem Ludouicus ab Hincmaro Remorum episcopo, & Episcopi se suasque Ecclesias illi ad debitam defensionem, & debita priuilegia sibi seruanda commendauerunt: profitentes *secundum suum scire & posse, iuxta suum ministerium, consilio & auxilio illi fideles fore.* Abbates etiam, & regni primores ac vassi regii, se illi commendauerunt, & sacramento secundum morem fidelitatem promiserunt.

Richildis & primorum rapina.

† i. sceptrum, virgam.

Ludouicus accipit regni insignia.

Canonica priuilegia.

Anno DCCCLXXVIII. Ludouicus rex secus Suessionas in monasterio S. Medardi, Natiuitatem Domini celebrauit: indeq; ad Audriacam villam perrexit. & Pascha Domini in monasterio S. Dionysii celebrans, suadente Hugone abbate & marchione, perrexit vltra Sequanam, tam pro auxilio Hugonis contra Nortmānos, quam eo quod filii Gozfridi castellum & honores filii Odonis quondam comitis inuaserunt: & Immo frater Bernardi Marchionis Ebroicensem ciuitatem vsurpans, multas deprædationes circumcirca in illis regionibus exercebat. Insuper & Eiricum, more Normannico, deprædari præsumpsit. Et veniens Ludouicus vsque Turonos, infirmatus est vsq; ad desperationem vitæ: sed miserante Domino, aliquantulum conualescens, satagentibus quibusdam consiliariis suis & amicis Gozfridi, venit ad eum iste Gozfridus, adducens secum filios suos: ea conditione vt castellum & honores quos inuaserant, Ludouico Regi redderent: & postea per concessionem illius haberent. Tunc Gozfridus partem de Britonibus ad Regis fidelitatem conuertit: sed ipsi demum fecerunt vt Britones

Britonum fidem notat.

De Ioannis Papæ in Franciam Trecas vsque profugio: & synodo per eum conuocata, & iis quæ in ea fuerunt agitata: & de Bosonis filia Carlomanno nubente.

CAP. XXXVII.

IOannes Papa irascens contra Lambertum & Adalbertum comites, quia villas & ciuitatem eius deprædati sunt, vbi eos horribiliter excommunicauit, Roma exiit ferens secum preciosissimas reliquias: & cum Formoso episcopo Portuensi, nauigio Arelatum in die sanctæ Pentecostes appulit: suosque nuntios ad Bosonem comitem misit, & per eius auxilium vsque Lugdunum venit, & inde legatos suos ad regem Ludouicum Turonos misit: mandans vt ei obuiam veniret, quo sibi commodum foret. Ludouicus autem mittens obuiam ei quosdam Episcopos, petiit vt vsq; Trecas veniret: ibique ab Episcopis istius regni stipendia sibi dari fecit. Et quia propter suam infirmitatem ante non potuit, Kalendis Septembribus apud Trecas ad eum venit. Interea Ioannes Papa generalem Synodum cum episcopis Galliarum & Belgicarum prouinciarum agens, qualiter Lambertum & Adalbertum, Formosum quoq; & Gregorium nomenclatorem, ac complices illorum Romæ excommunicauerit, relegi fecit in Synodo, & consensum Episcoporum in eadem excommunicatione quæsiuit. Vnde qui affuerunt Episcopi petierunt, vt sicut ipse excommunicationem quam fecerat, per scripturæ lectionem recitari fecit in Synodo: ita & eis concederet, vt per scripturam illi suam consensionem proferrent, & concedente ita fieri Papa Ioanne, in crastinum Episcopi hoc, quod sequetur, diploma Papæ in Synodo porrexerunt.

Ioannis papæ in Franciam Trecas vsq; profugium.

In synodo recitantur excommunicationis persecutorum Papæ literæ.

Domine sanctissime, ac reuerendissime Pater patrum, Ioannes catholicæ atq; Apostolicæ ecclesiæ (sanctæ videlicet Romanæ primæ sedis) Papa, Nos filii, famuli, ac discipuli vestræ auctoritatis Galliarum & Belgicarum Episcopi, his quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines ac ministri Diaboli addentes, in sanctam matrem nostram ac magistram omnium Ecclesiarum commiserunt, compatimur, & dolori vestro consentes condolemus: atq; iudiciũ vestræ auctoritatis, (quod priuilegio beati Petri & sedis Apostolicæ, in eos & complices eorum iuxta sacros canones spiritu Dei conditos & totius mundi reuerentia consecratos, ac secundum eiusdem sanctæ Romanæ sedis pontificum prædecessorum vestrorũ decreta protulistis) voto, voce & vnanimitate nostra, atque auctoritate sancti Spiritus (cuius gratia in episcopali ordine sumus consecrati) gladio Spiritus sancti, quod est verbum Dei, eos interimentes persequimur: scilicet quos (sicut prædiximus) excommunicastis, excommunicatos tenemus: quos ab Ecclesia abiecistis, abiicimus: quos anathematizastis, anathematizatos esse iudicamus: & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas & Apostolica sedes receperit, recipiemus. Sed vt in sacra historia de plaga Ægyptiaca digne à Deo illata legimus, quod non erat domus in qua non iaceret mortuus, & non erat qui alium consolaretur, quoniam in domo sua vnusquisq; quod lugeret habebat, nos in nostris quoque Ecclesiis lugenda lugemus: & ideo vestra auctoritate nobis subuenıri, cum omni mentis humilitate deposcimus: petentes vt promulgetis capitulum vestræ auctoritatis, qualiter nos erga Ecclesiarum nostrarum peruasores agere debeamus: vt censura Apostolicæ sedis muniti, robustiores ac promptiores, Domino opem ferente, contra peruersos ecclesiasticarum rerum ac facultatum raptores ac vastatores, sacriq; ministerii episcopalis contemptores, nos successoresq; nostri persistere concordi sententia valeamus: vt iuxta egregii prædicatoris vocem, & vestræ auctoritatis promulgationem, traditi Sathanæ, Spiritu salui fiant in die Domini nostri Iesu Christi.

Responsio episcoporum Galliæ ad postulata Papæ.

Exod 12.

Quod diploma Ioannes Papa suæ excõmunicationi ascribi fecit: & sua manu confirmans ab omnibus Episcopis in synodo subscribi fecit. Deinde ipso iubente lecti sunt in Synodo canones Sardicensis concilii, & decretum Papæ Leonis de Episcopis sedes suas mutantibus: sed & Aphricani canones, vt non fiant Episcoporum translationes, sicut nec rebaptizationes, vel reordinationes, pro Frothario Burdegalensi episcopo: qui à Burdegala Pictauos, indeque ad Bituricensem ciuitatem exiliisse dice-

Conciliorum statuta in synodo lecta.

Ludouici coronatio. *De legato Caroli.* *Fictitium legatum & donatio sancti Dionysii.*

batur. Et post hæc coronatus Ludouicus à Papa Ioanne VII. Idus Septemb. inuitauit eundem Papam in domum suam: & opipare pascens, honorauit eum multis donis, ipse & vxor sua: & remisit ad Trecas ciuitatem. Et postea per oratores suos orauit eundem Papam, vt vxorem illius in Reginam coronaret: sed obtinere non potuit. Frotharius autem & Adalgarius Episcopi attulerunt in conuentum Episcoporum Papæ Ioanni præceptum, per quod pater suus Ludouico regnum tradiderat: petentes ex ipsius parte, vt priuilegio suo ipsum præceptum confirmaret. Tunc Papa Ioannes protulit exemplar quasi facti præcepti a Carolo Imperatore, *de donanda Abbatia sancti Dionysii Romanæ ecclesiæ*. Quód compilatum consilio præfatorum Episcoporum, & aliorum consiliariorum Ludouici regis, à plurimis credebatur: vt à Gozlino ipsam Abbatiam, velut ex ratione, tollere & sibi haberet posset. Et dicebat Papa Ioannes, vt si vellet Ludouicus rex vt super illius præceptum priuilegium faceret, suo præcepto illud patris sui præceptum firmaret. Quod argumentum, sicut factio & non ratio, imperfectum remansit.

al. episcopii. *Hincmari.*

Quarto Idus denique præfati mensis Ludouicus rex, quorundam primorum compulsus petitionibus, venit ad Apostolici mansionem: & cum eo familiariter locutus, vna cum illo reuersus est ad conuentum Episcoporum in hexedram iuxta mansionem Apostolici. Et post excommunicationem Hugonis, Lotharii filii & Limnonis, ac complicum eorum, vim facientibus quibusdam Episcopis & consentiente Rege, dixit Papa Ioannes vt Hedenulfus sua auctoritate ordinatus Episcopus sedem suam teneret, & episcopale ministerium ageret: & Hincmarus cæcus, si vellet, missam cantaret, & partem de rebus episcopi † Laudunensis haberet. Et cum Hedenulfus apud eundem Papam peteret, vt eum ab illa sede absolueret, dicens se esse infirmum, & velle intrare monasterium, obtinere non potuit: sed præceptum est illi ab eo, consentiente Rege atque episcopis † Hicmari fautoribus, vt sedem suam teneret, & episcopale ministerium ageret. Qui fautores Hicmari audientes quod papa Ioannes dixerit, vt si vellet Hicmarus cæcus missam cantaret, & Rex consenserit, vt partem de episcopio Laudunensi haberet, insperate aliarum prouinciarum Episcopi, sed & aliarum regionum metropolitani, sine præceptione Papæ, Hicmarum vestimentis sacerdotalibus indutum in præsentiam ipsius Papæ adduxerunt: indeque sublatum cantantes in Ecclesiam illum duxerunt: & signum benedictionis super populum dari fecerunt. Sicque Synodus illa soluta est.

Bosonis filia nubit Carlomanno. *al. Clusas.*

In crastino Ludouicus rex inuitatus à Bosone ad domum illius perrexit, cum quibusdam primoribus consiliariis suis, & pastus ac honoratus ab illo, sed & ab vxore ipsius, desponsauit filiam Bosonis Carlomanno filio suo: & cum consilio ipsorum consiliariorum suorum dispertitus est honores Bernardi Gothiæ marchionis, per Theodoricum Camerarium & Bernardum comitem Aruernicum, & per alios secrete dispositos. Papa vero Ioannes Trecis mouens Cabillonum petiit: indeque per Morienneam iter agens per claustra † montis Cinisii, Italiam, à Bosone & vxore illius deductus, introiuit.

De pace inter Ludouicum regem & Ludouicum consobrinum eius, & de pactionibus seu conditionibus pacis firmioris sanciendæ

CAP. XXXVIII.

Pax Ludouici regis cum Ludouico consobrino suo. *pro, patruelem.*

LVdouicus rex à Trecis Compendium reuersus, audita renuntiatione legatorum suorum, quos ad consobrinum † suum Ludouicum pro pace inter se obtinenda direxerat, cum quibusdam consiliariis suis venit vsque ad Heristallium. Kalend. Nouemb. simul conuenientes apud Marsuam, vtrinque pax firmata est inter eos, & condixerunt *placitum* in purificatione sanctæ Mariæ, vt simul iterum conuenirent, Ludouicus

uicus Caroli filius ad Gundulfi villam, & Hludouicus Hludouici filius circa eundem locum, in commoditate sua. In ipso quidem placito hæc quæ sequuntur inter eos, consensu fidelium suorum, seruanda conuenerunt.

Pacta regum.

CONVENTIO *quæ inter gloriosos reges Ludouicum filium Caroli Imperatoris, itemq; Ludouicum filium Ludouici Regis, in loco qui vocatur Furoni, Kalend. Nouemb ipsis & communibus fidelium ipsorum fauentibus, & consentientibus facta est.*

Anno DCCCLXXIX. Indictione duodecima, sicut inter patrem meum Carolum & patrem vestrum Ludouicum regnum Lotharii diuisum fuit, volumus vt ita consistat: & si aliquis nostrorum fidelium de regno, patris sui purprisam † habet, iussu nostro illud dimittatur. De regno vero quod Ludouicus Imperator in Italia habuit, quia nondum ex illo aliqua diuisio facta est, quicunque modo illud tenet, ita teneat, donec (Domino volente) simul venientes cum communibus fidelibus nostris inueniamus & definiamus, quod ex hoc melius & iustius visum fuerit. De regno Italiæ, quia modo nulla ratio esse potest, omnes sciant quia partem nostram de illo regno & requisiuimus & requirimus, & Domino auxiliante requiremus. Ista die sequenti, statuta sunt.

† Gall. Pourpris.

Quod (quia firmitas amicitiæ & coniunctionis nostræ modo, quibusdam præpedientibus causis, esse non potuit) vsque ad illud placitum, quo simul vt conueniamus statutum habemus, talis amicitia inter nos maneat, Domino auxiliante, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, vt nemo suo pari vitam, regnum aut fideles suos, vel aliquid quod ad salutem siue prosperitatem ac honorem regni pertinet, discupiat † aut fors consiliet.

† i. inuideat.

Vt si in alterutrius nostrum regnū, Pagani siue Pseudochristiani insurrexerint, vterq; veraciter suum parem, vbicunq; necessitas fuerit, si ipse rationabiliter potuerit, aut per semetipsum, aut per suos fideles & consilio & auxilio, vt optime possit, adiuuet. Quod si ego vobis superstes fuero, filium vestrū Ludouicum adhuc paruulum, & alios filios vestros, quos Dominus vobis donauerit, vt regnum paternum hæreditario iure quiete tenere possint, & consilio & auxilio, prout melius potuero, adiuuabo Si autem vos mihi superstites fueritis, filios meos Ludouicum & Carlomannum, & alios quos mihi diuina pietas donare voluerit, vt regnum paternum quiete tenere possint, similiter & consilio & auxilio, quam optime potueritis, adiuuabitis.

Vt si aliqui susurrones, detractores & qui paci nostræ inuident, & quietum regnum esse non permittunt, inter nos lites & contentiones & discordias seminare voluerint, neuter nostrum recipiat aut libenter acceptet: nisi forte hoc ad rationem, coram nobis vtrisque & fidelibus nostris perducere voluerit. Si vero hoc noluerit, cum neutro nostrum aliquam societatem habeat: sed vterque illum, sicut mendacem & falsarium, & inter fratres volentem seminare discordias, communiter à nobis abiiciamus: ne de cætero quisque talia mendacia auribus nostris inserere audeat.

Vt communiter, quo citius potuerimus, legatos nostros ad Carlomannum & Carolum gloriosos Reges dirigamus: qui eos ad placitum, quod VIII. Idus Februar. statutum habemus, inuitent, & vt nullatenus venire differant obsecrent: & si (secundum quod optamus) venire voluerint, communiter nos, ad Dei voluntatem & sanctæ Ecclesiæ saluationem, ac communem honorem nostrum & profectum, ac saluamentum totius populi Christiani nobis commissi, Domino cooperante ita coniungamus, vt de cætero in eo qui vnus est vnum simus, & vnum velimus, & idipsum dicamus secundum Apostolum, & faciamus omnes: & non sint in nobis vlla schismata.

Si autem illi obsecratione nostra vocitati & inuitati, aut legati eorum ad præfatum placitum venire distulerint, nos (secundum quod statutum habemus) illuc omnino venire, & nos secundum Dei voluntatem coniungere omni modo non omittamus: nisi forte ineuitabilis necessitas euenerit, pro qua id fieri nullatenus possit: & si hoc acciderit, ad tempus vterque pari suo hoc rescire faciat: & propterea amicitia nostra nec minuatur, nec immutetur, donec (Domino volente) congruo tempore perfecte confirmetur.

Vt res Ecclesiarum, in cuiuscunque regno caput fuerit, tam de episcopatibus quam de abbatiis, sine vlla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum illas possideant: & si aliquid ibi iniustum factum à quoquam est, in cuiuscunque regno illæ res consistunt, legaliter exinde secundum iustitiam reddere faciant.

Et quia per vagos & in tyrannica consuetudine irreuerentes homines, pax & quies regni perturbari solent, volumus vt ad quemcunque nostrum talis venerit, vt de his quæ egit rationem & iustitiam subterfugere possit, neuter nostrum illum ad aliud recipiat vel retineat, quā vt ad rectam

rationem & debitam emendationem perducat; & si rationem rectam subterfugiat, vterque in commune in cuius regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno expellatur vel deleatur.

Volumus vt ii qui merito proprietatem suam in regno nostro perdiderint, ita iudicentur sicuti temporibus antecessorum nostrorum inuentum fuit. Qui vero dicunt, se iniuste proprietatem suam perdidisse, veniant in nostram præsentiam, & sicut iustum est, ita illis iudicemus, & sua recipiant.

De obitu Ludouici filii Caroli: de concordia facta inter Bosonem & Theodoricum: de fraudulentis conatibus Goslini abbatis, Ludouicum Ger. in Franciam concitantis: de oblatis eidem Ludouico causa pacis, & eorum acceptatione, ac reditu Ludouici in patriam: De Goslini Conradique grassatione, & filiorum Ludouici coronatione: De vxoris Bosonis ambitione, & eius coronatione: & de Hugone Lotharii filio regnum paternum attentate.

CAP. XXXIX.

SIcque Ludouicus Ludouici filius ad sua reuersus est: & Ludouicus Caroli filius per Ardennam veniens, DCCCLXXIX. anno Incarnationis Dominicæ in Longlaro Natiuitatem Domini celebrauit: & aliquandiu in Ardenna demorans, indeque iter agens,, circa purificationem sanctæ Mariæ ad Pontigonem venit: & volẽs ire Augustidunum, ad comprimendam rebellionem Bernardi Marchionis, vsq; ad Trecas pertexit. Sed quia ingrauescente infirmitate sua (dicebatur enim veneno infectus) longius ire non potuit, filium cognominem sibi Ludouicum baiulationi † *(† educationi.)* Bernardi comitis Aruernici specialiter committens, Hugonem abbatem & Bosonem & præfatum Bernardum cum filio suo, sed & Theodoricum cum sociis suis, Augustidunum misit: quatenus ipsum comitatum ad opus Theodorici, cui antea illud dederat, euindicarent. Ipse autem cum magna difficultate per Adiodrum monasterium Compendium venit: & sentiens se ab infirmitate liberari non posse, per Odonem Bergiuacensem † *(† al. Belouacensem.)* episcopum & Albuinum comitem, coronam & spatam, ac reliquum regium apparatum filio suo Ludouico misit: mandans illis qui cum eo erant, vt eum in Regem sacrari ac coronari facerent. *Ludouici filii Caroli obitus.* Ipse autem IV. Idus Aprilis in die Parasceue iam vesperi obiit, & in crastina, scilicet in vigilia Paschæ, in ecclesia sanctæ Mariæ sepultus fuit. Audientes autem Odo & Albuinus illum esse defunctum, quæ portauerant, Theodorico Camerario dederunt, & cum festinatione reuersi sunt. Illi autem qui cum Ludouico filio Regis erant, audita morte patris ipsius infantis, mandauerunt primoribus qui in illis regionibus erant, vt apud Meldensem ciuitatẽ conuenirent obuiam eis, vt ibi tractarent quid de cætero agere deberent. *Pactio Bosonis cum Theodorico.* Inter Bosonem autem & Theodoricum (mediante Hugone abbate) conuentum est, vt Boso comitatum Augustidunensem haberet, & Theodoricus abbatias quas Boso in istis partibus habebat, in commutationem acciperet. *Goslini abbatis conatus dolosus.* Goslinus autem Abbas memor insidiarum ac iniuriarum suarum, quas à suis æmulis tempore præcedenti sustinuerat, suis de familiaritate quam cum Ludouico Germaniæ rege & cum vxore illius, atque cum primoribus illius terræ (quando captus in bello apud Andrunacum & trans Rhenum ductus fuerat) obtinuit, cœpit cogitare, qualiter talionem suis aduersariis redderet: & Conradum Parrhisiaci territorii comitem, spe falsa de præcellenti potestate eum deludens, & quædam subtilia media qualiter id exequi posset enarrans, sibi coniunxit: & antequam illi qui cum filio Regis erant ad condictum placitum apud Meldas venirent, accelerauerunt dicti Goslinus & Conradus, quoscunque poterant Episcopos & Ab-

& Abbates atque potentes homines ad conuentum vocare, vbi Thara Naram influit: eo quidem sub obtentu, *Vt quia Rex defunctus erat, vnanimiter tractarent de regni pace atque vtilitate.* His autem qui conuenerunt, persuaserant vt Ludouicum regem Germaniæ in hoc regnum conuocarent, & eius largitione honores quos hactenus obtinere non potuerant, sine vlla dubitatione haberent. Et miserunt nuntios suos ad prædictum Ludouicum, & ad vxorem eius, mandantes, vt vsque Mettas venire accelerarent: & illuc omnes Episcopos & Abbates, ac primores huius regni obuiam ei adducerent. Sicque per Syluacum & secus Axonam, multas deprædationes ac rapinas facientes, vsque ad Viridunum venerunt. Veniente autem Ludouico Mettas, ad illum iterum legatos miserunt, vt vsque ad Viridunum veniret; quatenus commodius populum ipsius regni ad illum perducere possent. Veniens autem Ludouicus vsque ad Viridunum, tanta mala exexcitus eius in omnibus nequitiis egit, vt Sarracenorum mala facta illorum strages vincere videretur. Audientes autem Hugo & Boso ac Theodoricus, & illorum socii, quæ Goslinus & Conradus cum suis complicibus machinabantur, miserunt Galtherium episcopum Aurelianensem, & Goirannum ac Anscherium comites, ad Ludouicum apud Viridunum, vt ei offerrent partem de regno Lotharii iunioris, quam Carolus circa † fratrem suum Ludouicum ipsius Ludouici patrem acceperat, vt accepta illa portione regni in regnum suum rediret, & quod reliquum de regno patris sui Caroli Ludouicus habuit, eius filios possidere consentiret.

Ludouicus Germaniæ rex Viridunum venit, Exercitus Germanici insolentia.

† f. contra.

Ludouicus itaque & sui, acceptam habentes talem oblationem, cum dedecore Goslinum & Conradum ac complices illorum reiecerunt. & accepta regni parte sibi oblata, Ludouicus ad palatium suum Franconofurth rediit. Audiens autem hæc vxor illius, satis moleste tulit: dicens, *Quod si ille eo venisset, totum hoc regnum haberet.* Angustiantes autem Goslinus & Conradus ad ipsam Reginam fecerunt confugium: querimoniam agentes, qualiter essent decepti. Et acceptis nuntiis, ad socios suos qui eos de parte Ludouici confortarent, sed & ad alios quasi obsides reuersi sunt, rapinas & deprædationes facientes, quocunque peruenire potuerunt: renuntiantes sociis suis Ludouicum quam primum cum exercitu magno venturum: quoniam ad præsens venire non poterat, quia nuntiatum est ei non incerta relatione, fratrem suum Carlomannum paralysi percussum, & iam morti vicinum cum abiret decessisse; suumque filium ex concubina nomine Arnulfum partem regni illius occupasse, & ideo in illas partes festinus pergeret, sicut & fecit. Sopita vero, sicut potuit, in illis partibus commotione, reuersus est ad vxorem suam. Audientes vero Hugo abbas & cæteri primores, qui cum filiis quondam senioris sui agebant, Ludouicum cum vxore sua in has partes venturum, quosdam episcopos miserunt ad Ferrarias monasterium: & ibi eos consecrari ac coronari in reges fecerunt. Interea Boso (persuadente vxore sua, quæ nolle se viuere dicebat, si filia Imperatoris Italiæ, & desponsata Imperatori Græciæ, maritum suum Regem non faceret) partim comminatione constrictis, partim cupiditate illectis, pro Abbatiis & villis eis promissis & postea datis, Episcopis illarum partium persuasit, vt se in Regem vngerent & coronarent. Hugo etiam filius iunioris Lotharii ex Waldrada, collecta prædonum multitudine, regnum patris sui est molitus inuadere.

Oblata Ludouico Ger.

Ludouicus ad sua redit.

Goslini & Conradi grassatio.

Coronatio filiorum Ludouici.

Mulieris ambitio

Boso coronatur.

Hugo Lotharii filius regnum tentat.

De Carolo Ludo. Ger. regis F. regnum Langobardorum obtinente: Nortmannorum strage: Ludouici Ger. regis in Franciam aduentu: de altera Nortmannorum clade & vice, quam rependerunt: De regni Francorum inter hæredes diuisione: de motu eorum & Ludouici Ger. in Hugonem Lotharii filium, & in Bosonem: de Viennæ obsidione, & Caroli in imperatorem coronatione: De Ludouici in Nortmannos victoria, & subsequente eiusdem fuga: de Ludouici filii regis Ger. & Ludouici regis Francorum morte

CAP. XL.

Carolus Lu. Ger. filius Langobardia regnum obtinet.

CArolus Ludouici quondam regis Germaniæ filius in Langobardiam perrexit: & ipsum regnum obtinuit. Cum quo apud Vrbam, antequam montem Iouis transiret, Ludouicus & Carlomannus loqui perrexerunt. Et illo eunte in Langobardiam, ipsisq; reuersis ab eodem itinere, nunciatum est eis quod Nortmanni qui erant in Ligeri, terreno itinere terras illas deprædabantur. Et statim moti in illas partes, in die festiuitatis sancti Andreæ eos inuenientes, multi ex Nortmannis occisi, & plures in Vigenna fluuio absorpti perierunt: & exercitus illorum (Deo volente) cum victoria incolomis remeauit.

Nortmannorum strages.

Ludou. Ger. in Galliam venit.

al. Duziaci.

Anno DCCCLXXX. Incarnationis Dominicæ, Ludouicus rex Germaniæ vna cum vxore sua, ab Aquisgrani in has partes iter arripuit: & vsque ad Cluziacum † venit: vbi Goslinus & Conradus illi obuiam venerunt, quam plurimis iam de illorum complicibus ab illorum societate retractis. Indeque Ludouicus & vxor sua ad Attiniacum, indeque ad Hercuttiacum, & sic vsque ad Ribodi montem peruenerunt. Et videntes quod Goslinus & Conradus quod ei polliciti fuerant præstare nequiuerunt, & ipse ac vxor sua quæ sperauerunt obtinere non possent, pactis amicitiis cum filiis Ludouici regis Francorum, & condicto placito futuro mense Iunio ad Gundulfi villam, reuersi sunt in patriam suam: & in itinere inueniens Ludouicus Nortmannos, Domino opem ferente, magnam partem eorum cum exercitu suo occidit: sed in Saxonia magnum damnum in fidelibus suis per Nortmannos sustinuit.

Nortmanni rursum casi vicem rependunt.

Regni diuisio.
Ludouici portio.
Carlomanni pars.

Filii autem Ludouici quondam regis Francorum profecti sunt Ambianos: & sicut fideles illorum inuenerunt, regnum paternum inter se diuiserunt: id est, vt Ludouicus quod de Francia residuum erat ex paterno regno, sed & Neustriam cum marchiis suis haberet: & Carlomannus Burgundiam & Aquitaniam cum marchiis suis obtineret: & quique de primoribus secundum conuenientiam, in cuius diuisione honores habuerunt, illi se commendarent. Inde Compendium remeantes, ibi Pascha celebrauerunt: & post hæc per Remos & Catalaunos, ad placitum condictum mediante Iunio apud Gundulfi villam obuiam suis consobrinis venerunt: quo Ludouicus infirmitate detentus venire non potuit: sed pro se legatos suos direxit. Carolus autem a Langobardia rediens illuc venit. In quo placito communi consensu inuentum est, vt ipsi reges Ludouici quondam filii ad Attiniacũ redirent cum scara Ludouici Germaniæ regis, & Hugonem Lotharii iunioris filium impeterent. Quo venientes quia Hugonem non inuenerunt, sororium illius Theobaldum bello aggressi sunt: & multis interfectis eũ in fugam verterunt: indeq; cum exercitu ex regnis suis, vna cum scara † Ludouici regis Germaniæ prædicti Reges, ordinatis qui regnum suũ contra Nortmannos in Ganto residentes custodirent, in Burgundiam versus Bosonem per mensem Iulium a Trecarum ciuitate perrexerunt: Carolo rege illuc cum exercitu suo in Bosonẽ venturo. In quo itinere eiectis de castro Matiscano Bosonis hominibus, ipsum castellum ceperunt: & cum comitatum Bernardo, cognomento Plantæ Pilosæ dederut, perrexeruntq; simul Carolus, Ludouicus & Carlomannus ad obsidendam Viennam, in qua Boso vxorem suam cum filia, & magnã partem de suis hominibus relinquens, fugam ad montana quædam arripuit.

Teutboldum Hoste.

Bernardus. Planta-pilosa.

Vienna obsidio.

Obsidio partim soluitur.

Carolus fit imperator

Carolus autem, qui se vna cum consobrinis suis Viennam obsessurum promiserat, mox vt quædam sacramenta vtrinque inter eos facta fuerunt, illis valedicens, ab ipsa obsidione recessit. & in Italiam perrexit: indeq; citato itinere Romam veniens, a Ioanne Papa in die Natiuitatis Domini in Imperatorem vngi obtinuit.

contra.

Nortmanni grassantes caeduntur

Ludouicus post victoriam fuga.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXI. remanente Carlomanno cũ suis circa † Bosonis seditionem, Ludouicus frater eius reuersus est in partem regni sui contra Nortmannos: qui vastantes omnia in suo itinere Corbeium monasterium & Ambianensem vrbem aliaq; sancta loca occupauerunt: de quibus non modicam partem occisis, cæterisq. fugatis, & ipse Ludouicus vna cum suis retrorsum, nemine hostium persequente, fugam arripuit, diuino manifestante iudicio quia quod in Nortmannos

fuerat

fuerat actum, non humana, sed diuina virtute patratum extiterit. Iterum namq; Nortmannis regredientibus in partem regni sui, idem Ludouicus cum quibus potuit copiis eis obuiam ire perrexit, & castellum, materia lignea, quorundam consiliariorum suorum hortatu, in loco, qui dicitur Stromus clausit, quod magis ad munimen Paganorum, quam ad auxilium Christianorum factum fuit: quoniam ipse rex Ludouicus inuenire non potuit, cui id castellum ad custodiendum committere posset. *Castellum inutile.*

Indeq; reuersus Anno DCCCLXXXII. apud Compendium Natiuitatem Domini, sed & sanctum Pascha celebrauit: vbi nuntiatum est ei quod consobrinus suus Ludouicus, Ludouici regis Germaniæ filius, inutiliter sibi & ecclesiæ ac regno viuens, morti subcubuit. *Ludouici filii Lud. Ger. mors.* Venientes autem primores partis illius regni, quæ ipsi Ludouico in Lotharingia† data fuerat, quatenus quę pater & auus illorum habuerunt, eis concederet, voluerunt se illi commendare: sed consilio primorum suorum, propter sacramenta quæ inter eum & Carolum facta fuerunt, non eos in commendationem recepit: sed & scaram hostilem, cui præfecit Theodoricum comitem, quasi in adiutorium illorum contra Nortmannos disposuit: & ipse vltra Sequanam, perinde ac si recepturus Britonum Principes & bellatores, contra Nortmannos vsque Turonos perrexit. Vir plenus omnibus immunditiis & vanitatibus, infirmatus est corpore, & lectica deportatus vsq; ad monasterium S. Dionysii, mense Augusto ibi mortuus est, & sepultus. *†al. in Locarium.* *Ludouicus Francor. rex (quem fugillat) moritur.*

De Nortmannorum circa Coloniam grassatione: Viennæ deditione: Nortmannorum ad maritima receptione: Caroli Imperatoris in eos, & præcipue in Sigefridum profuga largitione: Parrhisiorum à Nortmannis obsidione, & eorundem repulsione: & templi S. Germani per eosdem violatione: & eorum Laudunum vsque & Remos grassatione: Hincmari cum reliquiis fuga: Remorum miraculosa conseruatione: & Nortmannorum partim occisione, partim elapsu & sæuitia

CAP. LXI.

PRimores autem regni expeditũ nuntium miserunt ad Carlomannum: mandantes vt relictis qui Viennam obsiderent, & seditioni Bosonis resisterent, ipse quam ocyssime ad eos venire festinaret: quoniam ipsi hostiliter præparati erant in occursum Nortmannorum, qui ciuitates Coloniam & Treueros cum monasteriis sibi contiguis iam incensas, & monasteria sancti Lamberti in † *Leudica*, & proxime, & inde Aquigranense etiam palatium, omniaque monasteria parochiarum, Tungrensis videlicet, Ambianensis, Cameracensis, & parte Remensis parochiæ suæ ditioni addicta, & parte cum castello Mosouiensi † incensa, & Walam Mettensem episcopum contra sacramentum, auctoritatem & episcopale ministerium, armatum & bellantem occisum, & sociis eius fugatis habebant †. Ipsi autem parati erant illum recipere, & se illi commendare: sicut & fecerunt. Dum autem in eodem procincto degeret, mense Septembrio nuntiatum est illi certo nuntio, quia capta Vienna vxorem Bosonis, & filiam eius, Richardus frater ipsius Bosonis ad comitatum suum Augustidunẽsem adductam habebat. Sed & Astingus & complices illius Nortmanni, à Ligeri egressi partes maritimas petierunt. Carolus autem nomine Imperator contra Nortmannos venit cum multo exercitu, vsq; ad illorum firmitatem †. Quo veniens concidit cor eius, vt placitamento Godefridum cum suis ad baptismum susciperet, & Frisiam aliosq; honores quos Roricus habuerat, exciperet: interueniente quorundam obtentu. Sigefrido etiam & Vurmoni illorumque complicibus plura millia argenti & auri, quæ de thesauro sancti Stephani Mettensis aliorumque Sanctorum locis arripuit, dedit: & ad deuastationem sui regni atque consobrini sui partim, sicut & antea fecerant, residere permi- *Leodio.* *Mosomense.* *Germanismus.* *Festung.*

uu

sit. Idem namque Sigefridus cum quadraginta millibus Nortmannorum Parrhisianam vrbem obsederat. Sed resistente Goslino prædicto præsule ipsius vrbis, & Abbate cœnobii sancti Germani, necnon Hugone † tunc comite, postea Francorum rege, meritis sanctæ Dei genitricis Mariæ almique Germani suffragiis prædictis principibus opem ferentibus, vrbem iam dictam non valentes accipere, abscesserunt. Tunc etiam corpus beatissimi Germani in arcisterium † eiusdem sancti Pontificis, in ciuitate prædicta situm, à monachis delatum fuit. Ecclesiam vero eius in suburbio positam pagani omnibus complentes spurcitiis deuastauerunt: & plurimis ipsorum, virtute sancti præsulis, extinctis confusi abierunt. Vnde prædictus Odo gauisus miraculis, quæ in prædicta obsidione à sancto præsule Germano patrata viderat, adeptus culmine regio vasculum in quo nunc sanctissima Pontificis membra Deo disponente requiescunt, auro & gemmis honorifice componi fecit.

Odone tunc comite.

melius, ascecterium.

Carolus autem Hugoni Lotharii iunioris filio facultates ecclesiasticas Mettensis episcopii, quas sacri Canones futuro episcopo reseruari præcipiunt, ad consumendum commisit. Angilbergam vero Ludouici Italiæ imperatoris vxorem, quã in Alemanniã traduxerat, per Leudardũ Versellensem Ioanni Papæ (sicut petierat) Romam remisit: & sic reuersus Warmatiam placitum suum Kalend. Nouemb. habiturus, à Nortmannis recessit. Ad quod placitum Hugo abbas quibusdam sociis secum assumptis profectus, Carolum adiit, pro petitione partis regni, quam frater suus Ludouicus in locatium † acceperat: vt sicut ipse Carolus olim promiserat, Carlomanno restitueret. Vnde nil certi obtinuit: sed absentia illius in regno magnum detrimentum fecit: quia Carlomannus non habuit, quibusdam regni primoribus ab ipsius auxilio se retrahentibus, vnde Nortmannis posset resistere. Quapropter vsque Laudunum castellum venerunt: & quę in agro ipsius castelli erant deprædati sunt, & incenderunt, disponentes Remos venire, indeque per Suessionas & Nouiomagum pergentes ad præfatum castellum expugnandum redire, & regnum sibi subiicere. Quod pro certo audiens Hincmarus episcopus, cuius homines de potestate Remẽsis episcopii cum Carlomanno erant, vix noctu cum corpore S. Remigii & ornamentis Remensis ecclesiæ, sicut infirmitas corporis eius poscebat, sella gestatoria deportatus, & canonicis ac monachis atque sanctimonialibus hac illacque dispersis, vltra Matronam in quandam villam, quæ Sparnacus nominatur, vix fuga elapsus peruenit. Scara autem Nortmannorum plenum † exercitum præueniens, vsque Remensem portam peruenit. Quæ iis quæ extra ciuitatem inuenit deprædatis, villulas quasdam incendit: sed ciuitatem, quam nec murus nec humana manus defendit, Dei potentia & Sanctorum merita, ne illam ingrederentur, defenderunt. Carlomannus autem aduentum Nortmannorum audiens, cum quibus potuit copiis eos aggressus, magnam partem de iis qui prædam ducebant occidit: sed & partim in Axona necati sunt: maxime autem ex illis qui Remos adierant, volentibus ad socios suos redire, prædam excussit. Maior vero & fortior pars de Nortmannis, in quadam villa quæ vocatur Auallis se reclusit: vbi eos illi qui erant cum Carlomanno, sine periculo suo aggredi nequiuerunt: vnde circa vesperam pedetentim retro reuersi, in vicinis villis se collocauerunt. Nortmanni vero mox vt Luna eis alluxit, ab ipsa villa egressi, itinere quo venerant redierunt.

hod. apennagium.

Nortmanni Laudunum vsque grassantur.

Hincmari fuga.

al. plenitudinem illorum.

Remorum miraculosa protectio.

Nortmannorum elapsio.

Ea tempestate Astingo cum Nortmannis vbique sæuiente, multa corpora Sanctorum à propriis locis in Franciam delata sunt. Tunc etiam corpus beatissimi Leutfridi abbatis à Nortmannia in quibusdam partibus Franciæ circumquaque delatum, ad vltimum vna cum ossibus beati Goffridi fratris sui, necnon & corpore sanctissimi Turiani Dolensis ecclesiæ archipræsulis, apud monasterium sancti Germani in suburbium Parrhisiense, vbi Deo disponente adhuc requiescunt, translata sunt.

Reliquiarum translatio.

De

De Ludouici regis filii Carlomanni ignauia, coniugioque sacrilego: Danorum in Neustriam aduentu, & effero proposito, eorundemque per Hugonem abbatem insigni clade: De abbatibus sancti Germani: Caroli Simplicis infantia: Odonis Andegaui in tuenda & gubernanda eiusdem infantili ætate egregie nauata opera, & Caroli regno: De Nortmannorum à Burgundia per Richardum ducem expulsione: Terræmotu: Nortmannorum à Carnoto non sine magna cæde depulsione: Comete: & fame valida: Prodigiosis in cœlo aciebus: Discordiaque Caroli Simplicis cum primoribus Francorum: De Richardi Burgundi morte: Roberto abbate diui Germani: Abbatiisque beneficio Caroli regis, cœnobio S Germani addictis

CAP. XLI.

VErum Carlomanno rebus humanis exempto filius eius Ludouicus successit: qui *Nil-fecisse* prænomen sortitus est: siue quod regno potitus nil strenue gessit: seu quod sanctimonialem quandam (sicuti è maioribus accepimus) Kale monasterio puellarum abstractam coniugio copulans suo, peccatum quo nullum maius esse noscitur, perpetrarit. Huius in diebus, effera memoratorum natio Danorum Neustriis tertiam inflictura cladem aduenit: intulissetque maiorem superioribus cladem, ni Hugo supradictus per Gallias Abbatis honore præditus, eorum compescuisset temerarios ausus. Siquidem parua manu innumeras hostium phalanges ita fudit, vt vix nuntius superuiueret. Qua plaga humiliati Dani, Gallias per aliquod spatium temporis quietas reliquerunt. Ea tempestate Goslino episcopo & abbate defuncto, Ebolus nepos eius Abbatiæ suscepit regimen. At Hugone vltimos vitæ suæ claudente soles, Ludouicoque principe post administratum regnum per aliquod tempòris spatium diem obeunte, Carolus filius eius, qui *Simplex* postea dictus est, in cunis æuum agens patre orbatus remansit. Cuius ætatem Franciæ primores incongruam (vt erat) exercendæ dominationi arbitrati, maxime cum iam residiui Nortmannorum nuntiarentur motus, consilium de summis ineunt rebus. Supererant autem duo filii Roberti comitis Andegauorum (qui fuit Saxonici generis vir) senior ex his Odo dicebatur: Robertus alter, patrē nomine referens. Ex his maiorē natu Odonem Franci, Burgundiones, Aquitanienses que proceres congregati in vnum, licet reluctantem, tutorēm Caroli pueri, regniq; elegêre gubernatorem: quē vnxit Galtherius archiepiscopus Senonum. Qui mente benignus, & reipublicæ hostes arcendo strenue præfuit, paruulum optime fouit, eiq; semper extitit fidelis. Quo obeunte, recepit regnum Carolus puer, qui vocabatur Simplex, filius Ludouici. Sub ipso tēpore venerunt Nortmanni in Burgundiam ad sanctum Florentinum: occurrit autem illis Richardus dux Burgundiæ cum suo exercitu in territorio Tronoderensi, irruensque in eos percussit multitudinem ex eis in ore gladii, & reliqui fugerunt. Tempore illo factus est terræmotus, circa cœnobium sanctæ Columbæ virginis, quinto Idus Ianuar. Itemque obsidentibus Nortmannis Carnotinam ciuitatem, prænominatus Richardus, & Robertus princeps frater Odonis regis irruerunt in eos: peremptisque ex Paganis sex millibus octingentis, à paucis qui remanserunt obsides ceperunt, XIII. Kalend. Augusti in Sabbato: auxiliante illis superna clementia per intercessionem sanctæ Dei genitricis Mariæ. Post hæc autem mediante mense Martio apparuit stella a parte Circii, emittens radium magnum fere diebus quatuordecim. Sequenti autem anno fuit fames magna per totam Galliam.

Ludouicus ignauus, Gall. fayneant.

Dani.

Carolus simplex ad infans.

Odo comes Andegauensis.

Prodigia acierum in cœlo visarum. Discordia Regis cum Principibus. Richardi Burgundi mors.

Deinde post quinque fere annos, Kalend. Februar. igneæ acies visæ sunt in cœlo diuersorum colorum, quod mirum fuit, alternatim se insequentes. In ipso anno fuit magna dissentio inter Regem & Principes eius. Ob hanc causam plurimæ strages perpetratæ sunt Christiani populi: sed fauente Deo omnis illa contradictio cessauit. Tertio autem anno post hanc persecutionem, defunctus est Richardus dux Burgundiæ Kalendis Septemb. sepultusque in Basilica sanctæ Columbæ virginis, in oratorio sancti Symphoriani martyris. Post hæc defuncto Ebolo abbate, Robertus supradictus princeps, cupiditate magis ductus quam cura animarum solicitus, abbatiam sancti Germani accepit, seque Abbatem post supradictum Hugonem abbatem vocitari fecit. Itaque defuncto Hueboldo, qui post Ebolum in regimine successerat, idem Robertus comes (vt dictum est) Abbatis nomen assumpsit: statuens Decanos qui curam haberent monachorum. Quorum primus nomine Remigius extitit: quo obeunte Abbo successit: ipsoque decedente, Gosmarus archiclauis decaniam habuit. Prædictus itaque Robertus comes & abbas Carolum regem adiit, petens quatenus Abbatiam sanctæ Crucis, sanctique Audoeni, quam beatus Leutfridus rexerat, cuius sacratissima membra apud monasterium sancti Germani quiescebant, ipsam videlicet Abbatiam iam dictam cœnobio sancti Germani addiceret regali priuilegio. Cuius petitionibus Rex annuens Carolus, eandem Abbatiam regali præcepto gratia beati Leutfridi cœnobio addixit S. Germani.

Abbas S. Germani.

Sup. cap. 34

Hod. Riuiere d'Vre. hod. Le Vecsin Normant.

Est autem huiusmodi. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Carolus diuina propitiante clementia rex Francorum. Quoniam Deus omnipotens, qui est Rex regum, nostram sui muneris celsitudinem dign. inter prætulit suo & regno & populo, idcirco oportet nos non modo præesse, verum potius sanctis prodesse Ecclesiis, ac præsertim dirutis, quibus feritate Paganorum pulsa existunt corpora Sanctorum, hactenus debita veneratione carentium. Quapropter comperiat omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorum, quin etiam præsentium ac futurorum solertia, quia Robertus venerabilis marchio, nostri quidem regni & consilium, & iuuamen nobiscum simulque Abbas monasterii sancti Vincentii martyris, egregii quoque pontificis Parrhisiorum Germani, adiens nostram sublimitatem vna cum comite Heriberto, eximioque Episcopo Abbone [illegible], tam pro veneratione sanctorum cinerum, Audoeni scilicet archiepiscopi, necnon beatorum confessorum Leutfredi fratrisque eius Agofredi, quam etiam pro nostra totiusque salute regni, concedere Abbatiam quæ nuncupatur crux sancti Audoeni, monachis prælibati confessoris Germani, quatenus abhinc & deinceps prædictorum membra Sanctorum, diu officio diuino carentium, ab eisdem cœnobitis reuerenter susciperentur, cultuque diuino secus beatos artus Germani collocata honorarentur. Quorum scilicet nostrorum fidelium congruis petitionibus annuentes, donauimus & [illegible] cimus illam Abbatiam, cuius caput est in Madriacensi pago super fluuium Auturæ, [illegible] Germano eiusdemque monachis ad eorum iugiter mensam, præter partem ipsius abbatiæ [illegible] nuimus Nortmannis Sequanensibus, videlicet Rolloni suisque comitibus pro tutela re[illegible] autem res prædictæ Abbatiæ cum omnibus villis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, farinariis, cum mancipiis, & colonis, & cum omnibus aliis appenditiis ibidem, excepta portione Nortmannorum, tradere, & subdere, & confirmare decreuimus ad victum, vestitum, seu etiam cæteros vsus congregationis sancti Germani: quatenus singulis annis IV. Idus Februar. anniuersarium nostræ dilectissimæ coniugis Friderunnæ cum vigiliis missarumque oblationibus frequentent: diem quoque nostræ vnctionis V Kal. Febr. solennitatem sanctæ Agnetis cum summa refectione celebrent. Post obitum vero nostrum, mutentur & orationum & refectionum præsidia in diem nostræ migrationis. Et super hanc cessionis auctoritatem hoc nostrum regale præceptum fieri iussimus: per quod decernimus atque iubemus, vt nullus quilibet [illegible] sanctæ Dei ecclesiæ præsentium, & futurorum, de prænotatis rebus inquietudinem aut [illegible]tionem, vel præiudicium, seu violentiam, nec ipse Abbas eius cœnobii, facere temptet: sed [illegible] sine vlla subtractione, vel diminutione atque diuisione, liceat easdem res eidem congregationi [illegible] omni integritate inuiolabiliter absque vlla calumnia & contradictione securiter, ac perpetualiter possidere & frui. Ergo hæc nostræ auctoritatis præceptio, vt firmiter continuationis vigorem [illegible] teneat, ac veracius per curricula annorum succedentium credatur, manu propria subterfirmauimus, annuloque etiam nostro eam iussimus insigniri. Datum II. Idus Mart. indictione VI. anno XXVI. regnante Carolo rege gloriosissimo, redintegrante XXI. Largiore vero hereditate indepta VI. Actum Compendio palatio.*

De Roberti principis rebellione, tyrannide, & cæde: Sociorumque eius peruicacia: De Caroli ſimplicis regis captiuitate, & in carcere obitu. De Ludouico rege ex Angla nato in Angliam cum matre profugiente: De Hugone Magno, & Rodulfo Burgundo: Ludouici regis reuocatione, & coronatione, & prodigiis cœleſtibus

CAP. XLII.

MOrtuo autem prædicto duce Richardo, ſecundo anno poſt mortem eius rebellauit Robertus princeps contra Carolum ſimplicem: & quia pars ei regiminis, quam germanus ſuus Odo Francorum rex tenuit, non redhibebatur, palam tyrannidem inuaſit. Qui magis cupiens eandem tyrannidem exercere, à quibuſdam Epiſcopis diademate ſe regio coronari, ac ſceptro regni inſigniri, ac inungi, partim blanditiis partim minis extorſit. Sed nequaquam huius præſumptionis lætos habuit exitus. Nec dum enim expleto anno factum eſt bellum apud Sueſſionenſem ciuitatem inter Carolum Simplicem & ipſum Robertum, vbi ipſe Robertus à ducibus Caroli interfectus eſt: licet exercitus eius victoriam obtinuerit, ipſe tamen nefariæ temeritatis pretium luit. Nec tamen ſocii defectionis eius territi, perfidiæ deſeruere contumaciam. Carolo itaque à cæde reuertente, occurrit ei Herbertus comes Virmandenſis iniquorum nequiſſimus: & fictæ pacis ſimulatione deceptum, in † Parronanſe caſtrum hoſpitandi gratia compulit: & ſic eum dolo captum tenuit, vinculiſque irretitum tenebroſo domicilio recluſit. Habebat enim idem Robertus ſupradictus ſororem huius Herberti: de qua natus eſt Hugo Magnus. Et quia ſtatus regni ſine principe agebatur in incertum, ideo Carolus poſitus in cuſtodia, Rodulfum filium Richardi ducis Burgundionum, quem de ſacro fonte ſuſceperat, cum conſilio Hugonis magni (filii ſupradicti Roberti) & procerum Francorum in Regem ordinari præcepit: vnctuſque eſt in Regem Rodulfus Sueſſionis. Carolus autem poſt longam carceris macerationem, defunctus eſt in ipſa cuſtodia, & ſepultus in Baſilica ſancti Furſei: relinquens filium Ludouicum ex Headhgina, Anglorum regis filia, ſuſceptum. Qui calamitatis paternæ procellâ ſemet inuolui metuẽs, ad Anglos Saxones maternę affinitatis inuitatus gratia ſe contulit: arbitratus ſe tutiorem manere in tranſmarinis regionibus, quam inter ſuos ſodales. Regnauit autem prædictus Carolus Simplex annos viginti ſeptem. Rodulfo autem regnante, Pagani iterum Burgundiam vaſtauerunt. Factumq; eſt bellum inter Chriſtianos & Paganos in Kalomonte, peremptis à Paganis ex Chriſtianis multis millibus. Sub hoc etiam rege Rodulfo, Hugo magnus Abbatis nomen poſt obitum patris ſui Roberti ſupradicti ſumpſit: & ſub eo, per ſucceſſiones, hi fuerunt monaſterii ſancti Germani Decani: videlicet Armarus: quo obeunte, ſucceſſit Goſbertus: deinde Abbo. Ii ergo fuere, regnante Rodulfo ſub Hugone magno Francorum duce, & monaſterii ſancti Germani abbate.

XV. Iun. an. 922.

† Peronenſe, Peronna caſtro.

Rodulfus rex Francorum.

Rodulfus autem rex defunctus, qui XII. † annis gubernauit Franciæ ſceptrum, & valde ſeuerus extitit in coercendis ſanctæ Dei eccleſiæ prædonibus: & magna ex parte fecit manere quietos proteruos impetus Danorum: ſepultus eſt in Baſilica ſanctæ Columbæ virginis.

† al. XIII.

Poſt cuius obitum, Hugo magnus vna cum Francis accerſens Guliermum archiepiſcopum Senonum, miſit illum ad Headhginam vxorem iam dicti Caroli Simplicis, quæ fugerat ad patrem ſuum regem Anglorum: qui ſub ſacramenti titulo, datis obſidibus, reduxit eam in Franciam vna cum filio. Igitur XIII. Calend. Iul. vnctus eſt in regem Ludouicus, filius Caroli Simplicis, apud Laudunum. Secũdo autem anno poſt hæc XVI. Kal. Martias, circa Gallorum cantum vſq; ad illuceſcentem diem, ſanguineę acies per totam cœli faciem apparuerunt. Sequenti autem menſe IX. Kal. April. Hungari adhuc pagani, Franciam, Burgundiam atq; Aquitaniam ferro & igne depopulari cœperunt.

De Hugonis magni rebellatione: Caritate annonæ: Ludouici captiuitate & morte: Lotharii coronatione: De Hugonis à Pictauis reiectione, ope diui Hilarii, & eiusdem morte: De ducibus Burgundiæ: De Hugone altero duce Francorum: de Ansegisi episcopi eiectione: de Othone primo cum Saxonibus Trecas obsidente, & Saxonum strage: De Helponis vanitate, & Brunonis eius socii ad suos reditu

CAP. XLIII.

Hugonis magni rebellio. *i. aureis.* *Ludouici captiuitas.* *hod. Baieux.* *Sanguine pluit.* *Ludouici mors.*

POst hæc rebellauerunt Francorum proceres contra Ludouicum regem: super omnes autem Hugo Magnus. In ipso anno facta est fames valida per totum regnum Francorum, ita vt modius frumenti vænundaretur viginti quatuor solidis.† Cuius tempore, fuerunt hi Decani monasterii sancti Germani sub abbate Hugone, Herricus videlicet, ac deinde Hubertus. inde non post multos dies captus est idem Ludouicus rex filius Caroli Simplicis, dolo, in Baiogas† ciuitate à Nortmannis, multis Francorum interfectis, consentiente Hugone magno. Post hæc Maio mense feria sexta pluit sanguis super operarios. Et in ipso anno mense Septembrio, Ludouicus rex, totum tempus vitæ suæ plenum ducens angustiarum & tribulationum, diem clausit extremum: sepultusq; est Remis in Basilica sancti Remigii, relictis duobus liberis superstitibus, Lothario atque Carolo: quos ei Gitberga soror Othonis, Romanorum postea Imperatoris, genuerat. Regnauit autem annis sexdecim. Sequenti quoque mense pridie Idus Nouemb. Lotharius filius eius, iam iuuenis vnctus est in regem Remis: & Hugo Magnus factus est *dux Francorum*. Carolus vero frater Lotharii, æuo iunior, priuatis in rebus senuit. Secundo anno post hæc mense Augusto, obsedit supradictus Hugo Magnus Pictauos: sed nihil ei profuit: dum enim obsideret eandem vrbem, quadam die intonuit Dominus terrore magno, disrupitque turbo papilionem eius a summo vsque deorsum: stuporque magnus inuasit illum cum exercitu suo, ita vt vix euaderent: statimq; in fugam versi recesserunt ab vrbis obsidione. Fecit autem hoc Dominus, per intercessionem beati Hilarii, qui semper tutor & defensor est illius vrbis. In ipso anno defunctus est Gislebertus dux Burgundiæ, relinquens ducatum Othoni, filio Hugonis Magni: habebat nanque Otho filiam illius Gisleberti in coniugio.

Lotharius coronatur.

An. 956.

Secundo anno obiit Hugo Magnus dux Francorum, apud Dordingam villam XVI. Kal. Iul. sepultusque est in Basilica beati Dionysii martyris Parrhisiis. Cui successerunt filii eius, Hugo videlicet, Otho & Hainricus, nati ex filia Othonis regis Saxonum. Hugo effectus est *dux Francorum*: & Otho dux Burgundionum. Defuncto Othone duce Burgundionum, successit Henricus frater eius. Sub ipso tempore oritur contentio inter Ansegisum episcopum Trecarum, & Rotbertum comitem. Eiectus vero de ciuitate episcopus Ansegisus à Roberto comite, perrexit in Saxoniam ad Othonem Imperatorem, adducensq; Saxones, mense Octobrio obsedit Trecas ciuitatem longo tempore. Venientes autem contra prædictos Senones, occurrerunt illis Archembaldus archiepiscopus, & Rainardus comes vetulus cum exercitu maximo, in loco qui vocatur Villare, interfectisq; Saxonibus cum duce suo, Helpone nomine, Senonenses extiterunt victores. Dixerat enim Helpo, incensurum se ecclesias & villas quæ sunt super† Nenam fluuium vsq; ad ciuitatem, infixurumq; lanceam suam in portam sancti Leonis. Interfectus autem cum populo suo à Senonensibus, deportatus est in patriam suam Ardennam à seruis suis: sic enim iusserat mater ipsius Helponis, nomine Warna. Planxerunt autem eum planctu magno Rainardus comes & Archembaldus archiepiscopus: consanguineus enim illorum erat.

Hugo minor, Capetus, dux Francorum.

Rainardus comes.

Venenam. hod. la riuiere de Venne.

Videns autem Bruno dux, socius eiusdem Helponis, qui obsederat Trecas, quod mortuus esset Helpo socius suus, cum suis reuersus est in patriam suam.

De

De Lotharii regis strenuitate in repellendo Othone ab Aquisgrani. De Othonis à Parrhisiis expulsu, & exercitus eius submersione & strage: de Lotharii cum Othone pace non approbanda: de rectoribus & abbatibus S. Germani: de Lotharii obitu, & filii eius Caroli (qui vltimus de stirpe Caroli Magni) breui regno: de Hugone qui Rex inungitur Francorum: & abbatibus sancti Germani

CAPVT XLIV.

DEinde post non multos dies Lotharius rex congregans exercitum copiosum valde, renouauit in ditione sua Lotharium regnum: veniensque ad palatium quod vocant Aquasgrani, vbi commanebat Otho Imperator cum vxore sua, hora prandendi, ingressusque palatium nemine contradicente, comederunt & biberunt quicquid illi ad vsus suos parauerunt. Otho vero Imperator cum vxore sua & populo fugiens, reliquit palatium. Deprædato itaque Lotharius rex palatio, & tota prouincia, reuersus est in Franciam cum pace, nemine persequente. Post hæc Otho imperator congregans exercitum suum, venit Parrhisios: vbi interfectus est nepos ipsius Othonis cum aliis pluribus ad portam ciuitatis, incenso suburbio illius. Iactauerat nanque se extollendo dicens, *Quod lanceam suam infigeret in portam ciuitatis Parrhisiorum.* Conuocans igitur Lotharius rex Hugonem ducem Francorum, & Henricum ducem Burgundionum, irruensque in eos, fugientibus illis, persecutus est vsque ad Suessionensem ciuitatem. Illi autem ingressi fluminis alueum, quod dicitur Axona, nescientesque vadum, plurimi ibi absorpti flumine perierunt: & multo plures consumpsit aqua quam gladius vorasset: vt etiam aqua redundaret cadaueribus mortuorum. Aqua enim impleuerat ripas suas. Lotharius vero rex constanter persequens illos tribus diebus & tribus noctibus, vsque ad fluuium quod fluit iuxta Ardennam siue Argonam, interfecit ex hostibus maximam multitudinem. Desinens autem persequi illos Lotharius rex, reuersus est in Franciam, cum magna victoria. Otho autem Imperator cum his qui euaserant, cum magna confusione, reuersus est ad propria. Post hæc non apposuit vltra Otho Rex vt veniret, aut ipse vel exercitus eius in Franciam. In ipso anno pacificatus est Lotharius rex cum Othone rege Remis, contra voluntatem Hugonis & Henrici fratris sui: contraque voluntatem exercitus sui: dedit autem Lotharius rex Othoni regi in beneficio Lotharium regnum: quæ causa magis contristauit corda principum Francorum.

Aquisgrani. hod. Aachen

Anno quarto Lotharii regis, sub abbate Hugone & duce Francorum, Galtherius archicustos extitit Decanus cœnobii sancti Germani. Quo decedente Albertus successit: inde Hugo dux ad maiora animum applicans, nutu diuino dimissa S. Germani abbatia, quia iam pene ad nihilum (dum non esset, qui curam eius tam exterius quam interius ageret) redacta fuerat, summis precibus tam regis Lotharii quam prædicti Hugonis Francorum ducis constituit venerabilem Gualonem abbatem: qui inter cætera quæ eidem Ecclesiæ contulit bona, pratum sub ipso monasterio situm à dominatione sancti Germani alienatum cupiditate prædictorum Ducum & Abbatum, prædictæ Ecclesiæ restituit: & ab omni inquietudine tam Regum quam omnium mortalium immunem reddidit.

Pratum nunc Pre aux clercs nuncupatum.

Anno DCCCCLXXVI. obiit Lotharius senex plenus dierum: sepultusque est in Basilica beati Remigii Remis. Cui successit Ludouicus filius eius iuuenis.

Anno DCCCCLXXXV. obiit Ludouicus rex iuuenis, qui regnauit in Francia annis IX. Sepultus vero est in Basilica beati Cornelii martyris Compendii, cui successit Carolus frater eius filius Lotharii regis. Eodem anno rebellauit contra Carolum Hugo dux Francorum, eo quod accepisset Carolus filiam Herberti comitis Trecarum.

Carolus F. Lotharii regnat vltim. de sanguine Caroli M.

Collecto igitur Hugo exercitu copioso valde, obsedit Laudunum, vbi commanebat Carolus cum vxore sua. Exiens vero Carolus de ciuitate, fugauit Hugonem cum exercitu suo: inceditq; hospitia vbi manebant hostes. Cernens itaque Hugo dux, quod minime posset Carolum vincere, consilium habuit cum Ascelino traditore vetulo, qui erat episcopus Lauduni & consiliarius Caroli. Itaq; tradens Ascelinus episcopus Laudunum quadam nocte, quiescentibus cunctis, Hugoni duci Francorum, vinctus est Carolus cum vxore sua, & ductus in custodiam Aurelianos. Nondum autem ipse Carolus erat vnctus in Regem resistente duce. Manens vero Carolus in custodia Aurelianis in turri, genuit illi vxor sua duos filios Ludouicum & Carolum. Eodem anno vnctus est in Regem in Remensi ciuitate Hugo dux, & in ipso anno Robertus filius eius Rex ordinatus est. Hic deficit regnum Caroli magni.

Hugo dux inungitur rex Francorum.

Abbate autem Gualone defuncto tempore supradicti Lotharii regis, Albericus secundus successit, perdurans vsque in tertium annum ordinationis duorum Regum, Hugonis videlicet ac Roberti. Cui successit piæ memoriæ dominus abbas Morardus.

De Arnulphi Remensis episcopi ab Hugone persecutione, degradatione & Geberti (Gaguino Gelberti) philosophi in eius locum suffectione: de Seguini episcopi Senonensis fortitudine & magnanimitate, Arnulfi expulsione & restitutione: Geberti depositione, & post ad Papatum vsque assumptione: Hugonis regis obitu: Roberti regno: Seguini pietate & Renardi cuiusdam obitu

CAPVT XLV.

IN illis diebus in Remensium ciuitate erat Archiepiscopus, vir bonus & modestus, frater Lotharii regis ex concubina, nomine Arnulfus. Hugo autem rex inuidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharii regis. Congregansque in vrbe Remensi Synodum †, in eum locum idem Hugo rex inuitauit archiepiscopum Senonicæ vrbis, nomine Seguinum, cum suffraganeis suis, in quo concilio fecit degradare dominum Arnulfum archiepiscopum Remorum, dolo nepotis sui, quem tenebat in carcere: dicens, *Non debere esse Episcopum, natum ex concubina.* In loco vero eius consecrari fecit dominum Gebertum † monachum philosophum. Qui Gebertus magister fuit Roberti regis, filii istius Hugonis, & domini Leutherici archiepiscopi, successoris venerabilis Seguini. Arnulfum autem fecit mancipari custodiæ in Aureliana ciuitate. Venerabilis autem Seguinus archiepiscopus non consensit in degradationem Arnulfi, neque in ordinationem Geberti, iussio autem Regis vrgebat. Alii vero Episcopi, licet inuiti, tamen propter timorem Regis degradauerunt Arnulfum, & ordinauerunt Gebertum. Seguinus autem plus timens Deum quam terrenum Regem, noluit consentire nequitiæ Regis: sed magis quantum potuit redarguit ipsum Regem. Propter quam causam ira Regis contra eum efferbuit: cum magno itaque dedecore expelli iussit Arnulfum de ecclesia beatæ genitricis Mariæ Remensis, & sic alligatum retrudi in carcerem. Alligatus autem in carcere Aurelianæ ciuitatis, vbi detinebatur nepos eius Carolus, mansit ibi annis tribus. Nuntiantur hæc omnia præsuli Romano. Qui valde indignatus super hoc facto, interdixit sacris omnib. Episcopis, qui Arnulfum deiecerant & Gebertũ ordinauerant. Misit quoque Leonem abbatem a sede Apostolica ad dominum Seguinum archiepiscopum vrbis Senonicæ, qui vice sua in vrbem Remensem Synodum congregaret: mandans illi vt sine dilatione reuocaret de carcere Arnulfum, & degradaret Gebertum. Collecto igitur concilio iterum in vrbe Remensi, ex iussione Apostolici, reuocatus est Arnulfus de custodia, & cum honore magno receptus in propria

Ex edit. Frãcofurt. 1600 in 8.

al. Gerbertũ

sede

sede. Gebertus autem intelligens, quod iniuste pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentia ductus est. Altercationem vero Geberti pontificis & Leonis Abbatis, valde vtilem plenius inuenies in gestis pontificum Remorum. Post hæc dominus Gebertus electus est pontifex in vrbe Rauenna ab Othone Imperatore, & à populo eiusdem vrbis. Residenteque eo in eadem vrbe pontifice quamplurimos annos, defunctus est Papa vrbis Romæ. Statimque omnis populus Romanus sibi dari adclamat dominum Gebertum. Assumptus itaque de vrbe Rauenna, ordinatus est Pontifex in vrbe Roma.

Gerbertus. Otho III. Imp.

DCCCCXCVIII.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCC.XCVIII. obiit Hugo Rex: sepultusq; est in Basilica B. Dionysii martyris Parrhisiis. Cui successit Robertus filius eius, regum piissimus, & maxime modestus.

Anno Domini DCCCCXCIX. venerabilis Seguinus archiepiscopus, ab imo cœpit restaurare cœnobium S. Petri Milidunensis: & monachos ibi mittens, Abbatem eis præfecit Galtherium nomine.

In ipso anno, tradidit Galtherius miles & vxor eius castellum Milidunum Odoni comiti. Congregans vero Robertus rex exercitum copiosum valde, & Burchardus comes (ad quem castrum pertinebat) conuocansq; similiter Nortmannos cum duce suo Richardo, obsedit castrum Milidunum. Capto igitur castro suspensus est Galtherius & eius vxor in patibulo. Burchardus autem comes recepit castrum Milidunum, sicuti ante possederat. At Renardus comes vetulus Senonum, post multa perpetrata mala defunctus est, & sepultus in Basilica sanctæ Columbæ virginis: cui successit Frotmundus filius eius, habens in coniugio filiam Rainaldi comitis Remorum.

De Seguini transitu: Leotherici episcopatu: Henrici Burgundi obitu: Burgundico bello: de Rainardo persecutore Ecclesiæ: Abbatibus sancti Germani, & Genealogia multorum nobilium

CAPVT XLVI.

ANno Domini M. Indictione XIII. XVI. Kal. Nouemb. transiit ad Christum venerabilis Seguinus Metropolitanus episcopus. Post transitum vero eius, stetit ecclesia Senonica sine benedictione sacerdotali anno vno. Adclamabat autem omnis populus sibi ordinari dominum Leothericum, nobilissimis ortum natalibus, tunc Archidiaconum, omni bonitate conspicuum: sed resistebant quamplurimi clerici, cupientes episcopalem conscendere gradum: præcipue vero Frotmundus comes filius Renardi vetuli, natus ex mala radice, hoc non permittebat fieri, eo quod haberet filium clericum nomine Brunonem, volens eum facere episcopum. Dei autem nutu congregati suffraganei episcopi Senonicæ ecclesiæ, cum voluntate & auctoritate Apostolica, sublato omni timore humano, solenniter ordinauerunt dominum Leothericum in sede pontificali, vt præesset ecclesiæ Senonensi.

Anno M.I. obiit Henricus dux Burgundiæ sine filiis: rebellaueruntq; Burgundiones contra regem Robertum, nolentes eum recipere. Ingressus itaque Landricus comes Niuernis, Autissiodorum tenuit ciuitatem.

Anno Domini M.III. Robertus rex, assumptis Nortmannis cum duce suo Richardo, & exercitu copioso valde, vastauit Burgundiam, obsidens Autissiodorum multis diebus. Burgundiones autem nullo modo ei se subdere volentes, vnanimiter ei resistebant. Obsedit etiam Auallonem castrum tribus fere mensibus: & famis necessitate illud cepit: tuncque reuersus est in Franciam. Mortuo autem Frotmundo comite Senonum, successit ei Rainardus filius eius, infidelium nequissimus. Hic persecutionem intulit Ecclesiis Christi & fidelibus eius, quanta non est audita a tempo-

Burgundicũ bellum.

Comites Senonum.

re Paganorum, vſque in hodiernum diem. Archiepiſcopus autem Leothericus nimis anguſtiatus pro hac re, quo ſe verteret omnino neſciebat. Totum vero ſe Domino cõmittens, in orationibus & vigiliis orabat Chriſtum, vt ſibi ſuperna pietas dignaretur auxiliari. Igitur anno à paſſione Domini MXV. indictione XIII. x. Kalend. Maii capta eſt ciuitas Senonum ab archiepiſcopo Leotherico, per conſilium Rainaldi Parrhiſienſis epiſcopi, & Regi tradita Roberto. Rainardus autem comes fugiens nudus euaſit. Frotmundus vero frater eius & cæteri milites de ciuitate, ingreſſi in turrim quæ eſt in ciuitate, obtinuerunt eam. Rex autem oppugnans eam diebus multis, cepit eam, & fratrem Rainardi comitis Frotmundum: quem duxit in carcerem Aurelianæ ciuitatis: vbi & defunctus eſt.

Anno Domini M. XIV. obiit Morardus piæ Abbas memoriæ: qui eccleſiam B. Germani à paganis ter incenſam, euertens à fundamentis nouam reædificauit: turrim quoque cum ſigno †, multaque alia ibi conſtruxit. Cui ſucceſſit Ingo magnæ nobilitatis in ſeculo. Qui poſt annum decedens XII. dum monachi ſæpefati cœnobii ſeculari modo vitam ducerent, piiſſimus Robertus rex vna cum ſua vxore, videlicet Conſtantia regina accerſens dominum Guliermum abbatem Diuionenſis cœnobii, ei abbatiam dedit beati Germani: qui eam regulariter inſtituens, anno Domini M. XXX. vita deceſſit. Poſt quem prædictus Rex cum Regina Adraldum abbatem conſtituit. In tempore regis Roberti Bema fuit de dominio ſancti Germani. Ipſe firmauit Montifortem † & Sparnomum †. Quandam quoque dominam de Nouigento habuit vxorem: de qua vnum filium habuit nuncupatum Amalricum. Idem Amalricus duos filios habuit ſcilicet Simonem & Amalricum. Simon procreauit Amalricum de Monteforti, & Bertradam vxorem Guillielmi comitis, comitiſſam Andegauenſem. Amalricus genuit Simonem comitem Montisfortis, & filiam quandam comitiſſam de Mellento. Bertrada habuit filium Fulconem comitem Andegauenſem, poſtea Hieroſolymitanum regem. De Fulcone procreati ſunt: Balduinus rex Hieroſolymitanus, & Amalricus poſt eum rex Hieroſolymitanus, & Gaufridus comes Andegauenſis, & vxor Terrici comitis Flandrenſis, Gaufridus genuit Henricum Anglorum regem. Soror eius Comitiſſa habuit duos filios, Philippum ſcilicet comitem Flandrenſem, & Matthæum comitem Bolonienſem: & vxorem Hugonis † de Boſaio. Tempore Roberti regis, Theobaldus cognomine *Filans ſtuppas*, Foreſtarius eius firmauit montem Lethericum †. Ipſe habuit vnum filium nominatum Guidonem, qui accepit in vxorem dominam de Feritate & de Gommet. Idem Guido genuit ex ea Millonem de Brayo, & Guidonem Rubeum: comitiſſam quoque Reiteſte, & Bonamuicinam de Pontibus: Helizabeth etiam vxorem Ioſcelini de Cortinaco †: inſuper dominam de Pinſat: & dominam de ſancto Galerico. Milo genuit Guidonem Truſſellum, Theobaldum Laboſe & Milonem quem Hugo de Creteyo furtim ſtrangulauit, Rainaldum epiſcopum Trecenſem, matrem Simonis de Breiis, matrem Guidonis de domina Petra †, matrem Augonis de Planceyo, matrem Milonis de Erucio, matrem Salonis vicecomitis Senonenſis. Guido genuit Hugonem de Creteyo & Biotam, matrem Waſtinenſis, vicecomitis Guidonis, matrem Heruberti de Belion †, vxorem Anſelli de Garlanda. Beatricem de Petrafonte. Tempore Roberti regis, Atho filius cuiuſdam Gaſtellarii de caſtro Rainardo, militari honore ſe fecit ſublimari, ipſe firmauit caſtrum Cortinaci. Idem accipiens in vxorem quandam nobilem dominam, genuit ex ea Ioſcelinũ de Cortunaco †. Ioſcelinus deſponſauit filiam comitis Gaufridi Foerolem, ex qua genuit vnam filiam, quæ duos filios habuit, Guidonem & Rainardum comitem de Iohegneio. Poſt mortem vxoris ſuæ idem Ioſcelinus accepit Helizabeth filiam Milonis de monte Letherico: de qua habuit Milonem de Cortunaco: Ioſcelinum comitem Edeſſæ: Gaufridum Chapalii. Milo genuit de ſorore comitis Niuernenſis Willermum, Ioſcelinum & Rainandum. Rainandus genuit vxorem Petri fratris domini regis, & vxorem Audonis de Seluiaco.

i. campana.
hod. Montfort.
hod. Eſpernon.
Genealogia regum Hieroſolymitan.
Comites Flandriæ.
al. Hugonis de Oſio.
Gall. fil-eſtoupes.
hod. Montlechery.
hod. Courtenay.
hod. Dampierre.
al. Humberti de Belion.
al. Cortinaco
hod. Courtenay.
al. filiam Guidonis.
al. & Rainaudum.

De

De Roberti regis obitu & prole: Parrhisianæ vrbis conflagratione: de Philippo rege, & nuptiis eius cum Bertha Flandrensi: de Abbatibus sancti Germani, & cœnobio sancti Martini de campis

CAPVT XLVII.

ANno M XXXI. Incarnationis Dominicæ obiit Robertus rex: qui dum viueret in sæculo, genuit tres filios, & vnam filiam: scilicet Henricum, qui post eum vnctus est in Regem, & Robertum ducem Burgundiæ, atque Hugonem Autissiodorensem episcopum, Adalaidem etiam Rainaldi comitis Niuernensis vxorem. Tertio vero anno Henrici regis, & M.XXXIV. Dominicæ Incarnationis, vrbs Parrhisiaca flagrauit incendio. Idem rex Henricus neptem Henrici Alemannorum Imperatoris duxit in vxorem: ex qua filiam vnam procreauit, quæ infra lustrum defuncta est, matre eius paulo post subsequente. Post cuius obitum, Rex sibi quærens coniugii solatium, ad Rutenorum regem Galtherum, cognomine *Saueir*, Meldensem episcopum direxit: postulans vt ei suam mitteret filiam. Quod & factum est. Huius nomen erat Anna. Conuocata igitur regni sui procerum multitudine (sicut decebat tantum virum) illam celebriter duxit in vxorem. Hæc autem Deo deuota, plus de futuris quam de præsentibus cogitans, in æterna vita mutuum multipliciter recipere credens, apud Syluanectum ecclesiam in honore sancti Vincentii construxit. Cum qua Rex feliciter viuens, ex ea genuit tres filios, Philippum videlicet, Robertum & Hugonem, cognomine magnum. Iste Hugo genuit Rodulfum Viromandorum comitem. Procedente vero tempore anno M.XLII. fames valida cœpit, quæ VII. annis durauit. Philippus autem, maior regis filius, viuente patre & iubente, anno Domini M.LIX. vnctus est in regem. Rex autem Henricus anno sequente obiit. Igitur Rex magnificus Philippus, cui tempore suo multa adrisit prosperitas, accepit sibi vxorem Bertam Balduini comitis Hollandiæ filiam, Roberti vero comitis Flandrensis sororem. Genuit autem ex ea Ludouicum, & Constantiam Buamundi Antiochiæ principis vxorem. Rex autem videns dominium suum, per insolentiam prædecessorum suorum, esse diminutum & fere adnihilatum, cupiensque illud reaugere, à quodam milite, Harpino nomine, emit Bituricas † pretio sexaginta millium solidorum. Postea vero motum est bellum, inter Gaufridum barbatum Andegauẽsium comitem, & fratrem eius Fulconem Rechin † comitem † Wastinensium. Conquerens siquidem prædictus Fulco † de fratre suo, super eo quod ei paruam terræ partem dedisset, Regem adiit, & fideliter compromisit, quod totum Wastinense ei relinqueret, si de bello sibi non noceret. Rex autem super hoc accepto consilio, quod petebat, cõcessit. Inuadens igitur Fulco fratrem suum, per auxilium Andegauensium & Turonensium baronum, hominum multa strage facta, eum in campo deuicit, cepit & vsque ad finem vitæ suæ in carcere tenuit. Qua peracta expeditione, Wastinense (sicut promiserat) regi Werpiuit †. Rex autem iurauit se seruaturum consuetudines terræ illius. Aliter enim nolebant milites ei facere sua † hominia. Postea aliquot intercurrentibus annis, malitia crescente, concupiscentia inualescente, Rex Vilcassinum † occupauit, suo illud adiungens dominio. Firmauit etiam contra Hugonem Domni-Martini † comitem, castrum quod dicitur Mommeliandum.

Roberti regis obitus. Henricus rex. Parrhisianæ vrbis conflagratio. Fames 7. annorum. Philippus rex. Bourges. al. Guillielmū Rechin. Guastinensium. hod. Gastinois. al. Guillielmus. Guillielmus al. Guerpiuit i. cessit, tradidit. homagia. hod Versin. hod. Dammartin.

Anno M.LXI. obiit Adrialdus abbas, suscepitque Hubertnus post eum abbatiam. Qui post quinquennium decedens, hoc est anno Domini M.LXVI. Roberto abbati quondam S. Gandregisili, abbatiam reliquit. Quo etiam anno, VII. Kal. Maii, cometes apparuit fere diebus V. magnum iubar emittens contra Occidentem. Nec multo post, in ipso videlicet anno, die festo Michaelis, comes Nortmannorum Willermus mare transiit, & Anglorum regnum inuasit.

Cometes.

Anno Domini M.LXXII. obiit Robertus abbas, cui successit Petrus, regis Phi-

lippi cancellarius, natione Appulus, qui anno Domini M.LXXII. decedens, domino Isembardo abbatiam dimisit. Illo in tempore Rex ammonitus diuina inspiratione, ab Ecclesia beati Martini de campis, clericos Deo & altari minus honeste ibi seruientes remouit: & eundem locum iuriditioni monasterii sancti Petri Cluniacensis tribuens, ibidem monachos instituit, sancto Hugone præfatum monasterium Cluniacense videlicet regente.

De Vrbano II. Papa, qui in Claromontensi concilio expeditionem Hierosolymitanam persuasit, & de eius expeditionis ducibus, feliciqúe exitu

CAPVT XLVIII.

ANno Incarnationis Dominicæ M.XCV. fœlicis memoriæ papa Vrbanus, vir deuotus Deo, vita & moribus egregius, ad partes Gallicanas descendit, & in Aruernia apud Clarummontem concilium coadunari fecit: *Concilium Claromontense.* in quo assistentibus trecentis decem tam Episcopis quam Abbatibus, ipse (sicut erat vir magnæ eloquentiæ) quomodo se deberent habere, & subditos regere, eos plene instruens, & de pace per prouincias eorum reformanda & tenenda ammonens, desolationem terræ Dei, Orientalis scilicet plagæ, in qua Saluator noster natus est & passus (sicut à multis vera relatione cognouerat) lachrymabiliter manifestauit: & vt Christianitati, quam Turci, gens scilicet Persica, deuastabant succurreretur, suspirando prædicauit. Quod verbum audientium cordibus diuinitus intimatum plurimum inualuit. Podiensis enim episcopus Annarus † *al. Atmarus* amore diuino succensus, crucem Domini accipiens, ad partes illas ire decreuit, & cum illo multi Baronum: scilicet Hugo magnus regis Philippi frater. Boamundus Appulus Roberti Guischardi filius, natione tamen Nortmannus; *Godefridus.* Godefridus regni Lothariensis dux, Raimundus comes Prouincialium, Robertus Nortmannorum comes, filius Guillermi Anglorum regis, Stephanus comes Blesensis, Robertus comes Flandrensium, *Comes Flandrensis.* & cum eis multitudo maxima equitum † *al. militum.* & peditum. Deus autem videns voluntatem eorum bonam, suam eis largitus est gratiam. Post multa enim pericula, & post multos labores, quos pro eius amore libenter sufferebant, terram Turcorum intrantes, & eos valde debellantes, Antiochiam, Hierusalem, & multas alias ciuitates & castra ceperunt: & sepulchrum Domini ab impiis, qui illud inhoneste tractabant, liberauerunt. Quo peracto, quidam nostrorum ad sua sunt reuersi, quidam in partibus illis ad populum Dei tuendum remanserunt. Illi vero qui in itinere vel in bello mortui sunt, sanctis Angelis Dei sociati, creatori suo insatiabiliter gratias referunt, quoniam digni inuenti fuerunt pro nomine Christi mortem pati.

De Bertha à Philippo repudio, alienæ raptu: Philippi excommunicatione, resipiscentia, obitu, sepultura. De Abbatibus sancti Germani: de Ludouici regis coronatione contentiosa, Victoria in Hannonem variam vaccam, & in Aruernos ac Aquitanos

CAPVT XLIX.

PRocedente vero tempore, idem rex Philippus, suggestione diabolica, Bertham reginam repudiauit: & ei subtrahens sui præsentiam, ad castrum quod dicitur Mősteriolum, supra mare situm, quo illam dotauerat, eam destinauit: & (quod turpe est dicere, turpius autem facere, nec ad tantum pertinet virum) libidini deseruiens, Fulconi Rechin † *al. Gullielmo Rechin.* Andegauensium comiti suam abstulit vxorem, nomine Bertrardam: cum qua pluribus annis adulterans, genuit ex ea duos filios & vnam filiam, Philippum scili-

scilicet, & Florum, & ...... comitissam Tripolitanam. Cum igitur hoc nefandissimo more vitam suam duceret, & nullius ammonitione ab eo desistere vellet, dominus Papa ...... eius saluti prouidens, & timens ne animam eiusdem Saluator exigeret, ipsum & totam terram ipsius anathematis vinculo obligauit. Quam sententiam Rex, motus diuina gratia, timens, & ad terminum vitæ suæ propinquans resipuit, veniamque postulans eam dimisit. Isembardus autem abbas anno M.CIII. ab hac vita discessit. Cuius in loco Rainaldus substitutus est, nepos eiusdem videlicet.

Philippi obitus.

Rex vero Philippus cum fere sexagenarius esset, apud Milidunum castrum super fluuium Sequanæ, præsente domino Ludouico eius filio, Anno Domini M.CVI. vniuersæ carnis debitum soluens, extremum diem clausit. Cuius nobilibus exequiis interfuerunt viri venerabiles, Walo Parrhisiensis episcopus, Syluanectensis, Aurelianensis, & alii viri religiosi complures: qui nobile regiæ maiestatis cadauer ad ecclesiá beatæ Mariæ perferentes, celebrantes ei exequias ibidem pernoctauerunt. Sequente vero mane, lecticam palliis † & quocunque funebri ornatu decenter ornatam, ceruicibus seruorum suorum maior imposuit filius: & filiali affectu (quemadmodú decebat) modo pedes modo eques, cum iis quos habebat Baronibus, lecticam ferendo adiutare studebat. Cum autem ad nobile monasterium beati Benedicti super Ligerim fluuium, multo comitatu deportassent (quoniam ibidem se deuouerat) in eodem monasterio ante altare positum (prout decentius potuerunt) hymnis & precibus animam Domino commendantes, corpus honorifice sepelierunt. Ludouicus autem præfati regis Philippi filius, quoniam in adolescentia Ecclesiæ amicitiam liberali defensione promeruerat, pauperum & orphanorum causam sustentauerat, Tyrannos potenti virtute perdomuerat, Deo annuente ad regni fastigia, sicut bonorum voto [illegible], sic malorum & impiorum votiua machinatione, si fieri posset, excluderetur. Consulti ergo proceres, & potissimum dictante venerabili & sapientissimo Iuone Carnotensi episcopo, vt ad refellendam impiorum machinationem [illegible] Aurelianos conueniant, eiusque exaltationi operam dare mature festinent. Senonensis igitur archiepiscopus Dembertus inuitatus, cum conprouincialibus videlicet Walone Parrhisiensi episcopo, Manasse Meldensi, Ioanne Aurelianensi, Iuone Carnotensi, Hagone Niuernensi, Hymbaldo Altissiodorensi, accessit. Qui in die inuentionis sancti protomartyris Stephani, sacratissimæ vnctionis liquore delibutum Regem, & missas gratiarum agens, abiectoque sæcularis militiæ gladio, ecclesiastico ad vindictam malefactorum eum accingens, diademate regni gratanter coronauit: necnon & sceptrum & virgam, & per hæc Ecclesiarum & pauperum defensionem, & quæ [illegible] regni insignia approbante clero & populo deuotissime contradidit. Necdum post celebrationem diuinorum festiuas deposuerat exuuias, cum subito mali nuntii baiulatores a Remensi Ecclesia assistunt, literas contradictorias deferentes, & [illegible] te Apostolica, si tempestiue venissent, ne regia fieret vnctio, interminantes. Dicebant siquidem primæ Regis coronæ primitias, ad jus ecclesiæ Remensis pertinere: & à primo rege Francorum (quem baptizauit beatus Remigius) Clodoueo, hanc prærogatiuam illibatam & inconuulsam obtinere. si quis eam temerario ausu violare tentauerit, anathemati perpetuo subiacere: ea siquidem occasione Archiepiscopo suo venerabili & emerito viro Viridi Rodulfo, qui domini Regis, eo quod absque eius assensu electus & inthronizatus fuerat sede Remensi, grauissimas & periculosas incurrerat inimicitias, pacem impetrare, aut Regem non coronari sperabant. Qui quia intempestiue venerunt, ibi muti ad propria loquaces redierunt: aut si quid dixerunt, nihil tamen vtile retulerunt. Ne igitur quacunque terrarum parte locorum angustiis virtus regia coarctari videatur (scitur enim *longas Regibus esse manus*) accelerat ad eum de finibus Bituricensium vir peritus, linguæque venalis, Alardus Willebaldi: qui satis rhetorice priuigni sui querelam deponens, domino Regi humillime supplicat, rogans quatenus nobilem Baronem, Hannonem nomine, Variam Vaccam cognomine, Burbonensem dominum, iustitiam recusantem imperialiter in ius traheret, nepotem maioris fratris, Herchembaldi scilicet filium, exhæredantem, cum præsumptuosa audacia compesceret, & Francorum iudicio, eorum quis quid habere debeat, determinaret. Rex itaque tam amore iustitiæ, quam Ecclesiarum & mi-

Exequiæ regiæ. — *i. capitibus.* — *Ludouicus rex.* — *Iuo Carnotensis. Vide epist. eius 70.* — *[illegible]* — *Remensis ecclesiæ [illegible].* — *Hanno, Varia vacca dictus.*

ſeratione pauperum, ne hac occaſione bellorum malitia pullulante, pauperes deuexati alienæ ſuperbiæ luerent pœnam, cum præfatum Hannonem fruſtra in cauſam vocari feciſſet (recuſabat enim de iuſtitia diffidens) nulla remiſſus voluptate aut pigritia, ad partes Bituricenſium cum exercitu multo tetendit: Germiniacum eiuſdem Hannonis munitiſſimum caſtrum diuertens, multo conflictu impugnare contendit. Videns autem præfatus Hanno nullo modo ſe poſſe reſiſtere, iam & perſonæ & caſtri ſpe ſublata, hanc ſolam ſalutis ſuæ reperiens viam, pedibus domini Regis proſtratus, & multorum ammiratione ſæpius reuolutus, vt in ſe miſericorditer ageret efflagitans, caſtrum reddit: ſeipſum Regiæ maieſtatis arbitrio totum exponit: & quanto ſuperbius ſe ſubduxerat, tanto humilius his edoctus iuſtitiæ ſe reduxit. Rex vero retento caſtro, & eodem Hannone in Franciam litis cauſa reducto, Francorum iudicio aut concordia, auunculi † & nepotis litem tam iuſtiſſime quam piiſſime diremit: multorumque oppreſſiones & labores ſumptuoſo ſudore conſumpſit. Hæc & his ſimilia in partibus illis crebro clementiſſime, pro quiete Eccleſiarum & pauperum patrare conſueuit: quæ quia ſi ſtylo traderentur, tædium generarent, ſuperſedere dignum duximus.

i. patrui.

Ea etiam tempeſtatis temperie Aruernorum pontifex Claromontenſis, vir honeſtæ vitæ & defenſor eccleſiæ illuſtris, & pulſatus & pulſus Aruernorum ſuperbia noua & antiqua, quæ eis aſſcribitur hoc verſu,

Aruernorū ſuperbia irriſa.

Aruernique auſi Latios ſe fingere fratres,

Lucan. 1.

ad dominum Regem confugiens, querelam eccleſiæ lachrymabilem deponit: Comitem Aruernenſem ciuitatem occupaſſe: eccleſiam beatæ Mariæ epiſcopalem Decani ſui fraude multa tyrannide muniuiſſe. Renitentis etiam pedibus prouolutus, ancillatam Eccleſiam exancillari, Tyrannum effrænatum comprimi regiæ maieſtatis gladio, ſuppliciter efflagitat. Rex autem (vt conſueuerat Eccleſiis promptiſſime opitulari) cauſam Dei gratanter aſſumens, ſumptuoſeque, dum verbis & maieſtatis ſuæ ſigillo tyrannum corrigere non valet, facto maturans militares colligit vires: mouetque in Aruerniam recalcitrantem, copioſum Francorum exercitum. Cui Bituricas aduenienti, regni optimates Carolus † comes bellicoſus Andegauenſis, Fulco comes potentiſſimus Britanniæ, Conanus comes egregius Niuernenſis, multique alii regni proceres, manu magna militari regni debitores occurrunt, in Aruernos iniuriam Eccleſiæ & regni vlciſci feſtinantes. Terram itaque hoſtium depopulantes, cum ciuitati Claromontenſi propinquarent, Aruerni præſidio ciuitatis, quia quam optime erat munita, relictis montanis acutiſſimis caſtellis ſe commiſerunt. Vnde Franci conſulere eorum deridentes ſimplicitatem, & ad vrbem tendere differentes, vt aut ciuitatem dimitterent ne caſtella amitterent, aut ſi remanerent, victualia interim conſumerent, ad caſtrum optimum, Pontum nomine, ſuper fluuium Hilerim † diuerterunt. vbi circumquaque tentoria figentes, æque plana & ardua diripiunt, Gigantea audacia in cœlum tendere niſi, dum minutiſſima † montium cacumina præripiunt: prædas non tantum pecorum, ſed & pecoralium hominum, ſuperfluo etiam educunt: inſtrumenta impugnatoria turri eiuſdem caſtelli applicantes, ſaxorum molarium impetu, ſagittarumque impluuio multa eos ſtrage ad deditionem compellunt. Quo audito, qui ciuitatem tenebant timore perculſi, ſimile aut grauius quid expectantes, fugam parant: ciuitatem exeunt: eamque Regis arbitrio relinquunt. Rex autem & Deo eccleſiam, & clero turres, & Epiſcopo ciuitatem, pace inter eos & comitem & ſacramentis & obſidum multiplicitate firmata, victor in omnibus reſtituit. Verum temporum luſtro peracto, cum Aruernorum comitum perfidia leuitate ſolueretur recidiua, epiſcopi & eccleſiæ calamitatis recidiuam reportat querimoniam. Qui ſe caſſo labore adeo defatigatum dedignans, collecto multo maiore exercitu terram repetit Aruernorum, iamque grauis corpore & carneæ ſpiſſitudinis mole ponderoſus, cum aliusquamlibet pauper etiam, tanta corporis periculoſa incommoditate equitare nec vellet nec poſſet, ipſe cōtra multorū amicorum diſſuaſionem, mira animoſitate rapiebatur: & quod ipſi etiā iuuenes horrebant, æſtiuos Iunii & Auguſti ſoles ſiue calores, impatientes caloris deridet, cum ſæpius eū anguſtis paludum locis fortiſſimorum

al. Carolus deeſt.

hod. la riuiere d'Alier.
al. munitiſſima.

al. perfida.
al. calamitas

suorum lacertis sustentari oporteret. Erant in eius expeditione, comes præpotens Plandrensis, Carolus comes Andegauensis, Fulco comes Britanniæ tributarius regis Anglici Henrici: de Nortmannia exercitus, Barones & regni optimates complures, qui etiam Hispaniam perdomare sufficerent: transiens itaque difficiles Aruernorum ingressus & obuiantia castella, Claromontem peruenit. Cum autem abortiuo † & [al. ab Oriente.] opposito ciuitati castro montis Ferranni † exercitum applicaret, milites qui castrum [hod. Montferrant.] defendere habebant, Francorum mirabilem exercitum suis dissimilem formidantes, loricarum & galearum repercussorum Sole splendorem admirantes, solo visu hærent: & exteriorem refutantes † immunitatem, in turre & turris procinctu vix etiam sese [defensionem.] contulerunt. Applicitus autem † immunitatis relictæ domibus flammiuomus ignis, [defensionis.] quicquid erat præter turrim & procinctum eius, in cineres dissoluit. Et prima quidem die propter æstuantem incendio subito villam, extra eam tentoria fixerunt, sequente intro sopitis flammis reportauerunt. Rex vero summo mane, hoc vno facto & eos contristauit, & suos exhilarauit: quoniam cum tentoria Francorum vna de parte turri propinquiora, multo bello multis sagittarum & iaculorum emissionibus, ita vt etiam præmissis inter Francos & hostes armatorum præsidiis Francos clypeis operiri oporteret, lacessere tota nocte non desisterent, significauit militari viro & egregio baroni Amalrico de Monteforti, vt eis ex obliquo insidias ponens, ne procinctum impune egrederentur prouideat. Qui talibus callens intentamentis †, sumit arma, eosque equorum velocitate ex obliquo Francis impedientibus, inopinate quosdam intercipit, Regique celeriter remittit. [In tentoriis.] Qui cum redimi se multo auro rogarent, imperat eos emancari, mancos autem & pugnos † in pugnis referentes intro ad socios remitti. [Pugnos. s. dexteros in sinistris.] Quibus cæteri territi, deinceps Francos quietos sinebant. Cumque machinarum & instrumentorum structura demorante, tota Aruernia voluntati & arbitrio exercitus pateret, dux Aquitaniæ Willermus exercitu Aquitanorum fretus aduenit, quē cum in montanis castrametatus, in plano Francorum intueretur rutilare phalanges, admiratum exercitus tanti magnitudinem pœnituit pro impotentia ad naufragādum venisse: mittensque pacificos Regi nuntios, vt ei tanquam domino suo loquatur, assistit orans hoc modo. *Dux tuus Aquitaniæ, domine Rex, multa de salute omnique optat potiri honore. Non dedignetur regiæ maiestatus celsitudo, ducis Aquitaniæ seruitium suscipere, ius suum ei conseruare: quia sicut iustitia exigit seruitium, sic & iustum exigit dominium. Aruernensis comitem quia Aruerniam à me, quam ego à vobis habeo, habet, si quid commisit, curiæ vestræ vestro habeo iudicio repræsentare. Hoc nunquam prohibuimus: hoc etiam modo offerimus: & vt suscipiatis suppliciter efflagitamus: & ne super his celsitudo vestra dubitare dignetur, multos & sufficientes obsides dare parati sumus, & paratos habemus. Si sic iudicauerint regni optimates, fiat. Sin aliter: sicut super his iudicabunt.* Igitur Rex cum optimatibus regni consultans, dictante iustitia, fidem, iuramentum, obsidumque sufficientiam suscipit: Aurelianis pacem patriæ & ecclesiis restituit: diem inter eos, præsente duce Aquitaniæ super agendis Aurelianis † (quod huc vsque renuerat) statuit: exercitumque gloriose reducens, in Franciam victor remeauit. [al. deest, Aurelianis.]

De Caroli comitis Flandriæ strenua rerum administratione, & cæteris virtutibus: de eiusdem nefandissima apud Brugas cæde, & cædis clarissima per Ludouicum regem vltione: de VVilhelmi comitis Flandriæ susceptione, & abbatibus sancti Germani

CAPVT L.

EGregium Ludouici regis factum, & quo nobilius ab adolescentia vsque ad vitæ limitem nullum perpetrauit, vitando fastidium (cum multa egeat narratione) breui memorare, non quomodo, sed quid fecerit significantes, proposuimus. Famosus comes vir potentissimus Carolus, de amita domini Regis, Ludouici Danorum regis [Carolus co-]

mus Flandriæ Danorum regis filius.

filius, cum successisset iure consanguinitatis fortissimo comiti Balduino Hierosolymitani Roberti filio, Flandriæ terram valde populosam tam strenue quam diligenter administrabat, Ecclesiæ Dei illustris defensor, eleemosynarum liberalitate conspicuus, iustitiæ tutor insignis. Qui cum debito honoris adepti, potentes quosdam genere humiles, opibus elatos, dominio eius lineam cōsanguinitatis absentare superbe innitentes (erant enim de fæce conditionis seruilis) iudicio curiæ conuenienter satis repeteret, ipse videlicet Brugensis ecclesiæ præpositus, & eius viri superbissimi & famosi proditores crudelissime ei insidiabantur. Cum igitur quadam Dei Brugas venisset, summo mane Ecclesiæ Dei assistens, pauimento prostratus librum orationum manu tenens orabat, cum subito Burchardus † quidam, nepos Præpositi præfati, satelles truculentus, cum aliis de eadem sceleratissima radice, & aliis traditionis pessimæ complicibus, oranti, immo Deo loquenti, tacite retrocedit & caute gladio euaginato, collum terræ prostrati comitis leuissime tangens, & paululum erectum ferientis gladio se inopinate dirigeret, ensem ei applicans vno ictu, impius pium, seruus dominum, sceleratissime detruncat. Qui autem astabant necis impię cooperatores, sanguinem eius sitientes, tanquam canes in relicta cadauera debacchantes, innocentem laniare gaudebant: summopere gloriantes quod opere complere potuerant quem conceperant dolorem, & quam pepererant iniquitatem: vtpote malitia sua excæcati, quoscunque castellanos, quoscunque nobiliores comitis Barones, siue in eadem ecclesia siue in castro offendere poterant, infelicissimo miseræ mortis genere imperatos nec confessos, trucidabant. Quibus tamen valde prodesse arbitramur, quod pro fidelitate domini sui taliter mactati, in Ecclesia orantes sunt reperti: cum scriptum sit; *Vbi te inuenero, ibi te iudicabo.* Comitem vero truces in ecclesia ipsa tumulantes, ne honorifice extra deplangeretur & sepeliretur, & pro gloriosa vita & gloriosiore morte deuotus populus in eius vltionem incitaretur, Ecclesiam ipsam speluncam latronum statuentes, tam ipsam quam comitis domum ecclesiæ inhærentem muniuerunt: & quibuscunque paratis victualium alimentis, & seipsos exinde protegere, & comitatum sibi addicere summa superbia deliberant. Tanti igitur & tam scelerati horrore facti attoniti, qui his non consenserant Flandriæ Barones, lachrymabiles exsequias persoluentes, notam proditionis euitant, dum hoc domino regi Ludouico, nec ei tantum, sed fama volante, per vniuersum orbem denuntiant. Rex autem & amore iustitiæ, & consanguinitatis affectu in vltionem tantæ proditionis excitatus, nec regis Anglici, nec comitis Theobaldi bello detentus, Flandriam animosus intrat: vt nequissimos atrocissime perdat, toto animi & operis nisu exæstuat. Comitem Flandriæ, Wilhelmum Nortmannum, filium Roberti Hierosolymitani Nortmanniæ comitis (ad eum enim iure consanguinitatis spectabat) constituit. Vt autem Brugas descendit, non veritus terræ barbariem, nec fœdam proditoriæ consanguinitatis lineam, ipsos proditores in Ecclesia & turre obsessos coarctat, victualia præterea, quæ diuino nutu eorum etiam vsui importuna repugnabant, prohibet. Vt autem fame, peste, & gladio, aliquantisper eos contriuit, ecclesiam relinquentes, turrim tantum vt eos turris saluaret retinuerunt. Iam vero de vita eis desperantibus, cum in luctum verteretur cithara eorum, & organum eorum in vocem flentium, nequissimus Burchardus consensu sociorum fuga elapsus, Flandriam exire volens nec valens, sola iniquitate propria prohibente, infirmitate cuiusdam amici & familiaris reuersus interceptus, Regis imperio exquisito miseræ mortis genere, alta rota superligatus, coruorum & alitum rapacitati expositus, desuper oculis defossus & tota facie dilaceratus, inferius sagittis & lanceis & iaculis millies perforatus, miserrime interfectus in cloacam proiectus est. Bertholdus † vero caput iniquitatis, cum similiter effugere decreuisset, eum huc illucque satis licenter deambulasset, sola superbia reuersus (dicebat enim suis, *Quis ego, aut quid ego feci?*) etiam capitur, & Regis arbitrio expositus, merita & miserrima morte est damnatus: furcis enim cum cane suspensus, quoties canis percutiebatur, in eum iram retorquens totam faciem eius morsicando deuorabat: aliquando etiam in eam (quod horribile dictu est) stercorabat: sicque miseram vitam, miserior miserrimo morte perpetua terminauit. Quos aũt in turri incluserat, multis angustiis ad deditionẽ cogens, sigillatim vnum post alium, coram suis, fractis ceruicibus deiecit

Brochardus Gaguino.

Wilhelmus comes Flandriæ.

Burchardi supplicium.

al. Bertoldus Gaguino.

iecit. Quendam etiam eorum nomine Isaac, in monasterio quodam timore mortis tõsuratum, demonachatum patibulo affixit. Potitus itaque Brugensi victoria, Rex cum suis Ipras optimum castrum, contra Wilhelmum bastardum proditionis fautorem, vt etiam in eum vlciscatur, ire accelerat. Brugenses tam minis quam blanditiis, directis ad eos nuntiis, in societatem allicit. Dumq; Wilhelmum cum trecentis militibus obuium haberet, altera pars regalis exercitus in eum irruit, altera ex obliquo alia porta audacter castellum occupat: eoque retento Wilhelmum à tota Flandria exhæredatũ Guilhelmus notus exulat exterminat: & quia proditione ad possidendam Flandriam aspirauerat, merito in tota Flandria nihil obtinuit. His ergo & diuersis vltionum modis, & sanguinis multi effusione lota & quasi rebaptizata Flandria, Wilhelmo Normanno comite constituto, Rex in Franciam (Deo auxiliante) victor remeauit.

Anno Incarnationis Dominicæ, M.CVIII. Rainaldus monasterii S. Germani abbas præ simplicitate Abbatiam dimisit, & loco eius Guillermus est substitutus: qui duobus annis monasterium rexit: sed prauo consilio deceptus, ad episcopum Parrhisiensem pergens, & ei professionem faciens, benedictionem ab eo accepit. Quod audientes præfati monasterii fratres, timentes ne per hoc Ecclesiæ suæ minueretur libertas, reuertentem a professione noluerunt recipere. Sed clausis ianuis valide resistẽtes, eum ab abbatiæ dignitate penitus remouerunt: prædictumque Rainaldum reuocantes, eum iterum sibi præfecerunt abbatem. Qui anno M.CXVI. obiit, ei successit Hugo sancti Dionysii monachus: per quem libertas Ecclesiæ prænominatæ restituta est, ordo reformatus, veterata domus renouata. *Cum Christo sit ei locus æternæ requiei.*

De Ludouici grossi regis prole numerosa, & obiter de bono prolis, cuius carentia Imperatoria domus & Anglicana graue detrimentum accepit: deque Lotharii Imperatoris præclaris facinoribus: de Ludouici iunioris cum Alienoride Guilhielmi Aquitaniæ ducis filia matrimonio

CAPVT LI.

REx autem Ludouicus duxit vxorem Adalaidem, filiam Humberti comitis de Moriana, de qua genuit VI. filios & vnam filiam: Philippum, qui vnctus est in Regem: de quo contigit singulare & vlterius inauditum Franciæ regni infortunium. Cum enim ipse floridus & amœnus puer, bonorum spes timorque malorum, quadã die per ciuitatis Parrhisiensis suburbium equitaret, obuio porco Diabolico offensus An. 1131. equus grauissime cecidit, sessoremque suum nobilissimum puerum silice consternatum, mole ponderis sui conculcatum contriuit. Quo dolore ciuitas & quicunque audierunt, consternati sunt (ea siquidem die exercitum ad expeditionem asciuerat) vociferabantur, flebant & eiulabant: tenerrimumque colligentes puerum, pene extinctum in proximam domum reportant. Nocte vero instante (proh dolor) spiritum exhalauit. Illo in tempore morabatur Altissiodori papa Innocentius: quem vt patrem suum spiritualem petiit Rex piissimus, vt alium filium suum Ludouicum inungeret & coronaret. Conuocata igitur procerum regni & cleri multitudine, vir piæ recordationis Innocentius summus pontifex Remos accessit: & Ludouicum adolescentem pium & modestum, vnxit in Regem & coronauit. Tertius autem Regis filius Henricus est appellatus, postea Remensis archiepiscopus ordinatus: quartus vero Robertus comes Drocensium: quintus Philippus clericus: sextus Petrus qui duxit vxorem filiam Rainaldi de Cortenaico †, & terram ipsius habuit cum ea, quia non erat alius hæres superstes. † hod. Courtenay Soror autem istorum regis filia fuit Constantia, vxor Raimundi comitis sancti Ægidii, pro qua in regno Francorum multa facta est strages hominum. Cum enim Henricus rex Anglorum ei & viro suo præfato comiti vellet auferre Tholosam, rex

Ludouicus Ludouici regis filius ei valde resistens, multos de suis amisit, sed de parte aduersa plurimis interfectis semper gloriose triumphauit. Nunc autem ad historiam reuertentes, & de patre Rege loquentes, ad laudem ipsius præclara eius opera huic scripto breuiter inseramus.

Debellans igitur Hugonem de Puteolo, qui contra eum insurrexerat, Puteolum cepit & subuertit, & Iamuillam firmauit, ne aliquãdo successione temporum sibi vel hæredibus suis dominus de Puteolo, vel aliquis de partibus illis posset resistere: firmauit etiam montem Caluulum †, & Lorrez & Gres. Moretum vero & Castellarium Boissas, Euram & Cambim à Fulcone vicecomite Wastinensi emit. Corbolium † quoque & Firmitas, mons Lethericus, & Castrum Forte accesserunt ei. Hæc enim oppida assiduis bellis perurgentibus, suis rectoribus destituta fuerant. His & aliis plurimis dominium suum augens, pacem circunquaque, superbos debellando reformans, XXX. annis regnum Franciæ viriliter rexit. Trigesimo igitur vnctionis suæ anno, ætatis vero LX. incarnationis autem Dominicæ, M.CXXXVI. Parrhisiis feliciter obiit.

hod. Montchauuet.
al. Carboilum.

Igitur gloriosus gloriosi regis filius Ludouici Ludouicus, lugubri tanti patris demigratione celerrimo comperta nuntio, ducatu Aquitaniæ consulte tutoque locato, anticipare festinans quæ Regibus decedentibus consueuerunt emergere, scilicet rapinas, scandala & motiones, celeriter in Aurelianẽsem regressus ciuitatem, cum ibidem comperisset, occasione communionis, quorundam stultorum insaniam cõtra regiam moliri maiestatem, compescuit audacter non sine quorundam læsione: indeque Parrhisianam tanquam ad propriam remeans sedem (eam enim, sicut in antiquis legitur gestis †, reges Francorum regiam habere consueuerunt) de regni administratione & Ecclesiæ defensione, pro ætate, pro tempore, gloriose disponebat. Felicem se fore tota existimabat patria, eo quod tantæ sunt reliquiæ homini pacifico nobilissimo patri: siquidem ad robustissimam totius regni defensionem, nobilissima proles succederet, pios foueret, impios abdicaret. Imperium siquidem Romanorum, regnum etiam Anglorum, in defectu successiuæ prolis multa incommoda, fere vsque ad status sui ruinam sustinuisse conspicantes, quantum dictorum regnorum indigenas super his dolere audiebant, tantum regni & Regis successibus omnium & singulorum commoditatibus applaudebant. Defuncto etenim absque hærede Imperatore Romanorum Henrico, in ea quæ maxima & generalis est habita Maguntiæ curia fere LX. millium militum tanta emersit, hac occasione, controuersia, vt cum dux Alemanniæ Fredericus, eo quod defuncti Imperatoris Henrici nepos esset, regnum obtinere niteretur, in scandalo & diuisione regni, Maguntinus & Coloniensis archiepiscopi & superior pars optimatum & procerum regni cum reniterent, & ad ducem Saxoniæ Lotharium se conuertentes, regio cum diademate Aquisgrani cum summa cleri & populi exultatione coronarent. Quod & si nobile factum, non sine læsione multorum cõstitit, cum ipse præfatus dux Fredericus solio regni depulsus, cum Conrado fratre (qui tamen præfato Lothario decedenti in regnum successit) cum parentibus & reliquis fautoribus suis, multa dispendia, bella, incendia, pauperum deprædationes, ecclesiarum destructiones, damna innumera similia perpessus ei intulerit.

Parisiis regia sedes.
Sup l. 1. c. 16
Greg. Tur. l. 11 c. 38.
Hæredum penuria regnorum perniciosa.
Henricus Imp.

Qui præfatus Lotharius cum multa egregie gesserit, tum hoc supremum & dignum laude atque admiratione magnanimitati eius assignatur: quod regnum Alemannorum nullo hæreditatis iure sortitus, strenue administrauit: Italiam potestati suæ subiugauit: Romani coronam imperii ab Innocentio papa Romæ, repugnantibus Romanis, assumpsit: Capuanam & Beneuentanam pertransiens prouinciam, Apuliam in ore gladii perdomuit: regem Siculum fugauit: Barensem ciuitatem & circumiacentem patriam occupauit: plenoque potitus trophæo, a partibus illis rediens, morte communi præuentus, ad natiuum solum & proprios ducatus Saxoniæ penates relatus, tantis laboribus finem egregium destinauit. Nec minus in lauste de regno Anglorum, hac eadem occasione contigisse meminimus, cum defuncto strenuo & famosissimo rege Henrico, quia hærede mare carebat, Boloniensis comes Stephanus nepos eius, frater iunior Palatini comitis Theobaldi, ex insperato regnum ingressus, non reputans, quod comes Andegauensis filiam præfati regis Henrici auunculi sui (quæ & Imperatrix Romanorum fuerat) coniugem & ex ea filios habuerat, coronam

Lotharius Imp.

eius assumpsit. Quæ perniciosa factio, zelo & diuersitate Baronum, comitum atque optimatum regni, tantã terram copiosam & fructiferam a malitia inhabitantium in ea calamitate extinxit, vt terram vastitate, præda, rapinis, homines mortibus fere ad tertiam (vt aiunt) partem circumquaque per totum regnum exterminaret. Quæ quidem pericula, Francorum solatia existebant: cum illi ex defectu hoc sustinerent: Franci vero tantæ & tam egregiæ prolis successione congratularentur & congauderent.

Sed vt ad propositum redeamus, regis Ludouici circiter XIV. aut XV. annorum, ab adolescentia, tam natura quam industria de die in diem proficiebat. Ea tempestate Wilhelmus dux Aquitaniæ, ad sanctum Iacobum peregre profectus, molestia corporis ibi correptus, viam vniuersæ carnis ingressus est. Ipse duas filias tantum habebat: quarum altera vocata fuit Alienor: altera Aaliz. Terra autem Aquitaniæ domino suo destituta, absque hærede mare remansit. Idcirco rex Ludouicus totam Aquitaniam in manu sua tenuit. Alteramque de duabus prædictis sororibus, scilicet Alienoridem natu maiorem, matrimonio sibi sociauit: alteram verò, videlicet Aaliz iuniorem, Radulfo comiti Viromandensi in vxorem donauit. Rex autem vnam filiam ex Alienoride coniuge sua suscepit nomine Mariam. Porro euoluto non longo dierum curriculo, Gautherius de Montegaio superbia Diaboli inflatus, aduersus Regem insurgere tentauit: terramque ipsius (non tamen impune) præsumptuose inquietare conatus est. Quod Rex, vtpote magnanimus, non æquo animo perferens, exercitu vndecunque adunato, aduersus Montemgaium conuolauit, castrumque cum omni municipio destruxit.

Ludo. Alienoridem ducit.

Gautherius.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi M.CXLV. felicis memoriæ Hugo abbas S. Germani Parrhisiensis, qui prius monachus sancti Dionysii extiterat, Dominica de ramis palmarum de præsenti sæculo migrauit. Huic successit Gillo eiusdem ecclesiæ monachus.

De cruce ab Ludouico iuniore cum proceribus & episcopis assumpta ob calamitatem quam res Christiana acceperat capta Edessa: Deque Conrado imperatore etiam crucem assumente. Et quanto tempore Ludouicus crucem tulerit, & quando Hierusalem adiit ac rediit

CAP. LII.

EOdem anno graue infortunium quoddam, in Hierosolymitanis partibus Christianis contigit. Nam Parthi Diabolico inflati spiritu, Edessam vrbem valido bellorum impulsu aggredientes, non sine magna strage suorum eam ceperunt: de qua expugnatione nimium intumescentes, omnes Christianos illius regionis se vastaturos esse comminati fuerunt. Cuius infortunii fama postquam ad aures piissimi regis Ludouici peruenit, zelo sancti Spiritus imbutus ad pietatem commotus est. Qua de causa in Paschali solennitate eiusdem anni apud Vizeliacum magnũ colloquium tenuit, vbi Archiepiscopos, Episcopos, Abbates quoq;, plures etiam optimates & Barones sui regni congregari fecit: inter quos fuit Bernardus Abbas Clareuallensis. Itaq; ipse & Pontifices ibidem in consistorio assistentes, prædicauerunt de terra in qua Dominus noster Iesus Christus corporaliter conuersatus, pro redemptione generis humani passionẽ crucis sustinuit. Quorũ prędicationibus & ammonitionibus rex Ludouicus diuina inspirante gratia inflãmatus, crucem accepit, & post eum Alienor vxor eius. Quod videntes optimates ibidẽ adstantes, postea crucẽ acceperunt, Simon Nouiomẽsis episcopus, Godefridus Lingonẽsis episcopus, Arnulfus Luxouiẽsis episcopus, Herbertus abbas S. Petri Viui Senonensis, Theobaldus abbas S. Columbę, Anfulsus † comes S. Ægidii, Terricus comes Flandrensis, Henricus filius comitis Blesensis Palatini Theobaldi

Edessa capta a Parthis. l. Saracenis.

Ludouicus crucem assumit in Parthos cum Regina, Episcopis, & proceribus.

al. Alphonsus.

qui tunc temporis viuebat, Wilhelmus comes Niuernensis, Reinaldus frater eius comes Tornodorensis, Robertus comes frater regis, Iuo comes Suessionis, Guido comes de Pontiuo †, Wilhelmus comes Garenna, Archembaudus de Borbonio, Ingerrannus de Coteio, Gaufridus de Rancono, Hugo Lizenanto, Wilhelmus de Co[illegible]aco, Rainaldus de Monteargiso, Iterius de Toteio, Gautherius de Montegaio, Eurardus de Britolio, Droco de Monceio, Manasses de Bugliis, Ansellus de Triegnello, Guarinus frater eius, Wilhelmus Buticularius, Wilhelmus Anguillon de Trica, & plures alii equites: infinita etiam multitudo peditum. Eodem quoque tempore Conradus imperator Alemanniæ, audita Christianorum desolatione, crucem accepit: & Ferricus dux Saxoniæ † nepos eius, postea Imperator. Amatus etiam comes Morianæ, auunculus regis Ludouici: in quorum comitatu multi fuerunt. Porro Pontius venerabilis Viceliacensis abbas, propter reuerentiam sanctæ crucis, quam Rex cum sociis accepit, in loco quodam videlicet in decliuo montis in quo consistorii prædicatio fuit, hoc est inter Escuanum & Vizeliacum, ecclesiam in honorem sanctæ Crucis construxit: in quam populo recta fide conueniente, Dominus multa miracula operatus est. Interim rex Ludouicus toto anno, a Paschali solennitate qua crucem accepit, vsque ad aliud Pascha, & insuper vsque ad Pentecosten, antequam ad Hierosolymitanas partes proficisceretur, cum cruce suscepta in regno suo commoratus est. Cum vero hæc ita agerentur, Senonensis ciuitatis burgenses aduersus abbatem S. Petri Viui Herbertum in iram concitati, quia communiam † eorum dissolui fecerat, eum truculenter necauerunt. Ob cuius vltionem, Rex quosdam homicidarum illorum de turre Senonensi præcipitari fecit, quosdam autem Parrhisiis detruncari. Abbas autem Gilo ecclesiam sancti Germani Parrhusiensis illo anno integro rexit: post cuius anni completionem, quoniam tanti regiminis oneri non sufficiebat, pastoralem curam dimisit: in cuius loco Hugo Prior Crispeiensis substitutus est.

Pontieu.

Conradus Alemannus Imp. crucem accipit.

f. Suevia.

Rex annum ante expeditionem crucem tulit.

i. ligam factionem.

Anno ab Incarnatione Domini M CXLVI. gloriosus rex Ludouicus regio comitatu (vt decebat) honorificentissime circundatus, iter quod vouerat peragere cupiens, septimana post Pentecosten de Parrhisiensi ciuitate egressus est: vnde profectus in itinere, multos labores sustinuit: & tandem Hierosolymam peruenit. Postquam autem ad sepulchrum Domini orationes compleuit, & cum debita reuerentia crucem Dominicam adorauit, de partibus illis regrediens sanus & incolumis ad propria remeauit. Denique post illam regressionem ipse genuit vnam filiam ex Alienoride coniuge sua, nomine Aaliz.

Rex Ludouicus Hierosolymam petit.

De Normannia per Ludouicum Henrico Anglorum regi restituta, & eiusdem Henrici ingratitudine: De diuortio Ludouici cum Alienoride ob consanguinitatem, & matrimonio eiusdem cum Henrico Anglo: Item de matrimonio eiusdem Ludouici cum Constantia Hispana, & filiæ eius Margaritæ cum Henrico filio Henrici Angli: De interitu Constantiæ in partu, & tertiis nuptiis Ludouici cum Ala Blesensis comitis filia

CAP. LIII.

PRocedente autem non longo temporis spatio, Gaufridus comes Andegauorum & Henricus filius eius, qui postea regnum Anglorum obtinuit, regem Ludouicum adierunt: & ei de Stephano Anglorum rege conquerentes, monstrauerunt quod ipse eis iniuste iura sua auferebat, videlicet regnum Angliæ & ducatum Normanniæ. Vnde Rex volens omnes iuste ac rationabiliter, sicut Regiam maiestatem condecet, manu tenere, & vnicuique ius suum conseruare, cum magno exercitu Normanniam aggrediens manu forti eam cepit: quam Henrico filio comitis Andegauorum reddidit.

Normanniam Anglo restituit.

didit: & eum pro eadem terra in hominem ligium accepit. Ille itaque pro collato sibi adiutorio, Gaufrido patre suo concedente, Vilcassinum Nortmannum, quod est inter Istam & Andeglam, regi Ludouico totum immune dedit. In qua terra cõtinentur hæc castella & firmitates; Gisortium, Neelfa, Stripiniacum, Dangutium, Gamachie, Harach uilla, Castrum nouum, Baudemont, Braium, Tronutium. †, Buschalia, Nogentem super Audelam † & quædam alia. Hoc modo, quo prædictum est, adquisiuit & restituit perfido Henrico Nortmanniam rex Ludouicus, non præuidens perfidiam, quam postea ille contra ipsum machinatus est. † Nam post modicum tempus contigit quod vulgari prouerbio dicitur, *Quia quanto magis exaltatur iniquus, tanto amplius aduersus benefactorem suum se extollit.* Siquidem Henricus Nortmanniæ per manum Regis Dux effectus vltra modum superbiens, ante dominum regem suum Ludouicum defecit à iustitia. Quamobrem Rex ad iram nimirum concitatus, tantam indignationem grauiter sustinens, cum magno exercitu in Mouium † profectus est: paucisque diebus in obsidione moratus, potenti virtute castrum illud cepit: aliud quoque castrum, scilicet Nominmarcheium †, similiter captum ei abstulit. Porro videns versutus ille Henricus dux Nortmannorum, quod potentissimo regi Ludouico nullatenus resistere posset, ad similitudinem dolosæ vulpis, conuertit se ad refugium dolosæ fraudis solitæ. Siquidem fingens se humiliatum esse, vt quoquo modo amissa recuperaret, falso asserebat quod contra dominum suum Regem superbiæ calcaneum deinceps nõ eleuaret. Cuius falsis assertionibus rex Ludouicus deceptus, sicut semper benignissimus extitit, etiã tunc benignitatem suam ei exhibuit. Nam duo prædicta castella, quę illi abstulerat, eidem restituit. Sequenti tempore præterita non longa annorum euolutione, accesserunt ad regem Ludouicum quidam propinqui & consanguinei sui: & conuenerunt eum, dicentes quod inter ipsum & Reginam Alienoridem coniugem suam linea consanguinitatis erat, quod etiam iuramento firmare promiserunt. Audito hoc Rex, noluit eam contra legem catholicam vlterius vxorem habere. Proinde Hugo Senonensis archiepiscopus conuocauit vtrunq;, videlicet regẽ Ludouicum & reginã Alienoridem, ante præsentiam suam apud Baugendiacum. Qui conuenerunt eo ex pręcepto ipsius die Veneris ante Dominicam de ramis palmarum: vbi etiã interfuerunt Samson Remensis. Hugo Rothomagensis, &(cuius nomen non teneo) Burdegalensis, archiepiscopi: quidam quoque suffraganei ipsorum, necnon optimatum & Baronum regni Franciæ non minima pars. Quibus congregatis in castro supramemorato, prædicti consanguinei Regis iuramentum, quod facturos se fore promiserant, exsecuti sunt: videlicet quod Rex & Regina Alienoris (sicut supra taxatum est) affinitate consanguinitatis propinqui erant: & sic inter eos matrimonii copula soluta est.

† Anno Incarnationis Dominicæ, M.CLIII. dimisit abbatiam Hugo Crispeiensis, quæ vno anno sine pastore fuit. Quo completo Gautfridus abbas substitutus est. Qui post duos fere annos curam pastoralem reliquit ægritudine cogente: cui successit Theobaldus.

Quo peracto Alienoris terram suam Aquitaniam celeriter requisiuit. Quam sine mora Henricus dux Nortmanniæ, qui postea in Regem Anglorum sublimatus fuit, vxorem sibi accepit: Rex autem Ludouicus duas filias quas de Alienoride susceperat, maritis desponsauit: primam, scilicet Mariam, Henrico comiti Palatino Trecensi: iuniorem vero, videlicet Aaliz, fratri eius Theobaldo comiti Blesensi.

Proinde Rex volens secundum diuinam legem viuere, quæ præcepit vt vir adhæreat vxori suæ, & sint duo in carne vna, propter spem successiuæ prolis quæ post ipsum regnum Franciæ regeret, Constantiam filiam imperatoris Hispaniæ cõiugio sibi iunxit: & Hugo Senonensis archiepiscopus, Aurelianis eam in Reginam inunxit: & cum ipsa Regem coronauit. Qui postquam per aliquod tempus pariter permanserunt, Rex genuit ex ea vnam filiam nomine Margaritam. Dispositione vero Romanæ ecclesiæ, eadem Margarita sociata fuit matrimonio Henrico, filio Henrici regis Anglorum & Alienoridis vxoris suæ: qui postea in solio regni Angliæ sublimatus fuit. Vilcassinensem autem terram dedit rex Margaritæ filiæ suæ in matrimonio: quam Henricus rex Anglorum, pater illius Henrici, ipsi immunem concesserat.

Eodem tempore, Gautfridus de Giemaco quandam filiam suam Stephano de

Ieam.
Andelam.
Tornutium.
Andelam.
Hæc verba & quædam alia desunt in exemplari manu scripto.
al. Vernonii
al. Nonnemarcheium.
Iuramentum de consanguinitate.
Omnia hæc desunt vsque ad hæc verba, Quo peracto
Rex Ludouicus Constantiã Hispanam ducit.

Sancero in vxorem dedit. Quod astuto consilio fecit: opinabatur etenim quod ipse eum ab infestatione Niuernensis comitis tutari posset. Quinetiam ipse Gautfridus, eidem filiæ suæ Giemacum in matrimonio donauit. Quod videns Herueius filius eiusdem Gautfridi, castrum quod sibi hæreditario iure contingebat, taliter donari prohibuit: quam ipsius prohibitionem pater suus irritam faciens, Stephanum de Sancero prædicto castro inuestiuit. Ea propter Herueius Regem adiit, & ei super patre suo conquestus est, eo quod ita eum exhæredabat: proclamabat etiam de Stephano, qui prædictum castrum, quod ad ipsius hæreditatem spectabat, contra suam voluntatem susceperat, atque illud sine suo assensu tenebat. Rex igitur hoc audiens (sicut semper fuit amator iuris & æqui) tantam iniuriam fieri, Herueiumque suo iure destitui diutius sustinere non potuit. Enimuero exercitu collecto, aduersus Giemacum † conuolauit: quod Stephanus de Sancero militibus munierat: sed seipsum absentauerat. Itaque Rex cum militia sua castrum viriliter assiliens, absque mora illud cepit, atq; Herueio reddidit. Quo completo vnusquisque ad propria remeauit. Deinde Rex genuit vnam filiam de Constantia Regina, quæ nominata fuit Adelaidis: in cuius partu dum laboraret, in ipsa hora diem extremum clausit: vnde Rex nimium cum omni regno suo contristatus est.

† hod. Chimay.

Regina Constantia dolore partus interiit.

Postquam vero per solatia optimatum suorum, tristitiam aliquantulum obliuioni tradidit, consilio & monitu Archiepiscoporum & Episcoporum, aliorumque sui regni Baronum, vxorem desponsare disposuit. Siquidem mente assidue habebat illud scriptum, *Quia melius est nubere quam vri*: præterea timebat ne regnum Franciæ ab hærede, qui de semine suo egrederetur, gubernari desisteret. Igitur tam saluti suæ quam protectioni reipublicæ in posterum prouidens, Alam filiam Theobaldi Palatini comitis Blesensis in matrimonium sibi asciuit. Idem Theobaldus ab hac vita iam decesserat: de cuius semine superstites erant quatuor filii, & quinque filiæ: Henricus videlicet comes Palatinus Trecensis: & Theobaldus comes Blesensis: Stephanus comes de Sancero: Willermus archiepiscopus Senonensis: ducissa Burgundiæ: comitissa Barri: vxor Vuillermi Goiet, quæ prius fuerat ducissa Apuliæ: comitissa Pertici: postremo Ala natu minima, quam Dominus noster adeo sublimauit, vt super fratres suos & sorores suas dominatum obtineret, quæ subiecta ipsis antea fuerat. Ipsa autem tam natura quam industria laudabilis extitit: Nam sapientiæ fulgore irradiauit, elegantia corporis præpolluit, munditia castitatis emicuit, & quia tot virtutum floribus decorata fuit, tanto honore meruit sublimari. Sicut enim prædictum est, serenissimo regi Ludouico maritali lege solenniter fuit sociata. Et Hugo Senonensis archiepiscopus, ad festum S. Brixii, Parrhisiis in ecclesia beatæ Mariæ virginis eam inunxit, Regemque cum ipsa coronauit: missam etiam eodem die ibidem celebrauit: Stephanus Senonensis canonicus, qui postea fuit Meldensis episcopus, Epistolam legit: & Guilhelmus Senonensis archidiaconus, postea Altissiodorensis episcopus Euangelium: Matthæus precentor Senonensis, & Albertus cantor Parrhisiensis chorum tenuerunt, & cantum in processione imposuerunt.

1. Corint. 7.

De discordia generorum Drogonis Monceiani. De schismate inter Alexandrum tertium, & Victorem seu Octauianum antipapam: quem Fredericus Imperator impie defendit, cum multo malo suo

CAP. LIV.

HIs peractis, euoluto longo temporis interuallo, crescente de die in diem malitia & inualescente cupiditate, Miulo de Petraforti, & Drogo de Merloto, qui duas filias Drogonis de Monceio vxores habebant, discordiam inter se conceperunt. Miulo namque de Petraforti Drogoni de Merloto medietatem Monceii, quæ ex matrimonio mulieris eius illi contingebat, iniuste abstulit. Vnde ille regi Ludouico querimoniam

Niuilo.

Niuilo.

moniam faciens, vt de tanta iniuria vltor esse dignaretur, suppliciter rogauit. Petitione cuius exaudita, Rex volens omnes tam fortes quam debiles æquanimiter in iustitia tenere, exercitu congregato, aduersus Monceium castrum profectus est. Quod manu belligera cepit: turremque cum omni municipio dirui fecit, & Drogoni de Merloto medietatem castri, quæ iuris illius erat restituit. Deinde paucis diebus transactis Miulo † defunctus est: vxorem cuius Rex Ingerranno de Trica maritauit: & dimidiam partem Monceii cum eadem ei coniuge ei donauit.

Niuilo.

Ea tempestate horribile schisma ortum est in Romana ecclesia. Quæ cum suo Pontifice viduata esset, diuina cooperante gratia Cardinales vnanimiter elegerunt in antistitem, bonæ memoriæ, Alexandrum tertium. Porro Victor (qui & ipse Octauianus appellatus fuit) arrogantia plenus, atque terrenis honoribus admodum inhians, sine canonica electione Romonæ ecclesiæ pontificium sibi præsumptuose voluit vsurpare. Nam clerici eius, fautores ipsius abusiuæ electionis tantummodo extiterunt: verum Cardinalium seu Episcoporum, duobus exceptis, consortio & suffragio caruit. Omnes enim tam Cardinales quam Episcopi domino Papæ Alexandro æquanimiter consenserunt. Proinde venerabilis papa Alexander ad Gallicanas partes proficiscens, apud Montem Pessulanum transmeauit. Cuius aduentum postquam ad aures domini Ludouici regis fama detulit, consilio quid super hoc faceret exquisito, memoratus Rex dominum Theobaldum abbatem sancti Germani Parrhisiensis ad ipsum destinauit. Denique negotio domini Regis peracto, cum gratia domini Papæ totiusque Romanæ curiæ remeare disposuit. Dumque in itinere regressionis esset, apud Claromontem graui molestia corporis correptus est. Ipse vero in extera regione morari diutius nolens, vt erat ægrotus, ad Vizeliacum festinauit, & in ecclesiam beatæ Mariæ Magdalenæ (in qua ab adolescentia alitus fuerat, & habitum religionis susceperat, & professionem fecerat) tertia die ante festum eius S. Mariæ venit.

De schismate Rom. ecclesia Alex. III. pa. Victor antipapa.

Alex. III. in montem Pessulanum migrat.

Anno igitur ab Incarnatione Domini MCLXII. infirmitate ingrauescente, abbas Theobaldus postridie festiuitatis sanctæ Mariæ Magdalenæ, in eadem ecclesia migrauit à seculo: in cuius locum Hugo monachus sanctæ Mariæ Vizeliacensis substitutus est. Eisdem diebus, Ludouicus Rex Alexandrum papam in pastorem cum omni regno Franciæ suscepit. Cuius rei fama circumquaque regiones peruolante, Constantinopolitanus & Hispanus Imperatores, rex Angliæ, rex Hierosolymitanus, rex Siciliæ, rex Hungariæ, omnesque reges Christianorum, sequentes regis Ludouici exemplũ, cum debita reuerentia eundem susceperunt: excepto Federico Alemanniæ Imperatore: qui consueta tyrannide furens, prædictum schismaticum Octauianum contra leges & iura manu tenuit, & omni vita illius sicut Papã eum habuit. Quo defuncto, Guidonem Cremonensem †, vnum scilicet de duobus Cardinalibus eidem schismatico adhærentibus, nefandus ille Imperator successorem eius subrogauit. Cuius inhortationibus idem Imperator Romam, vt eam perderet, profectus est: vbi maxima strages suorum non vi Romanorum, nec aliorum mortalium, sed sola diuina vltione facta est. Mirabile dictu, contigit quod Dominus super exercitum eiusdem nefandissimi Tyranni manum vltionis extendens, per aeris corruptionem feruentem, pluuiam super ipsos effudit: vnde infinita multitudo tam militum quam peditum inexpugnabili gladio diuinæ virtutis perculsi, morte miserabili vitam finierunt. Inter quos filius Conradi imperatoris interiit, & Rainaldus Coloniensis archiepiscopus: cuius corpus frustatim diuisum, & in feruenti aqua decoctum saleque conditum Coloniam vsque sui deportauerunt. Imperator vero præ timore flagelli diuini ab eadem obsidione recedens, in Tusciam fugitiuus peruenit. Vnde egrediens, & Lombardiam pertransiens, ab incolis eiusdem regionis viriliter fugatus ad Susam festinauit. Exinde cum paucis sociis furtiue fugiens Alpes transmeauit. Siquidem amissa multitudine in eadem obsidione Episcoporum & Baronum suorum, ita perterritus & confusus extitit, vt vlterius ibi morari non audens, miserabili fuga Alemanniam repetiuerit.

Alex. III. ab Ludouico rege suscipitur, & fere à cæteris regibus.

Octauianus seu Victor à Federico suscipitur.

Cremonensem. Guido Cremonensis Antipapa.

De grassatoribus & persecutoribus Ecclesiarum & pauperum ab Ludouico subactis: & pace Ecclesiis & monachis per eum non semel restituta

CAP. LV.

QVoniam in dies crescit malitia, regiam celsitudinem decet regno prouidere, & ab impugnatoribus subiectos sibi protegere. Nisi enim regia potestas protectioni reipublicę attentius insisteret, fortiores vltra modum impotentes opprimerent. Quod etiam eodem tempore contigisse vera enarratione manifestum est. Nam Claromontensis comes, & nepos eius comes Podiensis Guilhelmus, atque vicecomes de Polinaco, instinctu Diaboli exagitati, rapinis miseram vitam agere consueuerant: depopulabantur etenim Ecclesias, peregrinos impediebant, pauperes opprimebant. Quorum eorum tyrannidem Claromontensis & Podiensis episcopus, & Abbates prouinciæ illius diutius sustinere non valentes, quoniam ipsis resistendi per se vel per suos vim non habebant, prudenti vsi consilio regem Ludouicum adierunt: cui querelam super eisdem tyrannis deponentes, crudeles Ecclesiis illatas iniurias insinuauerunt, & eum piissimis precibus ad vindictam pauperum & captiuorum exhortati sunt. Vnde piissimus Rex audita Tyrannorum prædicta nequitia, sine mora congregauit exercitum, & in virga vltionis, ad quam non erat difficilis, aduersus illos aduersarios militauit. Cum quibus manu belligera congrediens (factum regia maiestate dignum) in ore gladii eos expugnauit: & expugnatos cepit: captos etiam secum abduxit: quos captiuos tamdiu tenuit, quoadusque firma fide promiserunt, quod ab inquietatione Ecclesiarum, pauperum & peregrinorum deinceps perpetuo cessarent. Expleto hoc insigni opere, non longo tempore post, quoddam exsecrabile factum & nostris temporibus inauditum, per diuersas regiones circumquaque diuulgatum est. Etenim Guilhelmus comes Cabillonensis, Diaboli vestigia sequens, qui Dominum tentare præsumpsit, ecclesiam Cluniacensem atrociter persequebatur. Ipse siquidem infinitos prædones, vulgo dictos *Brabantiones* †, qui nec Deum diligunt nec viam veritatis cognoscere volunt, ad crudelitatem suæ tyrannidis explendam colligens, sceleratis satellitibus fretus aduersus prædictam Ecclesiam, vt eam deprædaretur, prædo profectus est. Monachi vero in eadem ecclesia Deo seruientes, non ferro aut clypeo protecti, sed solum diuinis armis & ecclesiasticis vestimentis induti, cum Sanctorum reliquiis & crucibus Tyranno obuiam cum magna multitudine populi processerunt. Illa autem satellitum prædictorū pessima turba, monachos sacris vestimentis spoliauerunt: & more ferarum, quæ fame [illegible] ad cadauera concurrunt, quingentos & eo amplius burgensium Cluniacensium, atrociter sicut oues mactauerunt. Fama vero illius inauditi sceleris diuersas regiones circumlustrans, ad notitiam piissimi regis Ludouici peruenit: qui tantum flagitium in sanctam Ecclesiam grauissime ferens, ad vltionem nefandissimæ cladis exurgendum feruore sancti Spiritus animatus est. Quid plura? bellicosorum Francigenarum fortissimas phalanges ad se regali edicto conuocauit. Quibus fultus, aduersus prædictum Tyrannum, ad eius exterminationem festinauit. Idem autem nequissimus comes Cabillonensis cognito Regis aduentu, præsentiam ipsius non audens expectare, relicta terra sua profugus abiit. Dum vero Rex gressu concito per partes Cluniacensis prouinciæ transmearet, mulieres viris suis viduatæ, virgines & nati parentibus [illegible] ei processerunt. Cuius pedibus prouoluti, flentes & eiulantes lugubri clamore [illegible] suas ei ostenderunt: & piissimis precibus Regiam maiestatem exorantes, [illegible] consilii & auxilii misericorditer porrigeret, piissimum Regem [illegible] eorum calamitatibus fere vsq; ad lachrymas compatientes, magis [illegible] perditionem sceleratæ gentis animauêre. Nec mirum, videres enim ibi [illegible] pendentes ad vbera matrum: virgunculas plorantes, & paterno solatio [illegible] miserabiliter clamantes. Audires totum aërem vagitibus infantum [illegible]. Ne longius verba protrahantur, Rex propositum peragere satagens, cum exercitu

Gall. Brabanons.

exercitu ſuo terram nefandi comitis Cabillonenſis nullo præpeditus obſtaculo audacter intrauit: atque Cabillonenſem ciuitatem & montem ſancti Vincentii, inſuper omnem illius Tyranni terram in ore gladii perdomitam, cepit: & eiuſdem terræ mediam partem duci Burgundiæ donauit: reliquam partem comiti Niuernenſi contradidit. Quoſcunque autem ex ſupradictis Brabantionibus, diuinam voluntatem contemnentibus Diabolique ſequacibus, capere potuit, in vindictam Eccleſiæ Dei furcis ſuſpendi fecit. Quorum vnus vitam ſuam redimere infinita pecunia volens, non impetrauit, ſed eadem pœna plexus eſt. Peracta denique condigna vltione, nefandiſſimæ ſtragis & perſecutionis, quæ ſanctæ Dei eccleſiæ Cluniacenſi inferebatur, Rex tanto potitus trophæo cum gaudio remeauit. Igitur quia regiæ maieſtati congruit, Eccleſias Dei contra quoslibet perſecutores protectionis clypeo defenſare, benigniſſimus Rex nolens eas, iuſtitia per negligentiam ſuam deficiente, à raptoribus deuaſtari, egregie vindicatis Cluniacenſis eccleſiæ iniuriis, Vizeliacenſem nihilominus eccleſiam ab impugnationibus aduerſariorum liberauit. Contigit enim quod Vizeliacenſes burgenſes communiam † inter ſe facientes, aduerſus dominum ſuum Abbatem & monachos ſuperbia inflati inſurrexerunt, eoſq; diutiſſime infeſtatione maxima afflixerunt. Communiter ſiquidem coniurauerant, *Quod Eccleſiæ dominio vlterius non ſubiacerent.* Quod quidem aſſenſu & conſilio comitis Niuernenſis fecerant: qui eidem Eccleſiæ aduerſabatur. Abbas vero & Monachi acerrimis infeſtationibus Burgenſium coacti, turres monaſterii ad ſuam defenſionem munierunt: quos de foris Burgenſes pluuia ſagittarum & immiſſione balliſtarum aſſidue perurgebant: & tandiu incluſos armata manu tenuerunt, vt carentes panis edulio: tantummodo carnibus vitam ſuam ſuſtentarent, pars quoque monachorum excubiis noctis inſiſtebat: pars laſſata membra ſopore aliquantulum recreabat. Cumque tanta vexatione coarctarentur, Abbas videns quod iniqui homines ab impietate ſua nullatenus deſiſtentes, magis ac magis eos aſſiliebant, per quorundam amicorum ſuorum conductum clam monaſterium exiuit: & regem Ludouicum Corbeiæ demorantem celeriter adiit. Cui querelam ſuã deponens, ſuper iniuſta inquietatione Vizeliacenſis communiæ ei proclamauit. Quo per inſinuationem Abbatis agnito, Rex ſemper promptus ad Eccleſiarum protectionem, Lingonenſem epiſcopum ad comitem Niuernenſem, qui prædictam communiam manutenebat, deſtinauit: & mandauit ei vt pacem Eccleſiæ reformaret, & communiam diſſipari faceret. Comes vero regio mandato obtemperare negligens, in ſua peruerſitate homines Viceliacenſes perdurare non prohibuit. Cuius contumacia auribus Regis relata, ipſe tantam indignationem comprimere digne cogitans, exercitum congregauit. Quo adunato, aduerſus prædictum comitem equitabat. Quod ille audiens epiſcopum Autiſſiodorenſem ad Regem dirigens, mandauit ei quod ſecundum ſuam voluntatem de prædicta communia faceret. Deinde ipſe apud caſtrum Moretum Regi obuiam veniens, ei fiduciauit, quod communiæ deinceps non conſentiret: ſed eam penitus diſſiparet. Vnde Rex fiducia comitis accepta, quod exercitu dimiſſo, Autiſſiodorum cum eodem comite venit: vbi Vizeliacenſes Burgenſes conuocati, iuramento affirmauerunt, quod ad voluntatem Pontii abbatis ſucceſſorumque eius ſe haberent, communiamque relinquerent, & ad eam deinceps non iterarent. Proinde, Regis decreto, iidem Burgenſes Pontio abbati quadraginta millia ſolidorum donauerunt: & ita pax Eccleſiæ reſtituta eſt. Expleto deinde paucorum annorum curriculo, Vuilhelmus comes Niuernenſis eidem Eccleſiæ aduerſari cœpit. Nam quaſdam indebitas conſuetudines in ea clamabat: quas Wilhelmus abbas Vizeliacenſis & monachi ſe debere ei inficiabantur. Vnde comes, poſtpoſita Dei reuerentia, monachis alimenta ſubtraxit. Illi autem victualibus carentes regem Ludouicum pedeſtres adierunt, & ei Parrhiſiis occurrentes, ſolo tenus proſtrati lachrymis obortis querelam ſuam ſuper iniuriis à præfato Comite ſibi illatis ei depoſuerunt. Idcirco Rex compatiens monachis lachrymabiliter conquerentibus, Vizeliacenſi eccleſiæ firmiſſimam pacem reſtitui fecit.

Cabillonenſe territorium vaſtatur & vicinis donatur.

i. ligam, factionem.

De præmio à Deo ob tanta merita Ludouico collato, vtpote Philippo filio: de cuius generatione, natiuitate & regeneratione agitur hoc capite vltimo

CAP. LVI.

Philippus gignitur. 1165.

IGitur propter hæc & alia multa opera iustitiæ, quæ piissimus rex Ludouicus prædictæ Ecclesiæ, & pluribus aliis intuitu Diuinæ maiestatis exhibuit, necnon propter vltionem, quam in hostes Cluniacensis ecclesiæ & plurium aliarum Ecclesiarum multoties exercuit, diuina bonitas tot bonorum operum remunerationem condignam ei contulit. Rex enim diuinæ gratia largitatis ex Ala nobilissima regina vnum filium genuit. Anno Incarnationis Dominicæ M C L X V. sabbato in octaua assumptionis B. Mariæ virginis, nocte dum matutina synaxis celebraretur, hæc nobilissima proles processit ad ortum. Cuius natiuitatis gaudium deferens nuntius, ad sanctum Germanum de Pratis veniens, hos felices rumores enarrauit hora eadem qua monachi incipiebant cantare Propheticum canticum, *Benedictus Dominus Deus Israel*, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Quod diuino oraculo contigisse manifestis indiciis coniici potest. Fama vero tam desideratæ prolis circumquaque percurrens, omnes Francigenas maximo gaudio expleuit. Quippe qui successionem masculini sexus, de semine Regis Ludouici procedentem diu multumque desiderauerant, qui post gloriosi patris decessum, solium regiæ maiestatis obtineret. Quod desiderium attulit eis Dominus: nec sunt fraudati à desiderio suo. Itaque regia prole exorta, postridie ortus sui, hoc est die Dominica, pater eius rex Ludouicus filium suum baptismatis sacramento confirmari fecit: Ad quod exequendum Mauritius Parrhisiensis episcopus, mandato Regis, sacerdotalibus vestimentis se induit & regiam sobolem in ecclesia sancti Michaelis de platea solenniter baptismate regenerauit. Hugo etiam Abbas sancti Germani Parrhisiensis patrinus puerum super fontem baptismatis in vlnis suis tenuit: Herueus quoque abbas sancti Victoris, & Odo quondam abbas sanctæ Genouefæ patrini extiterunt: Constantia soror regis Ludouici, vxor Reimundi comitis sancti Egidii, & duæ viduæ Parrhisienses matrinæ extiterunt: qui vocatus fuit Philippus.

FINIS ANNALIVM FRANCORVM REGVM AD NAtiuitatem Philippi Augusti, qui in catalogo Regum quadragesimus primus recensetur: collectarum magna quidem ex parte ab Aimoino monacho.

MICHA-

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI

De Regibus Francorum libri III.

MICHAELI RITIO PATRICIO NEAPOLITANO Ciuilis & Pontificii iuris consultissimo, sacrosancti potentissimique Gallorum regis à consilio A. Ianus Parrhasius S. P. D.



ETIS à me vir ornatissime, quid de tuis lucubrationibus in patria histo-
ria sentiam. Simplicis & aperti ingenii sum. proinde iudicium meum pau-
cis habeto. Consilium tibi non fuit (vt video) pigmentis ab arte quæsitis,
rerum gestarum seriem narrare, quum vires alioquin abunde suppeterent, sed
ab aliis effuse sparsimque traditam, velut in corpusculum continue digestum
colligere, vt eam cognoscere volentibus absit inquirendi labor. Equidem non
hoc abs te solum satis superque præstitum, sed aliquid etiam plus affirmare
non dubitem. Nam præterquam quod ad compendium parata sunt, & ex fide recitantur omnia. si
quis intelligit mutari cum temporibus formas & genera dicendi, neq. stylum præsentis notæ fastidit,
inde etiam tibi laudem facile concedit. Est enim purus, candidus, illaboratus, & qui tuam quodam-
modo nobilitatem præseferat, vt nuper Ampliss. patres attoniti prædicauerunt, dum causam nostri
Regis apud Pontificem Max. legatus orares. Vtinam cæteris ordinis tui, in antiquis & potioribus
æmulandis idem studii foret, profecto ius ciuile tanta scribiligine, Romanæque linguæ dehonesta-
mentis inquinatum non esset. O vere felicem Campaniam, si nostrarum partium rebus ex voto
successis, ei contigisset abs te diutius administrari. Non enim magis Athenæ Solonis, aut Sparta Ly-
curgi consilio, quam nostra Respub. tuo floruisset. Iniqua me hercule sors hominibus nostris inuidit, o-
pesq; aliarum per te gentium, quam nostras augeri maluit. At illud in eius potestate non fuit, auferre,
quin absens diu noctuque cogites, vt ab impotenti dominatu natale solum possis eximere, & dum
pro temporum conditione quiescis, qua licet optimi ciuis consilio fungaris, eiusque memoriam vin-
dices ab interitu, quod nescio an maius putandum sit, quam à violentissima tyrannide, sub imperi-
um iusti regis asserere. quod beneficium tibi patria bis acceptum refert. quum præstet æternitati
famæque perpetuo mansuræ, quam vnius ætatis ocio consulere. Non est ergo quod Epitomen
tuam supprimas, quæ multum notitiæ studiosis allatura, patriæ tibique nomen immor-
tale pariet. Vale decus nostri soli. Mediolani, Kalendis Octobris,
Millesimi quingentesimi quinti.

GVIDONI MAGNO FRANCIÆ CANCELLARIO, SVMMI SPLENDORIS equiti, iuris humani diuinique Consultiss. Michael Ritius Neapolitanus iurisconsultus, & sacrosancti potentissimique Gallorum regis à consilio felicitatem.



VVM nuper à patria profugus iniquitate temporum, plus ocii nactus essem quam velim, cœpissemque Romæ mecum metipse cogitare, cur olim felix illa Campania nunc extreme misera, Campaniæque fines attributi, diu multumque exterarum gentium bellis atterantur, vnde Gallis Hispanisque & Pannonibus, interim Germanis, acerrimi certaminis harena quædam fuerit, vtrum soli bonitate & fato hoc acciderit, vt ab re non fingantur inde gigantes editi, vel alia de causa, quæ sit in obscuro, veteres historias excussi, si quæ præsertim Regum stemmata, gradusque cognationis exequuntur, vt quo quisque iure contenderit, inuenirem. Quumque res ob ingentem voluminum (quod te non fugit) enormitatem præter quam quod lectu laboriosa, vix animo certe complecti posse videretur, operæpretium facturum putaui, si quis ad concinnum breuiarium, compendiosamque redigeret epitomen. Itaque probato consilio, prouinciam mihi capessendam ratus, enixe studui, nihil non ex fide tradere. Sicubi variant opiniones, aut vacillat historia, in iis publicam, receptioremque sententiam sum secutus, vt si quando te vel ordinis tui cæteros, quibus aut nunquam, aut raro datur à grauissimis Reipubl. curis aliqua remissio, eadem cognoscendi libido incesset, longas rerum ambages indagare necesse non habeant, sed exiguo labore voti compotes animum leuent. Quoniam vero nostri Reges à Francorum Hispanorumque regia antiquitus habent originem, seque Hierosolymorum reges appellant & Vngariæ, paulo altius ab ipsis incunabulis, institutioneque vtriusque gentis regum repetendum existimaui, & ab iis ad Hierosolimitanos, indeque ad reges Neapolis & Vngariæ stilum conuertere. Quas nostras lucubratiunculas, cui potius nuncuparem quam tibi, quem nihil æque delectat, ac res à maioribus bene fortiterque gestas, euentusque & varios eorum casus cogitatione repetere, exemplo Macedonis Alexandri, qui quom perlustraret Ilium, citharaque Paridis visenda offerretur, Achillis inquit mallem, qua ille Heroum pulcherrima facta canere solitus est. Maxime (quæ tua est humanitas) quom me summo prosequaris affectu, cupiamque posteris hoc exiguo licet munere testatum, quam obnoxius amplitudini virtutique sim tuæ, teque non magis hæc animo facilis amici, quam censoris acri iudicio lecturum confidam. Quod, vt alii quoque faciant etiam atque etiam petimus. Itaque vir ornatissime rem per se modicam compensabis (vt nostra soles) egregia voluntate, quam in me nunquam desiderabis. Vale ex vrbe Roma Calendis Octobris M D V.

D. MICHA-

D. MICHAELIS RITII, DE REGIBVS FRANCORVM

Liber Primvs.

Galli. GALLOS esse, quos aiunt Græci Galatas, inter omnes fere constat à Galato, quem Polyphemus ex Galatæa suscepit, vt autumat Appianus. Hos in tris gentes vt finibus ita vocabulis etiam discretas, partitus est Cæsar, Aquitanos, Belgas & Celtas, à Celto Herculis filio Steropesque, eius quam genuit Atlas, appellationem sortitos. Sunt qui dicant euersa Troia partem incolarum Duce Francone ex Hectore genito, sedes ad Mæotim cœpisse in finibus *Franco.* Alanorum, conditaque vrbe Sycambria Francos à nomine ducis esse dictos. *Sycambria.* Equidem quamquam scio Homerum non plures vno Scamandro, vel (vt alii vocabant) Astyanacte liberos Hectori tribuisse, nec Anaxicratem, nec Euripidem, quorum alter Argolicorum secundo, alter in Andromacha, nothos Hectori filios editos afferunt ex pellicibus, vsquam Franconis meminisse: quia tamen hæc venia datur, antiquitati cõsecrari origines suas, & ad ipsos etiam deos nedum Heroas referre, quo primordia suę gentis augustiora faciant (vt Liuius autor est) id nec affirmare, nec refellere in animo est: Ouidio præsertim non nihil astipulante, per hæc,

Ingeniique sui dictus cognomine Largus
Gallica qui Phrygium duxit in arua senem.

Tamen apud eum quidam non à Gallis arua Gallica accipiunt, sed ab amne Phrygiæ Gallo, cuius aquæ potu, mentem loco moueri testis est Plinius. *Gallus.* Parthenius Phocensis historiarum primo, Franci Gallica gens inquit, Alpium montes accolunt, aliud *Franci.* præterea nihil. Appellationis causam nonnulli putant immunitatem stipendiorum, quibus ab imperatore Valentiniano leuati sunt in decennium. Quidam Francos quasi feroces domitis Alanis interpretantur. Ii post à Sycambria ab ipso Cæsare pulsi, quod vsurpata diutius quam concesserat immunitate, tributa penitus abnegarent, assumptis ex sua nobilitate Marcomiro, Suimone, & Genebaudo ducibus ad Rhenum consederunt. Ibi constituto oppido Francofordiæ nomen indiderunt. In Gallia primum potiti sunt vrbe Treuerorum, Lucio Romano præfecto dedente. Sed partim eorum præsenti fortuna non contenti, quærendis nouis sedibus egressi, ad Sequanæ ripas errore vagi perueniunt, ibique amœnitate locorum capti consistunt, administratione rerum *Marcomirus.* permissa Marcomiro, quem summopere celebrabant & colebant, opinione vulgata, quod Priami sanguine propagatus esset.

Faramundus. Eius deinde filium nomine Faramundum omnium apud se primum ad regium fastigium prouehunt, is imperauit annis vndecim. *Clodius capillatus.* Vita functo successit Clodius ex eo genitus, à promisso capillo cognomento capillatus; prosperisq; præliis proximas nationes subegit, Tungros, Tornacenses, & Cameracenses, nullaque ex se relicta sobole, vigesimo ex quo regnare cœpit anno diem clausit.

Meroeus. In eius locum sufficitur à stirpe Clodio propior Meroeus, quem pro Romanis aduersus Hunnos & Visogotos in campo Catalaunico pugnantem occubuisse constans fama est.

Childericus. Paternum decus Childericus accepit, qui secunda fortuna ad superbiam luxumq; prolapsus, ob impotentiam dominandi pulsus, ac rursus Guinomadi gentis suæ principis, *Guinomadus.* in cuius fidem confugerat, opibus, & factione reuocatus, Gillonem Romanum *Gillo.* qui Suessionibus præerat, æquo Marte superat, Aurelianenses & Andegauos in ditionem redigit, annis quatuor & viginti rex exiuit hominem.

Clodoueus. Crotildis. Gondebaldus. Excepit imperium, Clodoueus Childerico patre natus, qui Remos & Suesiones in potestatem redegit in vxorem ducta Crotilde, cuius erat patruus Gondebaldus Burgundionum rex, susceptos ex ea liberos Christiani dogmatis esse passus est, quo mater eos imbuerat, quamuis ipsa perstaret in maiorum ceremoniis, inuidiose causatus Crotildi iratis diis ob neglectum eorum cultum, alterum eius filium ab humanis exemptum, alterius morbo impliciti in dubio vitam esse. Sed vbi puer à matre suscepto voto conualuit, ipseque Clodoueus Germanos ancipiti prælio superauit, in vxoris religionem concessit, ac à Remigio Remensi Pontifice ex aqua lustratus, oleo quod à columba cœlitus allatum rumor est, vngitur, ex eoque mos durat, vt Francorum reges quom diadema atque honoris insignia accipiunt, eo tingantur. Itaque Clodoueus accepto vero Dei cultu, Burgundiones Aquitanosque & Gotos bello domuit. Et Tolosanos imposito præsidio retinuit in potestate, Burgondiam Gendebaldo concessit, vxoris eius patruo, soceriq; fratri Germano, grandi prius ab eo accepta pecunia quam pepigerat. *Oleum cœlitus demissum.*

Eo vita functo regnum quatuor in parteis est diuisum, inter eius filios. Ex iis *Theodericus Clodomiris. Chilbertus.* Theodericus Metenses, Clodomiris Aurelianenses, Clotarius Suesiones, Chilbertus Parhisios est sortitus. Clodomiris instigante Crotilde bellum suscepit in Burgondiones, & Gendebaldum qui Crotildis parentes è medio sustulerat, eius auum atq; auiam maternam, regnoq; incubabat, ad ipsam Crotildem iure gentium spectanti, quę muliebriter ardens vlciscendi, regnandique cupiditate, filium concitauit in Gendebaldum. *Chlodomiris* Clodomiri magno constitit matri paruisse, exercitu namq; ducto in Burgondiones, in acie fortiter dimicans occubuit, victoriam suis reliquit, & tres filios Theobaldum, Gonterum, & Clodoardum.

Chilbertus. Chilbertus Parhisiorum rex vnus ex Chlodouei filiis in Almaricum Hispaniæ regē, pia de causa bellū suscipit. Erat Almarico nupta Chilberti soror impollutę religionis & veri cultus obseruātissima, quę quom nullis aut precibus, aut minis, ad Arrhianæ sectę pręstigias, quib. vir erat imbutus, traduci posset, ab eo cōtumeliose tractabatur. Eius iniuriis motus frater inito prælio victor, Hispanos adusq; Toleti fines imperata facere compulit. absq; prole vndequinquagesimo sui principatus anno diem clausit.

Theodoricus. Theodericus is, qui Metensibus imperabat, & Clotarius qui Suesionibus, ex iis quos dixi fratribus supererant, qui regno Clodomiris inhiantes, ausi rem barbaræ crudelitatis, accitos ad se fratris filios ab auia Crotilde, quæ Parrisiis eos educabat, ex iis duos *Clodoardus.* Theobaldum, Gonterumque fœde necant Aureliis. Clodoardus à cæde elapsus ad aram confugit inspoliati fani, quod Asylū vocant. ibi quoad vixit præcipuo studio, sanctissimeq; nomen loci coluit. vnde post obitum consecratus, & inter diuos relatus est. *Asylum.* Theodoricus (ita auariciā immanemq; eius ambitionem vlciscente fato) sine liberis ad manes Erebi raptus est. Vnde regia, quā in quatuor veluti mēbra discerpserant, in vnū *Clotarius.* corpus, pristinamq; formā redacta, Clotarius potitus, vnoq; & quinquaginta cum regnasset annis, morte obita, apud Suesionem conditus est. Eius autem filios exemplum patris ad omne facinus impellebat. Itaq; quom diu bonis & malis artibus occupare paternum soliū pro se quisq; certasset, & consilia non succederent, in quatuor & ipsi par- *Theobertus.* tes, vt cōuenerat ex numero sui regnum diuiserunt. Theoberto natu maximo Parhisii, Gontranno Aurelii, Sigisberto Metenses, Chilperico Suesiones obtigerunt. Theober- *Antibertus.* tus, vel (vt alii vocant) Antibertus omni muliere corruptior, & ad libidinem solutissimus, in complexu pellicum mature decessit, ex illo multiplici coniugio non plus vno *Sigisbertus.* suscepto filio, qui patrem continuo secutus est. Sigisbertus incautum Chilpericū fratrem quom subito bello opprimere tentasset, immissis percussoribus extinctus est. Nā *Chilpericus.* quom Chilpericus obsessus à fratre Tornaci, quo se ex fuga receperat, reb. suis parum *Fredegonda.* fideret, Athanaidis Hispaniæ regis filia Fredegonda quam dimissa priore eius vxore Galfonda superduxerat, in eadem cum viro fortuna, rem non muliebrem cogitauit: duos audacis, & ad omnia parati iuuenes animi comparat, oneratosque promissorum spe & præsenti largitione, in hostium castra submittit. ii Sigisbertum improuide agentem adorti interimunt, ex quo regnare cœpit anno decimoquarto, superstite filio Childeberto, quem susceperat ex Bronchilde filia Athanaidis Hispaniæ regis, quo patre natam Fredegondam demōstrauimus. Childebertū amisso patre bona regni parte à Chil-

Gontrannus

à Chilperico spoliatum, Gontrannus Aurelianensium rex alter eius patruus, qui liberis carebat, in spem successionis adoptauit. Orta mox inter eos, Theodorici Massiliensis episcopi causa, graui dissensione, Gontrannus adoptionem reuocauit: inde Childebertus in gratiam cum Chilperico reuersus, vterq; paribus auspiciis in Gõtrannũ ducit exercitum: demũ rebus æqua cõditione compositis, lapsus in insidias quom noctu rediret a venatione, Chilpericus à Landerico obtruncatur in saltu quodam, Fredegõdæ coniugis abominãdo scelere quæ cũ Landerico cõsueuerat, & viro præposuit adulterum. Clotarius Chilperico patri superfuit. Gontrannus iterum Childeberto conciliatus, quom triginta regnasset annis, moriens eum scripsit hæredem.

Childebertus.

Childebertus itaque cognomento Iunior, haud ita multo post haustu veneni periit vna cum coniuge, superstitibus filiis Theodeberto natu maiore, qui Metensibus imperauit, appellatus Anstasia, ac Theodorico Burgundionũ rege, matreq; ipsius Childeberti Bronchilde.

Clotarius.

Childebertus ergo cum patruele Clotario stationem regni tenuit octauam, quo mortuo rerum summa penes vnum Clotarium fuit, is tamen assumpsit in partem principatus ipsius Childeberti filios.

Bronchildis.

Quomq; Bronchildis auiæ fallacibus artificiis inculcatum Theodeberto & Theoderico fratribus esset, vt generis consortium ferro discinderent, orto inter eos bello apud oppidũ Tullum, quod tunc ædificabatur, inito certamine in Theodericũ inclinãte fortuna, Theodebertus saluti suæ fuga cõsuluit: qua nunciata, Theodericus omnia igni, ferroq; populatur hostiliter, nec ante finẽ fecit, quam Theodeberti populares & socii stipendiarii, accepta conditione recisum regis sui caput Theoderico attulerunt. atq; hunc in modũ Metenses in ditionẽ Theoderici concesserũt: abductis inde Theodeberti liberis, & in iis exuberãti pulchritudine puella. mares in eius conspectũ deductos, efferato mulier animo, Bronchildis eorũ proauia iugulauit. ipsam puellã, quom Theodericus matrimonio sibi destinasset, intercedẽte Bronchilde, quæ nefas esse cõtenderet, neq; per leges licere fratris filiã ducere, ira percitus, & mulieris incõstantiã minime ferens: illa autore bellũ contra fratrẽ suscepisse, quod affirmaret eum non ex eodem patre, sed adulterio conceptũ: nunc eum ipsum fratrem Germanũ, quo nuptias impediat, asserere: acri conuicio ab se reiecit, ægreq; ab eius pernicie temperauit. Ferox itaq; fœmina ad multo ante præcogitatum reuoluta facinus, venenum diluit: extinctoq; Theoderico, parricidiũ parricidio cumulat. Eo pacto Franciæ totius imperiũ redigitur ad vnũ Clotariũ Chilperici Suessionum regis, & Fredegondæ filiũ, aduersum tendente Bronchilde, quæ Sigibertũ Theodeberti ex pellice (vt aiebat) filium paterno regno sufficiendum enixe curabat. eam rem principes & optimi quique aduersati, Clotario portas aperiunt, in aciem progressum Sigisbertum, Clotarius superat, eumq; cum Bronchilde viuum capit. Constituto iam regno, tot impiarum cædiũ pœnas à Bronchilde sumpsit, muliere non vna tantum simpliciq; morte digna, multisq; rebus præclare gestis, in tanto regni fastigio quadraginta quatuor exactis annis, excessit ab humanis. Ex asse instituto hærede Dagoberto filio, quẽ prior eius vxor Engeldruda pepererat, excepta Aquitania quam Ariberto ex altera coniuge nato reliquit.

Theodeberti fuga

Cades.

Metenses Theoderici.

Bronchildis crudelitas.

Clotarius.

Bronchildis cades.

Dagobertus.

Aribertus.

Aribertus Aquitãnia potitus, apud Tholosam non ita multo post obiit, vnico superstite filio, qui mature patrẽ secutus est. Itaq; & Aquitania ad ipsum Dagobertũ rediit.

Dagobertus.

Hic est ille Dagobertus, qui diui Dionysii templum condidit, in eoq; cineres ipsius Dionysii, sociorumq; eius Rustici & Eleutherii cum magna religione & ornamento posuit. Tandem mortuus ibi condi voluit.

Ludouicus.

A Dagoberto res ad Ludouicum cessit, eius ex Martilde filium, quam Dagobertus amissa priore coniuge superduxerat. Is ex iusta matrefamilias editus, omni regno potitus est, præterquã Normannia, vel (vt alii vocant) Neustria. quã Sigisbertus ex Ranguetruda patris pellice natus permissu eius obtinuit. Ludouicus autem nulla re memorabili gesta per annos sexdecim quibus imperauit, inglorius ab humanis excessit, ex Batilde vxore natione Saxonia Clotario, Childerico & Theoderico superstitibus liberis.

Clotarius.

Theodoricus.

Clotarius qui ætatis priuilegio patri successerat, exinde anno quarto migrauit è vita. Franci Theodoricũ natu minimũ in regnum recipiunt, quod ei retinendo potior

visus esset, ablegantq; in Austriam Childericum. quomq; Theodoricus ignauiæ deditus, adeundi salutandiq; sui copiam plebi non faceret, nisi Kalendis tantum Maiis, eoque tempore muneribus vltro citroque missitandis occuparetur, & regnum per alios administraret, hanc indignitatem proceres haudquaquam tulerunt. itaque Theodoricum & Ebroinum præfectum prætorio compellunt in claustra collegii Monachorum.

Childericus. Childericus ex Austria accitus ad regnum venit.

Qui cum barbare sæuiret in suos, & quendã illustri loco natum palo religatũ fustib. cædi iussisset, adeo omnium animos rei mouit atrocitas, vt is, in quẽ Childericus animaduerterat, haud parum multos inueniret, qui secum contra salutem tyranni coniurarent. Itaque redeuntem à venatione excipiunt insidiis, & simul cum Vlcide vxore grauida obtruncant. vnde necesse fuit ad Theodoricũm confugere, quem intra septa Cœnobii compulsum diximus.

Per idem tempus inertia regum prætorio præfectus à rege proximam dignitatem obtinebat, ad quam potentissimi quiq; Francorum summa contentione nitebantur, &

Pipinus. Pipinus ex Austria profectus, is cui pusilli cognomen à breuitate corporis inditum, per varios casus est euectus. inde Theodoricus è vita migrat, vndeuigesimo ex quo regnare

Clodoueus. cœpit anno. Clodoueus in patris locum subrogatus, tertio post anno naturæ concessit, Childeberto fratri relicto regno.

Childebertus. Childebertus huius nominis tertius, & in regia decimusquintus, in rebus humanis haud diu fuit. Superstiteque Dagoberto filio, moritur.

Dagobertus. Dagoberti principatu varii bellorum motus inter regni proceres extiterunt. quom quisq; sibi præfecturã, de qua diximus, affectaret: & in hunc, aut illũ varius esset hominum fauor. Aliquandiu Dagobertus imperii gubernacula retinuerat, omniaq; agebat ex arbitrio Pleutrudis vxoris, & Pipini Theodoaldiq; præfecti, in quorum tutela rex erat, quom Theodobaldus haud incruenta faciliq; victoria ab honore deiicitur. in eius locum suffecto Rangefredo, nec ita multo post exuit hominem Dagobertus absq; prole. Et iam regium genus à stirpe defecerat. Igitur optimates sacerdotem quendam no-

Daniel sacerdos rex fit mine Danielem, cuius ingens apud eos erat opinio, primum prætorianis imponunt, & palatio præficiunt, expectato quo ad profanum in modum capillum, barbamque promitteret. Quom iam tum sacris inaugurati, tradito vel ab Ægyptiis, vel à Iudæis more caput haberent, vt hac etiam ætate, semirasum: barbamq; diuini libi gratia non nutrirent, contrario profanorum more. Quare tonsu habituque mutato, è præfectura ad

Chilpericus. Regale fastigium profectus, pro Daniele Chilpericus appellatur.

Martellus. Per eosdem dies Martellus Pipini filius, effracto carcere, laxatisq; vinculis, in quæ cõiectus à Pleutrude nouerca fuerat, raptim sumptis armis ad afferendã palatii præfecturã quam pater obtinuerat, aduolat. Egressis obuiã Chilperico rege & Rangefredo, qui tum prætorianis impositus erat, ancipiti diu victoria pugnatũ, donec Martellus in fugã versus est. Sed aucto mox exercitu rediit, ac vtrunq; regni finib. exegit. Ipse Chilpericus in fidẽ Cudonis Vasconum principis & socii cõfugit. Rangefredus se recepit in Andegauiã, quẽ Martellus in potestatẽ redactum dimisit. Oppidũ præterea quoddã habendũ cõcessit vbi imperaret, assumptaq; hęreditario iure debita sibi pręfectura, Chilpericum restituit in regnum. Nouus inde rex principum suffragio creatur, adni-

Childericus Theodoricus tente Martello pręrorii præfecto, quidã Childericus vel (vt ab aliis appellatum repperi) Theodoricus Dagoberti filius eius nominis vltimi, quẽ speciose iactabant apud sacras virgines oppidi Calensis educatum. Tota tamẽ imperii summa Martellum penes erat.

Martelli facinora. Is & Sueuos, & Hispaniæ regẽ cui nomen Abdimaro, iusto prælio superauit. Burgundiã & Pictauium recepit ab Abdimaro occupatas vrbes, quomq; per annos xxv. Francorum rem feliciter administrasset, obita morte ad ædẽ Dionysii conditus est in Mau-

Carlomannus. soleo, quod etiam nunc ex Alabastro visitur, ante distributo liberis imperio. Carlomãno concessit Austrasiam, Sueuiam, Alamanniam, & Lotoringiam. Pipinum prætorianis imposuit, & Gallis qui sui iuris erant, Gryphonem natu minimum testamento præteriit. Carlomannus multis, magnisque rebus fortiter & præclare gestis, in facietatem versa gloria, secessit in cœnobium quod ipse constituerat ad Soracte, ibique religioni, diuinoque cultui mancipatus aliquandiu vixit. demum quietioris vitæ desiderio migrauit in montem Casinum, omni rerum cura Pipino fratri relicta.

Pipinus

Pipinus. Pipinus ex hac domo secundus, ob ignauiam Childerici, decreto Zachariæ Romani pontificis ex præfecto prætorii rex creatus est. Ipse Childericus in pristinum redire statũ coactus, habitũ monachi rursus accepit. Interim Pipinus iterũ transcensis Alpib. opem laboranti Stephano Romano pontifici contra Longobardos attulit, quibus acie victis, ipsum Stephanum pontificali fastigio restituit. Idẽ senatorum consilia prius instituit, & si non ea quæ nunc eorum forma tunc erat. Nam lege sanxit, vt semel in annum principes eo conuenirent, quo rex ediceret partim litibus iudicandis, partim cõstituendo regno: principes etiam senatus elegit, qui curiæ præessent: ii semper ipsum regem comitabantur. Denique domicilio locum Parhisiis acceperunt, vbi Pipinus vita functus ad ædem Dionysii iuxta patrem sepultus est, in alio tamen conditorio quod ipse viuens faciendum sibi curauit. Pipino patri successerunt Carolus qui post à magnitudine rerum gestarum magnus est appellatus, & Carolomãus, qui reges ambo decreto procerum designati, sed paucis exinde diebus ab humanis exempto Carolomano rerum summa ad eius fratrem Carolum relata est. is Hadriano põtifice maximo per legatos implorante, copias in Italiam duxit aduersum Desiderium vltimum Longobardorum regem, quo superato sua restituit ecclesiæ. proinde præcipuis à Pontifice priuilegiis donatus abiit. Saxones ad annos triginta producto bello, domuit, & ad verum Dei cultum compulit. in expeditionis apparatu cõtra Saracenos, qui tunc Hispanias obtinebant, duodecim, quos aiunt, Pares instituit, quorum sex essent ex collegio sacerdotum, tresq; rursus eorum duces, Remensis Archiepiscopus, Laudunẽsis & Lingonensis episcopi, Tres item comites episcopi, Bellouacus, seu Bellouacensis, Nouiomensis & Catalaunensis. Reliqui vero forent ex eo hominum genere, qui non sunt initiati, quos Græco nomine Laicos vulgo vocant. Tres duces Burgundus Normannus & Aquitanus, totidem comites Campanus, Flandrensis & Tolosanus. Hunnos idem profligauit, & a Leone Romano pontifice, Coronam atq; imperii insigne consecutus est. Optimarum artium scholas instituit, & studiorum conuentum, quem Parrhisiis vniuersitatem vocant. Ex Hildegardæ connubio eius quæ Sueuorum familiæ fuit, habuit Carolum, Pipinum & Ludouicum filios, quibus in vita distribuit imperia. Pipino Italiam, Carolo citeriorem Galliam, quibus amissis, in societatem principatus assumpsit Ludouicum, mox regni sui quadragesimo septimo, imperii XIV. salutis octingentesimo & quinto decimo, Kalend. Februarii, ætatis anno septuagesimo secundo obiit, & sepelitur Aquisgrani.

Carolus M. Carolomanus. Pares Franciæ. Laicus. Vniuersitas Parhisiensis.

Ludouicus Pius. Ludouicus Caroli magni F. huius nominis primus, a clementia morum, cognomẽto pius, & si multa præclara liberaliter ac sancte gessit, haud tamen potuit ad eandem vitæ rationem filios traducere. Lotharius, Pipinus, & paterno nomine Ludouicus erãt, *Ludouici filii.* qui impulsu quorundam perditorum patrem insimulantium, quasi nimio plus indulgeret Bernardo, qui cum Iudith Augusta rem haberet, impia arma arripiunt in Ludouicum patrem, tantusq; furor eos inuaserat, vt ne Gregorii quidem pontificis autoritate adduci potuerint, vt ad bonam mentem redirent, quom is hac vna de causa, Gallias ex vrbe Roma petisset. Qui indies gliscẽte vecordia, patrem, Carolumq; fratrem natu minimũ, coniiciunt in carcerẽ, ad ædem diui Medardi quæ est Suessione, Iudith in Italiam relegant, ad oppidum Liguriæ Dertoum, quam antea a connubio patris auulsam, deduci in Aquitaniam curauerant, in Parthenone diuæ Radegondæ custodiendam, quanquam Ludouicus adulterii crimine confutato dilutoque, eã iusto matrimonio sibi iunxerat. Imperio patris inter se diuiso ipsum fratremq; Carolum Lothario, quod is ætate præcedebat, asseruãdos tradunt. Itaq; Ludouicus in Bauariam, Pipinus in Aquitaniã proficiscuntur, ipsumq; patrem cogunt depositis insignibus, imperio se abdicare, & habitũ monachi induere. Sed indigne rem ferentibus optimatum quibusdã, quorũ potentiam Lotharius formidabat, ipse Ludouicus & libertatem recepit & imperium, continuoq; Iudith ex Italia reuocauit. Per idem tempus Hiero Normandiæ princeps, *Hiero.* ad veram Christi religionem conuersus est. Exiuit hominem Ludouicus ætatis anno septuagesimo quarto, superstitibus liberis, excepto Pipino. Quorum Carolus natu minimus imperauit Francis, Lotharius Germaniæ. Ludouicus obtinuit Bauariam, Pipinus Pipini F. eius quem maturius patre vita functum diximus, Aquitaniam.

Carolus. Lotharius. Ludouicus. Pipinus.

Carolus Caluus. Carolo cui cognomentũ Calui fuit, à morte Ludouici patris obtigit imperiũ Fran-

ciæ, Lotharius & Ludouicus eius fratres bellum mouent. ab eoque victi tandem certis conditionibus arma deponunt. Ipse demum Lotharius religioni mācipatus, Lothario & Ludouico filiis regno cessit. Ex iis Lotharius obtinuit Italiam, designatus imperator obiit diem. Carolus igitur is quem dictum Caluum demonstrauimus, ipsius Lotharii patruus, magnis nec intermissis itineribus in Italiam contendens, ab angustiis Alpium quas ii præsidio firmatas obstruxerāt, Ludouici fratris filios eiecit, & à Ioāne Romano Pontifice appellatus imperator, quom ex Italia Franciam, atque inde Italiam repetisset, agmenque vltro citroq; sæpe raperet, vt ecclesiæ dignitatem tueretur & Imperii fines à Mauritanis, qui crebris incursionibus omnia vastabant, opera Sedechiæ natione Iudæi, quo medico vtebatur, haustu veneni sublatus è medio creditur. eius exanime corpus adusq; Vercellas perlatum, indeque trans alpes in Galliam, Parhisiis ad Ædem Dionysii de more conditur. Post Caluum Ludouicus eius F. habenas imperii tenuit, is qui Balbus ab impedimento linguæ dictus est, ab eodemq; Romano pontifice declaratus imperator, apud Compendium naturæ concessit. In regnum successit ex eo natus, & ipse paterno nomine Ludouicus, eiusque frater ætate minor (vt Galli gentiliter appellant) Carlonus, Aquitaniam, Burgundiamq; sortitus est. Vtrumq; Balbus ex honesta quidem puella, sed non ex iusto matrimonio susceperat. Itaq; Ludouico mature ab humanis exempto, post paternum decus accepit Carolus eius filius, obitaq; à Carlone die, Carolus in regno accipitur, ex Ludouico Bauaro, vel (vt alii vocatum malunt) Germanico patre editus, eo quem genuit Ludouicus cognomento Pius. Is Carolus ob ignauiam dictus est maleferiatus, quom ferium nihil ageret. Itaque ex ocio contabuit, & propere fato functus vacuam filio regiam reliquit.

Ludouicus Balbus. *Ludouicus.* *Carlonus.* *Carolus maleferiatus.*

Carolus & ipse nomine paterno fuit homo sine fuco & fallaciis, vnde Simplex est appellatus, à Rollone Normanno deorum cultore bello petitus, obtulit ei Stellæ filiæ matrimonium, dummodo discederet ab armis, & Christi dogma susciperet, accepit ille pacis conditiones, & in dotem Neustriam, quæ mox à Normannis colonis Normandia dicta est. Ipse pro Rollone Roberti nomen assumpsit a Roberto Pictauiensi comite à quo die lustrico sustentatus est in sacro fonte. Carolus autem simplex vxorē duxit Alginam regis Anglorum filiam, quæ peperit ei Ludouicum. Rebellantem generum Rollonem prælio superauit. Ad oppidum Peronam quom venisset ab Heberto Viromādorum regulo, cuius gratia diuerterat, in custodiā coniectus est. Interea Franci Radulphum Carloni Burgundiæ ducis F. regem sibi creant. vnde Ludouicus Simplicis Caroli F. cum Algina matre ex fuga Angliam petiit.

Carolus Simplex. *Neustria.* *Hebertus Viromādus.*

Interim duobus iam lustris Radulphus ita partum regnū tenuerat, & Carolus Simplex in carcere migrarat è vita, quom Franci Ludouicum & Alginam matrē reuocant ab Anglia, qui rerum potitus varia vsus est fortuna. Nam carceri mancipatus ad certam diem fertur à Normannis, & inde eductus Embergam matrimonio sibi iunxit Othonis Germaniæ regis filiam, duosque ex ea suscepit liberos, Lotharium & Carolum. Remis extremum diem clausit, illatusque in ædem diui Remigii Christianæ salutis anno DCCCCLX. superstitibus quibus dixi filiis, quorum Carolus priuatam egit vitam, Lothario regnum cessit: qui nihil illa persona dignum gessit, nisi quod in Normannos & Othonem profectus eius auum, reduxit exercitum parum decore, decessitque sine prole, Remis in eadem qua pater æde conditus.

Ludouicus. *Lotharius.*

PRIMI LIBRI FINIS.

MICHAE-

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI, DE REGIBVS FRANCORVM

LIBER SECVNDVS.



Vomque Lotharii frater Carolus aſpiraret ad regnum, cuius antea contemptum præ ſe tulerat, ab Hugone Abbate (Syrum præſulis nomen id eſt) eo qui Capetus alioqui vocabatur, editus, vt aiunt, ex familia comitum Parhiſienſium, Aurelios in cuſtodiam, Ezellini epiſcopi proditione, apud oppidum Landini domicilii ſui ſedem captus. In eo tamen rerum ſtatu liberos habuit duos, Ludouicum, & nomine paterno Carolum.

Carolus **Abbas nomen Syrum.**

Hugo tamen incubuit regiæ malis artibus occupatæ, ſeque geſſit pro iuſto rege, quoad obita morte, Francorum regum conditoriis illatus eſt ad Ædem Dionyſii, diuini natalis anno DCCCCXCVIII.

Hugo.

Hugoni ſucceſſit ex eo natus Robertus, qui Pontificalis ſcientiæ peritiſſimus, in miſſarum ſolenniis, quæ reſponſoria dicuntur, inſtituit: & rithmicum numerum, cuius eſt initium Sancti ſpiritus adſit nobis gratia. Miſſarum mentio nos admonet originationem eius nominis indagare, ne quis vt ſordidum reſpuat. Antiquitus in illa vana deorum ſuperſtitione, peracta re diuina, conuerſus ad plebem ſacerdos aiebat, λαοῖς ἄφεσις id eſt, *Populis miſſio*, vt eſt apud Apuleium. quo verbo poteſtatem faciebat abeundi volentibus. Idem mos à noſtris etiam ſeruatus eſt, vt libo iam libato, per miniſtrum pronuncietur: *Ite miſſa eſt.* Idem valet quod ilicet, Idque, id eſt, ire licet. Nam noſtræ religionis autores indifferenter vſurpaſſe miſſionem miſſamque, teſtis eſt Cyprianus, qui remiſſam peccatorum ſæpe ſcribit, & id genus alia permulta. A parte ergo totum ſacrificium miſſa nominatum quaſi miſſio. Sed & reſpondendi conſuetudo iam tum fuit in choris, vt Auſonius oſtendit:

Robertus. **Miſſa.** **Remiſſa peccatorũ apud Cyprianum.**

Dyndimaque Idæo reſpondent cantica luco.

Reſponſorium vero nouitium quidem verbum, ſed eccleſiaſtica tractanti, liceat in poſterum ſuis eccleſiæ verbis vti. Robertum moriens Henricus Burgundiæ rex hæredem teſtamento ſcripſit, aduerſum tendente Landerico Aniuerſenſi comite, qui Burgundiam ſui iuris eſſe contendebat. hinc orto bello, victoria Burgundiaque penes Robertum fuit. Is honori diuorum pluribus & magnificis ædibus extructis, è vita migrauit. ad Ædem Dionyſii conditus anno viceſimo quarto, poſt initum principatum, liberis ſuperſtitibus, Henrico ſcilicet & Roberto, quos ei Conſtantia pepererat Arelatenſis filia comitis, quam amiſſa priore coniuge & Vgone ex ea filio ſuperduxerat: Item Simone & Almarico, ſuſceptis ex connubio Nouiomenſis reguli filiæ. Paternum decus accepit Henricus, obtinente Roberto Burgundiam, qui fretus Conſtantiæ matris ſtudio, quæ ceſſerant in Henrici iura cœpit attrectare: conflato inde bello Roberti viribus, & aduerſæ factioni impar Henricus exactus regno, confugit ad ducem Normannum, cuius auxilio ſua recepit. Denique regno quod tanto armorum ſtrepitu vendicarat, vltro viuens Philippo filio conceſſit. Anno ſalutis M.LX. mortuus, illatuſque regum conditoriis ad ædem Dionyſii. Philippus igitur Henrici F. a patre accepto regno Bertam Balduini comitis Hollandiæ filiam matrimonio ſibi iunxit, ex qua liberos habuit Ludouicum Conſtantiamque, eaque dimiſſa in eius locum Bertrandam duxit, ob eamque rem a ſacris abſtentus in iure pontificio dicitur ab Vrbano ſecundo pontifice maximo. Protulit is & regni fines, adiectis Bituricenſibus emptis ab Arpino duce eorum. Qui cum Gottifredo Bullonio ſocius expeditionis in auxilium terræ, quam ſanctã vocãt, iturus ad vſus belli neceſſarios pecu-

Reſponſoriũ. **Burgũdia ad Francos.** **Henricus.** **Philippus.** **Arpinus** **Gottifredus Bullonius.**

nia careret, ipſi Philippo Ducatum vendidit. Itaque ditionis acceſſione facta, Philippus in conſortium principatus accepit ex ſe natum Ludouicum, qui patri ſucceſſit anno ſalutis M.CVI. Melduni vita functo, conditoque ad Ædem Diui Benedicti Ligirēſem. Ludouicus Philippi filius, in Anglos & Henricum geſſit Imperatorem multa proſpere. Quomque Gelaſius pontifex maximus, Henrici ſuſpectas habens opes ad eius fidem confugiſſet, implicitus morbo Matiſcone periit, in eiuſque locum ſuffectus eſt Viennēſis Antiſtes, Guido cognomine Caliſtus, is adnitente ſumma vi Ludouico Romam venit: & à cunctis ordinibus fauſtis acclamationibus exceptus honorem tenuit. Ludouico filius erat & aui nomine Philippus, qui animi gratia Luteciæ Parhiſiorum ſuburbia obequitās, equo obiecta ſucculi ſpecie cōſternato inde deturbatus, interiit. Equidem vereor oblitus operis inſtituti cuiquam videri, ſi de nomenclatura ciuitatis inſtar Grammatici diſputem. Sed & rerum ſcriptores hoc interdum faciunt, & obiter Homeromaſtiges cauendi ſunt, vt inquit Plinius. Inuenias qui Parhiſius indeclinabili forma dicendum per omnes caſus affirmet, & ita multorum ſeruat vſus. Alii neſcio cuius Architreni verſificatoris (autoritas enim Boetii in dubio eſt) adminiculati teſtimonio conditā volūt à Iulio Cæſare, Parhiſiumq; ſingulariter & fœminine nuncupatam, quibus vt non accedamus ipſe Cæſar in primis facit, qui laudum ſuarum alioqui non obtrectator, eius (vt iſtis placet) operis Parhiſii nunquam meminit, vt aliquoties Parhiſiorum gentis, in qua Luteciam Strabo, Mela Pompo. Pliniuſque & Ptolomæus ſtatuunt in eo propemodum tractu quo nunc eſt. Iis itaque fretus autoribus hanc vrbem modo Luteciam, quandoque Parhiſios appellare non dubitaui.

Ludouicus. — *Parhiſius.* — *Lutecia.*

Ludouicus ab Henrico Cæſare, de quo iam diximus, alteroq; Henrico Anglorum rege Henrici prioris genero, bello petitus, oſſa diui Dionyſii, eiuſq; ſociorū ad id tempus intacta à cōditoriis eduxit in aciem, ex qua victor eadem ſuppoſitis humeris in loculos ſuos maxima cum veneratione retulit. In cōſortium principatus aſcito Ludouico filio, qui iunior appellatus oleo tinctus, inſigne regii capitis permiſſu patris accepit, & paulo poſt adminiſtrationem, quom pater morbo langueret, ex quo deceſſit maior ſexagenario, quom XXX. circiter annos imperaſſet. Agens animam deponi ſe iuſſit humi in tapeto ſtrato in quo deſignata crux erat ex cinere. Sepultus & ipſe eſt ad Ædem Dionyſii ſuperſtitibus (extra Ludouicum) quatuor eius filiis, Henrico Epiſcopo Bellouacenſ. Philippo Parhiſienſi archídiacono, Petro qui filia Reginaldi comitis vxore ducta, defuncto ſocero ſucceſſit, & alio cuius apud autores nomē haud inuenio quem Roberti comitis Pertici Druidarumq; patrem fuiſſe memorant. Ludouicus iunior adhuc viuente patre deſpondit Eleonoram vnicam ducis Aquitaniæ filiam, qua duarum ex ſe puellarum iam matre dimiſſa, Conſtantiam regis Caſtellæ filiam ſuperduxit, eaq; ex ſecundo partu mortua, Aliſam Bleſenſi comite natam ſibi iunxit, ex qua exacta pene ætate, multis precibus fatigato Deo, Philippum ſuſtulit, cum cui inde cognomentum fuit Adeodatus, quem pater ægre puberem, quom bis ſeptenos impleret annos, ad regium decus euexit, oleoque ungendum curauit, & ornari diademate primum Remis, iterum Parhiſiis apud Luteciam.

Ludouicus victoriam obtinuit. — *Ludouicus iunior.*

Per eoſdem dies obiiſſe fertur Ioannes quidam de temporibus, cuius vitę lōginquitas abſoluit antiquorum fidem, nec fabuloſum videri ſinit Arganthonium Tarteſiorū regem centum quinquaginta annis vixiſſe. Cyniram decem amplius. Ægimium ducentos vt in Ætolia quoſdam gentis Epiorum. Reges Arcadū trecētos, in Illyrico Dandonem quingentos. a principatu nanq; Caroli magni CCCLXI. circiter annos in rebus humanis fuiſſe creditur. Expeditionem præterea Ludouicus cum Conrado Imperatore paribus auſpiciis in terram ſanctam ſuſcepit, obita demum die, ſepultus eſt in æde cœnobii de Barbello. quod ipſe viuens extruxerat.

Ioannes de temporibus longæuitas.

Philippus Adeodatus, acceptis a patre regiis inſignibus adhuc adoleſcens omnibus exemplis vſus eſt in Iudæos iudicio conuictos, Chriſtianum puerum quotannis immolare ſolitos. in eos etiam qui cōuicia faciunt in deos, edicto pœnam [illegible]uit. Defuncto patre Iudæos regni ſui finib. eiecit, in Anglos & eos qui manus eccleſiis inferebant, egregie multa geſſit. Matrimonio ſibi iunxit Iſabellam Balduini Comitis Annoniæ filiā. Copias ad aſſerendam terram ſanctam duxit expeditionis ſocio Ricardo Anglorum rege, Chriſtiani natalis an. M.CLXXXIX. Baſilicas Apoſtolorum Petri & Pauli in

Philippus Adeodatus. — *Iudæorum expulſio.*

Vrbe

Vrbe visit, & Cælestinum Pontificem M. Quomq; sub eius principatu Iudæi Christiani generis hominē spinis coronatum, crucis patibulo suffixissent apud Braium muliere, quæ tunc oppido potiebatur, empta muneribus, vt rem dissimularet, eo Philippus agmine raptim ducto Iudæos octoginta, quot in eius potestatē venerunt, aliis in fugam coniectis, excitato rogo viuos cremauit. Isabella iam fato functa, Sororem Caym Dalmatarum regis Embergam duxit. eaq; mature dimissa cum Maria Boëmorum Ducis filia nuptias celebrauit. Iudæis grandi ab eis accepta pecunia reditum concessit, & domicilium Parhisiis. *Iudæorum reditus.* Ludouico quem filium susceperat ex Isabella, Blancham despondit ex rege natam Castellæ, Ioannisque sine terra sororem eius, qui Ricardo successerat in Angliæ regno: diem clausit, anno salutis M. CCXXIV. rerum potitus annis quadraginta quatuor, ad ædem Dionysii conditus.

Regni gubernacula Ludouicus excepit eius nominis VIII. Adeodati F. annum agēs XXXIII. *Ludouicus VIII.* materno genere in Caroli M. regnum ius habere prætendebat. Etenim Carolus Ludouici IV. F is quem demonstrauimus ab Vgone capeto Landini custodiæ mācipatum, genuit Emengardam qua matre Balduinus est editus Annoniæ comes & Isabellæ pater eius, quæ Philippo peperit Ludouicum, qui domitos Auenionenses, ab hæreticorum laqueis, in quos inciderant, quom non posset euellere, septimo demū anno *Auenio expugnatur.* securos edicti inq; opinionis errore pertendētes adortus, eorum mœnia solo æquauit, trecentasq; euertit domos, inde protinus in Albigenses eiusdē sectæ profectus, quom suum reduceret exercitū subita vi morbi correptus obiit ad Mōpenserium. Defuncti corpus illatum Parhisios est ad ædē Dionysii tumulatū iuxta patris Philippi sepulchrū. Supstites ei fuerunt quatuor ex Blācha liberi, Ludouicus eodē quo pater nomine, Robertus, Alfonsus, & Carolus. Itaq; Ludouicus natu maximus, ille qui mox à Bonifacio *Ludouicus IX.* cōsecratus est octauo Romanorum pontifice, paternum decus accepit, annum agens duodecimum. Roberto fratri permisit Arthesium, post & Atrebatum largitus est. oppressit in se surgentē principum factionem, profligatis Anglis, quos illi munerum prædæq; spe sollicitatos in Galliā traiicere cōpulerant. habuit vxorem Margaritam filiam comitis prouinciæ quæ Narbonensis appellatur, pars Galliarum quæ interno mari alluitur, Brachata antea dicta, amne Varo ab Italia discreta Alpiumq; iugis: eiusq; fratri Roberto ducis Brabantiæ filia nupsit. Erexit & Ludouicus sacellum quod sanctum vocant. *Sacellum sanctum Parhisiens.* Ibiq; lanceā, spongiamq; dominicæ passionis instrumenta, quæ Balduinus imperator Constantinopolis ei dono miserat, ornatissime collocauit. Alfonso etiā fratri comitis Tolosæ filiā, Carolo Beatricem germanam suæ coniugis eodemq; patre natam cū spe successionis ad comitatum locandas curauit. Ipse Alfonso comitatus Aluerniēsem, Pictauiensemque, Carolo Cenomanensem largitus est. Hic est ille Carolus qui Siciliæ regno potitus, hodieque primus appellatur. *Carolus Siciliæ Rex. Ludouicus.* Ipse Ludouicus voti reus, ob ægritudinem qua laborabat ad medicorū desperationē suscepti, profecturus in terram sanctā, Regni curam Blanchæ matri Alfonsoq; germano cōmisit. Ingressus iter offendit Innocētium IV. Pont. max. Lugduni, suppliciter auxilia petentem cōtra Federici II. impotentem dominatum, quo se Roma pulsum dicebat: inde trans mare petiit Asiam, Damiatamque Ægypti vrbem vi cepit. in ea tamen expeditione multa passus incōmoda cum Carolo tandem fratre captus in Saladini potestatem venit, a quo pacti certum auri pōdus, postliminio dimissi in Galliam reuerterunt, vbi Ludouicus plura monachorum cœnobia condidit, & Asyla Misericordiæ consecrata quæ etiam nunc extant. Autore demū pontifice salutis an. M. CCLXIX. classem duxit in Aphricam, stipatusq; trib. filiis Philippo Ioanne & Petro Saracenorum victor, apud vrbem moritur, cui nomen Tunæ. Exectum iamq; per annum siccatum corpus in Gallias aduehunt, & ad Ædem Dionysii de more tumulant, extis exenterati cadaueris in Sicilia conditis in templo Montis (vt vocant incolæ) regalis.

Imperium Philippus excepit, is cui nupta fuit Isabella Iacobi regis Aragonum filia, *Philippus.* atq; in dotē traditum Carcasonum. quom tamen is antea cessisset iure, si quod ei cōpeteret in Celtiberia, quæ Catalania nunc est, & Ruscinone. cum patre castris in Lybia positis obsidionem non antea soluit, quam supplicem Regem compulit, iniquas pacis accipere cōditiones. In Galliā rediens ad diem concilium Lugduni coegit anno salutis MCCLXXII. cui Gregor. Pont. M. interfuit & præfuit. Isabella cum ter ex eo iam pepetis-

ſet, Ludouicum, Philippumque & Carolum, naturæ conceſſit: eius vir alteram duxit vxorem Ducis Borbonii filiam, quæ Ludouicum priuignum veneno tollendum curauit. Interea Philippus in Aragonum regem Petrum mouet, occupatam ab eo Siciliam, quæ conceſſerat in eius patrui ius, quem Carolum I. fuiſſe demonſtraui, belli cauſam prætexuit, Aliquot oppidis inſulę iam potitus ſubita vi morbi ſolutus eſt. Superſtitibus ex Iſabella Philippo, qui patri ſucceſſit & Carolo Valleſii comite, ex Maria Ludouico comite Ebroicenſi, Margarita ac Blancha filiabus, quarum altera Anglorum regi, altera Auſtriæ Duci nupſit.

Philippus Pulcher. Philippus itaque Pulcher, à præſtantia formę cognominatus, initio ſimultates cum Bonifacio Pont. max. deinde profeſſas exercuit inimicitias, edictoq; prohibuit ex regni ſui finibus auri, argentiue facti, infectiue quicquam Romam ferri. Demum proditione Sarræ columnæ, qui ſub eo ſtipendia faciebat, ex quo Pontifex oppido trahebat originem, comprenſus in vrbem deducitur, vbi paulopoſt ex animi mœrore lapſus in ægritudinem breui periit. *Clemens V. pontif. max.* Hoc ipſo Philippo regnante, Clemens V. ex vrbe migrauit Auenionem. Sedemque pontificatus eo tranſtulit anno ſalutis MCCCV. perq; Septuaginta quatuor annos ſecuti Pontifices ibi permanſerunt. *Templarii.* Eorum qui Templarii dicuntur inſtituta iam olim ſecta, ab ipſo Clemente Viennæ damnata eſt, anno poſtquam tranſiuit in Galliam ſeptimo. Philippus habuit liberos tris, Ludouicum qui dictus eſt Vtinus, excepitq; mortuo patre ſceptrum, regemque Nauarræ, & Philippum Pictauienſium comitem, itemque Marchiæ comitem Carolum, quorum duorum coniuges adulterii delatas apud ſocerum ſatis conſtat in carcerem coniectas. Exceſſit inde Philippus, anno ſalutis MCCCXXIII. menſe Nouemb. illatuſq; eſt in ædem Dionyſii, quom regnaſſet annos duodetriginta. *Ludouicus Vtinus.* Ludouicus is cui cognomentum fuit Vtinus, Rex Nauarræ Philippo patri ſucceſſit, initoq; ſtatim principatu in quoſdam patris amicos capitali ſupplicio animaduertit, & Iudæos intra regni ſui fines, habere domicilio locum permiſit. Vxoremque duxit Clementem Roberti regis Siciliæ ſororem, quæ neceſſitudinis aliquo vinculo ſibi propior erat. Haud enim dubia fides eſt Diui Ludouici filium fuiſſe Philippum, quo patre Philippus cognomento Pulcher editus eſt, is qui Ludouicum genuit, quo de nunc agimus. Ex altero cognationis gradu, Carolus Ludouici frater ob merita conſecrati Siciliæ rex alterum ſuſtulit Carolum, quem ſecundum vocamus. *Carolus II.* is numeroſam prolem ſuſcepit, & in ea Martellum, Robertum, Clementem, quæ Ludo. nupſit, eique mature elato grauida ſuperfuit. Exactis iam menſibus, vteroq; maturo Clemens enixa infantem eſt, cui poſtea Ioanni nomen fuit. is patris imperium ſuſcepit, remque adminiſtrauit per Philippum patruum Pictauienſium comitem. Nec multo poſt fato functus, occaſionem Philippo dedit, vt regnum quod antea procurabat, in ſe transferret.

Philippus. Philippus ergo Pictauienſis eius nominis V. quom tres haberet filias, ex his vnã duci Burgundiæ, aliam comiti Niuernenſi, tertiam Delphino Viennenſi matrimonio collocauit. abſque virili ſobole quom deceſſiſſet, execti cadaueris exta, contendentibus inter ſe minorum, prædicatorumque ſectæ flaminibus, apud vtroſque bifariam condita ſunt, ad Ædem Dionyſii corpus illatum. *Bellum certamen & vere Chriſtianum.*

Carolus Pulcher. Ab hoc regnum Carolus eius frater accepit, Marchiæ comes & ipſe cognomento Pulcher. is in ſpem ſucceſſionis grauidæ coniugis vtero relicto mature deceſſit. Dum conceptus vtero matris in ſpem regni geſtatur, agi cœptum cui potiſſimum rerum cura committeretur, ad ſe quiſque prouinciam ſumma contentione trahebant duo maximi competitores, Carolus Valleſius, alterius Caroli patruus, eius quem Marchiæ comitem demonſtrauimus, & regem nouiſſime fato functum: & Edouardus rex Anglorum tertius ex Maria natus eiuſdem Caroli ſorore. Effuſa principum ſtudia Valleſium prætulerunt. Interea Valleſius Interrex obiit. Itaque deterioris ſexus infante quam regina pepererat e gubernaculis eiecta, *Philippi Valleſii parentes.* Philippus Caroli Valleſii defuncti filius & Catharinæ Balduino patre genitæ Conſtantinopolis imperatore, regia potitus eſt

SECVNDI LIBRI FINIS.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI, DE REGIBVS FRANCORVM

Liber Tertius.

Philippus Vallesius. PHilippus Vallesius huius nominis Sextus aduersus Edouardum Anglorum regem bellum sumpsit. Quod is eius auunculo Carolo sine virili prole defuncto, iure gentium sibi qui propior esset à stirpe, regnum competere contendebat. Inito sæpe prælio tandem Philippus apud Clusas Anglos nauali pugna superauit. Ab Imberto præterea Viennæ Delphinio Philippi Pictauiensis eius appellationis Quinti regis ex filia nepote: Philippi vero Vallesii, qui nunc in manibus est Sobrini, quom liberis careret, impetrauit, vt successorem sibi designaret ipsius Philippi nepotem Carolum ex Ioanne patre genitum duce Normanniæ, filiorũque eius natu maximo. Mox Imbertus accepta à Philippo pecunia, iurauit in verba sectæ prædicatorum, principatuque Philippo cessit: exindeq; Delphinatus penes Francorum reges fuit, aut eorum filios natu maximos. *Delphinatus ad Francos.* Hominem Philippus exiuit ætatis anno quinquagesimo septimo, principatus sui vicesimo tertio. Conditusque est ad ædem Dionysii.

Ioannes. Post eum Ioannes eius F. accepit imperium, qui dum parum prospere cum Richardo Anglorum rege Edouardi filio manum cõferit: accepta clade viuus in hostium potestatem venit, & cum eo circiter equites centum septuaginta. Quibus cum Burdegala deductus, acceptis conditionibus & promissa grandi pecunia, quarto post anno dimissus est. Ex eo nati sunt qui patri successit Carolus, Philippusque comes Turonensis, & Ludouicus Andegauiæ dux, Bituricensisque dux. Ioannes anno salutis millesimo tricentesimo sexagesimo quarto, Landonis è vita quom migrasset, ad ædem Dionysii conditus est.

Carolus Sapiens. Carolus in locum patris habenas imperii sumpsit, is qui Sapiens appellatus est, & de more Remis ex oleo tinctus, acceptoq; regii capitis insigni Parhisios rediit: euestigioq; Philippum fratrem Burgundiæ ducẽ declarauit: ab eo tamen antea recepto Turonẽsi comitatu. Philippus aũt quom Margaritam Ludouici Flandriæ connubio sibi iunxisset, defuncto socero Flandriæ comitatum per vxorẽ quæ patri successit, adeptus est. Ipse Carolus in magna pecunię facultate, vectigalibus imponendis acerbior fuit: legem præterea tulit apud Francos, vt regis filius natu maximus, amisso patre, statim ingressus annum quartum decimum per se regnum gereret. Huius principatu Gregorius IX. Apostolicã sedem, cui tum præerat ex Auinione Romam reduxit. Carolus apud Viennas agri Parhisiensis parte diem clausit: illatus in ædem Dionysii, salutis ann. MCCCLXI. superstitibus intra pueritiam liberis, natu maximo Carolo & Ludouico, qui dux Aureliensium postea fuit. Moriens pater testamento cauit, vt Ludouicus Andegauensis ætatem Caroli filii regeret, remque moderaretur, quoad ille pupillus esset. *Carolus.* Carolus & ipse paterno nomine ætate nondum integra, Ludouici patrui consilio vt moriens pater mandauerat, omnia gerebat: is quom venaretur in saltu, cui nomen Syluanecto, ceruum cepit, æneo circa ceruicem torque, cum hac inscriptione: HOC ME CÆSAR DONAVIT. *Ceruus torquatus.* Itaq; ex illo instituit, vt & ipse suiq; posteri effictam in campo liliorum cerui imaginem cum aureo torque pro insigni haberent. Aurelianensium duci sine prole defuncto quom successisset, eos habendos Ludouico fratri concessit: & si receperat Aurelianensibus eosdem à regni corpore non auulsurum.

Per idem tempus Clemens VII. Pont. Rom. autor ecclesiasticæ seditionis legem tulit, de gratiis expectatiuis & annatis. *Ioannes Monteforus.* Ad hæc Ioannes Monteforus eius sectæ professor, quæ Prædicatorum dicitur, in concione Parhisiis ausus affirmare, matrem domini nõ

esse conceptam sine originali labe coram Innocentio vii. Romanorum pontifice causam dixit, à quo palinodiã canere coactus est. Ludouicus insuper Andegauẽsium dux, *Rex Neapolitanus.* eius patruus Neapolitanorum rex appellatur, ibiq; diem clausit. Idem Carolus ingenti *Flandrenses victi.* prælio victis Flandrensibus, in quo quatuor hostium millia cecidisse rumor est: infregit Parhisiensium, cum in eius patrem, tum in se contumaciã. Nam vectigalia à plebe per tumultum sublata restituit. ferreas etiam catenas quibus impediri viæ iam tum antiquitus solitæ tolli iussit, vrbisq; portas dirui. neq; clementius egit in Rothomagenses, *Carolus.* quos eiusdem culpæ volebat affines. Elatis aliis quoscunq; susceperat liberis, vnũ Carolum superstitem reliquit & successorem. Laborauit interpellato furore dum vixit: & argumenta commotæ mentis interdum dabat. Eius etiam frater Aurelianorum dux *Ludouici Aureliani cædes.* Ludouicus immissis percussoribus, à Ioanne Burgundiæ duce eius sobrino noctu Parhisiis interemptus est. Ipsi quoq; Ioanni par exitus vitæ, eademq; nec is sors obtigit, à quodã Ludouici familiari iugulato. Carolus aũt rex anno salutis MCCCCXXII. diẽ clau- *Carolus VII dictus VIII* sit. Ab eo regnauit & ipse nomine paterno Carolus, quem vulgo Septimum memorãt, quom satis ex historiæ fide constet, octauũ fuisse. Carolus enim Magnus, Carolus Caluus, Carolus iners & maleferiatus, Carolus Simplex, Carolus Marchię comes & Carolus is quẽ per interualla furere solitum demonstrauimus, ante eum rerum potiti sunt.

Hic autem Carolus Anglorum Burgundionumq; bello petitus, omnibus regni fi- *Bituricensiũ rex.* nibus amissis, extra Bituricas, eo se contulit. vnde Bituricensium rex ab hoste per ludi- *Anglorum assertio.* brium dictus est. Henricus enim Henrici regis Anglorum Filius inter titulos, Angliæ Franciæque regem se scribebat, speciosèque iactabat se non armis aliena occupasse, sed iniecta quodammodo manu regnum Franciæ, quod optimo iure sibi competeret, asseruisse. Tum quod è maioribus suis, Edouardum Philippi Pulchri ex Maria filia nepotem, quom nulla virili prole Carolus Marchiæ dux obisset diem, Philippo Valesio posthabendum non fuisse diceret: tum maxime quod eius patre Henrico ducente Caroli de quo sermo nunc est sororem triginta annorum pace inter Anglos & Gallos firmata, fœderis & nuptiarum conditionibus adiectum videri volebat hoc, vt si coniugi superesset Henricus ad eum Franciæ regnum spectaret: si minus, ex eodem matrimonio procreandi liberi, defuncto Carolo vii. succederent. Afflictis itaque Caroli rebus ex oppido Valcolore puella circiter annorum xx. Regem adiit, atq; iisque virilibus instructa militis obibat munus. Eius auspiciis & ductu Aurelianensis vrbs ab Anglorum obsidione eximitur, & aliquibus in locis prospere pugnatum est. In Gallia quoque Belgica receptæ pleræque ciuitates & in iis præcipua Remensis, vbi Carolus *Puella Frãcia.* more maiorum tinctus ex oleo regium capitis decus accepit. Interim Puella de qua dixi, dum Gallis obsessis apud Compendium subsidio venisset, eruptioneque facta in oppidum se reciperet, insidiis excepta, venit in hostium potestatem, quam Ioannes Luxemburgus Anglis vt ancillam vendidit. Illi Rothomagum deductam vltimo supplicio afficiũt, adiecta causa, quod mulier oblita sui sexus habitum viri sumpsisset. Ha- *Ludouicus XI.* buit Carolus filium Ludouicum nomine Delphinium Viennæ, cui Margaritam regis Scotorum filiam despondit, ipse Ciarlottam sororem ducis Allobrogum, vel Sabau- *Fames.* diensium matrimonio sibi iunxit. Receptaque Lutecia Parhisiorum valida fames incubuit, editæque sunt à lupis hominum cædes. Ipse quoque Ludouicus Delphinius alendus à patre emandatus ad Marchiæ comitem abiecta disciplina paterni regni fines incursionibus infestare cœpit, & vrbes ad defectionem sollicitare. Sexto tamen ex quo desciuerat ab ipso mense, cum patre rediit in gratiam.

Per idem tempus Aurelianensium Dux Carolus eius Ludouici filius, quẽ Parhisiis interemptum diximus, ab Anglis apud quos inter captiuos per annos xxv. fuerat, quatercentenis aureorum milibus datis, postliminio dimissus ad sua rediit. Carolus autem Rex Ioanne Dunensi comite Aurelianensis Ludouici Notho filio Duce, ab An- *Normannia recepta.* glis Normanniam recepit intra annum & dies sex, ex quo bellum mouit, in qua sunt oppida quatuor nonaginta munitissima, Sex vrbes Episcopales & vna Metropolitana: Recuperauit & Aquitaniam quam cxl. per annos Angli tenuerant. Iterato victis Burdegalensibus & Aquitania iam pacata Ludouicus impetrata à patre missione, reuersus est in Delphinates: inde quom omnia ageret in prædam, proindeque pater in eum mouisset, ad Philippum Burgundiæ Ducem se recepit, apud quem decen-

nio

nio fuit, adusque patris obitum. Fuit & Magdalena filia Carolo, quam Ladislao despondit Imperatoris Alberti filio, qui rerum potiebatur apud Vngaros: ea tamen ad virum deducta non est, immatura morte præuentum. Deinde Rex inedia periit à medicis iniuncta, contra vim veneni quod affirmabant ei datum.

Habenas imperii Ludouicus accepit vndecimus, initoque statim principatu proceres opinati iniquum sibi fore, eius fratrem Bituricensium Ducem Carolum in Ludouicum sollicitant, isque primo se contulit in Britannos. Interim Ludouico apud Monlericum a Carolo duce Burgundiæ fuso, proceres iunctis copiis vrbem Parhisiorum, quo Ludouicus ex fuga se receperat, obsident: agique de pace cœptum, quæ data est iis conditionibus, vt Carolus Ludouici frater Bituricensi ducatu cederet, acciperet Normanniam, certa pecuniæ summa, vel vrbes iis viritim darentur, qui cum Carolo senserant. Itaque voce præconis ad tertium Kalen. Nouembris anno salutis MCCCCLXV pace promulgata, anno sequenti Parhisios adorta pestis ad hominum quadraginta milia dicitur occidisse. Ludouicus Lustrum condidit, armatosque Parhisienses bis censuit, semel quom bellum Burgundis indixit, Christiani natalis anno MCCCCLXVII iterum quom per oratores Aragonensis Rex ab eo pacem peteret in bello Perpenianico. Priore lustro censa sunt hominum millia septingenta, posteriore quatuor & centum. Carolus instaurato bello mouit in Ludouicum, quod ab eo contra fœdus à Normannia deturbatus esset. Auxilium ferebat Carolo Britanniæ dux, vnde Ludouico necesse fuit, vt rem componeret, Aquitaniam fratri concederet, tanquam patrimonii portionem. Sed eo non ita multo post haustu veneni sublato, Ludouicus Aquitaniam recepit. Ducem quoque Nemosii causam dicere coegit, & Loysium Luxemburgum copiarum Præfectum, quem Conestabularium Galli vocant. Et damnatos secuta pœna est, vtroque securi percusso. Carolus interea Burgundiæ dux Edouardum Angliæ regem Ludouico hostem fecerat, & is in Galliam traiecerat armatorum viginti milia. diffisus itaque rebus suis Ludouicus in colloquium cum Edouardo descendit ad Pigniacum: grandique pecunia non in præsens modo pacem, sed etiam inducias emit in annos septem, certum stipēdium pactus in annos singulos. In acie mox eo bello quod Duce Renato Lothoringo gesserunt Heluetii cæso Carolo Burgundionum duce, Ludouicus præsidio nudatam nactus, superiorem Burgundiam recuperauit, eiusque filio natu maximo Margaritam Caroli Burgundi neptem despondit, ex Maria filia, quæ Maximiliano de Austria Romanorum regi nupta Margaritam pepererat. Inde pacem cum Flandren. habuit. in aduersam valetudinē lapsus anno salutis MCCCCLXXXIII. Turonis obiit, illatusq; in ædē Diuæ Mariæ ad Cleriacū. Subiit in eius locū Carolus Delphinus: is quē susceperat ex Ciarlocta Sabaudiensi, quō duas antea puellas peperisset, quarū alterā pater eo tēpore Pyrrho de bello ioco nunc duci Borboniēsi collocarat, alteram Ludouico Aurelianensium Duci, qui postea defuncto sine prole Carolo successit.

Rumor est Caroli die natali inuolasse cubiculum, in quo editus est examen apum, quod & Ludouicus pater, & qui aderant, in prodigium verterunt. Etiam Carolus agebat annum tertiumdecimum, quom regnum iniit, Annę sororis eius, Pyrrhi de bello ioco cui nupta erat Anna, consilio gerebantur omnia: quod indigne ferens Aurelianensis Ludouicus excluso se regnum per alios administrari, sociis quibusdam principibus qui cum eo sentiebant, vtilitatis (vt aiebat) publicæ gratia, bellum mouit, auxilio Britannorum fretus. initium motus in campo Aurelianensi factum, quom Carolus se recepisset Aurelios, & ipsi Buglianfiacum tenerent. Egressus obuiam cum exercitu Carolus Ludouicum referre pedem compulit, is in fidem ducis Alanconii confugit: interea dum eius hospitio vtebatur, agere de pace per oratores & internuncios non desinebat.

Honestis itaq; conditionibus impetrato reditu venit ad Carolum. Verū sibi timens, vt postea causatus est, apud eum diu non fuit, in Blesiam primo elapsus. inde vnius diei itinere proximos Britanniæ fines petiit.

Interea ciuilium bellorum motus à Ioanne Borbonii Duce Angolismensiq; comite excitati, Carolum coegerunt adhuc adolescentem cum copiis ad Bituricenses accedere, sed ab armis honestis conditionibus vtrinq; discessum.

Ludouicus xi.

Ludouici fuga.

Censi Parhisienses.

Caroli Burgundi cædes.

Carolus octauus aut nonus.

Margarita.

Quom Ludouicus in humanis ageret impuberi Carolo Margaritam despondeerat Maximiliani Romanorum regis ex Maria Burgunda filiam. Veniebant ex Britannia Carolo nuncii minus læti, in armis esse Britannos, omnemque belli impetum in Galliã effusuros. Itaq; occupandũ sibi ratus, Nematẽsem adortus vrbẽ cum toto Comitatu redegit in potestatẽ. Ea res Maximilianum mouit in Carolum, quod is indignũ putaret in conspectu pene suo Britanniam, quam spe vorabat, à Carolo vexari. quippe Maximilianus amissa Maria Caroli socru nouas nuptias cum filia Britannorũ Ducis affectabat. Itaq; cœpit excursionibus & iusto exercitu Picardiæ fines vrgere. Verum Carolus & si per legatos bellum gerebat, Alemannis tamen profligatis eius cõatus facile repressit. Expeditionemque in Britannos institutam prosecutus, Annam Francisci Britannorum Ducis filiam, quæ mortuo patre rerum potiebatur, & Maximiliani connubio per oratores & certos homines erat pacta, coegit imperata facere Britannis ingenti prælio victis ad Diuum Obin. in quo Ludouicus Aurelianensis captus ad Carolum deductus est. Carolus Annam dimissa Margarita matrimonio sibi iunxit, ex qua duorum subinde liberorum pater, vtrunque extulit. Pacata iam Britannia Andegauiensium ius in regnum Neapolitanum, quod sibi generis serie competeret bello persequi statuit. cum maximis itaque copiis Augusto mense profectus proximo Februario Neapoli potitus est & regno, qua fortuna atq; euentu latius & distinctius alibi demonstrauimus: In Gallias exercitum reducenti iter intercludere Veneti Longobardique tentauerunt ad amnem Tarum iunctis oppositi copiis. At is acri commisso prælio, per ingentes hostium strages armis iter aperuit. Interea Neapolis à Caroli fide desciuerat, & redeuntibus Aragoneis portas aperuit. Carolus in Galliam reuersus agitabat animo regnum recuperare, sed eius consilia mors interrupit. Aprilis enim nocte septima, quam celeberrimus Christianis dies Palmarum sequitur: Apoplexia periit, absque liberis, illatusq; est ad ædem diui Dionysii prope Luteciam Parhisiorum. In eius locum certantibus omnium studiis summoque principum consensu suffectus est Aurelianensium dux, is de quo paulo ante dixi, Ludouicus. Qui nihil habuit antiquius, quam primo quoque tempore per dispositos equos & literas Alexandro Sexto Pont. Max. cæterisque finitimis potentatibus significare se regem declaratum. Quumque de more Coronam Remis acciperet, atque ex oleo cœlesti tingeretur: ecce nuncius affertur, à Maximiliano Romanorum rege Burgundiam bello petitam. Ludouicus obuiam missis ducibus, vbi satis in præsens prouisum putauit, inaugurationem suam prosecutus, inde discessit: obiterque lustratis aliquot regni sui ciuitatibus Luteciam Parhisiorum venit. Ciuitas omnis obuiam effusa cum coniugibus ac liberis, sacerdotes insignibus, vt moris est, intrantes primum reges acceperunt.

Ludouicus capitur. Anna ducitur.

Ludouicus xii.

A regibus Hispanorum missi legati, renouata firmataque pace redierunt. Anglorũ regi seruatum fœdus, quibus ictum conditionibus cum superioribus vtrinque regibus. id amplius additum, vt alterutrius tantum vita finiretur. Audita quoque est à Philippo Austriæ duce, Flandriæq; comite legatio cum qua conuenit, vt quatenus intra Francorum fines imperat Philippus, in verba regis iuraret, oppidaque ei restituit omnia quæ tunc erant reddenda ex icto fœdere cum Carolo octauo. Cum Venetis & Florentinis oratoribus, vtriusque gentis nomine, percussum fœdus.

Philippus archidux.

Rebus ita cõpositis, expeditionem sumit in Ludouicum Sphortiam Mediolanensis incubatorem principatus ad se spectantis ex successione Valẽtinæ eius auiæ, Ioannis Galeaz primi ducis Mediolanensium filiæ, sponsaliorumque tabulis, in quibus cautum, vt si genus ex stirpe virili deficeret, ad Valentinam eiusq; liberos imperium deuolueretur: eaque conuentio pontificis etiam decreto firmata est fore: quom per id tempus imperii sedes interregno vacaret. Itaque primo eius aduentu, fugato Sphortia Ludouico, potitus Insubribus, excepta Cremona quam Venetis ex fœdere concessit, ipse etiam rex Mediolanum venit: vbi simul ac Insubres, & qui Genuam colunt Ligures in eius verba iurauerunt, in Galliam rediit. Antequam discederet, in Galliam Togatam, quam vocant Romandiolam, partem copiarum tormentorumq; misit, ad expugnandum forum Cornelii, quod hodie mutato nomine dicunt Imolam, forumque Liuii quod adhuc appellationem retinet, aliasque in via Flaminia quasdam

ciuita-

ciuitates: quibus in poteſtatem Cæſaris Borgiæ Valentinenſium ducis, & Alexandri vi. Pont. Max. filii redactis, iter Piſaurum verſus ingrediuntur: & ecce Mediolanenſes ad Aſcanium Mariam Sfortiam Cardinalem Ludouici fratrem deficiunt, & Aſcanium primo intra muros accipiunt. Mox etiam cum Heluetiorum Germanorumque conducto milite Ludouicum. Proinde reuocatis è Flaminia copiis, nouoque ſupplemento è Gallia miſſo, Ludouicum Sphortiam ſine certamine viuum Galli capiunt arcem Nouariæ tormentis admotiſque machinis oppugnantem. Quom paulo prius vrbe facta deditione potitus eſſet, in hoſtium poteſtatem venit, à Germanis deſertus. Ii namque promiſſa à Gallis impunitate, & tuto reditu domum cupide reuerterunt. Nec multo poſt Aſcanius in fugam coniectus, incidit in præſidium Venetorum, ductuſque Venetias intra paucos dies à Venetis belli ſociis ad regem mittitur. Appulit etiam Ludouicus animum recuperando regno Neapolitano: initoq; fœdere cum Ferdinando Aragoneo & Eliſabeth Hiſpaniæ regibus iis conditionibus, vt bello partum regnum Neapolis ex æquo diuiderent: Alexandro vi. Pont. Max. quicquid eccleſiæ competeret vtroque concedente: protinus ineunte vere, copias eo mittit. Promontorium Gargani, ſuſtinet eiuſdem nominis oppidum Apulis cognomento Dauniis attributum, quod Hiſpani ſibi deberi contendebant ex ipſis conditionibus ſocietatis & formula fœderum, Gallis in medio relictum, communeque ex æquo diuidendum reclamantibus. initio diſceptari iure cœptum: mox incaleſcentibus animis, & gliſcente iurgio ad arma diſcurſum. Galli priores Hiſpanos acie pulſos intra Barolum compulerunt: vnde liberius euagandi copiam per omnes regni fines adepti, neglexerunt Hiſpanos obſidere, qui Barolum præſidio tenebant & arces aliquot. Hoſtes ad omnes occaſiones intenti, Barolo ſilentio noctis egreſſi Rubum perueniunt, oppidoque expugnato præſidium Gallorum opprimunt.

Ludouicus Sphortia capitur.

Ludouicus in Neapolim.

In ipſo fere tempore Germanorum peditatus, ab Hiſpanis mercede conductus occurrerat: vnde tantum fiduciæ creuit hoſtibus, vt Nono Kalen. Maii Chriſtiani natalis anno MDIII. eductis omnibus copiis ad pontem Cannarum caſtra poſuerint haud procul à Gallorum caſtris, quæ ſecundum ripas amnis Aufidi ad Cannuſium habebāt. Poſtridie tentantibus Hiſpanis oppidum Cydoniolæ vi capere, quom Galli ſubſidio veniſſent, acriter vtrinque pugnatum, donec equites Gallorum ab extrema acie nullo premente ſeſe receperunt. Ea re animaduerſa, equites Hiſpanorum auxiliares Itali, Gallorum à fronte prælantium latera adorti perturbauerunt. Iis ita fugatis, victoria fuit apud Hiſpanos. In eo prælio occubuit Ludouicus Nemoſii dux, Armigniaci comitum gentilis, qui legatus regis perſonam vicemque ſuſtinebat. Hiſpani ſecundis rebus elati, non ita multo poſt vrbe Neapoli, arceque quam vulgo nouam, Lucullianaque quam à forma vocant Oui, expugnatis regno potiuntur. Quæ bello ſuperfuere Gallorum reliquiæ, ex fuga primum conſtiterunt in ripa Liris ad Sinueſſam: deinde Caietam ſe receperunt: operibuſque ab hoſte circundati conſtanter impetum ſuſtinebant.

DE REGIBVS FRANCIÆ LIBRI TERTII FINIS.

IACOBVS PICCOLOMINEVS CARDINALIS PAPIENSIS

Donato Acciaiolo.



Enam venientes extulimus nobiscum, Campanus & ego libellos tuos, qui apud me erant. In quorum altero vita erat Demetrii Regis in Latinum conuersa: in altero Caroli M. tua opera ex diuersis collecta. Delectauit ea lectio vtrumque nostrum non mediocriter: me, quod antiquæ institutionis nostræ sum contemplatus vestigia: illum quod rem cognitu dignam, & tamen antea ignoratam, totam agnouit. Quam ob causam iter agentes, multa de te inuicem sumus locuti. Campanus, cuius esse acre iudicium cognoscis, ingenio tuo tribuit multa. Ornatum laudat, & genus dicendi illustre, ac purum. Memorat quoque humanissimis literis à te prouocatum nondum respondisse, sed responsurum breui cum fœnore, quoniam domesticis occupatus facere id ante eam diem non potuit. Hortor Donate, vt quæ inter vos iaciuntur beneuolentiæ semina, colas indies sedulitate officiorum tuorum, inque eo promerendo nihil prætermittas. Est summæ virtutis laudisque Antistes, qualem nostra ætate commendatione vitæ, oratione, ac versu, alterum præferre non possum. Coniunctio talium ornamento esse tibi potest, & studia adiuuare, quæ magno conatu persequeris. In eo autem tibi iungendo opera non erit difficilis, nam & ad beneuolentiam sua natura est pronus, & me referente tanta de te cognouit, vt putem obuiis manibus accepturum esse, quamcunque ei obtuleris diligendi occasionem. Est futurus Senæ hanc totam æstatem. Si in hac loci propinquitate tuo commodo visere hominem posses, puto ad confirmanda omnia inter nos vtilem rem faceres. Sed perturbata in hoc tempora consule, ne forte nimius libero animo nobiscum agens quam velles, non tantum præstares de te, quantum accessu tuo nunc quærimus. Si es venturus, affer tecum commentariorum partem aliquam, quos in Aristotelis Ethica edidisti. Videre illos ambo optamus. Vale, Senæ.

CAROLI MAGNI VIRI ILLVSTRIS VITA, PER DONATVM Acciaiolum edita.



CAROLO Francorum Regi, cui postea ex magnitudine rerũ gestarũ Magno fuit cognomen, patrem fuisse tradunt Pipinum regem: *Carolus M. Pipinus rex.* qui primus in Francos (sicuti quidã scriptores memoriæ prodidere) liberam dominandi potestatem habuit: quum superiores Frãcorum reges angustis conditionibus septi, ea lege viuerent, vt magis nomine & inani titulo, quam dignitate regia potirentur. Nam opes ac potentia regni & omnium rerum administratio ad Præfectos regiæ domus (sic enim eos vocitabant) communi consensu deferebatur. Ii domi militiæque summam potestatem habentes, populos pro suo arbitratu regebant, de omnibus controuersiis decernebant, præmia pœnasque constituebant. Quibus rebus fiebat, vt posthabitis Regibus, ii soli essent, qui in summo honore haberentur. Hunc vero magistratum qui apud Francos amplissimus habebatur, consequi non poterant nisi præcipua nobilitate viri, & qui Regibus essent necessitudine aut propinquitate coniuncti. Pipinus igitur hac dignitate quam veluti hæreditariam à patribus suis acceperat, multis annis egregie functus, maximam sibi apud omnis generis homines tum famam, tum beniuolentiam comparauit. Quibus postea factum est, vt quum Franci ac Romanus pontifex Hildericum regem à dominatione veluti inutilem semouissent, *Hildericus rex.* hunc potissimum deligendum putarent, cui communi sententia regnum decernerent. Sic igitur Pipinus auctoritate Pontificis & Francorum decreto, plena dominandi potestate suscepta, reliquam deinde vitam publicis pariter ac priuatis rebus egregiam duxit. Regnauit annos quindecim: cuilibet superiorum Regum belli pacisque artibus & gloria par. Huic successere superstites filii duo, Carolus, & Carolomanus: æque regno inter se partito. Sed non multo post defuncto *Carolus. Carolomanus.* Carolomano, Franci eam regni partem quam ille possederat, Carolo fratri detulerunt. Cuius vitam & mores & res egregie gestas literis mandare constitui: vt memoriam tanti viri tamque præclare de nostra patria meriti, quantum ego possem, ab obliuione hominum atque a silentio vindicarem. Primum igitur (vt a rebus gestis narratio nostra exordium sumat) satis exploratum habemus: Carolum regem extemplo post Pipini obitum aduersus Aquitanos bellum gessisse. Aquitania pars Galliæ est, *Aquitania situs.* quæ antiquorum descriptione, à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & ad eam partem Oceani quæ ad Hispaniam pertinet, spectat inter occasum Solis & septentrionem. Hanc prouinciam Pipinus superato Vaifario duce, post longum bellum, ditioni suæ pene subiecerat. *Vaifarius.* Deinde Pipino Vaifarioque sub vnum prope tempus defunctis, Hunuldus vir potens ex eorum morte (vt plerunque fit) occasionem nactus, *Hunuldus.* bellum quod antea pene confectum videbatur, renouauerat: iamque fere Aquitaniam totam ad defectionem compulerat. Carolus vero vbi hæc quæ in Aquitania gerebantur, cognouit; nullam moram interponendam ratus, ingenti celeritate exercitu comparato, obuiam Hunuldo progreditur. Primo aduentu conatus illius facile reprimuntur: nec multo postea commisso prælio, Carolus hostem superat, exercitum fundit, fusum persequitur, nec prius victoriæ modum imponit, quam Hunuldum ex omni Aquitania pulsum, in proximam regionem (quam nunc Vasconiam vocant) compelleret. *Hunuldus vincitur. Vasconia Lupus rex.* Lupus qui huic prouinciæ dominabatur, propinqui ac familiaris viri misericordia motus, Hunuldum ad se fugientem comiter hospitaliterque accepit. Euenire enim solet, vt principum afflictæ

fortunæ facile eorum opes ad misericordiam alliciant, qui sunt in simili dignitate ac potentia constituti. Verum Carolus quum non minorem victoriam in capiendo hoste, quam in subigenda Aquitania collocatam putaret: traiecto Garumna flumine, ac exercitu propius admoto, legatos ad Lupum misit, qui dicerent: vt nisi Hunuldum hominem infestum nomini Francorum quamprimum ad se adduxerit, se eum hostis loco habiturum. Lupus his mandatis vehementer commotus, ac veritus ne potentissimum Regem, totamque belli molem (quam sustinere non potuisset) in se vnum conuerteret; salutare sibi ac gratum Carolo consilium cepit. Nulla enim interposita mora Hunuldum simul & seipsum vna cum prouincia Caroli potestati permisit. Sic igitur Carolus in Aquitania compositis rebus, belloque citius omnium opinione confecto, cum victore exercitu in regnum reuertitur.

Hadrianus pontifex. Desiderius rex Langobardorum vltimus.

Post Aquitanicum bellum Hadrianus Romanæ ecclesiæ pontifex a Desiderio Langobardorum rege vehementius quam vires suæ paterentur oppressus, quum propriis præsidiis Ecclesiæ statum tueri non posset, oratores ad Carolum misit: qui multis precibus eum rogarent, vt Romanæ ecclesiæ in summo periculo constitutæ, opem & auxilium ferret: ac Pipini patris, Caroli que Martelli, qui olim in Italia aduersus hanc nationem egregie pugnauerant, memoriam renouaret. Carolum multæ res hortabantur, quare Pontificis defensionem suscipiendam, & Langobardorum audaciæ quacunque ratione occurrendum putaret. In primis quod non ignorabat caput Christianæ fidei rem Romanam esse: eique tam graui bello laboranti non subuenire turpe simul ac periculosum esse censebat. Indignabatur præterea quod Barbaræ gentes tamdiu in Italia regnarent: & a maioribus suis sæpe prælijs victæ nondum contineri possent quin pontificibus Romanis contra ius fasque vltro bellum inferrent. Quare his rebus antequam vlterius augerentur Langobardorum vires, quamprimum occurrendum ratus, legatos ad Desiderium mittit: qui eum hortentur vt finem iniuriis faciat, ab armisq; discedat, ac omnia oppida quæ aut vi occupata essent, aut sponte ad eum defecissent, Pontifici Romano restituat. Hæc si fecerit, sibi perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo fore polliceantur. Sin vero (quod facturus videbatur) mandata neglexerit; ei suo nomine bellum indicant. Dum legati proficiscūtur, interim Carolus non segnius quam si hostes in Gallia essent, exercitum parat: nullam proficiscendi moram facturus, si Desiderium regem perseuerare in bello cognouerit. Hæc expeditio per omnem Galliam vulgata, adeo grata cunctis Francorum populis erat, vt iam palam vociferaretur, maturandum in Italiam esse: toties à se victam Langobardorum gentem vires resumere, conditiones acceptas negligere, semper bella ex bellis serere: itaque nunquam quieturam nisi eorum nomen penitus deleatur. Sic igitur omnium animis in expectationem belli erectis, legati à Desiderio redeunt, nunciantes omnia ibi hostilia esse: Regē magis quam ante bellū moliri: & quantū coniectura assequi possent, nunquā iniuriis finē facturū, nisi quum sibi vires & arma ad inferendā iniuriam desint. Carolus his rebus vehementer cōmotus, maturandum sibi existimauit, ne ante Romanus pontifex opprimeretur, quā ei ferre subsidium posset. Itaq; re frumentaria cæterisq; ad bellum necessariis quā celerrime potuit comparatis, magnis itineribus in Italiam contendit. Sed multa huic suæ festinationi aduersabantur: montium altitudo, locorum angustiæ & pene inuii saltus: per quos miles onustus armis, & impedimenta exercitus ducenda erant. Accedebat quod Alpium iuga præsidiis hostium tenebantur. Miserat enim Desiderius, qui occupatis opportunis locis, quantum possent Francorum transitum prohiberet. Hæc

Carolus proficiscitur contra Desiderium.

quum ita essent, Carolus tamen non ignarus, res præclaras, labores maximos, maxima quoque pericula sequi: suos hortatur vt quoad locorum angustiæ patiantur, seruatis ordinibus ire ad hostem pergant. Appropinquanti Alpium iugis nunciatum est, hostes relictis angustiis se in planum recepisse: seu metu perterritos, seu quia tutius faciliusque esse arbitrarentur, descendenti ab Alpibus Carolo cum omnibus copiis confestim occurrere. Vix ad Desiderium perlatum erat, Francorum exercitum post

Taurinus ager.

paucos dies in Italia fore; quum Carolus superatis iam Alpibus, in agrum Taurinum descendit. Vbi primum Annibalem Carthaginensem Alpes transgressum cum omnibus copiis constitisse tradunt. Eo in loco Carolus paucis diebus refecto milite, quum

per

per exploratores præmiſſos certior factus eſſet, Deſiderium regem prope Vercellas caſtra habere, ac ibi cum ingenti exercitu aduentum expectare: nihil vltra differendum ratus, ex Taurinis mouit, atque continuatis caſtris in agrum Vercellenſem peruenit. Erat Carolus virtute militum, & rei militaris peritia longe ſuperior: multitudine vero ac numero hominum à Deſiderio vincebatur. Quum prope in conſpectu exercitus eſſent: facta vtrinque poteſtate pugnandi, prælium commiſere. In ea pugna ſuperati Langobardi in fugam vertuntur, magna parte ſuorũ amiſſa. Deſiderius poſtquam ſuos paſſim fuſos fugatoſque conſpexit, citato gradu Papiam, quæ caput regni erat, cum paucis militibus petit. Nec ſegnius Carolus priuſquam ſe hoſtes ex terrore fugaque reciperent, Regem perſequutus in agrum Ticinium exercitum ducit: extemploque omnibus copiis ad mœnia regiæ vrbis admotis, tentat ſi primo impetu capi poſſet. Vbi id parum proceſſit, conſiliis ab oppugnanda vrbe ad obſidendam verſis, ſub ipſis mœnibus caſtra locat, ſubſidiaque firma ne qua eruptio fieri poſſit, portis apponit. Cæterum quum ſatis conſtaret Deſiderium regem priuſquam deditionem faceret, paratum eſſe etiam vltima experiri; Carolus parte copiarum ad obſidionem relicta, ipſe cum reliquo exercitu ad Tranſpadanos contendit. Ibi ciuitates permultæ audita famà virtutum ſuarum, rebuſque proſpere geſtis, certatim ad eum deficiunt. Sed quod in primis ei gratiſſimum fuit, filii Carolomani, qui extemplo poſt mortem patris malo conſilio temeritatem matris ſequuti ad Deſiderium regem perfugerant, ſponte in ſua caſtra venerunt, ac ſe ſuaque omnia poteſtati Caroli permiſerunt: à quo benigne excepti, magnoque affecti honore, etiam in poſterum filiorum loco habiti ſunt. Poſt hæc Carolum quum ſtudio ſalutandi Pontificem, tum deſiderio viſendi celeberrimum beati Petri tẽplum Romam profectum, ac incredibili honore ab Hadriano ſuſceptum, poſt paucos dies ad obſidionem rediiſſe comperio. Erat obſidio vehemens, & frumenti cum ſumma caritate inopia: ſedendoque expugnaturos ſe vrbẽ ſpem Franci habebant. Oppidani econtrario inſeſſis omnibus viis per quas commeatus ex proximis locis ſubuehebantur, diffidebant inopiam diutius ferre poſſe, rem tamen quantum poterant producebant: beniuolentia alii, alii metu Deſiderii regis compulſi. Poſtremo ſpe quoq; non ſolum cibo deficiente, quum famem vlterius tolerare non poſſent, ſexto menſe quam obſideri ſunt cœpti, deditionẽ faciunt. Capitur Deſiderius vna cum vxore ac liberis: quem vltimum Langobardorum regũ in Italia regnaſſe tradunt. Tunc. n. ſummo beneficio Caroli Italia ſe primum erexit: quæ antea diutius quam victricem omniũ gẽtium prouinciam decuit, Barbarorũ immanitate oppreſſa iacuerat. Nam poſt ſedẽ Romani imperii Byzantium translatam Gotthi primi Barbarorum, diuerſis deinde temporibus Hunni, Vandali, Heruli, poſtremi omnium Langobardi, veluti in vacuam poſſeſſionem ruentes Italiam inuaſere. Eam gentem tradit fama ab oceano Germaniæq; vltimis oris, vnde illis haud dubie origo fuit, nouas quærentẽ ſedes in proximas regiones tranſiſſe: ac Vandalos, Herulos, Gepidas, aliaſque plurimas gentes, Ibore & Aione ducibus, ſæpe bello ſuperaſſe: mutatiſque frequenter ſedibus, tandem intra Pannonias conſtitiſſe. Inde Albuinus eorum Rex accerſitus ab Narſete Eunucho (vt quidam memoriæ prodidere) quum præter Langobardorum multitudinem, viginti quoq; Saxonum milia ſpe optimarũ ſedium exciuiſſet, profectus ingentibus peditum equitumq; copiis in Italiam venit: breuiq; Vicentiam, Veronam, Mediolanum, ac omnis pene citerioris Galliæ vrbes partim peſte, partim Gotthorum cladibus exinanitas, ad deditionem compulit. Papia vero quum tres annos obſidionem tuliſſet, tandem & ipſa fame domita, Barbarorum imperio ceſſit. Nec ambigitur, quin idem Rex paucis annis totam Italiam ſubegiſſet: ita omnia apud Italos perdita erant: niſi ſexto ſupra triennium menſe poſtquam Italiam ingreſſus eſt, apud Veronam interiiſſet dolo vxoris Roſemundæ necatus. Huic ſucceſſit Clephon inſignis nobilitate vir: Albuino nequaquam virtute par, ſed crudelitate ac immanitate naturæ longe ſuperior. Eo quoq; intra biennium vita functo, Langobardi decem deinde ſequentibus annis nullum ſibi Regem creauere: ſiue ſuperbiâ proximi Regis huic generi dominationis infenſi, ſiue gubernationem ſuorum ducum vtiliorem rati: qui iam per omnem Italiam vagantes ita impigre bellum gerebant, vt nunquam eo tempore ſit regia deſiderata poteſtas. Sub his ducibus adeo cre-

Deſiderius vincitur. *Papia.* *Templum S. Petri.* *Deſiderius capitur.* *Gotthi.* *Hunni.* *Vandali.* *Heruli.* *Gepidæ.* *Albuinus rex Langobardorum.* *Saxones.* *Vicentia.* *Verona.* *Mediolanũ.*

Langobardorum opes aucta.

uere Langobardorum opes, vt Hetruria, Flaminia, Piceno, Samnio, aliisque regionibus subactis, omnem Italiam a Brundusio Tarentoque vsque ad Alpes tenerent, præter vrbem Romam: quam constat in huius gentis potestatem nullo vnquam tempore deuenisse. Finito decennio, reditum est rursus ad pristinam consuetudinem creandi Reges: seruatumque deinde per omne tempus vsque ad Desiderium: qui vltimus Langobardorum regum in Italia fuit. Quo debellato (vt supra memorauimus) Carolus magnus grauem eius gentis dominatum, quarto & ducentesimo anno quã regnare inceperant, à ceruicibus Italorum dimouit: ac omnes ciuitates quæ ad Desiderium proximo bello defecerant, recuperatas pontifici Romano restituit: Beneuentanum quoque, ac Spoletanum agrum adiecit. Quibus meritis Hadrianus pontifex quum nullum maius grati animi indicium posset ostendere, conuocato frequenti Episcoporum cœtu, eximioque celebrato concilio, multis ac maximis priuilegiis eum ornauit. Carolus confecto Langobardorum bello, potentissimo Rege capto, quum alia quoque magni ponderis animo moliretur, nullam moram interponendam putauit, quin in Galliam confestim rediret. Saxonicum quippe intermissum bellum eum domum reuocabat: quod eo biennio (antequam Carolus ad liberandum Romanum pontificem in Italiam veniret) & inceptum simul, & a præfectis eius per id tempus leniter administratum comperio. Quo magis adducor, vt virtutem viri ac animi magnitudinem admirandam putem: quod posthabitis ferocissimis hostibus, relictoque domestico bello, rem suam neglexerit, vt Italiam ecclesiamque Romanam, qua omnium Christianorum salus continebatur, ab immanitate Barbarorum liberaret.

Saxonum gens.

Saxonum gens longe maxima erat: ac etiam bellicosissima pene Germanorum omnium. Hi falsos colentes Deos, quum neque diuini neq; humani iuris quicquam pensi haberent, nihil æque ac religionem nostram hominesq; ei deditos oderant. Proximi erant Francis: cum quibus continenter bella gerebant. Sæpe præliis victi conditiones acceperant, obsides dederant: sed nondum apud Francos erat inuentus qui domitâ penitus eorum perfidia plenissimam esset victoriam cõsequutus. Hæc palma quum Carolo magno quasi diuino numine reseruata videretur, non solum consilio principes, sed passim omnes clamoribus agunt, vt aduersus perpetuos Francorum hostes totis viribus arma sumantur. Carolus vero tempus venisse ratus, in quo non modo Barbarorum hominum audaciam frangere, sed etiam eorum regnum (quod multo ante animo agitauerat) funditus euertere possit; ingentem exercitum parat: diem dicit, qua die prope ripam fluminis Rheni omnes conueniant. Nũquam alias maiori alacritate contentioneq; animorũ suscepta à Francis expeditio est. Hinc odium gentis, hinc spes bene gerẽdæ rei animum excitat. Sed supra omnia, studium auget præsentia Regis: cuius ductu auspicioq; non modo Saxonum gentem, sed etiam orbem terrarum (si velit) superare se posse credebant. Has spes cogitationesque secum portantes, in hostilem agrum ducuntur. Sic igitur renouatũ est cum Saxonib.

Bellum Saxonicum per annos xxxiii. gestum.

bellum: quo nec maius vllũ, nec grauius diuturniusq; à Carolo gestũ cõperio. Tres.n. & triginta annos cum ferocissimis gentib. certatum constat: plusq; eo bello, quã reliquis omnib. detrimenti acceptũ, interẽptis plærisq; fortissimis viris, qui diu sub auspicio Caroli egregiã operã nauando meruerant. Saxones hoc tẽpore multoties superati, obsides dabant, imperata se facturos pollicebantur; nec multo postea recuperatis viribus, maius quã antea bellũ ciebant: vt facile appareret, homines feros ꝙ sibi persuasissent cæteris aliis virtute præstare, paratos esse etiam vltima experiri, antequã armis Francorum aut cuiusquã alterius gentis potentiæ cederent. Factũ est tamen summa virtute & incredibili constantia Caroli, vt nunquã illi defecerint, quin confestim debitas pœnas suæ perfidiæ dederint. Euersæ domus, dissipatæ fortunæ, liberi in seruitutem tracti, omnibus documento fuere nullum in falsis Diis præsidium esse. Sic igitur vsq; in tertium supra trigesimum annum bellum protractum. in quo quidẽ bello bis tantũ collatis signis pugnatũ tradunt:

Oneggius mons. Theomille. Hesa fluuius.

semel apud Oneggiũ montem, quẽ locum incolæ Theomille appellant: nec multo interiecto tempore apud Hesam fluuium, vbi penitus Saxones debellati, se suaque omnia potestati Caroli permisere. Victis impositæ leges: vt patriis cerimoniis, falsisque Diis posthabitis, Christianam fidem profite-

profiterentur: magnum numerum obsidum darent: modicis terminis sepiti, neq; aliis iniussu Caroli bellum inferrent, neque illatum propulsarent. Decem deinde sunt hominum milia cum vxoribus & liberis in Galliam transportata, atque variis locis iussu Caroli distributa. Cæterum durante Saxonico bello, multas interim expeditiones à Carolo susceptas ac ita egregie administratas inuenio, vt per vniuersum orbem fama manaret: Francorum regem non sine diuina ope bella gerere.

Victoria ex Saxonibus.

Erat autem Carolo in bellis gerendis hic primum propositus finis, vt Christianæ fidei legem quantum in se esset, extolleret: ac omnes populos qui ei aduersabantur, non solum deprimeret, sed etiam si fieri posset euerteret. Quum vero ea tempestate Barbaræ gentes, quæ nostræ religioni perpetuum bellum indixerant, Hispaniam graui seruitute oppressam tenerent; Carolus rei indignitate commotus, ad eam liberandam mentem conuertit. Id autem fieri posse arbitrabatur, si ingenti celeritate exercitu in Hispaniam ducto, prius hostes opprimeret, quã illi parare subsidia possent.

Bellum aduersus Hispanos.

Ad hanc igitur rem aggrediendam satis iam omnibus comparatis, castra mouet, & quam maximis potest itineribus in Hispaniam transire contendit. Nec iam miles grauatim sequebatur: quod iamdiu animũ induxerat, quocunq; à rege Carolo duceretur, ad certa belli præmia exploratamq; victoriam duci. Inter hæc ciuitates Hispaniæ quæ propinquiores erant finibus Galliæ, incertis rumoribus excitæ, aliquando sibi suisq; rebus timere inceperant. Postquam vero per Pyrenæum saltum traduci exercitus cœptus est, rumorq; per Barbaros manauit de aduentu Francorum certior, ingens repente trepidatio populos omnes inuasit: non satis gnaros quid aduersus tantum, tamq; horrendum hostem sibi agendum, aut parandum foret. Carolus confestim superatis Pyrenæi iugis, quum in fines hostiũ peruenisset; militibus imperat, vt quam latissime possunt vagentur, & quã maximum hostibus terrorẽ inferant. Extemplo ciuitates nonnullæ, quum ad petenda externa auxilia non sufficeret tempus, nec propriis præsidiis res suas tueri possent; sponte deditionẽ faciunt. Augusta, & Pampilonia duæ opulentissimæ totius Hispaniæ vrbes, quæ mandata Caroli aspernabantur, vi captæ ac prædæ militibus datæ.

Augusta. Pampilonia.

Quum alterã Franci ad solum euertissent, alteram mœnibus nudassent: tantum terroris omnibus gentibus iniecere, vt quas adissent, quasq; non adissent, pariter vltimæ propinquis imperio parerent. Sic igitur Hispania pene omnis in Francorum potestatem deuenit.

Hispania in Francorum potestatem deuenit.

Victis præcipue imperatum, vt falsis relictis Diis, Christianæ fidei legem acciperent. Carolus rebus felicissime gestis, quum incolumem exercitum in Galliam reduceret, prope Pyrenæi iuga in finitimarum gentium (quas nunc Vascones vocant) insidias incidit. Insederant enim Barbari in occultioribus locis expectantes occasionem gerendæ rei. Vbi vero Francorum copias in angustiorem viam deductas viderunt; repente ex iugo insuper imminenti nouissimum agmen adorti, ingentem cædem stragemque dedere. Nam Franci quum neque euadere possent in iugum à Vasconibus occupatum, neque se explicare; suo metipsi agmine in arcto hærentes, simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum oppugnabantur.

Franci à Vasconibus per insidias excepti.

Nec iam primi in tam angustis locis ita celeriter vertere aciem poterant, vt vltimis in extremo periculo constitutis opem in tempore ac subsidium ferrent. Itaque etsi animo viribusque longe superiores hostibus forent, alienis tamen locis pugnantes, vitare non potuerunt quin eo die insignem cladem acciperent. Cecidere in ea pugna, dolo hostium, non virtute commissa, Anselmus ac Egibardus summi in bello duces, aliique permulti fortissimi viri, quorum opera Carolus sæpe in maximis certaminibus egregia vsus erat.

Anselmus. Egibardus. Rolandus.

Sunt etiam qui Rolandum Caroli ex sorore nepotem, præstantem fortitudine virum, post ingentem hostium editam cædem, eo prælio interiisse dicant. Hic est Rolandus, quem fama est tempestate sua, corporis robore, & animi magnitudine, longe cæteris aliis præstitisse: cuius fortia facta per vniuersum orbem iam clara nostris quoq; temporibus celebrantur. Vascones sequenti nocte antequã Franci vires colligerent, per nota itinera præda magis quam armis onerati, se in tutum receperunt. Nec tamen illis diutina lætitia fuit. Quippe paulo post ii populi ac eorum Reges à Carolo domiti, meritas perfidiæ suę debitasque pœnas dedere. Britones quoque, qui sub idem prope tempus Caroli mandata neglexerant, bello superati in Francorum potestatem venere. Initium post hæc

Britones.

Beneuentani. Aragisus Beneuentanorum dux

Carolus in Italiã redit.

Taxillo dux Bauariæ.

Carolus in Bauaros contendit.

Lecus flu.

Theon Taxillonis filius.

Abodriti. Velatabi. Nortomanni.

Carolus in Hunnos bellum suscipit.

maximi futuri belli, si vlterius processisset, in Italia ortum, auctoribus Beneuentanis atque Araiso eorum duce: qui quum aperte descissent, studio magis nouarum rerum, quam certa ratione adducti, arma exercitumque parabant, finitimas gentes excibant: vt pontifici Romano contra ius fasque vltro bellum inferrent. Quibus rebus in Galliam perlatis, Carolus in Italiam rursus ad comprimendas populorum seditiones quanta maxima celeritate potest, contendit: ac cum omni exercitu Capuam vsq; progressus, tantum terroris Beneuentanis iniecit, vt extemplo Araisus filios suos, Beneuentani vero nobilissimos ciuitatis obsides darent: ac iureiurando adacti pollicerentur, se in posterum neq; iniussu Caroli arma sumpturos, neq; recusaturos quo minus perpetuo sub Romanæ ecclesiæ ditione atque imperio essent. Hæc adeo mature confecta accepimus, vt eodem prope tempore in Galliam perlatum esset, Carolum in Cãpaniam cum omni exercitu peruenisse, & Beneuentanos metu conterritos deditionẽ fecisse. Verum dum hæc in Italia geruntur, interim Taxillo Bauariæ dux, vxoris (vt tradunt) stimulis concitatus, copias cogit, finitimas gentes sollicitat. Hunnos, qui ea parte qua Bauaria in orientem spectat, sibi confines erant, societate & fœdere iungit. Hæc omnia clandestinis consiliis conficere studet, vt Francos nil tale opinantes repentino bello adoriatur. Erat autem ei coniunx Desiderii regis Langobardorum filia: quæ fortunam patris iniquo animo ferens, nec nocte nec interdiu virum conquiescere patiebatur: monere, atq; rogare, vt meminisse vellet socerum suum clarissimum Regem: qui antea in locupletissimo regno constitutus aliis imperitare solitus esset, nunc graui seruitute detentum omni morte miseriorem vitam ducere. Neminem esse præter eũ, qui possit & debeat seruientem Regem in libertatem vindicare. Hoc finitimas gentes, quod fortunæ Desiderii misereantur, expectare: hoc tacitas petere, quod si vir esse velit, habere propriis viribus etiam externas adiunctas opes: quibus fultus cõmode possit hanc dedecoris notam socero pariter generoq; inustam egregiis factis delere: ac sibi posterisque suis perpetuam gloriam comparare. His muliebribus instructus furiis Taxillo, ingenti studio arma exercitumque parabat, vt Francorum genti omni parte inferior, ferociter magis quam prudenter bellum inferret. Quibus rebus cognitis, Carolus quia magni interesse etiam in reliquum tempus ad opinionem gentium arbitrabatur, tantas videri Galliæ facultates, vt non modo sua tueri, sed etiam aliena aggredi posset: celeriter profectus priusquam hostes cum sociis iungerentur, in fines Bauariæ cum omni exercitu venit: castrisq; ad Lecum fluuium, qui Bauaros ab Alemannis diuidit, positis, legatos ad Taxillonem misit hortatum, vt Francorum mansuetudinem quam arma & vim experiri mallet: atq; idem finitimis gentibus, quas in belli societatem traxisset, suaderet. Taxillo siue his mandatis conterritus, siue sociorum auxilio destitutus, nulla tentata fortuna belli, Caroli imperio sine vlla exceptione parere constituit. Itaq; ei omnium rerum suarum potestate permissa, deditionem fecit: obsides dedit, in his Theonem filium suum, aliosq; permultos lectissimos iuuenes, quorum patres præcipuam in ea prouincia auctoritatem habebant. Sub idem prope tempus Abodriti, veteres Francorum socii, legatos ad Carolum mittunt, qui pro antiqua amicitia societateque olim cum Francis inita, aduersus Velatabos auxilium petant. Est sinus Oceani maris in extremis Germaniæ finibus, qui ab Occasu in Orientem versus centum (vt aiunt) prope millia passuum extenditur. Circa hunc sinum ea tempestate Abodriti, Velatabi, Nortomanni, aliæq; Barbaræ gentes incolebant. Insulas præterea propinquo mari frequenter sparsas tenebant: bella inter se (sicuti inter finitimos populos plærũq; fit) continenter gerebant. Quum igitur Velatabi perpetuis excursionibus, cædibus, incendiis, Abodritos inuaderent, nec vllis præsidiis remoueri ab iniuria possent; Abodritorum legati in Galliam venerunt: opem aduersus suos Francorumque hostes, pro iure societatis petentes. benigne hospitaliterque suscepti auxilio impetrato grata responsa domum retulerunt. Profectus deinde cum exercitu Carolus citius omnium opinione bellum confecit, Barbaros ex sociorum finibus expulit, expulsos ad deditionem compulit, ac iureiurando adegit ne in posterum Francis, Francorumque sociis, aliisve finitimis gentibus iniussu suo bellum inferrent. His rebus gestis, quum in magna gloria magnisque opibus regnum ac tota res Francorum esset, statuit Carolus aduersus Hũnos, qui hostibus suis auxilia sumministrauerant, bellum suscipere. Hunnorum

rum gentem Scythicam fuisse accepimus. Incoluere primo supra Mæotida paludem: *Hunni.* inde ingenti multitudine ꝑfecti mutatis sedibus in Pannoniã venere, atq; hunc locũ sibi domicilium delegere. Ea vero tempestate qua Carolus eis bellum indixit, abundantissimi diuitiis erant, & post Saxones armis virisq; opulentissimi. Habebãt præterea finitimos populos partim metu, partim beneficio obstrictos, & iureiurando adactos, vt in omnibus bellis pro sua quisque facultate rem Hunnorum iuuarent. Quo igitur vires Hunnorũ maiores erãt, eo maiore studio Carolus omnia sibi quæ ad maximum bellum pertinerent, curanda agendaq; censebat: vt quum virtute hostib. lõge Franci præstarent, viribus quoque aut pares aut superiores essent. Summa igitur diligentia, tum ratione atque consilio omnibus comparatis, castra mouet: atque exercitum & viris & armis peregregie instructum in Pannoniã ducit. Hoc ego bellum partim à Carolo, partim à filio suo Pipino apud plærosq; auctores gestum comperio. Victi multis præliis Hunni, tandem octauo anno postquam bellum inceperat, penitus superati imperio Caroli paruere. Quoties vero cum hac gente iusta acie pugnatum sit, quæve aut quantæ hostium copiæ in eo bello ceciderint, quia raræ per ea tempora literæ fuere, difficile ad fidem est exacto affirmare numero. Illud certe constat, nullũ vnquam bellum à Carolo gestum, in quo maior sit hostium cædes edita, maiorque illata clades. In eo enim omnes auctores conueniunt, ingentẽ Hunnorum multitudinem, & pene nobilissimum quemq; eo bello absumptũ: maximã quoq; vim auri atq; argenti, multãq; preciosam supellectilem, quam Hunni ex variis gentib. direptam in suum regnũ congesserant, à Francis inuentam, atq; in Galliã transportatã, totã deniq; Hunnorum rẽ tam multiplici clade affectã, vt nullũ ferme pristinæ potentiæ, quæ antea longe lateq; patebat, vestigiũ remaneret. Franci deuicta Pannonia, ac opulentissima gente subacta, graues hostium spoliis in Galliam reuertuntur. Periere in eo bello Herricus ac Geroldus, duo clarissimi Francorum duces: in reliqua multitudine parũ *Herricus Geroldus* detrimenti acceptum. Sub idem tempus Adelgisum Desiderii filium, qui ante expugnationem Papiæ ex transpadanis in Græciam perfugerat, cum magna manu ad repetendum regnum in Italiam redeuntem, à Francis superatum præfectorum auspicio, suppliciоque affectum quidam auctores sunt. *Adelgisus Desiderii filius.* Addunt etiam non multo postea duo eodem prope tẽpore exarsisse bella, Boemicũ sc. & Liuonicum: atq; ambo à Carolo iuniore ita celeriter esse confecta, vt facile appareret, præstantissimi patris nõ dissimilem esse filium. Sequutum est post hæc aduersus Nortomannos bellum: *Carolus bellum suscipit contra Nortomannos.* qui Abotridis subactis, quum ductu Gotofridi regis Galliæ Germaniæq; littora prædatoria classe vexarent, iamque Gotofridus nimia superbia & temeritate elatus, Frisiæ, Saxoniæ, atque omni Galliæ arma minaretur, palamque iactaret se breui Aquisgranum (vbi Caroli regia erat) cum ingentibus copiis petiturum: *Gotofridus rex Nortomannorum. Aquisgranum.* non putauit Carolus sociorum iniuriam ac huius hominis effrænatam audaciam vlterius esse ferendam: itaque omnibus necessariis ad bellum celeriter comparatis, in Nortomannos exercitum ducit: classem per Oceanum mittit, vt terra marique simul hostem inuadat. Verum non diutius ei laborandum fuit: quia Nortomanni paulopost Gotofrido rege à proprio satellite interfecto, se suaque omnia fidei & potestati Caroli permisere. *Gotofridus interficitur.* Quum hic status rerum in Gallia esset, interim Romani aduersus Leonem pontificem coniurationem ineunt: eumque nec læsi, nec lacessiti per iniuriam vrbe expellunt. *Leo pontifex Roma expulsus: & à Carolo restitutus.* Quibus rebus legati ad Carolum veniunt, multis precibus pro Romano pontifice auxilium aduersus coniuratos repetentes. Hos Carolus consuetudine sua benigne accipit, eorum animos verbis confirmat: magnam spem se habere dicit, Populum Ro. vel beneficio vel auctoritate sua adductum finem iniuriis facturum: quod si perseuerare in iniuria velit, nullam dimicationem recusaturum pro Romanæ Ecclesiæ dignitate: cui deesse quoad vita suppetat, aliis principibus Christianorum turpe, Carolo etiam nefas sit. Nam iampridem Ecclesiæ Romanæ patrocinio suscepto, nihil ei antiquius erat, quam Apostolicæ sedis dignitatem tueri, statum seruare, auctoritatem extollere, iniuria ac maleficio prohibere. Itaque cum ea coniuratio magni ponderis esset, & præsentia sua indigere videretur, extemplo cum exercitu profectus in Italiam contendit. Primo aduentu omni motu sedato noxiis supplicio affectis, Pontificem Romanum cum ingenti gloria in vrbem resti-

Carolus dictus Augustus, & imperator Romanor.

tuit: à quo mox pro ſuis egregiis meritis, & ſingulari erga libertatem omnium Chriſtianorum fide AVGVSTVS appellatus, Imperatorium nomen dignitatemque ſuſcepit: non ſolum aſſentiente, ſed etiam applaudente populo Romano. Hoc tempore primum ſummi imperii dignitatem, quæ trecentis ante & triginta annis fuerat amiſſa, & iam nimia vetuſtate obliterata, egregia virtute Caroli occidenti reſtitutam tradunt. De quo quidem non alienum videtur pro cognitione rei altius aliquanto repetere.

Roma.

Vrbem Romam (ſicuti grauiſſimi auctores memoriæ prodidere) initio Reges gubernarunt. Ii nullis legibus obnoxii, domi populum, exercitum foris, pro ſuo arbitratu regentes, nunc belli, nunc pacis artibus rem Romanam mirifice auxere, eoque nutriendo perduxere, vt bonam frugem libertatis maturis iam viribus ferre poſſet. Tarquinio deinde Superbo ob immodicam dominandi licentiam regno exacto, regia poteſtas penitus in vrbe ceſſauit. Sub Conſulibus poſtea, ac Dictatoribus, conſularique poteſtate Tribunis, qui fuerunt libero populo magiſtratus, & res & nomen emerſit imperii. Aphrica pene tota magnaque Aſiæ parte vltra Armeniam & Caucaſum montem armis ſubacta. Europæ vero, Hiſpaniis, Galliis, Græcia, Thracia, aliiſque ſubinde regionibus bello domitis, longe lateque Romanorum opes patuere. Hoc tam amplo, per quadringentos ſexaginta annos ab vna republica parto auctoque imperio, frui deinde per inteſtina arma non licuit: quorum cauſa atque initium traditur ex immodica cupiditate regnandi, & certamine factionum ortum: quæ ſemper fuerunt eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa. Imperatores hinc creari cœpti: quod ante armorum caſtrorumq; nomẽ fuit. id tanquam inteſtino vigente bello intra mœnia inductum, verbo quidem legitima poteſtas, re autem vera dominatio erat. Qui enim republica occupata Romanis dominabantur, Imperatores ſe appellari non ſolum æquo, ſed etiam libenti animo patiebãtur: quia Imperatorium nomen & gratius & tolerabilius Romæ erat: quam quiſquam titulus qui dominationis ſpeciem præ ſe ferre videretur.

Imperatoria dignitas.

Atque Imperatoria dignitas apud priſcos Romanos longe inferior Regia dignitate. Cur autem poſtea hoc imperatorium nomẽ in tanto precio habitum ſit, cauſam fuiſſe exiſtimo: quia quum illi qui reip. Romanæ, totiq; pene terrarum orbi dominabantur ſe nuncuparent Imperatores, forte poſteriores credidere: ſicuti illi potentia cæteros alios anteibant, ſic etiam nomen quo vtebantur, reliquis omnibus anteponendum eſſe. Hinc talis opinio orta, deinde multis temporibus inueterata, obtinuit vt Imperatoria dignitas omnibus aliis excellentior haberetur. Sed ab initio quidem ſingulis imperantibus, quum

Nerua.

Nerua primus, aliique poſtea ſimili exemplo ducti, ſibi conſortem imperii delegiſſent: duo interdum principes eodem tempore extitere, qui ſe Romanorum nuncupabant Imperatores. Poſtea vero quam Conſtantinus relicta Roma ad orientem deſcendit; factum conſuetudine eſt, vt diuiſim illud Orientis, hoc Occidentis imperium diceretur.

Odoacrus Torcilingorum rex. Auguſtulus.

Fœde deinde vaſtantibus Italiam Barbaris tẽpore Odoacri Torcilingorum regis, qui Auguſtulum bello ſuperauit, ſublatum imperium trecentis & triginta annis in Occidente ceſſauit. Tot enim ab Auguſtulo ad Carolum magnum fuere: quẽ à Leone pontifice Imperatorẽ diximus appellatum. Carolus Francorũ rex ac Romanorũ imperator, poſt ampliſſimã dignitatẽ ſuſceptã, quum in Galliã rediturus iter

Florentia reſtituta à Carolo Imp.

per Hetruriã faceret, in memoriam dignitatis adeptæ Florentiã vrbẽ, quam olim magna ex parte deleuerant Gotthi, in priſtinum ſtatum cũ ſumma celebritate reſtituit: omnemq; nobilitatem per oppida vicina diſperſam in ciuitatẽ reduxit, nouis mœnib. cinxit, tẽplis ornauit. Quibus meritis quantum Caroli nomini eiuſque ſucceſſoribus noſtra ciuitas debeat, nec literis explicari nec vlla oratione exprimi poteſt. Quod enim in ſolo patrio ſumus, quod liberi viuimus, quod magiſtratus, leges, ciuitatẽ habemus; ea omnia Carolo accepta ſunt referenda, ac eius memoria cũ grata recordatione perpetuo celebrãda: vt homini tã præclare de noſtra patria merito, ſi non parẽ beneficiis ſuis, ſaltẽ aliquã pro viribus noſtris gratiã referamus. Illud autẽ loco ſummæ gloriæ Florentię vrbi tribuendũ puto, ꝙ initio eam condidere Romani, conditam deinde ac Barbarorum furore euerſam, Romanorum quoq; clariſſimus Imperator reſtituit: vt non tantum doloris ex deiecta, quantum lætitiæ ex reſtituta patria Florentinis accederet. Quum reuerſus eſſet in Galliã Carolus, exceptus eſt eius aduẽtus ab omnib. populis

populis

pulis incredibili honore atque amore. Festi celebrati dies, omnibus ciuitatibus supplicationes decretæ, publicæ priuatimq; ei gratulationes cum effusa lætitia factæ. His rebus tam egregie à Carolo gestis addunt scriptores nonnulli rem maxime memoratu dignam: quam ego vt certam affirmare, quia nulla apud alios auctores eius rei mentio est, nec vt incertam relinquere ausim. Tradunt enim quum Hierosolyma graui Barbarorum dominatu oppressa teneretur, Carolum Constantini Imperatoris precibus euocatum, simul & rei indignitate commotum ad liberandum sanctissimum locum, vbi omnium gentium salus est orta, cum ingenti exercitu accessisse: profligatisque Barbaris, ac ex omni prouincia pulsis, Christianos in vrbē restituisse, firmisq; præsidiis munitam reliquisse: profectum deinde Byzantium & à Constantino incredibili lætitia acceptum, magnoque affectum honore, paulo post in Galliam rediisse. Hæc si ita sunt, hanc expeditionem factam esse oportet antequam Carolus ad restituendum Leonem pontificem in Italiam veniret: quia satis constat post Imperatoriam dignitatem susceptam, nunquam Carolum in orientem esse profectum. Hæc bella septem & quadraginta annis (tot enim regnauit) incredibili felicitate, tum magnitudine quadam animi, tum etiam ingenii atque consilii Carolum non solum gessisse, sed etiam confecisse tradunt: quibus regnum satis amplum a patre acceptum, longe maius auctiusque posteris suis reliquit. Nam paterni regni fines in Gallia Rheno, Ligeri, Oceanoque, & in Germania Danubio, & Sala fluuio, qui Thuringios à Sorabis diuidit, continebantur. His Aquitaniam, Vasconiam, Hispaniam pene totam, & eam Italiæ partem in qua Langobardorum regia fuerat, bellica virtute adeptam Carolus Magnus adiunxit. Adiecit etiam Saxoniam, quæ est non modica Germaniæ pars: tum vtramque Pannoniam: & vltra Danubium, Daciam, Histriam, & totum Liburnorum regnum: Dalmatiam quoq;, præter maritimas ciuitates quæ Constantinopolitano Imperatori patebant. omnes denique Barbaras gentes, quæ Germaniam inter Rhenum Oceanum ac Danubium incolunt, partim armis subactas, partim beneficio allectas in suam potestatem redegit. His tantis opibus, tot tamque rebus egregie gestis, eam sibi famam non solum in Gallia, sed etiam per vniuersum orbem Carolus comparauerat: vt vndique ad eum legationes concurrerent, quæ gratiam atque amicitiam publice priuatimque peterent. Quinetiam memoriæ proditum est, Persarum regem, cuius opes in Asia longe lateque patebant, Caroli fama adductum, legatos cum magnificentissimis donis misisse in Galliam, qui eum rogarent vt se in amicitiam susciperet. Cum Imperatoribus quoque Constantinopolitanis beniuolentia fuit & societate coniunctus: quamquam post dignitatem Imperatoriam Romæ acceptam, Caroli fama illis & suspecta quoque potentia foret. Cæterum enarratis bellicis rebus, quæ visæ sunt nobis cognitione & memoria dignæ, nunc operæ precium esse existimo, Caroli habitum, naturam, & mores, tum ea omnia quæ ad domesticam pertinent disciplinam, breuibus verbis referre. Tradunt omnes pene auctores qui diligentius Caroli figuram describunt; procera illum fuisse statura, lato pectore, latis humeris, magnis vegetisque oculis, naso paulo eminentiore. Forma denique & pulchritudine oris adeo eximia, vt decorem simul præ se ferre videretur cum regia quadam maiestate coniunctum. Habebat & in voce splendorem, & in incessu totoque corporis motu summam dignitatem. Promissam gerebat barbam: & siquando festi dies celebrandi erant, aut legati externorum principum audiendi, veste auro contexta, & gladio multis gemmis ornato vtebatur. Valetudine fuit prospera: nisi quod paucis annis antequam diem obiret, febre sæpius laborabat. Venationibus Gallorum more adeo frequenter studebat, vt non niues, non montes, syluæque eum etiam senescentem à tali exercitio reuocarent. Putabat enim laborem corporis ad sanitatem seruandam vehementer conferre. Tradunt præterea eum balneis & aquis natura calidis plurimum delectatum: atque ideo Aquisgrani, vbi talis aquæ ingens copia erat, diutius commorari solitum. Quinetiam consuesse amicos ac familiares, & interdum omnis generis homines, secum in balneas ducere, ibique alia confabulandi materia in medium allata, longum sermonem trahere: atque ex eo non mediocrem voluptatem capere. Fuit autem Carolus amicorum studiosissimus: pietate vero in parentes, amore in filios, humanitate

Hierosolyma liberatur à Carolo.

Francorum imperio aucta à Carolo.

Caroli statura, & eius mores.

Aquisgrani.

Berta Caroli mater. Heradius Conſtantinop. Imp.

in omnes, ſine controuerſia cæteros alios ſuperabat. Mater ei Berta fuit, Heradii Cæſaris præſtantiſſimi Conſtantinopolitani Imperatoris filia: quam quum in omni vitæ tempore, tum præcipue poſt Pipini mortem in ſummo honore & obſeruantia habuit. Difficilem fratris naturam, ac multis ſuſpicionibus laborantem, ita patienti animo tulit, vt pro acceptis iniuriis ſæpe beneficia ei, filiiſque referret. Sororem quoque, quæ ſibi vnica erat, incredibili amore dilexit. Denique omnem familiam ſuam tanta charitate complexus eſt, vt quidam ſcriptores dicant, eum quocumque accederet, ſolitum eſſe filios filiasque omnes ſecum ducere. Fuit in remunerando largus, in puniendo mitis & clemens. Quinetiam tradunt, quum aliquando in expeditionem proficiſceretur, nothum filium, quem plerique ſpe regnandi iniecta opinionibus vanis imbuerant, Carolo inſidias comparaſſe, vt eum de medio tolleret: pauloque deinde coniuratione detecta, mitiſſimum patrem ſcelerato ignouiſſe filio, eique permiſiſſe, vt reliquam deinde vitam in quodam monaſterio ab oculis hominum remotam duceret. Hanc igitur manſuetudinem in puniendo, æquitatem in iudicando, moderationē in gubernando, quam Carolus publicis pariter ac priuatis rebus præ ſe ferebat, ſic populi omnes admirabantur: vt palam prædicarent, talem ſibi Regem diuino numine datū, qualem nunquā antea auſi eſſent optare. Illud præterea maximam ei beniuolentiā comparabat, quod erga hoſpites, peregrinos, & eos omnes qui paupertate nimia laborabant, ſumma profuſaq; liberalitate vtebatur. Inopes vero qui virtute ac bonis moribus præditi erant, ſæpe non modo pecunia iuuit, ſed etiā honoribus manifeſtis affecit: vt vanā eorum opinionē argueret, qui neq; honori magno locum, neq; virtuti putant eſſe, niſi vbi effuſæ affluant opes. Cibi inſuper & potus continentiſſimus fuit. Feſtis ſolum diebus, atq; id etiam raro, conuiuia celebrabat. In cognoſcendis controuerſiis hominum & diligentiſſimus ſimul, & iuſtiſſimus habebatur. Liberę ad eum querimoniæ de aliorum iniuriis, facileſque aditus erant: benigna reddebantur reſponſa. Quæ omnia quo rarius in maximis principibus reperiuntur, eo gratiora in Carolo habebantur. Sed omnium primum (vt erat diligentiſſimus religionum cultor) ſumma opera ſtudioque curabat, vt Epiſcopi per vniuerſum regnum ſacras ædes nimia vetuſtate dilapſas aut omnino reficerent, aut ſaltem renouarent. Ipſe vero Aquiſgrani (vbi ſedes regni, eiuſque regia erat) maximis ſumptibus templum condidit: ipſumque marmoreis columnis, tum argento auroque celato vehementer ornauit: ornatumque omnium rerum pulcherrimarum copia, beatæ Mariæ dedicauit. Multa quoque alia opera memoratu digna conſtruxit: quæ ea tempeſtate tum pulchritudine, tum magnitudine ſua admirationem gentium commouebant. Nam pontem in Rhenum apud Maguntiam, vbi quingentos paſſus fluminis latitudo patet, ædificatum à Carolo tradunt: egregium ſane opus, & magnitudinem conditoris cunctis viſentibus præ ſe ferens. Regias inſuper ædes variis in locis ab eodem extructas dicunt: & templa in multis ciuitatibus condita: quæ noſtris quoque temporibus extant, & religionem in Carolo, regalemque animum fuiſſe oſtendunt. Verum ad has eximias regiaſque virtutes addiderat etiam Carolus eloquentiam copiamque dicendi, & bonarum artium diſciplinam: quæ cum cæteris hominibus, tum iis qui ſunt in ſummis poteſtatibus conſtituti, magno ſemper decori atque ornamento fuere. Præceptorem habuit Albinum (cui poſtea Alcuino cognomen fuit) eruditiſſimum, ſummumq; philoſophum: à quo non ſolum ſtudium ſapientiæ, ſed etiam præcepta oratoria, artemque diſſerendi accepit. Cuius opera tunc primum Parrhiſienſe gymnaſiū à Carolo inſtitutū tradunt: quod deinde à poſterioribus Regibus ſeruatum auctumq;, eo dignitatis & gloriæ venit, vt nunc quoq; celeberrimum per vniuerſum orbem eruditiſſimorum hominum domicilium habeatur. Carolus igitur ipſe literis non modo Latinis, ſed etiam Græcis liberaliter inſtitutus, filios quoque ſuos doctiſſimis hominibus in diſciplinam dedit, vt à primis incunabulis bonis artibus erudirentur. Filias etiam, ne otio torperent, lanificio aſſueſcere iuſſit. Habuit autem ex pluribus vxoribus pulcherrimam ſobolem: ſed ex Hildegarde fœmina apud Sueuos ampliſſimo genere orta, Carolum, Pipinum, Ludouicum filios, totidemque filias genuit. Ex his Carolum qui maior natu erat, & Pipinum, quem Galliæ citeriori præfecerat, prius quam

Caroli charitas mirifica.

Templum B. Mariæ à Carolo M. dedicatum.

Pons in Rheno.

Carolus eloquentia & bonis artibus ornatus.

Albinus qui & Alcuinus.

Gymnaſium Parrhiſienſe à Carolo inſtitutum.

Carolus quos filios habuit.

quam diem obiret, amisit. Ludouicus ei relinquebatur, vnicum senectutis refugium. Hunc paulo ante mortem ad se vocatum, summo consensu omnium principum Augustum appellauit, consortemque sibi delegit imperii: quæ res maximam ei apud omnis generis homines tum dignitatem, tum auctoritatem comparauit. Stabilitum enim suis posteris non solum Francorum regnum, sed etiam Imperatorium nomen summa concordia omnium videbatur. Nec multo interiecto tempore quum venatum consuetudine sua haud procul à regia Aquisgrani esset profectus, domum rediit cum febre. Hanc abstinentia (vt consueuerat) superare se posse confidens, quum lateris etiam accessisset dolor, morbis simul & senectute confectus vita excessit: ætatis suæ septuagesimo secundo, & Christianæ salutis XV. supra octingentesimum annum, quinto Kal. Februarias. Eius deinde corpus in Basilica Aquisgrani, quam ille in vita tantopere coluerat, solenni funere sepultum tradunt: arcumque auratum egregieque fabrefactum supra monumentum eius locatum: in quo imago illius sculpta tali epigrammate cingebatur. *Caroli M. Christianissimi imperatoris Romanorum corpus sub hoc sepulchro conditum iacet. Hic Francorum regnum septem supra XL. annos summa moderatione ac iustitia administrauit: idque belli pacisque artibus magnopere auctum posteris suis reliquit.* Paulo ante obitum eius multa prodigia visa dicuntur. Nam & porticũ quæ erat inter Basilicam & regiam mirabili sumptu confecta, corruisse, & pontem ad Maguntiam incendio conflagrasse, & auream pilam quæ in culmine religiosissimi templi locata erat, fulgure tactam & deiectam tradunt. Tribus annis antequam è vita migraret, testamentum condidit: quo pecuniam, vestes, vasa aurea argenteaque, multamq; preciosam supellectilem tripliciter diuisam legauit. Duas partes vni & viginti ciuitatibus regni, quas Metropolitanas appellant Græci, ac earum Episcopis dari iussit: vt illis in reficiendis Ecclesiis & pauperibus iuuandis pro arbitrio vterentur. Tertiã vero partem vniuscuiusq; ratione habita, filiis, filiab. nepotibusq;, tũ seruis & ancillis reliquit. Erant inter cęteros thesauros suos tres argenteæ mensæ: ac vna aurea, præcipuæ magnitudinis. Illarum trium vnam, quæ Constantinopolitanę vrbis similitudinẽ referebat, ad ornandum celeberrimum beati Petri templum Romam misit. Aliam in qua forma vrbis Romæ peregregie sculpta erat, Rauenati Basilicæ dono dedit. Tertiam vero quæ totius Orbis descriptionem continebat, & auream illam, quam in ordine quartam numerauimus, filiis suis reliquit. Hæc Carolus summa diligentia, ratione atque consilio, quum multi Episcopi multique principes regni adessent, constituit. Quæ omnia Ludouicus eius filius ac successor, ex commentario post Caroli mortem diligentissime ac sanctissime seruauit.

Caroli M. interitus.

Testamentum Caroli.

Metropolitana vrbs.

FINIS.

INDEX

INDEX

LOCVPLETISSIMVS RERVM AC VERborum notatu digniorum, quæ in his diuersorum Auctorum De Rebus gestis Francorum Libris continentur.



Numerus paginam indicat.

Berta-

Clotha-

G

H

I.

M.

O.

P.

Q.

R.

Referen-

S.

Simon

T.

V.

FINIS.



